MANUALE

SACRARUM CAEREMONIARUM

IN LIBROS OCTO DIGESTUM

A

PIO MARTINUCCI

PRAELATO DOMESTICO, PROTONOTARIO APOSTOLICO,
S. CONGR. CAEREMONIALIS SECRETARIO,
BIBLIOTHECAE VATICANAE ET PONTIFICIIS CAEREMONIIS
PRAEFECTO.

EDITIO ALTERA EMENDATA ET AUCTIOR.

LIBER PRIMUS

VOLUMEN I.

ROMÆ
EX TYPOGRAPHIA LUDOVICI CECCHINI
1879.

LECTORI BENEVOLO

PRAELOQUIUM

Alteram mei sacrarum Caeremoniarum Manualis editionem magna innixus fiducia modo in lucem profero. Primae in ultimas paene terras editionis quamplurima diffusio, quae brevi illi tempore contigit et continua efflagitantium desideria ad me tale opus elucubrandum atque conficiendum excitarunt. Hac in editione eumdem primae ordinem adamussim servavi, et menda expunxi, quae in typos irrepserant. Alia dein documenta addidi, quae ad praestitutum finem utilia fore haud despero. Quoad allegationes consiliis obsecundare studui, quae mihi Novariensis Episcopus Cardinalis Joseph Morozzo fel. rec. suppeditavit, sicuti in prima editione significavi. Deus O. M. inutilis servi curis et laboribus felix arrideat ut in sacris ritibus peragendis, publicisque in precibus uniformitas statuatur, quae proculdubio fidem testatur; namque „ legem credendi lex statuit supplicandi „.

PIUS PP. IX.

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam Benedictionem.

Quanti plurimi fecerint, Dilecte Fili, Praedecessores Nostri de munere in custodienda Ecclesiae Catholicae augusta Liturgia, neminem certe latet Gelasium, Leonem praesertim, et Gregorium Sanctos Pontifices, oecumenica et generalia Concilia, Synodum Tridentinam, ipsasque Apostolicas Constitutiones, vires in unum congessisse, ut sacrae Caeremoniae summo studio summaque diligentia tractarentur. Ad uniformitatem vero sensim inducendam, quae tam belle unitatis spiritui, quo informatur Ecclesia, convenit, utque ipsi Ritus mentem illustrarent, animum moverent, corda erigerent ad superna et quodammodo Caelitibus throno Dei ministrantibus sociarent, Pius V. sanctus aliique Pontifices et ipsa sacris tuendis Ritibus Congregatio a Sixto V. Praedecessore instituta, in emendandis libris liturgicis nedum strenue adlaborarunt; sed et ea quae ordini, splendori, maiestatique Dei cultus spectant diu provide promoverunt. Hinc multi gravi scientia et doctrina viri de sacrorum Rituum praestantia disserentes, excellentiam de-

monstrantes, significationem mysticam explanantes, in tanto ac diverso ministerio singulas Caeremoniarum partes observatu facili exponentes, ne imperitia, discrepantia, arbitrio totius apparatus methodus perturbaretur illiusque majestas deprimeretur. Siquidem lex credendi legem statuit supplicandi. At vero ex hoc plurimorum scriptorum expositorumve rubricarum numero, quamvis ob studium atque curam laudibus magnopere exornato; tamen de omnibus officiis ab ipsis Venerabilibus Fratribus Nostris obeundis, nullum fortasse adhuc prodierat opus perutile, quod praxim plane, dilucide ordinateque conferret. Opus quidem tuum, Dilecte Fili, aliis intentatum, diuturni laboris fructum in libros octo digestum, nedum, quod erat optandum, defectui supplet, sed et te dignum munere a Nobis credito, quod in sacris Caeremoniis Nostris sustines, abunde ostendit. Laudabili itaque industriae solertiaeque tuae, quibus Personam Nostram Sedemque hanc Apostolicam deservis, Cathedralibus Ecclesiis et ipsis Episcopis illud peropportunum futurum esse ducimus et pro merito, hisce potissimum temporibus, quibus laeti vidimus, ut Ecclesiae quae vicissitudinum vi ab hac aliarum Matre ac Magistra deflexerant, quum rursus ad ipsam accesserint, Romanam Liturgiam in primis sunt amplexatae. Quapropter ad hunc optatum successum, superni favoris auspicem et Paternae Nostrae bene-

volentiae pignus Apostolicam Benedictionem, tibi, Dilecte Fili, peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 30 Decembris 1872. Pontificatus Nostri anno vicesimo septimo.

PIUS PP. IX.

Foris. Dilecto Filio Pio Martinucci
Apostolicis Nostris Caeremoniis Praefecto
ac Protonotario Apostolico.

PRAELOQUIUM

EDITIONI PRIMAE PRAEFIXUM

Scriptores omnes, qui de sacris Ecclesiae caeremoniis, tractatus, sive institutiones seu documenta in lucem prodiderunt, earum excellentiam, amplitudinem, decus, maiestatemque iustis meritisque laudibus sunt prosecuti; siquidem publicae supplicationes, quae ab Ecclesia fiunt, sunt Fidei professio „ Legem credendi lex statuit supplicandi. „ Eamdem nobis esse rationem sequendam, operis, quod vulgandum curamus, qualitas et natura monere videretur. Quid enim aequius simul ac praestantius reperiri potest, quam ut in cultu Deo Optimo Maximo praestando, omnia ornate, decore, nobiliter, accurate, quam fieri potest, peragantur? At quia de illarum magnitudine et praestantia multi multa dixerunt, et cum vulgatam tum veterem esse rem novissemus, praetereundum nobis censuimus. Quapropter quoniam nihil melius, novumque nihil in rebus istis afferre possumus, de methodo, quam hoc manuali conscribendo sequuti sumus, satius erit quidquam innuere.

Summo Romano Pontifici a Caeremoniis quinque et triginta iam annos quum sim, ex illo gradu veluti quadam e specula inopiam librorum prospexi, qui sacrorum alumnos rituum ecclesiasticorum praxim edocerent; sive, ut melius dicam, morem auctorum de Caeremoniis tractantium, quod earum praxim minime attigerunt, paullum sum admiratus. Hisce caussis motus, ad condendum opus quod in caeremoniis obeundis certum et expeditum toti sacerdotali ordini monstraret iter, animum adieci, ut in cultu, qui sacris publicis solemnitatibus Deo redditur, modus, ordo et ratio esset una eademque. Ac si cui res, quae his libris aguntur, exiles tenuesque videri forte possent, respondere licebit, quod rebus etiam exiguis, sed genere nobilibus, dignitate praestantibus, usu necessariis eadem, quae maximis, laus idemque est decus.

In iis, qui de ritibus fuse eruditeque tractarunt, in primis elucet clarissimus F. A. Zaccaria e S. I. qui bibliothecam liturgicam tribus copiosis libris digestam edidit. Sed opus illud, quamquam ceteroquin magna exquisitaque doctrina refertum, aliud fere non est, quam de libris ritualibus tractatus completus. Qua de re non est inficiandum, quod in tanto scriptorum numero, nemo hactenus sacris ritibus, qui solemnitatum omnium pontificalium proprii sunt, exponendis explicandisque minutatim operam dedit.

Doctissimus vir p. Catalani interpretationibus illustravit Pontificale Romanum et Caeremoniale Episcoporum; in iis tamen plurimae eruditionis commentariis, nihil prorsus descendit ad praxim, quae quidem ad caeremonias exsequendas necessaria admodum pars est. Horatius autem Cristiani opusculo illo, quod inscripsit *Praxis pontificalis maioris hebdomadae*, partem quae in actu et exercitatione consistit, attigit quidem; extat et Manuale Pontificum Francisci Felicis Tiberii Episcopi Valven. et Sulmonen; sed utrumque Hebdomadam maiorem respicit solummodo.

Visum est igitur nobis operae pretium quaecumque ad sacras caeremonias rite peragendas pertinent, quaeque tot annorum usu potuimus ediscere, omnia simul colligere et minima etiam consectari, ne, si hoc in manuali quicquam vel exiguum desideraretur, Sacrorum alumni ad quem confugerent, ut edocerentur, nescirent. Sequuti fideliter sumus qua Breviarii, qua Missalis rubricas, Caeremoniale Episcoporum, Pontificale et Rituale Romanum, ac decisiones authenticas S. C. Rituum, qui omnes a Sede Apostolica comprobati libri, certi, unde hauriatur veritas, fontes sunt. Si qua de re quaestio habetur, seu nondum ipsa S. Sedes protulit iudicium, praxi Ecclesiarum, in quibus regularius sacra fiunt, non dubitavimus adhaerere. Allegationibus autem, quippe quae, nostra quidem sententia, nihil proficiunt ad ea quae tra-

duntur; contra vero augentes operis molem, difficiliorem efficiunt emptionem, abstinendum duximus, sequentes hac in re exemplum Card. Morozzo Episcopi Novariae, qui in eo, quem edidit in usum dioecesis suae, de sacris Caeremoniis tractatu his fere utitur verbis „ In opere digerendo illius perspicuitati magis, quam allegationum praesidio atque argumentis, referendo varias Rubricistarum sententias, consultum est; secus enim verebamur, ne facile taedio afficeremus lectores, qui hisce praesertim rebus documenta requirunt nudata et simplicia omnique considerationum parum appositarum onere carentia, quae plerumque legentium animos potius perturbant, quam ut illis lucem afferant maiorem. „

Quapropter octo libris distinctum, ut omnia constarent rectius, hoc manuale ita distribuimus: In primum librum ea reiecimus, quae ad clericos sacris caeremoniis studere cupientes, itemque ad alios, qui sacris ordinibus sunt initiandi, conducere possunt; idcirco et documenta ad Rem divinam et reliqua officia quae ad sacerdotes sive ad clericos sacris ordinibus constitutos spectant, exsequenda inseruimus.

Altero libro describuntur functiones sacrae ordinariae per totum anni circulum in singulis ecclesiis seu cathedralibus aut conventualibus celebrandae.

Tertius functiones praecipuas complectitur in paroeciis ruralibus clero carentibus peragendas.

Quarto Sacramentorum administratio ad parochum spectans, functiones quae iuris eius sunt, et benedictiones ab eo vel ab alio Sacerdote ex Episcopi ordinarii mandato faciendae continentur.

Quinto et sexto dantur functiones universae pontificales, quae vulgo in annum fieri solent.

In septimo agitur de ritibus ab Episcopis servandis in Sacramentorum administratione, in consecrationibus et benedictionibus impertiendis, quae illorum officii sunt et iuris.

In octavo denique functiones ab Episcopo obeundas, qui extra suam dioecesim peregre abierit, digessimus.

Singulis autem capitulis singulisque paragraphis, rerum quae ibi tractantur, summa capita indicavimus, reiecto ad calcem indice, ut quae quisque cupiat, facilius possit invenire.

Ac nequis linguae latinae disertus barbarismi nos arguat, quod minus latine passim diximus, non recusamus quin huius sermonis parum docti habeamur; fateri tamen liceat, plurima huiusmodi operibus inhaerere, quae si elegantius exponere studuissemus, non ita facile ab omnibus legentibus intelligerentur. Morem sequuti sumus scriptorum earumdem ferme rerum qui nos cum aetate, tum scribendi stilo antecesserunt, parvi pendentes sermonis lepores, quum

rectus ordo et dilucida explicatio rerum a nobis expostulari tantum videretur.

Librum primum in praesentia palam facere audemus, reliquos vulgaturi simul ac opus nostrum, qualecumque sit, libenter excipi innotuerit. Hoc labore, quem in Dei gloriam Clerique commodum suscepimus et quindecim non minus annos pertulimus, si prosperi, ut speravimus, non dabuntur successus, benigne tamen nobis Sacerdotalem ordinem indulturum, et nostrae erga se perpetuae voluntatis testimonium accepturum esse confidimus. Vale.

SACRARUM CAEREMONIARUM
MANUALE

PRO CLERICIS, QUI SACRIS CAEREMONIIS STUDERE CUPIUNT
ITEMQUE PRO ALIIS QUI SACRIS ORDINIBUS INITIANDI SUNT.

LIBER I.

DE CAEREMONIIS. QUAE COMMUNES SUNT CUICUMQUE SACRAE ACTIONI.

CAPUT I.

1. Antequam sacrarum caeremoniarum penetralia subeamus, quasdam notiones sive principia quae cuicumque sacrae actioni sunt communia, consulentes non tam sacrae eruditionis studiosis, quam clericorum tironum institutioni, qui ad illarum exercitium admittuntur, hoc capite perstringenda censuimus. Quamobrem a Crucis signo, quod initium omnium sacrarum actionum est, exordium sumatur oportet.

2. Signum Crucis hoc modo peragitur. Apposita manu sinistra paullum infra pectus, et eius palma aperta et extensa ad pectus conversa, elevabitur manus dextera itidem aperta, et extremis tribus digitis, indice, medio et annulari tangetur leviter frons, dum dicitur *In nomine Patris*: hinc demissa manus dextera ad pectus, pari modo ipsum tangat dum dicitur *et Filii*: transferetur eadem manus prius ad humerum sinistrum deinde ad dexterum similiter tangendum et proferantur verba *et Spiritus Sancti;* ac statim iuncta utraque manu, extensis et iunctis pariter digitis, dicatur *Amen.* Notandum, quod in conficiendo Crucis

signo digiti manus dexterae simul iuncti esse debent, et tantum extremis tribus digitis superius nominatis tangi frons, pectus atque humeri debent.

3. Cum manus simul coniunctae fuerint, digiti quoque omnes singuli singulis appositi et iuncti esse debent; nec non palma dexterae cum palma sinistrae. Excipiatur tantum pollex dexter, qui superimponendus est pollici sinistro. Haec autem regula non respicit sacerdotem celebrantem, qui post consecrationem usque ad ablutionem, pollices et indices utriusque manus simul iunctos habebit, ut suo loco innuetur. Advertendum quoque est, quod cum manus iungendae sint ita apponantur pectori ut neque eidem nimis adhaereant, nec ab eo nimis distent, nec nimium ad vultum, neque ad terram conversae, sed naturaliter quasi per transversum ad caelum erectae.

4. Generatim loquendo, cum quid una tantum manu peragendum sit, semper fiat manu dextera, quod dum conficitur, sinistra non sit suspensa, sed applicetur pectori, conversa ad ipsum palma.

5. Reverentia (quae et salutatio et inclinatio quoque vocatur) triplicis generis est, videlicet profunda, media et simplex. Reverentia profunda fit curvando totum corpus. Sed ut accurate fiat nec nimis studiose, regulam scriptores liturgici assignant sequentem: in reverentia profunda curvatio corporis erit regularis, cum extensis brachiis, possint digitorum extremitate tangi genua. Reverentia media, sive mediocris regulariter fiet quando curvatis humeris conspici possint pedum extremitates. Reverentia simplex a rubricistis in tres subdividitur species, nempe in *minimarum maximam, minimarum mediam et minimarum minimam,* videlicet in capitis inclinationem maximam, mediam et infimam. Prior ipsarum absolvitur tota capitis inclinatione et aliquantula etiam humerorum; altera inclinando ex toto caput tantummodo; tertia com caput aliquantum inclinatur. Prior fit cum nomen *Jesus* nominatur, cum Sacerdos dicit *Oremus,* in hymno *Gloria in excelsis* ad nomen *Deo,* ad verba *Adoramus te, Gratias agimus,* et *suscipe deprecationem nostram* in eodem hymno. Secunda fit ad sanctissimum *Mariae* nomen; tertia ad nomen Sancti, vel Sanctorum, quorum celebratur officium et

ad nomen Summi Pontificis, nec non in quibusdam aliis occasionibus, in quibus huiusmodi salutatio praescribatur. Adnotandum interea, quod dum nomen *Jesus* pronunciatur, aut dicitur *Oremus* fit inclinatio capitis convertendo paullum caput et etiam personam versus Crucem: cum autem nominandum est Mariae nomen, aut Sancti cujus festum celebratur, aut etiam Summi Pontificis inclinabitur caput eo situ quo quisque est. Excipe ab hac regula Sacerdotem recitantem vel Diaconum canentem Evangelium, qui cum Jesu nomen erint pronunciaturi, caput semper non ad Crucem, sed librum versus inclinabunt (*a*).

6. Genuflexio duplicis generis est, duplex scilicet et simplex. Genuflexio duplex fit utrumque genu ad terram flectendo una cum reverentia profunda. Simplex vero efficitur submittendo usque ad terram genu tantum dexterum, nulla alia adiecta capitis, aut corporis inflexione. Notandum quod genuflexio ista effici hac ratione debet, ut corpus nullo modo curvetur, sed recte ac perpendiculariter demittatur, ut dexterum genu humi flexum congruat cum osse malleolo pedis sinistri, nec genu pavimento ullo modo insistat, sed vix depressum sit ad terram, confestim inde erigatur. Quod si duo vel plures genuflectere simul debeant, animadvertant ut uno eodemque tempore, pari modo atque ea motus uniformitate genuflexionem absolvant, ut adhaerere invicem humeris atque unam quasi personam efficere videantur. Quae regula observanda est tum in duplici tum in simplici genuflexione.

7. Illud etiam notandum quod si in peragenda genuflexione simplici occurreret nominandum sanctissimum Jesu nomen, aut

(*a*) Distinctio triplicis reverentiae superius tradita nempe profundae, mediae et simplicis in Missalis rubricis indicatur. Ibi enim reverentia profunda notatur verbis *profunde inclinatus*, vel *facta profunda reverentia*, et similibus; media reverentia exprimitur verbo *inclinatus* vel *parum inclinatus* aut *aliquantulum inclinatus*; simplex denique verbis *caput inclinat*. Subdivisio autem de capitis inclinatione in minimarum maximam, mediam et infimam, ne quis nos arguat commenti, in Caeremoniali Episcoporum innuitur lib. II. cap. 28. n. 46. ubi praescribitur Diacono canenti Evangelium. ut caput inclinet *profundius cum dicit Jesus*.

Mariae, aut aliud verbum, ad cuius pronunciationem praescriberetur inclinatio capitis, omitti in genuflexione inclinatio ista debet; siquidem maius obsequium, quod est genuflexio, includit minus quod est capitis demissio; dummodo tamen inclinatio capitis a rubricis specialiter non praescribatur, sicuti est in Epistola *Ut in nomine Jesu omne genuflectatur* etc.

8. Si quis ad partem oppositam vertere se debet, generatim loquendo, super dexteram suam se convertat. Sin autem plures sint, ut Acolythi in Missa solemni, eam conversionem exsequentur ita, ut unusquisque suum servet locum, et videantur invicem humeris adhaerentes ut efforment quasi corpus unum.

9. Qui clericus fungitur officio accendendi super altare candelas, incipiat eas accendere primum a cornu Epistolae deinde alias a cornu Evangelii; et si candelae plures sunt ab utraque parte accendendae, initium sumat ab illa quae Cruci proxima est, tum ordinem servando accendat alias quot supersunt ab eodem latere. Hoc facto transeat ad cornu Evangelii, et eodem ordine, quo praescriptum est a sinistra, accendat a dextera parte. In extinguendis autem candelis ordinem invertendo exordiatur primum a cornu Evangelii extinguendo ante alias illam quae a Cruce longius abest; tum accedat ad partem Epistolae et eandem regulam servet. Si candelae pluribus ordinibus erunt dispositae, tam in accendendis, quam in extinguendis incipiendum est ab ordine superiori; quo facto, gradum faciat ad secundum ordinem, atque ita deinceps usque ad imum. Si ad accendendas et extinguendas pariter in Altari candelas destinati sint clerici duo, ut in Missa solemni delegantur Acolythi, uterque a parte sua sive Epistolae, sive Evangelii sit, accendant aut extinguant quam maxime possunt symmetrice, servantes regulam superius traditam.

10. Qui rem aliquam Sacerdoti celebranti ministraturus est, e. g. biretum, thuribulum et alia huiusmodi, prius deosculabitur id quod illi offert, deinde manum Celebrantis: at in recipienda re oblata deosculabitur primum Celebrantis manum, deinde rem quam recepit. Notandum tamen est quod in Missis aut functionibus funereis et cum in altari sit palam expositum Sanctissimum Sacramentum, item in functionibus diei Parasceve, ut

suo loco docebimus, huiusmodi deosculationes omittendae omnino sunt.

11. Non erit abs re quicquam in hoc capite innuere de binis caeremoniis, quae primordiales appellari possunt, quaeque spectant ad principia stabilienda pro exequendis caeremoniis, licet de eodem argumento inferius erit fusius disserendum.

12. Prior respicit ordinem dandae atque accipiendae pacis. Qui daturus pacem est nemini se inclinabit; postquam vero pacem dederit, salutabit eum cui dederit, iuxta cuiusque gradum et dignitatem. Qui pacem praebet, manus imponat super humeros eius cui praebet; hic vero qui accipit pacem supponat manus suas cubitis pacem praebentis, et eorum sinistrae genae paululum invicem appropinquent: quo in actu qui dat pacem dicet *Pax tecum,* quique accipit respondebit *Et cum spiritu tuo.* Tum se invicem salutabunt.

13. Atque hic animadvertendum illud occurrit, quod reverentia mutua, qua alter alterum honorat, sit media cum in utroque par est dignitas, minus quam media fiet cum persona cui fit, sit inferioris gradus, respectu habito ad inferioritatem; profunda autem erit cum persona salutanda erit superior dignitate, atque in superiorum cathegoria semper comprehenditur Celebrans.

14. Altera respicit modum ferendi thuribulum et rationem thurificationis peragendae.

15. Duplici modo fertur thuribulum, quorum prior dicitur ferre illud *in caeremonia,* alter *non in caeremonia.*

16. Cum thuribulum in caeremonia affertur, digitus auricularis dexterae manus immittetur in annulum qui in summitate capuli catenulas sustinentis superius situs est, dum interea pollex sustentabit alterum annulum catenulae mediae, qua erigitur ac demittitur thuribuli operculum, ita ut ipsum operculum sublevatum stet ac thuribulum apertum maneat. Quum tali modo thuribulum gestatur, thuriferarius leviter illud agitabit, excepto tempore quo cantabitur Evangelium. Naviculam vero gestabit sinistra manu, quae interea sit admota pectori (*a*).

(*a*) Quum modus sustinendi thuribulum traditus a Caerem. Episcop.

17. Quum vero feretur *non in caeremonia*, thuriferarius sustinebit thuribulum ante pectus manu sinistra stringens extremitatem catenularum quae sub capulo sunt, dum interea dextera pectori admota naviculam sustinebit.

18. Regula generalis est, ut feratur thuribulum *in caeremonia*, quum in eo positum sit incensum, et feratur *non in caeremonia* quando nondum ingestum est incensum, a Celebrante benedicendum.

19. Thuriferarius quum Celebranti thuribulum offeret, ut in eo thus ingerat, Diacono aut Caeremoniarum magistro naviculam tradat. Digito autem auriculari manus dexterae apprehendat annulum catenulae quae sita in medio est, et operculum thuribuli fere usque ad summitatem catenularum sustollat: tum tribus digitis pollice, indice et medio ejusdem manus accipiat supra medietatem tres catenulas, quibus thuribulum sustinetur, et applicans sinistram proprio pectori, dextera porrigat Celebranti thuribulum fere ad altitudinem manus eius, ut commode possit in eo thus ingerere. Postquam Celebrans thus in igne imposuerit et benedixerit, thuriferarius recedat passum unum et relinquens annulum catenulae mediae quem digito auriculari dexterae sustinebat, efficiat ut operculum decidat super thuribulum quod statim Diacono aut Caeremoniario tradet et naviculam ab eo manu dextera recipiat.

20. Thurificationis actus in *duplicem* dividitur et *simplicem*, secundum personarum et functionum differentiam, sicuti suo loco docebimus. Duplex thurificationis actus, vel ut aiunt, ductus peragetur tenendo manu sinistra pectori admota districtam extremitatem catenularum prope capulum, cui appensae sunt, ac tribus digitis, pollice nempe, indice et medio dexterae manus catenulas non longe ab ipso thuribulo, quod sit apte clausum. Dextera regens thuribulum erit inclinata prope femur dexterum: deinde elevabitur thuribulum ipsum, vibrabitur ac deprimetur quin unquam relinquatur. Elevabitur videlicet usque ante fa-

lib. I. cap. 11. num. 7. in praxi evadat difficilis, visum nobis est usum generatim receptum persequi.

ciem; vibrabitur ita, ut sua inferiori parte lineam curvam describat, quam distincte Mathematici parabolam appellant, deprimetur, scilicet referetur eodem ac antea loco iuxta dexterum femur. *Ductus simplex* peragetur tenendo thuribulum eodem pacto quo de duplici ductu docuimus; sed uno tantum actu elevabitur, vibrabitur ac deprimetur, ut antea: non tamen elevabitur ad vultus sed ad pectoris altitudinem. Notetur postremo quod ductus duplex fieri potest et alio modo, idest duobus ductibus simplicibus, qui immediate alter alterum subsequantur, quod fere congruit cum eo quod nuper dictum est; notatur autem illorum gratia, quibus modus superius traditus difficilis foret.

DE MODO INCEDENDI, ASSISTENDI, ATQUE EXEUNDI E CHORO.

CAPUT II.

1. Clerici qui in Chorum sunt ordinatim processuri, induti veste talari, cum superpelliceo et bireto praesto erunt in Sacrario debita cum observantia ac silentio in loco ipsis constituto; ad campanulae signum e Sacrario exibunt bini ita compositi, ut humerus dexter unius recta congruat cum sinistro humero alterius; procedent incessu gravi et capite aperto, gestantes utraque manu biretum infra pectus; unumquodque par incedet aequali ab altero subsequenti distantia (*a*).

(*a*) Vestis a clericis in Choro atque in sacrarum functionum ministerio induenda est vestis talaris et superpelliceum.

Talaris vestis adhaerentem quondam habebat fasciam lineam, quae nunc vulgo dicitur *collarium* prouti colligitur ex decretis plurium Conciliorum provincialium, ac dioecesanarum synodorum, quae consuetudo viget etiam nunc in Congregationibus Presbyterorum Oratorii et Missionis, qui antiquum Cleri habitum retinuerunt. Communi modo usu san-

2. Priusquam de Sacrario proficiscantur, salutabunt reverenter Crucem, vel imaginem praecipuam ibi propositam.

3. Ad Sacrarii ianuam, apud quam sita est concha acquae benedictae, qui proximus huic pertransit, sumat illam extremo digito medio manus dexterae, et nihil clausis ceteris digitis porrigat socio, qui eadem ratione accipiet, ac se crucis signo signabunt (*a*).

4. Cum ad altare pervenerint genuflectent ante Crucem, advertentes ut sese aequaliter eodemque tempore bini deprimant, commodeque consurgant atque concinne. Posteaquam priores duo genuflexionem confecerint, eodem pariter loco peragant secundi, atque ita similiter per vices reliqui. Quapropter secundi unum faciant tardiorem gradum, ut primis dent locum ad genuflectendum commode; post genuflexionem vero bini se invicem salutabunt mediocri reverentia, tam suum quisque locum petet, alter dextrorsum alter sinistrorsum Chori, ibique cuncti stantes pedibus consistent.

5. Clerus qui in Choro erit, morabitur aut stans, aut considens, aut genibus flexis. Quum standum erit, nemo unus se-

citus mos est, ut collarium sit seiunctum et feratur sub veste talari. Quod tamen parvi aut nihili refert ad formam, cum a locorum regionumque dependeat institutis. Id utique interest ut vestis sit decens, ut pedum tenus descendat atque undequaque sit penitus clausa.

Syrma, quam vulgo caudam vocant, est Praesulum solummodo insigne, et idcirco simplici Clero interdicitur.

Fasciae quoque usus circa lumbos apud Clerum simplicem obsolevit; proprium nunc Praesulum est signum.

Superpelliceum, cuius forma nunc multiplex atque ad merum ornamentum redactum est, cavendum ne tum forma tum etiam nimia elegantia indecens sit. Dissimulare non possumus quod quorumdam superpelliceorum ornamenta potius scenicis repraesentationibus, aut officinis ubi reticula et strophia proponuntur venalia, quam sacras functiones excercenti Clero convenirent.

(*a*) Qui praecedere quique sequi debeant dum ad officia peragenda ordinatim itur ad Chorum; idque pro varietate functionum ipsarum, subsequentibus capitibus docebimus, ne plus aequo longum hoc caput fieret, in quo generales tantum canones traduntur a Clero observandi, cum divinis officiis in Choro erit interfuturus.

debit aut congeniculabit, eademque methodus servabitur quum considendum et congeniculandum omnibus erit, eo quod unus communis debet esse status universis.

6. Atque heic notandum incidit opportune, quod cum in altaribus Choro proximis Missae celebrantur, non debet Clerus genibus flecti ad Sacramenti elevationem; qua de re ut vitetur populi adstantis admiratio, nullus tintinnabuli in iis Missis sonus fiat. Ad haec Clerus in omnibus quae ad cultum divinum spectant pendere debet a quoquam Caeremoniarii nutu.

7. Quotiescumque Clerus consurrecturus erit, prius caput bireto detegat; quod idem faciat etiam quum a sacris ministris aut aliis salutabitur atque ab iis qui e Choro excedent vel illuc redibunt, ut ipsis reddat salutationem.

8. Qui vero pileolo utuntur, attendant ut illum deponant in officio quum erit genuflectendum, quum legitur Evangelium ante homiliam, dum facient Confessionem ad completorium nec non ad Primam, qui praecinet ant intonabit antiphonas, aut leget invitatorium, lectiones, responsoria brevia ac Martyrologium: in Missa, quando aspergentur aqua benedicta in Dominicis, quum suas ad invicem Confessiones *Kyrie, Gloria, Credo, Sanctus* et *Agnus Dei,* recitabunt ad cantum Evangelii, dum incensabuntur, aut pacem recipient, ad elevationem SS. Sacramenti, tempore quo Clerus aut fideles de sacra mensa participant, ad benedictionem in exitu Missae, quumque SS. Sacramentum fidelibus adorandum super altare, in quo fit officium, proponitur.

9. Si quis e Choro excedere vel illuc redire debeat, advertat illud ne faciat inter officium dum dicitur *Gloria Patri,* vel postremus hymni versus, cum recitabitur oratio aut *Confiteor, Misereatur, Indulgentiam,* aut in Evangelii ante homiliam lectione; tempore item Missae cum aspersio aque benedictae fiet, aut Confessio alternatim recitabitur, itemque recitentur alternatim *Kyrie, Gloria, Credo, Sanctus, Agnus Dei,* canentur orationes et Evangelium; cum ea pars Chori ad quam ipse pertinet, incensabitur aut pacem recipiet, cumque Chorus universus se inclinabit aut brevi temporis spatio genuflectet, nemini licet exire aut reverti.

10. Caput inclinabitur quum *Gloria Patri* et *Filio* et *Spiritui Sancto* aut canetur in choro aut recitabitur in officio, pari modo ad nomen Jesu, Mariae et Sancti illius, cuius officium aut commemoratio celebratur. Sed ne saepius eadem frustra retractemus, quotiescumque oportebit caput inclinare suis deinceps locis notabimus.

11. Quum alternatim a Choro canendum erit, pars illa Cleri, cui canere contingit, uniformi utatur cantu; videlicet nemo plusquam ceteri vocem efferat aut submittat, nemo praecedat aut sequatur alios; sed eadem sillabarum, numerorum vocumque moderatione unissonum efforment atque isocronum concentum; ideoque ne quis a ceteris dissonet, sociorum modulationem vocis attendat. Porro si quis esset qui ad aliorum tonum vocem suam non posset componere, satius erit ut sileat, quam dissonum efficiat cantum.

12. Officium Cleri est in Choro morantis silentium, modestiam observare animumque in Deum intendere, abstinere omni actione, quae levitatem aut irreverentiam significet; ne legat videlicet literas vel ephemeridas, ne blateret, rideat, ne alter alteri nicotianam pulverem ministret, ne huc illuc vertat oculos praesertim ad populum, ne sedeat cruribus decussatis, ne decumbat in stallis, atque his similia; quandoquidem si ordo clericalis in quacumque actione gravitatem pietatemque suam vel in publicis viis praeseferre debet, ut iubet Concilium tridentinum, quanto magis dedecebit eadem in choro Dei servitio vacantes abiicere?

13. Quum necesse alicui erit e choro exire, praeter ea quae supra monuimus, attendat ut egressus e stallo transeat per chorum medium gestans manu biretum, genu submittat ante Crucem, deinde inclinabit se toti Clero primum conversus ad cornu Evangelii postea ad latus Epistolae. Quod si adsit Celebrans paratus stans vel sedens in choro, postquam genuflexerit ad crucem, reverentiam faciat distinctam Celebranti, tum ad illam chori partem, cuius principem locum Celebrans occupat, postremo ad partem oppositam (*a*).

(*a*) Si chori, ut aiunt, Praefectus adsit, a quo de more aut iuxta

14. Sin aliquis serius quam ceteri in chorum veniat, quando scilicet iam Clerus in suis stallis locum sumpserit, praeterquam quod fas non est ingredi in iis circumstantiis ac temporibus superius indicatis, debebit prius sistere gradum ac genuflectere ad illius ingressum; tum brevi facta oratione consurget, geniculabitur ante Altare, reverentiam faciet Clero et ad locum sibi praestitutum perget.

15. Officio seu functione peracta, ubi egredientur e Presbyterio Acolythi, qui ultimus erit a cornu Epistolae, itemque qui a latere Evangelii, exibunt a suis quisque stallis, coibunt recta linea in medio, genuflectent seque convertentes sequentur acolythos; eodem modo se gerent qui succedunt, omnesque incedent bini quo ordine in Chorum processerunt. Quum in Hierophylacium seu Sacristiam venerint, in duos aut plures ordines dirimentur, stantes alter contra alterum. Ingressus postquam erit Celebrans Clerum salutabit reverentia media, cui Clerus ipse simili reverentia respondebit; reverentiaque Cruci peracta unusquisque cum gravitate, modestia et silentio deponet superpelliceum atque e sacrario decedet (*a*).

16. Quod si nondum absolutum sit officium, Clerus remanebit in Choro; ac posteaquam Celebrans cum ministris acolytisque profectus erit, continuabitur officium, quo tandem peracto eadem regula eodemque ordine quem superius innuimus, redibit Clerus in Sacrarium.

17. Reliquum est ut de Ecclesiis cathedralibus ac debita proportione etiam de Collegiatis pauca dicamus, sequentes institutiones ab Episcoporum Caerimoniali desumentes (*b*).

constitutiones singularum Ecclesiarum petenda sit aliquo nutu venia e choro exeundi, qui est egressurus caput nudabit, eriget se in pedibus, et conversus ad praedictum chori Praefectum, inclinationem illi faciet, postea in medium procedet, quaeque hac paragrapho praescripta sunt accurate exsequetur.

(*a*) Si, chorus pluribus sedilium ordinibus constabit, exibunt primi qui in stallis inferioribus ultimi erunt, quos sequentur alii successive eiusdem ordinis; deinde ultimi qui erunt ordinis illo immediate superioris atque ita porro.

(*b*) Quum institutiones istae ad Clericos dirigantur, videri quibusdam forte posset non esse hic locus Canonicos Cathedralium erudiendi.

18. Et quod ad Cathedrales attinet, in iis functionibus, quae ab ordinario Episcopo celebrantur, Canonici quum Episcopum prosequentur, debebunt una cum eo ante altare SS. Sacramenti genuflectere quum preces fundet in accessu ad Ecclesiam; itemque quum ex illa excedet. Nullus iis potest assignari locus, quum hic e sacelli amplitudine dependeat: si fuerit balaustrium ad illud poterunt provolvi genibus, remanentibus senioribus propius Episcopum; vel procumbent in pavimento post Episcopum. Apud Canonicos stabunt Beneficiarii vel Mansionarii, apud quos erunt clerici, observantes quod paullo ante notavimus circa sacelli capacitatem.

19. Quum vero Episcopus ad aram maximam orabit, vel ante altare Secretarii, ubi induetur sacris paramentis pro Missa pontificali, unusquisque Canonicorum facta cum Episcopo reverentia profunda ad altare, in genua procumbet in suo stallo, ibique prostratus manebit donec Episcopus ipse consurget. Procedentem ad thronum Episcopum ac transeuntem ante ipsos profunda reverentia prosequentur. Idipsum observabunt Beneficiarii et Clerici, qui post genuflexionem ad Crucem in altari positam, adibunt suum stallum ibique genua flectent, Episcopoque ad thronum eunti genuflexionem facient dum eis benedictionem impertietur.

20. Si quis Canonicorum iam inchoato officio aut Missa superveniet, orationem faciet ut num. 14 huius capitis dictum est. Tum consurgens salutabit altare, Episcopum ceterosque Canonicos choro praesentes, qui eius salutationi respondebunt detegendo caput ac pedibus assurgentes: hoc ipsum exsequentur Beneficiarii, Mansionarii, Cappellani et Clerici choro praesentes (*a*). Hanc methodum servabit quum primum in chorum venerit; nam si Canonicus iam in choro adfuerit, ac deinde exierit

Tamen qui recte consideret horum cum illorum actionibus interdum esse ita inter se cohaerentes, ut pene impossibile sit eas segregare, fortasse non insimulabit nos erroris, si quid de Canonicis quoque leviter attingamus ob relationem quam cum ipsis habere clerici possunt.

(*a*) Expressio a Caeremoniali adhibita lib. I. cap. 18. num. 6 ut Beneficiarii, *qui solent gestare almutium dum assurgunt a scapulis ad brachia dimittant*, refertur ad tempus hyemale, quo solet ferri almutium super humeros frigoris caussa.

ob aliquam circumstantiam, revertens in chorum reverentiam faciet altari, Episcopo, si aderit, et choro; eiusque collegae et ceteri inferiores praedicti, caput tantummodo detegent. Advertat praeterea ne redeat in chorum iis temporibus, quae num. 9 huius capitis excepta sunt.

21. Hoc ipsum exsequetur Praesul, aut nobilis laicus ad magistratum pertinens, si primum venerit in ecclesiam iam inchoata Missa aut officio; siquidem ad locum suum non ibit nisi prius orationem fecerit et salutaverit Altare, Episcopum, Canonicos aliosque nobiles laicos, exceptis temporibus eodem n. 9 praenotatis.

22. Si Beneficiarius aut Mansionarius sit, qui veniat primum in chorum iam incepto officio aut Missa, faciat pariter orationem, genuflectat ad Altare et Episcopum, si aderit, et revereatur Canonicos ceterosque qui erunt in choro. Salutationi respondebunt Canonici, sed nemo ipsorum assurget; consurgent tantum illius collegae ceterique ordinum inferiorum clerici.

23. Ea vero regula observanda est, ut illi pariter omnes qui sunt eiusdem coetus, cum sedendum sit, sedeant, cum consurgendum, consurgant. Etenim illorum, qui ministrant in officiis divinis, plures ordines sunt: primus est eorum qui assistunt vel ministrant Episcopo celebranti, alter Cleri qui manet in choro, tertius est Nobilium laicorum, quartus Beneficiariorum et Clericorum.

24. In praxi autem observabitur haec regula quo modo ab ipso Caeremoniali declaratur. Quum quidam ex assistentibus Episcopo debebit assurgere, debent eodem tempore consurgere omnes alii assistentes et ministri qui praesto sunt Episcopi throno; non tamen Episcopus neque Canonici qui in choro sedent, neque alii ordines Beneficiariorum et Clericorum consurgere debebunt. Si quis Canonicorum in choro sedentium pro aliquo officio quod ad ipsum spectet in functione, assurgere debeat, consurgendum est etiam universis Canonicis, Beneficiariis et clericis, qui ex utraque chori parte erunt, non tamen assistentibus Episcopi throno, qui sedentes remanebunt. Si quis ex nobilibus laicis ob incensationem aut pacem recipiendam

assurgere debebit, consurgendum erit omnibus aliis eiusdem ordinis.

25. Si Episcopus non celebrabit, sed tantum intererit Missae sacrificio, est et alius ordo seu coetus, videlicet Celebrantis et Ministrorum, qui eandem regulam ceteris praescriptam observabunt.

26. Quum autem assurget Episcopus, consurgendum erit omnibus aliis ad quemcumque ex supradictis ordinibus pertineant.

27. In eodem Caeremoniali assignatur et alia regula de ordine servando in exsequendis reverentiis, quando scilicet quis Canonicus aut Beneficiarius aut quidam ex Ministris in exercitio sui ministerii debeat plures reverentias successive peragere, videlicet Celebranti, altari et Episcopo. Hoc casu non est prorsus attendenda maior aut minor illius dignitas cui reverentia fieri debeat, sed maior commoditas eius qui exsequi debet: exempli gratia, qui a Celebrante abscedet iturus ad Episcopum, Celebrantem reverebitur primum, deinde Altare, postremo Episcopum; item siquis ab Episcopo abscedet iturus ad Celebrantem, primum Episcopo, tum Altari, postremo Celebranti reverentiam absolvet. Ut uno verbo complectar, primum in loco unde absceditur, postremo quo pervenitur reverentia facienda est, nullo habito respectu maiori aut minori illorum dignitati quibus hic honos debetur *(a)*.

28. Postremo si plures intersint Praesules alia regula in Caeremoniali praescribitur, reverentia videlicet unum eorum dignissimum esse honorandum, nullo respectu habito reliquorum praesentiae, ita ut si functioni interesset Cardinalis Legatus, Episcopus ordinarius atque alii Praesules, reverentia facienda esset Cardinali Legato solummodo, quippe qui ceteris praesentibus dignitate antecedit.

(a) Expressio Caeremonialis l. I. c. 18. num. 13. innuere videtur, quod quum functionibus intersit Episcopus nulla ad chorum facienda sit reverentia aut inclinatio, uti mos est in pontificia Cappella quum Summus Pontifex adest.

DE MODO IN CHORO STANDI, SEDENDI AC GENUFLECTENDI

CAPUT III.

Quidquid Clerus sacris in choro functionibus assistens exsequi debeat circa modum standi, sedendi et genuflectendi, eiusdem cleri commoditati breviter innuemus.

§. I. *In Officio feriali.*

1. Clerus ubi ad suum quisque stallum pervenerit, stabit pedibus.

2. Genua flectet una cum Celebrante et secrete dicet orationem *Aperi, Domine* etc.

3. Stabit cum dicetur *Pater, Ave, Credo, Domine labia mea, Deus in adiutorium,* Invitatorium, hymnus et prima antiphona primi nocturni. Advertat unusquisque ut unum tantum genu submittat ad verba *Venite adoremus et procidamus ante Deum,* in invitatorio psalmi *Venite exultemus.*

4. Sedebit Clerus ab intonatione primi psalmi usque ad totum versiculum primi nocturni.

5. Quum dicetur *Pater noster* post primum nocturnum, ad primam absolutionem et ad primam benedictionem ante primam lectionem stabit pedibus.

6. Post primam benedictionem sedebit usque ad totum versum post tertium psalmum secundi nocturni.

7. Quum dicetur *Pater noster* ante lectiones secundi nocturni consurget et stabit usque ad benedictionem ante primam lectionem,

8. Initio quartae lectionis sedebit usque ad versum qui praecedit tertii nocturni lectiones.

9. Quum in tertio nocturno dicetur *Pater noster* consurget et stabit donec lector totam recitaverit lectionem brevem Evan-

gelii: deinde sedebit ad tres supradictas lectiones. Si nona lectio habebit alterum Evangelium, stabit pedibus ad nonam benedictionem *Per evangelica dicta* etc. ad lectionem brevem Evangelii usque ad verba *Et reliqua* inclusive, tum ad lectionem ipsam sedebit.

10. Consurget quum erit recitandus, aut canendus hymnus ambrosianus, et genuflectet genu tantum dextero ad ℣. *Te ergo quaesumus.... redemisti.*

11. In principio Laudum cum dicitur *Deus in adiutorium* stabit pedibus, idque etiam si omissus fuerit hymnus ambrosianus. Perget stare usque ad primam antiphonam quae primum Laudum psalmum praecedit.

12. Incepto primo Laudum psalmo, sedebit usque ad integram repetitionem antiphonae post quintum Laudum psalmum.

13. Consurget ad Capitulum Laudum et stabit usque ad earum exitum.

14. Si Matutinus constabit unico nocturno, stabit, ut supra, ad recitationem *Pater, Ave, Credo. Domine labia mea, Deus in adiutorium* ad Invitatorium, genuflectendo ad *Venite adoremus*, ut superius dictum est, et ad hymnum. Ad intonationem primi psalmi, ut supra, sedebit et ad versum post psalmos consurget usque ad initium primae lectionis sive ad brevem homiliae lectionem stans pedibus. Si dicendum erit *Te Deum* consurget, secus, ad verba *Deus in adiutorium* ad Laudes quemadmodum supra docuimus.

15. In officio feriali quum preces ad Laudes recitabuntur genua flectet Clerus post repetitionem antiphonae ad *Benedictus*, et genuflexus manebit usque ad totum ℣. *Fidelium animae* etc. quo Laudum recitatio completur.

16. Ad Primam horam stabit pedibus ad recitationem *Pater, Ave, Credo, Deus in adiutorium*, ad hymnum et intonationem primi psalmi.

17. Sedebit post primum versum primi psalmi usque ad integram repetitionem antiphonae post psalmos.

18. Ad Capitulum, ad ℣. brevem, ad Preces, ubi recitandae sint, ad orationem *Domine Deus omnipotens*, ad *Dominus vobiscum* et ad *Benedicamus Domino* pedibus stabit.

19. Ad lectionem Martyrologii considebit, excepta vigilia Natalis Domini, in qua initio lectionis stabit pedibus, genua submittet ad verba *Nativitas Domini nostri* etc. et ad reliqua considebit.

20. Post Martyrologii lectionem ad ℣. *Pretiosa* usque ad finem, stabit.

21. Si ad Laudes recitatae fuerint preces, in Prima hora genuflectet Clerus ab initio precum usque ad Martyrologii lectionem, ad quam, ut supra, sedebit.

22. Ad alias horas, scilicet ad Tertiam, Sextam et Nonam pedibus stabit quum dicetur *Pater, Ave, Deus in adiutorium*, hymnus et quum intonabitur primus psalmus, quo incepto sedebit. Ad capitulum autem consurget et stabit usque ad totum ℣. *Fidelium animae* etc.

23. Si preces feriales in horis supradictis erunt recitandae, post Capitulum genua flectet et ad totum ℣. *Fidelium animae* genibus flexis manebit.

24. Stabit ad orationem dominicam in fine officii; et antiphonam finalem B. Mariae Virginis recitabit aut consistens aut genibus flexis, pro temporis qualitate, ut perspicue innuit rubrica.

25. Ad Vesperas quod attinet, postquam recitaverit adgeniculatus *Aperi Domine* etc. consurget et stabit quum dicetur *Pater, Ave, Deus in adiutorium* usque ad primum primi psalmi versum.

26. Initio eiusdem primi psalmi considebit quoad quinta antiphona post quintum psalmum repetita fuerit.

27. Consurget ad Capitulum et stabit pedibus usque ad integrum ℣. *Fidelium animae* etc. quo Vesperis finis imponitur.

28. Si preces feriales recitandae fuerint, post repetitionem antiphonae ad *Magnificat* genua flectet usque ad totum Vesperarum exitum.

29. In Quadragesima, quo tempore in diebus ferialibus, licet festis, Vesperae reliquo officio adiunguntur, omittetur oratio *Aperi Domine* ac postquam recitata fuerit Nona, seu post Missam ferialem post Nonam celebratam, incipientur Vesperae a recitatione *Pater, Ave,* ut superius dictum est.

30. Ad Completorium stabit a ℣. *Jube domne* etc. usque ad initium psalmi *Cum invocarem* etc.

31. Ubi psalmus praedictus fuerit intonatus sedebit post primum versum usque ad repetitionem antiphonae ante Capitulum.

32. Ad capituli initium stabit pedibus usque ad totam benedictionem *Benedicat nos* etc.

33. Si preces ad Vesperas flexis genibus recitatae fuerint, recitabuntur eadem positione ad Completorium quoque; ideoque sumbittet genua post repetitionem antiphonae ad canticum *Nunc dimittis* etc. flexisque manebit genibus donec absolutum sit Completorium.

34. Antiphona finalis B. Mariae Virginis recitabitur, ut supra dictum est. *Pater, Ave, Credo* post eamdem antiphonam dicetur aut stando, aut flexis genibus, secundum quod observatum est in eiusdem antiphonae recitatione.

35. Oratio *Sacrosanctae* etc. ad lucrandam Indulgentiam recitabitur genibus flexis.

§. 2. *In Vesperis solemnibus.*

36. Ubi Clerus in chorum pervenerit et suum quisque stallum adiverit, stabit, donec incipietur *Aperi Domine* ad quod recitandum una cum Celebrante genua submittet.

37. Consurgent omnes deinde simul cum Celebrante et stabunt pedibus dicentes *Pater, Ave, Deus in adiutorium,* ad primam antiphonam et ad primi psalmi intonationem.

38. Quo facto considebunt universi per totum primum psalmum et repetitionem primae antiphonae, quae vel a musicis, vel cum organo cantabitur.

39. Ad secundae antiphonae praeintonationem, quum surrexerit qui dignior adest in choro ut eam praecinat, consurget una cum eo totus chorus, et simul ac intonaverit ille antiphonam, rursus considebit (*a*).

(*a*) Quod ad intonationem antiphonae consurgere debet totus chorus, non altera ipsius pars, praescribitur a Caeremoniali, prout capite praecedenti docuimus.

40. Eadem adhibebitur methodus in omnium aliarum antiphonarum intonatione.

41. Ad Capitulum, ad cantum hymni, ad versum et ad antiphonae intonationem quae *Magnificat* praecedit, pedibus stabit.

42. Ad cantum eiusdem antiphonae considebit.

43. Tum ad intonationem cantici *Magnificat* quoad ipsum cantabitur una cum *Gloria Patri* stabit pedibus.

44. Ad *sicut erat* etc. et ad repetitionem antiphonae post *Magnificat* sedebit, postea consurget et usque ad Vesperi exitum stabit.

45. Si post cantatum *Gloria Patri*, non erit absoluta totius Cleri thurificatio, non cessabit chorus stare pedibus donec absolvetur.

46. In hymnis *Ave maris stella* et *Veni Creator Spiritus*, ad primae strophae cantum flectentur genua: hoc ipsum observabitur in hymno *Vexilla* ad strophem *O Crux* tam in festis S. Crucis, quam tempore Passionis; et ad strophem *Tantum ergo* in hymno *Pange lingua*, quum expositum erit SS. Sacramentum vel clausum in tabernaculo asservabitur in altari, in quo peragetur officium.

§. 3. *De Matutino solemni cum Laudibus.*

47. Clerus simul atque in chorum pervenerit, stabit pedibus in suis stallis.

48. Ad orationem *Aperi Domine* genua flectet una cum Celebrante.

49. Stabit autem ad *Pater, Ave, Credo, Domine labia mea, Deus in adiutorium* ad invitatorium, ad hymnum et ad primae antiphonae cantationem. Adgeniculabitur genu tantum dextero ad verba *Venite adoremus et procidamus* etc. quum cantabitur invitatorium.

50. Ad primi psalmi intonationem sedebit usque ad repetitionem antiphonae post eundem psalmum, quomodocunque fiet vel canendo vel sonantibus organis.

51. Consurget quum a digniore intonabitur secunda ante

secundum psalmum antiphona, ac sedens manebit usque ad intonationem tertiae antiphonae ante tertium psalmum, ad quas intonationes tantum consurget, sicuti in Vesperis observatum est.

52. Post ℣ stabit ad *Pater noster,* ad absolutionem et benedictionem ante lectionem primam.

53. Incepto primae lectionis cantu, sedebit usque ad intonationem primae antiphonae ante primum psalmum secundi nocturni, et observabitur in secundo et tertio nocturno quod de primo praescriptum fuit. Notandum tamen est, quod in tertio nocturno stabit quum cantabitur brevis Evangelii lectio ante septimam lectionem, et ad nonam lectionem quae a Celebrante canetur.

54. Itidem stabit pedibus ad cantum hymni *Te Deum* et genua flectet ad ℣. *Te ergo quaesumus* etc.

55. Ad Laudes idipsum quod de Vesperis praescriptum est, observabitur, nulla enim diversitas intercedit.

§. 4. *In Missa solemni.*

56. Clerus stabit in choro donec Celebrans cum ministris ad Altare pervenerit.

57. Ad confessionem Clerus genua flectet, praeter Praesules et Canonicos in sua Ecclesia, qui stabunt pedibus dum confessionem recitabunt.

58. Quum Celebrans ascenderit Altare, consurget et stabit quoad ipse Celebrans cum ministris recitaverit *Kyris eleison.*

59. Si musici protrahent longius *Kyrie* cantum, Clerus sedebit, ac si Celebrans etiam ad sedendum iret cum ministris, caveat Clerus ne consideat quoad ipse Celebrans sederit.

60. Ad intonationem hymni *Gloria in excelsis* et ad ipsius recitationem stabit pedibus, deinde considebit postquam sederit Celebrans.

61. Quum assurget Celebrans rediturus ad Altare et quum dicet *Dominus vobiscum* et cantabit deinde orationem sive orationes, stabit pedibus.

62. Sedebit ad Epistolam et dum canetur Graduale, Tractus etc.

63. Ad Evangelii cantum stabit, itidem ad *Credo* donec Celebrans recitaverit ex toto, animadvertendo solummodo ut genu flectat dexterum tantum ad ℣. *Et Incarnatus* etc.

64. Quum sederit Celebrans interea dum canetur symbolus, considebit et Clerus; et ad ℣. *Et Incarnatus* submittet genua, exceptis Praesulibus et Canonicis in sua Ecclesia (*a*).

65. Ad exitum symboli consurget una cum Celebrante, qui rediturus est ad Altare; item ad *Dominus vobiscum* et ad *Oremus*.

66. Postquam Celebrans *Oremus* cecinerit, ut supra, sedebit quoad Celebrans incensabitur post oblata.

67. Dum Diaconus, post incensatum Celebrantem, reverentiam seu genuflexionem ante Crucem altaris faciet iturus ad chorum, consurget Clerus, et stabit toto thurificationis tempore.

68. Postquam totus Canonicorum ordo fuerit incensatus, poterunt hi quidem sedere, sed ceteri consistentes manebunt.

69. Quum Celebrans cecinerit *Per omnia saecula* ante Praefationem, stabitur pedibus donec ipse recitaverit *Benedictus* . . *Hosanna in excelsis*.

70. Post Trisagium genibus flexis manebitur, donec elevatio Calicis facta erit.

71. Elevatione absoluta, consurgetur et stabitur usque ad Calicis sumptionem.

72. Si Clerus de mensa eucharistica participaturus sit, ad recitationem *Confiteor* a Diacono faciendam, genibus procumbent clerici illi tantum qui sanctam Eucharistiam sumpturi sunt. Reliquum Cleri pedibus stabit etiam quum s. Communio administrabitur.

73. Post sumptionem et communionem Clerus sedebit.

74. Ad *Dominus vobiscum* et ad orationes *postcommunio* stabit pedibus.

(*a*) Tali modo praescribitur in Caeremoniali Episcoporum lib. II. cap. 8. n. 53. « cum praedictus versiculus canitur a choro, pariter Canonici sedentes, capite detecto, et Episcopus cum mitra profunde caput inclinant versus altare, alii genuflectunt, donec perficiatur dictus versiculus ».

75. Ad benedictionem quam Celebrans impertitur, genua flectet, exceptis Praesulibus et Canonicis in sua Ecclesia.

76. Ad ultimum Evangelium stabit pedibus.

77. In missis solemnibus ferialibus totus Clerus manebit genibus flexis ad orationes tum ante Epistolam tum ad *postcommunio* et a cantu Trisagii ad totum *Pax Domini* etc. Quum cantabitur ℣. *Adiuva nos Deus* in iisdem Missis genua flectet ad eius cantum una cum Celebrante et Ministris. Ab hac regula excipiuntur Missae feriales, quae tempore paschali celebrantur.

78. Notetur illud quod in Epistola aut in Evangelio debebit genibus procumbere quum quaedam canentur verba, ad quae genuflexio praescribitur.

§. 5. *De Missa solemni duobus assistentibus clericis.*

79. Clerus adgeniculabitur ad Confessionem, exceptis Praesulibus et Canonicis in sua Ecclesia, qui pedibus stabunt.

80. Stabit autem ad Introitum, et ad *Kyrie*, donec a Celebrante recitabitur. Poterit quidem sedere quum canetur *Kyrie.*

81. Ad intonationem hymni *Gloria in excelsis* et donec a Celebrante recitabitur, stabit pedibus.

82. Considebit quum *Gloria* canetur, postquam sederit Celebrans.

83. Stabit quum cantabitur *Dominus vobiscum* et orationes.

84. Ad cantum Epistolae, Gradualis aut Tractus etc. considebit.

85. Ad Evangelium donec cantabitur, stabit.

86. Quum incipietur *Credo* stabit, deinde sedebit sicut ad *Gloria in excelsis* animadvertendo quod superius dictum est ad cantum ℣. *Et incarnatus* etc.

87. Ad *Dominus vobiscum* et ad *Oremus* ante Offertorium stabit pedibus.

88. Considebit ab Offertorio usque ad *Per omnia saecula* ante Praefationem.

89. Ad Praefationem et ad Trisagium consurget, deinde submittet genua usque ad Calicis elevationem inclusive.

90. Post elevationem Calicis stabit usque ad sumptionem ipsius et ad Communionem, si fiet, uti dictum est superius.

91. Sedebit post sumptionem aut communionem usque ad *Dominum vobiscum*.

92. Stabit pedibus ad ℣. supradictum et ad orationes quae *postcommunio* appellantur.

93. Ad benedictionem quam impertitur Celebrans, genua flectet, praeter Praesules et Canonicos in sua Ecclesia, qui stabunt.

94. Ad ultimi Evangelii recitationem stabit pedibus. Notandum illud est, quod in Missis ferialibus eadem regula circa genuflexiones observabitur, quam superius in Missis solemnibus tradidimus.

§. 6. *In aspersione aquae benedictae in Dominicis.*

95. Clerus in aspersione aquae benedictae stabit semper, quamquam Celebrans cum Ministris genua flectet ante Altare intonaturus antiphonam *Asperges me*, vel aliam *Vidi aquam*.

§. 7. *In Officio pro defunctis.*

96. In Vesperis pro defunctis Clerus stabit pedibus ad cantum antiphonae quae primum psalmum praecedit.

97. Sedebit ad intonatione primi psalmi usque dum intonabitur *Magnificat*.

98. Ad finem huius cantici considebit, sicut etiam ad repetitionem antiphonae cantici praedicti.

99. Adgeniculabitur ad *Pater noster*, ad preces et ad orationem.

100. In Matutino autem stabit ad invitatorium et unico genu flectet tantummodo ad verba *Venite adoremus et procidamus* etc.

101. Stabit ad primae antiphonae cantationem et sedebit donec cantatus erit ℣. ad finem primi nocturni.

102. Ad *Pater noster* secrete ante lectiones pedibus stabit.

103. Sedebit ad lectiones et ad secundum nocturnum usque ad *Pater noster*, ad quam orationem consurget.

104. Rursus sedebit ad lectiones secundi nocturni et ad psalmos tertii.

105. Consurget post versum ad *Pater noster*, quo recitato sedebit et sedens manebit non solum ad lectiones eiusdem nocturni, sed etiam ad Laudes canendas.

106. Ad intonationem *Benedictus* consurget sicque stabit ad totum canendum canticum.

107. Sedebit ad repetitionem antiphonae post canticum supradictum.

108. Submittet genua ad recitandum *Pater noster*, ad preces et ad orationem.

§. 8. *In Missa solemni de requie.*

109. Clerus aut pedibus stabit aut genibus flexis ad confessionem prouti in Missis solemnibus adnotatum fuit.

110. Stabit quum dicetur introitus et *Kyrie*.

111. Ad orationem quae cantabitur flectet genua.

112. Sedebit ad cantatum Epistolae, Gradualis et Sequentiae.

113. Stabit dum cantabitur Evangelium, *Dominus vobiscum* et *Oremus* ante Offertiorum.

114. Ab Offertorio usque ad *Per omnia saecula* ante Praefationem considebit.

115 Consnrget dum cantabitur Praefatio et *Sanctus*.

116. Quum recitatum fuerit Trisagium, submittet genua et genibus flexis manebit donec cantatum fuerit *Pax Domini* etc.

117. Consistet pedibus usque ad sumptionem Calicis; deinde sedebit usque ad orationem *postcommunio*.

118. Ad orationem praedictam adgeniculabitur.

119. Ad Evangelium in exitu Missae consistet pedibus.

§. 9. *In Missa cantata de requie duobus assistentibus clericis.*

120. Observabitur eadem methodus, quae superius pro Missis solemnibus de requie tradita est.

§. 10. *In festo Purificationis B. Mariae Virginis.*

121. Donec Celebrans cum Ministris perveniet ad Altare, Clerus in suis stallis pedibus consistet atque eadem positione manebit interea dum fiet candelarum benedictio et distributio. Sedebit tunc demum, quum omnis respectivus chori ordo candelam acceperit.

122. Quod ad distributionem spectat, candelam unusquisque suam genibus flexis accipiet vel etiam stando, candelam autem et manum Celebrantis deosculabitur. Praesules et Canonici in sua Ecclesia candolam stantes accipient. Praesules si adsint, mannm Celebrantis non osculabuntur.

123. Consurget iterum quum Celebrans post distributionem cantabit orationem *Exaudi, quaesumus, Domine* etc. ac si ante eamdem orationem a Diacono cantabitur ℣. *Flectamus genua,* fiet genuflexio.

124. Post hanc orationem fiet processio. Qui ad dexteram incedet gestabit candelam manu dextera, qui ad sinistram, manu sinistra: intra Ecclesiam unusquisque incedet capite detecto, extra Ecclesiam caput cooperiet bireto. Si quis medius inter alios duos ibit, candelam feret manu dextera.

125. Quum processio in chorum redierit, Clerus stabit donec Celebrans pervenerit ante altare, sedebit autem quum Celebrans ipse cum Ministris exuetur paramentis violaceis et induetur albis, vel si festum inciderit in alteram ex Dominicis privilegiatis, quum Celebrans induet se planeta violacea et Ministri dalmatica seu tunicella violacea.

126. Interea dum Celebrans ad Altare accedet, consurget Clerus propter Missam solemnem, in qua observabitur, quod superius notatum est. In hac Missa candelam unusquisque accensam tenebit dum canetur Evangelium et a Praefatione usque ad sumptionem Calicis. Si celebrabitur Missa de Dominica privilegiata, candelae nequaquam accendentur.

§. 11. *In Feria IV. Cinerum.*

127. Dum Celebrans cum ministris ad Altare accedet, Clerus in choro consistet pedibus.

128. Quum cantabitur antiphona *Exaudi nos, Domine* etc. sedebit.

129. Stabit autem ad benedictionem cinerum et earum distributionem, et quisque a Celebrante illas accipiet sive stans pedibus sive flexis genibus, sicuti in candelarum functione observatum est.

130. Sedebit Clerus, postquam unusquisque ordo cineres receperit.

131. Post distributionem ad orationem *Concede nobis* etc. stabit pedibus.

132. Considebit quum Celebrans deponet pluviale atque induet planetam.

133. Consurget dum Celebrans ad Altare accedet Missae solemnis initium facturus, in qua Clerus regulas observabit, quae superius de solemnibus missis ferialibus traditae sunt.

§. 12. *De Dominica in Palmis.*

134. In aspersione aquae benedictae quae fiet ante hanc functionem, observabitur quod superius dictum est.

135. Deinde quum Celebrans ad Altare ascenderit, Clerus considebit dum cantabitur ℣. *Hosanna filio David* etc.

136. Ad orationem; quae sequitur cantum ℣. praedicti, stabit pedibus.

137. Sedebit dum cantabitur lectio et tractus.

138. Ad Evangelium, quoad canetur, ac postea ad benedictionem palmarum stabit pedibus.

139. In palmarum distributione unusquisque palmam accipiet vel consistens, vel genuflexus ut supra, deosculans palmam ipsam et manum Celebrantis; ac posteaquam unus ordo palmam acceperit, omnes qui ad illum ordinem pertinent, sedebunt.

140. Stabit pedibus ad orationem *Omnipotens sempiterne Deus,* quae post distributionem recitabitur. Locus deinde erit Processioni cum animadversionibus quae de Candelarum processione superius traditae sunt.

141. Extra ecclesiae ianuam caput bireto cooperiet. Dum cantabitur hymnus *Gloria, laus* etc. extra portam, Clerus stabit, atque hinc et inde in duas alas dirimetur, Celebrante in medio remanente.

142. Posteaquam processio redierit ad Altare, Clerus stabit in choro; et quum Celebrans deponet pluviale et sumet planetam, considebit.

143. In Missa solemni adhibebitur ritus praescriptus, notando quod ad verba Epistolae *Ut in nomine Jesu* etc. quae cantabit Subdiaconus, genuflectendum est, atque interea dum canetur *Passio* standum pedibus est.

144. Ubi cantus *Passio* finierit, Clerus sedebit ad actiones Diaconi praecedentes ultimam partem *Passio*, quae canetur a Diacono pro Evangelio. Palma sustinebitur manu dextera dum canetur *Passio* et pars ultima a Diacono.

§. 13. *In Matutinis Tenebrarum.*

145. Clerus ubi in chorum venerit, stabit pedibus unusquisque in suo stallo.

146. Genua flectet simul cum Celebrante et recitabit orationem *Aperi Domine* etc.

147. Consurget deinde ac recitabit *Pater Ave Credo*, et stabit ad primae antiphonae cantum.

148. Considebit ab intonatione primi psalmi usquae ad totum versum canendum sub exitum primi nocturni.

149. Stabit autem cum dicetur *Pater noster*.

150. A lamentationum cantu ad alterum versum secundi nocturni considebit.

151. Stabit rursus ad *Pater noster*.

152. Sedebit ad lectiones secundi nocturni ac deinceps ad psalmos tertii.

153. Consurget autem quum dicetur *Pater noster* et ad lectiones sedebit usque ad intonationem psalmi *Benedictus* sub exitum Laudum.

154. Rursus considebit ad repetitionem antiphonae post *Benedictus*; deinde genua flectet quum canenda erit antiphona *Christus factus est* etc. usque ad finem officii.

§. 14. *Feria V. in Coena Domini.*

155. Ad Horas minores horum trium dierum *Pater*, *Ave* ante omnem horam, et *Credo* ante horam Primam recitabitur, stando.

156. Ad primi psalmi intonationem considebitur usque ad omnium psalmorum finem.

157. Ad antiphonam *Christus factus est* etc. usque ad finem stabitur submissis genibus.

158. In Missa solemni observabitur ritus praescriptus usque ad Communionem.

159. Post sumptionem Calicis non sedebit Clerus, sed stabit pedibus usque ad finem respectu SS. Sacramenti super altare expositi.

160. Submittet genua quum Celebrans, indutus pluviali redibit ante Altare incensaturus SS. Sacramentum; tum fiet processio.

161. In sacello in quo exponetur SS. Sacramentum, Clerus manebit flexis genibus, donec claudetur custodia, et redibit ad Altare maximum.

162. In vesperis stabit pedibus dum dicitur *Pater* et *Ave*. Sedebit ab intonatione primi psalmi usque ad intonationem *Magnificat*.

163. Stabit pedibus quum recitabitur canticum praedictum et repetetur antiphona.

164. Ad antiphonam *Christus factus est* etc. submittet genua usque ad exitum Vesperarum.

165. Donec Altarium denudatio fiet, stabit pedibus.

166. Ad *Mandatum*, si disposita erunt subsellia Cleri commoditati, considebit in actionibus Diaconi in praeparationem ad Evangelium canendum.

167. Stabit pedibus interea dum Evangelium cantabitur.

168. Quum Celebrans incipiet lavare pedes pauperum considebit.

169. Stabit autem pedibus ad preces et ad orationem finalem.

§. 15. *Feria VI. in Paresceve.*

170. Ad horas minores eadem regula ut pridie.

171. Dum Celebrans perget ad Altare, Clerus stabit.

172. Quum Celebrans se cum Ministris prosternet humi, Clerus adgeniculabitur.

173. Consurget deinde quum Celebrans ascendet Altare.

174. Dum cantabitur prima lectio et Tractus considebit.

175. Stabit pedibus ad orationem quae cantabitur, et genuflectet ad *Flectamus genua* tum in hac tum in ceteris orationibus.

176. Sedebit dum cantabitur secunda lectio et Tractus.

177. Donec cantabitur *Passio* stabit pedibus.

178. Absoluto cantu *Passionis* sedebit ad actiones Diaconi.

179. Stabit pedibus interea dum cantabitur ultima pars *passionis* ac deinceps omnes orationes.

180. Sedebit dum Celebrans planetam deponet.

181. Consurget simul ac Diaconus accipiet Crucem ex Altari.

182. Ad verba *Venite adoremus* in detectione Crucis genuflectet.

183. Postquam tertia vice cantatum erit *Venite adoremus* submissis stabit genibus quousque Celebrans, Cruce super cussino posita, consurrexerit.

184. Ad Crucis adorationem stabit pedibus; deinde sedebit quisque Cleri ordo quum omnes qui sunt eius ordinis, adorationem fecerint.

185. Consurget et submittet genua dum Diaconus Crucem de cussino resumpserit, ac genibus flexis manebit donec iterum eam super altare reposuerit.

186. Disponetur deinde Clerus in processionis ordinem pro-

cedens ad Sacellum, in quo SS. Sacramentum erit expositum. In discedendo ab altari fiet Cruci genuflexio simplex.

187. In sacello praedicto, facta ad ingressum duplici genuflexione, unusquisque submissis genibus manebit loco sibi attributo.

188. Postquam Celebrans SS. Sacramentum incensaverit, consurget Clerus et processionaliter redibit ad Altare maximum, ibique non genuflectet ad Crucem Altaris, sed recta ibit ad respectiva stalla ubi submittet genua, vel potius in gyrum disponetur circa Altare maximum, si capacitas Presbyterii hoc patiatur.

189. Quum Celebrans consummaverit sacram Hostiae particulam in Calice immissam, Clerus consurget et sedebit.

190. Ad orationem *Quod ore* etc. et discendente e choro cum ministris Celebrante, stabit.

191. Ad Vesperas observabitur id ipsum quod de praecedente die praescriptum fuit.

§. 16. *In Sabbato sancto.*

192. Ad Horas minores eadem regula quae duobos praecedentibus diebus.

193. Ad benedictionem ignis et thuris foris portam Ecclesiae stabit.

194. Geneflectet ter cum Diacono dum ipse canet *Lumen Christi.*

195 Quum in Chorum ventum erit, stabit dum cantabitur Praeconium, quo finito sedebit.

196. Ad prophetias et Tractum post aliquas ipsarum, considebit; stabit ad orationes quae canentur, et genuflectet quum Diaconus cantabit ℣, *Flectamus genua.*

197. Ordinabitur deinde processio ad fontem baptismalem, ac si subsellia ibi erunt parata Clero, sedebit post benedictionem, quum aspersio aquae benedictae per Ecclesiam fiet, quumque Celebrans manus lavabit.

198. Ad Litanias submittet genua.

199. In Missa observabitur idipsum quod de Missis solem-

nibus traditum est; praeterea stabit dum cantabitur, post Epistolam, *Alleluja*, et canticum *Magnificat* sicuti in Vesperis solemnibus.

§. 17. *In Processionibus.*

200. In processionibus de Litaniis maioribus et minoribus nec non in extraordinariis quae celebrandae essent Episcopi mandato, congregabitur clerus in Presbyterio, vel si non erit capax, extra illud; et ordinabitur circa Altare, advertendo quod qui primas obtinent, sive antiquiores, sint propius Celebrantem, et idipsum observabitur in processione, in qua minus antiqui ibunt post Crucem, qua Clerum praecedit, primores autem vadent propius Celebrantem.

201. Si cantabitur antiphona *Exurge, Domine,* Clerus stabit dum canetur, deinde genuflectet initio Litaniarum.

202. Si statio fiet in aliqua Ecclesia quae occurrat in itinere, genuflexione facta ante SS. Sacramentum, consistet circa Altare aut in Presbyterio, ut supra dictum est, et discedet ex Ecclesia postquam antiphona et oratio de Sancto Patrono aut Titulari cantata fuerit.

203. In Ecclesia in quae processionis fiet finis, Clerus genuflexus manebit ad preces et orationes, quae a Celebrante canentur.

§. 18. *In vigilia et in festo Pentecostes.*

204. In Missa de Vigilia ad prophetias, ad benedictionem fontis, ad Litanias et ad Missam observabitur totum id quod de Sabbato sancto notatum fuit, cum debitis limitationibus.

205. Ad Vesperas et ad horam Tertiam, capite detecto submittet genua ad primam strophem hymni *Veni creator Spiritus* qui canitur vel recitatur in illis horis. In Missa solemni de festo et de octava flectet genua dum cantabitur ℣. *Veni, Sancte Spiritus, reple* etc. post Epistolam.

§. 19. *In solemnitate SS. Corporis Christi.*

206. Quum ad Vesperas expositum in Altari sit SS. Sacramentum vel reconditum in tabernaculo asservabitur, genua submittet ad strophem *Tantum ergo* etc. Quod si in toto officio aut in parte SS. Sacramentum expositum maneat, poterit sedere sed capite semper detecto, nec fient reverentiae superius praescriptae.

207. In Missa solemni quae processionem praecedet, non sedebit Clerus post Celebrantis communionem, siquidem in Altari expositum erit SS. Sacramentum.

208. Sacro peracto, quum unusquisque candelam accensam vel intorticium acceperit, ad nutum Caeremoniarii, ordinatim e choro discedent, ac bini incedentes genuflexione duplici ante Altare facta, capite detecto ordinabuntur in processionem. Qui ad dexteram incedent, gestabunt candelam vel intorticium manu dextera, qui ad sinistram, ferent itidem candelam vel intorticium sinistra, ac respective sustinebunt biretum altera manu ante pectus.

209. Si in itinere faciendo statio aliqua fiet, consistet circa Altare, ut dictum est in processionibus Rogationum; submittet genua et in discessu genuflexionem duplicem in medio faciet.

210. In reditu ad Ecclesiam, nulla facta genuflexione recipiet locum quisque suum in choro, atque ibi genuflexus manebit donec a Celebrante SS. Sacramenti benedictio impertietur. Deinde unusquisque suam candelam aut intorticium extinguet, quod in choro reliquentur, aut tradetur clerico ad id deputato, atque ordine iam indicato pro Missis solemnibus ad Sacrarium redibitur.

211. Si post processionem adhuc expositum SS. Sacramentum in Altari maneret, dum discedetur ab Altari fiet genuflexio duplex.

§. 20. *In SS. Sacramenti pro oratione quadraginta horarum expositione.*

212. Eadem methodus, quae superius pro festo Corporis Christi assignata fuit, adhibebitur relate ad Missam et processionem. Ad preces, quae post processionem in expositione et ante processionem in repositione recitabuntur, Clerus flexis genibus manebit.

213. Presbyteri sive clerici ad orandum designati ante SS. Sacramentum in Altari expositum, induti superpelliceo in Sacrario, ibunt ad Altare, clerico praecedente. Quo quum venerint, consurgent clerici qui orationem absolverint, atque coniunctim ab utrisque duplex fiet genuflexio. Tum, remanentibus primis, discedent secundi.

§. 21. *In processione SS. Sacramenti in Dominica tertia cuiusque mensis.*

214. Observabitur methodus, quam pro Corporis Christi processione superius tradidimus.

§. 22. *In exequiis.*

215. In accessu ab Ecclesia ad domum defuncti, Clerus sequetur Crucem ordine saepius indicato, nempe ut minus antiqui sequantur Crucem, primores autem vadant proximi Parrocho. Unusquisque e Clero seculari induetur superpelliceo et bireto.

216. Ubi domum ventum erit, ex qua sit cadaver efferendum, consistet Clerus circa ipsam, servando eumdem ordinem; ac supervacaneum esset monere, quod cum sit sacra functio, servandum sit silentium ac debita gravitas.

217. Quum processio ad ecclesiam redierit, in ordinem disponetur ad feretri latera, consistentibus minus dignis prope Crucem, ceteris vero dignoribus iuxta Parochum. Capite detecto unusquisque manu dextera sustinebit candelam accensam, quae

ipsi ministrabitur in Ecclesia ingressu, et cantabitur ℟. *Subvenite* etc.

218. In Officii recitatione et ad Missam cantatam observabitur quod superius innuimus in respectivis paragraphis.

219. In absolutione cadaveris, Clerus sequetur Subdiaconum gestantem Crucem et ordinabitur circa feretrum quo ordine praescriptum est superius. Si cadaver ad coemeterium extra Ecclesiam sit ferendum, toto viae intervallo ab Ecclesia ad sepulturam caput bireto cooperiet, quod postea deponet ad antiphonam *Ego sum* ante canticum *Benedictus*.

220. In aliis absolutionibus, absente cadavere, si lectica sive tumulus situs sit in presbyterio aut in choro, remanebit loco unusquisque suo et sedebit ad ℟. *Libera me Domine*. Quod si tumulus sit extra Altare, accedet ad illum Clerus ordine superius indicato.

221. In reditu ad Sacristiam observabitur methodus pro aliis functionibus tradita.

PRO FUNCTIONIBUS PONTIFICALIBUS

§. 23. *In accessu Episcopi ad Ecclesiam.*

222. Quum Episcopus ad portam Ecclesiae asperget circumstantes, Beneficiarii aut Mansionarii et clerici ad eamdem aspersionem genuflectent.

223. Itidem dum Episcopus transiens inter ipsos ingredietur Ecclesiam et bene precantis signum super eos faciet, genuflectent versus ipsum (*a*).

224. Ad altare SS. Sacramenti submittent genua post Episcopum, iterumque genuflexionem illi facient, quum benedictionem ipsis impertietur transiens per medium eorum iturus ad Altare maximum aut ad Secretarium.

(*a*) In praesentibus instructionibus, quum docuerimus Clero esse genuflectendum ante Altare et Episcopum, intelligendum est de Beneficiariis, Mansionariis, et clericis, non vero de Canonicis.

225. In choro aut in Secretario submittent genua ad suum quisque locum, dum Episcopus genuflexus ante Altare morabitur.

226. Assurgente Episcopo, consurgent, ac dum eis benedicet antequam thronum ascendat, genuflectent.

§. 24. *In Vesperis pontificalibus.*

227. Postquam Episcopus thronum ascenderit, consistent pedibus usque ad intonationem primi psalmi, deinde considebit omnis chorus.

228. Ad praeintonationem quartae antiphonae Clerus consurget, quum eamdem antiphonam intonabit Canonicus dignior qui aderit in choro.

229. Consurget post ultimum psalmum dum cantabitur capitulum, hymnus et versus.

230. Intonata ab Episcopo antiphona ad canticum *Magnificat*, Clerus sedebit, et rursus assurget quum praedictum canticum intonabitur.

231. Dum Episcopus perget ad Altare propter thurificationem et redibit ad thronum, Clerus genuflexionem peraget Episcopum versus, momento temporis quo benedictionem versus Clerum impertietur.

232. Post cantatum *Gloria Patri* etc. si absoluta erit thurificatio, considebit.

233. Stabit autem ad salutationem *Dominus vobiscum*, ad orationem et ad commemorationes si fient, et ad *Benedicamus Domino*.

234. Ad benedictionem Episcopi Clerus submittet genua.

235. Stabit dum Episcopus sacra paramenta deponet; rursus flectet genua quum Episcopus de throno descendens submittet genua ante altare.

236. Discedente e choro Episcopo genuflexionem faciet ipsum versus, quum per chorum transiens benedictionem largietur.

237. Sequetur Episcopum usque ad portam ac versus eum genuflexionem faciet, quum ad portam perveniens se convertet Clerum versus eique benedictionem impertietur ut dimittat.

238. In Vesperis solemnibus, quibus intererit Episcopus indutus cappa, idem ordo tenebitur, exceptis iis quae diximus da tempore quo sacris paramentis induitur et dum accedit ad Altare propter thurificationem. Assurget vero quum antiphonas Canonici intonabunt.

§. 25. *In Matutino et in Laudibus pontificalibus.*

239. Clerus manebit genuflexus donec Episcopus quoque submissis genibus steterit ante Altare.

240. Consurget autem quum Episcopus surrexerit.

241. Genuflexionem Episcopum versus peraget, quum ille transiens per medium chorum, sive priusquam ascendat in thronum, benedictionem Clero largietur.

242. Ubi Episcopus in throno sederit, sedebit et Clerus.

243. Consurget assurgente Episcopo et stabit dum dicetur ***Pater, Ave, Credo,*** ad intonationem Matutini, dum cantabitur invitatorium et hymnus. Advertat ut genuflexionem faciat ad illa verba ***Venite adoremus et procidamus ante Deum*** in invitatorio.

244. Post intonationem primi psalmi considebit.

245. Consurget ad intonationem antiphonarum, quam Canonici in choro exequentur, ut superius notatum est.

246. Post cantatum versum consurget et sedebit quum Episcopus sederit postquam cantori primae antiphonae benedictionem impertitus fuerit.

247. Indipsum observabitur in reliquis nocturnis, et ad primam lectionem tertii nocturni considebit post cantatam lectiunculam Evangelii.

248. Stabit ad nonam lectionem, quam cantabit Episcopus et dum canetur *Te Deum,* animadvertendo quod genuflectendum est ad ℣. *Te ergo quaesumus* etc. dum a choro aut a cantoribus cantabitur.

249. Perseverabit stare quo tempore Episcopus se parabit propter Laudes canendas, in quibus observabuntur quae de Vesperis pontificalibus superius notavimus.

§. 26. *In Missa pontificali.*

250. Ubi Episcopus ad Secretarium venerit unusquisque de Clero ante suum stallum genua submittet, et assurgente Episcopo post precationem, consurget etiam Clerus et genuflectet quum Episcopus priusquam in thronum ascendat, benedictionis signum faciet versus chorum.

251. Ut sederit Episcopus considebit et Clerus, qui deinde consurget ad *Pater, Ave,* ad intonationem horae Tertiae ad hymnum canendum et ad primi psalmi intonationem.

252. Interea dum Episcopus recitabit psalmos, preces, et orationem in praeparationem, Clerus sedebit.

253. Quum Episcopus assurget depositurus cappam, consurget et Clerus.

254. Ad ablutionem manuum Episcopi Clerus submittet genua, exceptis Canonicis et Praelatis, si aderunt.

255. Stabit interea dum se parabit Episcopus.

256. Sedebit postquam Episcopus paratus fuerit pluviali et mitra.

257. Consurget dum cantabitur Capitulum et stabit usque ad *Benedicamus Domino* ac deinceps dum Episcopus reliquis paramentis induetur.

258. In discendendo de Secretario fiet ab unoquoque ante Altare et Episcopum genuflexio.

259. Quum Clerus ad altare maximum venerit unusquisque in medio genuflexionem ante Altare faciet, reverentiam socio et perget ad proprium stallum.

260. Quum Episcopus in chorum ingredietur, fiet versus ipsum genuflexio, dum per medium transiens benedictionem Clero impertietur.

261. Ad Confessionem Clerus genuflexus manebit.

262. Consurget quum Episcopus ascendet ad Altare ac persistet stare ad incensationem.

263. Genuflexionem faciet versus Episcopum ad benedictionem quam largietur versus chorum, dum transibit per ipsum, aut priusquam thronum ascendet.

264. Stabit ad introitum et ad recitationem *Kyrie*.

265. Si Episcopus dum canitur *Kyrie* sedebit, considebit etiam Clerus.

266. Ad intonationem *Gloria in excelsis* et ad recitationem ipsius stabit, deinde sedebit.

267. Postquam cantus hymni *Gloria* absolutus erit, consurget ad salutationem *Pax vobis* et ad orationem, sive orationes, quae erunt canendae.

268. Sedebit toto tempore quo cantabitur Epistola, Graduale, Sequentia etc.

269. Consurget quum cantabitur Evangelium.

270. Si post Evangelium fiet sacra concio, perseverabit stare et submittet genua dum a concionatore recitabitur *Ave Maria*.

271. Concionis tempore sedebit.

272. Fine concionis facto, stabit dum cantabitur *Confiteor* et ad pubblicationem indulgentiae.

273. Submittet genua ad absolutionem et benedictionem quam Episcopus donabit.

274. Ad intonationem Symboli et donec recitabitur, stabit, notando quod ad ℣. *Et incarnatus* etc. una cum Episcopo genuflectendum est.

275. Donec cantabitur *Credo* sedebit; quum vero ad ℣. *Et incarnatus* cantores pervenerint, submittet genua, exceptis Canonici et Praelatis.

276. Postquam cantatum fuerit Symbolum consurget et stabit dum Episcopus chirothecas deponet.

277. Genua submittet ad ablutionem manuum Episcopi.

278. Dum Episcopus iturus ad Altare benedictionem versus Clerum donabit, genuflexionem versus ipsum faciet.

279. Ubi Episcopus ad Altare pervenerit, considebit usque ad finem thurificationis Altaris.

280. Genua submittet ad alteram ablutionem manuum Episcopi.

281. Stabit dum incensabitur Clerus ac deinceps dum cantabitur Praefatio et recitabitur *Sanctus*.

282, Post recitatum *Sanctus* procumbet in genua usque post calicis elevationem.

283. Post consummationem, si fiet Cleri Communio, genua submittent ad confessionem qui solum communicandi sunt; ceteri persistent stare pedibus etiam communionis tempore.

284. Post consummationem Calicis seu post Communionem Clerus sedebit.

285. Ad ablutionem manuum Episcopi rursus genua flectet.

286. Stabit dum cantabitur oratio *Postcommunio* et ad dimissionem *Ite missa est.*

287. Submittet genua ad benedictionem Episcopi, deinde processionaliter redibitur ad Secretarium, sed ante Altare maximum ab unoquoque fiet genuflexio.

288. Ante Altare Secretarii unusquisque faciet genuflexionem, reverentiam socio et perget ad suum stallum.

289. Genuflectet Episcopum versus momento temporis quo benedictionem Clero impertietur dum transibit per sacellum ipsum iturus ad thronum.

290. Stabit pedibus quo tempore Episcopus deponet paramenta.

291. Resumpta ab Episcopo cappa, sedebit, et dum Episcopus recitabit preces pro gratiarum actione, perget sedere.

292. Quum assurget Episcopus descensurus de throno, consurget et genuflexionem faciet versus Episcopum ipsum, qui benedictionem Clero largietur.

293. Procumbet in genua dum Episcopus manebit genuflexus ante Altare.

294. Consurget assurgente Episcopo, cui genuflexionem faciet momento quo transiens per chorum benedictionem impertietur versus Clerum.

295. Prosequetur Episcopum usque ad portam Ecclesiae et genuflectet versus eumdem interea dum progressus ad portam et ad Clerum conversus benedicet ipsi.

§. 27. *Quum Episcopus Missae solemni intererit.*

296. Quo tempore genuflexus ante Altare manebit Episcopus, unusquisque suo loco in choro adgeniculabitur.

297. Consurget assurgente Episcopo, versus quem genuflexionem faciet dum transiens per chorum aut priusquam ascendat in thronum signum bene precantis versus Clerum faciet.

298. Stabit quo tempore Episcopus sacris induetur paramentis.

299. Quum Episcopus de throno descendet ad inchoandum cum Celebrante sacrificium, genuflexionem faciet versus Episcopum qui benedicet Clero transiens per chorum, vel postquam de throno descenderit.

300. Ad confessionem genua submittet, et consurget quum Celebrans ad altare ascendet.

301. Genuflexionem iterum versus Episcopum faciet dum ipse in thronum revertetur.

302. Stabit ad incensationem Altaris et dum recitabitur introitus et *Kyrie*.

303. Si Episcopus interea dum canitur *Kyrie* sedebit, considebit Clerus quoque.

304. Consurget ad intonationem et recitationem hymni *Gloria in excelsis,* et considebit quum sederit Episcopus.

305. Ut finis canendi *Gloria* factus sit, consurget dum canentur orationes.

306. Considebit dum cantabitur Epistola, Graduale, Tractus, Sequentia etc.

307. Consurget ad Evangelium quod cantabitur.

308. Si fiet sacra concio post Evangelium, observabitur id ipsum quod de Missa pontificali praescriptum fuit.

309. Ad intonationem Symboli et donec recitabitur, stabit, animadvertens quod dum recitatur ℣. *Et incarnatus* etc. ac dum etiam cantabitur, genuflectendum est.

310. Consurget quum *Dominus vobiscum* et *Oremus* canetur ante versum Offertorii, deinde rursum sedebit.

311. Stabit ad incensationem chori, ad praefationem dum canetur, nec non dum recitabitur *Sanctus*.

312. Genuflexionem versus Episcopum faciet quum de throno descendens aut transiens per chorum Clero benedicet.

313. Genua flectente Episcopo ante Altare, geniculabit et Clerus usque ad Calicis elevationem.

314. Post elevationem Calicis consurget et stabit usque ad consummationem Calicis et ad Communionem, si fiet, ut iam docuimus in Missa pontificali.

315. Post consummationem, aut post communionem sedebit quum sederit Episcopus.

316. Stabit *ad Dominus vobiscum*, ad orationes *Postcommunio* usque ad *Ite Missa est*.

317. Ad solemnem Episcopi benedictionem genua submittet.

318. Stabit dum recitabitur ultimum Evangelium et quum Episcopus paramenta deponet.

319. Discedente ab Altari Episcopo observabitur quod superius innuimus in Vesperis et in Missa pontificali.

320. Si Episcopus cappa indutus Sacrificio intererit, eadem methodus adhibebitur, exceptis iis quae respiciunt tempus quo Episcopus deberet indui, vel deponere sacra paramenta.

§. 28. *In Missa feriali pontificali.*

321. Eadem regula est heic utendum, quam pro Missa pontificali tradidimus. Notandum tamen quod Episcopus induetur sacris paramentis apud Altare, in quo cantabit Missam et postquam hora Nona cantata sit: immo genuflectet quoque ad preces feriales et orationem, quae in fine Nonae canentur. Idcirco nulla fiet a Secretario ad Altare processio, et Clerus stabit solummodo quum Episcopus paramenta sumet post Nonam cantatam, et genuflectet versus Episcopum qui ei benedicet momento quo de throno descendens ad Altare introibit.

322. Clerus autem genua submittet ad orationes quae canentur ante Epistolam; deinde ad *Sanctus* usque ad *Pax Domini* et ad ceteras orationes *postcommunio*.

§. 29. *Quum Episcopus Missae feriali solemni intererit.*

323. In hac quoque functione observabuntur documenta quae superius de assistentia ad Missam solemnem tradita sunt.

324. Quum Episcopus post *Kyrie* de throno descendet genuflexurus ad faldistorium ante Altare, quumque ad thronum ante Epistolam redibit, Clerus genuflexionem faciet versus ipsum dum ei benedicet.

325. Hoc idem exequetur in aliis orationibus post communionem atque etiam quadragesimali tempore in Missis quibus cantabitur. ℣. *Adiuva nos Deus* etc.

326. Clerus genibus flexis manebit a Trisagio usque dum a Celebrante cantatum fuerit *Pax Domini* etc.

§. 30. *In Missa pontificali de requie.*

327. Postquam Episcopus ad Altare maximum venerit, unusquisque de Clero submittet genua in suo stallo, nec consurget nisi quum assurrexerit Episcopus.

328. Transeunte per chorum Episcopo Clerus genuflectet, licet Episcopus in hac functione omittat benedictionem largiri.

329. Sedebit Clerus dum Episcopus recitabit orationes ad se parandum praescriptas.

330. Submittet genua ad ablutionem manuum Episcopi.

331. Stabit dum Episcopus induetur sacris paramentis ad operandum.

332. Genuflectet quum Episcopus de throno descendet et per chorum transiens ad Altare introibit.

333. Submittet genua ad confessionem, postea consurget iterumque genuflectet redeunte ab Altari ad thronum Episcopo.

334. Stabit ad introitum et dum recitabitur *Kyrie.*

335. Adgeniculabitur dum cantabitur oratio.

336. Sedebit quo tempore Epistola, Graduale et Sequentia canetur.

337. Stabit autem dum cantabitur Evangelium, ad *Dominus vobiscum*, ad *Oremus* et dum recitabitur ℣. pro Offertorio.

338. Submittet genua ad ablutionem manuum Episcopi.

339. Genuflectet dum Episcopus transiens per chorum ibit e throno ad Altare.

340. Sedebit quum Episcopus ad Altare pervenerit.

341. Sub finem incensantionis Altaris consurget et geniculabitur ad ablutionem manuum Episcopi.

342. Sedebit usque dum cantabitur *Per omnia saecula* etc. ante Praefationem; deinde consurget et quum recitatum sit Trisagion, submittet genua usque dum canetur *Pax Domini*.

343. Consurget et sedebit post Calicis consummationem.

344. Ad ablutionem manuum Episcopi geniculabitur rursum.

345. Stabit dum recitabitur ℣. *Postcommunio* et geniculabitur ad orationem.

346. Consurget et usque ad exitum Missae stabit.

347. Redeunte Episcopo ab Altari ad thronum genuflexionem faciet.

348. Pro absolutione post Missam regulae servabuntur adnotatae sequenti §. 32.

§. 31. *Quando Episcopus Missae solemni de requie intererit.*

349. Quum Episcopus ad Altare pervenerit, unusquisque de Clero genua submittet in suo stallo, consurgetque si Episcopus ad thronum perget sacra vestimenta sumpturus.

350. Si Episcopus ad thronum perget, Clerus genuflexionem faciet ad ipsum transeuntem per chorum, atque hoc ipsum iterabit quum de throno ad Altare redibit, licet in hac functione omittat Episcopus benedictionis signum facere.

351. Ad confessionem manebit flexis genibus.

352. Genuflectet ad Episcopum ab Altari revertentem ad thronum.

353. Stabit ad recitationem introitus et *Kyrie*.

354. Genuflectet iterum ad Episcopum a throno redeuntem ad Altare.

355. Submittet genua dum oratio canetur.

356. Rursus genuflectet ad Episcopum qui ad thronum ab Altari redibit.

357. Dum cantabitur Epistola, Graduale et Sequentia considebit.

358. Stabit donec canetur Evangelium, ***Dominus vobiscum*** et *Oremus* ante offertorium.

359. Sedebit ab offertorio usque dum canetur *Per omnia saecula* etc. ante praefationem.

360. Si Episcopus Missae intererit indutus pluviali, Clerus consurget quum Episcopus post offertorium incensabitur.

361. Consurget ubi praefatio cantabitur et stabit usque ad recitationem Trisagii.

362. Deinde submittet genua et genibus flexis manebit usquedum cantabitur *Pax Domini* etc.

363. Consurget deinde atque usque ad consumationem Calicis stabit.

364. Sedebit post communionem, sed consurget ac genuflectet versus Episcopum de throno ad altare descendentem.

365. Geniculabitur ad orationem *Postcommunio.*

366. Consurget iterumque genuflectet versus Episcopum, qui de Altari revertetur ad thronum.

367. Ad exitum vero Missae stabit.

§. 32. *De absolutione.*

368. Si Episcopus Missam cantaverit, Clerus stabit donec Episcopus, depositis paramentis missalibus, pluviali et mitra indutus fuerit.

369. Si Episcopus Missam non celebraverit, stabit Clerus donec Celebrans cum Ministris ab Altari discesserit.

370. Si fiet absolutio super lecticam sive tumulum ante Altare positum, quum Episcopus in throno sederit, Clerus considebit dum cantabitur ℟. *Libera me, Domine* etc.

371. Consurget dum post responsorium canetur *Kyrie* et stabit usque ad exitum absolutionis, necnon quum Episcopus paramenta dimittet, si absolutionem peregerit.

372. In discessu Episcopi ab Ecclesia, id observabitur quod de Vesperis et de Missa pontificali docuimus.

373. Quod si peragetur absolutio aut super cadaver aut super castrum doloris extra presbyterium erectum, simul atque Episcopus se pluviali induerit et mitra, discedet Clerus de choro et Subdiaconum gestantem Crucem prosequetur.

374. In discessu de choro fiet genuflexio in medio prius ad Altare, deinde ad Episcopum.

375. Si Celebrans fuerit Archiepiscopus, Clerus praeibit Cruci, et Canonici tantum archiepiscopalem Crucem sequentur.

376. Ubi ad feretrum sive ad castrum doloris ventum erit, sese circa illud disponent, advertentes quod antiquiores e Clero se sistant apud faldistorium, in quo sedebit Episcopus.

377. Stabitur toto absolutionis tempore, post quam Crucem sequendo ad chorum revertetur.

378. Si absolutio fiet super castrum doloris, nec aderit cadaver alicuius sive Presbyteri sive Episcopi, Clerus ad Altare revertens quum sit transiturus ante Episcopum in faldistorio sedentem, genuflexionem ipsi faciet.

379. Rediens autem ad chorum faciet etiam ad Altare genuflexionem, deinde Episcopum versus genuflectet quum ad thronum redibit, et stabit quo tempore paramenta dimittet.

380. In discessu Episcopi exequentur quae superius notata sunt.

§. 33. *In festo Purificationis B. Mariae Virginis.*

381. Ubi Episcopus ante Altare venerit, unusquisque de Clero in suo stallo sumet locum, ac manebit genibus flexis usquedum Episcopus orationem perfecerit.

382. Quum Episcopus in thronum ascenderit, Clerus stabit dum ille sacris indumentis se parabit.

383. Perseverabit stare ad candelarum benedictionem.

384. Accipiens ab Episcopo candelam unusquisque genuflectet ad Altare deinde ad thronum; ascendet ad thronum, procumbet in genua super scabellum, quo Episcopus ponet pedes, osculabitur candelam et Episcopi manum; descendet a latere de throno, iterabit genuflexionem ante Episcopum deinde ad Altare si ante ipsum transiturus sit, et ad locum suum revertetur.

385. Quisque ordo in choro sedebit potquam omnes qui eius ordinis sunt, candelam acceperint.

386. Genuflectet Clerus ad ablutionem manuum Episcopi.

387. Stabit ad orationem, quae processionem praecedet.

388. Postquam, cantatum fuerit *Procedamus in pace*, exibit ordinatim de choro, et facta ad Altare et Episcopum genuflexione, unusquisque sumet in processione locum sibi attributum.

389. In reditu ad chorum post processionem, unusquisque genuflexionem faciet ad Altare et ad stallum suum redibit.

390. Quum Episcopus revertetur ad Altare, genuflexio fiet versus eumdem dum Clero donabit benedictionem.

391. In Missa, cui intererit Episcopus, eaedem regulae superius pro hac functione praestitutae observabuntur.

§. 34. *In feria IV. Cinerum.*

392. Clerus genua submittet, quum Episcopus, ad Altare veniens orabit genuflexus ad faldistorium.

393. Stabit dum Episcopus sacra indumenta sumet, ac postea ad orationes ab ipso canendas pro Cinerum benedictione.

394. Unusquisque de Clero alius post alium veniet ad thronum ad accipiendas ab Episcopo cineres, ideoque genuflexionem faciet ad Altare, deinde ad Episcopum antequam ascendant ad thronum; quo quum ascenderit submittet genua super scabellum cathedrae episcopalis, accipiet ab Episcopo cinerem quin eius manum osculetur; descendet a latere de throno, iterabit genuflexionem ad Episcopum, atque etiam ad Altare, si ante ipsum sit transiturus quum ad locum suum redibit.

395. Quisque chori ordo sedebit postquam omnes qui eius ordinis sunt, cinerem receperint.

396. Ad ablutionem manuum Episcopi Clerus geniculabitur.

397. Stabit ad orationem quam canet Episcopus post cinerum impositionem.

398. In Missa, cui Episcopus intererit, serventur leges respectivis paragraphis huius capitis praescriptae.

§. 35. *In Dominica Palmarum.*

399. Posteaquam Episcopus ante Altare maximum venerit unusquisque de Clero suum stallum petet ibique genuflexus manebit, donec Episcopus effundet preces.

400. Stabit quo tempore Episcopus sacris indumentis parabitur.

401. Dum canetur antiphona *Hosanna filio David* etc. considebit.

402. Stabit ad orationem, quam canet Episcopus post antiphonam eandem.

403. Sedebit ad lectionem, tractum aut responsorium canendum post praedictam lectionem.

404. Stabit dum canetur Evangelium, deinde ad omnes orationes alias pro palmarum benedictione.

405. Pergent deinde singuli ad thronum accepturi ab Episcopo palmam; genuflexionem facient ad Altare et ad Episcopum ante thronum, ascendent ad thronum, procumbent in genua super scabellum cathedrae, osculabuntur palmam deinde manum Episcopi, descendent a latere de throno, genuflexionem iterabunt ad Episcopum et ad suum locum revertent; si a throno profecti ante Altare transituri sint, repetent genuflexionem etiam versus Altare.

406. Quisque chori ordo sedebit postquam omnes illi, qui eius ordinis sunt, palmam acceperint.

407. Submittet genua ad ablutionem manuum Episcopi.

408. Stabit ad orationem quae ante processionem cantabitur.

409. Quum dicetur *Procedamus in pace*, unusquisque ordinatim exibit de choro, genuflexionem faciet ad Altare et Episcopum et loco sibi attributo incedet.

410. Extra portam Ecclesiae disponetur Clerus in unum aut plures ordines, prouti a Caeremoniario innuetur; in reditu ad Altare facta prius ad ipsum genuflexione, redibit ad locum quisque suum. Foris portam Ecclesiae Clerus cooperiet caput bireto.

411. Genuflectetur versus Episcopum, dum transiens per chorum benedictionem Clero impertietur.

412. Quum Episcopus Missae intererit, observabitur ordo superius praescriptus.

413. Si Episcopus Missam celebrabit, notandum occurrit quod Clerus genuflectere debet versus ipsum quum veniet ad Altare lecturus *Passio*, et quum post cantatum *Passio*, ad thronum redibit momento temporis quo benedictionis signum versus Clerum faciet.

414. Clerus palmam dextera sustinebit quo tempore canetur *Passio*. Ad elevationem sustinebit unus tantum Episcopus si Missae intererit.

§. 36. *In Matutinis Tenebrarum.*

415. In accessu Episcopi ad Ecclesiam eaedem regulae, quae supra, observabuntur; ac si in Coena Domini et in Parasceve remota sit ab Ecclesia aqua benedicta, non est genuflectendum cum nulla fiat ab Episcopo aquae benedictae aspersio.

416. In Coena Domini advertat Clerus ut genuflexionem duplicem peragat ad SS. Sacramentum tum ante tum post matutinum, quum Episcopum illuc comitabitur.

417. Episcopus ad Altare maius ubi venerit, locum quisque suum occupabit ibique genua flectet.

418. Assurgente post orationem Episcopo, consurget et Clerus, qui genuflexionem faciet versus Episcopum per chorum transeuntem, licet hisce diebus omittet benedictionem impertiri.

419. In Matutino serventur leges hoc capite ad §. 13. traditae.

420. Quum Episcopus ad faldistorium perget, ad repetitionem antiphonae post *Benedictus*, fiet versus Episcopum genuflexio.

421. De reliquo sequentur documenta superius exhibita.

§. 37. *Feria V. in Coena Domini.*

422. Quum Episcopus in Secretarium venerit, Clerus in ge-

nua procumbet in propriis stallis et consurget quum Episcopus thronum ascenderit.

423. Stabit dum recitabitur *Pater, Ave,* ante horam Nonam.

424. Incepto primo psalmo de Nona, considebit.

425. Submittet genua quum Episcopus ad faldistorium descendet pro *Miserere* recitando et quum redibit ipse ad thronum, consurget.

426. Genua flectet etiam ad ablutionem manuum Episcopi.

427. Stabit dum Episcopus induetur sacris indumentis, et in reliqua functione sequetur documenta tradita pro Missa pontificali.

428. In benedictione et consecratione oleorum, quae fiet in Missa solemni stabit semper, quamvis Episcopus una cum suis ministris interdum sedebit.

429. Ad ablutionem manuum Episcopi submittet genua.

430. Stabit etiam post consummationem, siquidem in Altare expositum erit SS. Sacramentum.

431. Sacro peracto, unusquisque locum sibi debitum in processione sumet, genuflexionem duplicem faciens in medio Presbyterii.

432. Qui ad dexteram incedet, dextera gestabit intorticium seu candelam accensam et manu sinistra biretum: qui vero ad sinistram incedet, gestabit intorticium aut candelam manu sinistra, dextera biretum: si quis medius inter alios duos incedet, feret candelam aut intorticium manu dextera.

433. Ubi ad sacellum ventum erit, in quo SS. Sacramentum exponetur, nulla facta ad Altare genuflexione, consistet loco quisque sibi attributo, advertendo quod antiquiores maneant propius Episcopum atque Altare.

434. Superveniente Episcopo cum SS. Sacramento Clerus in genua procumbet et genuflexus manebit donec clausa fuerit custodia in qua SS. Sacramentum exponetur.

435. Deinde discedet ordinatim de sacello, peragens in medio presbyterii genuflexionem duplicem ante SS. Sacramentum. In exeundo de cappella praedicta tradet candelam aut intorticium clerico ad hanc rem delegato.

436. Revertetur ad chorum, genuflectet ad Altare et redibit ad suum quisque stallum, animadvertens ut genuflectat Episcopo ad thronum redeunti.

437. Stabit dum Episcopus sacra indumenta dimittet.

438. Ad Vesperas stabit quum dicetur *Pater*, *Ave*; sedebit deinde a principio primi psalmi usque ad initium *Magnificat*.

439. Genua submittet quum Episcopus ibit ante Altare pro recitando *Miserere*.

440. Absolutis Vesperis consurget ad Altaris denudationem, genua flectet autem quum Episcopus post hanc functionem genuflexus ad faldistorium orabit.

441. Prosequetur Episcopum in aulam in qua peragetur *Mandatum*, ac si parata fuerint pro Clero snbsellia, locum quisque sibi debitum occupabit.

442. Stabit dum Episcopus sacris vestibus induetur.

443. Sedebit ad actiones Diaconi antequam cantetur Evangelium.

444. Ad Evangelium, quod canetur, stabit.

445. Sedebit autem quum Episcopus lavare pedes pauperum incipiet.

446. Si Episcopus in descendendo aut redeundo ad thronum ante Clerum transibit, fiet genuflexio.

447. Genua flectet ad ablutionem manuum Episcopi.

448. Stabit ad recitationem versuum et orationis et quum Episcopus paramentis sacris exuetur.

449. Prosequetur Episcopum ad suam diaetam redeuntem.

§. 38. *Feria VI. in Parasceve.*

450. Adveniente Episcopo ad ecclesiae portam, genuflectet Clerus ad aspersionem aquae benedictae, si ab Episcopo fiat, prouti in Matutinis tenebrarum adnotatum fuit.

451. Discendens de Altari, in quo expositum erit SS. Sacramentum, genuflexionem duplicem exequetur.

452. Ubi Episcopus venerit in Secretarium, unusquisque de Clero locum sumet in suo stallo et genuflexus manebit quoad Episcopus assurget oratione peracta iturus ad thronum.

453. Stabit dum dicetur *Pater*, *Ave* antequam recitetur hora Nona.

454. Initio primi psalmi horae Nonae considebit.

455. Consurget post tertium psalmum, et ad recitandum *Miserere* procumbet in genua.

456. Rursus consurget quum Episcopus ad thronum redibit.

457. Submittet genua ad ablutionem manuum Episcopi.

458. Stabit dum Episcopus sacris paramentis induetur.

459. Parato Episcopo et mitra capiti imposita, locum quisque sibi debitum occupabit in processione, ac discendens de Secretario genuflectet ad Crucem Altaris.

460. Ante Altare maximum genuflectetur ab unoquoque et locus in choro respectivus occupabitur.

461. Postquam Episcopus ad Altare pervenerit, Clerus genua submittet, nec consurget nisi quum Episcopus de oratione surrexerit.

462. Assurgente Episcopo consurget et Clerus, qui quum Episcopus sederit ad faldistorium, et ipse considebit.

463. Dum cantabitur oratio post primam prophetiam et primum tractum, stabit; genuflectet autem ad *Flectamus genua.*

464. Sedebit quo tempore canetur secunda prophetia aut lectio, et secundus tractus.

465. Donec canetur *Passio* stabit, ad verba autem illa *tradidit spiritum* submittet genua.

466. Considebit ad actiones quae a Diacono fient antequam canat postremam partem *Passio*.

467. Dum cantabitur postrema illa pars, stabit pedibus.

468. Si fiet sacra concio sedebit, ac etiam quum concionator publicabit indulgentiam post concionem.

469. Ad orationes quae canentur stabit et genuflectet Diacono canente ℣. *Flectamus genua.*

470. Persistet stare dum Episcopus planetam dimittet, et ad Crucis detectionem.

471. Ad verba *Venite adoremus* genuflectet versus Crucem, ac tertia vice manebit genibus submissis, quoad Episcopus Crucem cussino imposuerit atque assurrexerit.

472. Stabit ad adorationem quae fiet ab Episcopo.

473. Unusquisque perget ad Crucem adorandam quum ipsi innuetur, animadvertet genuflectere pari tempore cum socio suo ac tribus in locis quae indicabuntur.

474. Quisque chori ordo tunc considebit, quum de adoratione Crucis redierint omnes illi qui eiusdem ordinis sunt.

475. Quum post adorationem a Diacono referetur Crux super Altare, omnis Clerus genua submittet nec consurget nisi quum Diaconus imposuerit eam super basim.

476. Ad ablutionem manuum Episcopi Clerus adgeniculabitur.

477. Discedet unusquisque de choro ordine debito, et facta genuflexione simplici ad Crucem altaris, occupabit locum sibi in processione assignatum.

478. Ubi in Sacellum ventum erit in quo expositum erit SS. Sacramentum, genuflexionem duplicem faciet in medio presbyterio, perget ad suum locum ibique genuflexus manebit.

479. Quum Episcopus SS. Sacramentum manibus acceperit, consurget unusquisque ordinatim et genuflexione duplici ad ipsum Sacramentum in medio presbyterio peracta, redibit in processionem loco sibi praestituto.

480. Ad Altare maximum ubi ventum erit nulla fiet genuflexio al Altare siquidem comitantur SS. Sacramentum; ordinabitur Clerus circa Altare, vel si Presbyterium non erit capax revertetur unusquisque ad proprium stallum ibique genibus flexis manebit donec Episcopus sacrum Particulam in Calice positam consummaverit.

481. Redibit unusquisque ad locum suum in choro, sed stabit ad orationem *Quod ore* etc. quam recitabit Episcopus.

482. Ad ablutionem manuum Episcopi, Clerus genua flectet.

483. Redeunte Episcopo ad thronum ac deponente sacra indumenta, Clerus stabit.

484. In recitatione Vesperarum, observabitur idipsum quod docuimus in functione de Feria V. in Coena Domini.

485. Si Episcopus huius diei functionibus assistet tantum postquam pervenerit ad Altare maximum, unusquisque de Clero

suo loco submittet genua, nec consurget nisi assurgente Episcopo.

486. Quum in thronum ascenderit Episcopus, considebit Clerus ad primam lectionem et primum tractum dum canentur.

487. Consurget dum oratio cantabitur, genuflexionem faciens ad ℣. *Flectamus genua.*

488. Sedebit dum canentur secunda Lectio et secundus tractus.

489. Stabit donec cantabitur *Passio.*

490. Sedebit ad actiones Diaconi antequam cantet ultimam partem *Passio.*

491. Ad praedictam ultimam partem, dum canetur, stabit.

492. Si fiet sacra concio, sedebit; consurget autem postquam concionator post concionem indulgentiam publicaverit.

493. Dum canentur orationés stabit, sed genuflectet quum Diaconus canet ℣. *Flectamus genua.*

494. Sedebit quum Celebrans de Altari discedet post orationes ut deponat planetam.

495. Stabit ad Crucis detectionem et genuflectet dum canetur *Venite adoremus.* Tertia vice genuflexus restabit nec consurget nisi quum Celebrans Crucem cussino imposuerit.

496. Dum Episcopus adorationem Crucis peraget, Clerus stabit.

497. Adoratio Crucis a Clero fiet ordine superius indicato in functione ab Episcopo celebrata.

498. Genua submittet quum Diaconus resumet Crucem et deferet ad Altare, et consurget quum ea super basim locata fuerit.

499. Stabit quum Episcopus sacris indumentis parabitur.

500. Procedet inde ad sacellum, in quo expositum erit SS. Sacramentum, atque in discessu de Altari maximo genuflexione simplici venerabitur Crucem super Altare locatam.

501. Ad praedictum sacellum quum quisque venerit, faciet in medio presbyterio genuflexionem duplicem ad SS. Sacramentum, et suum locum petet, ubi genuflexus manebit.

502. Quum SS. Sacramentum a Celebrante traditum erit

Episcopo, unusquisque redibit in medium sacellum et SS. Sacramento duplici genuflexione adorato, locum suum in processione recipiet.

503. Ubi ad Altare maximum ventum erit, nulla fiet ad Altare genuflexio, siquidem Clerus prosequitur SS. Sacramentum, et disponetur in ordinem circa Altare, si capacitas presbyterii id patiatur, vel redibit ad locum quisque suum ibiquc genuflexus manebit usque ad functionis exitum, in quo Episcopus ad thronum revertetur.

504. Discedente de Altari Celebrante, stabit.

505. In recitatione Vesperarum eaedem quae superius assignantur regulae.

§. 39. *In Sabbato sancto.*

506. Postquam Clerus comitatus erit Episcopum animadversionibus pridie notatis, et ad Altare maximum venerit, unusquisque suo loco adgeniculabitur, nec consurget nisi quum surrexerit Episcopus.

507. Quum Episcpus in thronum ascenderit, Clerus stabit dum ipse sacris paramentis induetur, benedictionem novi ignis ac thuris efficiet et sacra deinde vestimenta dimittet.

508. Profectis de presbyterio Diacono ac Subdiacono cum clericis, considebit Clerus.

509. Quum canetur *Lumen Christi* consurget ac genuflectet deinde rursus sedebit tum prima tum secunda vice.

510. Tertia vice, quum in chorum redibunt praedicti Ministri, consurget et genuflectet quum canetur *Lumen Christi.*

511. Sedebit ad actiones quas exsequetur Diaconus priusquam cantetur Praeconium.

512. Stabit dum canetur praedictum Praeconium, et sedebit quum Diaconus immittet grana in Cereum, quum Cereum ipsum accendet, quumque lampades accendentur.

513. Postquam canendi Praeconium factus sit finis, stabit dum recitabitur *Pater*, *Ave* et considebit initio primi psalmi horae Nonae, quae recitabitur sicuti duobus anteactis diebus.

514. Sub exitum horae Nonae submittet genua ad recitandum psalmum *Miserere*, et consurget quum Episcopus ad thronum redibit.

515. Sedebit interea dum Episcopus recitabit psalmos et preces in praeparationem ad Missam.

516. Adgeniculabitur ad ablutionem manuum Episcopi.

517. Stabit quo tempore Episcopus sacris vestibus induetur.

518. Genuflectet Episcopum versus quum veniet ad Altare ac deinde ad thronum redibit, momento temporis quo Clero benedictionem donabit.

519. Sedebit ad prophetias quae canentur, et stabit dum canentur orationes post prophetias et genuflectet ad ℣. *Flectamus genua.*

520. Stabit dum Episcopus missalia paramenta dimittet ac pluviali induetur.

521. Mitra Episcopo imposita, discedet de loco quisque suo atque in medio presbyterio genuflexione peracta ad Altare et Episcopum, sumet locum sibi debitum in processione, quae procedet ad baptisterium.

522. In baptisterio, vel extra ipsum, unusquisque occupabit locum qui assignabitur, ac si parata erunt sedilia, tunc tantum considebit quum per Ecclesiam fiet aquae benedictae aspersio.

523. Stabit quum Eiscopus olea sancta in aquam baptismalem infundet.

524. Genuflectet ad ablutionem manum Episcopi.

525. Si qui baptizandi erunt, stabit ad exorcismos et dum peragetur baptismum, ac similiter quum Episcopus pluviale commutabit.

526. In reditu processionis ad Altare, fiet ab unoquoque genuflexio ad Crucem in medio presbyterio, et respectivus locus occupabitur.

527. Dum Episcopus transibit per chorum et benedictionem Clero impertietur, fiet ipsum versus genuflexio.

528. Ad Litanias genua submittet loco quisque suo ac genuflexus manebit etiam quum assurget Episcopus ut dimittat paramenta violacea atque induatur aliis albi coloris.

529. In Missa adhibebitur ritus pro Missa pontificali praescriptus.

530. Ad annunciationem et intonationem *Alleluia* stabit; animadvertatur autem ut pars una Cleri, si utetur cappa, pergat in Sacrarium ut eam deponat, atque adsit in choro dum canetur *Alleluia*, eodemque tempore discedat pars altera ad cappam pariter dimittendam.

531. Quum Episcopus post consummationem ad thronum redibit, Clerus genuflexionem versus eum faciet quo tempore ipsi benedicet.

532. Sedebit dum cantabitur antiphona *Alleluia*, psalmus *Laudate Dominum* et repetitio fiet antiphonae.

533. Consurget ad intonationem antiphonae *Vespere autem Sabbati* atque iterum considebit.

534. Rursus quum inchoabitur cantus *Magnificat* consurget ac versus Episcopum genuflectet, quum ad Altare accedet ad illius thurificationem, quum post Altaris incensationem redibit ad thronum, quumque ad Altare redibit completurus Sacrificium.

535. In reliqua functione documenta superius tradita observabuntur.

536. Si Episcopus huius diei functionibus intererit tantum, observatis iis quae pro accessu ad Ecclesiam et ad Altare innuimus, Clerus considebit, quum profecti de Presbyterio fuerint Diaconus, Subdiaconus ceterique clerici.

537. Consurgent et quum prima et secunda vice canetur *Lumen Christi* genuflectet. Ingredientibus autem in Presbyterium praedictis Ministris, consurget, deinde genuflectet ut in aliis vicibus.

538. Sedebit ad actiones Diaconi, quae Praeconium canendum praecedunt.

539. Consurget quum Praecònium canetur, sed considebit quum Diaconus immittet grana in Cereum, accendet Cereum eundem et accendentur lampades.

540. Sedebit dum Celebrans et Ministri suis quisque paramentis induentur.

541. Ad prophetias quae canentur sedebit, stabit autem

quum canentur orationes post unamquamque prophetiam, genuflectens ad ℣. *Flectamus genua.*

542. Absoluta duodecima prophetia cum duodecima oratione, discedet ordinatim de loco quisque suo, et genuflexione peracta ad Altare et Episcopum sumet locum suum in processione quae ad baptisterium procedet.

543. Ubi ad baptisterium Clerus pervenerit, se in ordinem disponet intus aut foris sacellum secundum loci capacitatem, et ad subsellia si parata fuerint.

544. Stabit ad benedictionem fontis, ac si aderunt subsellia, considebit quo tempore fiet aquae benedictae per Ecclesiam aspersio.

545. In reditu processionis ad Altare, occupabit unusquisque locum sibi convenientem, et genuflexionem Episcopum versus efficiet dum per presbyterium transibit.

546. Ad Litanias manebit flexis genibus etiam quum assurgent Celebrans et Episcopus sacra indumenta sumpturi.

547. In Missa solemni observabuntur ritus pro assistentia ad Missam pontificalem descripti.

548. Stabit ad intonationem *Alleluia* post epistolam, atque attendat ad capparum, seu vestium choralium commutationem.

549. Post communionem sedebit dum canetur ant. *Alleluia* psalmi *Laudate* et eadem antiphona repetetur.

550. Consurget ad intonationem antiph. *Vespere autem Sabbati*, dum vero eadem antiphona cantabitur, considebit.

551. Stabit ad *Magnificat* donec canetur, et sedebit quum antiphona repetetur, si thurificatio chori absoluta fuerit.

552. De reliquo adhibebitur ritus superius demonstratus.

§. 40. *In die Resurrectionis Dominicae.*

553. In hac solemnitate et sequentibus diebus dum canetur vel recitabitur antiph. *Haec dies* etc. Clerus stabit.

554. Si Episcopus Missam cantabit, post celebratam Missam solemnem, benedictionem Pontificalem populo impertietur.

555. Clerus genuflexionem peraget versus Episcopum ad thronum revertentem.

556. Sedebit ad lectionem Pontificii Brevis tum latino, tum vulgari sermone.

557. Submittet genua ad preces et ad benedictionem.

558. Stabit ad publicationem indulgentiae.

§. 41. *In processionibus.*

559. Si Episcopus officiabit in Litaniis maioribus et ad Litanias minores assistet, postquam ipse venerit ante Altare maximum, unusquisque de Clero locum suum occupabit et stabit donec Episcopus sacris parabitur indumentis.

560. Genuflectet deinde versus Episcopum de throno ad Altare descendentem et benedictionis signum donantem Clero.

561. Stabit dum canetur antiphona *Exurge, Domine* etc.

562. Ad cantum Litaniarum genua flectet.

563. Postquam cantatum sit et repetitum ℣. *Sancta Maria, ora pro nobis,* unusquisque de Clero consurget ordinatim et genuflexione ad Altare peracta in medio presbyterio, locum sibi debitum in processione occupabit. Extra ecclesiam Clerus secularis caput bireto operiet.

564. Si qua in Ecclesia processionis statio fiet in itinere se disponet Clerus circa Altare in unum aut plures ordines, ut unicuique indicabitur, et genuflexionem ad Altare efficiet tum in accessu ad Ecclesiam tum in discessu de ipsa. Quum cantabitur antiphona, versus et oratio Sancti patroni stabitur pedibus.

565. Idipsum observabit in Ecclesia in qua processio compleatur, et quum ante Altare venerit Episcopus, ad preces et orationes quae canentur, genibus flexis manebit Clerus.

566. Eadem methodus observabitur in ceteris Litaniis, exceptis iis quae notavimus de tempore, quo parabitur Episcopus; nisi enim officium exsequetur non induetur sacris paramentis.

§. 42. *In vigilia Pentecostes.*

567. Functio huiusce die similis est Sabbati Sancti functioni,

praeter benedictionem Cerei et ritum Missae, qui solemnibus est communis.

568. Proinde ne saepius eadem retractemus, referatur lector ad documenta pro Sabbato sancto exhibita.

§. 43. *In solemnitate sanctissimi Corporis Christi.*

569. Si in officio aut in eius parte expositum erit in Altari SS. Sacramentum, Clerus debebit semper habere caput nudatum etiam pileolo. Sedere poterit, cum regulis tamen hoc capite traditis pro officio; sed abstinebit reverentiis faciendis, quae pro choro praescriptae sunt, exceptis illis quae sunt invitatio quaedam ad actionem quam quis exsequi debet. In accessu ad Altare et in discessu ab eodem, genuflexio duplex efficietur, et quisquis in medium chorum prodibit ad recitandas lectiones, ad praecinendas antiphonas. psalmos etc. debebit genuflexionem simplicem peragere.

570. Quod ad processionem, notatur quod ad Missam privatam Episcopi, quae processioni ipsi praemittitur, Clerus flexis semper genibus assistet, praeter Evangelii lectionem, ad quam consurget.

571. Peracto Sacro, ordinabitur in processionem quo tempore monstrabit Caeremoniarius, et unuquisque in discessu de choro genuflexionem duplicem peraget in medio presbyterio.

572. Qui dextrorsum incedet, intorticium vel candelam gestabit manu dextera, sinistra autem biretum pectori applicitum: qui vero incedet sinistrorsum deferet candelam aut intorticium manu sinistra, dextera biretum pectori applicitum. Si quis medius inter alios duos ibit, dextera intorticium aut candelam, sinistra biretum, ut supra, gestabit.

573. Curabit unuquisque ut recta incedat cum socio, nec nimium appropinque praecedenti ne cera liquescente vestes eius deturpet: qua de re alter ab altero duos circiter passus absit.

574. Si processio subsistet ad aliquod Altare in via erectum, Clerus disponetur circa Altare in unum aut plures ordines, prouti ipsi monstrabitur, et genua flectet simul atque in conspectum eius venerit SS. Sacramentum.

575. Recitata ab Episcopo post *Tantum ergo* oratione, consurget et duplici ante Altare facta genuflexione, locum quisque suum in processione recipiet.

576. In reditu ad Ecclesiam, nulla facta ad Altare genuflexione, siquidem comitantur SS. Sacramentum, locum suum unuquisque occupabit et procumbet in genua in stallo tenens adhuc candelam aut intorticium accensum donec benedictio data erit cum SS. Sacramento.

577. Benedictione peracta, extinguentur candelae et intorticia, tradentur clerico, qui recipiet, vel relinquentur in stallo, atque ordine debito discedet unuquisque de choro exequens in medio presbyterio ad SS. Sacramentum genuflexionem. Quod si SS. Sacramentum erit adhuc in Altari expositum, fiet genuflexio duplex.

578. Disponetur Clerus secundum Sacrarium, et transeunte Episcopo fiet eum versus genuflexio; deinde more solito prosequentur eundem ad aedes eius.

§. 44. *In sacra Visitatione.*

579. Clerus, praeeunte Cruce cum acolythis prodibit de Ecclesia processionaliter, et ad residentiam Episcopi procedet.

580. Subsistet ibi loco usitato; hinc praeibit Episcopum, qui post Clerum sequetur, atque in itinere canetur canticum *Benedictus Dominus Deus Israel* etc. aliique psalmi.

581. Ad Ecclesiae ingressum Clerus, monente Caeremoniario, subsistet; se convertet portam versus Ecclesiae, ad aquae benedictae aspersionem genua flectet et postquam incensatus fuerit Episcopus, procedet ad Altare SS. Sacramenti.

582. Disponetur circum Altare, facta prius in medio genuflexione, submittet genua loco sibi assignato, et ad nutum Caeremoniarii consurget, genuflexionem iterabit ad Sacramentum, procedet ad Altare maximum, et genuflexione ad Crucem peracta, perget ad stallum quisque suum.

583. Veniente ad Altare Episcopo, fiet ipsum versus genuflexio momento temporis quo Clero benedictionem donabit.

584. Stabit ad preces quas dignior de Clero recitabit, quum Episcopus genuflexus morabitur ante Altare.

585. Ad obedientiam alius post alium ad thronum vadet, facta prius ad Altare genuflexione deinde ad Episcopum ante thronum, quum ascenderit planum throni, genuflexus eius manum osculabitur.

586. Si Episcopus homiliam habebit, Clerus considebit.

587. Quum canetur *Confiteor* stabit.

588. Procumbet in genua ad absolutionem et benedictionem quam donabit Episcopus.

589. Stabit dum Episcopus parabitur sacris indumentis quumque stans ante Altare absolutionem peraget pro Episcopis defunctis.

590. Hac absolutione peracta, discedat de loco quisque suo et genuflexione facta ad Altare et Episcopum, ordinabitur in processionem iturus ad Coemeterium, vel in mediam Ecclesiam pro aliis absolutionibus.

591. In reditu Clerus ordinabitur circa Altare SS. Sacramenti, et genuflexione in medio peracta, manebit loco quisque suo, donec Episcopus deposuerit paramenta nigra et alia sumpserit albi coloris.

592. Procumbet in genua ad visitandum SS. Sacramentum, et profecto de Altari Episcopo, consurget ac redibit ad Sacrarium, expectans ibi Episcopum ut residentiam eius prosequatur.

§. 45. *In ceteris functionibus.*

593. Ne plus aequo prolixi simus in hisce tradendis documentis, necesse erit quasdam regulas generales statuere pro aliis functionibus pontificalibus, quae rarius celebrantur, cuiusmodi sunt exempli causa, dedicationes Ecclesiarum, aut Altarium consecrationes, benedictiones caemeteriorum, campanarum etc.

594. Clerus genuflectet Episcopo manus abluente.

595. Stabit interea dum Episcopus sacris induetur vestimentis.

596. Quum sederit Episcopus, considebit.

597. In recitatione orationum aut in invitatione ipsarum stabit.

598. Quum Episcopus aliquam peraget peculiarem actionem ut e. g. traditionem instrumentorum ad ordinandos relativorum, unctiones super Altaria etc. Clerus considebit.

599. Si genua flectet Episcopus, adgeniculabitur et Clerus, et in quibusdam actionibus licet Episcopus assurgeret, manebit genuflexus Clerus, ut in benedictione quam donat Episcopus in consecrationibus sub exitum Litaniarum.

600. Hisce constitutis principiis, satis erit in occasionibus nutus aliquis Caeremoniarum Magistri, ut qua positione consistendum sibi sit, Clerus facile intelligat.

DE ORDINE PRAECEDENTIAE IN CHORO ET IN PROCESSIONIBUS SERVANDO

CAPUT IV.

1. In functionibus ecclesiasticis praecedentia et locus distinctior ad digniores spectat et antiquiores.

2. Dignitas e gradu desumitur quo quisque est insignitus, ita ut in Cathedralibus Dignitates praecedant Canonicos, Canonici Beneficiarios et Mansionarios, Mansionarii Cappellanos chori et clericos. Antiquitas autem desumitur a die possessionis, quam unusquisque beneficiarius inivit de respectiva praebenda, non vero ab aetate aut ab anterioritate ordinationis *(a)*.

(a) Si inter coetum Canonicorum aut Beneficiariorum esset Canonicus aut Beneficiarius clericus, quum alter Canonicus aut Beneficiarius nominaretur qui Sacerdos esset aut in sacris Ordinibus constitutus, hic locum et antiquitatem super clerico accipiet, quamvis ille antiquiore possessione sit. Notandum autem in hanc rem est, quod unaquaeque Ecclesia aut Capitulum suas habet constitutiones consuetudinesque, ad qua-

3. Hisce praemissis principiis quaenam methodus in choro quaeque in processionibus a Clero sit adhibenda, mox innuemus.

4. Et quod ad chorum spectat, locorum dispositio dependet a diversa Altaris positione; Altare enim potest esse locatum in media absida, quo casu Celebrans ad Altare ingressus, faciem ad populum conversam habebit secundum veterem disciplinam et Episcopi thronus situs erit in media tribuna adversum Altare cum Cleri subselliis ad latera: vel Altare adhaerebit muro, et hoc casu thronus Episcopi situs erit ad cornu Evangelii, subsellia autem Cleri erunt in presbyterio: vel Altare dirimetur muro et retro altare erunt subsellia Cleri, thronus autem Episcopi in parte anteriori ad latus Evangelii in presbyterio.

5. Tribus hisce suppositis casibus, statuendum principium est, quod locus honoratior est throni locus, et consequenter nobiliores Cleri loci sunt qui ipsi throno propius adsunt, adsit, vel non Episcopus: Consequitur quod in ordine sedendi, respectus ad thronum non vero ad Altare est habendus. Idcirco priore casu superius declarato, Dignitates dextrorsum chori sedebunt et post Dignitates eodem a latere Canonici ex ordine presbyterorum: ex latere adverso ad sinistram throni Canonici ex ordine Diaconorum, deinceps Canonici ex Subdiaconorum ordine. Si subsellia pro Canonicis ex presbyterorum ordine ad dexteram throni non satis essent, qui postremi huius ordinis sunt, sedebunt e latere adverso prope Altare suum ordinem servantes veluti nulla facta esset interruptio, ita ut ultimus Canonicorum ex presbyterorum ordine, proximus sit postremo ex ordine Subdiaconorum Canonico,

6. Altero in casu, locus Dignitatum erit ad throni dexteram et post Dignitates sedebunt Canonici ex ordine Presbyterorum. Canonici vero e Diaconorum ordine sedebunt in subselliis adversis e regione Dignitatum, et post Canonicos e Diaconorum ordine sedebunt reliqui ex ordine Subdiaconorum. Si

rum observantiam tenentur qui Capitulo aut Ecclesiae eidem addicti sunt; ideoque si dispositioni praenotatae obstarent constitutiones sive statuta, sive consuetudo, debebunt illae observari tamquam lex peculiaris Capituli sive Ecclesiae eiusdem.

Canonicorum numerus ex ordine Presbyterorum superaret subselliorum numerum, occupabunt sine ulla intermissione extremos locos in subselliis Canonicorum Diaconorum, et locus ultimi Presbyteri ultimi Subdiaconi loco respondebit.

7. Tertio denique casu, locus Dignitatum erit in extremitate subselliorum versus thronum sinistrorsum ipsius, secunda Dignitas sedebit ad laevam primae, tertia ad laevam secundae, atque ita porro, si reliquae fuerint. Canonici Presbyteri sedebunt post Dignitates, videlicet primus Presbyter ad sinistram ultimae Dignitatis, secundus Presbyter ad sinistram primi, et sic deinceps. Canonici Diaconi ex latere adverso sedebunt e regione Dignitatum, scilicet primus Diaconus versus Altare ad latus Epistolae, alter dextrorsum primi, tertius dextrorsum alterius, atque ita de reliquis. Post Diaconos sedebunt eodem ordine Subdiaconi; ac si Presbyteri oporteret ut in Diaconorum vel Subdiaconorum subselliis considerent, eumdem ordinem sine interruptione sequentur adeo ut ultimus Presbyter ad ultimi Subdiaconi dexteram consederit.

8. Idem ordo a Beneficiariis aut Mansionariis servabitur, praesertim si etiam istorum essent ordine distinctae praebendae. Sin sedilia ipsis assignata alia essent locata positione, sequendum semper erit in sedendo principium superius positum, locum scilicet honorificentiorem esse propriorem throno.

9. Eamdem methodum sequentur Cappellani chorales et clerici Seminarii.

10. Vicarius generalis sedebit primo chori loco, seu loco inter thronum et sedilia Canonicorum distincto, idque iuxta varias regionum consuetudines. Notandum tamen, quod si Vicarius generalis esset Canonicus, si distributionibus vult frui, nec mulctari ut absens, necesse erit ut sedeat loco qui convenit ei tamquam Canonico, neque ullam sibi potest sumere praecedentiam. Quibus autem functionibus sese vestimentis sacris parabunt Canonici, nequit Vicarius paramenta sibi induere, atque hoc casu si choro interesse cupiet, postremo Canonicorum loco erit illi sedendum, seu post universos Canonicos sacris indumentis paratos.

11. Omnia autem haec respiciunt Ecclesias cathedrales, vel etiam illas, in quibus adesse nonnullis temporibus officio solet Episcopus cum suo Capitulo.

12. Relate ad collegiatas aliasque Cleri secularis Ecclesias, solet Altare esse locatum ante parietem et subsellia in presbyterio disposita. Quocirca loci dignitas ab Altari desumetur, ac primus erit qui a cornu Evangelii versus Altare ipsum situs est, secundus a latere Epistolae versus Altare, atque ita deinceps. Quod si chorus positus esset post Altare, vel Altare in media absida, quum nullus foret thronus aut sedes episcopalis, in hisce quoque Ecclesiis servabitur indicatus ordo dignitatem sive superioritatem loci ab Altari desumendi.

13. In processionibus sequens methodus semper adhibebitur, Confraternitates laicorum incedent primae, servantes ordinem praecedentiae ab epocha suae institutionis, ita ut prior ad incedendum sit quae novissimae institutionis est, et sic de ceteris. Regulares locum sibi sument post Confraternitates, qui etiam procedent iuxta ordinem erectionis suae familiae in regione qua morantur, quemadmodum praescribit Gregorii XIII Constitutio *Exposcit pastoralis, 25 Jul. 1583.* Qui minus antiqui sunt incedent immediate post respectivam Crucem, et antiquiores in fine, propiores alteri familiae quae sequetur. Regulares deferent propriam Crucem, ex qua pendebit pannus sericeus ornatus et eius coloris quem functio reposcit.

14. Clerus secularis praecedetur semper Cruce delata a Subdiacono cum duobus acolythis gestantibus candelabra cum candelis accensis: interdum praeibit thuriferarius cum thuribulo, et Subdiaconus induetur etiam tunicella, quemadmodum indicabitur deinceps. Crucem sequentur Clerici simplices, deinde reliqui minoribus ordinibus, tum maioribus constituti ac Presbyteri, ita ut postremus locus sive ultimum par sit semper antiquiorum, seu digniorum.

15. Si processioni intererit omnis Clerus secularis, post crucem incedent clerici Seminarii, deinde Parochi civitatis, Collegiatae, si fuerint, tum Beneficiarii et Mansionarii Cathedralis, postremo Canonici Cathedralis et Dignitates, omnesque proce-

dent iuxta ordinem possessionis qui singulos respicit. Celebrans paratus semper ultimo loco post Canonicos ibit, ac si cum Celebrante forent etiam nonnulli Beneficiarii parati, ipsi quoque paramentorum caussa quibus induentur, postremo loco sequentur cum Celebrante.

16. Si Archiepiscopus intererit, Crux archiepiscopalis praeibit Canonicis, ut inferius demonstrabitur.

17. Post Celebrantem incedet Episcopus cappa indutus si aderit, ac si non ipsemet celebrabit functionem, post Episcopum ceteri Praesules, si aderunt, et Vicarius generalis sequentur, eo tamen discrimine ut digniores propius Episcopo, minus autem digni longius absint.

18. Magistratus seu publici repraesentantes si intersint sacris functionibus habitu formali induti, utentur subsellio distincto extra presbyterium atque in processionibus incedent ante Crucem Cleri secularis, seu Clerum regularem inter et secularem, quemadmodum dilucide praescribit Episcoporum Caeremoniale.

DE ORDINE IN THURIFICATIONE SERVANDO

CAPUT V.

1. Primo huiusce libri capite *de Caeremoniis communibus* notavimus quomodo gestandum sit thuribulum quaque ratione sit peragenda thurificatio. Praesenti autem capite agemus de thurificatione a Celebrante peragenda in Missis solemnibus, in Vesperis solemnibus, et in Laudibus item solemnibus nec non de Cleri in choro et ceterorum ministrorum incensatione (*a*).

(*a*) Quum in hoc primo libro agatur etiam de Celebrante, in functionibus solemnibus thurificationem Altaris a Celebrante peragendam, ne extra locum eam poneremus, hoc capite describendam esse censuimus.

2. Itaque Celebrans confessione recitata et ingressus ad Altare, postquam ipsum in medio osculatus fuerit paullum convertct faciem ad latus Epistolae, et manu sinistra pectori admota, dextera sumet cochleare in extremo manubrio, quod ei ministrabitur a Diacono. Tum de navicula, quam Diaconus pariter praebebit, sumet tribus vicibus incensum et iniiciet in ignem thuribuli, quod ipsi apertum porriget thuriferarius. Dum ponet sive iniiciet thus in ignem, pronunciabit formulam *Ab illo benedicaris, in cuius honore cremaberis. Amen.* Tum reddito cochleari Diacono, Crucis signum dextera efficiet super incensum, quod in ignem immiserit, ponens manum sinistram extensam super Altare dum hanc donat benedictionem *(a)*.

3. Thure benedicto, Celebrans se convertet ad Altare, et a Diacono thuribulum accipiet. Manu sinistra sumet extremitatem catenularum, earumque manubrium inter digitos pollicem et indicem sustinens, applicabit manum extensam ante pectus, neque eam inde movebit toto thurificationis tempore; dextera autem accipiet thuribulum in extremitate catenularum prope cooperculum et catenulas, sustinebit tribus digitis pollice, indice et medio, reliquos duos digitos extensos coniungens.

4. Celebrans profunde inclinabitur ante Crucem, eamque tribus ductibus incensabit nullum faciens verbum, deinde iterabit reverentiam ad Crucem, incensabit Altare ad latus Epistolae, ter ducens thuribulum partem posteriorem versus, ubi erunt candelabra pari intervallo a medio altari usque ad extremitatem cornu Epistolae, illuc quum venerit, inclinans manum incensabit partem posteriorem ducens una tantum vice thuribulum in partem inferiorem atque una etiam in superiorem (*b*).

(*a*) Celebrantem thuri benedicentem debere manum sinistram imponere Altari desumitur ex Rubricis Missalis *Ritus celebrandi Missam* tit. 3. num. 5. « In aliis benedictionibus quum est ad Altare et benedicit oblata, vel aliquid aliud, ponit sinistram super Altare nisi aliter notetur ».

(*b*) Ex verbis rubricae Rit. celeb. Miss. tit. 4. num. 4 « et facta iterum Cruci reverentia, incensat Altare ter ducens thuribulum » atque ex statuto Caeremonialis lib. I. cap, 23. num. 5. « Mox iterum facta Cruci reverentia, incensat Altare ter ducens thuribulum aequali distantia, prout

5. Hoc facto, se convertens ad medium Altare incensabit super mensam eodem latere epistolae usque ad medietatem, ducens ter thuribulum super ipsam (*a*).

6. Quum ad medium Altare venerit, iterabit ad Crucem reverentiam profundam, deinde thurificationem continuabit ad latus Evangelii prouti fecerit a cornu Epistolae.

7. Quum incensaturus erit super mensum in latere Evangelii, non redibit ad medium Altare, sed exequetur stans in augulo Evangelii: mensae thurificatione peracta, inclinabit manum cum thuribulo et frontem Altaris incensabit tribus thuribuli ductibus recta linea, atque eodem tempore ad medium Altare revertetur.

8. Reverentiam profundam iterabit ad Crucem et procedens versus latus Epistolae tribus aliis ductibus incensabit frontem Altaris a cornu Epistolae,

9. Subsistens ad extremitatem suppedanei in cornu Epi-

distribuuntur candelabra « subscribimus opinioni eorum rubricistarum, innixae auctoritatibus supradictis, incensandi videlicet Altare uno ductu simplici. Neque haec opinio carere fundamento videtur, quoniam idem Caeremoniale cap. cit. num. 8. hisce utitur verbis. » Dum autem Episcopus, seu alius Celebrans praedictam Altaris thurificationem facit, advertat ut se in ea graviter et decore gerat . . . dexteram vero manum ac brachium commode ac tractim cum thuribulo movebit, ita ut cum thuribulum ad se retrahit, illud sub brachio leviter et competenti more reducat ». Hic loquendi modus, nempe ut manus et brachium commode ac graviter moveatur, et in retrahendo ad se thuribulum ut ducatur sub brachium concinne, non potest nisi ad simplicem thuribuli ductum referri, qui in praxi facilior, gravior et decorior evadit. Neque putandum est Caeremonialis auctori fuisse in animo praescribere modum thurificationis peculiarem pro Episcopo tantum, siquidem thurificationis ritus peragendus eodem modo est ab Episcopo et a Presbytero. Observantia Caeremonialis non tenet Episcopos tantum sed omnes Ecclesias, ut patet ex Constitutionibus Summorum Pontificum eidem Caeremoniali praefixis. Denique in casu proposito omnem dubitationem removet idem Caeremoniale verbis supra relatis nempe » Episcopus, seu alius Celebrans.

(*a*) Caveat Sacerdos ne in modum circuli super mensam incenset, quemadmodum perperam solent nonnulli; quoniam huiusmodi thurifieandi ratio a rubrica et Caeremoniali praescribitur in thurificandis tantum oblatis.

stolae reddet thuribulum Diacono et iunctis stans manibus incensabitur ab illo tribus thuribuli ductibus (*a*).

10. Deinde se convertet ad Missale et Missam exordietur a lectione introitus.

11. Si super Altare inter candelabra fuerint vascula, seu thecae cum Reliquiis, postquam incensaverit Crucem et profundam reverentiam ad ipsam effecerit, antequam discedat de medio Altari thurificabit illa quae sunt a cornu Evangelii duobus ductibus ad omnia, nulla facta reverentia, neque antea neque postea: iterata deinde reverentia profunda ad Crucem, duobus ductibus incensabit reliqua quae sunt a latere Epistolae; tum nulla alia facta ad Crucem reverentia, continuabit thurificationem Altaris a cornu Epistolae, ut superius dictum est.

12. Si in Altari erit tabernaculum, in quo asservetur SS. Sacramentum, accepto thuribulo, efficiet genuflexionem priusquam incipiat thurificationem èamque efficiet quotiescumque transeundum ei sit in medium Altare, atque hoc casu nullam faciet ad Crucem reverentiam. In peragenda autem genuflexione, Celebrans imponet manum sinistram anteriori Altaris extremitati.

13. Si in medio Altari sit theca seu vas cum Reliquiis expositum, in quo Reliquiae praesertim sint Sancti illius, de quo fit officium, existimant scriptores quidam èsse statim post Crucem incensandum binis thuribuli ductibus. Nihilominus Caeremoniali Episcoporum et Rubricis Missalis nulla fit huius thurificationis mentio (*b*).

14. Quod ad alteram post Offertorium thurificationem attinet, statim ac Celebrans recitaverit orationem *In spiritus hu-*

(*a*) Si adfuerit Episcopus ordinarius sive alius Superior, Celebrans incensabitur duobus ductibus, quemadmodum Episcoporum Caeremoniale praescribit.

(*b*) Relate ad Reliquiariam thecam in medio Altari propositam, donec non prodibit autentica in hanc rem decisio, expediet ut stetur consuetudini cuiusque Ecclesiae. Idipsum dicatur de quibusdam imaginibus insignibus et prodigiosis, quae quum sint detectae, thurificantur post incensatam Crucem.

militatis etc. et Crucis signum super oblata confecerit dicens *et benedic hoc sacrificium* etc. se convertet versus latus Epistolae et accepto a Diacono cochleari, ter incensum in thuribulum immittet, ut supra notavimus, advertens tamen ut recitet orationem *Per intercessionem beati Michaelis Archangeli stantis a dextris Altaris incensi, et omnium Electorum suorum, incensum istud dignetur Dominus benedicere, et in odorem suavitatis accipere. Per Christum Dominum nostrum. Amen.* Et ad verbum *benedicere* cochleari Diacono prius reddito ac posita sinistra manu super Altare, Crucis signum super incensum efficiet et continuabit formulam dicens *et in odorem* etc.

15. Post haec, accepto a Diacono thuribulo, quod sustinebit modo superius declarato, nulla facta ad Crucem reverentia, thurificabit oblata tres Cruces thuribulo efficiens, quod sustinebit aequaliter elevatum, super Hostiam et Calicem simul linea recta ac transversaria eodem modo, quo efficiet in iis manu benedicendis. Ad primam Crucem dicet *Incensum istud,* ad alteram *a Te benedictum*, et ad tertiam *ascendat ad te Domine* (*a*).

16. Post tres cruces efficiet tres circulus in modum coronae circum Hostiam et Calicem. Ut decore et accurate tres istos circulos exsequatur, effectis tribus crucibus, deferet thuribulum in medium Altare Hostiam inter et semeptisum, et inclinabit paullum ita ut circumdet Calicem, sed quin tangat corporale. In efficiendis duobus primis circulis thuribulum ducet a dextera ad sinistram partem, videlicet a latere versus Epistolam ad latus Evangelii, et in tertio circumducet thuribulum a sinistra ad dexteram, nempe a latere versus Evangelium ad latus Epistolae: inter unum et alterum circulum faciet maioris gravitatis caussa quamdam perbrevem moram: ad primum circulum pronunciabit verba *Et descendat super nos*, ad alterum *misericordia*, ad tertium *tua.*

(*a*) Advertat Celebrans in thurificandis oblatis, ne lineam rectam et transversariam ducat instar quatuor punctorum, quemadmodum in praxi quidam perperam facere consueverunt.

17. Crucem deinde et Altare thurificabit, ut dictum est ad Introitum, efficiens primum reverentiam profundam ad Crucem, vel genuflexionem, si asservabitur SS. Sacramentum. Inter incensandam Crucem et Altare et Reliquias, si aderunt, recitabit verba *Dirigatur, Domine* etc. quae dispertietur ita, ut finiat simul cum thurificatione (*a*). Dum thuribulum Diacono reddet, dicet verba, seu orationem *Accendat in nobis Dominus ignem sui amoris et flammam aeternae charitatis. Amen.* Incensabitur deinde a Diacono, lavabit manus et Missam ritu statuto continuabit.

18. In Vesperis et Laudibus solemnibus, in quibus Celebrans erit pluviali paratus, exsequetur thurificationem Altaris quo tempore canetur *Magnificat* vel *Benedictus*, methodo superius demonstrato pro introitu Missae (*b*).

19. Relate autem ad thurificationem chori, Diaconus accepto a Celebrante thuribulo, descendet Altaris gradus et conversus ad Celebrantem incensabit cum tribus thuribuli ductibus, profunda ipsum venerans reverentia ante et post thurificationem. Procedet deinde in medium ante Altare, genuflexionem vel reverentiam ad Crucem efficiet et perget ad thurificandum chorum, subsistens ad principium chori in digniore ipsius parte, et aequa ab iis distantia, quos erit thurificaturus.

20. Si in choro aderunt Praesules, inclinabitur ad unum-

(*a*) Res perlevis videtur verba orationis *Dirigatur* etc. distribuere in singulos thuribuli ductus; quum id neque a rubrica neque a Catremoniali indicetur. Tamen ut regula quaedam statuatur, poterunt sequenti modo dispertiri. In thurificatione Crucis *Dirigatur, Domine, oratio mea*, in incensatione ad latus Epistolae, *sicut incensum in conspectu tuo; elevatio manum mearum sacrificium vespertinum;* ad latus Evangelii, *pone, Domine, custodiam ori meo et ostium circumstantiae labiis meis;* in fronte Altaris, *ut non declinet cor meum in verba malitiae ad excusandas excusationes in peccatis.*

(*b*) In thurificatione Altaris ad Vesperas et Laudes solemnes, solet Celebrans alternatim com suis assistentibus recitare *Magnificat* ad Vesperas, et *Benedictus* ad Laudes. Consuetudo haec nihil prorsus praescribitur a rubrica, sed communiter retinetur, ita ut dici posset id ipsum quod superius num. 13. huius capitis docuimus.

quemque antea et postea, et singulos incensabit binis thuribuli ductibus. Idipsum exsequetur relate ad Canonicos, qui erunt in propria Ecclesia. Quod si nec Praesules aderunt nec Canonici, facta omnibus communi reverentia, uno thuribuli ductu incensabit omnes eos, qui stallis superioribus erunt, et peracta ipsorum thurificatione, iterabit ad eos. reverentiam communem. Deinde perget Diaconus ad alteram chori partem, genuflectens ad Altare quum ante illud transibit, et superiorem chori partem thurificabit eadem ratione, qua ex altera parte demonstratum est. Superiori chori parte thurificata, et facta post thurificationem reverentia, alteram deinde reverentiam efficiet ad chori partem inferiorem in eodem chori latere, et singulos singulis simplicibus thuribuli ductibus incensabit; atque omnibus thurificatis communem versus eosdem iterabit reverentiam. Transibit postea ad alteram chori partem, et thurificabit eos qui erunt in stallis inferioribus, ut supradiximus, advertens ut quotiescumque ante Altare transibit, genuflexionem ad ipsum efficiat. Hoc ipsum perget exequi, si plures subselliorum ordines in choro fuerint.

21. Peracta chori thurificatione, redibit ad Altare, et subsistens ante gradum infimum versus latus Epistolae, se convertet ad Subdiaconum, quem incensabit binis thuribuli ductibus cum reverentia ante et post thurificationem.

22. Subdiacono thurificato et thuribulo thuriferario reddito, Diaconus redibit post Celebrantem super gradum superiorem, ibique facta ad Crucem genuflexione, se convertet versus thuriferarium, a quo duobus thuribuli ductibus incensabitur cum reverentia ante et post thurificationem.

23. Hinc thuriferarius incensabit Caeremoniarium atque acolythos uno ductu simplici, cavens ne suo loco discedat neu genuflectat, quum genuflexionibus non sit locus. Postremo thuriferarius perget ad ostium cancellorum sive ad balaustrium, et genuflexione ad Altare facta, se convertet versus Ecclesiae portam; tum inclinatione facta adstantes versus, thurificabit eosdem tribus ductibus, nempe in medio, ad suam sinistram et dexteram, atque ipsos versus reverentiam iterabit. Conversus ite-

rum ad Altare, genuflexionem ipsum versus renovabit, et ad Sacrarium vel ad abacum revertetur.

24. Ad Vesperas et Laudes solemnes observabitur quod supra dictum est de officio Diaconi. Thurificatio peragetur vel ab aliquo ex pluvialistis, vel a Caeremoniario vel etiam a thuriferario. Vide in hanc rem documenta pro pluvialistis cap. IX. num. 36. et 37. huiusce libri exposita.

25. In Missis pontificalibus solemnibus ab Episcopo ordinario celebratis nihil est immutandum circa ritum pro Altaris et oblatorum thurificatione praescriptum.

26. Post Altaris incensationem ad introitum, Diaconus Episcopum Celebrantem thurificabit.

27. Post offertorium Diaconus thurificabit Episcopum, deinde nulla mora interposita incensabit Presbyterum assistentem, primum Diaconum assistentem et secundum Diaconum assistentem. Perget postea ad chorum et thurificabit Dignitates, Canonicos ex ordine Presbyterum, reliquosque ex Diaconorum et Subdiaconorum ordinibus. Post Canonicos, Magistratum, si aderit, et reversus ad Altare, Subdiaconum incensabit. Thurificato Subdiacono tradet thuribulum Caeremoniario, qui ipsum comitatus fuerit, et ab isto turificabitur. Tum Caeremoniarius continuabit thurificationem chori, nempe Beneficiarios seu Mansionarios, cappellanos de mitra, baculo etc: cappellanos chori, clericos Seminarii, acolythos ceterosque apud abacum clericos ac postremo populum thurificabit. Familiares nobiles Episcopi, quamvis ex ordine sacerdotali essent, non tamen thurificabuntur, propterea quod nullam habent cum choro rationem.

28. In Missis solemnibus, quibus intererit Episcopus cappa vel pluviali indutus, observabitur quod respectivis capitibus docebimus.

29. In Missa solemni celebrata ab Episcopo extraneo Diaconus postquam thurificaverit Episcopum celebrantem, perget ad thurificandum chorum, et reversus ad Altare Presbyterum assistentem et Subdiaconum incensabit, deinde a thuriferario incensabitur ipsemet.

30. Denique illud est notandum, quod sub exitum praefa-

tionis cantatae, finis thurificationis est faciendus, quocumque loco stet adhuc Diaconus, sive alius quispiam, thurificationem peragens.

DE ORDINE TENENDO IN DANDO OSCULO PACIS.

CAPUT. VI.

1. Quod ad modum dandae et recipiendae in choro pacis spectat, in huius libri cap. I. *De Caeremoniis cuicumque sacrae functioni communibus* num. 12. nonnihil innuimus. A quo pacis osculum sit dandum Clero, qui aderit in choro Missae solemnis tempore, hoc capite declarabimus.

2. In Missa solemni Subdiaconus postquam pacis osculum a Diacono acceperit, comitante Caeremoniario, seu thuriferario, genuflexionem efficiet ad Sacramentum et perget ad partem chori honoratiorem et osculum pacis praebebit primo eorum, qui stallis superioribus sunt, cavens tamen ne reverentia eum prosequatur priusquam det illi amplexum, manusque imponat super humeros, dicens interea *Pax tecum*. Dato osculo pacis illi, qui honoratiori loco est, et reverentia eum prosequutus, transibit ad adversam chori partem et pacem praebebit primo quem reperiet in stallis superioribus, ut superius docuimus, advertens tamen ut genuflexionem efficiat quum ante Altare sit transiturus.

3. Dato pacis osculo ei qui primus erit in stallis superioribus, dabit et primo in stallis inferioribus; tum reversus ad chori partem adversam dabit alii primo in stallis inferioribus; ac si chorus pluribus stallorum seu sedilium constabit ordinibus, perget eadem methodo pro reliquis uti.

4. Postquam dederit pacis osculum choro, redibit ante Altare, genuflexionem iterabit et se convertens super suam sinistram, pacem dabit Caeremoniario vel thuriferario, qui eum

prosequutus erit, tum ascendet in suppedaneum ad dexteram Celebrantis, ut suum persequatur officium ad Altare ministrandi.

5. Caeremoniarius, vel thuriferarius, genuflexione facta, perget ad abacum et pacem praebebit acolythis ceterisque etiam clericis, si qui ibi adessent.

6. Iam vero ii, qui primo loco erunt unusquisque subselliorum ordinis, pacis osculum dabunt secundo, secundus tertio, tertius quarto, atque ita deinceps alter alteri usque ad ultimum eiusdem ordinis, licet in principio subselliorum esset unus pluresve Praesules aut Dignitates.

7. Advertet Subdiaconus ut manus supponat brachiis non vero super humeros Praesulum, si qui aderunt. Adverte quod Praesulum nomine existimantur tantummodo Episcopus ordinarius, Cardinalis, Metropolitanus, Legatus seu Nuncius Apostolicus in locis suae Nunciaturae subiectis, minime vero alii Praesules, quocumque demum honorifico titulo potiantur.

8. Relate ad Magistratum laicum, si Missae intererit, cum habito formali et in solito scamno extra praesbyterium, sequens observabitur methodus.

9. Caeremoniarius vel thuriferarius sumet ex abaco pacis instrumentum velo aut panno albo contectum, idque sustinens utraque manu ante pectus, socium se addet Subdiacono. Qui posquam Clero, seu Canonicis pacis osculum dederit, perget cum Caeremoniario vel thuriferario ad scamnum, in quo stabit Magistratus. Instrumentum pacis a Caeremoniario vel thuriferario accipiet; dexteraque acceptum absterget velo, quod erit appensum, et discooperiet. Deinde porriget osculandum singulis illorum, dicens *Pax tecum* dum porriget, et unusquisque ex eis respondet *Et cum spiritu tuo*. Tum rursus instrumento velo contecto, reverentiam ad illos faciet, reddet instrumentum Caeremoniario vel thuriferario, et redibit ad altare ut suum assistendi officium persequatur.

10. In Missis solemnibus pontificalibus ab Episcopo ordinario in sua cathedrali aut dioecesi celebratis, observabitur methodus diversa ab illa quam superius in danda pace praescripsimus.

11. Posteaquam Presbyter assistens recitaverit *Agnus Dei* una cum Episcopo transibit ad dexteram eius et submittet genua super suppedaneum. Recitata ab Episcopo oratione *Domine Iesu Christe, qui dixisti* etc. consurget Presbyter assistens, manibus iunctis Altare simul cum Episcopo deosculabitur, et conversus ab ipso pacem recipiet.

12. Dein genuflexione facta ad Sacramentum, de Altàri descendet et ibit ad chorum, ibique pacis osculum dabit primae Dignitati, primo Canonico e Presbyterorum ordine, primoque ex ordine Diaconorum et primo ex ordine Subdiaconorum. Si Canonici solerent universi pluviale aut planetam induere, quum hoc casu amplius non distinguerentur praebendae, pacem dabit primo in unaquaque chori parte; hoc enim casu nequaquam ordine hierarchico distinctae essent praebendae. Si qui e Canonicis presbyteris ob sedilium angustiam forent in extremitate subsellii seu sedilis destinati pro Canonicis Diaconis aut Subdiaconis, Presbyter assistens pacem dabit etiam Canonico presbytero antiquiori, qui ibi sedebit ad extremum sedile, ordinis praedicti continuandi caussa, tum dabit primo Canonico e Diaconorum ordine et primo ex ordine Subdiaconorum.

13. Si Magistratus intererit habitu locoque proprio ad Missam pontificalem, Presbyter assistens pacem instrumento dabit ipsi, ut superius declaravimus, postquam eam Canonicis paràtis praebuerit.

14. Advertat Presbyter assistens ut genuflectat quum ante Altare transibit.

15. Binis Diaconis assistentibus, et Diacono ac Subdiacono ministrantibus pax dabitur ab Episcopo, ut respectivo capite innuemus.

16. Presbyter assistens postquam pacem dederit Canonicis paratis et Magistratui, si aderit, redibit ante Altare, et genuflexione facta; pacem dabit Caeremoniario; tum vadet ad Missale ut pergat in Missa, quam diximus, pontificali Episcopo assistere (*a*).

(*a*) Ritum dandi pacis osculi in Missis pontificalibus demonstravimus

17. Caeremoniarius autem pacem deferet ceteris qui in choro aderunt, nempe primo Beneficiario seu Mansionario in unamquamque chori partem, primo ex quatuor cappellanis qui Episcopo inserviunt pro baculo etc. Cappellanis chori, clericis Seminarii atque acolythis qui sunt ad abacum. Familiaribus Episcopi nobilibus, licet ecclesiasticis, quia partem chori nullam constituunt, quum in eius famulatu seu comitatu sint, pacis osculum nequaquam datur.

18. In Missis solemnibus, quibus intererit Episcopus ordinarius pluviali paratus, vel cappa indutus, observabitur quod singulis capitibus praescribetur, respectu habito regulis superius traditis de danda Clero in choro pace.

19. In Missis solemnibus ab Episcopo extraneo celebrandis, Presbyter assistens pacem a Celebrante acceptam deferet ad chorum. Reversus ad Altare dabit Diacono, Diaconus Subdiacono, atque hic Caeremoniario vel thuriferario.

20. Notandum ad ultimum est, ut distribuendae pacis finis sit faciendus, quum Celebrans canet *Dominus vobiscum* ante orationem, quae appellatur *Postcommunio* quicumque demum sit vir vel chori, ordo, cui tunc pacis osculum sit praebendum.

DE OFFICIO THURIFERARII

CAPUT VII.

1. De modo ferendi thuribulum, nec non de exsequenda thurificatione documenta iam tradidimus in hoc libro cap. I. *de Caeremoniis quae sunt cuicumque sacrae actioni communes*, num. 14. et seqq. Praesenti autem capite officium thuriferarii

ut gratificaremur clericis, qui quandoque in quibusdam officiis Caeremoniarum Magistri vice fungentur.

perbreviter innuemus, ut in memoriam redigamus actiones, quae ad ipsum pertinent in unaquaque sacrarum functionum.

§. 1. *In Vesperis solemnibus.*

2. Thuriferarius superpelliceo indutus se comitem addet ceteris de Clero, quibuscum in chorum veniet ad locum suum; congruet et cum illis in sedendo, stando et genuflectendo.

3. Sub hymni exitum perget ad abacum vel in sacrarium ad sumendum thuribulum cum navicula, redibit in chorum dum canitur antiphona quae praecedit *Magnificat:* et se sistet apud Altare a cornu Epistolae, nisi thurificandum sit Altare SS. Sacramenti *(a)*.

4. Sin e choro exeundum erit propter thurificationem praedictam, se cum acolythis coniunget in medio choro aut presbyterio.

5. Quum Celebrans ad Altare ascendet, thuriferarius nullam faciens genuflexionem, illuc a latere ascendet a cornu Epistolae, tradet naviculam primo pluvialistae, deinde thuribulum apertum offeret Celebranti.

6. Caveat, donec Celebrans non benedixerit incensum, ne demittat neu thuribulum hac vice claudat tantum, quantum alias solet.

7. Tum claudet thuribulum, quod tradet primo pluvialistae, a quo naviculam recipiet, eamque tenens utraque manu ante pectus, de Altari a latere descendet, ibique morabitur donec durabit thurificatio.

8. Si Altare SS. Sacramenti erit incensandum, efficiet dum discedet genuflexionem ad Altare et reverentiam ad chorum simul cum ceroferariis et procedens ante ipsos gradu quidem gravi, sed minime artificioso, perget ad Altare Sacramenti. Quo quum pervenerit genuflectet atque ibit ad latus Epistolae, ut ascendat et ministret thuribulum.

(a) Thuribulum praeparari poterit in sacrario vel super abaco, praesertim si sacrarium longius absit a choro. Si paratum super abaco fuerit advertatur ut in promptu sit ignis convenienti loco.

9. Thurificatione absoluta, recipiet thuribulum a primo pluvialista, ac si ad chorum ex Altari SS. Sacramenti sit redeundum, se coniunget cum ceroferariis, quibuscum genuflexionem efficiet eodemque ordine ad chorum revertetur.

10. Postquam in chorum ventum erit, abscedet ab acolythis ut cum Celebrante et pluvialistis unam eamdemque efformet lineam, et subsistet versus cornu Epistolae ad dexteram primi acolythi, quo loco efficiet reverentiam ad chorum, deinde genuflexionem ad Altare, quum illuc una cum acolythis pervenerit.

11. Ascendet postea ad Altare, ut superius notavimus, tradet thuribulum, et post Altaris thurificationem recipiet, advertens ut naviculam super abaco relinquat.

12. Prosequetur pluvialistas, et quum Celebrans ad suum locum venerit, ministrabit thuribulum primo pluvialistae qui Celebrantem thurificabit. Si plusquam duo sint pluvialistae, thuribulum a primo receptum tradet alteri qui debebit Cleri thurificationem peragere. Attendat hoc tempore ut stet ad dexteram pluvialistae ipsius, et attolat pluviale eius, ut libere possit inter thurificationem brachium movere.

13. Recepto a pluvialista thuribulo, eum thurificabit primum, dein clericos, postremo populum quo ordine superius capite V. de thurificatione demonstratum est, et functus officio suo, ad deponendum thuribulum cum navicula revertetur.

14. Redibit postremo in chorum et se adiunget Clero, quocum, officio absoluto, de choro discedet.

§. 2. *In Matutino et Laudibus solemnibus.*

15. In matutino solemni simul cum Clero ad chorum incedet loco sibi debito, neque ullo fungetur speciali munere, quod relationem habeat cum ipsius officiis in Matutino.

16. Ad Laudes officium suum exercebit sicut in Vesperis, siquidem nullum intercedit discrimem. Id tantum monemus, quod ad canticum *Benedictus* non solet Altare SS. Sacramenti sive aliud, praeter chori Altare, thurificari.

§. 3. *In Missa solemni.*

17. Sese acolythis adiunget, quibus praeibit manibus iunctis in accessu ad Altare, advertens ut ad Crucem vel ad imaginem principem Sacrarii reverentiam efficiat et ad fores ipsius se aqua benedicta signet.

18. Postquam cum ceroferariis ante Altare venerit, facta genuflexione, perget ad parandum thuribulum, quod in promptu esse debebit, cum ipso naviculam quoque deferens ad latus Epistolae quum Celebrans confessionem erit absoluturus.

19. Celebrante ad Altare ascendente, ascendet a latere thuriferarius, naviculam tradet Diacono, et Celebranti obiiciet thuribulum, quod deinde tradet Diacono et ab ipso recipiet naviculam, quam super abacum locabit. Legile seu cussinum cum Missali amovebit ab Altari thurificationis tempore, postea illuc referet.

20. Recipiet thuribulum posteaquam Diaconus Celebrantem thurificaverit, et referet ad abacum vel ad sacrarium, et redibit in chorum ad locum suum, vel si chorus non erit, apud abacum.

21. Ubi cantata sit Epistola, receptum thuribulum referet ad Altare quo tempore Celebrans leget Evangelium, loco praedicto subsistens.

22. Ad Caeremoniarii nutum ascendet ad Altare, naviculam tradet Diacono, thuribulum obiiciet Celebranti, a quo postquam incensum erit benedictum, recipiet etiam naviculam, quam relinquet super abaco, et thuribulum in caeremonia deferens sese adiunget ceroferariis in medio presbyterio ante Altare.

23. Genuflexionem ad Altare et reverentiam ad chorum efficiet cum Diacono, Subdiacono et Acolythis, et subsistet loco quo canetur Evangelium prope sinistram Diaconi fere eadem linea cum Acolytho priore, qui erit dextrorsum Subdiaconi.

24. Dum Diaconus canet *Initium* vel *Sequentia Sancti Evangelii* occludet thuribulum, appropinquabit ad dexteram Diaconi, eique illud ministrabit.

25. Recepto a Diacono thuribulo, redibit eodem ac antea loco, aperiet paullum thuribulum quod manu dextera sustinebit, neque agitabit interea dum canetur Evangelium.

26. Fine facto canendi Evangelii, rursus claudet thuribulum, et profectis ceroferariis cum Subdiacono tradet thuribulum Diacono, qui Celebrantem incensabit ac thuribulum thuriferario restituet.

27. Hic thuribulo recepto, tardo gradu incedens se sistet in medio presbyterio ante Altare dum a Celebrante intonabitur *Credo,* et ad verbum *Deum* caput inclinabit. Genuflexione deinde facta abscedet inde, ac thuribulum deponet.

28. Tum redibit in chorum ad locum suum, vel prope abacum.

29. Si non cantabitur *Credo,* quin thuribulum ad abacum referat vel ad sacrarium, subsistet ad latus Epistolae prope Altare.

30. Quum canendi *Credo* factus erit finis, redibit ad sacrarium, resumet thuribulum cum navicula, et reversus ad Altare subsistet in latere Epistolae.

31. Quum Subdiaconus de Altari descendet, ipse ascendet cum thuribulo et navicula, quam tradet Diacono, ac thuribulum apertum obiiciet Celebranti. Ubi Celebrans benedixerit incenso, thuriferarius thuribulum occlusum tradet Diacono, a quo recipiet naviculam, descendet ex Altari, naviculam super abaco relinquet, ac si nemo alius aderit, transibit ad alterum Altaris partem et ascendens iterum Altare amovebit cum cussino vel legili Missale ab Altari eodem propter thurificationem peragendam.

32. Praesto erit in plano apud latus Epistolae sub exitum thurificationis seque adiunget Diacono, stans sinistrorsum eius, eumque ad chori thurificationem prosequetur.

33. Postquam Diaconus Sabdiaconum thurificaverit, recipiet ab eo thuribulum, incensabit Diaconum ipsum, deinde Caeremoniarium et clericos, postremo populum et revertetur ad thuribulum deponendum.

34. Redibit ad abacum et pulsabit campanulam ad Trisagium.

35. Tempore *Memento* recipiet thuribulum cum navicula et se sistet apud Altare prope cornu Epistolae fere sub tempus orationis *Hanc igitur* etc. Naviculam praebebit Caeremoniario eique obiiciet thuribulum, in quod ille immittet incensum, ipsumque thuribulum tradet Caeremoniario qui SS. Sacramentum ad elevationem tum Hostiae tum Calicis incensabit, vel incensabitur ab ipso thuriferario. Si non thurificabit, advertat, sicut supra innuimus, ut campanulam ad Elevationem pulset.

36. Post Elevationem thuribulum referet ad abacum vel in sacrarium, et in chorum redibit sive apud abacum, functus omni in Missa solemni suo munere speciali.

37. Poterit autem succedere in Caeremonarii vicem ad comitandum Subdiaconum quum osculum pacis ille in choro ministrabit.

38. Sin autem fiet Communio, manentibus ceroferariis genuflexis cum intorticiis etiam post Elevationem, advertet ut a Subdiacono recipiat velum humerale sub finem *Pater noster*, et post consummationem ad Altare deferat ampullas.

§. 4. *In Missis solemnibus ferialibus.*

39. De rebus pro Missa solemni superius indicatis nil immutandum occurrit. Id in memoriam revocamus, ut, quemadmodum in Missis solemnibus, in quibus fiet Communio, recipiat velum humerale a Subdiacono et post consummationem ampullas ad Altare deferat (*a*).

40. Quod ad genuflectendum attinet ad orationes et post elevationem, sese accomedabit rationi qua chorus utetur.

§. 5. *In Missis cantatis duobus assistentibus Clericis.*

41. Quia in huiusmodi Missis non est locus thuribulo nulla est praescribenda actio thuriferario, qui ex his excluditur.

(*a*) Si alii clerici, non vero acolythi, gestabunt intorticia, thuriferarius acolythorum vice non fungetur, ut hac et praecedenti paragrapho adnotavimus.

§. 6. *In aspersione aquae benedictae in Dominicis.*

42. Thuriferarius sumet in Sacrario vasculum aquae benedictae cum aspersorio, sese addet ceroferariis, reverentiam efficiet cum eis ad Crucem vel ad imaginem praecipuam sacrarii eisque praeibit in accessu ad Altare.

43. Perveniens ad presbyterium, si Clerus in choro aderit, transibit in partem prioris acolythi, ut unam efficiat lineam cum Celebrante, Ministris et Acolythis, cum ipsis reverentiam ad Clerum in choro faciet et perget ad Altare.

44. Quo quum venerit genuflexionem ad ipsum efficiet, accedet ad dexteram Diaconi, genua submittet in gradu infimo, atque immersum aqua benedicta aspersorium Diacono ministrabit.

45. In aspersione autem sequetur Celebrantem et Diaconum ad dexteram huius incedens, ut aquam benedictam ministret, quum opus fuerit.

46. Aspersione peracta, ponet super abacum vel in sacrarium referet vasculum aquae benedictae cum aspersorio, et advertet animum ad actiones quae ei pro Missa solemni fuerunt praescriptae.

§. 7. *In Missa solemni quae ante SS. Sacramentum expositum celebratur.*

47. In accessu ad Altare prima vice efficiet duplicem genuflexionem.

48. Quum ascensurus erit ad Altare ut thuribulum Celebranti praesentet, quumque descenderit post traditum Diacono thuribulum, genuflexionem simplicem exequetur.

49. Ad Trisagium et ad Elevationem campanula minime pulsabitur.

50. De reliquo nil est notandum diversum ab rebus superius praescriptis. Monemus tamen, quod omittuntur reverentiae quae ad Clerum in choro fieri solent.

§. 8. *In Vesperis, Matutino et Laudibus pro defunctis.*

51. In hisce officiis quamvis solemnibus, non est thuriferario locus.

§. 9. *In Missa solemni de requie.*

52. In accessu ad Altare se adiunget ceroferariis, quibus praeibit.

53. Ad Altare quum ventum erit, ante ipsum efficiet genuflexionem una cum acolythis sacrisque Ministris, et recedet ad suum in choro locum: si chorus non erit, sese addet acolythis apud abacum.

54. Ad întroitum et dum canitur Evangelium nequaquam adhibetur incensum.

55. Principio offertorii sumet thuribulum cum navicula, perget ad Altare et in plano laterali ipsius subsistet ad latus Epistolae.

56. Quum Subdiaconus, infusa in Calicem aqua, de Altari descendet, ascendet thuriferarius, qui tradita Diacono navicula obiiciet Celebranti thuribulum apertum. Postquam Celebrans incensum immiserit in thuribulum et benedixerit, thuriferarius ministrabit thuribulum Diacono, a quo naviculam recipiet; tum descendet de Altari, naviculam relinquet super abaco, transibit ad alteram Altaris partem ut amoveat legile seu cussinum cum Missali, ipsumque reponat post turificationem, si nemo alius aderit qui hoc officio fungatur.

57. Redibit ad latus Epistolae, thuribulum a Diacono, postquam hic incensaverit Celebrantem, recipiet, ac referet ad abacum vel ad sacrarium.

58. Ad Trisagium pulsabit campanulam, deinde recipiet thuribulum, quod ad Altare deferet quum Celebrans orationem *Hanc igitur* etc. recitabit.

59. Curabit ut a Caeremoniario sive alio Clerico (nunquam vero a Subdiacono) immittatur incensum, tradet thuribulum

Subdiacono, qui ad elevationem thurificabit SS. Sacramentum, et ipse thuriferarius hoc tempore campanulam pulsabit.

60. Post Elevationem thuribulum refert ad abacum vel in sacrarium; genibus flexis subsistet apud abacum, et post consummationem ampullas referet ad Altare.

61. De reliquo exequetur quod traditum est in Missis solemnibus.

§. 10. *In festo Purificationis B. Mariae Virginis.*

62. Thuriferarius ad Altare procedet cum Clero, vel praecedens ceroferariis, ut in Missis solemnibus monuimus.

63. Orationum initio, quibus Celebrans benedicet candelas, ibit ad abacum vel in sacrarium, parabit thuribulum et praesto erit cum ipso et navicula prope Altare sub exitum quartae orationis.

64. Quinta oratione absoluta, ascendet ad Altare, porriget Diacono naviculam, Celebranti obiiciet thuribulum, in quo ille incensum immittet et benedicet.

65. Dein thuriferarius occludet thuribulum, naviculam a Diacono recipiet et recedet paullum post Diaconum ipsum.

66. Quum autem Diaconus aspersorium reddiderit Clerico, qui vasculum aquae benedictae sustinebit, thuriferarius Diacono ministrabit thuribulum, ab eoque postea recipiet et ad abacum vel in sacrarium restituet.

67. Candelam, quum erit tempus, accipiet, eamque super abaco ponet, quippe eam non potest processionis tempore sustinere manu.

68. Sub finem candelarum distributionis, redibit ad thuribulum cum navicula accipiendum, seque ad latus Epistolae sistet in plano laterali Altaris.

69. Posteaquam Celebrans cecinerit orationem *Exaudi, quaesumus, Domine* etc. thuriferarius ad Altare ascendet cum thuribulo, et Celebrans incensum propter processionem immittet.

70. Sese adiunget ceroferariis et Subdiacono Crucem gestanti, et genuflexione ad Altare facta, praecedet in processione Subdiaconum, thuribulum in caeremonia gestans.

71. Si ante Altare SS. Sacramenti sit transeundum, efficiet genuflexionem.

72. Rediens cum processione ad Altare, genuflexionem ad ipsum faciet, et perget ad abacum vel in sacrarium ad renovandum thuribuli ignem, si forte processionis tempore extinctus esset.

73. In Missa solemni documenta iam tradita sequetur.

§. 11. *In feria IV. Cinerum.*

74. In accessu ad Altare exsequetur quod dictum est de candelarum benedictione.

75. Initio orationum pro benedictione Cinerum praescriptarum, perget ad sumendum thuribulum cum navicula et subsistet in plano laterali Altaris a cornu Epistolae sub finem tertiae vel ad quartae orationis principium.

76. Quarta oratione absoluta, ascendet ad Altare, porriget Diacono naviculam, et thuribulum apertum obiiciet Celebranti, qui benedicens incensum immittet.

77. Post haec recipiet naviculam, recedet paullum prope Diaconum, qui quum reddiderit aspersorium clerico vasculum ferenti, tradet ipsi thuribulum.

78. Recipiet deinde a Diacono thuribulum, quod referet in sacrarium vel ad abacum.

79. Cineres ipse, quum tempus erit, in caput a Celebrante accipiet.

80. In Missa solemni sequetur documenta tradita pro Missis solemnibus ferialibus.

§. 12. *In Dominica Palmarum.*

81. Thuriferarius in accessu ad Altare se geret eadem ratione, qua superius in aliis functionibus.

82. Fiet aspersio aquae benedictae.

83. Idcirco in choro stabit loco suo, vel prope abacum cum acolythis.

84. Postquam Subdiaconus functionis initio lectionem in modum Epistolae cecinerit, thuriferarius sumet thuribulum cum navicula et redibit ad Altare subsistens in plano ipsius laterali ad latus Epistolae.

85. Quum Diaconus attulerit Evangelii textum super Altare et redierit ad dexteram Celebrantis, ascendet thuriferarius ad Altare, et navicula Diacono tradita, thuribulum apertum obiiciet Celebranti, qui incensum benedicens immittet in illud.

86. Tum descendet de Altari, et relicta super abaco navicula, se addet acolythis propter Evangelium canendum, eumdem ac in Missis solemnibus observans ritum, et Celebrante, a Diacono thurificato, revertetur ad abacum vel in sacrarium, ibique thuribulum deponet.

87. Rediens ad Altare stabit prope abacum ut sit ad suum officium paratus.

88. Celebrans interea orationes praescriptas cantabit cum praefatione.

89. Ad quartam orationem post praefationem praedictam redibit ad recipiendum thuribulum cum navicula et subsistet apud Altare loco iam demonstrato.

90. Post quintam orationem ascendet ad Altare, tradet naviculam Diacono et thuribulum obiiciet Celebranti, qui incensum benedicens in illud immittet.

91. Thuribulo occluso receptaque navicula a Diacono, recedet paullum prope ipsum.

92. Quum Diaconus aspersorium reddiderit Clerico, qui hoc fungitur munere, thuriferarius eidem Diacono minstrabit thuribulum, quo postea recepto, ad abacum vel in sacrarium revertetur ad thuribulum cum navicula deponendum.

93. Accipiet loco suo a Celebrante palmam, quam super abaco relinquet, siquidem in processione ferre manu non potest.

94. Sub exitum distributionis recipiet cum navicula thuribulum, et post orationem *Omnipotens sempiterne Deus* etc. ad Altare ascendet, ministrabit naviculam Diacono ac thuribulum apertum obiiciet Celebranti: qui solita facta benedictione iniiciet incensum. Tum recepta navicula, ferens thuribulum in

caeremonia sese in processione adiunget Subdiacono et acolythis.

95. Descendens ab Altari faciet ad ipsum genuflexionem. Si per Ecclesiam incedens transiturus esset ante Altare, in quo asservatur SS. Sacramentum, genuflexionem ibi efficiet.

96. Redeunte processione, subsistet cum Subdiacono et ceroferariis extra fores Ecclesiae, stans ad dexteram primi acolythi quo tempore cantabitur hymnus *Gloria, laus, et honor* etc.

97. Reseratis foribus, primus ante Crucem ingredietur Ecclesiam.

98. Quum venerit ante Altare, genuflexione facta, perget ad renovandum thuribuli ignem, ut in promptu habeat initio Missae, quae statim post processionem cantabitur.

99. In Missa solemni nullum discrimen patiuntur superius descripti ritus: id tantum advertat, ut palmam manu sustineat, dum canitur *Passio*, sicuti Clerus in choro; et sumat thuribulum cum navicula propter ultimam partem *Passio* quae canetur, quum tres illi, qui ipsum *Passio* cecinerint, de Altari decedent.

§. 13. *In matutinis tenebrarum.*

100. In hisce Matutinis nullius rei particeps est thuriferarius, siquidem in ipsis numquam adhibetur thuribulum.

§. 14. *In Feria V. in Coena Domini.*

101. Officium thuriferarii in solemni huius diei Missa nihil est diversum ab aliis Missis solemnibus, in quibus si Subdiaconum comitabitur ad pacem dandam choro, hac die advertet quod pax non datur.

102. Pro processione autem opus est duobus thuriferariis, qui sub finem Missae solemnis profecti e suis in choro locis, tn medio ante Altare efficient simul genuflexionem duplicem ad SS. Sacramentum, et pergent ad abacum vel in sacrarium ad accipienda cum naviculis thuribula.

103. Reversi ad Altare cum thuribulis et naviculis, genuflexionem iterabunt ad SS. Sacramentum aut in medio aut in latere Epistolae, si ab illa parte redibunt ad Altare, consurgent et subsistent in eodem Epistolae latere apud scamnum Celebrantis ita tamen, ut ipsi Celebranti, Ministris atque aliis inservientibus transitum nullatenus impediant.

104. Postquam Celebrans cum Ministris ante Altare genibus flexis paulisper steterit, primus thuriferarius ad ipsum Altare accedet, et quum Celebrans cum Ministris consurrexerit, ministrabit Diacono naviculam et stans obiiciet Celebranti thuribulum apertum, in quod ille sine sueta benedictione incensum iniiciet (*a*).

105. Interim ad Altare accedet alter thuriferarius qui naviculam tradet Caeremoniarum magistro.

106. Incenso in thuribulum a Celebrante immisso, recedet primus thuriferarius, et succedet alter, qui Celebranti thuribulum suum obiiciet atque ille et in hoc thus iniiciet nulla facta benedictione. Tum primus thuriferarius naviculam a Diacono recipiet.

107. Postquam Celebrans rursus cum Ministris genua submiserit, thuriferarius prior suum thuribulum occlusum tradet Caeremoniario: hic ministrabit illud Diacono, Diaconus Celebranti, qui SS. Sacramentum thurificabit.

108. Thuriferarius prior, recepto thuribulo, sese adiunget secundo, simulque incedent in medium ante Altare et genuflexione facta ad SS. Sacramentum, consurgent seque separabunt ac sistent ante Altare eadem fere linea cum angulo graduum, donec de Altari discedet Celebrans, qui SS. Sacramentum gestabit.

109. In processione prior incedet ad dexteram sive a latere Diaconi, manuque sinistra thuribulum sustinebit; alter incedet ad sinistram, sive a latere Subdiaconi, dexteraque gestabit thuribulum. Cavebunt ne tergum directe vertant ad SS. Sacra-

(*a*) Hic monemus etiam in posterum, quod quum SS. Sacramentum expositum in Altari est, thuriferarius debet semper stans obiicere thuribulum quacumque demum dignitate sit Celebrans, idque ob debitam SS. Sacramento reverentiam.

mentum, atque in incessu thuribulum agitabunt leviter. Quatuor vel quinque passus aberunt a Celebrante.

110. Quum ventum erit in sacellum, in quo exponetur SS. Sacramentum, se ante Altare separabunt, prior scilicet versus Epistolae, alter versus Evangelii latus, ibique subsistent.

111. SS. Sacramento super Altari in custodia reposito, antequam haec claudatur, thuriferarius primus ad Celebrantem accedet, qui cum Ministris consurrexerit; naviculam Diacono ministrabit et thuribulum apertum obiiciet Celebranti, qui sine benedictione sueta immittet incensum. Recepta a Diacono navicula, thuribulum tradet Caeremoniario, hic autem Diacono, Diaconus Celebranti, qui SS. Sacramentum thurificabit.

112. Hinc bini thuriferarii pergent ad extremitatem sacelli prope ingressum, et duplici genuflexione facta praeibunt Cruci et ceroferariis, qui ad sacrarium redibunt: thuriferarii nunc manu dextra thuribulum minime agitantes, sustinebunt.

113. Quum in Sacrarium venerint, functi in hac functione officio suo, thuribula deponent.

114. In Altarium denudatione non est thuriferario locus nisi quod sit destinatus aedituo et clericis opitulari in deferendis ad sacrarium rebus ab Altari remotis.

115. Ad *Mandatum* uno tantum opus est thuriferario, qui thuribulo cum navicula sumpto in sacrario, ubi parati erunt Celebrans et Ministri, praeibit acolythis in accessu ad Altare.

116. Quo quum venerit, genuflexionem una cum iis efficiet, et in plano Epistolae lateris subsistet.

117. Postquam Diaconus ad Altare attulerit Evangelii textum, ascendet ad Altare thuriferarius, qui navicula Diacono tradita, obiiciet thuribulum Celebranti, qui incensum cum benedictione iniiciet.

118. Recipiet naviculam, descendet de Altari seque acolythis adiunget.

119. Interea dum canitur Evangelium, observabit quae pro Missa solemni sunt praescripta.

120. Post cantatum Evangelium, Celebrante a Diacono thurificato, recipiet thuribulum, et genuflexione ad Altare facta,

redibit in sacrarium ad deponendum illud, suo munere iam plane functus.

121. Si quod ei commissum erit in Mandato seu pedum lotione supplendum, redibit apud abacum, vel Clero sese adiunget.

§. 15. *In Feria VI. in Parasceve.*

122. Thuris usus in huius diei functione sub finem ipsius praescribetur.

123. Idcirco bini thuriferarii pergent in chorum ad suum stallum, unde non prius discedent, quam quum Crucis adoratio erit absolvenda.

124. Itaque de stallo excedent, et quin abrumpant ordinem illorum, qui Crucem adoratum ibunt, genuflexionem versus Crucem ipsam efficient.

125. Quum in sacrarium venerint, sument thuribulum cum navicula, quumque perventurus erit Clerus ad sacellum, in quo expositum erit SS. Sacramentum, ad ipsum sacellum pergent, genuflexionem duplicem in medio efficient ante Altare, deinde stantes versus Epistolae latus subsistent.

126. Postquam Celebrans paullum oraverit, et aperta fuerit custodia, in qua asservatur SS. Sacramentum, thuriferarii ad Altare accedent.

127. Celebrans et Diaconus consurgent. Thuriferarius primus tradet naviculam Diacono ac thuribulum apertum obiiciet Celebranti, qui thus in illud sine benedictione immittet.

128. Interim alter thuriferarius naviculam suam tradet Caeremoniario.

129. Thure in primum thuribulum immisso, recedet primus thuriferarius et succedet alter, qui pariter obiiciet Celebranti thuribulum, atque hic incensum immittet nulla facta benedictione.

130. Recedet secundus thuriferarius, naviculam suam a Caeremoniario accipiet, ibique seorsim manebit.

131. Tunc accedet ad Altare primus thuriferarius, tradet thuribulum Caeremoniario, hic Diacono et Diaconus Celebranti qui SS. Sacramentum incensabit.

132. Recepto deinde a primo thuriferario thuribulo, utrique simul procedent in medium ante Altare, et genuflexione duplici facta, consurgent ac dividentur, recedentes in latus quisque suum, eadem fere linea cum gradu infimo, expectantes ibi stando tempus cum processione abeundi.

133. In processione autem procedent ante Celebrantem, qui SS. Sacramentum gestabit, modo superius in hesternis functionibus demonstrato.

134. Quum ventum erit ad Altare maius, subsistent ad eius latera, et Sacramento Altari imposito, accedet primus thuriferarius ad Celebrantem, qui consurget cum Diacono, naviculaque Diacono tradita, praesentabit thuribulum Celebranti, qui thus sine benedictione iniiciet.

135. Celebrans genua rursus submittens, accepto a Diacono thuribulo, SS. Sacramentum thurificabit.

136. Thuriferarius, recepto a Caeremoniario thuribulo, sese adiunget alteri, quocum facta in medio ante Altare ad SS. Sacramentum genuflexione, alter thuriferarius redibit in sacrarium ad deponendum thuribulum, quo non amplius opus est; et primus se sistet in plano ante Altare ad latus Epistolae, ubi manebit propter actiones quae sequuntur.

137. Quum Subdiaconus, postquam aquam in Calicem infuderit, de Altari descendet, ascendet thuriferarius, qui priusquam ascendat, advertat ut genuflexionem ad SS. Sacramentum in Altari positum efficiat. Tradet naviculam Diacono, ac thuribulum apertum obiiciet Celebranti, qui thus in ipsum thuribulum sine benedictione immittet. Tradito deinde thuribulo Diacono ab eoque recepta navicula, descendet de Altari, efficiet ut antea genuflexionem, ibique manebit toto thurificationis tempore.

138. Altari thurificato, Celebrans dabit thuribulum Diacono, atque hic thuriferario, qui referet in sacrarium, iam functus officio suo.

139. Tum redibit ad Altare, et locum sibi debitum occupabit cum Clero circum Altare vel in choro disposito.

§. 16. *In Sabbato Sancto.*

140. Post Horas minores recitatas, quum redierit Clerus in sacrarium ut sese adiungat Celebranti et Ministris, thuriferarius sumet naviculam et thuribulum vacuum, id est sine igne seque addet acolythis.

141. Reverentia ad Crucem cum ipsis facta, vel ad imaginem praecipuam sacrarii, ibit cum acolythis ad portam Ecclesiae praecedens Subdiaconum qui Crucem deferet. Primus acolythus qui vasculum aquae benedictae cum aspersorio sustinebit, medius incedet inter thuriferarium cum thuribulo dextrorsum et alterum acolythum sinistrorsum, qui afferet grana thuris.

142. Thuriferarius et acolythus, qui grana thuris afferet, quum venerint ad atrium sive ad fores Ecclesiae, subsistent prope dexteram Celebrantis.

143. Quum Celebrans super grana incensi recitabit orationem *Veniat, quaesumus, Domine* etc. thuriferarius forcipe sumet de foco paullum ignis benedicti eumque ponet in thuribulo.

144. Recitata a Celebrante praedicta oratione, accedet ad eum, et navicula ministrata Diacono, obiiciet eidem Celebranti apertum thuribulum, in quod ille thus immittet cum benedictione.

145. Recedet dein prope Diaconum, quumque hic aspersorium restituerit primo acolytho, tradet ei thuribulum, quo Celebrans ignem benedictum atque incensi grana thurificabit.

146. Recipiet a Diacono thuribulum et manebit prope Celebrantem.

147. Quum Diaconus vestibus sacris albi coloris indutus erit, redibit ad dexteram Celebrantis, et tradens Diacono naviculam, ministrabit thus Celebranti, qui cum benedictione ingeret illud in thuribulum, quod apertum sustinebit thuriferarius.

148. Thure benedicto, thuriferarius recipiet naviculam, et thuribulum in caeremonia deferens, se locabit ante Crucem, et dextrorsum eius ibit secundus acolythus, qui bacinum cum granis incensi gestabit.

149. Quum *Lumen Christi* canetur genuflectet cum ceteris de Clero.

150. Ubi ad Altare venerit, recedet ante infimum gradum versus cornu Evangelii, ut in medio eodem gradu sit Diacono et Subdiacono locus.

151. Postquam Diaconus benedictionem a Celebrante acceperit, ut canat Praeconium, procedet cum eo aliisque Ministris ad legile, in quo aperto a Diacono libro, tradet ei thuribulum, quo librum ipsum thurificabit.

152. Receptum a Diacono thuribulum referet cum debitis genuflexionibus ad abacum vel ad sacrarium et redibit prope Diaconum.

153. Paullo ante quam Diaconus in Praeconio cantet verba *apis mater eduxit*, accendet de tricereo sive arundine gossypium ceratum, quo, cantatis iis verbis, lampades per Ecclesiam accendet.

154. Redibit deinde ad legile, et fine facto canendi Praeconium, recipiet a Subdiacono Crucem hastilem, quam ponet ad latus Evangelii in basi praeparata, vel applicabit muro.

155. Dum canentur prophetiae redibit in chorum ad locum suum, vel stabit cum acolythis apud abacum.

156. In Missa solemni utetur methodo, superius descripta. Hac autem die minime datur pacis osculum. Ubi Celebrans consummaverit Calicem, redibit ipse in sacrarium, vel ad abacum, thuribulum cum navicula resumet, et praesto erit in plano laterali ad cornu Epistolae, quum Celebrans intonabit antiphonam *Vespere autem Sabbati*.

157. Intonata hac antiphona, procedet Celebrans cum Ministris ad medium Altare, quo ascendet thuriferarius, et tradita Diacono navicula, thuribulum obiiciet Celebranti, qui incensum ingeret cum benedictione.

158. Intonato *Magnificat*, porriget Diacono thuribulum, descendet de Altari, relinquet naviculam super abaco, et thurificationis caussa ab Altari amovebit legile seu cussinum cum missali.

159. Sequetur Diaconum in thurificatione chori, thuribulumque a Diacono recipiens, ipsum Diaconum, clericos et populum incensabit, et redibit ad abacum vel in sacrarium ad thuribulum deponendum, adimpleto iam officio suo.

160. Redibit in chorum vel ad abacum, et functione peracta, cum reliquo Clero in sacrarium revertetur.

§. 17. *In Processionibus.*

161. In processionibus maiorum, minorumque Litaniarum non est thuriferario locus. Ad Missam solemnem, quae post processionem cantabitur, idipsum observabitur quod in hanc rem superius descripsimus.

§. 18. *In vigilia Pentecostes.*

162. In hac functione thuriferarii officium a Missa solemni principium sumit, neque ullam habet attributionem in benedictione fontis. Operam tamen suam praestare poterit in aliqua actione, quae a Caeremoniario ipsi indicabitur.

§. 19. *In processione SS. Corporis Christi et in ceteris pro functione orationis XL. horarum et tertiae Dominicae cujusque mensis.*

163. Observentur documenta superius num. 102. et seqq. tradita in functione de Coena Domini. Advertant tamen bini thuriferarii, ut reversa in Ecclesiam processione et SS. Sacramento a Celebrante thurificato, pergant ad deponenda thuribula cum naviculis.

164. Si in processionis itinere aliqua fiet statio, exsequentur quae dicta sunt in Coena Domini ad Sacellum, in quo erit SS. Sacramentum expositum. Si opus fuerit et commoditas, perquam solicite renovabunt thuribuli ignem.

§. 20. *In aliis Processionibus.*

165. Quibus processionibus Reliquiae alicuius Sancti a Celebrante gestantur, thuriferarius in accessu ad Altare, priusquam processionibus initium fiat, cum thuribulo et navicula acolythis praeibit.

166. Genuflexione ad Altare facta, subsistet iuxta latus Epistolae.

167. Ad Caeremoniarii nutum appropinquabit Celebranti, et tradita prius Diacono navicula, obiiciet illi thuribulum ut thus immittat.

168. Recepto thuribulo, Celebranti in processione praeibit, advertens ut manu dextera illud sustineat, leviterque agitet et reponat incensum, quum opus fuerit.

169. In reditu processionis ad Ecclesiam, subsistet iterum versus Epistolae latus, et postquam Celebrans incensum rursus in thuribulum iniecerit et ss. Reliquias thurificaverit, thuriferarius functus iam officio suo, ad deponendum in sacrario thuribulum redibit.

§. 21. *In exsequiis*.

170. Dum cadaver ad Ecclesiam effertur non opus est thuriferario. In Missa solemni sequetur quae superius sunt praescripta.

171. Post Missam thuribulum in promptu habebit, et comitante dextrorsum altero clerico cum vasculo aquae benedictae et aspersorio, praecedet Subdiaconum gestantem Crucem, ante quem procedet ad feretrum sive ad tumulum.

172. Quum Subdiaconus ad feretrum sive ad tumulum pervenerit, thuriferarius cum altero clerico aquam benedictam ferente ex parte opposita, qua transierit cum Subdiacono, redibit contra Crucem ab eodem Subdiacono gestatam, et subsistent utrique ad dexteram Celebrantis, paullo tamen post ipsum.

173. Sub finem ℟. *Libera me Domine*, thuriferarius procedens, data prius navicula Diacono, obiiciet thuribulum Celebranti, qui incensum cum benedictione iniiciet, receptaque a Diacono navicula, subsistet loco quo antea erat.

174. Quum Celebrans cantabit *Pater noster*, clericus ferens vasculum, aspersorium porriget Diacono, idque ab eo recipiet postquam Celebrans cadaver vel tumulum asperserit. Tunc thuriferarius tradet thuribulum Diacono, ab eoque post thurificationem, ut superius docuimus, recipiet.

175. Si aderit cadaver, et efferendum sit ad coemeterium, bini clerici alter cum thuribulo, alter cum vasculo, facta Celebranti reverentia, redibunt iuxta Subdiaconum gestantem Crucem eumque praecedent ad coemeterium, quo quum pervenerint se sistent prope Celebrantem, quum ab ipso sit cadaver, antequam humetur, aspergendum.

176. Si cadaver non sit efferendum ad coemeterium, post aspersionem praedictam, manebunt prope Celebrantem, eo quod post canticum *Benedictus* opus est aqua benedicta pro altera aspersione, deinde redibunt apud Subdiaconum, et absolutione peracta, eum praecedent ad Sacrarium.

177. In absolutione tumuli, absente cadavere, post aspersionem et thurificationem revertentur prope Subdiaconum, et post absolutionem ipsi praeeuntes ad Sacrarium redibunt.

178. Si absolutio fiet super panno extenso ante Altare, peracto Sacro, utrique clerici cum thuribulo et vase aquae benedictae manebunt iuxta Altare in latere Epistolae. Postquam Celebrans posuerit incensum in thuribulum, quam ob rem thuriferarius ascendet ad Altare a latere Epistolae, bini clerici facta in medio ad Crucem genuflexione ad latus Evangelii transibunt. Deinde a latere ascendet ad Altare clericus cum vasculo aquae benedictae et aspersorium Diacono ministrabit. Quum hic receperit aspersorium, ascendet thuriferarius et Diacono tradet thuribulum. Recepto a thuriferario thuribulo, bini praedicti clerici redibunt ante Altare, genuflexionem efficient, referentque hic thuribulum, ille vasculum ad abacum vel in sacrarium.

DE OFFICIO ACOLYTHORUM.

CAPUT VIII.

1. Seligentur a Caeremoniario vel ab alio, ad quem pertinebit, duo acolythi aequali, quatenus fieri potest, corporis habitu, vi-

ribus pollentes, quibusque secus etiam ordo collatus sit, praesertim ubi Clerus erit numerosus,

2. Habebunt superpelliceum supra vestem talarem, et tempore opportuno candelas super Altari functionis caussa accendent iuxta methodum traditam cap. I. num. 9. libri huius.

3. Candelis in Altari accensis, advertant etiam ut alteras accendant in candelabris in sacrario paratas, quae ab ipsis in functione gestanda erunt.

4. Manebunt in sacrario iuxta Altare, vel mensam, supra quam disposita Ministrorum paramenta erunt, et adiuvabunt Ministros in induendis sacris vestimentis.

5. Ad nutum Caeremoniarii, quum omnia pro sacra functione disposita erunt, sument candelabra, et iuncti in medio sacrario, reverentiam efficient ad Crucem vel ad imaginem principem in eodem sacrario positam, et ad Altare procedent, in quo erit functio peragenda.

6. In se convertendo ituri ad Altare, advertant ut super dexteram suam convertantur manentes loco quisque suo.

7. Candelabrum gestabunt perpendiculariter ante pectus: qui horum incedet dextrorsum, feret manu dextera candelabrum prope eiusdem nodum, et sinistra substinebit: qui sinistrorsum, sinistram applicabit nodo, dextera fulciet candelabrum. Si in se convertendo nequirent aliqua caussa locum suum servare, advertant ut manuum positionem ad candelabrum sustinendum immutent.

8. In functionibus eorum statio est ante abacum, ubi stabunt iunctis manibus, vel altera alteri ante pectus superimposita.

9. Nisi qua peculiaris actio erit iis peragenda, poterunt in stallo inferiore chori considere, quemadmodum deinceps fusius declarabimus.

§. 1. *In Vesperis solemnibus*.

10. Adiuvabunt pluvialistas ad sese parandos pluviali.

11. Procedent ad Altare candelabra ferentes, et ante extremitatem gradus infimi illius subsistent.

12. Genuflexionem una cum Celebrante et pluvialistis exsequentur, deponent candelabra in pavimento aut super gradibus in Altaris lateribus: extinguent candelabrorum candelas, (*a*) et petent stallum sibi in choro constitutum, ubi in sedendo, stando ac genuflectendo sese accomodabunt Clero, qui eodem in choro locum suum occupaverit.

13. Sub exitum quinti psalmi redibunt ad Altare, candelasque quas principio extinxerant, iterum accendent.

14. Recipient candelabra, coibunt in medium ante Altare, genuflexionem cum pluvialistis efficient, quibuscum ante Celebrantem procedent.

15. Illuc quum venerint, salutabunt eum, et se sistent ad latera légilis, alter contra alterum.

16. Post cantatum Capitulum atque a Celebrante intonato hymno, coibunt rursum ante Celebrantem ipsum, denuo salutabunt eum, redibunt etiam simul ante Altare cum pluvialistis, ad Crucem genuflexionem efficient, separabuntur, pergent ad deponenda, quo prius erant, candelabra et prope ipsum Altare permanebunt.

17. Sub exitum hymni canendi, resument candelabra, redibunt ante Altare, genuflexionem efficient, procedent ante Celebrantem, eumque salutantes, a legilis lateribus subsistent.

18. Intonata a Celebrante antiphona cantici *Magnificat*, ei reverentiam iterabunt, redibunt ante Altare, efficient iterum genuflexionem, referent candelabra et ponent quo erant antea.

19. Toto thurificationis tempore permanebunt apud Altare.

20. Quod si mos esset incensandi Altaris, in quo asservabitur SS. Sacramentum, acolythi discendentes a Celebrante post intonationem antiphonae ad *Magnificat*, subsistent simul in medio choro.

21. Incepto cantico, dum Celebrans et pluvialistae reverentiam conficient, ipsi genuflexionem ad Altare, deinde reverentiam ad chorum exsequentur; de presbyterio exibunt et ad sacellum SS. Sacramenti procedent.

(*a*) Caerem. Episc. lib. II. cap. 3. n. 2.

22. Quo quum venerint, dirimentur ad latera Altaris, vel si sacellum fuerit angustius, ad latera Altaris extra balaustrium, genuflexionem cum Celebrante efficient, et quin deponant candelabra super pavimento aut super balaustrio, manebunt conversi ad Altare, toto thurificationis praedictae tempore.

23. Thurificatione peracta, iterabunt cum Celebrante et pluvialistis genuflexionem et ad chorum redibunt.

24. Illic cum Celebrante et pluvialistis reverentiam ad Clerum efficient, locantes se ad latera ultimorum pluvialistarum, procedent ante Altare, genuflexionem efficient, deponent candelabra quo erant antea, ibique manebunt quo tempore Altaris et chori thurificatio peragetur.

25. Thurificationem et ipsi accipient.

26. Quum canetur ℣ *Sicut erat*, vel quum repetetur canendo antiphona post *Magnificat*, resument candelabra, coibunt ante Altare, genuflexionem efficient cum pluvialistis, redibunt ante Altare, reverentiam efficient, se sistent ad latera legilis, ibique manebunt interea dum oratio, vel orationes canentur.

27. Post orationem, sive orationes quum Celebrans cecinerit ℣. *Dominus vobiscum*, reverentiam simul ad eum conficient, redibunt in medium ante Altare, genuflexionem ad Crucem efficient, ibique stabunt pedibus usque ad exitum Vesperarum, licet genibus flexis Clerus antiphonam finalem B. Mariae Virginis pro discessu de choro recitaret.

28. Tum facta genuflexione, ad sacrarium revertentur, quo quum venerint, dirimentur ad latera eius Altaris, vel in medio, ut simul cum Celebrante et pluvialistis ad Crucem vel ad imaginem faciant reverentiam.

29. Candelabra, quo loco prius erant, deponent, candelas extinguent, pluvialistas ad deponenda pluvialia adiuvabunt, deinde et Altaris cereos extinguent, si completum fuerit officium, et suo munere functi superpelliceo exuentur.

§. 2. *In Matutino solemni.*

30. Acolythi in accessu ad Altare, sine candelabris, procedent cum Clero ad locum suum et stallum sibi praestitutum

occupabunt, ibique morabuntur sese accommodantes choro usque ad cantum octavi responsorii.

31. Discedentes e loco suo, pergent ad latera Altaris, in quibus super pavimento vel super gradibus parata erunt candelabra gestanda ab ipsis, eaque accendent.

32. Sub finem responsorii praedicti sument candelabra, coibunt ante Altare, ad Crucem peragent genuflexionem, procedent ante Celebrantem, venerabuntur eum, dirimentur et ad latera legilis se sistent alter contra alterum, manentes illic donec Celebrans canet lectionem nonam et intonabit *Te Deum.*

33. Ubi Celebrans praedictum hymnum intonaverit, se adiungent ante eum et venerabuntur; redibunt ante Altare, ad Crucem facient genuflexionem, dirimentur, ac redeuntes ad candelabra deponenda ubi erant, eorum candelas extinguent.

34. Hinc ad stallum suum in chorum redibunt, et ad Laudes quidquid pro Vesperis solemnibus est praescriptum, observabunt.

§. 3. *In Missa solemni.*

35. Acolythi candelas Altaris, et in sacrario candelabra accendent, quae ab ipsis erunt gestanda et adiuvabunt sacros Ministros in induendis sacris vestimentis.

36. Ad Caeremoniarii nutum sument candelabra, venerabuntur Crucem, vel imaginem principem sacrarii, et ad aram maximam procedent.

37. Quum in presbyterium venerint, dirimentur et ad latera se sistent Ministrorum, quibuscum reverentia honorabunt Clerum, si iam in choro aderit. Si Clerus prosequetur acolythos, ubi ante Altare venerint, subsistent in lateribus eius alter contra alterum versa facie, et supervenientibus illuc sacris Ministris se convertent ad Altare, genuflexionem efficient, et pergent ad abacum ad candelabra ibi deponenda.

38. Genua submittent ante abacum tempore confessionis, quumque Celebrans ad Altare ascenderit, stabunt semper ante abacum, praeter tempora quaedam, deinceps innuenda, quibus aliqua actio erit peragenda.

39. Si *Kyrie* cantus protrahetur longius, ideoque si Celebrans cum Ministris dum hujusmodi cantus perficietur consessum ibunt, acolythi priusquam Celebrans cum Ministris ad suum scamnum pergant, praeibunt illuc et se sistent a lateribus, primusque acolythus manebit versus dexteram seu Diaconi partem, alter autem versus partem sinistram. Primus accipiet biretum Celebrantis et Diaconi, alter Subdiaconi. Illuc Celebrans quum venerit, sedebit, primusque acolytus biretum Celebrantis ipsius tradet Caeremoniario vel Diacono, hic autem Celebranti; idem acolytus deinde biretum Diacono ministrabit, alter Subdiacono, advertentes ut elevent partem posteriorem vestium sacrarum Ministrorum, et extendant super dorsualia scampi. Hinc coeuntes ante Celebrantem reverentia eum honorabunt et ad locum suum ante abacum redibunt. Idipsum exsequentur quum Celebrans et Ministri considebunt dum canetur *Gloria in excelsis*, Graduale seu Tractus, vel Sequentia et *Credo*.

40. Sub finem orationis sive orationum ante Epistolam, alter ex ipsis tradet Epistolarum librum Subdiacono et recipiet ab eo post Epistolam cantatam, nisi forte hoc a Caeremoniario peragetur.

41. In eodem casu, alter ipsorum ministrabit Diacono Evangelii textum.

42. Ad Evangelium canendum, regulis iam traditis, afferent candelabra, quae sument de abaco dum Celebrans thus iniiciet in thuribulum. Pergent ante Altare, ibique non genu flectentes subsistent. Genuflexionem autem cum Diacono et Subdiacono efficient et salutabunt chorum, prius latus Epistolae versus, postea Evangelii; petent locum solitum et a lateribus Subdiaconi se sistent.

43. Si dum canitur Evangelium genuflexio fiet a Diacono et reliquis de choro, acolythi positionem suam servabunt. Fine facto Evangelii canendi et Subdiacono cum libro abeunte, redibunt ad medium Altare, ibique genuflexionem exsequentes, non vero reverentiam ad chorum, redibunt ad abacum ubi candelabra reponent.

44. Alter ex iis recipiet a Subdiacono librum Evangelio-

rum, nisi quis erit hoc fungens officio, et super abacum reponet.

45. Ad symbolum ibunt ad scamnum Celebrantis et Ministrorum, ut superius dictum est, ibique manebunt donec redierit sessum Diaconus post allatam ad Altare bursam cum corporali, cantato iam ℣. *Et incarnatus est.*

46. Quum hic versiculus canetur geniculabunt loco quo erunt.

47. *Oremus* ante offertorium a Celebrante cantato, acolythus alter velum humerale de abaco sumet, explicabit, imponet Subdiaconi humeris, eique ante pectus alligabit. Acolythus primus accipiet ampullas cum pelvicula et manutergio, si opus fuerit, et deferet ad Altare, sequens Subdiaconum ferentem Calicem (*a*).

48. Primus acolythus deinde ampullas ad abacum referet.

49. Post thurificationem vas, seu ampullam cum pelvicula pro manuum ablutione Celebranti afferent, videlicet acolythus primus manutergium sive sudariolum, alter ampullam aquae cum pelvicula ministrabit.

50. Incensationem suo tempore a thuriferario accipient.

51. Postquam *Gratias agamus* cantatum fuerit, pergent ad intorticia in sacrario sumenda pro elevatione, vel ad abacum, si sacrarium longe abesset a presbyterio, eaque sustinebunt usque post elevationem. Ipsorum alter accipiet et campanulam, quam ad Trisagium et elevationem pulsabit, nisi quis alius erit qui munus id praestet. Ubi in medium presbyterium cum intorticiis venerint genuflexionem ad Altare, reverentiam ad chorum et reverentiam ad invicem efficient, ac dirimentes se geniculabunt. Post elevationem genuflexionem ad Altare tantum exsequentur.

52. Post elevationem, extinctis funalibus, manebunt stantes apud abacum et pacis osculum accipient.

53. Quum Celebrans fragmenta colliget, prior eorum sumet ampullas cum pelvicula, deferet ad Altare, ac si opus fuerit

(*a*) Notetur quod acolythus afferens ampullas, Subdiaconum ferentem Calicem ad Altare, non praecedere sed subsequi debet.

ministrabit Subdiacono, advertens ut priusquam ad Altare ascendat, genuflexionem ad SS. Sacramentum efficiat.

54. Si Cleri Communio fiet substinebunt tobaleam ante communicandos, ut suo loco dicemus.

55. Acolythus alter post sumptionem Calicis afferet ad Altare velum ad Calicem ipsum tegendum, idque ponet versus Evangelii cornu (*a*).

56. Ad benedictionem Celebrantis geniculabunt loco suo, deinde nisi alia erit functio, recipient de abaco candelabra redituri ad sacrarium, ubi eadem quae superius notata sunt pro Vesperis solemnibus, exsequentur.

§. 4. *In Missis solemnibus ferialibus.*

57. Acolythi observabunt omnia eadem quae pro Missis solemnibus docuimus, additis tamen sequentibus animadversionibus.

58. Ad orationes quae canentur ante Epistolam et post Communionem, genuflexi manebunt. Sub finem penultimae orationis ante Epistolam, secundus acolythus assurget, accedet ad Subdiaconum, exuet eum planeta plicata, quam reponet super abacum. Primus acolythus Epistolarium tempore suo porriget Subdiacono, nisi id exsequatur Caeremoniarius.

59. Postea quam Subdiaconus deosculatus erit manum Celebrantis, et Epistolarium reddiderit Caeremoniario, vel primo acolytho, alter ei planetam plicatam iterum imponet.

60. Priusquam Caeremoniarius vel primus acolythus tradat Diacono Evangeliorum librum, alter in promptu habebit stolam latiorem, qua induet Diaconum. Hic accedet ad abacum, et acolythus primus exuet eum planeta, quam super abacum deponet, et acolythus alter imponet ei super humerum sinistrum stolam latiorem, quam dextero eius lateri firmabit. Hinc primus acolythus Evangeliorum librum illi ministrabit.

(*a*) Monendum heic est, quod in quibusdam Ecclesiis irregulariter e manibus Subdiaconi Calix ab acolytho accipitur, ut in abaco reponatur.

61. Sustinebunt deinde funalia uterque suum usque ad totam Calicis sumptionem, et genuflexione ad Altare peracta, reverentiam quoque efficient ad chorum.

62. Si inter Missarum solemnia canetur ℣. *Adiuva nos* etc. genibus flexis manebunt ante abacum cum omnibus ceteris de choro: tum consurgent et sument candelabra propter Evangelium canendum, postquam factus erit praedicti versiculi canendi finis.

§. 5. *In Missa cantata duobus assistentibus clericis.*

63. Quum in hac Missa non sit ceroferariis locus, omittimus documenta ad ipsam relativa, alioque trademus deinceps loco.

§. 6. *In aspersione aquae benedictae in Dominicis.*

64. Acolythi, positis super abacum candelabris, ante ipsum geniculabunt, atque in genuflectendo congruent cum Celebrante et Ministris.

65. Post aspersionem autem advertant ut manipulos Ministris induant, quum hi pervenerint simul cum Celebrante prope scamnum ad latus Epistolae.

§. 7. *In Missa solemni quae celebratur ante SS. Sacramentum in Altari expositum.*

66. In accessu ad Altare, acolythi genuflexionem duplicem efficient, et facie ad Altare versa consistent, si Clerus in chorum ingressurus eos prosequatur.

67. Qui acolythus feret ampullas aquae et vini, antequam ascendat ad Altare, genuflexionem simplicem efficiet, eamdemque iterabit quum de Altari descendens debebit eas ad abacum referre. Idipsum faciet quum illas referet pro purificatione et ablutione Celebrantis, quumque ad Altare afferet Calicis velum.

68. Ad Trisagium et elevationem nullus sonus campanulae fiet.

69. De reliquo observabitur quod pro Missa solemni praescriptum est, praeter reverentias, quae omittentur.

70. Descendentes ab Altari, si expositum manebit adhuc SS. Sacramentum, genuflexione duplici utentur.

§. 8. *In Vesperis, Matutino et Laudibus pro defunctis.*

71. Haec officia sine acolythorum ministerio celebrantur.

§. 9. *In Missa solemni de requie.*

72. Induent Ministros, ut in aliis Missis solemnibus: sument candelabra accensis candelis (*a*) et procedent ad Altare ordine solito, quo quum venerint, genuflexionem una cum Ministris efficient, deponent candelabra super abacum et ad confessionem geniculabunt.

73. Ad orationem, quae cantabitur, genibus flexis manebunt, quemadmodum solet Clerus in choro.

74. Si candelarum distributio fiet, atque ad hoc officium delegati sint acolythi ad mediam fere sequentiam cantatam, sument ex abaco candelas, venient ante Altare, genuflectent; tum salutabunt Celebrantem et chorum, dirimentur, et candelas a latere uterque suo distribuet a digniori initium sumendo. Inde ad abacum remeabunt, genuflexionem exsequentes et reverentias superius notatas. Quum candelae erint accendendae, parvam uterque candelam accipient, eaque accensa, peragent quod in distributione praescripsimus, et chorum petentes, candelas quas distribuerint, accendent, advertentes ut id exsequantur priusquam sequentiae cantandae factus sit finis, ut parati sint quum Evangelium canetur.

(*a*) Etsi in quibusdam Ecclesiis mos sit apparandi in abaco candelabra pro acolythis, sequuti tamen sumus Missalis rubricas, ubi illa dispositio nen extat, atque usum Ecclesiarum Urbis, in quibus officia regulariter exsequuntur.

75. Dum cantabitur Evangelium stabunt a lateribus Subdiaconi, manibus iunctis sine candelabris.

76. Post oblatorum thurificationem et Altaris, primus acolythus tradet manutergium Diacono, alter autem ampullam aquae cum pelvicula ministrabit Subdiacono, qui Ministri ablutionem porrigent Celebranti. Recipient a Ministris instrumenta lotionis, quae super abacum reponent.

77. Interim candelas in choro, si hoc officio fungi debeant, accendent, ut superius descriptum est.

78. Sustinebunt funalia a Trisagio usque ad sumptionem Calicis peractam. Advertent etiam ut Cleri candelas pro absolutione accendant, idque peragent sub finem Missae.

79. De eorumdem in absolutione officio sequentibus huius capitis paragraphis agendum erit.

§. 10. *In Missis cantatis de requie duobus assistentibus clericis.*

80. Inspiciatur in hanc rem quod num. 63. huius capitis declaratum est.

§. 11. *In festo Purificationis B. Mariae Virginis.*

81. Acolythi induent sacros Ministros, ut in Missis solemnibus.

82. Sument candelabra candelis accensis et procedent ad Altare.

83. Genuflexione cum Ministris ante Altare peracta, pergent ad abacum ad candelabra deponenda, ibique stabunt toto benedictionis candelarum tempore. Si Clerus in choro aderit, exsequentur quod dictum est pro Missa solemni.

84. Quum Celebrans candelam benedictam acceperit a digniore Cleri, acolythi, nisi qui alii clerici ad hoc officium delegati fuerint, sument candelas choro distribuendas atque Sacristae tradent: quod ipsum exsequentur in candelis populo distribuendis.

85. Candelam benedictam genuflexi a Celebrante suo tem-

pore accipient, priusque candelam, deinde manum Celebrantis osculabuntur. Deponent super abacum candelam acceptam, siquidem eam in functione non accendent.

86. Sub distributionis finem in promptu habebunt pelvim cum urceo et manutergio, ut ablutionem Celebranti, peracta distributione, ministrent.

87. Candelabra, quum erit tempus, sument et sese addent Subdiacono Crucem in processione gestanti. Hanc moderabitur Caeremoniarius intus vel etiam foris Ecclesiam. Acolythi ab Altari discedentes genuflexionem efficient, quam iterabunt in processione redeuntes, nec non si ante Altare SS. Sacramenti sit transeundum.

88. Reversi ad Altare, candelabra super abacum deponent, tum Ministros adiuvabunt in dimittendis paramentis violaceis et aliis albi coloris induendis.

89. In Missa solemni nihil est immutandum, ac si acolythi deberent in choro accendere Cleri candelas, facient ante Evangelium et praefationem canendam.

90. Si festum hoc in dominicam inciderit secundae classis, canetur Missa de Dominica, atque hoc casu sacri Ministri deponent planetas plicatas violaceas atque induent sibi dalmaticam et tunicellam coloris itidem violacei cum manipulo eiusdem coloris, neque accendentur a Clero in Missa candelae.

§. 12. *In Feria IV. Cinerum.*

91. Acolythi in sacrario Diaconum et Subdiaconum in induendis sacris vestimentis adiuvabunt.

92. Tum candelabra accipient et procedent ad Altare, quo quum venerint genuflexionem una cum Ministris ad Crucem efficient, animadvertentes quod in functione anteacta notavimus, si Clerus in choro adesset; candelabra super abacum ibunt depositum et prope ipsum manebunt toto benedictionis cinerum tempore.

93. Genuflexi cinerem a Celebrante suo tempore accipient.

94. Sub distributionis finem alter eorum in promptu habebit

urceum cum pelvi, alter manutergium cum medulla panis in pelvicula pro ablutione manuum Celebrantis, cui ipsi ministrabunt.

95. Post benedictionem cinerum et distributionem, quum Celebrans deponet pluviale et induet planetam cum manipulo, acolythi sacros Ministros manipulis exornabunt.

96. In Missa solemni feriali observabitur quod superius notatum est.

§. 13. *In Dominica Palmarum.*

97. Acolythi vestient Ministros indumentis sacris, ut in aliis Missis solemnibus.

98. Sument candelabra, pergent ad Altare, et facta ad Crucem cum sacris Ministris, genuflexione et ad chorum reverentia, si Clerus aderit, secedent ad abacum, ubi candelabra deponent.

99. Ibi consistent ante abacum propter aspersionem aquae benedictae.

100. Aspersione peracta, sumant de abaco manipulos Ministrorum, eorumque aptent brachio sinistro.

101. Ante abacum manebunt dum canetur ℣. *Hosanna Filio David* etc. et ad orationem, sub cuius exitum acolythus alter accedet ad Subdiaconum eumque exuet planeta plicata. Acolythus prior tradet Epistolarium Subdiacono, nisi a Caeremoniario id fiat. Post cantatam lectionem Subdiaconus osculabitur manum Celebrantis, deinde ab altero acolythorum induetur planeta plicata.

102. Hoc facto, Diaconus descendet prope abacum, planetam plicatam, adiuvantibus acolythis, deponet atque induetur stola latiore. Absente Caeremoniario, acolythus primus Evangeliorum librum illi tradet.

103. Evangelio cantato, Diaconus deponet ad abacum stolam latiorem et resumet planetam plicatam: hoc autem tempore advertant acolythi ut sacros Ministros manipulis exuant.

104. Ad Evangelium quod canetur afferent candelabra eodem ritu quo superius in Missa solemni.

105. Ad orationes quae a Celebrante canentur pro palmarum benedictione stabunt ante abacum.

106. Dum Celebrans a digniore Cleri palmam accipiet, acolythi, nisi adsint alii clerici ad officium hoc delegati, sument palmas, accedent ad Altare et tradent Sacristae, qui Diacono ministrabit.

107. Accipient suo tempore palmam genuflexi osculantes palmam et manum Celebrantis, palmasque quas acceperint, super abacum deponent.

108. Ipsorum alter advertet etiam ut palmam alliget summitati Crucis processionalis.

109. Praesto erunt cum urceo, pelvi et manutergio ad ablutionem manuum Celebrantis, postquam is adimpleverit distributionem.

110. Interea dum Celebrans incensum pro processione in thuribulum immittet, sument candelabra seque addent Subdiacono Crucem gestanti ac tum in discessu tum in reditu ad Altare et si ante Altare SS. Sacramenti transibunt, genuflexionem efficient.

111. Processionem Caeremoniarius moderabitur extra Ecclesiam. Redeuntes ad ipsam in limine portae subsistent facie versa ad portam, quae erit occlusa.

112. In reditu ad Altare deponent candelabra super abacum, deinde meminerint induere Ministris manipulos propter Missam.

113. In Missa solemni eadem quae superius documenta sunt; acolythi dum canetur *Passio* stabunt iuxta abacum, palmam, ut Clerus universus, manu sustinentes.

114. Ubi canendi *Passio* factus sit finis, deponent palmas in abaco, Diaconum adiuvabunt in deponenda planeta plicata et sumenda stola latiore. Ad postremam *Passio* partem, quam canet Diaconus, assistent acolythi, veluti ad Evangelium, sed iunctis manibus, siquidem candelabra non gestabunt.

§. 14. *In Matutinis tenebrarum.*

115. In huius tridui Matutino acolythus delegatus officio fungetur extinguendi quum tempus erit candelabri triangularis et Altaris candelas. Trianguli candelae extinguuntur singulae in fine cuiusque psalmi initium sumendo ab illa quae sita est in extremitate versus cornu Evangelii, tum in fine alterius psalmi extinguetur altera in extremitate trianguli versus Epistolae latus, et reliquae eodem deinceps ordine.

116. Ad canticum *Benedictus* Altaris extinguet candelas in fine uniuscuiusque versus ordine eodem, incipiens ad finem versiculi *Ut sine timore* etc.

117. Dum antiphona post *Benedictus* canendo repetetur, candelam adhuc accensam in summitate candelabri, accipiet et ad Altare delatam sustinebit rectam super latus Epistolae.

118. Antiphona cantata, abdet retro Altare vel in laterna apposita, ac foris emittet quum post orationem *Respice quaesumus Domine* etc. paullum fragoris fiet.

§. 15. *Feria V. in Coena Domini.*

119. In Missa solemni standum est ritibus pro aliis Missis solemnibus praescriptis. Si ad hymnum *Gloria in excelsis* consuetudo sit pulsandi campanulas, hoc fiet paulisper, idest donec eundem erit ad scamnum, bireta praebendi causa Ministris.

120. Consistent ante Altare cum funalibus accensis usque dum peracta sit Communio, nec reverentiam ad Clerum facient, quoniam in Altari expositum erit SS. Sacramentum.

121. Peracto Sacro, Ministros manipulis exuent, tum candelabra sument et sese addent Subdiacono Crucem gestanti.

122. Antequam excedant de presbyterio propter processionem, genuflexione duplici adorabunt SS. Sacramentum et procedent ad sacellum, in quo exponendum erit SS. Sacramentum. Si euntibus ad sacellum praedictum tsanseundum esset ante Altare, in cuius tabernaculo asservaretur Sacra Eucharistia, nequaquam genuflectent.

123. Quum venerint ad sacellum, quod innuimus nulla facta genuflexione, una cum Subdiacono subsistent a latere quod iis monstrabitur, semper stantes ac tergo ad eum parietem verso, prope quem erunt.

124. Postquam clausa erit custodia, in qua expositum manebit SS. Sacramentum, redibunt cum Subdiacono in medium sacellum prope ingressum, genuflexionem duplicem ad SS. Sacramentum iterabunt, et procedent ad sacrarium, ubi reverentia cum Celebrante et Ministris ad Crucem vel ad imaginem principalem effecta, candelabra deponent, extinguent candelas et adiuvabunt Diaconum in demittenda dalmatica et stola alba atque in sumenda stola diaconali violacea, Subdiaconum autem in tunicella deponenda.

125. Dum Vesperae in choro recitabuntur, si opus fuerit, revertent ad aram maximam ut de abaco amoveant res, quae ad Sacrum peragendum necesse fuerunt, et tobaleam tantum relinquant.

126. Quum Vesperae fuerint ex toto recitatae, acolythi facta reverentia ad Crucem vel ad imaginem sacrarii, manibus iunctis sacros Ministros ad Altare praecedent, et ad ingressum presbyterii dirimentur et ad latera Ministrorum eorumdem consistent: reverentiam ad Clerum qui in choro aderit, efficient et procedent ante Altare genuflexionem ad Crucem cum Ministris exsequentes.

127. Dum Celebrans cum Ministris ad Altare ascendet, attendant quo tempore Celebrans ipse elevabit tobaleas ut pallium Altaris ac tapete removeant ed tradant clericis sacrario inservientibus, qui in sacrarium ipsum referent; pari modo exuent abacum tobalea.

128. Eadem methodo utentur ad reliqua altaria in quibus nisi erit pallium et tapetum, Celebrantem et Ministros adiuvabunt in Altarium denudatione.

129. Transeuntes ante Altare in quo sit SS. Sacramentum expositum genuflexionem duplicem cum Celebrante et Ministris exsequentur.

130. Post altarium denudationem redibunt ad Aram maxi-

mam reverentiis supra expositis, et absoluta recitatione psalmi antiphonaeque repetitione, facta ad Altare genuflexione revertentur in sacrarium, ubi venerati Crucem vel imaginem praecipuam, sacros Ministros exuent paramentis.

131. Ad *Mandatum* quod attinet, in loco Ecclesiae contiguo perficiendum, acolythi candelas in suis candelabris accendent nec non alias Altaris erecti in aula, in qua Mandatum peragetur, nisi eas accendendi munus aliis detur.

132. In sacrario vel cubiculo in quo Celebrans se parabit cum Ministris, adiuvabunt Ministros in induendis paramentis albis, et manipulum etiam eorum sinistro brachio aptabunt.

133. Candelabris deinde sumptis ac solita reverentia praemissa pergent ad aulam et ante Altare se disiungent genuflexionem ante Crucem cum Ministris facturi.

134. Hoc facto, sustinentes adhuc candelabra, coibunt iterum ante Altare propter Evangelium, quod solito ritu a Diacono cantabitur.

135. Fine facto canendi Evangelium, candelabra super abacum deponent, attendentes ut manipulos detrahant Ministris, quum illuc cum Celebrante venerint.

136. Si nulli clerici ad hoc sint designati, supplere poterunt in afferendo aquam calidam et manutergia ad pedes pauperum abstergendos.

137. Peracto Mandato, ministrabunt ablutionem manuum Celebranti, alter sustinens urceum cum bacino, alter pelviculam cum medulla panis et manutergium.

138. Post preces orationemque candelabra resument, venient ante Altare cum Celebrante et Ministris, quibuscum genuflexionem ad Crucem efficient, et ad sacrarium vel cubiculum, quod huic rei gerendae assignatum fuerit, revertentur. Ibi post usitatam reverentiam deponent candelabra et sacris indumentis exuent Ministros.

§. 16. *Feria VI. in Parasceve.*

139. Acolythi primum induent Ministros paramentis sacris, deinde facta inclinatione ad Crucem vel imaginem principem sacrarii procedent ad Altare manibus iunctis, candelabra enim extinctis candelis locata erunt super abaco. Notandum vero quod hac die omittuntur ad Clerum in choro reverentiae.

140. Ad Altare quum venerint genuflexionem facient ad Crucem, geniculabunt et a lateribus Ministrorum manebunt.

141. Quum próstrati erint Celebrans et Ministri, consurgent; prior de abaco sumet Altaris tobaleam et simul cum altero ascendet a latere ad Altare, super cuius mensam tobaleam explicabunt: deinde descendent et geniculabunt iterum a lateribus Ministrorum.

142. Assurgente cum Ministris Celebrante, amovebunt pulvinos Ministris ad hanc rem apparatos, deponent seorsim et ante abacum sistent.

143. Eorum alter librum tradet cantori primae lectionis, nisi id exsequetur Caeremoniarius.

144. Genu ad Altare flectent ad versiculum *Flectamus genua*, quem canet Diaconus ante orationem primam. Sub orationis finem secundus acolythus Subdiacono detrahet planetam plicatam, quam ponet super abacum, et primus Epistolarium eidem Ministro in manus tradet, nisi id fiat a Caeremoniario, ut superius innuimus.

145. Post lectionem a Subdiacono cantatam recipient librum iterumque imponent Subdiacono planetam plicatam.

146. Dum canetur *Passio* manebut prope abacum, quo absoluto, planetam plicatam Diacono detrahent et stolam latiorem imponent, alter autem ex iis Diacono tradet Evangelii textum.

147. Assistent manibus iunctis ad postremam partem *Passionis* quae a Diacono cantabitur ritu pro Evangelio iam praescripto.

148. Ad orationes genu flectent versus Altare quum Diaconus canet *Flectamus genua* et consurgent Subdiacono canente *Levate*.

149. Quum oratio *pro haereticis* canetur, sument tapete apparatum, in quo Crux deponetur idque extendent secundum presbyterium, extremitatem tapetis locantes in medio gradu infimo Altaris: tum super eumdem gradum ponent pulvillum violaceum cum velo albo.

150. Post orationes acolythus alter detrahet Subdiacono planetam plicatam et super abacum deponet: primus autem sumet Missale de Altari, idque apertum ante Celebrantem sustinebit quum canet *Ecce lignum Crucis,* attendatque ut illum claudat, et genua submittat dum canentur verba *Venite adoremus.*

151. Quum Celebrans Crucem super pulvinum posuerit, consurgent et primus eorum reponet Missale super cussinum seu legile in Altari, vel in abaco.

152. Manipulos deinde Ministris propter adorationem detrahent, quumque eam peregerint rursus manipulos iis imponent, Subdiacono autem etiam planetam plicatam.

153. Post Crucis adorationem quum Celebrans et Ministri in scamno consederint, acolythus primus recipiet Missale et apertum sustinebit ante Celebrantem, qui leget improperia cum Ministris, postea Missale reponet super Altare in legili seu cussino.

154. Crucem et ipsi adoratum ibunt atque attendent ut detegant Crucem processionalem, postquam discooperta erit Crux Altaris.

155. Acolythus alter sub finem adorationis accendet Altaris et binas abaci candelas.

156. Quum Diaconus Crucem super Altare reposuerit, peracta adoratione, amovebunt cussinum et tapete quibus opus fuit ad adorationem, et seorsim illa reponent.

157. Sument ex abaco candelabra accensis candelis, se addent Subdiacono Crucem processionalem gestanti, et in medium quum venerint ante altare, ad eius Crucem flectent genu.

158. Procedent ad Sacellum, in quo erit SS. Sacramentum expositum usque a praecedenti die; ibi genuflexionem duplicem exsequuti, secedent cum Subdiacono prope ingressum quo loco ipsis monstrabitur, consistentes humeris versis ad parietem, iuxta quem erunt.

159. Quum Celebrans SS. Sacramentum manibus sumpserit, redibunt cum Subdiacono in medium prope ingressum sacelli, genuflexionem efficient duplicem et cum processione ad Altare maximum revertentur.

160. Illuc quum ventum erit, nullam ad Crucem facient genuflexionem, quoniam in processione comitantur SS. Sacramentum, sed recedentes a Subdiacono, repositis super abacum candelabris, ibi geniculabunt.

161. Postquam Celebrans thurificaverit SS. Sacramentum, et cum Ministris ad Altare ascendet, unus ex acolythis assurgens sumet ampullas vini et aquae cum pelvicula, easque ad Altare afferet, ut in Missis solemnibus, advertens ut genu submittat antequam ad Altare ascendat. Vino et aqua in Calicem infusis, idem acolythus ampullas ab Altari amovebit, descendet de gradibus, genuflexionem ad SS. Sacramentum iterabit, ampullas referet super abacum et illuc reversus geniculabit.

162. Sub finem thurificationis Altaris, consurgent et manutergium sive sudariolum in promptu habebunt cum ampulla aquae et pelvicula, ut ea tradant Ministris, qui lotionem Celebranti porrigent, videlicet ampullam cum pelvicula Subdiacono et manutergium Diacono. Postquam Celebrans laverit et absterserit manus, recepta ablutionis instrumenta super abacum reponent.

163. Quum Celebrans SS. Sacramentum consumpserit, acolythus primus ad Altare afferet ampullas vini et aquae cum pelvicula, alter feret velum nigrum ad tegendum calicem, ut in Missis solemnibus. Detrahent deinde stolam latiorem Diacono atque imponent ei planetam plicatam.

164. Dum Celebrans dicet orationem *Quod ore sumpsimus* etc. ibunt simul iunctis manibus ante Altare sine candelabris, et facta genuflexione ad Crucem cum Ministris et Celebrante, redibunt in sacrariun Ministris praeeuntes.

165. Sacrarium ingressi reverentiam ad Crucem vel ad imaginem principalem efficient, exuent Ministros paramentis sacris et nisi aderunt alii clerici, revertentur ad Altare, unde tobaleam amovebunt, denudabunt abacum, resque omnes quae ibi erunt, referent in sacrarium. Candelae autem Altaris post Vesperas recitatas extinguentur.

§. 17. *In sabbato sancto.*

166. Acolythi adiuvabunt Ministros in sacrario ad induenda sacra paramenta.

167. Reverso in sacristiam Clero post recitatas Horas minores, primus sumet vasculum aquae benedictae cum aspergillo, alter autem pelvim in qua erunt grana quinque thuris Cereo infigenda.

168. Facta reverentia ad Crucem vel ad praecipuam imaginem sacristiae, praecedent Crucem processionalem quam Subdiaconus sustinebit, videlicet acolythus primus, ferens aquam benedictam, ibit medius inter alterum acolythum deferentem grana thuris ad suam sinistram, et thuriferarium cum thuribulo et navicula dextrorsum.

169. Ad Ecclesiae portam quum venerint, secundus acolythus subsistet iuxta dexteram Celebrantis vel Diaconi, primus autem deponet vasculum cum aspergillo super abacum et sumet Missale, quod apertum sustinebit Celebranti propter thuris ignisque benedictionem.

170. Secundus acolythus attendet ut se sistat ante Celebrantem quum praedicta grana thuris benedicet.

171. Hac peracta benedictione, acolythus primus claudet Missale et super abacum reponet, resumet vasculum cum aspersorio et consistet apud Diaconum, aspersorium ei ministraturus.

172. Asperso et thurificato a Celebrante igne et thure, primus acolythus rursus ponet vasculum aquae benedictae cum aspergillo super abacum et adiuvabit Diaconum ad deponendam planetam plicatam et stolam violaceam, atque ad sumendam stolam albam cum dalmatica et manipulo simili, deinde manipulum violaceum imponet Subdiacono.

173. Idem acolythus quum induerit Diaconum, ut supra, festucam sulphuratam ex igne benedicto incendet, qua gossypium ceratum vel parvam candelam illuminabit, quam si opus fuerit, in laterna clausam gestabit.

174. In actionibus de *Lumen Christi* secundus acolythus

ferens grana cum thuriferario dextrorsum praeibit Cruci quam feret Subdiaconus, et acolythus primus accenso lumine incedet ad laevam Diaconi, qui arundinem gestabit. Hic tricereum seu tres candelas in arundine accendet, quum a Diacono ipsi monstrabitur, tum progressus ante Altare deponet super abacum parvam candelam, quam extinguet, cum laterna, et redibit iuxta Diaconum, a quo arundinem recipiet. Advertant acolythi ut genuflectant, quum canetur *Lumen Christi.*

175. Ad cantum Praeconii, primus acolythus cum arundine se sistet ad laevam Diaconi a latere legilis, et ad dexteram primi acolythi se locabit alter, sustinens adhuc grana thuris.

176. Secundus acolythus suo tempore porriget Diacono grana Cereo infigenda, et post hoc perget ad abacum ad deponendum bacinum, capiet gossypium ceratum, quo accendet lampades, quum ei monstrabitur, et redibit ad locum suum prope legile haud procul a primo acolytho.

177. Acolythus primus arundinem tradet Diacono, dum ipsa Cereum erit accensurus, cereoque accenso deferet arundinem iuxta Altare, locabit eam in basi ibi praeparata et gradum referet ad legile.

178. Alter acolythus ex arundine accendet parvam candelam vel gossypium ceratum, et admonitus a Diacono vel Caeremoniario omnes Ecclesiae lampades accendet, initium sumendo ab illis quae in Altari maximo erunt.

179. Cantato Praeconio, sacros Ministros comitabuntur ad scamnum, ac transeuntes ante Altare, ad Crucem cum ipsis genuflectent. Ad scamnum ubi venerint, adiuvabunt Diaconum in deponendis sacris paramentis albis et induendis violaceis. Attendent etiam ut paramenta albi coloris, quibus usus erit Diaconus, in sacrarium ferant, nisi alius quisquam erit qui hoc praestet officium.

180. Quo tempore canentur prophetiae, stabunt ante abacum et genu cum Clero flectent ad versiculum *Flectamus genua* ante orationes.

181. Si fons baptismalis in Ecclesia erit, sub finem duodecimae prophetiae quae canetur, unus ex acolythis candelas accendet in candelabris ipsorum iam in abaco apparatis.

182. Prophetiarum cantu absoluto, reversoque ad scamnum cum Ministris Celebrante, manipulum detrahent eisdem Ministris, tum sument candelabra accensis candelis, sese adiungent clerico gestanti Crucem precessionalem, procedent ante Altare, flectent genu atque incedentes ad latera eiusdem clerici, progredientur ad fontem baptismalem.

183. Illic subsistent quo loco iis monstrabitur, et functionis tempore candelabra sustinebunt.

184. Post fontis benedictionem eodem ordine ad Altare gradum referent, quo quum venerint, genu flectent, et candelabra super abacum deponent, ibique iuxta scamnum Celebrantis parati erunt ad adiuvandos sacros Ministros in deponendis planetis violaceis.

185. Quod si Ecclesia fonte baptismali carebit, non accendentur in abaco candelae sub finem duodecimae cantatae prophetiae, et fine facto canendi prophetias ac respectivas orationes, acolythi apud scamnum adiuvabunt Ministros in exuendis planetis plicatis et manipulis.

186. Dum canentur Litaniae geniculabunt prope abacum, quumque erint consurrecturi de prostratione Celebrans et Ministri, consurgent et geniculatum ibunt iuxta eosdem Ministros ut iis adiumento sint ad consurgendum de prostratione, si opus fuerit illis.

187. Hinc iunctis manibus praeibunt Ministris et Celebranti, qui pergent ad Sacrarium, quo quum pervenerint adiumento erunt Ministris in deponendis paramentis violaceis et sumendis albi coloris.

188. Sub exitum autem Litaniarum praeeuntes sacris Ministris ad Altare iunctis manibus revertentur. Si in Ecclesia non aderit fons baptismalis, deferent candelabra cum candelis accensis.

189. In Missa solemni observabunt praescriptum ritum eo tantum discrimine, quod ad intonationem hymni *Gloria in excelsis* campanulas, si mos erit in Ecclesia, praeparatas aliquandiu pulsabunt, quodque ad Evangelii cantum non afferent candelabra sed manibus iunctis assistent.

§. 18. *In processionibus.*

190. In processionibus maiorum minorumque Litaniarum, postquam Celebrans et Ministri sacris paramentis erunt induti sument candelabra accensis candelis et reverentia ad Crucem vel imaginem praecipuam effecta, procedent ad Altare, et ante ipsum manebunt, ut una cum Celebrante et Ministris genu flectant, ut solent in Missis solemnibus.

191. Genuflexione cum Celebrante et Ministris ad Altare effecta, ibunt ad abacum ut candelabra deponant, et ante ipsum consistent.

192. Ubi initium fiet canendi Litanias, geniculabunt eodem loco et post versiculum *Sancta Maria* consurgent, candelabra resument, clerico Crucem gestanti se adiungent, et genu ad Altare flexo, se locabunt in ordinem processionis ante Clerum saecularem.

193. Si qua in Ecclesia processio subsistet in itinere, ingressi quum erunt, genu ad Altare flectent, et se sistent prope latus Evangelii vel alio loco, qui eis monstrabitur, simul cum elerico crucem gestante, et absoluta recitatione vel cantu orationis de Sancto Patrono, genuflexionem ad Altare iterantes, rursus redibunt in ordinem processionis.

194. Quum ventum erit ad Ecclesiam, in qua finis processionis fiet, genu flexo ante Altare praecipuum, ibunt ad abacum ubi candelabra deponent, et stantes expectabunt Celebrantis adventum.

195. Geniculabunt ad cantum precum et orationem, post quas resumptis candelabris, cum Celebrante et Ministris in sacrarium revertentur.

§. 19. *In processione SS. Corporis Christi et in ceteris cum SS. Sacramento.*

196. Sub finem Sacri praesto erunt apud abacum Celebrantis, ut manipulum detrahant Ministris, quem super ipso scamno vel in abaco reponent.

197. Sement candelabra, se adiungent clerico gerenti Crucem et subsistent ad ingressum presbyterii facie ad Altare conversa.

198. Ad nutum Caeremoniarii genuflexionem duplicem ad Sacramentum efficient, seque in ordinem processionis disponent, praecedentes Clerum saecularem.

199. Si in processione solemni de Corpore Christi ad Ecclesiam aliquam vel ad Altare quoddam in itinere divertiretur, una cum clerico Crucem ferente, nulla ad Altare facta genuflexione, subsistent a latere Evangelii vel alio loco, qui eis monstrabitur, et peracta statione, genuflexionem duplicem ad SS. Sacramentum ante Altare efficient, iterumque, se in processionis ordinem disponet.

200. In reditu ad Ecclesiam, quum ante Altare ventum erit, sine ulla genuflexione redibunt ad abacum, et candelabra deponent, et adveniente Celebrante SS. Sacramentum ferente, ante abacum ipsum geniculabunt.

201. Benedictione cum SS. Sacramento impertita, consurgent, candelabra sument et redibunt ante Altare; quumque repositum in tabernaculo erit SS. Sacramentum, facta genuflexione, in sacrarium referent gradum.

§. 20. *In exequiis.*

202. Missa solemni absoluta, postquam manipulum Ministris detraxerint, sument candelabra seque addent Subdiacono, qui Crucem gestabit, et binis clericis, altero cum vasculo aquae benedictae, altero cum thuribulo, et procedent versus ingressum presbyterii.

203. Genuflexionem ibi efficient ad Altare, et ad sinistram suam se convertentes accedent ad feretrum vel ad tumulum. Si aderit cadaver, se sistent ad caput illius, ibique absolutionis tempore manebunt. Si Sacerdotis sit cadaver, transeuntes prius per suam sinistram, nulla adiecta genuflexione, ad caput cadaveris se sistent. Si absolutio ad tumulum peragetur, manebunt semper ad pedes tumuli ipsius inter eumdem et portam Ecclesiae, quamvis pro Sacerdote vel pro Episcopo exequiae fierent.

204. In exequiis quae super cadaver celebrabuntur, si ad coemeterium erit illud efferendum, post orationem, quam canet Celebrans post peractam aspersionem et thurificationem, procedent ad coemeterium, ibique ad caput cadaveris subsistent, ut in Ecclesia factum erit.

205. Quum cantores cecinerint *Requiescat in pace*, redibunt ad sacrarium cum Subdiacono, viam illam ineuntes, quae ad sacrarium ipsum brevissima habeatur.

DE OFFICIO PLUVIALISTARUM.

CAPUT IX.

§. 1. *In Vesperis solemnibus.* (*)

1. In Vesperis solemniter celebrandis pluvialistae neque minus quam duo, neque plus quam sex intererunt. Maior vel minor solemnitas festi occurrentis determinabit numerum eorum: et hac in re stabitur regulae traditae a Caeremoniali Episcoporum cap. 3. lib. II. ad §§. 16 et 17.

2. Itaque clerici, vel beneficiarii, vel mansionarii, ad quos spectabit in Vesperis pluviale induere, aderunt in sacrario ibique induentur super vestem talarem superpelliceo, cui superimponent pluviale; adiuvantibus acolythis vel aliis clericis, et biretum in manu sument. Ordinem sibi convenientem inter se servabunt, desumentes vel ab antiquitate ordinationis, si clerici simplices erunt, vel a possessione beneficii, si mansionarii vel beneficiarii huius Ecclesiae, ita ut qui primas obtinet sit ad dexteram Celebrantis alter ad sinistram, tertius dextrorsum primi quartus sinistrorsum secundi, quintus ad tertii dexteram ac sex-

(*) Documenta haec excerpsimus in totum e Caeremoniali lib. II. c. 3. quod inscribitur « Quo ritu in Ecclesiis Cathedralibus, absente Episcopo, vel in Collegiatis, Vesperae celebrandae sint. »

tus ad quarti sinistram, quem ordinem tenebunt in incedendo, in sedendo et stando iuxta Celebrantem.

3. Sese igitur Celebranti, qui medius erit inter eos, adiungent, ita ut si duo sint pluvialistae, prior fuerit dextrorsum, alter sinistrorsum Celebrantis, si quatuor, bini ordine supra indicato, stabunt dextrorsum, bini sinistrorsum Celebrantis eiusdem, sin fuerit sex numero, terni ad dexteram, terni ad sinistram eius erunt, respectu habito ad antiquitatis ordinem.

4. Quum coiverint cum Celebrante, reverebuntur Crucem vel imaginem principem sacrarii, et procedent ad Altare post universum Clerum, licet adessent Praesules, vel Canonici in ipsa Ecclesia; hic enim locus, qui dignissimus est, spectat ad pluvialistas et propter indumenta sacra quibus distinguuntur, et quia unum cum Celebrante corpus efficiunt.

5. Capite incedent bireto cooperto et manibus iunctis ac bini, idest sextus ad sinistram quinti, quartus ad sinistram tertii, secundus ad sinistram et primus ad dexteram Celebrantis.

6. Ad fores sacrarii aquam benedictam a Caeremoniario accipient, quintus eam porriget sexto; tertius quarto, et primus Celebranti; secundus autem accipiet a Caeremoniario ipso priusquam det primo. Caput detegent antequam aquam benedictam accipiant, transferentque biretum ad manum sinistram, se signabunt, deinde caput iterum tegent.

7. Ad ingressum presbyterii progressi, dirimentur ordinatim, caput detegent, et rectam lineam efformantes, in cuius centro erit Celebrans, procedent ante Altare. Celebrans autem ad ingressum presbyterii biretum suum tradet primo pluvialistae, quod accipiet cum usitatis osculationibus, et transmittet Caeremoniario.

8. Crucem profunda reverentia salutabunt, quod idem faciet Celebrans, geniculabunt super gradum infimum et recitabunt orationem *Aperi, Domine* etc. Pluvialistae, qui a lateribus erunt Celebrantis, elevabunt fimbrias pluvialis, quo momento genua submittet (*a*).

(*a*) Caeremoniale pluvialistis praescribit reverentiam, non vero genuflexionem ad Altare, quando cum Celebrante coniuncti sunt.

9. Post orationem ad nutum Caeremoniarii consurgent cum Celebrante simulque cum eo Crucem Altaris profunda reverentia salutabunt, deinde reverebuntur Clerum in choro, primum versus latus Evangelii, deinde Epistolae et Celebrantem ad sedem comitabuntur: vel si Celebrans in primo chori subsellio sedebit in parte quae spectat ad ebdomadarium, reverentiam facient prius ad partem oppositam sedi Celebrantis, deinde ad alteram, in qua Celebranti ipsi sedendum erit.

10. Si Celebrans sedebit in primo subsellio, pluvialistae recta linea se locabunt ante eum, si parieti Altare adhaerebit. Sin Altare populum respiceret, et consequenter locus Celebrantis esset in primo stallo fere adversum Altare, siquidem primum locum occupat prope sedem Episcopalem, pluvialistae ne tergum ad Altare vertant, dividentur se locantes in plano chori ante stallum primum ita, ut ex uno latere habeant Celebrantem, ex altero Altare. Quod si Celebrans non in primo stallo, ut diximus, sedebit, sed in scamno prope latus Epistolae, ubi sedere solet in Missis solemnibus, primus et alter plovialista se locabunt a lateribus eius, reliqui, si aderunt, se quoque locabunt ad latera ipsius ex utraque legilis parte facie alter ad alterum versa.

11. Si Celebrans sedebit in scammo, quum venerint illuc, primus pluvialista ministrabit ei biretum, ab eoque recipiet quum assurget, et post secreto recitatum *Pater noster* et *Ave Maria*, sublevabit ei fimbriam dexteram pluvialis quum intonabit *Deus in adiutorum* etc.

12. Post cantatum ℣. *Gloria Patri* etc. primus pluvialista una cum Caeremoniario genu flectet in medio Altari, tum procedet ante Celebrantem ac submissa voce praecinet ei primam antiphonam.

13. Quum Celebrans praedictam antiphonam intonuerit, pluvialistae eum reverentur et pergent in medium presbyterium vel etiam chorum ante Altare, ordinem superius indicatum semper servantes, genu ad Crucem simul flectent, se invicem salutabunt et locum suum petent, videlicet ad scabella panno viridi contecta sine postergali, in presbyterio locata ante Altare

ipsum. Notandum hoc loco est, quod pluvialistae quum abibunt a Celebrante, quumque ad illum revertentur, debebunt eum salutare.

14. Quum venerint illuc, subsistent stantes ad Altare conversi; postquam cantores primum psalmum intonuerint, sedebunt in praedictis scabellis et caput tegent bireto. In considendo servabunt ordinem demonstratum, videlicet primus sedebit propius Crucem aut medium Altare, tertius ad dexteram primi et quintus ad dexteram tertii. Secundus autem sedebit in altero scabello, et quartum sinistrorsum habebit, sextus denique ad quarti sinistram assidebit.

15. Si sex numero aut quatuor erunt, pluvialista ultimus, videlicet vel sextus vel quartus, quatuor alias antiphonas praecinet ad digniores de choro, secus hoc officio fungentur cantores superpelliceo induti, qui psalmos intonabunt.

16. Si sextus vel quintus pluvialista, ut dictum est, praecinet antiphonas, reliqui non consurgent quum hic surrexerit, sed caput bireto nudabunt quum surget, quumque gradum referet ad locum suum.

17. Si antiphonae a pluvialista praecinentur, ut innuimus, hic caput detegens, assurget, procedet ante Altare, flectet genu, inde perget ante digniorem, praecinet illi antiphonam, quam quum intonuerit, iterabit salutationem, redibit ante Altare, genu iterum submittet, denique ad locum suum revertens sedebit (*a*).

18. Ordo quem servabit in praecinendis antiphonis, erit huiusmodi. Secumdam praecinet ad digniorem chori e regione Celebrantis: tertiam ad alterum qui post Celebrantem sedebit ex eadem parte; quartam ad illum qui sedebit in secundo subsellio contra Celebrantem, quintam denique ad sedentem secundo post Celebrantem subsellio. Si Celebrans in scamno sedebit a cornu Epistolae, ut superius notavimus, secundam antiphonam intonabit qui dignior de choro est, quique sedebit ex parte ebdo-

(*a*) Si alter ex pluvialistis praecinet antiphonas, ut diximus, socius eius nequaquam debet se movere loco, nec se addere socio quum praecinet. Hoc modo praescribitur a Caeremoniali.

madarii, tertiam primus, qui primo subsellio sedebit ex parte adversa, quartam secundus, qui a latere erit illius qui intonuit secundam, quintam denique ille qui aderit prope eum qui tertiam intonuerit.

19. Animadvertant pluvialistae, ut detegant inclinentque caput ad ℣. *Gloria Patri* etc. et ad verba *Sit nomen Domini benedictum* in psalmo *Laudate pueri,* si cantabitur.

20. Post quinque cantatos psalmos sub finem repetionis quintae antiphonae, quam exequentur cantores, vel sonantibus organis, consurgent simul, procedent ante Altare et genuflexionem efficient. Advertent autem ut genu flectant etiam cum acolytis.

21. Deinde progressi ante Celebrantem, reverentia eum prosequentur, et se sistent ante ipsum eodem ordine quo in Vesperarum initio, secundum positionem scamni et Altaris.

22. Quum Celebrans Capitulum cecinerit: primus pluvialista ei praecinet hymnum, quem quum intonuerit, iterabunt reverentiam, ibunt ad Altare, genuflectent, dirimentur, et gradum referent ad scabellum suum, ubi consistent pedibus dum canetur hymnus. Advertent ut in hoc gennflexionis actu et ipsis acolythis sese adiungant, ut superius monuimus.

23. Sub finem hymni, idest ad ultimam strophem, in qua SS. Trinitas invocatur, caput inclinabunt.

24. Si quatuor vel sex erunt pluvialistae, postremi duo sub hymni exitum vadent ante Altare debitis utentes genuflexionibus, et versum cantabunt post hymnum. Si duo tantum fuerint, canetur versus a cantoribus superpelliceo indutis, qui psalmos intonuerint.

25. Pluvialista primus post cantatum versum procedet ante Celebrantem eique praecinet antiphonam cantici *Magnificat,* quam ubi intonuerit, revertetur ad locum suum.

26. Quum cantorum chorus cantabit antiphonam ante *Magnificat,* pluvialistae sedebunt in suo scamno capite tecto.

27. An intonationem *Magnificat,* quae fiet a cantoribus superpelliceo indutis, pluvialistae, capite detecto, consurgent. Duo primi relinquent biretum super scamno, et cum aliis pluvia-

listis, si aderint, obviam ibunt Celebranti, quem medium inter se accipient, et cum eodem ad Altare procedent.

28. Quum venerint ad pedes Altaris, reverentiam profundam ad Crucem efficient.

29. Celebrans cum duobus primis pluvialistis ad Altare ascendet, reliquis, si aderunt, in plano ante Altare manentibus.

30. Pluvialista primus elevabit fimbriam dexteram pluvialis Celebrantis, quam trasmittet secundo pluvialistae, qui ad Celebrantis ipsius dexteram appropinquabit.

31. Deinde primus pluvialista sumet naviculam et incensum Celebranti cum osculationibus ministrabit.

32. Quum Celebrans incensum in thuribulum iniecerit secundus pluvialista redibit ad laevam eius, et sustollet ei fimbriam sinistram pluvialis.

33. Pluvialista primus accipiet thuribulum a thuriferario, tradet cum osculationibus Celebranti, eique elevabit fimbriam dexteram pluvialis prope brachium, ut libere agat in thurificatione Altaris. Primi duo pluvialistae transeuntes ante Crucem Altaris, dum peragetur thurificatio, reverentiam ad Crucem ipsam una cum Celebrante exequentur.

34. Thurificatione peracta, primus pluvialista recipiet thuribulum a Celebrante et thuriferario tradet.

35. Tum Celebrans cum duobus pluvialistis de Altari descendet, sese adiunget reliquis duobus vel quatuor, si aderunt, iterabunt reverentiam profundam ad Crucem et ad chorum inclinationem, et unusquisque ad suum locum redibit.

36. Postquam Celebrans ad suum stallum redierit, primus pluvialista ad eum accedet, et sumpto a thuriferario thuribulo incensabit triplici ductu Celebrantem, profunda reverentia ipsum honorans.

37. Thuribulum reddet thuriferario, vel si quatuor erunt pluvialistae, quartus adstabit ipsi; si sex fuerint, adstabit sextus et continuabit chori thurificationem. Ut brevi complectar, exceptis duobus primis, ultimus pluvialista, si aderit, secus thuriferarius chorum adolebit. In thurificatione servabitur ordo pro Diacono praescriptus in Missa solemni cap. V. §. 19. et seqq. huius libri.

38. Dum canetur *Magnificat* stabunt pedibus ad suum scamnum, ubi tempore constituto thurificationem accipient.

39. Ut cantatum erit *Gloria Patri*, sedebunt et caput bireto cooperient.

40. Sub finem repetitionis antiphonae post *Magnificat*, caput detegent, consurgent, procedent ante Altare, genu flectent Cruci etiam cum acolythis, atque ordine superius descripto ante Celebrantem redibunt.

41. Sub finem orationis, si una tantum erit, secus sub finem ultimae, si plusquam duo pluvialistae fuerint, postremi duo pergent ante Altare flectent genu et cantabunt *Benedicamus Domino* cum notis, seu cantu praescripto pro singulis festis.

42. Post versum praedictum, si cantatus fuerit a pluvialistis, hi redibunt ante Celebrantem, ac si post Vesperas Completorium in choro recitabitur, excedent cum eo servantes ordinem superius innutum et reminiscentes ut et Clerum salutent post reverentiam ad Crucem factam.

43. Quod si Clerus de choro excedet, manebunt pariter apud Celebrantem donec recitetur antiphona finalis B. Virginis, post quam eodem ordine quem in accessu descripsimus, ad sacrarium revertentur.

44. Illic recta linea cum Celebrante reverentiam ad Crucem vel ad imaginem primariam sacrarii efficient, sese ad invicem salutabunt et pluviale cum superpelliceo deponent.

45. Si mos erit adolendi Altare SS. Sacramenti (quod minime a Caeremoniali Episcoporum praescribitur quo capite agitur de Vesperis celebrandis in Cathedralibus, absente Episcopo, et in Collegiatis) quum erit intonatum *Magnificat*, Celebrans sese addet pluvialistis et ante Altare facient reverentiam profundam ad Crucem et se inclinabunt ad Clerum in choro ordine iam constituto.

46. Deinde praeeuntibus acolythis binis, excedent e choro postquam duo digniores pluvialistae medium inter se Celebrantem acceperint.

47. Exeuntes e presbyterio cooperient caput bireto, et pluvialista primus biretum cum osculationibus Celebranti tradet.

48. Quum ad Altare SS. Sacramenti ventum erit, caput detegent et dirimentur, rectam lineam ante Altare efformantes. Primus pluvialista biretum suum dabit Caeremoniario, et alterum accipiet cum osculationibus a Celebrante, quod etiam Caeremoniario transmittet.

49. Genuflexionem una cum Celebrante et acolythis efficient.

50. Celebrans cum duobus pluvialistis ascendet ad Altare, reliquis, si aderunt, ante ipsum consistentibus.

51. Pluvialista primus incensum, ut superius monuimus, ministrabit; et Altaris turificatio fiet.

52. Post thurificationem pluvialista primus receptum thuribulum thuriferario reddet.

53. Hoc facto, Celebrans adstantibus duobus pluvialistis, redibit ad medium Altare, et facta ad Crucem reverentia, sine ulla genuflexione, descendet de Altari, atque in plano una cum iis se convertet ad Altare ipsum: ibi genuflexionem ad SS. Sacramentum iterabunt, et recepto, ut supra, bireto, atque ordine eodem ad Altare maximum revertentur.

54. Ubi venerint ad ingressum presbyterii, detegent caput, se diriment et unam efficient lineam medium accipientes Celebrantem, qui caput deteget et biretum tradet primo pluvialistae, atque hic una cum suo illud transmittet Caeremoniario. Reverentiam simul ad Clerum in choro exsequuti pergent ante Altare.

55. Illic reverentia profunda Crucem venerabuntur, ad Altare Celebrans et duo primi pluvialistae ascendent, ac primus thuribulum a thuriferario acceptum ministrabit Celebranti.

56. De reliquo eadem, quae superius praescripta sunt, observabuntur.

§. 2. *In Matutino solemni.*

57. Sub finem tertii nocturni qui duo pluvialistae usuri erunt pluviali, ad nutum Caeremoniarii excedent de choro, genuflexionem ad Altare, reverentiam ad chorum exsequentes.

58. Venient in sacrarium vel in locum alium choro pro-

ximum, ubi erunt parandi pluvialistae, ibique adiuvantibus acolythis, pluviale superpelliceo imponent, et caput bireto cooperient.

59. Redibunt ad chorum, medium accipientes Celebrantem, praeeuntibus acolythis qui candelabra non ferent, apparata enim erunt prope Altare priusquam initium fiet Matutini.

60. Quo ubi venerint, salutabunt Clerum, ante Altare reverentiam profundam cum Celebrante facient eumque comitati ad ipsius subsellium, in scabellis sibi apparatis considebunt.

61. Completo cantu tertii psalmi tertii nocturni, ibunt in medium chorum contra Altare, genuflectent, cantabunt versum et reiterata genuflexione redibunt ad locum suum ibique stabunt.

62. Post cantatam lectionem Evangelii ante homiliam, considebunt.

63. Sub finem octavi responsorii consurgentes, procedent ante Altare ibique genuflectent, animadvertentes ut una cum acolythis id faciant, quibuscum pergent ante Celebrantem, eumque venerati, consistent prope ipsum ad cantum nonae lectionis, ut superius in Vesperarum initio praescriptum fuit.

64. Postea primus pluvialista ei praecinet submissa voce *Te Deum* quod quum intonuerit, redibunt in medium Altaris, cum acolythis genuflectent et ad suum quisque locum redibunt.

65. Ad Laudes utentur ritu pro Vesperis descripto.

66. Notandum autem quod in Laudibus solemnibus, quaecumque sit solemnitas, duo tantum pluvialistae parandi erunt cum Celebrante. Sin mos esset, ut iuxta solemnitates essent quatuor numero, vel sex, ut in Vesperis, consuetudinem hanc servare licebit.

67. In Laudibus, licet solemnibus, Altare SS. Sacramenti non thurificabitur ad cantum cantici *Benedictus*, ut in quibusdam locis solet ad Vesperas, dum canitur *Magnificat*.

DE OFFICIO CANTORUM
DEQUE ORGANORUM MODULATORE.

CAPUT X.

1. Regulam pro organis sonantibus in sacris functionibus ad literam deducimus e cap. 28. lib. I. Caeremonialis Episcopum videlicet:

2. In omnibus Dominicis omnibusque festis de praecepto opus est ut sonentur organa et adhibeatur etiam cantus figuratus in Ecclesia.

3. Excipiuntur ab hac regula Dominicae de Adventu deque Quadragesima, in quibus organa non pulsantur, praeter Dominicam tertiam de Adventu, quae dicitur *Gaudete* et quartam Quadragesimae, quae appellatur *Laetare*, in quibus sonatur organis ad Missam tantummodo.

4. In officiis ferialibus de Quadragesima et de Adventu organa non pulsantur, praeter festa, quae in haec tempora incidunt, quaeque solemniter celebrantur ab Ecclesia, cuiusmodi sunt festa S. Mathiae, S. Thomae Aquinatis, S. Gregorii Magni, S. Ioseph sponsi B. M. V. Ecclesia Catholicae patroni, Annunciationis B. Mariae Virginis et similia. Item ad Missam solemnem in Coena Domini, scilicet in principio et toto cantu hymni angelici atque ab hymno praedicto Missae solemnis cum Vesperis de sabbato sancto. Itidem sonabitur in Adventu et in Quadragesima quum opus sit celebrare cum solemnitate et laetitia propter aliquam circumstantiam magni momenti.

5. Quotiescumque Episcopus ad ecclesiam accedet, vel illinc discedet functionum pontificalium caussa, quas ipse celebrabit, vel etiam intererit illis, in diebus festis et solemnibus necesse est organa pulsari.

6. Idipsum fiet in ingressu Legati Apostolici, Cardinalis, Archiepiscopi in sua provincia, sive alius Episcopi, quem Ordi-

narius honorare velit, donec ab ipsis orabitur et initium sacrae functionis fiet.

7. In Matutinis, quae cantantur solemniter in festis primariis, poterunt pulsari organa usque ab illorum principio.

8. Regula generalis statuitur, quod in Vesperis, Matutinis et Missis primus canticorum hymnorumque versus canendus sit a choro; itidem cantandus in hymnis est versus ille, ad quem erit genuflectendum, ex. g. *Te ergo, quaesumus* etc. Alter *Tantum ergo* et alii huiusmodi: pariter cantandus semper est ℣. *Gloria Patri,* etsi versus immediate praecedens cantatus esset a choro: hoc etiam observabitur in versibus hymnorum finalibus.

9. Ad Horas minores quae recitantur vel cantantur a choro non est interponendus organi sonus: sin mos esset, poterit servari, praesertim in hora Tertia, quum canitur ante Missam pontificalem, dum Episcopus sacris paramentis induitur.

10. Notandum quod quotiescumque volumus ut videatur ope organorum cantari aut responderi alternatim versus hymnorum seu canticorum, adsit in choro qui voce intelligibili recitet versum cui respondetur organis. Immo optandum esset, ut cantor aliquis una cum organorum sono voce perspicua recitaret versum ipsum.

11. In Vesperis solemnibus solent pulsari organa in fine cuiusque psalmi, atque alternatim ad versus hymnorum et canticorum, regula superius tradita.

12. In Missis solemnibus sonabitur organis initio Missae, post Epistolam, ad Offertorium, tempore Canonis, Communionis et in exitu Missae: sonabitur autem alternatim dum canetur *Kyrie* et *Gloria in excelsis*, *Sanctus* et *Agnus Dei*. Ad elevationem SS. Sacramenti gravius suaviusque sonabitur.

13. Quum symbolus erit recitandus, a choro ex toto cantabitur, nullo adiecto organorum sono.

14. In Missis et officiis pro defunctis organis locus non est, neque aliis instrumentis, neque musicae figuratae. Eadem regula valebit in Quadragesima et in Adventu pro diebus ferialibus, quum officium de tempore celebrabitur.

15. Praeterea ab eodem Caeremoniali in sacris functionibus usus cuiuscumque instrumenti musici, praeter organa, prorsus interdicitur.

16. Hi sunt canones, quos deduximus e Caeremoniali praedicto, ad cuius observationem, ut alias iam monuimus, omnes tenentur Ecclesiae, quamvis privilegiatae.

17. Quod autem ad cantuum et organorum soni decorem attinet, rem tantopere commendatam inculcatamque ab eodem Caeremoniali, curabit Episcopus ut huic negotio iuxta leges ecclesiasticas consulatur.

18. Cantorum porro officium est mere ecclesiasticum eaque de re habitus eorum erit vestis talaris cum superpelliceo, praesertim si officio suo in choro ipso fungantur. Quod si in podio organorum manebunt, transennae impedimento sint, quominus prospiciantur. In processionibus induent habitum ecclesiasticum paullo superius descriptum.

19. In Vesperis solemnibus, in Matutinis et Laudibus solemnibus cantores duo cum superpelliceo intonabunt psalmos in medio choro, quocirca in chori stallis inferioribus ad extremitatem ipsius sedebunt, vel iuxta morem cuiusque Ecclesiae; et quum psalmus erit intonandus, in medium procedent, genu flectent ad Altare et psalmum intonabunt. Ad confusionem in cantu vitandam, simul ac peregerint intonationem, se convertent versus chori partem, quae prosecutura sit cantum, genuflexionem ad Altare iterabunt, se salutabunt ad invicem et ad locum suum redibunt. Hisce utentur caeremoniis, quum singuli psalmi et cantica respectiva erunt intonanda.

20. Si in Vesperis et Laudibus solemnibus duo tantum erunt pluvialistae, cantores iidem, qui psalmos intonabunt, antiphonas praecinent choro cum regulis superius traditis pro pluvialistis, canentque etiam versum post hymnum et *Benedicamus Domino* in fine.

21. In processionibus post Cleri Crucem incedent, et in itinere cantabunt antiphonas et psalmos praescriptos.

22. In Dominica de Palmis, duo ex ipsis se sistent intra Ecclesiam facie ad portam versa; reliqui extra portam consi-

stent ad canendum hymnum *Gloria, laus, et honor*, ut illo die praescribunt rubricae.

23. In feria VI. in Parasceve cantores duo erunt prope Altare quo momento Crux detegetur, ut pergant canere verba *In quo salus mundi pependit.*

24. In sabbato sancto et in vigilia Pentecostes, duo cantores genibus flexis ad scabellum positum in medio choro, in quo Missale erit locatum, canent Litanias, caventes ne illas incipiant in discedendo a baptisterio, sed quum Celebrans et Ministri ante Altare prostrati erunt.

25. In processionibus de maioribus minoribusque Litaniis, etiam in medio choro Litanias incipient usque ad totum ℣. *Sancta Maria ora pro nobis,* et prosequentur eas in processione, curantes ut illas ita canendo dispescant, ut earum cantus non prius finiatur, quam perventum sit ad Ecclesiam, ubi processioni finis imponetur.

26. Notandum autem quod tum in processionibus istis, tum in sabbato sancto et in vigilia Pentecostes, Litaniae sunt duplicandae, seu Clerus et adstantes debent repetere eumdem versum, quem ipsi cantores cecinerint.

27. Postremo ne plus aequo longi simus, monebimus quod quaecumque sit celebranda functio, cantorum praefectus, ut recte moderetur chori cantum, convenire debet cum Caeremoniarium Magistro, ab eoque opportuna accipere documenta, quae curabit ut a cantoribus sibi obnoxiis accurate observentur.

DE MINISTRO MISSAE PRIVATAE.

CAPUT XI.

§. 1.

1. Minister, sive ut dici solet, inserviens Sacrificio privato, priusquam hoc angelico ministerio fungatur, aequum esset, ut

in Ecclesia vel in ipsa sacristia ad illud se compararet paullo orando, atque inter alias preces recitare posset *Actiones nostras*, etc. Postea, si forte clericus esset, induet superpelliceum.

2. Quando Sacerdos operaturus, deponet pallium, minister sive inserviens illud ipsi detractum loco decente reponet. Tum aperiet claviculam fonticuli, et ministrabit ei manutergium et claviculam iterum claudet. Quum vero Celebrans erit sumpturus paramenta sacra, obiiciet ei apertam Hostiarum capsulam, ut inde unam ad libitum seligat.

3. Postquam Sacerdos praeparaverit ac disposuerit Calicem cum omnibus, quae opus sunt, ei porriget amictum tenens extensum in extremitatibus, in quibus cordulae sunt firmatae, ac si plus aequo latior esset, attendet ut eum reflectat super humeros Celebrantis, posteaquam eundem circum collaria aptaverit: sumet deinde Albam, quam complicatam in parte posteriori Celebrantis humeris imponet, efficietque ut ex eadem parte deorsum fluat, atque ut facilius ille sibi induat, dexteram prius manicam, deinde sinistram protendet: accipiet cingulum, quod Celebranti a tergo porriget advertens ut flocci, sive extremitates cinguli ad dexteram ipsius cohaereant. Quum Celebrans cingulum sibi alligabit, Albam ita illi aptabit et disponet, ut eius fimbriae undequaque sint duos aut tres digitos ex humo sublatae. Postea quam Celebrans manipulum brachio imposuerit, diligenter ligabit ne effluat, neu nimium sit constrictus; insuper curabit ne sit cubito, nec pulsui nimis proximus, sed inter utrumque in inferiori media parte brachii. Celebranti sibi stolam imponenti curabit eam demittere et aptare circum collum ita ut nec conspiciatur extra casulam, nec post terga dependeat: postremo quum Sacerdos induet sibi casulam, det operam ut ad cervicem sit sursum erecta, et super humeros distenta.

4. His expletis, Minister sive inserviens quaeret ab aedituo, vel ab alio ad quem pertinebit, quo Altari sit conficienda Res divina, sumet Missale, quod utraque manu in extremitatibus inferioribus sustinebit ad pectus applicitum et apertura Missalis eiusdem ad suam sinistram versa. Locans se sinistrorsum et paullum post Celebrantem, profundam reverentiam ad Crucem

vel imaginem sacrarii cum ipso efficiet, et procedet ad Altare oculis in terram defixis et gradu composito, non vero artificioso praecedens Celebrantem duos vel tres non amplius passus: ad portam sacrarii, si vas erit aquae benedictae, haustam manu dextera porriget Sacerdoti, eaque signabit et seipsum.

5. Si in accessu ad Altare, vel etiam in reditu transeundum erit ante Altare maximum, inclinatione profunda utetur, vel genuflexione si aderit SS. Sacramentum, adstans quidem Celebranti, sed aliquantulo intervallo: si propter elevationem vel communionem, vel adorationem SS. Sacramenti expositi geniculandum esset, faciet transiens ad dexteram Celebrantis, sed paullum retro ut biretum ab eo accipiat, et sit illi adiumento, si opus fuerit, in perficienda genuflexione. Si ad Altare, in quo celebranda erit Missa, aditus sit a cornu Epistolae, recedat Minister unum vel duos passus a gradu infimo Altaris, dandi caussa locum Celebranti, ut prior et libere progrediatur.

6. Ad Altare postquam venerit, se sistet dextrorsum Sacerdoti, Missale sustinebit brachio sinistro, manu autem dextera biretum accipiet, deosculans manum Celebrantis et biretum ipsum: genuflexionem una cum Celebrante in pavimento efficiet, si in Altari illo servabitur SS. Sacramentum, secus, reverentiam profundam, et concinne transmisso ad brachium dexterum Missali, et ad manum dexteram bireto, elevabit manu sinistra Celebrantis extremitatem Albae in parte anteriori, non vero oblique *(a)* cumque ipso ascendet ad Altare, gradum tamen unum post eumdem incedens.

7. Quum ascenderit ad Altare, cussino seu legili imponet Missale clausum, apertura eius ad cornu Evangelii versa *(b)* biretum loco decente, nunquam vero super Altare, ponet; de-

(a) Sublevatur extremitas anterior Albae et vestis Celebrantis, ut possit libere et commode ad Altare ascendere. Qui Albam a latere elevat, magis quam iuvet, potest Celebranti maiori esse impedimento. Adverte tamen ut Albam et vestem tres vel quatuor non amplius digitos erigas, quod indecorum foret adeo sustollere, ut crura denudarentur.

(b) Ad Celebrantem spectat aperire Missale, non vero ad Ministrum, uti quidam perperam solent.

scendet de gradibus Altaris, accipiet arundinem cum gossypio cerato, ipsum gossypium ceratum de lampadis flamma accendet quo candelas Altaris primo in latere Epistolae, deinde in Evangelii latere inflammabit, atque arundine cum gossypio suo loco reposita, geniculabit in plano ante Altare, advertens ut ab ipsius gradu infimo absit passum unum, et a Celebrante, cuius sinistrae adstabit, unum vel duos passus disiunctus sit, ut satis ille habeat loci ad transeundum, quum Sacrum inchoaturus de Altari descendet.

8. Principio Missae eodem tempore quo Sacerdos, signo Crucis se signabit et minister, eique respondebit, ut in Missali, eadem, qua fieri poterit, modulatione vocis. Ad verba *Misereatur tui* se aliquantulum inclinabit Sacerdotem versus; quum Confessionem recitabit profunde inclinabitur versus Altare, se paullum convertet ad Celebrantem dicens *tibi Pater* et *te Pater*, ter pectus mediocriter caedet manu aperta ad verba *mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa,* sinistra infra pectus applicita. Manebit profunde inclinatus quum Sacerdos dicet *Misereatur vestri,* et quum responderit *Amen* eriget caput. Ad *Indulgentiam* se signabit, iterumque se mediocriter inclinabit ad ℣. *Deus tu conversus* etc.

9. Dicto a Celebrante *Oremus,* assurget pedibus eique manu dextera Albam sublevabit ex parte anteriori, non vero oblique, deinde geniculabit in infimo gradu, vel in plano, si suppedaneo solum erit Altare instructum.

10. Signabit se eodem tempore quo Sacerdos: item quum Sacerdos dicet *Oremus* vel pronunciabit elata voce nomen Jesu, caput Crucem versus inclinabit; quum vero proferet nomen Mariae, Sancti, vel Sanctorum, quorum celebratur officium et commemoratio, vel nomen Summi Pontificis viventis, tum quoque inclinabit caput non Crucem versus, sed ea positione qua tunc erit. Idipsum faciet etiam quum in hymno *Gloria in excelsis* Celebrans recitabit verba *Adoramus te, Gratias agimus* etc.

11. Quum vero transeundum ipsi erit ante Crucem Altaris. reverentiam profundam efficiet, vel genuflexionem si in illo SS. Sacramentum asservabitur.

12. Post Epistolam ubi responderit *Deo gratias*, vel si deinde erit Sequentia aut Tractus longus, sub finem illorum assurget. Quum Sacerdos veniet ad Altare dicturus *Munda cor meum* etc. transibit in cornu Epistolae, sumet legile vel cussinum cum Missali, deferet ad latus Evangelii, ita locans illud ut summitas libri spectet posteriorem Altaris extremitatem in latere eodem. Descendet de suppedaneo, ibique stabit, Sacerdoti in principio Evangelii responsurus: quum Sacerdos in fronte. in ore et in pectore se pollice signabit, se signabit et Minister, qui ad nomen Jesu inclinatus, quum proferetur initio Evangelii, transibit ad latus Epistolae in planum ante Altare, ibique consistet paullum conversus ad Celebrantem, donec leget Evangelium. Quum in fine Evangelii responderit ℣. *Laus tibi Christe*, rursum geniculabit, et manebit genibus flexis ad recitationem Symboli. Ad verba *Et incarnatus est*, genuflectente Sacerdote, profunde inclinabitur.

13. Postquam Celebrans ante offertorium pronunciaverit *Oremus*, perget ad abacum, sumet munutergium sive sudariolum, quo explicato imponet pelviculam cum ampullis, quas afferens ad Altare ponet in extremo latere Epistolae. Plicabit celeriter Calicis velum, quod complicatum ponet prope corporale non longe a gradu candelabrorum, ut possit Celebrans applicare illi pallam, et facilius eam resumere.

14. Quum ad latus Epistolae accedet Celebrans, aquam et vinum in Calicem infusurus, dextera ampullam vini, aquae sinistra accipiet, quas si opus fuerit, super sudariolo absterget: dextera ministrabit ei ampullam vini, quam recipiet sinistra, tum eadem dextera aquae ampullam porriget, quam manu eadem resumet, advertens ut utramque osculetur tum in porrigendo, tum in recipiendo, atque ita praesentet eas sustinens prope imam partem, ut Celebrans possit commode accipere.

15. Ampullis hoc modo ministratis, seponet ampullam vini, quam poterit etiam ad abacum referre, ac reversus ad Altare eodem loco implicabit sudariolum seu manutergium in Altari ipso, et dextera ampullam aquae, sinistra pelviculam sumet, ablutionem manuum Celebranti ministraturus.

16. Quum Celebrans manus abluturus ad latus Epistolae redierit, reverentiam ei faciet, aquam manibus ministrabit, iterabit reverentiam, aquam pelviculae proiicet in conchulam praeparatam supra, vel prope abacum, reponet super abacum pelviculam cum ampullis et recipiet de Altari sudariolum, quod iterum plicatum super abaco reponet.

17. Redibit deinde ad Altare secum afferens campanulam geniculabit ut antea in infimo gradu vel in plano a cornu Epistolae: respondebit *Suscipiat Dominus* etc. paullum inclinatus, quum Celebrans dicto *Orate fratres* se converterit ad Altare. Ad Trisagium tres distinctos tinnitus duplices campanula edet, eaque in pavimento deposita, ad *Benedictus qui venit* se simul cum Sacerdote signabit.

18. Sub finem *Memento* vivorum assurget et accendet candelam seu cereum, insistentem in cornucopio parieti affixo a cornu Epistolae. Hoc facto rursum geniculabit sed propius Celebrantem et in gradu superiore suppedaneum proximo. Quum Celebrans, verbis Consecrationis prolatis, genu flectet, minister se prefunde inclinabit, et confestim erectus extremitatem posteriorem planetae aliquantum sinistra sublevabit, dextera autem campanulam pulsabit tribus duplicibus tinnitibus, vel sono continuato, ac peracta elevatione, demittet planetam, atque inclinationem ut antea iterabit. Hoc ipsum exsequetur in Calicis elevatione.

19. Expleta Calicis elevatione assurget, campanulam ad abacum referet, et redibit geniculatum quo ante elevationem erat seque signabit pectusque percutiet, quum haec faciet Sacerdos.

20. Dum Celebrans Hostiam consecratam sumet, minister paullum inclinabitur; illo autem super corporali fragmenta patena colligente, assurget et acceptis ampullis redibit ad Altare et genuflexionem faciet, antequam illuc ascendat, siquidem Ibi adhuc est SS. Sacramentum. Ascendet igitur ad Altare et se sistet in gradu superiori subtus suppedaneum, advertens ut paullum se inclinet quum Sacerdos Calicem sumet.

21. Ascendet deinde super suppedaneum, et deosculans ampullam prius et postea, ministrabit vinum in Calicem propter

purificationem, attendens ut ampulla aliquantum a Calice absit, dum vinum infundet.

22. Hinc ad latus Epistolae recedet, ibique expectabit Celebrantem, cui super digitos aquam et vinum ob purificationem effundet, ampullas, ut antea monuimus, deosculans.

23. Descendet de Altari, ampullas super abaco relinquet, ad Altare redibit, perget ad latus Evangelii, sumet Missale cum cussino seu legili, et transferet ad cornu Epistolae, ut in Missae exordio: tum cereum in cornucopio a latere Epistolae extinguet quem accenderit pro elevatione, et reversus, ut antea, ad latus Evangelii, in gradu infimo sive in plano sub suppedaneo geniculabit. Ad *Dominus vobiscum* et orationes, quas recitabit Sacerdos, respondebit.

24. Si propter ultimum Evangelium ad latus hoc referendum sit Missale, statim ac responderit *Deo gratias* ad *Ite Missa est*, accelerabit gradum aliquantulum, cum debita decentia, dum transferet Missale cum cussino vel legili, ut commode possit ad benedictionem Sacerdotis in suppedaneo genuflectere: quod si in eo transferendo tempus ipsum deficeret, geniculabit in suppedaneo ipso ad benedictionem sustinens manibus Missale, quod celeriter Altari imponet.

25. Si Evangelium S. Joannis *In principio* erit recitandum, postquam responderit *Gloria tibi Domine*, sumet Missale et biretum, subsistet in latere Epistolae, unum tantum genu submittet ad verba *Et Verbum caro factum est*, et dicto *Deo gratias*, primum a cornu Evangelii, deinde a latere Epistolae candelas extinguet.

26. Quod si aliud Evangelium a Celebrante legendum erit, postquam Minister Missale, ut supra, transtulerit, paulisper consistet in gradu superiori infra suppedaneum inclinaturus caput ad nomen Jesu, si in principio Evangelii nominabitur: deinde transibit ad latus Epistolae et in promptu habebit arundinem sive perticam cum extinctorio ad extinguendas candelas. Ubi responderit *Deo gratias* in fine Evangelii, perget ad latus hoc et candelam extinguet, tum Missale cum cussino seu legili accipiet, quod ad latus Epistolae referet, et candelam in eodem

latere extinguet. Posita prope Altare arundine cum extinctorio, sumet Missale et biretum, ut in accessu ad Altare, se sistet ad dexteram Celebrantis, atque una cum eo facta reverentia profunda vel genuflexione, modo superius tradito, biretum ei porriget deosculans manum eius, sed ita porriget, ut commode possit media parte accipere. Hinc procedet ad sacrarium, Sacerdotem praecedens, observans quae docuimus in exitu de sacrario eundi caussa ad Altare.

27. In sacrarium quum venerit, reverentiam profundam Cruci, vel imagini efficiet, deponet Missale, manipulum expediet Sacerdoti, et planetam ab ipso dimissam reponet extensam super scamnum vel in tabula; stolam deinde a Sacerdote accipiet, quam ccmplicatam quatuor plicaturis imponet planetae: super stola ponet manipulum: super manipulo et stola cingulum complicatum et ipsum quatuor plicaturis: adiuvabit Sacerdotem in demittenda Alba, quam duobus aut tribus plicaturis complicabit et imponet aliis paramentis: amictum postremo super Alba locabit, eumque plicare poterit et cum purificatorio reponere in arcula vel armario huic rei stabilito. Biretum sine osculis restituet Sacerdoti, quem reverentia salutabit. Superpelliceo autem deposito aequum esset, ut in ipso sacrario orationem *Agimus tibi gratias*, aut aliam similem recitaret.

§. 2. *Pro Communione Ministri.*

28. Si Minister de sacra Mensa in Missa participare cupiet, quum Celebrans fragmenta patena colliget, assurgens genuflectet ad SS. Sacramentum, dein pergens ad abacum sumet mappulam, quae Communioni inservit (*a*). Redibit ad latus Epistolae et geniculabit super gradu de latere, inclinatusque profunde Confessionem recitabit dum Celebrans Calicem sumet.

29. Ubi Celebrans recitaverit *Indulgentiam*, ad quam Minister se signabit, et respondebit *Amen*, assurget, genuflexionem ad SS.

(*a*) Mappula, qua opus est pro Communione, oportet ut alia sit a manutergio vel sudariolo, quo Sacerdos manus abstergit, idque propter decentiam et debitam erga SS. Sacramentum observantiam.

Sacramentum efficiet eodem tempore, quo Sacerdos, et geniculabit super gradu superiori, vel in suppedaneo ex eadem Epistolae parte, sed in medio et propius Celebrantem.

30. Quum communicatus fuerit descendet in planum, genuflectet ad SS. Sacramentum, si aderit, secus reverentiam profundam Cruci efficiet.

31. Si et alii aderunt inter mysteriorum celebrationem communicandi, iique vel clerici essent, Minister communicabit primus.

§. 3. *Pro adstantium Communione.*

32. Si in Altari, in quo res divina conficitur, non servabitur SS. Sacramentum, atque unus vel plures adstabunt Communionem petentes, meminerit Minister praeparare in abaco mappulam pro eorum Communione et capsulam cum particulis communicandorum numero respondentibus.

33. Quum Celebrans leget Offertorium, capsulam cum particulis de abaco sumet, eique ministrabit, significans ipsi, quoad fieri possit, communicandorum numerum. (*a*)

34. Sacerdote fragmenta colligente, assurget Minister et adiens ad abacum mappulam pro Communione accipiet, Sacerdote autem Calicem sumente, geniculabit in latere Epistolae, et profunde inclinatus Confessionem recitabit. Qui velint communicare, si Altare balaustrio careat, prosternent se ante Altare extra gradus. (*b*)

35. Minister, nisi parata in balaustrio esset pro communicandis tobalea, mappulam dabit primo communicando, et ab ultimo postea recipiet.

36. Si multi fuerint communicandi, consurgentibus de balaustrio primis, succedent sensim reliqui.

(*a*) Particularum numerus congruere debet cum communicandorum numero, ne Celebrans adigatur eas consumere, si supersint, vel frangere ac dividere, si desint.

(*b*) Fas quidem non est viros laicos multoque minus foeminas propter Communionem ingredi ad Altare, quum debeant eam sumere extra septa sive ad balaustrium eiusdem.

37. Postremo animadvertat Minister extremitatem anteriorem vestium sublevare Celebranti, quum ad Altare revertetur.

§. 4. *Alia quaedam monita ad Ministrum de Missis privatis.*

38. Praeter ea quae superius meminimus, curabit Minister ut modo ab ipso dependeat, omnia in promptu sint quaecumque ad Altare spectant ad Missam celebrandam, videlicet ut binae candelae cereae super Altaribus sint in candelabris, quae Sacrificis destinata sunt; Crux cum Crucifixo; tabellae secretarum quae vulgo chartegloriae dicuntur; legile seu cussinus Missalis qui deberet esse concolor paramentis; ampullae aqua et vino plenae et satis clausae in pelvicula, sudariolium seu manutergium; campanula pro elevatione super abaco vel mensula prope Altare; cereus in cornucopio a cornu Epistolae accendendus ex ante elevationem ad consumationem; hasta cum gossypio cerato et cum extinctorio ad candelas tum accendendas, tum extinguendas. Si fiet Communio, praeparabit mappulam ad hanc rem assignatam et capsulam cum particulis quae suum operculum habeat et sit decens.

39. Si interea dum inceditur in Ecclesia, in aliquo Altari fiet elevatio Hostiae et Calicis, geniculabit, ut superius monuimus, neque assurget nisi quum assurgat Sacerdos, elevatione peracta.

40. Si Communio administraretur, geniculabit cum Sacerdote, si numerus communicandorum non excederet ternarium; sin maior esset, genuflexione duplici facta, assurget et cum Celebrante ad Altare procedet. Idem observandum ad elevationem et Communionem in reditu de Altari.

41. Transiens ante Altare maximum sive aliud, in quo asservetur SS. Sacramentum vel palam in Altari expositum sit, vel etiam ante Altare in quo celebretur festum et Reliquiae Sancti cuiuspiam sint expositae, in quibuscumque denique temporis locique adiunctis, Minister in omnibus prorsus tum in genuflexione tum in reverentia sese accomodabit Sacerdoti.

42. Si dum Sacerdoti inter Missam inservit, accideret ut

in alio Altari aut e regione aut in conspectu fieret elevatio, vel Communio adstantibus ministraretur, nullam eius rei geret curam, sed perget fungi officio suo etiamsi eo tempore stare deberet.

43. Caveat ne unquam manibus multoque minus cubitis Altari incumbat, etsi genuflectendum sit; ne tobaleam inquinet aut maculet gossypio cerato quum candelas, accendet, aut vino, quum Celebrante ministrabit; instauret candelas, si faede ab iis cera deflueret; ne pulset campanulam ad Trisagium et ad elevationem quum in Ecclesia Missa cantata celebrabitur, vel quum processio aliqua per Ecclesiam fiet, ut in festo Purificationis Beata Virginis, in Dominica Palmarum et similibus; item quum Clerus incedit ad chorum aut revertitur in Sacrarium, et similiter quum Celebrans cum Ministris et acolythis procedit ad Altare Sacrum solemne operaturus, aut operatus ab illo discedit.

44. Si in Ecclesia expositum sit SS. Sacramentum non pulsabit campanulam ad Trisagium neque ad elevationem, sed unum tantum tinnitum de campanula sacrarii ex ipso egrediens excitabit, ut signum Missae ad populum fiat.

45. In Missa pro defunctis, reverentiae quidem superius notatae Celebranti fiunt, sed nulla oscula figuntur ampullis aut aliis rebus, quae ministrantur vel accipiuntur ab ipso.

46. Si Missa, cui inservit, celebretur in Altari in quo palam expositum sit SS. Sacramentum, documenta quae sequuntur, observabit. In accessu ad Altare et in reditu ab ipso genuflexione duplici sive utroque genu, utetur: reliquas omnes genuflexiones, toto Missae tempore, uno tantum genu conficiet: simplici genuflexione, sive uno tantum genu utetur quum ad Altare accedet a latere, ut ex. g. quum afferet ampullas etc: non deosculabitur res quae Celebranti porriget vel ab ipso recipiet: Celebrans manus lavabit extra Altare facie ad populum conversa, et idcirco Minister adversum ipsum sese sistet: ad Trisagium et ad elevationem campanulam minime pulsabit.

47. Quibusdam anni statis diebus animum advertet ad discrimina, quae in hoc ministerio occurrere possunt, quaeque heic breviter innuuntur.

48. Quum Celebrans dicet *Flectamus genua*, ante orationem, Minister iam adgeniculatus respondebit *Levate:* si qua de cautsa stare pedibus deberet, tamen ad illa verba geniculabit, et ut supra respondebit.

49. Si plures inter Missam erunt dicendae lectiones, Missalis transferendi caussa non discedet de loco nisi post Epistolam. Respondebit *Deo gratias* ad singulas lectiones, excepta quinta e Danielis libro desumpta in sabbatis quatuor temporum.

50. Si in Epistola aut in graduali aut in tractu verba reperientur, ad quae genuflectet Celebrans, Minister si tunc stabit, genuflectet et ipse cum Celebrante versus Altare.

51. Hoc ipsum exsequetur in Evangelio, quum erit genuflectendum, ut die de Natali Domini ad *Verbum caro*, in Epiphania ad *procidentes adoraverunt eum*, genuflectet una cum Celebrante versus Missale.

52. In maiori hebdomada, quum in Missa legetur *Passio* omittet respondere *Gloria tibi, Domine:* stabit sicut ad Evangelium: submittet utrumque genu quum geniculabit Sacerdos, et ad ultimam partem *Passio* respondebit *Laus tibi Christe.*

53. In prima et altera Missa de sancto Iesu Christi Natali, purificationem et ablutionem Celebranti nequaquam ministrabit, sed quum ipse digitos purificabit in vasculo, assurget et Missale a cornu Evangelii ad Epistolae transferet. Nullam faciet genuflexionem Altari, siquidem Calix purificatus non fuit, faciet utique si in illo asservabitur SS. Sacramentum. Post primam alteramque Missam, dicto a Celebrante *Ite Missa est*, non transferet Missale, quod a Sacerdote apertum reliquetur ad reliquas Missas conficiendas.

DE OFFICIO SUBDIACONI IN FUNCTIONIBUS SACRIS.

CAPUT XII.

§. 1. *In Missa solemni.*

1. Subdiaconus praesto erit in Sacrario hora constituta, et cantum Epistolae praemeditabitur.

2. Monstrante Caeremoniario lavabit manus, si necesse fuerit; deinde ad tabulam, in qua disposita erunt sacra paramenta, adiuvante acolythorum altero, amictum, albam, cingulum, tunicellam et manipulum sibi induet. *(a)*.

3. Quum Celebrans se paraverit, Subdiaconus se bireto teget et consistet ad sinistram illius.

4. Ubi nunciabitur ipsi, discedet de loco, in quo sacris vestibus se paraverit, caput bireto nudabit, et facta Cruci vel imagini praecipuae sacrarii reverentia et Celebranti inclinatione, retecto capite bireto, iunctis manibus Diaconum praecedet.

5. Ad fores sacrarii caput discooperiet bireto, quod transmittet ad manum sinistram, digito medio manus dexterae aquam benedictam a Caeremoniario accipiet, se crucis signo signabit, biretum dextera recipiet iterumque caput cooperiet.

6. Si transiturus ante Altare sit, in quo SS. Sacramentum asservabitur, deteget caput efficietque genuflexionem quum dextrorsum habebit Celebrantem. Attendet ut dextera Celebrantem ipsum sustineat infra cubitum sinistrum, quum genuflexionem exsequetur: se rursus cooperiet et locum suum ante Diaconum recipiet.

7. Si transeundum erit ante Altare alicuius Sancti, cuius celebrabitur festum, vel insignes eius Reliquiae sint expositae,

(a) Subdiaconum Celebranti in sacris indumentis sumendis debere adiumento esse rubricae non praescribunt.

reverentia profunda simul cum Celebrante utetur, quum ipsum dextrorsum habebit, sed non sustinebit, quum nulla fiet genuflexio.

8. Ubi in presbyterium ventum erit, caput aperiet, biretum tradet Caeremoniario, seque super suam sinistram tenebit.

9. Si Clerus iam aderit in choro, subsistet in ingressu, ut dictum est, una cum Celebrante cumque ipso reverentiam Clero faciet primo versus Evangelii, deinde Epistolae latus. Sin Clerus Celebrantem et Ministros in accessu ad Altare praecesserit, reverentia ad chorum omittetur.

10. Perget cum Celebrante ante Altare, ibique genuflexionem Cruci, dum Celebrans reverentiam, efficiet. Si Subdiaconus erit Canonicus et ministrabit in sua Ecclesia, pro genuflexione reverentiam profundam Cruci exsequetur, itemque se geret quotiescumque genuflexio ad Crucem praescribetur.

11. Respondebit Celebranti ad confessionem, se signabit quum id faciet Celebrans et inclinationem efficiet ad *Gloria Patri*. Ad recitandum *Misereatur tui* inclinabitur aliquantum Celebrantem versus, deinde profunde inclinatus recitabit *Confiteor*, se paullum convertens ad Celebrantem dum pronunciabit verba *Tibi Pater* et *Te Pater*. Ubi Celebrans dixerit *Misereatur vestri* etc. assurget, et ad ℣. *Deus tu conversus* etc. se inclinabit sicut Celebrans.

12. Dicto a Celebrante *Oremus*, ipse sinistra ad pectus applicita, fimbriam anteriorem vestium Celebrantis dextera paullum elevabit, dum ille ascendet ad Altare, cumque ipso conscendet suppedaneum.

13. Conscenso suppedaneo, relinquet fimbriam vestium Celebrantis et stabit iunctis manibus.

14. Quum Celebrans deosculabitur Altare, genuflexionem minime faciet.

15. Permanebit suo loco sinistrorsum Celebrantis, dum ipse incensum in thuribulum iniiciet.

16. Accepto a Celebrante thuribulo, genu flectet ad Crucem quum ipse reverentiam efficiet, deinde manu dextera pariter cum Diacono sustollet posteriorem planetae Celebrantis partem, sinistra pectori applicita.

17. In Altaris thurificatione incedet cum Celebrante, et genu ad Crucem flectet, quum ille reverentiam exsequetur.

18. Sub finem thurificationis, videlicet quum Celebrans ultimum thuribuli ductum exsequetur in anteriori Altaris parte ad Epistolae latus, relinquet planetam, ad latus dexterum eiusdem Celebrantis transibit, sese addet Diacono, cumque ipso in planum laterale Epistolae descendet, se vertet ad Celebrantem manens ad sinistram Diaconi, cum quo reverentiam Celebranti faciet ante et post thurificationem.

19. Ascendet ad Altare, seu potius appropinquabit ad ipsum, manens in plano vel super gradu infimo et se dextrorsum Diaconi sistet ita ut Celebrans, Diaconus et Subdiaconus quasi quemdam semicirculum componant.

20. *Kyrie* alternatim cum Celebrante recitabit, scilicet *Kyrie eleison - Christe eleison - Christe eleison - Kyrie eleison.*

21. Si ad cantum *Kyrie* erit sedendum, discedente de Altari Celebrante, sę convertet Subdiaconus super sinistram suam, descendens se sistet ad dexteram Celebrantis, manuque sinistra eum sustinebit infra cubitum dexterum quo tempore de gradibus descendet, tenens interea dexterám manum extensam ante pectus.

22. Ad scamnum ubi venerit, animum advertat ad sublevandam manu dextera posteriorem planetae Celebrantis partem ne super ea sedeat, accipiet deinde biretum suum, quod utraque manu sustinebit ante pectus, inclinationem faciet Diacono, loco suo sedebit ad laevam Celebrantis et caput bireto teget. *(a)* Quum sederit, ambas manus extensas prope genua ponet.

23. Sub finem cantùs *Kyrie* ad Caeremoniarii nutum nudabit caput, assurget, biretum suum deponet in scamno et meminerit tollere de dorsuali, seu postergali scamni fulcro partem posteriorem planetae Celebrantis.

24. Discedet cum Celebrante de scamno, manibus semper iunctis se tenens ad sinistram illius, et priusquam deveniat ad medium Altare, reverebitur chorum in parte versus latus Epi-

(a) Ministri antequam consideant, reverentiam Celebranti efficere non debent, quemadmodum quidam irregulariter solent, sed inclinationem ad invicem debent exsequi.

stolae tum in altera versus cornu Evangelii, animadvertens et in hac actione ad incedendum semper sinistrorsum Celebrantis, ita ut quum salutationem faciet versus cornu Epistolae, gradum modice contineat, quum vero salutabit versus latus Evangelii, acceleret gradum aliquantulum, idque ut semper sit eadem positione ad laevam Celebrantis, ut nuper dictum est.

25. Progressus ante Altare, dum Celebrans reverentiam efficiet, Subdiaconus genu flectet ad Crucem, sustollet fimbrias anteriores vestium Celebrantis donec is conscenderit suppedaneum, tum ante infimum gradum Altaris post Celebrantem consistet.

26. Quod si Celebrans cum Ministris non considebit, sub exitum *Kyrie* cantati Celebrans perget ad medium Altare, et Subdiaconus ad Diaconi sinistram de gradibus descendet seque sistet post Diaconum ante gradum infimum. Quum in medium venerit, nullam faciet genuflexionem.

27. Quum intonabitur *Gloria in excelsis*, ad verbum *Deo* caput inclinabit, et non genuflectens ad sinistram Celebrantis ascendet, cumque ipso prosequetur recitationem praedicti hymni, ad verba *Adoramus te, Gratias agimus tibi* etc. inclinabit caput, et dum dicetur *Cum Sancto Spiritu* se muniet signo crucis.

28. Deinde flectet genu in suppedaneo, quum Celebrans Crucem reverebitur, seque vertens super sinistram suam, cum Celebrante de Altari descendet a latere, ipsum sustinens, comitans, omniaque exsequens quae superius pro cantu *Kyrie* num. 21. et 22. adnotata sunt.

29. Dum canetur *Adoramus te, Gratias agimus* etc. caput nudabit ponens biretum prope genu dexterum, advertetque ut actionem nudandi et operiendi caput peragat eodem tempore quo Celebrans et Diaconus exsequentur.

30. Sub finem cantus *Gloria*, capite nudato assurget, biretum suum in scamno relinquet, reverentiam choro faciet, et procedens ad Altare omnia complebit quae superius num. 23. et 24. sub exitum *Kyrie* tradita sunt.

31. Ad verba *Dominus vobiscum* stabit ante infimum gra-

dum post Diaconum, iisque cantatis verbis, sine genuflexione Diaconum sequetur incedens in eodem plano. Ad orationem vel orationes, si plures fuerint, cantatas, manebit post Diaconum stans in plano ante infimum gradum; ad verbum *Oremus* inclinationem faciet Crucem versus, itemque si in oratione nominabitur sanctissimum Jesu nomen; quod si Beata Virgo, vel Sanctus de quo celebratur officium aut commemoratio, nominabitur, librum versus inclinabit caput.

32. Inter cantum orationis, sive ultimae si plures erint canendae, recipiet a Caeremoniario, vel ab acolytho Epistolarium, quod sumet utraque manu et ante pectus sustinebit, manibus autem ad extremitates libri laterales et inferiores applicitis, efficiens ut apertura eiusdem libri ad suam sinistram versa sit. Ad conclusionem ultimae, orationis, dum proferentur verba *in unitate* etc. procedet in medium ante Altare, genuflexionem efficiet et ad chorum reverentiam versus utrumque latus Evangelii et Epistolae, redibit ubi antea erat, et post *Amen* quum chorus consederit, sustinens sibi librum aperiet, et Epistolam canet tono constituto *(a)*.

33. Cantata Epistola, claudet librum dans operam ut eiusdem libri apertura suae sinistrae, ut prius, respondeat, redibit in medium ante Altare, genuflexionem Cruci et reverentiam choro iterabit, et incendens in plano presbyterii ibit ad latus Epistolae, ascendet gradus, geniculabit ante Celebrantem in extremitate suppedanei, deosculabitur dexteram illius manum, quam ille imponet Missali, ad eoque benedictionem accipiet.

34. Si Canonicus esset atque in Ecclesia sua ministraret, Celebrantis genibus non advolvetur, sed profunde inclinatus manum eius deosculabitur et benedictionem accipiet.

35. Si Celebrans tractum aut sequentiam legerit, ita ut post cantatam Epistolam legere non desierit, Subdiaconus permanebit in plano ante latus idem, et ascendet, ut supra, quum Celebrans lecturam praedictam absolverit.

(a) Si mos fuerit locare legile pro cantu Epistolae, quemadmodum solet in quibusdam cathedralibus, Subdiaconus ponet librum super legile, manus autem extensas in extremitate inferiori libri eiusdem.

36. Accepta, ut supra demonstratum est, benedictione, assurget, se convertet ad sinistram suam, Epistolarium tradet Caeremoniario vel acolytho, qui prope ipsum aderit, conscendet suppedaneum, sumet Missale cum cussino seu legili, se convertet dextrorsum, de Altari descendet, genuflexionem in medio ad Crucem efficiet, ex latere opposito ascendet ad Altare, ibique cussinum seu legile cum Missali ponet ita ut summitas ipsius versa aliquantum sit versus angulum posteriorem eiusdem lateris Altaris, eoque loco iunctis manibus consistet.

37. Monstrabit Celebranti Evangelii initium, se in fronte cum eo signabit, in ore et in pectore, respondebit ipsi, folia etiam Missalis evolvet, si opus fuerit. Poterit stare super suppedaneo ipso sive in gradu superiori secundum actiones quas erit exsecuturus. Quum Celebrans legendi Evangelii finem fecerit, respondebit *Laus tibi Christe*, et reverso in medium Altaris Celebrante, ad laevam eius in suppedaneo se sistet.

38. Quum Diaconus se convertet ut genua submittet et recitet *Munda cor meum* etc. Subdiaconus conversus super sinistram suam, de Altari descendet, ad ipsum se convertet ac sine genuflexione ibi subsistet fere in medio, aliquantulum tamen versus cornu Evangelii.

39. Diaconus autem descendet deinde de Altari et se adiunget Subdiacono se locans ad eius dexteram.

40. Caeremonarii nutu Diaconus, Subdiaconus, acolythi et thuriferarius efficient simul genuflexionem Cruci et reverentiam choro, primo versus latus Epistolae, deinde Evangelii.

41. Subdiaconus iunctis manibus praecedet Diaconum, ut procedat ad locum in quo canetur Evangelium. Ibi convertet tergum parietem versus, et latus sinistrum versus Altare habebit: utraque manu Evangeliarium accipiet, quod ipsi apertum a Diacono porrigetur eumdemque librum sustinebit apertum ante pectus dans operam ut facies sua ipso libro contegatur. Non dimovebitur hac positione etiamsi quid canetur, ad quod chorus ceterique omnes genuflectere deberent. *(a)*

(a) Si ad Evangelium canendum adhibebitur legile, ut supra memi-

42. Evangelii fine facto canendi, demittet librum super pectus quin eum occludat, attendet ad signum quod a Diacono monstrabitur, ac recta sine ulla genuflexione, aut reverentia deferet ad Celebrantem. Ante ipsum sumet librum sinistra manu in medio infra partem inferiorem, indice dexterae monstrabit ei principium Evangelii, dextera deinde sumptum appropinquabit ei librum, quem ille osculabitur. (*a*)

43. Postquam Celebrans librum osculatus erit, claudet eum sustinens ante pectus, reverentiam illi exsequetur et conversus sinistrorsum, descendet de Altari ex parte anteriori lateris Epistolae, librum Caeremoniario vel cuidam acolythorum tradet, et iunctis manibus ante infimum gradum subsistet fere ad extremitatem ipsius in latere eodem, facie paullum ad Diaconum versa.

44. Sequetur Diaconum, qui post Celebrantis thurificationem post ipsum se sistet super gradu superiori in medio, et consistens in plano iuxta eum genuflexionem exsequetur.

45. Quum intonabitur *Credo* caput inclinabit ad nomen *Deum* ac sine genuflexione conscendet suppedaneum ad sinistram Celebrantis, cum quo continuabit recitationem Symboli. Ad ℣. *Et incarnatus* etc. genuflectet cum Celebrante, quem sustinebit infra cubitum sinistrum manu dextera, sinistram tenens pectori applicitam. (*b*)

46. Absoluta Symboli recitatione, genuflectet in suppedaneo, convertetur sinistrorsum, de Altari descendet et perget ad scamnum ubi sedebit, sicut ad cantum hymni *Gloria in excelsis*. Dum canetur ℣. *Et incarnatus* etc. caput bireto aperiet et inclinabit.

nimus, Subdiaconus stabit post legile, et ad extremitates superiores libri manus apponet.

(*a*) Si pro cantu Evangelii adhibitum erit legile, Subdiaconus, peracto cantu illo, accipiet a Diacono librum et exsequetur quod hac paragrapho descripsimus.

(*b*) Ad ℣. *Et incarnatus* etc. simplicem genuflexionem efficere Subdiaconus debet, quemadmodum pro Celebrante rubrica praescribit verbo *genuflectit*.

47. Quum assurget post *Incarnatus* Diaconus sumpturus bursam cum corporali, Subdiaconus nudabit caput et utraque manu biretum ante pectus sustinens, assurget, sed non abscedet loco suo.

48. Postquam Dioconus, reverentia Celebranti facta, procedet ad Altare allaturus corporale, Subdiaconus sedebit, iterumque caput cooperiet. Quum autem Diaconus, corporali super Altari extenso, genuflectet in suppedaneo rediturus ad locum suum, Subdiaconus, ut antea, caput nudabit et assurget. Devenienti ad locum suum Diacono reverentiam faciet, tum sedebit caputque cooperiet. (*a*).

49. Sub finem Symboli redibit ad Altare, ut ad finem *Gloria* et subsistet in plano ante medium gradus infimi.

50. Ubi Celebrans *Oremus* cecinerit, genuflectet et perget ad abacum.

51. Quo quum venerit, velum humerale ei super humeros imponet et ante pectus alligabit acolythus. Tum sinistra sumet Calicem, et accepta extremitate anteriore veli, quae ad dexteram suam pendebit, calicem velo conteget dexteramque discoopertam ponet super parte veli eiusdem, qua tegetur calix, et super calice ipso, quem deferet ad Altare, ascendens illuc a latere sine ulla genuflexione.

52. Ad Altare quum venerit, consistet dextrorsum Diaconi et Calicem super Altare imponet versus Diaconum, qui stabit ad dexteram Celebrantis. Curabit ut leniter tollat de Calice extremitatem veli, quod defluere seu pendere patietur.

53. Si cantari Symbolum omissum fuerit, deferet super Calicem bursam quoque cum corporali, quam extremitate veli humeralis, ut supra diximus, cooperiet. (*b*)

54. Quum Diaconus amoverit pallam et patenam cum Hostia, Subdiaconus Calice ab nodo manu sinistra sumpto, dextera absterget purificatorio partem interiorem Calicis, quem deinde

(*a*) Reverentia ad invicem, ut supra notavimus, non vero Celebrantem versus, bini Ministri efficere debent.

(*b*) Hoc casu a Subdiacono afferendam esse bursam cum corporali per calice rubrica praescribit.

una cum purificatorio Diacono tradet. Tum ampullam vini tradet Diacono.

55. Postquam Diaconus vinum in Calicem infuderit, vinique ampullam deposuerit, dextera sumet aquae ampullam, quam paullum elatam sustinens ostendet Celebranti dicens *Benedicite Pater Reverende* et in medium Calicis tres, ad summam quatuor aquae guttas miscebit, et ampullam aquae restituet acolytho, qui eam ipsi ministraverit.

56. Hinc a Diacono patenat manu dextera accipiet, ac tum manum tum patenam veli humerelis extremitate dextera anteriori cooperiet; patenam appropinquabit pectori, se convertet dextrorsum, descendet ante Altare, subsistet in medio ante gradum infimum, genuflectet ibique consistet sustinens patenam elatam ad altitudinem vultus sui, et manum sinistram extensam pectori applicitam tenebit.

57. Ad *Orate fratres* demittet patenam ante pectus, inclinatus respondebit Celebranti *Suscipiat Dominus* etc. assurget et patenam rursus elevabit ante faciem suam.

58. Recipiet thurificationem se convertens sinistrorsum versus Diaconum, qui eum thurificabit, et patenam, ut antea, demittet, eamque elatam, ut supra, sustinebit quum conversus ad Altare erit. Genuflexionem et ante et post thurificationem omittere meminerit.

59. Sub finem cantus praefationis patenam ad pectus demittet, sine ulla genuflexione ad Altare ascendet ad sinistram Celebrantis, cum ipso recitabit *Sanctus*, sed nequaquam se signabit ad ℣. *Benedictus qui venit*, quippe manu dextera patenam sustinet (*a*). Ad locum deinde suum post Celebrantem ante infimum gradum sine genuflexione revertetur.

60. Paullo ante elevationem, scilicet quum Diaconus in extremo suppedaneo geniculabit, Subdiaconus geniculabit in infimo gradu in medio, et patenam applicitam pectori sustinebit. Si altare solo suppedaneo vel uno etiam gradu instructum erit

(*a*) In quibusdam locis obsolevit ritus, qui praecipit Subdiacono ut ascendat ad Altare ad recitandum *Sanctus* una cum Celebrante. Rubricam nobis sequi visum est.

Subdiaconus submittet genua versus cornu Evangelii in parte anteriori gradus illius vel in suppedaneo, ut Celebrans possit commode genuflexiones peragere.

61. Completa elevatione Calicis assurget quidem iterum, sed patenam elatam sustinere non desinet. Caveat ne genuflectat, quum id faciet Celebrans et Diaconus.

62. Ad *Pater noster* dum canentur verba *Et dimitte nobis debita nostra*, genuflectet, ascendet ad latus Epistolae in suppedaneum ad dexteram Diaconi, cui tradet patenam. Ubi ipsi detractum fuerit velum humerale, genuflexionem faciet versus Sacramentum, se convertet dextrorsum, descendet de Altari et redibit quo loco prius erat, ubi tamen non genuflectet.

63. Posteaquam Celebrans cecinerit *Pax Domini* etc. Subdiaconus facta genuflexione, ascendet ad Altare ad sinistram Celebrantis cumque ipso recitabit *Agnus Dei*, percutiens pectus aeque ac ille. Attendat ut adsit in suppedaneo quo tempore dicendum est *Agnus Dei* etc.

64. Recitato *Agnus Dei*, genuflectet ac redibit ad locum suum post Celebrantem ante infimum gradum.

65. Pacis osculum deinde a Diacono recipiet, cui supponens manus cubitis, et genae sinistrae illius approximans vultum suum, respondebit ei *Et cum spiritu tuo.*

66. Deinde genuflectet pacemque ad chorum deferet quo ordine declaratum est superius cap. VI, huius libri.

67. Redibit ante altare, genuflexionem efficiet, pacem dabit Caeremoniario vel clerico, qui comitatus eum fuerit, conscendet suppedaneum ad dexteram Celebrantis et genuflexionem iterabit.

68. Deteget Calicem quum Celebrans post sumptionem Hostiae expandens manus dicet *Quid retribuam* etc. et aliquantulum inclinabitur ad sumptionem tum Hostiae, tum Calicis.

69. Sumet ampullam vini, quod infundet in Calicem propter purificationem, deinde vinum et aquam post illud super digitos Celebrantis fundet propter ablutionem, postremo super digitos eius purificatorium imponet.

70. Descendet de Altari, et ante infimum gradum genuflexionem Cruci simul cum Diacono efficiet, conscendet suppeda-

neum ad latus Evangelii, accipiet a Celebrante Calicem, quem absterget atque exsiccabit purificatorio, purificatorium extensum super calicem, super purificatorium patenam et pallam deinde imponet, plicabit corporale, quod ponet in bursa, Calicem conteget velo, super quod ponet bursam cum corporali, et accepto Calice manu sinistra, dexteraque super bursam posita, amovebit eum de Altari, et de suppedaneo et gradibus descendens ac genuflectens in medio ante Crucem, deferet illum ad abacum et redibit in planum ante infimum gradum post Celebrantem. (*a*)

71. Sequetur Diaconum et Celebrantem, dum procedent ad medium Altaris, neque genuflexionem faciet, quum in medium devenerit.

72. Postquam Diaconus cecinerit *Ite Missa est*, vel *Benedicamus Domino*, sine ulla genuflexione, conscendet gradum superiorem versus angulum ipsius, ac genua flectente Diacono ad benedictionem Celebrantis, geniculabit et Subdiaconus, atque inclinatus se signabit.

73. Si transferendum erit pro ultimo Evangelio Missale, simul ac Diaconus cecinerit *Ite, Missa est,* sumet illud cum cussino vel legili et deferet ad latus Evangelii, genuflexionem dum transiet aute Crucem Altaris efficiens.

74. Si Canonicus fuerit et in Ecclesia sua ministraverit, ad Celebrantis benedictionem non geniculabit, sed profunde inclinabitur.

75. Benedictione accepta, assurget, suppedaneum conscendet et Celebranti assistet ultimum Evangelium legenti, se sistens ad illius sinistram: sustinebit ei tabellam Evangelii S. Joannis, atque hoc casu ad *Verbum caro* etc. non genuflectet. Quod si aliud Evangelium legetur, post *Ite Missa est* transferet missale cum legili, seu cussino ad latus Evangelii, et lectione absoluta, Missale claudet et in Altari relinquet. In utroque tamen casu, ad finem respondebit *Deo gratias*.

76. Post Evangelii recitationem accedet ad sinistram Celebrantis in suppedaneo.

(*a*) Est Subdiaconi, minime vero alicuius acolythi, quemadmodum non recte solent quidam, Calicem ad abacum deferre.

77. Si Clerus de choro decedet, manebit ibi et ad nutum Caeremoniarii se convertet ad laevam suam, descendet de Altari sinistra manu Celebrantem sustinens: ante Altare quum descenderit, genuflexionem Cruci efficiet, et accepto bireto cooperiet caput, iunctisque manibus Diaconum praecedens ad sacrarium proficiscetur.

78. Quod si Clerus officii continuandi gratia in choro permanebit, descendet de Altari Celebrantem sustinens, genuflexione Crucem, reverentia Clerum prosequetur versus Evangelii et Epistolae deinde latus, recipiet biretum, quod ante pectus utraque manu sustinebit, et acolythos sequetur. Progressus ad chori aditum caput teget bireto ed ad sacrarium procedet.

79. Quo quum devenerit, nudabit caput seque ad Celebrantis laevam locabit. Reverentia honorabit Clerum, si aderit ordinatus. Tum facta ad Crucem vel ad imaginem principem sacrarii atque etiam ed Celebrantem reverentia, quo loco antea induerit, sacra vestimenta demittet.

§. 2. *Ad Cleri in Missa solemni Communionem.*

80. Subdiaconus post sumptionem Calicis palla conteget Calicem ipsum, genuflectet cum Diacono locumque mutabit, nempe transiet ad Celebrantis laevam.

81. Ibi genuflexionem cum Diacono et Celebrante iterabit.

82. Discooperta a Diacono pixide et in medio corporali locata, renovabit alteram cum Diacono et Celebrante genuflexionem, descendet de suppedaneo super gradum superiorem ex parte Evangelii, ibique subsistet versa ad Diaconum facie, et latere sinistro ad Altare.

83. Profunde inclinabitur recitante Diacono *Confiteor* et Celebrante formulam *Misereatur* etc. Ad formulam alteram *Indulgentiam* etc. assurget seque signabit.

84. Si de sacra mensa erit participaturus, ibit geniculatum in extremitate suppedanei in medio et ad laevam Diaconi.

85. Post Communionem assurget seque locabit sinistrorsum Celebrantis ibique manebit iunctis manibus conversus ad communicandos.

86. Si non communicabit, post *Indulgentiam* redibit ad dexteram Celebrantis sive ad latus Epistolae in suppedaneum genuflectet cum Celebrante, et se convertet cum eo iunctis manibus ad communicandos, qua positione manebit toto Communionis tempore.

87. Si communicandi erunt laici ad balaustrium, comitabitur et sequetur Celebrantem, descendentem de gradibus Altaris manu dextera sustinebit: in reditu ad Altare manebit dextrorsum Celebrantis eique ad Altare ascendenti fimbriam anteriorem vestium sublevabit.

88. Genuflectet cum Celebrante, si qua in pixide superfuerit particula, pixidemque a Celebrante purificatam accipiet ab ipso, cooperculum imponet, eamque tradet Caeremoniario, ut ad abacum ferat.

§. 3. *In Missis solemnibus ferialibus.*

89. Subdiaconus utetur ritu pro Missis solemnibus statuto, cum exceptionibus tamen quae sequuntur.

90. Non tunicella, sed planeta induetur ante pectus plicata, dummodo Ecclesia sit una ex primariis. Secus, ministrabit amictu, alba, cingulo et manipulo indutus.

91. Si Diaconus cantabit *Flectamus genua* ante aliquam orationem, Subdiaconus genuflectet cum illo, sed primus omnium assurget canens *Levate* tono constituto.

92. Si planeta plicata utetur, sub initium ultimae orationis ante Epistolam deponet eam suo loco adiuvante acolythorum altero, recipiet Epistolarium canet Epistolam ac deosculatus Celebrantis manum, Epistolarium deponet, resumet planetam plicatam et ad latus Evangelii transferet Missale.

93. Ad ℣. *Adiuva nos Deus,* quum canendus erit, ad laevam Celebrantis geniculabit in suppedaneo.

§. 4. *In aspersione aquae benedictae in Dominicis.*

94. Exiens de Sacrario Subdiaconus ad laevam Celebrantis, fimbriam ipsi sinistram pluvialis sublevabit.

95. Quum devenerit in chorum caput nudabit et clerico vel Caeremoniario tradet biretum.

96. Geniculabit cum Celebrante ad laevam eius in medio gradu infimo, et postquam aspersus ipse fuerit, comitabitur Celebrantem in aspersione sustollens ei fimbriam sinistram pluvialis efficiens cum ipso ad chorum reverentiam.

97. Completa oratione, comitabitur eum ad scamnum, ubi manipulum brachio sinistro imponet, et facta ad chorum una cum Celebrante reverentia, ad Missam solemnem quae celebrabitur, accedet ad Altare.

§. 5. *In Missa solemni ante SS. Sacramentum publice expositum.*

98. Subdiaconus in huiusmodi Missis, reverentiis, ut solet, choro faciendis abstinebit.

99. In accessu ad Altare genuflexionem duplicem cum Celebrante et Diacono exsequetur, itemque descendens de Altari, Sacro peracto, si expositum adhuc erit SS. Sacramentum.

100. Quum in medium Altare procedet, vel ab ipso abibit, simplici semper genuflexione utetur.

101. In thurificatione Altaris ad introitum geniculabit in extremo suppedaneo ad laevam Celebrantis eique partem planetae posteriorem extollet, dum sanctissimum Sacramentum thurificabit.

102. Post Epistolam cantatam Celebrantis manum deosculabitur.

103. A consecratione ad consummationem genuflexiones praescriptas exsequetur quin ullam aliam respectu expositionis adiungat.

§. 6. *In Missa solemni de requie.*

104. Subdiaconus servabit quod paullo ante pro Missa solemni traditum est.

105. Conscenso Altari post confessionem non genuflectet

in suppedaneo, sed cum Celebrante postquam ille deosculatus erit Altare, perget ad latus Epistolae seque sistet ad dexteram Diaconi, sicut in aliis Missis solemnibus ad Introitum et *Kyrie.*

106. Post cantatam Epistolam, iterata genuflexione in medio et reverentia ad chorum, reddet Epistolarium Caeremoniario vel acolytho, manum enim Celebrantis non deosculabitur.

107. Lecta a Celebrante Sequentia, cum eo ibit sessum in scamno.

108. In reditu ad Altare, quum Celebrans ascenderit in medium, Subdiaconus transferet Missale cum cussino vel legili ad latus Evangelii.

109. Descendente de suppedaneo Diacono ad recitandum *Munda cor meum*, Subdiaconus descendet in planum ante Altare, deinde una cum Diacono et acolythis genuflexionem Cruci, reverentiam choro efficiet.

110. Evangelio cantato, claudet statim librum eumque acolythorum alteri tradet.

111. Ad Offertorium Calicem et bursam cum corporali ad Altare deferet, sed velo humerali nequaquam utetur.

112. Infundet aquam in Calicem, nullam petens a Celebrante benedictionem.

113. Patenam non sustinebit, sed infusa aqua, ut dictum est, de Altari descendet, genuflectet ad Crucem, ascendet ad laevam Celebrantis, deinde thurificationis tempore attollet illi posteriorem partem planetae.

114. Celebrante a Diacono thurificato, ampullam aquae et pelviculam ab acolytho accipiet, ascendet ante Celebrantem, eique super manus aquam effundet.

115. Aeque ac in aliis Missis respondebit *Suscipiat Dominus* etc.

116. Sub finem praefationis ascendet ad laevam Celebrantis, et simul cum eo recitabit Trisagium, cavens ne genuflectat antequam ascendat, neque in suppedaneo, neque quum ad locum suum redierit.

117. Ad orationem *Quam oblationem* etc., facta genuflexione ibit ad latus Epistolae, thuribulum accipiet a Caeremoniario

vel a thuriferario, et Sacramentum in utraque elevatione thurificabit. (*a*)

118. Ad finem cantus *Pax Domini* etc., genuflexionem exsequutus ascendet ad Altare, et recitabit *Agnus Dei* una cum Celebrante, quin pectus percutiat.

119. Post *Agnus Dei* genuflectet, transibit ad dexteram Celebrantis, ac genuflexionem iterabit.

§. 7. *In benedictione SS. Sacramenti.*

120. Si benedictioni, quae fidelibus a SS. Sacramento per Sacerdotem donabitur, assistent Ministri in maioribus solemnitatibus, Subdiaconus sacris paramentis in sacrario induetur.

121. In discessu de sacrario reverentiam Cruci vel imagini praecipuae faciet, capite tecto incedet ad laevam Celebrantis, cui fimbriam sinistram pluvialis sublevabit.

122. Ad fores sacrarii nudabit caput, aquam benedictam a Caeremoniario accipiet, se signabit, iterumque caput cooperiet.

123. In conspectum SS. Sacramenti deteget caput, manuque dextera biretum pectori applicabit, fimbriam pluvialis Celebrantis sinistra sustinens.

124. In aditu presbyterii biretum suum tradet Caeremoniario.

125. Ante Altare quum venerit, genuflexionem duplicem cum Celebrante in plano exsequetur et assurgens geniculabit ad laevam Celebrantis ipsius in infimo gradu.

126. Advertat, quod in hac functione elevare debet fimbriam anteriorem vestium Celebrantis quum geniculabit, eumque sustinere manu dextera prope cubitum sinistrum eius quum geniculabit quumque ascendet ad Altare, manuque sinistra prope cubitum dexterum eius quum de Altari descendet.

127. Assurget simul cum Celebrante impositiuro incensum in thuribulum, atque in hac actione accedet ad dexteram eius et fimbriam dexteram pluvialis eius sustollet.

(*a*) Non est Subdiaconi incensum in thuribulum pro elevatione immittere. Conf. Caeremoniale Episcoporum lib. II. cap. 11 §. 8.

128. In thurificatione fimbriam sinistram pluvialis elatam sustinebit, et cum eo ante et post thurificationem reverentiam efficiet.

129. Una cum Diacono manu dextera librum sustinebit Celebranti ut canat orationem *Deus qui nobis* etc.

130. Post orationem velum humerale ante pectus Celebrantis alligabit, eique fimbriam sinistram pluvialis sustollens conscendet cum eo suppedaneum, et super suppedanei extremitate in benedictione geniculabit.

131. Completa benedictione de Altari descendet cnm Celebrante, iterumque geniculabit in infimo gradu ad laevam eius.

132. Consurget postea cum Celebrante, cumque ipso genuflectet et accepto bireto caput operiet.

133. Redibit ad sacrarium procedens ad laevam Celebrantis cuius fimbriam sinistram pluvialis sublevabit.

134. Reversus in sacrarium nudabit caput, reverentiam Cruci vel imagini sacrarii, reverentiam etiam Celebranti faciet, et sacras vestes deponet.

§. 8. *In festo Purificationis B. Mariae Virginis.*

135. Subdiaconus in sacrario se parabit amictu, alba et cingulo, ac si Ecclesia erit ex primariis, planeta etiam violacea ante pectus plicata induetur.

136. Discedens de sacrario, facta Cruci vel imagini praecipuae reverentia, incedet capite tecto ad laevam Celebrantis, cui fimbriam sinistram pluvialis sustollet.

137. Ad sacrarii fores nudabit caput, aquam benedictam accipiet, se signabit iterumque bireto operiet caput.

138. Si hoc festum in Dominicam inciderit, quum aspersio tunc aquae benedictae facienda sit, omittet ad fores sacrarii se aqua benedicta signare.

139. Ad ingressum presbyterii deteget caput et biretum tradet Caeremoniario; faciet vel omittet reverentiam choro, prouti se geret Celebrans.

140. Ante Altare autem genuflexionem Cruci efficiet, con-

scendet suppedaneum, elevans interea vestium Celebrantis fimbriam anteriorem.

141. Quum Celebrans osculabitur Altare, non genuflectet, deinde eum sequetur in latus Epistolae, iunctisque manibus ad laevam eius se sistet.

142. Post quintam orationem accedet ad dexteram Celebrantis, eique fimbriam dexteram pluvialis sustollet quum incensum in thuribulum iniiciet, quumque asperget et thurificabit candelas, deinde ad laevam Celebrantis rursus redibit.

143. Ad medium Altare procedet cum Celebrante ipso, cuius adstans dexterae ad chorum se convertet.

144. Candelam suo tempore accepturus geniculabit sinistrorsum Diaconi in extremo suppedaneo ante Celebrantem, advertens ut prius candelam, deinde manum Celebrantis osculetur.

145. In candelarum distributione adstabit dexterae Celebrantis, cuius fimbriam pluvialis elatam sustinebit.

146. Quum Celebrans post distributionem lavabit manus in cornu Epistolae, sustollet ei fimbriam pluvialis, deinde redibit cum eo ad latus Epistolae, ut in functionis initio.

147. Ad orationem *Exaudi, quaesumus Domine*, genuflectet et assurgens cantabit ℣. *Levate*, si a Diacono cantatum erit *Flectamus genua*.

148. Accedet deinde ad dexteram Celebrantis, eique incensum in thuribulum immittenti fimbriam dexteram pluvialis sustollet.

149. Descendet a latere Altaris eodem, sumet Crucem processionalem, se adiunget acolythis, quibuscum ibit ad ingressum presbyterii, ibique Altare versus convertetur.

150. Ubi Diaconus cecinerit ℣. *Procedamus in pace* et cantores responderint *In Nomine Christi. Amen*, facta ab acolythis genuflexione, se convertet dextrorsum et per Ecclesiam cum processione proficiscetur.

151. In processionis reditu ad Altare, deponet Crucem et consistet ante Altare prope cornu Evangelii ut Celebranti se adiungat.

152. Quando Celebrans cum Diacono ante Altare devenerit,

se sistet ad Celebrantis laevam, genuflectet ad Crucem, cum eo perget ad scamnum, dimittet paramenta violacea et albis induetur. Quod si hoc festum in Dominicam privilegiatam incideret, induet tunicellam et manipulum violacei coloris.

153. Facta deinde ad chorum reverentia, accedet ad Altare pro Missa solemni.

§. 9. *In feria IV. Cinerum.*

154. Subdiaconus e sacrario ad Altare accedens sequetur quae documenta tradita sunt pro functione praecedenti.

155. Conscenso una cum Celebrante suppedaneo, genuflexionem omittet dum ipse Celebrans Altare deosculabitur.

156. Veniet cum Celebrante ad latus Epistolae, ibique iunctis manibus ad laevam eius subsistet.

157. Post quartam orationem accedet ad dexteram Celebrantis, eique fimbriam dexteram pluvialis sublevabit, dum incensum iniiciet in thuribulum, et cineres postea asperget et thurificabit.

158. Deinde cum Celebrante in medium Altare procedet, cumque eo convertetur ad chorum, se tamen sistens ad laevam illius.

159. Cineres suo tempore cum Diacono accipiet, quocirca geniculabit ante Celebrantem et sinistrorsum Diaconi in extremo suppedaneo.

160. Distributionis tempore adstabit sinistrae Celebrantis, eique sinistram pluvialis fimbriam sustollet.

161. Post distributionem, Celebranti manus abluenti fimbriam pluvialis sublevabit.

162. Ad orationem *Concede nobis* etc. adstabit Celebranti sinistrorsum ut in functionis principio.

163. Descendet deinde a latere ad scamnum cum Celebrante, sibi induet manipulum, ac praemissis reverentiis praescriptis, redibit ad Altare Celebranti in Missa solemni ministraturus.

§. 10. *In Dominica Palmarum.*

164. Subdiaconus in accessu ad Altare servabit quod relate ad functionem Purificationis B. Virginis superius demonstratum est.

165. Post aspersionem aquae benedictae sibi induet manipulum in brachio sinistro, conscendet suppedaneum cum Celebrante, non genuflectet quum hic Altare osculabitur, cum eo veniet ad latus Epistolae, ibique sinistrorsum eidem adstabit.

166. Quum canetur prima oratio, descendet post Celebrantem in planum, planetam plicatam, si usus fuerit, demittet, recipiet Epistolarium et ritu pro Epistola praescripto lectionem eodem tono cantabit.

167. Lectione cantata, osculabitur manum Celebrantis, relinquet Epistolarium, planetam plicatam, si adhibenda sit, iterum induet, et ad laevam Celebrantis redibit.

168. Appropinquabit, quum tempus erit, ad dexteram Celebrantis eiusdem, fimbriam dexteram pluvialis eius sublevabit, quum incensum ingeret in thuribulum, et descendet ex Altari in medium ante infimum gradum.

169. Inserviet Diacono ad Evangelium quod cantabitur, servans ritum pro Missis solemnibus praescriptum, eoque cantato librum afferet Celebranti deosculandum, et Caeremoniario vel altero ex acolythis libro tradito, manipulum deponet et ad sinistram Celebrantis in suppedaneum redibit, ut functionis initio.

170. *Sanctus,* ut in Missa solemni, submissa voce cum Celebrante recitabit.

171. Post sextam orationem approximabit Celebranti dextrorsum, fimbriam pluvialis eius sustollet quum incensum in thuribulum iniiciet quumque palmas asperget et thurificabit.

172. Ad orationem cantatam, quae distributioni praemittitur, redibit ad laevam Celebrantis, deinde cum ipso procedet ad medium Altare, et versus chorum convertetur subsistens a dexteris eiusdem Celebrantis, cui fimbriam dexteram pluvialis sustollet.

173. Palmam suo tempore recipiet ob eamque rem ad lae-

vam Diaconi geniculabit in extremo suppedaneo ante Celebrantem, et deosculabitur palmam et ipsius Celebrantis manum.

174. Accepta palma assurget, eamque acolythorum alteri tradet, ad dexteram Celebrantis redibit, cui pluviale distributionis tempore sublevabit.

175. Post distributionem eidem Celebranti manus abluenti sustollet pluviale.

176. Ad alteram orationem ante processionem adstabit Celebranti sinistrorsum, ut functionis initio.

177. Deinde dextrorsum accedet Celebranti, et ingerenti incensum in thuribulum fimbriam dexteram elevabit, de Altari a latere descendet, sumet Crucem processionalem, coibit cum acolythis et ad presbyterii aditum subsistet.

178. Quia Crux est velo contecta, sic advertet ut imago Crucifixi sit ad populum non ad Clerum conversa.

179. Post cantatum a Diacono ℣. *Procedamus in pace*, et responsum a choro *In Nomine Christi. Amen*, ac postquam acolythi genuflexionem fecerint, se vertet et foris Ecclesiam proficiscetur.

180. Egresso ab Ecclesia toto clero, subsistet in limine portae, quae clausa erit, Cruce facieque ad portam eamdem conversa. Ad nutum Caeremoniarii partem imam portae extremitate inferiori hastae Crucis leviter pulsabit.

181. Ecclesiam introibit et ante Altare progressus Crucem deponet, ante infimum gradum subsistet versus cornu Evangelii, adstabit Celebranti, genuflectet ad Altare, perget ad scamnum, manipulum sibi induet, et reverentiis praescriptis ad Altare redibit ob Missam solemnem.

182. In Epistola canens verba *Ut in nomine Jesu . . . infernorum* genuflexione simplici utetur.

183. Ad cantum *Passio* palmam dextera sustinebit adstans lateri Epistolae sicut in introitu, dum legetur a Celebrante, deinde se convertet ad cantores *Passio* stans ante infimum gradum ad laevam Diaconi, efficiens cum eo et cum Celebrante unam fere lineam. Ad verba autem *Emisit spiritum* eodem loco cantores versus geniculabit.

184. Cantu *Passio* a cantoribus Diaconis absoluto, palmam suam tradet alteri ex acolythis, transferet Missale cum cussino vel legili ad cornu Evangelii et Celebranti ultimam partem Passionis legenti assistet.

185. Postea in suppedaneo sinistrorsum adstabit Celebranti. Descendet autem de suppedaneo et consistet ante Altare dum Diaconus recitabit *Munda cor meum*. Ad ultimam partem *Passio* quae cantabitur, sequetur ritum pro cantu Evangelii praescriptum ac postremo librum deferet Celebranti osculandum.

§. 11. *Feria V. In Coena Domini.*

186. Subdiaconus in Missa solemni huiusce diei ritum pro aliis Missis solemnibus et pro Communione Cleri praescriptum observabit.

187. Sub exitum Sacri, quia SS. Sacramentum in Altari expositum erit, ritu iam demonstrato pro huiusmodi expositione utetur.

188. Peracto Sacro, se adiunget Celebranti sinistrorsum, genuflectet in suppedaneo et a latere descendet ad scamnum, ubi manipulum deponet.

189. Redibit ante Altare cum Celebrante, cui fimbriam sinistram pluvialis sustinebit. In plano ante Altare genuflexionem duplicem exsequetur ad SS. Sacramentum, et assurgens geniculabit in infimo gradu ad laevam Celebrantis.

190. Consurget cum Celebrante, accedet ad eum dextrorsum, et immittenti incensum in bina thuribula fimbriam dexteram pluvialis sustollet, rursus deinde, ut antea, genuflectet, eique SS. Sacramentum thurificanti pluviale sustinebit.

191. Velum humerale Celebranti ante pectus alligabit, et accepto a Celebrante Calice cum Sacramento, assurget et sinistrorsum eius in processione incedet, elatam ipsi sustinens fimbriam sinistram pluvialis, eique respondens in hymnis et psalmis recitandis.

192. Ingressus in sacellum, in quo SS. Sacramentum exponetur, geniculabit in gradu infimo ad laevam Celebrantis, solvet

et detrahet ei velum humerale, tum consurget cum eo, sublevabit illi fimbriam dexteram pluvialis quum incensum iniiciet in thuribulum, genuflectet iterum ad laevam eius, atque incensanti SS. Sacramentum rursus fimbriam pluvialis elevabit.

193. Ad nutum Caeremoniarii assurget, genuflexionem duplicem in plano faciet, in aditu sacelli recipiet biretum, caput operiet et procedet ad sacrarium sinistrorsum Celebrantis, cui interea fimbriam sinistram pluvialis sustinebit.

194. In sacrarium ut venerit, nudabit caput, reverentiam Cruci vel imagini principali et Celebranti efficiet, tunicella exuetur, et alba tantum indutus, expectabit ibi donec tempus erit Altaria denudandi.

195. Recitatis in choro Vesperis, reverentiam Cruci vel imagini sacrari efficiet, caput operiet bireto, iunctisque manibus sequetur acolythos.

196. In chori aditu caput nudabit bireto, quod tradet Caeremoniario, se adiunget Celebranti sinistrorsum, reverentiam choro faciet, procedet ante Altare, et genuflexionem ad Crucem exsequetur.

197. Ascendet deinde cum Celebrante ad Altare, eumque adiuvabit in amovendis ab Altari eodem tobaleis.

198. De Altari descendet, genuflexionem Cruci et reverentiam choro efficiet, recipiet biretum, quo caput operiet in aditu presbyterii, et praecedens Diaconum perget ad reliqua Altaria, ubi exsequetur quod in primario peregerit.

199. Altaribus cunctis exutis, redibit ut antea ad presbyterium et permanebit ante Altare ad laevam Celebrantis. Dâto abeundi signo, genuflectet ad Crucem, caput bireto teget, ac praecedens Diaconum iunctis manibus ad sacrarium revertetur.

200. In sacrario autem reverentiam Cruci vel imagini praecipuae et Celebranti faciet et sacris paramentis exuetur.

201. Si fiet *Mandatum* praesto erit in cubiculo seu sacristia adiacenti aulae, in qua Mandatum peragetur, ibique amictum, albam, cingulum, tunicellam et manipulum coloris albi sibi induet.

202. Crucem vel imaginem principem salutabit, caput ope-

riet bireto, et incedet ad laevam Celebrantis, cui fimbriam sinistram pluvialis sustinebit.

203. Ad Altare deveniens nudabit caput, biretum tradet Caeremoniario, genuflectet ad Crucem et cum Celebrante conscendet suppedaneum.

204. Quum Celebrans osculabitur Altare, Subdiaconus non genuflectet et adstabit ei sinistrorsum.

205. Approximabit ad dexteram Celebrantis, fimbriam dexteram pluvialis eius sustollet, quum thus iniiciet in thuribulum, de Altari descendet et subsistet circa medium, ante infimum gradum.

206. Genuflectet cum Diacono, se adiunget illi pro cantu Evangelii, ut in Missis solemnibus, eoque cantato, librum osculandum deferet Celebranti, prope quem permanebit, ut in Missis solemnibus fieri solet.

207. Ibit cum Celebrante ad abacum sibique manipulum detrahet.

208. Comitabitur Celebrantem sinistrorsum et facta Cruci genuflexione, se sistet cum eo ante pauperem primum.

209. Eriget vel sustinebit crus pauperis, dum Celebrans eius pedem lavabit, idque faciet pauperibus singulis.

210. Posteaquam Celebrans pedes omnium pauperum laverit, comitabitur eum ad abacum, eique manutergium sustinebit dum manus lavabit.

211. Redibit cum Celebrante ad Altare ascendens a latere et adstabit sinistrae eius, dum canet versus et orationes.

212. Descendet de Altari, genuflexionem faciet Cruci, recipiet biretum, caput operiet, incedet ad laevam Celebrantis, cui pluviale sustinebit et gradum referet ad sacrarium.

213. In sacrarium ingrediens nudabit caput, et Cruci vel imagini praecipuae nec non Celebranti facta reverentia, sacra indumenta demittet.

§. 12. *Feria VI. in Parasceve.*

214. Non erit abs re, quod Subdiaconus animo prospiciat praevideatque quidquid in functione huius diei peragendum sibi sit.

215. In sacrario se parabit amictu, alba, cingulo et manipulo nigri coloris, ac si Ecclesia erit aliqua ex primariis, induet sibi planetam quoque nigri coloris ante pectus plicatam.

216. Meminerit, quod hac die suetae ad chorum reverentiae omittuntur.

217. In discessu de sacrario, facta ad Crucem vel ad imaginem praecipuam reverentia, bireto caput operiet et Diacono praeibit.

218. Ad fores sacrarii accepta aqua benedicta se signabit, dummodo aqua benedicta in vasis Ecclesiae servetur, secus signum Crucis omittet.

219. In presbyterium ingrediens nudabit caput, biretum tradet Caeremoniario, atque adstans Celebranti sinistrorsum cum eo procedet ante Altare, ibique facta genuflexione super gradus illius procumbet, caput et brachia ponens super cussino illic apparato.

220. Ad nutum Caeremoniarii assurget, suppedaneum cum Celebrante conscendet, non genuflectet quum Celebrans osculabitur Altare; deveniet cum eo ad latus Epistolae et transibit ad dexteram Diaconi, ut in introitu Missae solemnis.

221. Prima lectione primoque tractu cantato perget in planum post Diaconum in cornu Epistolae, genuflectet ad ℣. *Flectamus genua*, primusque omnium assurget et canet *Levate.*

222. Planetam plicatam, si usus fuerit deponet, Epistolarium recipiet, rituque solito canet secundam lectionem eodem ac Epistolae tono, et cantu peracto, genuflexionem Cruci exsequutus, Epistolarium committet Caeremoniario vel clerico qui eum comitabitur, non osculabitur manum Celebrantis, resumet planetam plicatam, si uti eum decebit, et ad locum quo ab initio erat, redibit.

223. In *Passio* canendo exsequetur quod pro Dominica palmarum demonstratum est, excepto quod palma hac die gestanda non est. Idipsum servabit ad ultimam partem, quae a Diacono canetur, nec librum osculandum Celebranti portabit.

224. Ibit deinde in cornu Epistolae post Diaconum propter orationes, quumque Diaconus cecinerit *Flectamus genua,* Subdiaconus, ut supra notatum est, cantabit *Levate.*

225. Post cantatas orationes, procedet cum Celebrante ad scamnum, planetam plicatam, si utetur, deponet, et cum Celebrante in planum Epistolae redibit subsistens iunctis manibus ad laevam illius. Ad ℣. *Venite adoremus* geniculabit cum ceteris paullum Crucem versus, et sequetur Celebrantem in tria illa loca, in quibus deteget Crucem.

226. Ad tertiam adorationem genibus flexis manebit in suppedaneo donec a Celebrante Crux imponetur cussino, assurgente deinde Celebrante, assurget una cum Diacono, genuflectet versus Crucem et descendens a latere de Altari, occurret Celebranti ipsumque ducet ad scamnum.

227. Ibi suo loco stabit donec Celebrans Crucem adoraverit, tum deponet manipulum, sedebit, calceos pedibus detrahet, ibitque cum Diacono Crucem adoratum, advertens ut tres distinctas genuflexiones, quemadmodum fecerit Celebrans, exsequatur.

228. Reversus ad scamnum calceabit iterum pedes, resumet manipulum et planetam quoque plicatam, si utetur, sedebit ad laevam Celebrantis, atque alternatim cum ipso et Diacono leget improperia.

229. Quum Diaconus referet Crucem ad Altare, nudabit caput, assurget et geniculabit.

230. Postea cum Celebrante et Diacono ante Altare procedet, genuflectet ad Crucem, recipiet biretum, operiet caput iunctisque manibus sequens Clerum, Diacono praeibit et proficiscetur ad sacellum, in quo SS. Sacramentum erit expositum.

231. In aditu eiusdem sacelli caput nudabit, biretum tradet Caeremoniario vel clerico, transibit ad laevam Celebrantis, perget ante Altare, genuflexionem duplicem efficiet, assurget et in infimo gradu sinistrorsum pariter Celebrantis adgeniculabitur.

232. Celebrante incensum in thuribula iniiciente, genibus flexis permanebit, eidem thurificanti SS. Sacramentum sustollet partem posteriorem planetae velumque humerale ante pectus alligabit.

233. In processione iunctis manibus incedet ad laevam Celebrantis, eique in hymnis et psalmis recitandis respondebit.

234. Ad Altare maximum quum ventum erit, geniculabit

in gradu infimo, et postquam Celebrans SS. Sacramentum Diacono in manus dederit, detrahet ei velum humerale de humeris.

235. Dum Celebrans ponet incensum in thuribulum, non transibit ad dexteram eius, sed partem posteriorem planetae sustollet thurificanti.

236. Deinde cum Celebrante suppedaneum conscendet, genuflectet et ad dexteram Diaconi transibit. Infundet aquam in Calicem nullam a Celebrante petens benedictionem.

237. Genuflectet ac reversus ad laevam Celebrantis genuflexionem iterabit, ipsumque Celebrantem in thurificatione Oblatorum et Altaris prosequetur. Ampulla deinde ministrabit illi aquam ad manus abluendas.

238. Cum Celebrante et Diacono ad medium Altare gradum referet, genuflexionem faciet ibique subsistet. Ad verba *Orate fratres* non respondebit *Suscipiat Dominus* etc.

239. Ad finem orationis *Libera nos quaesumus* etc. conscendet gradum superiorem ad laevam Celebrantis, geniculabit ad ostensionem Hostiae sacrae, sed partem posteriorem planetae Celebrantis nequaquam sublevabit.

240. Assurgente Diacono, assurget et Subdiaconus, qui accedet Celebranti sinistrorsum, et iterata deinde cum eo et cum Diacono genuflexione, transibit ad dexteram Celebrantis genuflexionemque renovabit.

241. Calicem deteget post Communionem, deinde pro ablutione Celebranti vinum et aquam ministrabit.

242. De Altari descendet, genuflectet in medio, ascendet ad latus Evangelii, Calicem abstergeet, complicabit corporale, omniaque ad abacum reportabit.

243. Redibit ad laevam Celebrantis in suppedaneum; post orationem *Quod ore sumpsimus* etc, cum eo de Altari descendet, genuflectet, biretum recipiet, excedet de presbyterio, in cuius aditu operiet caput, ac Diaconum praecedens ad sacrarium proficiscetur.

244. Quo quum venerit, salutabit Crucem vel imaginem praecipuam, sacrisque indumentis exuetur.

§. 13. *In Sabbato sancto.*

245. In huiusce etiam diei functione expediet, ut Subdiaconus animo prospicipiat actiones quas erit exsecuturus.

246. Hora praestituta se parabit amictu, alba et cingulo, ac si uti licebit, planeta etiam violacea ante pectus plicata induetur.

247. Ad nutum Caeremoniarii sumet Crucem processionalem et ad portam Ecclesiae vel ad atrium, si erit, procedet, et loco quo monstrabitur, subsistet.

248. Completa benedictione ignis et granorum thuris, ingredietur Ecclesiae portam, ibi subsistet eique manipulus violaceus imponetur.

249. Inde Crucem adhuc gestans ad Altare procedet tribus locis subsistens ad cantum *Lumen Christi*, ad quae tamen verba non genuflectet.

250. Ad Altare progressus consistet cum Cruce ante gradum infimum versus cornu Evangelii nullam faciens genuflexionem, tum perget ad legile una cum Diacono, ibique sinistrorsum legilis ac dextrorsum Diaconi usque ad totum canendum *Exultet* subsistet.

251. Absoluto cantu Praeconii, relinquet Crucem processionalem, se adiunget Diacono, genuflexionem ad Altare faciet et procedet ad scamnum Celebrantis, quocum redibit ad Altare a latere et in cornu Epistolae consistet prope dexteram Diaconi, ut in introitu Missarum solemnium.

252. Ibi permanebit dum canentur prophetiae. Ad orationes, quae prophetias subsequuntur, stabit post Diaconum ante infimum gradum, et cantato a Diacono ℣. *Flectamus genua*, primus de genuflexione assurgens canet *Levate*. Ad orationem duodecimam non praemittitur genuflexio, nec *Flectamus genua*, nec *Levate*.

253. Post prophetias, redibit ad scamnum cum Celebrante et manipulum demittet.

254. Procedet ad fontem baptismalem incedens ad sinistram

Celebrantis, cui fimbriam sinistram pluvialis sustollet. Genuflectet ad Altare, quum ab eo discedet ac bireto caput operiet.

255. Extra ingressum baptisterii quum venerit, caput nudabit, et Celebranti assistet in hac benedictione et in administratione etiam baptismatis, videlicet stans ad laevam Celebrantis pluvialis fimbriam sustollet ei quum aliquid aget super aquam. In aspersione aquae benedictae genuflectet, deinde dum populus per Ecclesiam aspergetur, ad laevam Celebrantis assidebit. Eidem manus abluenti manutergium et fimbriam pluvialis sustinebit.

256. Redibit, ut antea, ad Altare, ibique adstans Celebranti sinistrorsum, genu flectet ad Crucem, ibit ad scamnum, et planetam plicatam, si usus fuerit, demittet.

257. Si Ecclesia fonte baptismali carebit, post prophetias vadet ad scamnum, ibique manipulum et planetam plicatam, si usus fuerit, deponet.

258. Deinde perget ante Altare ad laevam Celebrantis, genuflexionem faciet, geniculabit et super gradus ipsius Altaris procumbet, ponens caput et brachia super cussino ibi apparato.

259. Ad ℣. *Peccatores* assurget, genuflexionem Cruci efficiet, accipiet biretum, praecedet Diaconum, caput operiet apud ingressum presbyterii et ad sacrarium proficiscetur.

260. Ibi manipulum et tunicellam albi coloris sibi induet ac revertetur ad Altare Diaconum praecedens.

261. Ad ingressum presbyterii nudabit caput, biretum tradet Caeremoniario, se locabit ad laevam Celebrantis, reverentiam faciet ad chorum et ad Missam solemnem ad Altare introibit.

262. In hac Missa ritum servabit pro aliis Missis solemnibus praestitutum, exceptis iis, quae sequuntur.

263. *Agnus Dei* non recitatur. Subdiaconus ad *Pax Domini* non ascendet ad laevam Celebrantis, sed Calice a Diacono contecto, hic ad sinistram Celebrantis transibit. Transeunte Diacono ad laevam Celebrantis, Subdiaconus ad dexteram ascendet et genuflexionem cum Diacono exsequetur.

264. Post cantatam antiphonam *Vespere autem Sabbati*

quum intonabitur *Magnificat*, Subdiaconus transibit ad laevam Celebrantis in suppedaneo eique in thurificatione Altaris, ut in introitu, assistet.

265. Celebrante a Diacono thurificato, Subdiaconus suo loco manebit in plano ad latus dexterum Celebrantis, ubi a Diacono incensabitur, postquam chorum thurificaverit.

§. 14. *In processionibus.*

266. Quum processiones Litaniarum maiorum minorumque faciendae erunt, Subdiaconus hora praestituta praesto erit in sacrario atque induetur vestibus sacris, idest amictu, alba, cingulo et tunicella violacea et bireto caput operiet.

267. Ad nutum Caeremoniarii, reverentia facta Cruci vel imagini praecipuae sacrarii, procedet ad Altare capite operto ad laevam Celebrantis, cui fimbriam pluvialis sustollet, et ad fores sacrarii aqua benedicta se signabit.

268. Ubi ad presbyterium ventum erit, caput nudabit bireto, quod Caeremoniario tradet, Clerum in choro, si aderit, reverebitur, ut pro Missis solemnibus demonstratum est, et deveniens ante Altare genuflectet ac fimbriam pluvialis Celebrantis demittet.

269. Stabit ante Altare dum cantabitur ant. *Exurge, Domine*, deinde geniculabit in gradu infimo initio Litaniarum, advertens ut Celebranti genua submittenti pluviale sustollat.

270. Cantato ℣. *Sancta Maria, ora pro nobis*, eodemque a Clero repetito, assurget ibique stans signum proficiscendi expectabit.

271. Quum discedendum erit, genuflexionem ad Crucem iterabit, receptoque a Caeremoniario bireto, caput rursus cooperiet.

272. In processione capite operto incedet ad laevam Celebrantis, cui fimbriam sinistram pluvialis sustinebit.

273. Si qua in Ecclesia statio fiet in itinere, servabit methodum eamdem superius traditam pro accessu ad Altare, ac Celebranti orationem canenti de Sancto patrono una cum Diacono librum manu dextera sustinebit.

274. Postquam processio venerit ad Ecclesiam, in qua absolvetur, ante Altare caput deteget bireto, quod Caeremoniario tradet et genuflexionem efficiet.

275. Genibus flexis assistet precibus et orationibus, quae recitandae erunt, et librum Celebranti, ut superius innuimus, sustinebit.

276. Functione peracta, assurget, genuflexionem iterabit ad Altare, recipiet biretum, quo caput operiet, atque ordine superius indicato ad sacrarium revertetur et sacra vestimenta deponet, vel ministrabit Celebranti in Missa solemni, si huic officio delegabitur.

277. Hoc ipsum servabit in aliis processionibus extraordinariis, quae forte ab Episcopo pro aliqua publica necessitate indictae essent.

278. Quibus in processionibus quaedam sacrae reliquiae a Celebrante ferentur, Subdiaconus elatam sustinebit fimbriam dexteram pluvialis Celebranti incensum in thuribulum iniicienti, sinistram vero sublevabit dum Reliquiarum peraget thurificationem. In hoc casu incedet in processione capite nudato. Si sub finem processionis per Reliquias easdem benedictio donabitur, geniculabit in extremo suppedaneo et Celebranti pluviale sustollet.

§. 15. *In vigilia Pentecostes.*

279. Functio huius diei nulla alia re differt ab sabbato sancto praeter benedictionem ignis et Cerei paschalis.

280. Quocirca Subdiaconus planeta plicata, vel alba tantum indutus in sacrario, procedet ad Altare, et facta ad chorum et ad Altare reverentia, adscendet ad ipsum cum Celebrante, et canentur prophetiae, ad quarum finem post *Oremus* non cantabitur *Flectamus genua*, nec *Levate*.

281. Devenietur deinde ad fontis benedictionem ut in sabbato sancto, et ministrabitur etiam baptismum.

282. Completa benedictione fontis et baptismatis etiam ministratione, redibit ad Altare, et ante ipsum procumbet quum canentur Litaniae.

283. Missa solemnis iisdem atque aliae ritibus celebrabitur, neque ullis animadversionibus hac in re locus est.

§. 16. *Pro Pentecoste eiusque octava.*

284. Subdiaconus osculatus manum Celebrantis, et cantata Epistola advertet ut sine mora transferat Missale cum legili seu cussino ad latus Evangelii, et in extremo suppedaneo ad laevam Celebrantis geniculabit ad ℣. *Veni Sancte Spiritus, reple* etc.

§. 17. *In processione SS. Corporis Christi et in aliis cum SS. Sacramento.*

285. Post sumptionem Calicis exsequetur quod monuimus fer. V. in Coena Domini, et sub finem Sacri quum Calicem operturus erit et ad abacum relaturus, servabit ea quae tradita sunt pro Missa solemni ante SS. Sacramentum publice propositum.

285. Peracto Sacro, se adiunget sinistrorsum Celebranti in suppedaneo, cum eo genuflectet ad SS. Sacramentum, de Altari a latere descendet, perget ad scamnum ibique manipulum deponet.

287. Si Celebrans dum stabit prope scamnum, incensum in thuribula immittet, meminerit accedere ad dexteram ipsius et fimbriam dexteram pluvialis eius sublevare (*a*).

288. Deveniet ante Altare ad laevam incedens Celebrantis, cui fimbriam sinistram pluvialis sustollet.

289. Ante Altare genuflexionem duplicem exsequetur prope infimum gradum, super quem deinde geniculabit adstans Celebranti sinistrorsum.

290. Si Celebrans incensum in bina thuribula imittet stans ante Altare, consurget cum eo, accedet ad dexteram ipsius ut fimbriam dexteram pluvialis sustineat thus in thuribula ingerenti.

(*a*) In expositione de quadraginta horis praescribitur ab Instructione Clementina, ut Celebrans thus iniiciat in thuribula, stans prope scamnum postquam pluviale indutus sit.

291. Rursus adgeniculabitur in infimo gradu sinistrorsum Celebrantis.

292. Eidem Celebranti SS. Sacramentum thurificanti sublevabit fimbriam sinistram pluvialis.

293. Eidem ante pectus velum humerale alligabit.

294. Dum Diaconus facta genuflexione ad SS. Sacramentum, quod Celebranti tradiderit, assurget, Subdiaconus etiam consurget, qui prompte se tenens ad laevam Celebrantis, convertetur cum ipso ad populum et proficiscetur in processionem.

295. In processione incedet ad laevam Celebrantis, sustinens ipsi fimbriam pluvialis, et respondebit eidem in recitandis hymnis et psalmis, qui semper incipientur a Celebrante, ideoque hic semper in fine psalmorum recitabit *Gloria Patri.*

296. Si processio flectet iter ad aliquam Ecclesiam vel ad aliquod Altare hac de caussa erectum, quum venerit ante Altare submittet genua in infimo gradu, quumque Celebrans SS. Sacramentum Diacono tradiderit, velum humerale ante pectus eius expediet.

297. Assurget una cum Celebrante, approximabit ad eius dexteram, et dexteram pluvialis fimbriam sustollet ei quum thus iniiciet in thuribulum.

298. Geniculabit rursus ad laevam Celebrantis, eique SS. Sacramentum thurificanti fimbriam sinistram pluvialis sublevabit et genibus flexis manebit; deinceps manu dextera librum sustinebit, ex quo ipse Celebrans orationem recitabit.

299. Simul ac cantata erit oratio, alligabit iterum velum humerale ante pectus Celebrantis, et ab ipso quum SS. Sacramentum acceptum fuerit, assurget atque adstans sinistrae illius se convertet et processionis ordinem iterum sequetur.

300. Processione ad Ecclesiam reversa, submittet genua in infimo gradu et velum humerale expediet Celebranti postquam ipse Sacramentum Diacono tradiderit.

301. Consurget deinde cum Celebrante, appropinquabit dexterae eius et incensum in thuribulum ingerenti fimbriam dexteram pluvialis sustollet.

302. Thure immisso, ut supra, geniculabit rursus ad lae-

vam Celebrantis, et in thurificatione SS. Sacramenti fimbriam sinistram pluvialis sustinebit.

303. Librum ex quo Celebrans orationem cantabit, manu dextera sustinebit, deinde velum humerale ante pectus eius alligabit.

304. Ad Altare cum Celebrante adscendet, sustinens ei fimbriam pluvialis, geniculabit in extremo suppedaneo, et Celebranti benedictionem impertienti dexteram pluvialis fimbriam sublevabit.

305. Post benedictionem de Altari descendet cum Celebrante, geniculabit in infimo gradu, et reverentia profunda peracta, velum humerale eidem Celebranti enodabit.

306. Reposito in tabernaculo SS. Sacramento, ac Diacono ad dexteram Celebrantis reverso, assurget simulque cum Celebrante et Diacono genuflexionem ante SS. Sacramentum exsequetur.

307. Recepto deinde bireto, incedens ad laevam Celebrantis, cui fimbriam pluvialis sustinebit, caput operiet, redibit ad sacrarium et sacra indumenta deponet.

308. Quod si SS. Sacramentum manebit adhuc in Altari expositum, genuflexione duplici in plano utetur, ac revertetur, ut supra, ad sacrarium, cavens tamen ne bireto prius caput operiat, quam extra conspectum SS. Sacramenti pervenerit.

§. 18. *Ad exsequias*

309. In exsequiis seu funeribus, relate ad Missam, servabit ea quae superius pro Missa solemni de requie tradita sunt.

310. Peracto Sacro, conscendet suppedaneum, coibit cum Celebrante sinistrorsum et genuflexione facta ad Crucem Altaris, ad scamnum a latere descendet.

311. Ibi manipulum demittet, sumet Crucem processionalem, sese addet acolythis et ibit ante Altare in extremo presbyterio, ad Altare conversus.

312. Genuflexione facta ab acolythis binisque clericis altero vasculum aquae benedictae, altero thuribulum ferente, se

convertet et passu gravi incedet super suam sinistram ad tumulum vel ad feretrum.

313. Si cadaver abfuerit, consistet ad extremitatem tumuli inter portam Ecclesiae et tumulum ipsum, licet exsequiae pro Episcopo vel Presbytero celebrentur. Sin aderit cadaver, consistet ad caput cadaveris, incedens semper circa ipsum et ad suam sinistram, donec eo devenerit.

315 Quum ad locum, quo standum erit, pervenerit, subsistet et ad suam commoditatem poterit Crucis pedem in pavimento ponere, eamque utraque manu sustinebit.

315. Non movebitur inde, nisi absolutione peracta.

316. Si cadaver efferendum sit ad coemeterium, proficiscetur ad nutum Caeremoniarii, et illuc quum venerit, se sistet ad caput cadaveris.

317. In reditu ad sacrarium sive a coemeterio sive ab Ecclesia, procedet via breviori ad sacrarium ipsum, ibique Crucem deponet et sacris indumentis exuetur.

318. Sin absolutio fieret super pannum nigrum vel super tumulum ante Altare erectum, consistet ad laevam Celebrantis in plano a cornu Epistolae.

219. Celebranti incensum in thuribulum ingerenti appropinquabit dextrorsum et fimbriam pluvialis sustollet.

320. Conscendet suppedaneum cum Celebrante, stabit ad sinistram eius conversus ad tumulum sive ad pannum nigrum, quum aspergetur et thurificabitur.

321. Post aspersionem et thurificationem convertetur cum Celebrante ad Altare, et stabit ad laevam eius dum canentur preces et oratio.

322. Completa absolutione, descendet cum Celebrante de Altari, et facta ad illud genuflexione, cum eo redibit ad sacrarium, ubi vestes sacras deponet.

DE OFFICIO DIACONI IN SACRIS FUNCTIONIBUS.

CAPUT XIII.

§. 1. *In Missa solemni.*

1. Diaconus praesto erit in sacrario ante horam constitutam, et animo perpendet cantum Evangelii et *Ite Missa est*, seu *Benedicamus Domino* secundum qualitatem ritus et festi.

2. Ad nutum Caeremoniarii lavabit manus, si necesse fuerit, deinde ad tabulam, in qua disposita erunt sacra paramenta, adiuvante aliquo acolytho, sibi induet amictum, albam, cingulum, stolam, quam humero sinistro imponet et cingulo super latus dexterum inhibebit, dalmaticam postremo et manipulum (*a*).

3. Quum paratus erit Celebrans, bireto caput operiet et sistet ad dexteram eius.

4. Signo dato exeundi e sacrario, discedet de loco, quo sacras vestes sibi induerit, nudabit caput et facta ad Crucem vel ad imaginem praecipuam sacrarii reverentia, et ad Celebrantem inclinatione, cooperto capite, iunctis manibus Subdiaconum subsequetur.

5. Ad fores sacrarii, deteget caput bireto, quod in manum sinistram transmittet, digito medio manus dexterae accipiet a Caeremoniario aquam benedictam, quam conversus ad suam dexteram porriget Celebranti, se convertet deinde, ut antea, signabit seipsum, biretum dextera recipiet, quo capite cooperto, ad Altare procedet.

6. Si transeundum sit ante Altare, in quo asservetur SS. Sacramentum, nudabit caput, et stante ad laevam eius Celebrante, genuflexionem efficiet. Advertat, ut Celebrantem genuflectentem sinistra manu sustineat infra brachium dexterum.

(*a*) Celebrantem a Diacono adiuvandum esse in induendis sacris vestimentis a rubrica nullibi praescribitur.

Tum rursus cooperiet caput et suum locum recipiet post Subdiaconum.

7. Item si transibit ante Altare Sancti alicuius de quo celebrabitur festum, vel Reliquiae insignes expositae sint, una cum Celebrante profunde inclinabitur, sed non sustinebit eum, quia non genuflectet.

8. Quum ad Altare maximum (*a*) venerit et presbyterium introiverit, biretum tradet Caeremoniario, se diriget ad suam dexteram, et expectabit donec Celebrans adstet suae sinistrae, ut ab ipso recipiat biretum quod tradet. Dum biretum Celebrantis utraque manu accipiet, primo manum eius, deinde biretum culmen versus osculabitur. Postea biretum Celebrantis Caeremoniario committet.

9. Si Clerus in choro iam aderit, subsistet in aditu praedicto cum Celebrante, quocum reverentiam Clero faciet primo ad partem versus Evangelii, deinde ad alteram versus Epistolae. Quod si Clerus Celebrantem et Ministros praecesserit in accessu ad Altare, reverentia ad chorum omittetur.

10. Veniet cum Celebrante ante Altare, ibique dum Celebrans reverentiam peraget, ad Crucem genuflectet. Si Diaconus erit Canonicus, et in sua Ecclesia ministrabit, pro genuflexione reverentiam profundam ad Crucem efficiet, idemque faciet etiam deinceps quum genuflexio ad Crucem praescribetur.

11. Respondebit Celebranti ad confessionem, se signabit quum id faciet Celebrans, et ad *Gloria Patri* inclinabitur. Ad recitandum *Misereatur tui* modice inclinabitur versus Celebrantem, sed *Confiteor* recitabit profunde inclinatus, se paullum vertens ad Celebrantem in pronunciandis verbis *Tibi Pater* et *Te Pater*. Postquam Celebrans recitaverit *Misereatur vestri* etc. eriget se, et ad versiculos *Deus tu conversus* etc. inclinabitur eadem ratione ac Celebrans.

(*a*) Non solum hac paragrapho, sed passim usurpavimus haec verba *Altare maximum*, vel *Altare maius* et similia, ut significaremus Altare illud, in quo canetur Missa, quae regulariter canenda esset in primario seu cardinali. Si qua iusta caussa caneretur in Altari, diverso a principali, expressio superius indicata applicetur Altari, in quo functio peragetur.

12. Dicto a Celebrante *Oremus*, is manu dextera pectori applicita, sinistra fimbriam anteriorem vestium sublevabit Celebranti ad Altare ascendenti simulque cum eo suppedaneum conscendet.

13. Hoc facto, dimittet vestem Celebrantis et stabit iunctis manibus.

14. Quum Celebrans osculabitur Altare, non genuflectet.

15. Postquam Celebrans Altare osculatus erit, naviculam a thuriferario accipiet manu sinistra ad imam eius partem. Dextera naviculam aperiet, sumet cochleare vacuum, idest sine incenso, illud in summitate osculabitur et porriget Celebranti deosculans eius manum dum accipiet. Ministrans autem cochleare Celebranti advertat, ut pars summitatis manubrii ad ipsum Celebrantem versa sit. Eodem tempore quo porriget cochleare Celebranti, dicet ipsi *Benedicite, Reverende Pater* (*a*) deinde illi parti naviculae, quae clausa erit, dexteram applicabit.

16. Incenso in thuribulum a Celebrante immisso, manu dextera recipiet ab eo cochleare, deosculans primum manum eius deinde cochleare ipsum in summitate, quod in navicula reponet: naviculamque postea clausam thuriferario restituet.

17. Eodem tempore quo naviculam manu sinistra reddet thuriferario, dextera ab eo thuribulum accipiet prope summitatem catenularum, ac thuribulo ad extremitatem catenularum prope cooperculum sinistra sumpto, manubrium, cui catenulae appenduntur, deosculabitur. Tum Celebranti thuribulum ministrabit, et osculabitur dexteram eius dum illud accipiet. Advertet, ut in manum dexteram eius thuribulum tradat ex parte extremitatis catenularum prope cooperculum, simulque sinistram suam sub dexteram eius et in sinistram ipsius ponat manubrium, ex quo catenulae dependet.

18. Postea, dum Celebrans reverentiam, ipse genuflexionem Cruci efficiet, ac modice et concinne partem posteriorem planetae Celebrantis sinistra manu sustollet, pectori interea dex-

(*a*) Titulus *Reverendissime Pater* conveniet tantum Episcopis. Multo plus autem dedeceret alterum titulum non ecclesiasticum, sed laicalem addere, cuiusmodi sunt *Illustrissime* vel *Excellentissime*.

teram applicans extensam. Quotiescumque vero Celebrans reverentiam, Diaconus genuflexionem exsequetur, quin Celebrantis planetam, ut declaratum est, relinquat.

19. In thurificationis exitu, videlicet quum Celebrans ultimum ductum thuribuli faciet versus partem anteriorem Altaris in latere Epistolae, Diaconus demittet planetam Celebrantis, descendet in gradum superiorem ex eadem parte, manum dexteram Celebrantis osculabitur, dexteram suam sub illius dexteram ponet, ac sinistra summitatem catenularum a sinistra itidem Celebrantis prehendet, deosculans etiam thuribuli manubrium, cui catenulae ipsae appenduntur. Deinde de Altari descendet in planum eiusdem lateris Epistolae, et Celebrantem tribus ductibus thurificabit, ante et post thurificationem profunda eum honorans reverentia. (*a*)

20. Ex eadem deinde parte gradum superiorem conscendet, et iunctis manibus adstabit Celebranti dextrorsum.

21. Alternatim cum Celebrante recitabit *Kyrie eleison, Christe eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.*

22. Si dum canitur *Kyrie*, sedendum erit, descendentem de Altari Celebrantem, Diaconus se convertens dextrorsum, ac descendens ad laevam eius manu dextera sustinebit sub brachio sinistro super gradius, manum interea sinistram tenens ante pectus extensam.

23. Ad scamnum quum venerit, advertat ut sinistra sublevet partem posteriorem planetae Celebrantis, ne illi insideat, biretum Celebrantis a Caeremoniario accipiet, quod osculabitur in summitate eique porriget ex parte anguli elati de medio, quae in capite respondet auri dexterae, et deosculabitur manum eius momento quo accipiet. Postea sumet biretum suum, quod sustinens ante pectus utraque manu, inclinabitur ad Subdiaconum, sedebit suo loco, idest a dexteris Celebrantis et bireto operiet caput (*b*). Sedens autem ambas manus extensas prope genua ponet.

(*a*) Si Altare multos haberet gradus, non oportebit ut Diaconus descendat in pavimèntum, sed sistere poterit in gradu tertio ad Celebrantem thurificandum.

(*b*) Iuvat heic rursus monere, ut iam de Subdiacono agentes docui-

24. Sub finem *Kyrie* cantati, ad nutum Caeremoniarii nudabit caput, assurget, biretum in scamno relinquet, se convertet Celebrantem versus, biretum ab ipso accipiet eius manum et biretum deosculans, quod tradet Caeremoniario, vel ponet in scamno quo loco sedet Celebrans, atque advertet ut partem posteriorem planetae Celebrantis de postergali seu dorsuali scamni, in quo sedebat, removeat.

25. Decedet de scamno cum Celebrante, manibus iunctis semper eum sequens dextrorsum, et antequam veniat ad medium Altare, reverebitur chorum ex parte quae spectat ad latus Epistolae, deinde ex altera ad latus Evangelii, cavens etiam in hac actione, ne minimum quidem recedat a dexteris Celebrantis, ita ut quum salutabit versus cornu Epistolae, paullum acceleret gradum, retardet autem quum alteram partem a cornu Evangelii salutabit, ut quemadmodum docuimus, in eadem linea et dextrorsum Celebrantis se perpetuo contineat.

26. Ad Altare autem veniens, dum Celebrans reverentiam, ipse genuflexionem efficiet Cruci, fimbrias anteriores vestium Celebrantis, donec conscenderit suppedaneum, sustollet. Tamen subsistet in gradu superiore infra suppedaneum se confestim locans post Celebrantem.

27. Quod si Celebrans dum canetur *Kyrie* cum Ministris non considebit, sub finem cantus eiusdem, Celebrantem ad medium Altare procedentem sequetur Diaconus incedens in gradu superiori, nec genuflectet quum devenerit in medium.

28. Ad intonationem *Gloria in excelsis* inclinabit caput ad verbum *Deo* et sine genuflexione conscendet suppedaneum, veniet ad dexteram Celebrantis, cumque ipso continuabit recitationem hymni praedicti, inclinabit caput ad verba *Adoramus te: Gratias agimus* etc. seque signabit ad verba *Cum Sancto Spiritu* etc.

29. Genuflexionem deinde, quum Celebrans reverentiam, in suppedaneo ad Crucem exsequetur, de Altari a latere descendet

mus quod sacri Ministri, antequam consideant oportet ut se ad invicem salutent inclinatione, quae nequaquam respicere Celebrantem debet.

cum Celebrante, comitans eum et tradens ipsi biretum, omniaque exsequetur, quae superius ad cantum *Kyrie* praescripta sunt.

30. Dum canentur verba *Adoramus te: Gratias agimus* etc. caput nudabit ponens biretum prope genu dexterum, advertens ut hanc actionem nudandi operiendique capitis eodem tempore cum Celebrante et Subdiacono adimpleat.

31. Sub exitum cantus *Gloria*, caput nudabit, assurget, biretum a Celebrante accipiet, salutabit chorum, veniet ad Altare, omniaque prorsus quae superius tradita sunt in finem *Kyrie*, exsequetur.

32. Ad *Dominus vobiscum* stabit in gradu superiori post Celebrantem, ipsumque, statim ac illa verba cecinerit, sequetur incedens in gradu eodem. Ad cantum orationis vel orationum, si plures numero fuerint, permanebit post eum in gradu praedicto; ad verbum *Oremus* inclinabitur Crucem versus, itemque si in oratione nominabitur Iesus Christus; sin Beata Virgo vel Sanctus de quo celebratur officium vel commemoratio, inclinabitur versus librum.

33. In fine ultimae orationis sine genuflexione incedens in gradu eodem ibit ad dexteram Celebrantis, cui submissa voce respondebit *Deo gratias* in fine Epistolae, eique, si opus fuerit Missalis folium evolvet.

34. Epistola, Graduali et Tractu etiam seu Sequentia a Celebrante lectis, ulterius progredietur et subsistet in latere Altaris ex eadem Epistolae parte.

35. Dum Celebrans benedictionem impertietur Subdiacono post cantum Epistolae, quin de loco moveatur, ad Subdiaconum se vertet, tum pristinam positionem recipiet.

36. Quum Celebrans leget Evangelium, seque in fronte, in ore et in pectore signabit, Diaconus quoque signabit sese et statim conversus dextrorsum descendet de gradibus Altaris, et in plano pavimenti Evangeliarium accipiet a Caeremoniario vel ab aliquo acolytho, et reverentiae, quam ille faciet, respondebit.

37. Librum sustinebit utraque manu applicita ad eius extremitates inferiores, admotum pectori, eiusque apertura Diaconi ipsius latus sinistrum respiciet.

38. Progredietur versus partem anteriorem Altaris, salu-

tabit Clerum in choro versus cornu Epistolae primo, deinde alteram ipsius partem versus cornu Evangelii.

39. Ante Altare quum venerit, genuflectet ad Crucem, suppedaneum conscendet, librum in medio Altari ponet, ibique stabit donec Celebrans Evangelii lectionem peregerit.

40. Postquam Celebrans, lecto Evangelio, redibit ad medium Altare, Diaconus aliquantum recedet in eodem suppedaneo versus cornu Epistolae, adstans tamen dexterae Celebrantis.

41. Deinde incensum Celebranti ministrabit, sicut monuimus superius ad Introitum, ac navicula thuriferario reddita, convertetur dextrorsum, geniculabit in extremo suppedaneo, orationemque recitabit « Munda cor meum ac labia mea, om« nipotens Deus, qui labia Isaiae prophetae calculo mundasti « ignito, ita me tua grata miseratione dignare mundare, ut San« ctum Evangelium tuum digne valeam nuntiare. Per Christum « Dominum nostrum. Amen. » Assurget, sumet de Altari Evangeliarium, ut antea, et conversus ad Celebrantem, videlicet dextrorsum habens Altare, genua submittet in suppedaneo et benedictionem petet ab ipso Celebrante, dicens *Iube, Domne, benedicere*. Benedictionem, quin se signet, accipiet a Celebrante, eiusque osculabitur manum dexteram, quam hac de caussa in summitate libri Evangeliorum ponet. Assurget, reverentiam faciet Celebranti, de Altari descendet, ante ipsum se adiunget Subdiacono, qui ei adstabit sinistrorsum.

42. Si fuerit Canonicus, et in Ecclesia sua ministraverit, benedictionem petet et accipiet, stans profunde inclinatus ante Celebrantem, cuius manum osculabitur.

43. Ubi descenderit ante Altare genuflectet ad Crucem cum Subdiacono, acolythis et thuriferario, tum Clerum in choro reverebitur primo versus cornu Epistolae, deinde Evangelii. Sequetur postea Subdiaconum et perget ad Evangelium canendum in latere quod Evangelii nominatur, linea eadem atque anguli infimi gradus, dextrorsum habens Altare.

44. Quo quum venerit, Subdiaconus consistet ante ipsum: ipse autem aperiet librum ac Subdiacono tradet sustinendum. *(a)*.

(*a*) Si in Ecclesia adhibebitur legile ad canendum Evangelium, ut solent quaedam cathedrales, Diaconus ponet librum in legili, cumque aperiet

45. Iunctis manibus canet *Dominus vobiscum:* quum a choro responsum erit *Et cum spiritu tuo*, aperiet manus, laevam in libro ponet, et pollice dexterae, quae aperta erit, signum Crucis ad initium Evangelii, quod incidit in diem, efficiet canens *Sequentia:* tum sinistram apertam ponens infra pectus, et dextera pariter aperta, signum Crucis pollice dextero sibi in fronte imprimet canens *Sancti*, alterum signum in ore canens *Evangelii*, tertium in pectore canens *secundum* et iungens manus canet *Matthaeum*, vel *Lucam* etc.

46. Dum a choro respondebitur *Gloria tibi, Domine*, thuribulum accipiet a thuriferario, librum thurificabit in medio, sinistrorsum et dextrorsum sui, thuribulum reddet thuriferario, et iunctis manibus Evangelium cantabit. Quum nominabit Iesum Christum vel B. Virginem, vel Sanctum, de quo celebratur festum, caput versus librum, nunquam versus Altare inclinabit (*a*).

47. Evangelii cantu absoluto, Subdiaconus deprimet librum, et Diaconus monstrabit ei principium textus, quem debebit Celebrans deosculari (*b*).

48. Diaconus recedet unum aut duos passus sinistrorsum, ut locum det Subdiacono transeundi, et Celebrantem versus convertetur.

49. Postquam Celebrans deosculatus erit librum, Diaconus thuribulum accipiet a thuriferario, triplici ductu thurificabit ipsum Celebrantem, prius et postea reverentia prosequens eum, ac thuribulum thuriferario restituet.

50. Procedet dein ad Altare, gradum superiorem conscendet ac genuflectet.

51. Ad intonationem symboli, si canendum erit, caput inclinabit ad verbum *Deum* et sine ulla alia genuflexione, ad dexteram Celebrantis ascendet in suppedaneum.

52. Ad ℣. *Et incarnatus* etc. genuflectet, quin innitatur

(*a*) Si ad canendum Evangelium adhibebitur legile, Diaconus adstabit illi iunctis manibus, non vero ponet eas super libro vel super legili.

(*b*) In casu praedicto, post cantatum Evangelium Diaconus sumet librum de legili, apertum Subdiacono tradet et initium sacri Textus ei monstrabit.

Altari, et assurgens Celebrantem prope brachium eius dexterum manu sinistra sustinebit. Id faciet etiam deinceps quum genuflectet, scilicet nec manus applicet Altari, et Celebrantem genuflectentem sustineat. (*a*)

53. Fine facto recitandi symboli, genuflectet in suppedaneo, se convertet super dexteram suam, adibit ad scamnum cum Celebrante, ibique, sicut ad *Gloria*, sedebit.

54. Dum canetur ℣. *Et incarnatus* etc. nudabit caput atque inclinabitur.

55. Quum a cantoribus incipietur ℣. *Crucifixus etiam* etc., caput nudabit, assurget, biretum relinquet in scamno, perget ad abacum et sumet bursam, quam ambabus manibus elatis feret ad altitudinem vultus sui, attendens ut aperturam bursae convertat seipsum versus. Sumptam bursam deferet ad Altare, faciens reverentiam profundam ad Celebrantem quum transibit ante ipsum, deinde ad partem Cleri, quae considebit versus cornu Epistolae, postremo ad alteram partem Cleri quae aderit in choro versus cornu Evangelii.

56. Ante Altare quum venerit, genuflectet ad Crucem, conscendet suppedaneum, bursam ponet in medio Altari, laeva sustinebit sublatam, ac dextera extrahet corporale. Deinde manu dextera acceptam ponet versus cornu Evangelii prope medium Altare, applicans eam candelabris, vel gradui, in quo insistunt candelabra, et sinistram interea ponet super Altari. Tum corporale in media mensa utraque manu explicabit, et corporali admovebit Missale cum cussino vel legili. In suppedaneo ipso iterabit genuflexionem ad Crucem, descendet a latere de Altari, redibit ad scamnum, biretum sumet, et in suo loco convertetur ad Subdiaconum, quem reverebitur, et caput bireto operiens sedebit.

57. Ad nutum Caeremoniarii sub finem Symboli cantati, nudato capite, assurget, biretum in scamno relinquet, biretum Celebrantis accipiet, manum et biretum eius deosculans, se adiun-

(*a*) Perpendat expressionem rubricae *genuflectet* recitando ℣. *Et incarnatus* etc

get Celebranti dextrorsum et reverentia chorum salutabit, ut in fine *Gloria*.

58. Ad Altare procedens, genuflectet ad Crucem, extremitates anteriores vestium Celebrantis sustollet, ascendet cum eo ad Altare, et in gradu superiori post ipsum Celebrantem consistet.

59. Cantato a Celebrante *Oremus*, sine genuflexione conscendet suppedaneum ad dexteram illius.

60. Quum Subdiaconus afferens calicem venerit ad Altare et eum deposuerit in Altari ipso, Diaconus calicem deteget veli humeralis extremitate, qua erit contectus.

61. Si inter Sacrum omissum erit symbolum, Subdiaconus super calice afferet bursam cum corporali. In hoc casu Diaconus post amotum e bursa velum humerale, sumet eam, corporale inde extrahet, ponet eamdem versus cornu Evangelii, ut superius monuimus, et corporale in medio explicabit.

62. Postea pallam contengentem patenam cum hostia amovebit et ponet in Altari; patenam cum hostia sumet utraque manu, seu pollice et indice manus utriusque, eamdem patenam cum hostia porriget Celebranti, advertens ut sinistrum brachium suum supponat brachio dextero Celebranti, dum eam ipsi ministrabit.

63. Si particulae consecrandae erunt ac si erunt intra pixidem, observabit ea quae deinceps trademus in paragrapho *de Communione Cleri in Missa solemni*.

64. Post haec accipiet calicem, quem super Altare ante se habebit, ponens sinistram prope nodum calicis ipsius; pollici sinistrae imponet purificatorium, qui calicis pedem cooperiat, ut defendatur si forte qua gutta vini vel aquae de ampullis decideret.

65. Ampullam vini a Subdiacono ministratam in calicem infundet quantum monstrabit Celebrans, et ampullam aut reponet in pelvicula, aut tradet Caeremoniario. Aqua in calicem a Subdiacono infusa, dextera sumet purificatorium, quo guttas sparsas in interioribus calicis partibus absterget.

66. Purificatorium in Altari relinquet, calicem sumet apponens dexteram cuppae et sinistram subtus pedem, Calicem

prope pedem osculatus porriget Celebranti deosculans manum eius, cavebit autem ne brachium suum sinistrum superimponat dextero Celebrantis, ut monuimus de patena, quo momento calicem ei ministrabit.

67. Dein manum dexteram sub pedem calicis supponet, et sinistra pectori applicita oculisque ad Crucem elevatis, recitabit cum Celebrante oblationis formulam, id est. « Offerimus » tibi, Domine, calicem salutaris tuam deprecantes clementiam, » ut in conspectu divinae Maiestatis tuae pro nostra et totius » mundi salute in odorem suavitatis ascendat. Amen. »

68. Hac formula recitata, removebit manum a calice, quem a Celebrante positum super corporale, palla cooperiet.

69. Patenam manu sinistra, purificatorium dextera accipiet, Purificatorio autem absterget patenam, quam tradet Subdiacono et purificatorium complicatum prope corporale ponet ad dexteram Celebrantis.

70. Profecto ab Altari Subdiacono, accipiet naviculam a thuriferario, et Celebranti, sicut ad introitum, incensum ministrabit. Dein tradet ei thuribulum, et advertet ut in thurificatione oblatorum manum dexteram ponat ad pedem calicis et sinistra partem posteriorem planetae Celebrantis sustollat.

71. Postquam Celebrans thurificaverit oblata, sinistra planetem adhuc sustinens, dextera calicem a medio Altari amovebit ponetque versus cornu Epistolae intra extremitatem corporalis, et genuflectet. Cruce a Celebrante thurificata, manu dextera calicem reponet in medio corporali, genuflexionem iterabit et Celebrantem in Altaris thurificatione comitabitur.

72. Si medio in Altari expositae palam essent Reliquiae Sancti illius, cuius festum celebratur, post Crucis thurificationem, genuflectet rursus, et post thurificationem Reliquiarum reponet calicem in medio, genuflexionem renovabit et Celebrantem, ut supra, comitabitur. (*a*)

73. Thurificatione peracta, thuribulum a Celebrante, sicut

(*a*) Id praescribitur dummodo mos sit thurificandi Reliquias expositas in medio Altari, ut alio loco notatum est.

ad introitum, recipiet, de Altari descendet, Celebrantem ipsum, deinde chorum thurificabit iuxta regulam traditam cap. V. huius libri.

74. Reversus ad Altare post thurificationem chori, genuflectet in medio post Subdiaconum, ibit ante gradum infimum in angulum lateris Epistolae, se convertet ad Subdiaconum, qui eum binis ductibus thurificabit, salutans ipsum ante et post thurificationem. Se deinde convertet dextrorsum, thuribulum thuriferario tradet, ascendet ad Altare, subsistet in gradu superiori post Celebrantem, genuflectet ad Crucem, sinistrorsum se convertet atque a thuriferario accipiet thurificationem, post quam rursus ad Altare convertetur, permanens loco eodem.

75. Ad postrema verba praefationis cantatae, sine genuflexione suppedaneum conscendet ad dexteram Celebrantis, cum eo recitabit Trisagium paullulum inclinatus, se eriget ad *Benedictus qui venit,* seque signabit.

76. Trisagio recitato, sine genuflexione se convertet super dexteram suam, de suppedaneo descendet, genuflexionem faciet in medio gradu superiori et ad sinistram transibit Celebrantis, cui quod legere debebit, indice manus dexterae monstrabit, et folia etiam Missalis evolvet, quum erit necesse.

77. Ad *Memento* vivorum nec non ad alterum mortuorum, recedet paullum a Missali, iterumque appropinquabit, quum Celebrans orationem praescriptam recitare continuabit.

78. Ad orationem *Quam oblationem* etc. se convertet sinistrorsum, de suppedaneo descendet, genuflexionem faciet in medio gradu superiori ibique consistet a dexteris Celebrantis.

79. Si particulae in pixide consecrandae erunt, exsequetur quod inferius docebimus.

80. Quum Celebrans proferendi caussa verba consecrationis inclinabitur, Diaconus loco praedicto in extremitate suppedanei geniculabit.

81. Dum Celebrans, prolatis verbis consecrationis, genuflectet, Diaconus profunde inclinabitur, sinistra manu acceptam partem posteriorem planetae paullum sustollet, applicans dexteram ante pectus extensam, et planetam demittet, quum Ce-

lebrans post elevationem genuflectet; assurget, calicem deteget, pallam ponens super Altare, et genuflectet, ut antea.

82. Si Particulae consecratae fuerint in pixide, sequetur documenta, quae respectiva paragrapho deinceps tradentnr.

83. Calice consecrato, postquam Celebrans genuflexionem peregerit, planetam, ut antea, sustollet, profunde inclinabitur et dum Celebrans demittet Calicem post elevationem, relinquet planetam, assurget, Calicem cooperiet et simul cum Celebrante genuflectet.

84. Transibit deinde ad laevam Celebrantis, genuflectens quum accesserit ad eum sinistrorsum, non vero quum transibit in medium Altare.

85. Celebranti assistet ad Missale, evolvens folia et quod legendum erit ei monstrans.

86. Ad *Memento* pro defunctis, recedet aliquantulum a Missali, ut superius notatum est.

87. Quum Celebrans iungens manus dicet *Per quem haec omnia* etc. Diaconus genuflectet, discedet a laeva Celebrantis, et sine genuflexione in medio transibit ad dexteram illius detegetque Calicem post verba *praestas nobis*.

88. Genuflexionem cum Celebrante efficiet, deteget Calicem eumque rursus cooperiet post verba *omnis honor et gloria* et postquam Celebrans pollicem et indicem dexterae manus super Calicem ipsum excusserit. Iterum operto Calice, genuflexionem cum Celebrante iterabit et a dexteris eius permanebit.

89. Ad verbum *Oremus* cantatum inclinabit caput versus Sacramentum, et ad altera verba *audemus dicere* genuflectet, se convertet ad dexteram, descendet de suppedaneo et se sistet in gradu superiori, siue ulla alia genuflexione, iunctisque manibus ibi manebit.

90. Dum canetur autem *Pater noster*, ad verba *Et dimitte nobis* etc. genuflectet quo loco erit, suppedaneum conscendet iterum ad dexteram Celebrantis, patenam a Subdiacono accipiet manu dextera, ad sinistram suam transmittet, purificatorio absterget, atque elatam super Altare cum purificatorio ipso prope corporale dextera sustinebit.

91. Submissa voce respondebit Celebranti *Sed libera nos a malo*, eiusque manum obsculabitur dum patenam ipsi tradet et purificatorium in Altari demittet.

92. Quum Celebrans se patenâ signabit, Diaconus palla deteget Calicem; et genuflexionem cum Celebrante efficiet.

93. Post *Pax Domini* etc. respondebit submissa voce *Et cum spiritu tuo*, Calicem rursus palla cooperiet, cum Celebrante genuflectet ad Sacramentum, cumque eo recitabit *Agnus Dei* etc. paullum inclinatus et pectus percutiens.

94. Recitato *Agnus Dei* tertia vice, sine genuflexione in suppedaneo submittet genua a dexteris Celebrantis: assurget, osculabitur Altare, quin superimponat manus, se convertet ad Celebrantem, eique pacis osculum praebenti respondebit *Et cum spiritu suo*, manusque interea supponet cubitis illius, faciem suam admovens ad Celebrantis faciem sinistrorsum, ac pace accepta, reverentiam illi faciet.

95. Post haec genuflectet, se convertet dextrorsum, descendet de suppedaneo gradum unum, pacem dabit Subdiacono, manus illi imponens humeris et dicens *Pax tecum*. Pace data, reverebitur ipsum, conscendet suppedaneum ad sinistram Celebrantis, genuflectet et subsistet ad Missale ut folia evolvat et monstret Celebranti quae recitanda erunt. Genuflectente Celebrante, et ipse genuflexionem efficiet.

96. Ad sumptionem Hostiae et Calicis inclinabitur, ac si fiet Communio, sequetur documenta relativa, quae deinceps trademus.

97. Quum Subdiaconus Celebranti ablutionem ministrabit, Diaconus folia evolvet Missalis ad signum Missae, quae incidit in eam diem.

98. Ablutione a Subdiacono ministrata, ab eoque ampullis Caeremoniario vel acolytho traditis, sumet Missale cum legili seu cussino, convertetur sinistrorsum, descendet de suppedaneo, genuflectet in medio Altari super gradu superiori, conscendet suppedaneum, Missale cum cussino vel legili super Altare imponet a cornu Epistolae, dextrorsum convertetur, de suppedaneo descendet et in gradu superiori subsistet ad Altare conversus.

99. Celebrantem dein sequetur venientem ad medium Altare ut cantet *Dominus vobiscum*, et rursus sequetur ad latus Epistolae quum canet orationem, quae dicitur Postcommunio: advertet autem ne genuflectat in medio seu veniens illuc cum Celebrante, sive inde discedens.

100. Tum redibit ad medium Altare Celebrantem sequens, qui postquam cecinerit *Dominus vobiscum*, Diaconus sine genuflexione se ad populum sinistrorsum convertet, ac tono praescripto cantabit *Ite Missa est.*

101. Post cantatum hunc versiculum, ibit versus cornu Epistolae, ibique in eodem gradu superiori subsistet, facie ad Altare versa.

102. Quum Celebrans pronunciabit *Benedicat vos omnipotens Deus,* Diaconus in extremo suppedaneo geniculabit ac genibus flexis Celebrantis accipiet benedictionem, ad quam inclinatus se signabit.

103. Si Canonicus esset et in sua Ecclesia ministraret, benedictionem sine genuum flexione accipiet profunde inclinatus.

104. Accepta benedictione assurget eodemque loco iunctis manibus permanebit. Ad verba *Et Verbum caro factum est,* genuflexionem una cum Celebrante efficiet.

105. Ultimo Evangelio ex toto recitato, suppedaneum conscendet seque Celebranti dextrorsum adiunget.

106. Si Clerus de choro excedet, manebit ibi et ad nutum Caeremoniarii de Altari cum Celebrante descendet conversus dextrorsum, et cum devenerit ante Altare, faciem vertet ad ipsum, genuflexionem Cruci faciet, a Caeremoniario Celebrantis biretum quod ei tradet accipiet biretum manumque eius deosculans. Postea suum biretum sumet, et capite cooperto de Altari discedet. Subdiaconum subsequetur iunctis manibus et ad sacrarium proficiscetur.

107. Sin Clerus officium prosecuturus in choro remanebit, de Altari descendet, genuflexionem ad Crucem, reverentiam autem ad chorum, primo versus Evangelii, deinde Epistolae latus efficiet, biretum Celebranti cum suetis osculis tradet, suum recipiet, quod utraque manu ante pectus sustinebit, sequetur

Subdiaconum, caput in aditu presbyterii bireto cooperiet, et ad sacrarium gradum referet.

108. Illuc quum venerit caput deteget seque ad dexteram Celebrantis locabit. Reverentiam ad Clerum, si aderit ordinatus, deinde ad Crucem sive ad imaginem praecipuam, postremo ad Celebrantem exsequetur, et sacra indumenta, quo loco sibi induerit, demittet.

§. 2. *De sacra Cleri in Missa solemni Communione.*

109. Diaconus ad offertorium pixidem cum particulis consecrandis accipiet, eamque discooperiet, et intra corporale a dextris Celebrantis locabit, operculum extra corporale ponens.

110. Postquam patenam cum hostia Celebranti tradiderit pixidem sumet, quam elatam sustinebit fere ad altitudinem, ad quam Celebrans sustinebit patenam, idque continuabit donec oblationis formula erit peracta; eaque expleta, pixidem medio corporali versus Crucem imponet ita ut sit post calicem, et operculo occludet.

111. Ad verba *Quam oblationem* etc. in Canone, transibit ad dexteram Celebrantis, manu dextera sumet pixidem, ac ponet super corporale prope dexteram Celebrantis, et sinistra tenens eam ad pedem, dextera detrahet operculum, quod extra corporale deponet, postea descendet in gradum superiorem ut adgeniculetur in consecratione.

112. Post elevationem reposita Hostia super corporale, et facta genuflexione a Celebrante, Diaconus assurget, teget operculo pixidem sinistra tenens, et dextera sumptam locabit post calicem; deinde calicem deteget, in cuius consecratione rursus geniculabit. (*a*)

113. Post Calicis sumptionem, Calice ipso palla cooperto a

(*a*) Pixis cum Particulis consecratis tegenda et ponenda suo loco erit, postquam Celebrans post elevationem genuflexerit. Perspicua est in hanc rem praescriptio rubricae Rit. celeb. Missam tit. 8. num. 6. « Reposita Hostia consecrata super corporale, genuflexus illam veneratur: si adsit vas aliarum Hostiarum, patena vel palla cooperiet, ut supra ».

Subdiacono, Diaconus et Subdiaconus genuflectet in suppedaneo et locum mutabunt, videlicet Diaconus ad dexteram, Subdiaconus ad laevam Celebrantis transibit.

114. Ubi uterque Minister, ut dictum est, ad latera Celebrantis venerit, cum eo genuflexionem exsequetur.

115. Diaconus pixidem dextera sumet, admovebit ad medium corporale, sinistra sustinens, deteget, operculum tollens dextera et extra corporale ponens.

116. Celebrans, Diaconus et Subdiaconus genuflexionem iterabunt, Diaconus de suppedaneo descendet in cornu Epistolae, subsistet in gradu superiori, habens Altare ad latus dexterum, ibique profunde inclinatus iunctisque manibus recitabit *Confiteor* et ad verba *mea culpa* etc. pectus percutiet. Eodem statu manebit ad *Misereatur vestri* etc. et ad formulam *Indulgentiam* etc. assurget, seque signabit.

117. Si communicabit, ibit in extremum suppedaneum ante Celebrantem ibique geniculabit, ac si Subdiaconus quoque communicaturus erit, hic etiam ante Celebrantem sinistrorsum Diaconi in suppedaneo genua submittet.

117. Christi corpore sumpto, assurget, redibit ad dexteram Celebrantis, sive ad latus Evangelii, et patenam accipiet, ut inferius.

119. Quod si de sacra mensa non participabit, post formulam *Indulgentiam*, *absolutionem* etc. transibit ad laevam Celebrantis, sive in cornu Evangelii, genuflexionem cum Celebrante iterabit, dextera patenam sine purificatorio sumet, se cum Celebrante ipso ad communicandos convertet, eorumque mento patenam supponet.

120 Si communio laicis ad cancellos sive ad balaustrium presbyterii ministranda erit, servans locum suum comitabitur Celebrantem, sustentabit descendentem de gradibus Altaris et ad comunionem laicorum etiam patenam sustinebit.

121. Communione sive ad Altare sive ad balaustrium absoluta, se convertens seu rediens ad Altare permanebit sinistrorsum Celebrantis et patenam in corporali relinquet. Advertat autem ut, siqua particula in pixide superfuerit, genuflexionem efficiat.

§. 3. *In Missis solemnibus ferialibus.*

122. Diaconus ritum in Missis solemnibus praestitutum servabit, exceptis iis quae sequuntur.

123. Dalmaticam nequaquam induet, sed planeta utetur ante pectus plicata. Nisi inter principales Ecclesia fuerit, praedicta planeta uti non licebit, sed amictu, alba, cingulo, manipulo et stola paratus ministrabit.

124. Si inter Missam canendum erit *Flectamus genua*, hoc cantabit postquam Celebrans cecinerit *Oremus* et ad verba quae supra nominavimus genuflectet.

125. Antequam Evangeliarium pro canendo Evangelio sumat si planeta plicata utetur, accedet ad abacum, deponet planetam et sibi stolam latiorem induet in humero sinistro, eamque cohibebit ad latus dexterum, et Missae tempore usque ad consummationem retinebit, siquidem Missali a cornu Evangelii ad Epistolae translato, descendet de Altari, stolam latiorem ad abacum demittet, planetam plicatam resumet et ad Celebrantem revertetur.

126. Si inter Missam cantabitur ℣. *Adiuva nos Deus* in Tractu, priusquam incensum ministret, in extremo suppedaneo a dexteris Celebrantis geniculabit.

127. In Quadragesima, ante orationem appellatam *super populum*, postquam Celebrans *Oremus* cecinerit, se convertet sinistrorsum ad populum, ad tono praestituto cantabit *Humiliate capita vestra Deo,* deinde rursus ad Altare convertetur.

128. In huiusmodi Missis, quia non cantabitur *Gloria*, pro *Ite Missa est* cantabit tono praescripto alterum ℣ *Benedicamus Domino*, quin tamen se ad populum convertat.

§. 4. *In aspersione aquae benedictae in Dominicis.*

129. Diaconus e Sacrario egrediens adstabit Celebranti dextrorsum, eique fimbriam pluvialis sustinebit.

130. Quum devenerit ad chorum vel ante Altare, accipiet

ab eo cum suetis osculationibus biretum, quod tradet Caeremoniario.

131. Adgeniculabitur a dexteris Celebrantis in medio infimo gradu, aspersorium a clerico sumet et cum suetis osculationibus Celebranti praebebit.

132. Postquam aspersionem a Celebrante acceperit, assurget eumque comitabitur ad aspergendum Clerum, sustinens ei fimbiam dexteram pluvialis, cumque ipso reverentiam efficiens.

133. Populi aspersione peracta, aspersorium ab eo recipiet, idque tradet clerico, a quo prius acceperit.

134. Post orationem, iterum ad Altare genuflectet et prope scamnum Celebrantis manipulum brachio sinistro sibi aptabit et reverentia ad Clerum una cum Celebrante exsequutus, Altare adibit ad Missam.

§. 5. *In Missa solemni ante SS. Sacramentum expositum.*

135. Diaconus in huiusmodi Missa abstinebit osculis manus Celebrantis et rei quam ministrabit, vel accipiet.

136. Omittet quae ad Clerum fieri solent reverentiae.

137. Accedens ad Altare genuflexionem duplicem cum Celebrante et Subdiacono exsequetur, idemque faciet de Altari post functionem descendens, si SS. Sacramentum adhuc erit publice expositum.

138. Quum vero ad medium Altare veniet, vel ab ipso abibit genuflexione simplici utetur.

139. Ante Evangelium canendum, itemque quum patenam cum hostia et calicem cum vino ad offertorium ministrabit, manum Celebrantis osculabitur.

140. A consecratione autem usque ad consummationem genuflexiones suetas peraget, quin alias addat praescriptis, licet SS. Sacramentum sit palam expositum.

141. In Altaris thurificatione ad introitum et in altera post oblata, geniculabit cum Celebrante in extremo suppedaneo, eiusque partem posteriorem planetae sublevabit. Post oblatorum thurificationem calicem e medio Altaris non removebit.

§. 6. *In Missa solemni de requie.*

142. Diaconus exsequetur quae superius tradita sunt pro Missa solemni.

143. Advertet tamen ut in hac Missa omittat oscula manus Celebrantis et rei quam ipsi porriget vel ab ipso recipiet.

144. Ad Altare post confessionem ascendens genuflexione in suppedaneo abstinebit, sed quum Celebrans Altare osculatus erit, ibit cum eo in cornu Epistolae, eo quod thurificatio Altaris ad introitum omittitur.

145. Post cantatam Epistolam et postquam Celebrans Sequentiam legerit ibit cum ipso consessum in scamno.

146. Sub exitum Sequentiae cantatae, ad Altare cum Celebrante redibit, eumque comitatus in suppedaneum, se sistet in cornu Epistolae.

147. Evangeliarium deinde sumet et ad Altare deferet, postea geniculabit in media extremitate suppedanei, dicet *Munda cor meum* etc. assurget, recipiet Evangeliarium, reverebitur Celebrantem, de Altari descendet et sese adiungens Subdiacono et acolythis, cumque ipsis genuflexione ad Crucem et reverentia ad chorum peracta, procedet ad Evangelium canendum, sed non thurificabit librum.

148. Evangelio cantato librum claudet et ad Altare revertetur.

149. Ad offertorium patenam non dabit Subdiacono; Celebrantem solum thurificabit, deinde manutergium ad abstergendas manus ipsi ministrabit.

150. Ad *Agnus Dei* omittet pectus percutere, eoque recitato, genuflectet et ad laevam Celebrantis transibit, ibique statim genuflexionem iterabit.

151. Sub exitum Sacri conversus ad Altare canet *Requiescant in pace,* etiamsi Sacrificium pro uno tantum defuncto celebratum sit.

§. 7. *Quum SS. Sacramenti benedictio donatur.*

152. Si benedictioni, quae per SS. Sacramentum fidelibus datur, assistent sacri Ministri, Diaconus in sacrario albis paramentis induetur.

153. In exeundo de sacrario reverentia ad Crucem vel ad primariam imaginem facta, capite cooperto incedet dextrorsum Celebrantis, eique fimbriam dexteram pluvialis sustinebit.

154. Ad fores sacrarii nudabit caput, medio dexterae digito aquam benedictam accipiet a Caeremoniario, eamque porriget Celebranti, deinde seipsum signabit et caput rursus bireto cooperiet.

155. In conspectu SS. Sacramenti caput nudabit et biretum ante pectus dextera sustinebit, laeva sustollens pluviale.

156. Ad presbyterii aditum biretum suum dabit Caeremoniario, et biretum a Celebrante acceptum Caeremoniario eidem transmittet.

157. Ante Altare ubi ventum erit, genuflexionem duplicem in plano cum Celebrante efficiet, et assurgens, super gradum infimum in medio geniculabit a dexteris Celebrantis eiusdem.

158. Advertat in hac functione ut fimbriam anteriorem vestium sustollat Celebranti quum geniculabit, et sustineat manu sinistra brachium eius dexterum tum geniculantis aut genuflectentis, tum etiam ad Altare ascendentis.

159. Ad nutum Caeremoniarii assurget, Subdiacono fimbriam dexteram pluvialis tradet, sine osculis incensum ministrabit Celebranti, ac reddita thuriferario navicula receptaque fimbria dextera pluvialis, rursum geniculabit ad dexteram Celebrantis ipsius.

160. Thuribulum deinde sine osculis tradet Celebranti eique pluviale sustollet, reverentiam cum ipso ad SS. Sacramentum ante et post thurificationem peraget, receptumque thuribulum thuriferario restituet.

161. Adgeniculatus librum pro oratione *Deus qui nobis* sinistra ante Celebrantem sustinebit.

162. Post orationem assurget, velum humerale Celebrantis humeris imponet, suppedaneum conscendet, genuflexionem efficiet, ascendet super scabellum graduatum, ostensorium de throno dextera sumet, et in medio corporali ponet, tum geniculabit in suppedaneo a latere aliquantulum versus cornu Epistolae.

163. Assurget autem quum Celebrans super suppedaneum ascenderit, eum adiuvabit in manibus tegendis extremitate veli humeralis, eique tradet ostensorium.

164. Benedictionis tempore submittet genua in extremo suppedaneo et fimbriam sinistram pluvialis sustinebit.

165. Benedictione peracta assurget, Ostensorium a Celebrante recipiet, ponet in Altare, et in suppedaneo, ut antea, geniculabit.

166. Postquam Celebrans de Altari descenderit et genua submiserit, Diaconus assurget, genuflexionem unico genu a latere efficiet, convertet Ostensorium quin super Altare demittat: crystallum et custodiam, in qua reponenda erit Hostia sacra, aperiet, lunulam cum Hostia sumet, in custodia ponet, claudet et super corporali relinquet. Tum occludet crystallum ostensorii, quod seorsim locabit. Aperiet portulam tabernaculi seu ciborii, in quo custodiam cum Sacramento reponet, et genuflexionem paullum a latere efficiet, ne tergum vertat Celebranti. Assurgens portulam occludet clave, quam in Altaris mensa relinquet, de Altari descendet et ad dexteram Celebrantis redibit.

167. Genuflexionem cum Celebrante faciet, biretum ei tradet cum osculis, suoque accepto cooperiet caput et ad sacrarium capite cooperto redibit a dexteris Celebrantis, cui dexteram pluvialis fimbriam sustinebit.

168. Quum ventum erit in sacrarium, caput nudabit, reverentiam ad Crucem vel ad imaginem principem, deinde etiam ad Celebrantem efficiet et sacra indumenta deponet.

§. 8. *In festo Purificationis B. Mariae Virginis.*

169. Diaconus in sacrario sacras vestes, amictum videlicet, albam, cingulum et stolam violaceam; ac si Ecclesia erit una ex principalibus, planetam etiam plicatam sibi induet.

170. In discessu de sacrario, facta ad Crucem vel ad imaginem principem reverentia, procedet ad Altare a dexteris Celebrantis incedens, cui fimbriam dexteram pluvialis sustinebit.

171. Ad sacrarii fores nudabit caput, aquam benedictam accipiet ac Celebranti porriget, deinde signabit sese iterumque caput cooperiet.

172. Si festum hoc in Dominicam inciderit, quia aspersio aquae benedictae fiet, idcirco se illa ad fores sacrarii non signabit.

173. Quum devenerit in presbyterium, deteget caput, biretum primo suum, deinde alterum Celebrantis cum suetis osculis acceptum Caeremoniario tradet.

174. Reverentiam Clero, si iam in choro aderit, una cum Celebrante efficiet, omittet autem si Celebrantem in functione praecesserit.

175. Ad Altare quum pervenerit, genuflexionem faciet, et conscendet suppedaneum advertens ut fimbriam anteriorem vestium Celebrantis, quemadmodum in aliis functionibus monuimus, sustollat.

176. Celebrante osculante Altare, Diaconus non genuflectet, perget autem cum eo in cornu Epistolae adstans dexterae illius. Si commode in suppedaneo consistere non poterit, se in supremo gradu locabit.

177. Missalis folia, quum opus fuerit, meminerit evolvere et sublevare fimbriam pluvialis, quum Celebrans signum Crucis versus candelas facturus erit.

178. Post quintam orationem Subdiacono tradet fimbriam dexteram pluvialis, et cum suetis osculis ritu saepius declarato Celebranti incensum ministrabit.

179. Naviculam thuriferario reddet, aspersorium sumet et cum osculis tradet Celebranti. Aspersorio ab ipso recepto, cum osculis quoque thuribulum ei tradet, quod a Celebrante sibi redditum thuriferario restituet.

180. Perget dein cum Celebrante in medium suppedaneum, et sinistrae illius adstabit et candelas sine osculis illi ministrabit.

181. Candelam a Celebrante suo tempore accipiet, eamque

ob caussam adgeniculabitur ante illum in media extremitate suppedanei, ac primo candelam, deinde Celebrantis manum osculabitur.

182. Assurget, candelam suam Caeremoniario, vel clerico alicui tradet, redibit ad laevam Celebrantis, eique candelas Clero et populo distribuendas ministrabit.

183. Distributione absoluta, ipsi manus abluenti pluvialis fimbriam et manutergium sustinebit.

184. Postea in cornu Epistolae cum Celebrante revertetur, sicut functionis initio.

185. Cantabit ℣. *Flectamus genua* ante orationem *Exaudi, quaesumus Domine*, quum hoc festum incidet in diem ferialem et post septuagesimam.

186. Deinde in latere ipso incensum illi, ut supra, ministrabit.

187. Ibit in medium suppedaneum cum Celebrante et ipsi manum osculans tradet candelam accensam. Suam dein accipiet a Caeremoniario, ad cuius nutum se convertens ad populum tono praestituto canet ℣. *Procedamus in pace.*

188. De Altari cum Celebrante descendet, genuflexionem Cruci efficiet, biretum cum osculis tradet Celebranti, suum accipiet seque cooperiet se locans in processionis ordinem post Clerum. Incedet ad laevam Celebrantis, cui fimbriam sinistram pluvialis manu dextera sustinebit, sinistra gestans candelam accensam.

189. In processionis reditu progressus ante Altare transibit ad dexteram Celebrantis, caput nudabit, biretum et candelam suam tradet Caeremoniario, deinde a Celebrante primo candelam tum biretum accipiet, et utramque rem ipsi Caeremoniario dabit, genuflexionem efficiet atque ibit ad scamnum, ubi paramentis violaceis depositis, alia sibi induet albi coloris pro Missa solemni.

190. Paramentis indutus, ut diximus, reverentiam cum Celebrante ad chorum faciet et ad Altare accedet ad Missam solemnem. Si festum hoc in unam ex Dominicis privilegiatis incideret, pro paramentis albis dalmaticam violaceam sibi induet cum eiusdem coloris manipulo.

§. 9. *In Feria IV. Cinerum.*

191. In accessu de sacrario ad Altare servabitur quod pro functione praecedenti notatum est.

192. Diaconus genuflexionem omittet quum Celebrans osculabitur Altare postquam suppedaneum conscenderit.

193. Adibit cum Celebrante ad latus Epistolae ibique adstabit ei dextrorsum.

194. In orationibus fimbriam dexteram pluvialis eius sustinebit, quum Crucis signum versus cineres manu efficiet.

195. Post, quartam orationem tradet Subdiacono fimbriam dexteram pluvialis et cum suetis osculis rituque alias descripto incensum Celebranti ministrabit.

196. Navicula thuriferario reddita, sumet aspersorium, quod cum osculis porriget Celebranti. Aspersorium ab ipso receptum reddet clerico, qui ei tradiderit. Thuribulum postea a thuriferario accipiet, quod tradet Celebranti, et ab eodem sibi redditum thuriferario restituet.

197. Veniet cum Celebrante ad medium Altaris, se cum eo convertet ad chorum, et perstans a dexteris illius, pelviculam cinerum dextera, sinistra autem pluvialis fimbriam dexteram ipsi sustinebit.

198. Cineres a Celebrante suo tempore accipiet adgeniculatus in extremo suppedaneo, atque hanc ob caussaam in eius locum succedet Caeremoniarius pelviculam cinerum Celebranti sustentando.

199. Distributionis tempore adstabit, ut superius monuimus, dexterae Celebrantis, ut pelviculam cinerum et pluviale sustentet.

200. Post distributionem pelviculam cum cineribus Caeremoniario tradet, ac Celebranti manus abluenti pluvialis fimbriam et manutergium sustinebit.

201. Ad orationem *Concede nobis* etc. stabit in cornu Epistolae, sicut in functionis principio.

202. Dein cum Celebrante a latere ad scamnum descendet,

ubi manipulo sibi induto, cum suetis reverentiis ad Altare redibit ministraturus in Missa.

§. 10. *In Dominica Palmarum.*

203. Diaconus in accessu ad Altare servabit ea, quae in functione benedictionis candelarum hoc capite descripta sunt.

204. Post aspersionem aquae benedictae manipulum sibi induet, suppedaneum cum Celebrante conscendet, non genuflectet quum ille osculabitur Altare, perget cum eo in cornu Epistolae, ibique adstabit ei dextrorsum.

205. Lectione a Subdiacono tono Epistolae cantata, accedet paullum ad dexteram Celebrantis ut pluviale ipsi sustollat quum manum osculandam ac benedictionem praebebit Subdiacono.

206. Tum descendet de Altari, vadet ad abacum, deponet planetam plicatam et sibi induet stolam latiorem (si Ecclesia una ex primariis fuerit) Evangeliarium sumet, cum suetis reverentiis deferet ad Altare, et quin descendat de suppedaneo ad Celebrantis dexteram redibit.

207. Ibi fimbriam dexteram pluvialis Subdiacono tradet, et cum osculis rituque solito incensum Celebranti ministrabit.

208. Post haec redibit in medium Altare et genibus flexis in media extremitate suppedanei recitabit *Munda cor meum* etc. assurget, Evangeliarium sumet, sinistrorsum se convertet in suppedaneo, ante Celebrantem geniculabit, benedictionem ab eo petet, et manum osculabitur.

209. Assurget, de Altari descendet, se adiunget Subdiacono, atque Evangelium ritu pro Missis solemnibus praescripto cantabit.

210. Post Evangelium cantatum thurificabit Celebrantem, ibit ad abacum, manipulum et stolam latiorem, si indutus fuerit, demittet, resumet planetam plicatam, si principio usus fuerit, et ad dexteram Celebrantis gradum referet.

211. Advertet ut fimbriam dexteram pluvialis eius sustollat quum signum Crucis palmas versus manu dextera faciet, et Missalis folia evolvat, quum opus fuerit. Recitabit etiam cum eo submissa voce *Sanctus*, ut in Missis solemnibus.

212. Post sextam orationem pluvialis fimbriam Subdiacono tradet, rituque sueto incensum Celebranti ministrabit.

213. Navicula thuriferario reddita, accipiet aspersorium, quod cum osculis tradet Celebranti, deinde etiam thuribulum.

214. Fine facto canendi alteram orationem praescriptam post aspersionem et thurificationem, procedet cum Celebrante ad medium Altare in suppedaneo, et conversus ad chorum a dexteris eius manebit.

215. Sumet a Celebrante palmam, quae ipsi tradita erit, eamque Altari imponet.

216. Palmam et ipse suo tempore accipiet, ideoque geniculabit in extremo suppedaneo ante Celebrantem, palmam et Celebrantis manum osculabitur, assurget et palmam suam acolythorum alteri tradet.

217. In distributione manebit sinistrorsum Celebrantis, eique palmas ministrabit tum in distributione quam faciet Clero, tum in altera, si faciet, populo, descendens ad cancellos, sive ad balaustrium presbyterii.

218. Celebranti post distributionem abluenti manus pluvialis fimbriam et manutergium sustinebit.

219. Ad alteram orationem ante processionem, adstabit dexterae Celebrantis, ut in functionis initio.

220. Praedicta oratione cantata, incensum Celebranti ritu sueto ministrabit.

221. Ibit in medium suppedaneum cum Celebrante; palmam ipsi praebebit osculans palmam et manum eius, suamque a Caeremoniario accipiet.

222. Innuente Caeremoniario, ad populum conversus cantabit *Procedamus in pace.*

223. De Altari postea cum Celebrante descendet, genuflexionem ad Altaris Crucem efficiet, biretum Celebranti cum osculis tradet, suum recipiet, quo caput operiet, seque processioni adiunget a sinistris Celebrantis incedens, palmam dextera, laeva autem fimbriam sinistram pluvialis Celebrantis sustinens.

224. Extra Ecclesiam ad hymnum, qui canetur, *Gloria laus et honor* etc. capite adhuc cooperto adstabit Celebranti sinistrorsum.

225. In processionis reditu ad Altare caput deteget bireto in presbyterii aditu, et progressus ante Altare se sistet ad Celebrantis dexteram, genuflectet, biretum palmamque suam Caeremoniario tradet, acceptamque palmam et biretum Celebrantis Caeremoniario pariter transmittet.

226. Vadet inde ad scamnum paratum, ubi manipulum sibi imponet, et cum suetis reverentiis redibit cum Celebrante ad Altare pro Missa solemni, in qua ritus praescripti servabuntur.

227. Simul ac Diaconi cantores *Passio* canere incipient, palmam a Caeremoniario acceptam Celebranti cum suetis osculis praebebit. Suam etiam accipiet, quam interea dum cantabitur *Passio* manu dextera sustinebit. Dum *Passio* a Celebrante legetur adstabit dexterae illius in gradu primo, ut in introitu Missae solemnis. Lecto a Celebrante *Passio*, se convertet cum eo versus cantores superius nominatos et in gradu primo ad laevam Celebrantis subsistet. Ad verba *Emisit spiritum* flectet genua loco eodem versus cantores praedictos.

228. Fine facto canendi *Passio* palmam suam Caeremoniario vel clerico tradet, a Celebrante cum osculis palmam sumet, quam Caeremoniario dabit, et a latere perget ad abacum, ubi planetam plicatam, si usus fuerit, deponet, et stolam latiorem sibi induet, Evangeliarium sumet et deferet ad Altare. Incensum deinde Celebranti ministrabit, dicet *Munda cor meum*, benedictionem accipiet, se adiunget Subdiacono atque acolythis, et procedet ad ultimam partem *Passio* tono Evangelii canendam. Non cantabit *Dominus vobiscum* nec *Sequentia* etc. sed librum statim thurificabit, tum nec sese nec librum signans, partem, quam paullo ante nominavimus, cantabit.

§. 11. *Feria V. in Coena Domini.*

229. Diaconus relate ad Missam solemnem servabit quae superius tradita sunt, advertet autem quod in hac Missa Cleri Communio fiet, ideoque sequetur documenta quae hoc ipso capite num. 109. et seqq. tradidimus.

230. Postquam Celebrans sumpserit Calicem, redibit ad dex-

teram illius, ac priusquam ad medium Altare pixidem cum S. Particulis admoveat, alterum calicem vacuum obiiciet Celebranti in quo SS. Sacramentum erit repositurus. Diaconus deinde, quin hunc Calicem a corporali amoveat, pallam ipsi et patenam inversam imponet, super eum extendet velum album, quod serica taenia supra nodum alligabit, ita tamen ut patena nequeat a Calice moveri. Tum Calicem istum in medio corporali versus Crucem ponet, sumet pixidem eamque adducet in medium Altare ante Calicem eumdem ac discooperiet, ut Communio, quemadmodum paullo superius diximus, peragatur.

231. Sub finem Sacri genuflexiones exsequetur indicatas quum in Altare expositum est SS. Sacramentum.

232. Peracto Sacro, genuflexionem cum Celebrante faciet in suppedaneo, de Altari cum ipso a latere descendet, ad scamnum vadet ibique manipulum demittet.

233. Redibit deinde ante Altare cum Celebrante, cui fimbriam dexteram pluvialis sustollet. Ibi genuflexionem duplicem in plano exsequetur, assurget et in gradu infimo ad Celebrantis dexteram geniculabit.

234. Ad nutum Caeremoniarii, assurget, Subdiacono tradet fimbriam dexteram pluvialis Celebrantis, atque una navicula et sine osculis incensum ministrabit Celebranti, qui sine benedictione illud in bina thuribula iniiciet.

235. Rursus in gradu infimo geniculabit, alterum ex thuribulis sine osculis Celebranti tradet, idque recipiet ab eo, postquam Sacramentum thurificaverit, ac reddet thuriferario.

236. Assurget, velum humerale Celebrantis humeris imponet, suppedaneum conscendet et genuflexionem ad Sacramentum efficiet, sed aliquantulum versus cornu Epistolae, ne Celebranti tergum directe vertat.

237. Sacramentum sumet ponens dexteram infra cuppam Calicis, sinistram autem infra pedem, se convertet super dexteram suam ad Celebrantem, eique Calicem obiiciet. Celebrans eum accipiet apponens sinistram nodo et dexteram super patenam. Diaconus statim geniculabit, manus Celebrantis anterioribus veli humeralis extremitatibus cooperiet, assurget, de

Altari descendet, se sistet ad dexteram illius, eum eo in processione incedet et fimbriam dexteram pluvialis eius sustinebit.

238. In processione Celebranti psalmos recitanti respondebit.

239. Ubi ventum erit ad sacellum, in quo SS. Sacramentum erit exponendum, subsistet ante Altare, geniculabit versus Celebrantem gestantem Sacramentum, manus eius velo humerali discooperiet, Sacramentum, ut antea, accipiet, assurget, expectabit donec Celebrans illud adoraverit, ad Altare ascendet, atque in urna, seu custodia ibi apparata ipsum locabit.

240. De altari postea descendet, ad Celebrantis dexteram redibit, incensum sine osculis ministrabit illi, rursus submittet genua, thuribulum Celebranti praebebit, ac Sacramento thurificato, thuribulum ab eo receptum thuriferario restituet.

241. Inde ad Altare iterum ascendet, urnam seu custodiam claudet, in qua SS. Sacramentum erit expositum, rursus de Altari descendet et in gradu infimo a dexteris Celebrantis geniculabit.

242. Ad nutum Caeremoniarii cum Celebrante consurget, genuflexionem duplicem in plano pavimenti efficiet, et de sacello praedicto proficiscetur ad sacrarium. Extra Sacellum, biretum a Caeremoniario acceptum Celebranti cum osculis tradet suum deinde ab eodem Caeremoniario accipiet et caput cooperiet. Incedet, ut antea, dextrorsum Celebrantis et fimbriam ei dexteram pluvialis sustinebit.

243. Ad sacrarium quum venerit, reverentiam Cruci vel imagini praecipuae, et inclinationem Celebranti faciet. Paramentis albis depositis, stolam violaceam diaconalem super albam sibi induet, manens illic donec in choro Vesperae recitabuntur.

244. Signo dato exeundi de sacrario, reverentiam suetam Cruci vel imagini faciet, caput bireto teget, ac iunctis manibus Celebrantem praecedet.

245. In aditu chori caput deteget ac biretum tradet Caeremoniario; se a dexteris Celebrantis sistet, acceptumque ab eo cum osculis biretum Caeremoniario eidem transmittet, et choro faciet reverentiam. Ante Altare autem genuflexionem ad Crucem exsequetur.

246. Ad Altare cum Celebrante ascendet, eumque adiuvabit in amovendis ab illo tobaleis.

247. Tum de Altari descendet, genuflexionem Cruci, reverentiam choro efficiet, biretum tradet Celebranti et suum quoque accipiet; exibit de choro Celebrantem praecedens et caput cooperiet.

248. Procedet ad reliqua etiam Altaria, quae sicut principale denudabuntur.

249. Redibit postea ad chorum, ut in accessu, et bireto detracto, subsistet ante Altare dextrorsum Celebrantis, quoad Clerus discesserit; siquidem genuflexione ad Crucem facta redibit ad sacrarium et vestes sacras demittet.

250. Pro *Mandato* aderit in cubiculo vel sacrario contiguo aulae, in qua haec functio peragetur, ibique vestimentis sacris albi coloris, scilicet amictu, alba, cingulo, manipulo, stola et dalmatica induetur.

251. Ad nutum Caeremoniarii Crucem vel imaginem praecipuam salutabit, caput bireto cooperiet et incedet ad dexteram Celebrantis, cui fimbriam dexteram pluvialis sustinebit.

252. Ante Altare progressus caput nudabit ac biretum tradet Caeremoniario, acceptumque Celebrantis biretum Caeremoniario eidem cum osculis transmittet: genuflectet ad Crucem, sublevabit fimbriam vestium anteriorum Celebrantis ad Altare ascendentis, conscendet cum eo suppedaneum, genuflexionem vero non faciet quum ille Altare osculabitur.

253. Deinde a latere descendet de Altari, veniet ad abacum, Evangeliarium recipiet quod ad Altare afferet, ut in Missis solemnibus.

254. Incensum ritu solito Celebranti ministrabit, genua submittet in extremo suppedaneo, recitabit *Munda cor meum* etc. assurget, Evangeliarium sumet, geniculabit ante Celebrantem, benedictionem petet ab eo, manum eius osculabitur et de Altari descendet.

255. Ubi descenderit, se Subdiacono, acolythis ac thuriferario adiunget, genuflectet ad Crucem et reverebitur chorum, si aderit. Evangelium ritu sueto canet et postremo Celebrantem thurificabit.

256. Thuribulo reddito thuriferario, vadet ad abacum, ubi manipulum deponet.

257. Se adiunget Celebranti dextrorsum, et facta ad Crucem genuflexione, se sistet cum eo ante pauperem primum.

258. Postquam Celebrans pedem laverit pauperis, Diaconus ministrabit ei manutergium, quo pedem illius absterget: tradet etiam eleemosynam, quam ipse Celebrans eidem pauperi donabit.

259. Hoc ipsum deinceps servabit erga pauperes reliquos.

260. Ablutione pedis dexteri cuiusque pauperis absoluta, comitabitur Celebrantem ad abacum, apud quem is lavabit manus.

261. Ad Altare cum Celebrante redibit a latere ascendens, et dum canentur versus et oratio, a dexteris Celebrantis consistet.

262. Fine facto canendi orationem, de Altari descendet, genuflectet ad Crucem, biretum cum osculis Celebranti porriget, suum accipiet et cooperiet caput, incedensque a dexteris Celebrantis, cui fimbriam pluvialis sustinebit, ad sacrarium revertetur.

263. Quo quum venerit, reverentia ad Crucem vel ad imaginem primariam, et inclinatione ad Celebrantem effecta, sacris indumentis exuetur.

§. 12. *Feria VI. In Parasceve.*

264. Aequum erit quod Diaconus in huiusce diei functione cogitatione percipiat actiones, quas erit exsequuturus.

265. Hora praestituta in sacrario se parabit amictu, alba, cingulo, et manipulo stolaque nigra; ac si Ecclesia erit una ex praecipuis, planetam quoque nigri coloris ante pectus plicatam induet sibi.

266. Advertet quod hac die reverentiae ad chorum atque oscula manus Celebrantis et rerum, quas ipsi tradet, omittenda sunt.

267. Ad nutum Caeremoniarii reverentia ad Crucem vel

ad imaginem principem sacrarii facta, caput bireto cooperiet, ac iunctis manibus Celebranti praeibit.

268. Ad sacrarii fores aquam benedictam non accipiet, nec sese signabit, si de vasculis aqua dempta fuerit: si mos erit eam servandi, se signabit ut in aliis Missis solemnibus.

269. In presbyterii aditu caput deteget, biretum suum Caeremoniario tradet, transibit ad dexteram Celebrantis, acceptumque ab eo biretum Caeremoniario eidem transmittet.

270. Ante Altare quum pervenerit, genuflexionem faciet ad Crucem, geniculabit in plano a dexteris Celebrantis et procumbet super gradus Altaris caput et brachia ponens in cussino ibi apparato.

271. Ad nutum Caeremoniarii eriget sese et assurgens conscendet suppedaneum cum Celebrante; quum hic osculabitur Altare, non genuflectet; vadet cum eo in cornu Epistolae ac subsistet a dexteris eius in gradu superiori, ut in introitu Missae solemnis.

272. Prima lectione et primo tractu cantato, ibit post Celebrantem in gradu superiori. Ubi Celebrans cecinerit *Oremus*, cantabit ℣. *Flectamus genua* et genuflectet. Sub exitum orationis redibit ad dexteram Celebrantis, ibique manebit dum altera lectio et alter tractus canentur.

273. Dum *Passio* cantabitur, servabit quod pro Dominica praecedente notavimus, sed hac die palma dextera manu non sustinebitur.

274. Pro ultima parte *Passio*, post allatum ad Altare Evangeliarium, geniculabit in extremo suppedaneo, recitabit *Munda cor meum*, assurget, Evangeliarium resumet, et procedet ad ultimam partem *Passio* canendam, quin utetur incenso, et quin sacrum Textum in fine Celebranti indicet osculandum.

275. Genuflexionem deinde cum Subdiacono ante Altare faciet, vadet post Celebrantem super gradum superiorem in cornu Epistolae, et canet ℣. *Flectamus genua* ac genuflectet, quum ei a Caeremoniario innuetur.

276. Fine facto canendi orationes, de Altari descendet a latere cum Celebrante, quem comitabitur ad scamnum, ubi ille planeta exuetur.

277. Comitatus Celebrantem in planum ad cornu Epistolae a latere ascendet ad Altare, genuflexionem Cruci efficiet, quum devenerit in medium suppedaneum, accipiet Crucem velo contectam quam descendens de medio Altari deferet ad Celebrantem eique tradet, et se sistet a dexteris illius.

278. Tum Celebrantem adiuvabit in detegenda superiori Crucis parte usque ad transversam ipsius, ac versus Crucem genua submittet quum canetur ℣. *Venite adoremus.*

279. Assurget, suppedaneum cum Celebrante conscendet in cornu Epistolae, Celebrantem adiuvabit in detegendo dextero Crucis brachio una cum capite Crucifixi, iterumque ad *Venite adoremus* geniculabit.

280 Assurget, rursus vadet ad medium Altare cum Celebrante, eumque adiuvabit ad totam Crucem detegendam, geniculabit tertio ad *Venite adoremus,* ac genibus flexis manebit donec Celebrans Crucem attulerit et in cussino locaverit.

281. Post impositam cussino Crucem assurgente Celebrante, assurget etiam Diaconus, qui stans in suppedaneo et ad Crucem conversus, genuflexionem cum Celebrante et Subdiacono efficiet: de Altari a latere descendet, vadet ad scamnum, ibique stabit pedibus loco suo donec ab adoratione Crucis Celebrans redierit.

282. Tum manipulum deponet, sedebit, excalceabit pedes, assurget cumque Subdiacono Crucem adoratum ibit, quum monstratum ipsi fuerit (*a*). Tres genuflexiones, quemadmodum fecerit Celebrans, exsequetur.

283. De adoratione reversus ad scamnum, sedebit, calceos sibi reponet et manipulum induet, caput bireto cooperiet et Celebranti legenti improperia respondebit.

284. Sub adorationis finem deteget caput, assurget, bursam cum corporali et purificatorio sumet, et ritu sueto deferet ascendens a latere in suppedaneum; ibi in medio genuflexionem versus Crucem faciet, se convertet ad Altare, in medio explicabit corporale et ad dexteram purificatorium ponet: se vertet Cru-

(*a*) Quod Celebrans et sacri Ministri manipulum deponant in adoratione Crucis nec rubrica Missalis, nec Caeremoniale praescribit: id tamen decretum est a S. C. Rituum 15 Sept. 1736.

cem versus, iterabit genuflexionem, redibit a latere ad scamnum sedebit et caput bireto cooperiet.

285. Crucis adoratione absoluta, nudabit caput, assurget, vadet ad Crucem, et flexis genibus eam solvet taeniis, si fuerit ipsis ligata, accipiet ipsam utraque manu, ascendet ad Altare, eamque basi in qua erat, reponet.

286. Genuflexionem ad Crucem in medio suppedaneo iterabit, descendet a latere ad scamnum, ibique sedebit.

287. Profecto de choro Clero, Diaconus, capite nudato, assurget, ibit cum Celebrante ante Altare, genuflexionem faciet, biretum Celebranti tradet, suoque accepto cooperiet caput, iunctisque manibus Celebranti praeibit, et ad sacellum, in quo SS. Sacramentum erit expositum, proficiscetur.

288. Quum in sacellum venerit, caput deteget, biretum suum dabit Caeremoniario, se sistet ad dexteram Celebrantis eiusque biretum accipiet, quod eidem Caeremoniario tradet.

289. Ante Altare genuflexionem duplicem in plano exsequetur, et dum Celebrans in medio gradu infimo genua submittet, Diaconus cum debitis genuflexionibus, urnam seu custodiam aperiet, in qua positum erit SS. Sacramentum, de Altari descendet et in gradu infimo ad laevam Celebrantis geniculabit.

290. Hinc assurget, incensum Celebranti una tantum navicula pro duobus thuribulis ministrabit, genua submittet, thuribulum tradet Celebranti, et planetae partem posteriorem pro thurificatione sublevabit, receptumque ab ipso thuribulum thuriferario restituet.

291. Post haec ad Altare ascendet, Calicem cum SS. Sacramento de custodia educet manu dextera infra cuppam et sinistra sub pedem accipiens, et conversus Celebranti genuflexus tradet. Ubi Celebrans acceperit Calicem, Diaconus adorabit veli humeralis extremitatibus anterioribus cooperiet Celebrantis manus, assurget et Celebranti dextrorsum adstabit, cui processionis tempore in psalmis recitandis respondebit.

292. Quum ad Altare maximum venerit, ante Celebrantem se sistet, genua submittet, tollet de manibus eius veli humeralis extremitates, Sacramentum, ut antea, accipiet, assurget ac postquam Celebrans illud adoraverit, afferet ad Altare.

293. Calicem in medio Altari super corporale ponet, genuflectet, expediet et detrahet taeniam, qua ligatum erit parvum velum quod teget Calicem et velum ipsum extendet, cavens tamen ne moveatur patena, neu Calix detegatur. Hinc genuflexionem paullum a latere efficiet, ne tergum Celebranti vertat, de Altari iterum descendet et ad dexteram illius redibit.

294. Incensum ei ministrabit, genua submittet, thuribulum ei tradet, in thurificatione partem posteriorem planetae ipsi sustollet, receptumque ab eo thuribulum reddet thuriferario.

295. Suppedaneum cum Celebrante conscendet, adstans ei dextrorsum, genuflectet, velum a Calice amovebit curans ne patena moveatur, hanc dextera accipiet et conversam ad sinistram transferet; dextera autem tollet pallam quam super Altare ponet, ac patenam dextera receptam ante Celebrantem sustinebit, qui, calice sumpto, Sacramentum super patenam transmittet. Diaconus inde patenam cum Sacramento Celebranti sine osculis tradet.

296. Calicem laeva sumet, et quin abstergat ac ponat super Altare, vinum ipse infundet, Subdiacono autem praebebit ut infundat aquam. Quin abstergat vini guttas, quae forte possent parietibus internis calicis adhaerere, tradet eum Celebranti sine osculis, et locatum a Celebrante super corporale, Diaconus palla cooperiet.

297. Incensum sine osculis ministrabit Celebranti, qui sine benedictione demittet illud in thuribulum. Accipiet deinde thuribulum a thuriferario ac tradet Celebranti, qui ritu sueto oblata et Altare thurificabit. Diaconus autem in thurificatione partem posteriorem planetae Celebrantis sustinebit.

298. Thuribulum a Celebrante recipiet, eoque non thurificato, reddet illud thuriferario. Hinc manutergium Celebranti, quum laverit manus, ministrabit.

299. Celebrantem sequens ibit ad medium Altare, post eum in gradu superiori se sistet, quumque in medium venerit, genuflexionem faciet. Ad *Orate fratres* non respondebit *Suscipiat Dominus* etc.

300. Sub finem orationis *Libera nos, quaesumus* etc. vadet

ad dexteram Celebrantis atque in extremo suppedaneo geniculabit. In ostensione SS. Sacramenti partem posteriorem planetae Celebrantis minime sustollet.

301. Dum Celebrans demittet sacram Hostiam Diaconus assurget, calicem deteget, et postquam Celebrans super illum S. Hostiam diviserit, iterum cooperiet eum et genuflexionem cum Celebrante exsequetur (a).

302. Transibit ad laevam Celebrantis, genuflectet, monstrabit ipsi orationes, quas erit recitaturus et quas actiones exsecuturus erit, suggeret ei, si opus fuerit.

303. Celebrante ablutionem accipiente, Diaconus de Altari descendet, perget ad abacum ad stolam latiorem deponendam, et planetam plicatam, si usus fuerit, resumendam atque ad dexteram Celebrantis redibit.

304. Post orationem *Quod ore sumpsimus* etc. Missale claudet, de Altari descendet, genuflectet ad Crucem, biretum Celebranti tradet, suum accipiet, ex Altari discedet, Celebrantem praecedens, in aditu presbyterii caput bireto cooperiet et ad sacrarium proficiscetur.

305. Sacrarium ingressus reverentiam Cruci vel imagini praecipuae efficiet ac sacris indumentis exuetur.

§. 13. *In Sabbato sancto.*

306. Diaconus ut in hesterna ita in huius diei functione necesse est ut cogitatione percipiat actiones suas ac praesertim cantum *Exultet*.

307. Hora praestituta amictum, albam, cingulum et stolam violaceam sibi induet, planetam etiam ante pectus plicatam, si ei licebit, sibi imponet.

308. Reverso in sacrarium Clero post horas minores recitatas, Diaconus facta reverentia ad Crucem vel primariam imaginem et inclinatione ad Celebrantem, bireto operiet caput,

(a) Advertat Diaconus, quod Celebrans reponere S. Hostiam super corporali post ostensionem non debet, neque iterare genuflexionem, sed tantum super calicem eam demittere, super quem dividet ipsam.

et post Clerum se addet Celebranti sinistrorsum, cui fimbriam pluvialis sustinebit, et ad portam Ecclesiae procedet.

309. Celebrante ad Ecclesiae portam subsistente, Diaconus caput nudabit, suumque biretum Caeremoniario tradet, transibit ante Celebrantem se illi inclinans, et a dextris eius consistet.

310. Biretum cum osculis ab ipso accipiet, et fimbriam dexteram pluvialis eius sustollet, quum versus ignem aut versus grana thuris Crucis signum dextera faciet.

311. Incensum inde ritu usitato ei ministrabit, naviculaque thuriferario reddita, aspersorium sumet quod Celebranti porriget; recepto dein aspersorio, tradet ei thuribulum, quod ab ipso resumptum thuriferario restituet. In aspersione autem atque in thurificatione advertet, ut Celebranti fimbriam dexteram pluvialis sustollat.

312. Facta prius Celebranti reverentia, vadet ad abacum prope portam paratum; ibique demissis paramentis violaceis, manipulum, stolam et dalmaticam albi coloris induet sibi.

313. Rursus ad Celebrantem redibit, eique facta inclinatione, incensum ministrabit.

314. Abscendens a Celebrante, arundinem sumet cum tricereo, et comitante sinistrorsum acolytho qui parvam candelam accensam feret, ante Celebrantem incedens Ecclesiam introibit.

315. Ingressus in Ecclesiam, arundinem demittet, alteram ex tribus candelis tricerei accendendam dabit acolytho eaque accensa elevabit arundinem, genuflectet et canet *Lumen Christi*.

316. Assurget et procedet in mediam Ecclesiam, altera accendetur candela atque, ut antea, cantabit *Lumen Christi* et genuflectet.

317. Ante Altare maximum tertiam candelam iubebit accendi, ac tertio genuflectet canetque *Lumen Christi*.

318. Arundinem clerico tradet, sumet librum unde canat *Exultet*, geniculabit ante Celebrantem in extremo suppedaneo, ab eoque benedictionem petet dicens *Iube, Domne, benedicere*. Benedictione accepta, deosculans manum Celebrantis, de Altari descendet, genuflectet et ad legile procedet quo loco canitur Evangelium. Posito et aperto libro super legili, thuri-

bulum sumet, librum in medio, ad suam sinistram et ad dexteram thurificabit, thuribulum thuriferario restituet, nec librum nec sese signans incipiet Praeconium paschale canere *Exultet iam* etc. quod notis descriptis continuabit.

319. Post verba *curvat imperia*, cantum abrumpet, accedet ad Cereum, parvam scalam conscendet, et in foris iam in Cereo effectis quinque grana incensi Crucis instar ponet hoc ordine:

1.
4. 2. 5.
3.

320. Redibit ad legile et canere Praeconium perget a verbis *In huius igitur noctis gratia* usque ad verba *rutilans ignis accendit* inclusive. Cantum rursus intermittet, redibit ad Cereum, sumptaque a clerico arundine, Cereum accendet ex una candela tricerei, eoque accenso, arundinem reddet clerico et cantum redintegrabit a verbis *Qui licet sit divisus* etc. usque ad alia *apis mater eduxit* inclusive.

321. Cessabit cantum et interim ab uno vel pluribus clericis accendentur lampades per Ecclesiam. Quibus omnibus accensis, vel saltem illis, quae propiores erunt Altari maximo, continuabit cantum a verbis *O vere beata nox* etc. usque ad finem.

322. Cantu ex toto absoluto, librum claudet, cum Subdiacono ante Altare redibit, genuflectet et perget ad scamnum Celebrantis, ibique dalmatica, stola et manipulo albo depositis, resumet manipulum cum stola violacea, et planetam etiam plicatam eiusdem coloris, si uti licebit.

323. Tum ad Altare cum Celebrante a latere ascendet, et in cornu Epistolae subsistet, ut in introitu, pro canendis prophetiis.

324. Sub finem cantus prophetiarum vel tractus ibit post Celebrantem super gradum superiorem, et ad orationem, quae post singulas prophetias cantabitur, dicto a Celebrante *Oremus*, genuflectet canetque ℣. *Flectamus genua*. Post orationem re-

dibit ad eius dexteram. Ante orationem duodecimam non canet *Flectamus genua*.

325. Fine facto canendi duodecim prophetias orationesque duodecim, descendet a latere de Altari, ad scamnum cum Celebrante redibit, ibique manipulum demittet.

326. Si fons baptismalis in Ecclesia aderit, procedet ad illum incedens a dexteris Celebrantis, cui fimbriam pluvialis sustinebit. Discedens ex Altari genuflexionem ad Crucem efficiet, biretum cum osculis tradet Celebranti, suoque recepto cooperiet caput.

327. Progressus ad fontem extra cancellos caput nudabit, biretum tradet Caeremoniario, alterum accipiet a Celebrante, quod eidem Caeremoniario transmittet, atque in benedictione fontis illi ministrabit, sublevando scilicet eius pluviale, quum oportebit, praebendo ei manutergium quum aquam vel tetigerit vel diviserit. Considebit cum Celebrante in scamno, eique biretum tradet, quum populus aqua benedicta aspergetur. Inde ad fontem redibit, et Celebranti ampullas cum oleis sanctis porriget: quo facto, ad Altare redibit, ut in accessu ad baptisterium.

328. In reditu ad Altare, facta ad Crucem genuflexione, ad scamnum vadet, exuetur planeta plicata et ante Altare redibit.

329. Si fonte baptismali Ecclesia carebit, post prophetias, planeta plicata et manipulo in scamno depositis, revertetur ante Altare.

330. Quo quum venerit, genuflectet ad Crucem, tum adgeniculabitur et procumbet super gradus caput manusque ponens in pulvillo.

331. Ad cantum ℣. *Peccatores* assurget, genuflexionem ad Crucem iterabit, biretum tradet Celebranti, suum accipiet, quo caput operiet prope aditum presbyterii, ac Celebrantem praecedens ad sacrarium proficiscetur.

332. Stolam violaceam deponet; manipulum, stolam et dalmaticam albi coloris induet sibi et incedens ante Celebrantem ad presbyterium redibit.

333. In aditu caput deteget bireto, quod Caeremoniario tra-

det, alterum a Celebrante cum osculis accipiet, quod Caeremoniario itidem tradet, reverebitur chorum et ad Altare introibit.

334. In Missa solemni servabitur ritus pro aliis Missis solemnibus statutus, exceptis iis quae sequuntur.

335. Post *Pax Domini* cooperto Calice, genuflectet et ad laevam Celebrantis transibit, quia neque *Agnus Dei* recitabitur, nec dabitur pacis osculum.

336. Ad *Postcommunio* post cantatam antiphonam *Vespere autem Sabbati*, ad intonationem cantici *Magnificat* ibit cum Celebrante ad medium Altare, incensum ei ministrabit, assistet in thurificatione, ut in introitu, deinde Celebrantem et Clerum in choro adolebit.

337. Ad *Ite Missa est* bis adiunget *Alleluia*.

§. 14. *In processionibus*.

338. In processionibus maiorum minorumque Litaniarum amictu, alba, cingulo, stola et dalmatica violacea induetur, tum caput bireto cooperiet.

339. Ad nutum Caeremoniarii reverentiam capite nudato ad Crucem vel ad imaginem principem sacrarii una cum Celebrante exsequetur, et inclinationem faciet ad Celebrantem ipsum, deinde a dextris eius incedens, ipsique sustinens fimbriam dexteram pluvialis ad Altare procedet.

340. In aditu presbyterii, detecto capite, Caeremoniario tradet primo biretum suum, deinde Celebrantis cum usitatis osculis acceptum; ac si Clerus in choro iam aderit, eum honorabit reverentia, quam contra omittet, si ille Celebrantem cum Ministris praecesserit.

341. Ante Altare progressus, genuflectet ad Crucem dum Celebrans reverentiam efficiet, et relicta fimbria pluvialis Celebrantis, manebit stans a dextris eius, donec cantata erit antiphona *Exurge, Domine* etc.

342. Litaniarum initio geniculabit in gradu infimo, et Celebrante genua submittenti pluviale sustollet.

343. Cantato et repetito ℣. *Sancta Maria, ora pro nobis*,

assurget et stabit donec signum ei fiet in processionis ordinem proficiscendi.

344. Ad Caeremoniarii nutum genuflexionem Cruci faciet, sumet biretum Celebrantis eique tradet, accipiet suum et caput cooperiet. In processione adstabit Celebranti dextrorsum, eique fimbriam pluvialis sustinebit.

345. Si qua in Ecclesia statio fiet in itinere, quod processio percurret, quum ad Altare devenerit, nudabit caput, Caeremoniario biretum suum primo, deinde alterum a Celebrante acceptum tradet, et post haec genuflexionem ad Altare efficiet.

346. Dum antiphona de Sancto Patrono seu Titulari canetur, stare perget, postea Celebranti orationem respectivam canenti librum laeva sustinebit. Tum genuflexionem iterabit, biretum Celebranti reddet, suoque recepto caput teget, iterumque in processionis ordinem se locabit.

347. Quum ad Ecclesiam, in qua finis fiet, processio pervenerit, caput nudabit ante Altare, biretum Celebrantis accipiet et Caeremoniario tradet, genuflexionem faciet, ac genibus flexis postea manebit in gradu infimo dum preces canentur. Librum Celebranti laeva sustinebit.

348. Cantu omnium precum absoluto, assurget, genuflexionem ad Altare iterabit, Celebranti reddet biretum, suum recipiet, atque eodem ordine, quem in accessu descripsimus, gradum referet ad sacrarium, ubi sacra vestimenta demittet.

349. Si in Missa solemui erit ministràturus, sequetur ea quae pro hac functione iam tradita sunt.

350. Eadem methodo utetur in iis processionibus extraordinariis, quae pro aliqua publica necessitate ab Episcopo indicentur.

351. Si quae sacrae Reliquiae a Celebrante in processione ferentur, Diaconus quum venerit ad Altare, facta primum genuflexione, incensum Celebranti cum usitatis osculis ministrabit et petet ab eo benedictionem. Thure a Celebrante posito ac benedicto in thuribulo, accipiet a thuriferario thuribulum ipsum, quod Celebranti tradet, et fimbriam dexteram pluvialis eius sustinebit, dum sacras Reliquias adolebit. Receptum ab eo thuribulum thuriferario restituet.

352. Quo momento discedendi initium a processione fiet, ascendet ad Altare, reverebitur sacras Reliquias, quas utraque manu accipiet, de Altari descendet easque tradet Celebranti. Meminerit eas tali modo sustinere, ut Celebrans possit commode et facile accipere.

353. Redibit ad Celebrantis dexteram, cumque ipso ad populum convertetur, cavens ne quidquam a Celebrantis dextera recedat, cui fimbriam pluvialis sustinebit. In processione autem capite nudato incedet.

354. In statione, si forte fiet in itinere, et in reditu processionis ad Ecclesiam, quum ventum erit ante Altare, Reliquias a Celebrantis manibus recipiet, ad Altare deferet, in medio ipsius locabit eas, et ad Celebrantis dexteram redibit. Hinc ei ministrabit incensum, thuribulum porriget ab eoque resumet, ut superius descriptum est.

355. Celebranti in fine processionis orationem canenti librum sustinebit.

356. Si benedictio per sacras Reliquias donabitur, ad Altare ascendet cum Celebrante; cui fimbriam pluvialis sustollet, sinistra autem extremitatem anteriorem vestium: Reliquias ei in manus tradet, et benedictionis tempore in extremo suppedaneo geniculabit, advertens ut fimbriam sinistram pluvialis Celebrantis sustineat.

357. Benedictione peracta, assurget Reliquias a Celebrantis manibus recipiet, in Altari reponet, cumque eo rursus de Altari descendet.

358. Genuflexionem faciet Cruci, biretum tradet Celebranti, recipiet suum, caput cooperiet, et quo ordine declaratum est in accessu, revertetur ad sacrarium ibique vestes sacras demittet.

§. 15. *In vigilia Pentecostes.*

359. Functio huiusce diei parum a sabbati sancti functione differt, praeter Cerei paschalis benedictionem.

360. Itaque Diaconus postquam in sacrario sibi induerit planetam plicatam, si uti ei licebit, secus stolam violaceam super

albam, procedet ad Altare, quumque in chorum venerit, Clerum, si iam ibi aderit, reverebitur.

361. Ante Altare progressus genuflectet ad Crucem, ad Altare ascendet cum Celebrante, deinde cum eo vadet ad latus Epistolae et canentur prophetiae. Advertet hac die quod canendum non est *Flectamus genua* ante orationes.

362. Procedetur deinde ad fontem baptismalem, ut in sabbato sancto, fiet ipsius fontis benedictio, ministrabitur baptismum, tum reversus ad Altare se ante ipsum prosternet ad Litaniarium cantum.

363. In Missa solemni, quoad ritum pro aliis Missis solemnibus praescriptum, nullum intercedit discrimen.

§. 16. *In festo Pentecostes eiusque octava.*

364. In huius diei solemni Sacro, postquam Subdiaconus Celebrantis manum deosculatus erit, Diaconus vadet ad ipsius Celebrantis dexteram, et cum eo geniculabit in extremo suppedaneo dum canetur ℣. *Veni Sancte Spiritus, reple* etc. Post cantatum hunc versum assurget, redibit ad locum suum, Evangeliarium sumet et in Missa ritu usitato ministrare continuabit.

§. 17. *In processione SS. Corporis Christi et in aliis cum SS. Sacramento.*

365. Postquam Celebrans Calicem sumpserit, et Subdiaconus palla eumdem contexerit, Diaconus, genuflexione facta, ad Celebrantis dexteram transibit, cumque ipso genuflexionem iterabit.

366. Ostensorium sumet, quod nec demittens, neque inclinans ponet intra corporale, et crystallum illius aperiet. Deinde lunulam cum S. Hostia manubrio accipiet et in Ostensorio aptabit, crystallum claudet et Ostensorium in medio corporali imponet, parte eius anteriori ad Celebrantem versa. Cavebit ne S. Hostiam digitis contingat.

367. Ostensorio in medio Altari locato, genuflexionem ef-

ficiet et ad laevam Celebrantis redibit. Exinde quotiescumque abscedet vel redibit ad medium Altare genuflexionem peraget, neque pro canendo *Ite Missa est* tergum ex toto convertet ad Altare, sed aliquantum versa ad populum facie, tergo autem versus cornu Evangelii.

368. Sacro peracto, suppedaneum conscendet, adstans Celebranti dextrorsum genuflexionem faciet cum eo, et in cornu Epistolae a latere ad scamnum descendet.

369. Quo quum venerit, tergo ad scamnum ipsum converso, sibi detrahet manipulum.

370. Quum Celebrans pluviali indutus erit, fimbriam dexteram ei sustinens cum ipso procedet ad Altare.

371. Si Celebrans incensum in thuribula imponet priusquam pergat ad Altare, quemadmodum in expositione de quadraginta horis praescribitur, Diaconus fimbriam dexteram pluvialis Subdiacono tradet, ac sine osculis incensum ministrabit Celebranti, qui sine benedictione illud in bina thuribula iniiciet.

372. Progressus ante Altare, genuflexionem duplicem in pavimento exsequetur ante infimum gradum, assurget, atque incensum, ut supra, Celebranti ministrabit. Si Celebrans incensum iam in thuribula immiserit, ut in paragrapho praecedenti, geniculabit, post genuflexionem; in infimo gradu.

373. Thuribulum a thuriferario accipiet, quod sine osculis Celebranti porriget, et dum hic Sacramentum thurificabit, fimbriam dexteram pluvialis eius sustollet.

374. Receptum a Celebrante thuribulum thuriferario restituet. Inde velum humerale sumet, assurget idque humeris Celebrantis imponet, et a Subdiacono ante pectus illi alligabitur.

375. Suppedaneum conscendet, genuflexionem ad Sacramentum efficiet paullum a latere, ne tergum Celebranti vertat, Ostensorium sumet utraque manu, et conversus ad Celebrantem tradet ei, sed tali modo ut ille facile possit accipere manu dextera ad nodum, sinistra autem infra pedem.

376. Ostensorio a Celebrante accepto, geniculabit genuflexionem peragens duplicem Sacramentum versus, de Altari descendet, se adiunget Celebranti dextrorsum et cum ipso versus

populum seu presbyterium convertetur. Circum pedem Ostensorii, si opus fuerit, extremitates veli humeralis aptabit. Se autem ad populum convertens, sequetur semper Celebrantis dexteram, eique in processione fimbriam dexteram pluvialis sustinebit.

377. In processione item dextrorsum Celebrantis incedet, eique in psalmis atque hymnis recitandis respondebit.

378. Si quo in templo vel Altari ad hoc erecto, statio fieret in itinere, priusquam perveniat ad Altare, in quo ponendum sit SS. Sacramentum, unum vel alterum passum praeibit, ut ante Celebrantem, dum superveniet, adsit. Genuflectet ad Sacramentum, Ostensorium a Celebrantis manibus accipiet, assurget expectans dum hic genuflexionem peragat, postquam Sacramentum ei reddiderit.

379. Ascendet ad Altare, in medio ipsius super corporali Ostensorium ponet, genuflectet paullum a latere, ut superius declaratum est, et ad dexteram Celebrantis descendet.

380. Consurget cum eo Celebrans, cui sine osculis ministrabit incensum, genibusque iterum flexis thuribulum a thuriferario accipiet et Celebranti praebebit, qui Sacramentum thurificabit, receptumque ab ipso restituet thuriferario.

381. Ad orationem, quam canet Celebrans, manens flexis genibus, librum eidem sinistra sustinebit.

382. Post orationem assurget, velum humerale resumet ac Celebrantis humeris imponet, tum ad Altare ascendet, recipiet Sacramentum, quod, ut supra demonstratum est, Celebranti tradet, et processio peragetur.

383. In reditu ad Ecclesiam exsequetur quidquid paragraphis praecedentibus a num. 378. usque ad 381. praescriptum fuit.

384. Postquam Celebrans orationem cecinerit, eique velum humerale imposuerit, suppedaneum cum ipso conscendet, ac genuflexione ad Sacramentum facta, Ostensorium illi in manus tradet, animadvertens ut pars anterior vergat ad populum, quum in manibus Celebrantis erit.

385. Ad benedictionem in extremo suppedaneo geniculabit ac Celebranti fimbriam dexteram pluvialis sustollet. Post be-

nedictionem assurget, Ostensorium a Celebrantis manibus recipiet et super Altare reponet, flexisque genibus in suppedaneo permanebit

386. Quum Celebrans de Altari descenderit et in gradu infimo geniculaverit, assurget Diaconus et Sacramentum in tabernaculo reponet, quemadmodum num. 166. huius capitis declaravimus.

387. De altari postea descendet, se adiunget Celebranti dextrorsum, genuflexionem simplicem cum ipso exsequetur, biretum ei tradet cum osculis, suoque recepto cooperiet caput, et a dexteris Celebrantis incedens, cui fimbriam pluvialis sustinebit, gradum referet ad sacrarium ubi sacra indumenta deponet.

388. Si post processionem expositum adhuc manebit SS. Sacramentum, Diaconus eo casu resumet Ostensorium et in throno locabit, utens climacide seu scabello, si opus fuerit, ad ascendendum.

389. Quum de Altari descenderit, genuflectet in suppedaneo, dein ad dexteram Celebrantis descendet, cum quo genuflexionem duplicem in pavimento exsequetur.

390. Celebrantis adstans dexterae, cui fimbriam pluvialis sustinebit, revertetur ad sacrarium, et quum extra conspectum SS. Sacramenti fuerit, biretum Celebranti cum osculis tradet, suoque a Caeremoniario accepto caput cooperiet.

391. In sacrario vestimentis sacris exuetur, facta prius reverentia ad Crucem vel ad imaginem primariam, ad Celebrantem et ad Clerum, si aderit.

392. Eadem methodo utetur in expositione de quadraginta horis, praeterquam quod in processionis reditu ad Altare accipiet Sacramentum et in throno locabit. In repositione autem post cantatas preces et postquam thurificatum erit SS. Sacramentum, ascendet ad Altare, Ostensorium de throno deponet, et Celebranti, ut superius dictum est, in manus tradet.

§. 18. *Pro exequiis.*

393. Nihil quoad Missam notandum; in hac enim ritus pro Missa de requie descripti adhibebuntur.

394. Sacro peracto, se adiunget Celebranti dextrorsum in suppedaneo genuflectet, et cum eo a latere descendet ad scamnum, ubi manipulum deponet.

395. Si absolutio ad pannum nigrum vel ad tumulum ante Altaris gradus peragetur, postquam Celebrans indutus erit pluviali, Diaconus a dextris eius subsistet in plano Epistolae, dum canetur ℟. *Libera me, Domine* etc.

396. Quum a cantoribus repetetur versus Resp. *Libera me, Domine,* fimbriam dexteram pluvialis tradet Subdiacono, et sine osculis ministrabit incensum Celebranti benedictionem petens formula consueta *Benedicite Reverende Pater.*

397. Ubi Celebrans incensum ingesserit in thuribulum, cum eo suppedaneum a latere conscendet, et facta ad Crucem genuflexione, se convertet tumulum versus et sine osculis aspersorium tradet Celebranti eique aspersionem peragenti pluviale sustinebit.

398. Aspersorio a Celebrante postea recepto, thuribulum ipsi tradet, quod item receptum post thurificationem thuriferario restituet.

399. Convertetur ad Altare et perget cum Celebrante in cornu Epistolae, manens a dexteris eius.

400. Absolutionis ritu completo, de Altari cum Celebrante descendet, genuflectet ad Crucem atque adstans Celebranti dextrorsum, dum pluviale interim ei sustinebit, gradum referet ad sacrarium, et vestibus sacris exuetur.

401. Si tumulus seu castrum doloris extra chorum sive presbyterium erit erectum, postquam Celebrans indutus erit pluviali, et Subdiaconus Crucem sumpserit seque inter acolythos locaverit, Diaconus cum Celebrante ante Altare veniet et ad Crucem genuflectet. Hinc ei biretum tradet, suoque a Caeremoniario accepto caput operiet, et se convertens ut choro egrediatur, non recedet a sinistris Celebrantis, cui fimbriam interea pluvialis sustinebit.

402. Ad caput tumuli ubi devenerit, subsistet cum Celebrante inter Altare et tumulum, advertens ut paullum stet versus cornu Epistolae, ne tergum ad Altare directe vertat. Ca-

put nudabit bireto, quod Caeremoniario tradet, alterum a Celebrante accipiet, quod et ipsum Caeremoniario dabit, et fimbria pluvialis demissa, manebit a sinistris Celebrantis dum cantabitur ℟. *Libera me, Domine* etc.

403. Ad repetitionem responsorii praedicti transibit ad dexteram Celebrantis, quem reverebitur transiens ante ipsum, et sublevans fimbriam dexteram eius pluvialis, quam tamen Caeremoniario tradet, incensum ei, benedictionem petens, ministrabit.

404. Thure a Celebrante in thuribulum demisso et benedicto, manebit a dextris eius, et cantato *Pater noster*, sustollet fimbriam dexteram pluvialis, et a clerico gestante vasculum aquae benedictae, aspersorium accipiet.

405. Discedet cum Celebrante de loco, in quo erit, genuflectet ad Crucem Altaris et Celebranti sine osculis tradet aspersorium, eumque in aspersione circa tumulum comitabitur.

406. Genuflexionem efficiet ad Crucem processionalem a Subdiacono sustentam ad pedes tumuli, quum ante illam transibit.

407. Aspersione peracta, aspersorium a Celebrante recipiet et reddet clerico, qui prius tradiderat, thuribulum dein a thuriferario accipiet.

408. Genuflexionem ad Crucem iterabit, tum Celebranti porriget thuribulum, eumque in adolendo tumulo comitabitur, advertens ut ad Crucem processionalem a Subdiacono sustentam rursus genuflectat quum ante ipsum transeundum erit.

409. Thurificatione absoluta, recipiet thuribulum, quod thuriferario restituet, et redibit quo loco erat absolutionis initio.

410. Celebranti se obiiciet et librum apertum sustinebit, unde ille canet versus et orationem.

411. Ad ℣. *Requiem aeternam* etc. post orationem continuans librum apertum ante Celebrantem sustinere, recedet paullum ad dexteram eius, ut libere possit tumulum versus Crucis signum efficere et postquam submissa voce recitaverit *Anima eius* etc. librum occludet ac reddet clerico, a quo acceperit, iterumque accedet ad Celebrantem sinistrorsum.

412. Biretum Celebranti porriget, suum accipiet, cooperiet caput, et ad laevam illius incedens, fimbriamque pluvialis sustinens redibit ad sacrarium et sacra vestimenta demittet.

413. Quod si aderit cadaver, super quo peragenda erit absolutio, postquam Celebrans pluviali erit indutus, procedet cum ipso ante Altare et ad Crucem genuflectet. Sine osculis biretum porriget Celebranti, suum accipiet caputque teget, ac se convertens ex Altari versus presbyterium, manebit a sinistris Celebrantis, cui fimbriam sinistram pluvialis sublevabit.

414. Subdiaconum gestantem Crucem et Clerum etiam, si aderit, subsequetur. Ad feretrum ubi ventum erit, subsistet cum Celebrante ad pedes cadaveris, ac si fuerit Sacerdotis, transiens super sinistram suam se sistet cum Celebrante ad pedes cadaveris e regione Crucis a Subdiacono sustentae ad caput cadaveris eiusdem.

415. Quum venerit eo ubi consistendum erit, nudabit caput et biretum suum prius, deinde alterum a Celebrante acceptum tradet Caeremoniario.

416. Librum sumet et ante Celebrantem sustinebit, qui recitabit orationem *Non intres* etc. qua oratione absoluta, librum claudet, reverebitur Celebrantem et rursus ad sinistram eius redibit.

417. Interea cantabitur ℟. *Libera me Domine* etc. ad cuius repetitionem Diaconus transibit ad dexteram Celebrantis, quem praeteriens reverebitur: fimbriam dexteram pluvialis eius sublevabit ac ministrabit incensum ab eo petens benedictionem. Thure a Celebrante in thuribulum immisso ac benedicto, manebit a dextris ipsius.

418. Cantu responsorii et *Kyrie eleison* completo, simul ac Celebrans cecinerit *Pater noster,* Diaconus, qui aspersorium cum aqua benedicta iam a clerico acceperit, sustollet fimbriam pluvialis Celebrantis, aspersorium ipsi tradet, eumque in aspersione, quam facturus erit super cadaver, comitabitur. Si cadaver erit laici hominis, in transeundo ante Altare efficiet prius genuflexionem, tum aspersorium tradet Celebranti.

419. Genuflexionem etiam faciet quum ante Crucem a Subdiacono sustentam transibit.

420. Aspersione peracta, receptum a Celebrante aspersorium reddet clerico, qui vasculum aquae benedictae gestabit.

Transiens ante Altare genuflectet, thuribulum a thuriferario acceptum tradet Celebranti, quem in thurificatione comitabitur, genuflexionem faciens etiam in transeundo ante Crucem, quam Subdiaconus sustinebit, quemadmodum superius ostendimus.

421. Post thurificationem recipiet a Celebrante thuribulum quod thuriferario restituet; deinde subsistens quo loco erat in absolutionis initio, librum sumet et sustinebit Celebranti, dum cantabit versus *Et ne nos* etc. atque orationem.

422. Cantata oratione, librum claudet, reverebitur Celebrantem et ad laevam ipsius recedet.

423. Si cadaver ad sepulturam efferetur, biretum Celebrantis accipiet eique tradet; suum quoque sumet, cooperiet caput et procedet ad coemeterium cum Celebrante, cui fimbriam pluvialis sustinebit.

424. Ubi perventum erit ad Coemeterium, biretum primo suum, deinde alterum a Celebrante acceptum tradet Caeremoniario, et ad pedes cadaveris cum ipso Celebrante subsistet. Functio autem, quae in coemeterio peragetur, sequentibus paragraphis demonstrabitur.

425. Quod si cadaver non erit ad coemeterium efferendum post orationem canetur a cantoribus antiphona *In paradisum,* vel omittetur etiam ex more cuiusque Ecclesiae, ac Diaconus sustinebit Celebranti librum, ex quo intonabit antiphonam *Ego sum.* Dum cantabitur *Benedictus* et antiphona repetetur, adstabit Celebranti sinistrorsum.

426. Sub finem repetitionis antiphonae cantatae, ad Celebrantis dexteram transibit, eum reverentia honorans dum praeteribit. Diacono appropinquabit clericus vasculum ferens, et quum recitabitur *Kyrie eleison,* Diaconus aspersorium accipiet.

427. Ubi Celebrans cecinerit *Pater noster,* Diaconus ei tradet aspersorium, fimbriam dexteram pluvialis eius sustinebit cumque ipso ad cadaver accedet.

428. Cadavere a Celebrante asperso, aspersorium recipiet et clerico vasculum ferenti restituet. Ad locum suum cum Celebrante redibit, librumque resumptum ei sustinebit dum canendi erunt versus *Et ne nos* etc. atque oratio.

429. Post orationem sustinere pergens librum apertum, recedet aliquantulum ad dexteram Celebrantis, ut hic libere possit signum Crucis versus cadaver efficere ad ℣. *Requiem aeternam* etc. tum ante eum cum libro redibit. Recitato deinde a Celebrante altero ℣. *Anima eius* etc. librum claudet reddetque clerico, qui ei tradiderit, biretum Celebrantis sumet eique porriget, redibit ad sinistram ipsius, ac biretum suum recipiet.

430. Quum Subdiaconus cum Cruce transierit, et Celebrans sine cantu intonuerit antiphonam *Si iniquitates*, caput operiet, et ad laevam eius incedens fimbriamque pluvialis eius sustinens, ad sacrarium cum ipso revertetur.

431. Demum quum eo pervenerit, caput nudabit, reverentiam Cruci a Subdiacono sustentam, hinc Celebranti et Clero, si aderit, efficiet, ac sacris indumentis suo loco exuetur. (*a*)

DE OFFICIO CELEBRANTIS.

CAPUT XIV.

§. 1. *De officio sine cantu in diebus ferialibus.*

1. Celebrans diebus ferialibus, quibus officium divinum sine cantu recitatur, hora praestituta aderit in Sacrario, super vestem talarem induet sibi superpelliceum, vel aliud insigne chorale regulariter concessum Capitulo, ad quod attinet, et ad sonum campanulae sacrarii cum ceteris procedet ad chorum, servans ordinem cap. III. huius libri notatum. (*b*)

(*a*) Advertatur, quod in ritu absolutionis minime debet Diaconus candelam accensam manu sustinere.

(*b*) In functionibus extra Missam utemur vocabulo *Celebrans*, licet quibusdam fortasse parum aptum videri posset. Sequuti tamen sumus Episcoporum Caeremoniale, quod lib. 2. cap. 3. num. 13 et 14 vocem illam usurpat ad significandum Canonicum hebdomadarium, qui sacra

2. Chorum ingressus, locum principem occupabit hebdomadario, iuxta morem uniuscuiusque Ecclesiae, attributum (*a*); quem ante locum praeparatum erit legile cum Breviario ad usum ipsius Celebrantis, qui vulgo Hebdomadarius appellatur.

3. Ad nutum choro Praefecti adgeniculabitur et recitabit orationem *Aperi Domine* etc. et quum assurrexerit, addet, omnia secrete, *Pater noster, Ave Maria* et *Credo (b)*.

4. Se inclinabit ad choro Praefectum, et pollice dextero super os signans Crucem, elata voce dicet *Domine labia mea aperies*, chorusque respondebit *Et os meum* etc.; deinde signo Crucis se muniens subiunget *Deus in adiutorium* etc. et chorus, *Domine ad adiuvandum* etc. Ad verba autem *Venite adoremus et procidamus ante Deum* in invitatorio, genuflexionem faciet.

5. Invitatorio a cantoribus recitato, hymnum intonabit, seu voce elata inchoabit, et ad secundum versum prosequetur chorus.

6. Sub hymni finem in invocatione SS. Trinitatis caput Altare versus inclinabit.

7. Primo psalmo inchoato, sedebit et caput bireto cooperiet, nudabit autem caput et inclinabit, ut supra, ad ℣. *Gloria Patri.* et quum in antiphonis nominabitur Iesus Cristus, aut B. Virgo, aut Sanctus, de quo celebratur officium.

8. Post versum in fine primi nocturni recitatum, assurget atque elata voce proferet *Pater noster*, et continuabit secreto. Redintegrabit alta voce *Et ne nos inducas* etc. et post hoc absolutionem et benedictionem, tum sedebit.

facit in Vesperis solemnibus. Quamobrem verbo hoc *Celebrans* non videtur significari tantum Sacerdotem operantem Sacrum, sed Sacerdotem unumquemque, qui exsequitur seu celebrat quamlibet functionem sacram. Supervacaneum porro putamus monere, quod Celebrans officium peragens Sacerdotali ordini adscitus sit oportet, neque illud peragi a quavis primaria Capituli dignitate potest, nisi charactere sacerdotali sit insignita.

(*a*) Quoad locum Celebrantis, diximus « iuxta morem uniuscuiusque Ecclesiae » siquidem in Ecclesiis quibusdam mos est variandi alternatim cuiusque hebdomadae initio locum hebdomadarii seu celebrantis, locando eum altera hebdomada in cornu Evangelii, altera Epistolae.

(*b*). Regula hac paragrapho et sequenti statuta attribuatur Ecclesiis illis, in quibus est choro Praefectus.

9. Ad reliquas benedictiones caput bireto deteget, assurget ac vocis contentione formulam respondentem recitabit, postea sedebit.

10. Idipsum exsequetur in reliquis nocturnis, absolutionibus et benedictionibus. Ad verba *Sit nomen eius benedictum* psalmi LXXI. *Deus iudicium tuum* etc., si recitabitur, caput bireto nudatum inclinabit.

11. Post lectionem nonam, vel tertiam, si officium erit simplex seu feriale, assurget ac voce elata intonabit *Te Deum.* Si praedictus hymnus omittendus erit, Laudes incipiet intonans *Deus in adiutorium meum intende.*

12. Initio primi psalmi Laudum sedebit et caput bireto operiet.

13. Ad verba *Benedicamus Patrem et Filium cum Sancto Spiritu* in cantico *Benedicite* si recitabitur, caput bireto deteget atque inflectet.

14. Completo ultimo psalmo Laudum ac repetita antiphona, nudabit caput, assurget et capitulum recitabit. Responso a choro *Deo gratias*, hymnum inchoabit, ut superius in Matutino descriptum est.

15. Antiphona post *Benedictus* iterata, Celebrans dicet *Dominus vobiscum*, et orationem respectivam cum conclusione. Pari modo recitabit reliquas orationes, si una vel plures erunt commemorationes, at orationis conclusionem in ultima tantum praedictarum orationum recitabit. Addet postea ℣. *Dominus vobiscum* et alterum *Benedicamus Domino*, tum submissa voce tertium *Fidelium animae* etc.

16. Si in Laudibus erunt recitandae preces feriales, iterata post *Benedictus* antiphona, genua submittet ac voce submissiori preces recitabit. Assurget ad *Dominus vobiscum*, quod voce elata recitabit cum oratione, ut supra.

17. Laudibus completis, recitabit secreto *Pater noster, Ave Maria, Credo.* Signabit sese et alta voce intonabit *Deus in adiutorium* etc. atque hymnum *Jam lucis orto sidere*, quem chorus prosequetur.

18. Initio primi psalmi sedebit et caput bireto operiet.

19. Repetita antiphona, nudabit caput, assurget et voce elata recitabit Capitulum.

20. Post responsorium dicet *Dominus vobiscum* et orationem *Domine Deus omnipotens*. Si preces erunt recitandae, submissiori voce recitabit atque etiam flexis genibus, quum videlicet ad Laudes quoque recitatae fuerint; et ad *Dominus vobiscum* nec non ad orationem elatiori voce recitandam, assurget. In precibus ad *Confiteor* quod recitabit inclinatus, ad verba *Vobis fratres* et *Vos fratres*, se paullum versus chorum convertet.

21. Post orationem subiunget ℣. *Dominus vobiscum* atque alterum *Benedicamus Domino;* deinde sedebit et caput bireto cooperiet.

22. Lecto Martyrologio, nudabit caput, assurget ac voce magis submissa, quam recitaverit orationem praecedentem, dicet *Sancta Maria et omnes Sancti* etc. Eodem vocis sono se minime signans, ter subiunget *Deus in adiutorium meum intende* et chorus, *Domine ad adiuvandum* etc. Post tertiam vicem recitabit tantum *Gloria Patri,* chorus autem respondebit *Sicut erat* etc. Postea dicet *Kyrie eleison,* chorus respondebit *Christe Eleison,* ac Celebrans repetet *Kyrie eleison. Pater noster,* quod secreto continuabit. Tum voce elata *Et ne nos* etc. cum versibus *Respisce in servos tuos* etc. Vocem deinde intendens eodem atque antea sono, orationem recitabit *Dirigère et sanctificare.* etc.

23. Lectori postea benedictionem largietur cum formula *Dies et actus nostros* etc.

24. Post lectiunculam, submissiori voce recitabit reliquos versus *Adiutorium nostrum* etc. *Benedicite* etc. *Dominus nos benedicat* etc. atque haec verba proferens se Crucis signo signabit.

25. Ad ceteras tres Horas minores, idest Tertiam, Sextam et Nonam recitabit secreto *Pater noster* et *Ave Maria.* Hinc se Crucis signo muniens, elata voce intonabit *Deus in adiutorium* etc. postea incipiet hymnum, quem chorus prosequetur.

26. Primi psalmi initio sedebit ac bireto operiet caput.

27. Repetita post tres psalmos antiphona, assurget capite detecto et Capitulum recitabit.

28. Post responsorium elata voce dicet *Dominus vobiscum*, tum orationem cum conclusione, post quam repetet *Dominus vobiscum*, postremo voce submissiori ℣. *Fidelium animae* etc.

29. Si recitandae erunt preces, geniculabit post responsorium, preces voce submissiori recitabit, deinde assurget atque eodem vocis sono, quo usus erit a principio, dicet *Dominus vobiscum* et orationem, ut supra.

30. Advertet, quod in Hora, quam proxime sequetur celebratio Missae, omittendus est ℣. *Fidelium animae* etc. (*a*)

31. Officio hora Nona completo, nisi Missa feriae aut Vigiliae celebrabitur, post ℣. *Fidelium animae* etc. recitabit secreto *Pater noster*, quo absoluto, addet elata voce ℣. *Dominus det nobis* etc. atque antiphonam finalem de B. Virgine inchoabit aut stans, aut genibus flexis pro temporis qualitate, post quam tamen stans pedibus versum orationemque respectivam recitabit.

32. Post hanc orationem officium complebit versu *Divinum auxilium* etc. atque ordine superius indicato, e choro discedet.

33. Ad Vesperas, servatis iis quae dicta sunt pro accessu, genua submittet in stallo suo, secreto dicet orationem *Aperi, Domine* etc. assurget ac recitabit *Pater noster* et *Ave Maria*. Tum inclinatione facta ad Praefectum choro, signabit se atque elata voce incipiet *Deus in adiutorum* etc.

34. Primo psalmo intonato, sedebit et caput operiet bireto. Ad verba *Sit nomen Domini benedictum* psalmi CXII. si recitabitur, caput nudabit ac versus Altare inflectet.

35. Repetita post quintum psalmum antiphona, caput deteget, assurget et Capitulum elata voce recitabit. Responso a choro *Deo gratias*, inchoabit hymnum, quem chorus continuabit.

36. Post repetitionem antiphonae ad *Magnificat* dicet *Dominus vobiscum* atque orationem cum conclusione. Si et aliae commemorationes fient, recitabit reliquas orationes, quorum postremam complebit conclusione, post quam addet ℣. *Dominus*

(*a*) Inspiciatur Caeremoniale lib. 2. cap. 8. num. 18.

vobiscum, tum alterum *Benedicamus Domino*, demum submissiori voce *Fidelium animae* etc.

37. Si post repetitionem antiphonae *Magnificat*, recitandae erunt preces, adgeniculabitur, preces recitabit voce submissiori et ad ℣. *Dominus vobiscum* assurget, eodemque vocis sono, quo antea usus erit, praedictum versum atque orationem recitabit.

38. Si post Vesperas statim non sequetur recitatio Completorii, subiungetur antiphona finalis de B. Virgine, ut superius docuimus.

39. Quoad recitationem autem Completorii, Celebrans elata voce cantori seu lectori benedictionem largietur dicens *Noctem quietam* etc.

40. Post lectiunculam, Celebrans se signabit et submissa voce dicet ℣. *Adiutorium nostrum* etc. deinde *Pater noster* totum secreto, ne prima quidem verba proferens.

41. Deinde recitabit *Confiteor* quo modo pro hora Prima indicatum est.

42. Se pollice signabit in pectore atque elata voce dicet *Converte nos Deus* etc. seque manu signo Crucis muniens, subiunget *Deus in adiutorium* etc.

43. Primi psalmi initio sedebit caputque operiet bireto.

44. Completa psalmorum recitatione et antiphona repetita, assurget atque hymnum incipiet *Te lucis ante terminum*, quem chorus prosequetur. Post hymnum recitabit Capitulum *Tu autem in nobis* etc.

45. Post responsorium addet ℣. *Dominus vobiscum* atque orationem *Visita, quaesumus, Domine* etc.

46. Preces, si dicendae erunt, recitabit stans vel genibus flexis, at voce submissiori, et assurget ad *Dominus vobiscum* orationemque praenominatam, post quam repetet ℣. *Dominus vobiscum*, deinde *Benedicamus Domino*, postremo *Benedicat et custodiat* etc. ad quem se signabit.

47. Quin praemittat *Pater noster*, antiphonam finalem de B. Virgine incipiet aut stans, aut genibus flexis. Ad versum et ad orationem assurget, itemque ad alterum versum *Divinum auxilium* etc. post orationem.

48. Deinde totum secreto addet *Pater noster, Ave Maria et Credo,* stans vel genibus flexis prouti se gesserit in antiphona finali.

49. Postremo recitabit secreto vel submissa voce orationem *Sacrosanctae* etc. (*a*)

50. De Choro excedens stabit iis quae superius tradita sunt.

§. 2. *In Vesperis solemnibus.*

51. Celebrans stata hora in sacrario aderit et super vestem talarem imponet sibi superpelliceum vel rochetum, si uti ipsi licebit.

52. Ad nutum Caeremoniarii adibit ad tabulam, in qua apparatum erit pluviale (*b*) idque, adiuvante Caeremoniario, induet sibi. (*c*)

53. Caput bireto cooperiet, et signo dato, de loco discedet, seque adiungens pluvialistis, reverentiam faciet ad Crucem vel ad imaginem principem sacrarii, capite detecto.

54. Deinde, cooperto capite, iunctisque manibus, medius incedens inter duos pluvialistas primos, ad Altare proficiscetur.

55. Ad sacrarii fores, bireto sibi detracto, aquam benedictam a pluvialista primo dextera accipiet, atque ubi se signaverit, caput rursus cooperiet

(*a*) In autographo Urbani VIII. Sum. Pont. Breviario, aliisque usque ad medium et ulterius anteacti saeculi, ad orationem *Sacrosanctae* etc. non legebatur additamentum illud « et dicitur flexis genibus » nec liquet qua auctoritate appositum sit. Quapropter in Vaticana Basilica aliisque Ecclesiis oratio illa recitabatur aut stando, aut genibus flexis iuxta statum, quo erat chorus. Jam vero posteaquam S. Congregationis Indulgentiarum decreto VIII idus Januarias anni MDCCCLVI prolato, praedictum additamentum sancitum est, nulla superest amplius difficultas, quominus oratio illa, ad lucrandam Indulgentiam annexam, flexis genibus sit recitanda.

(*b*) Amictus usus infra pluviale pro Celebrante a Caeremoniali non praescribitur.

(*c*) Sacra Congregatio Rituum pluribus decretis non modo stolae, sed etiam Albae usum in Vesperis solemnibus Celebranti interdixit.

56. Presbyterium ingressus nudabit caput, biretum tradet pluvialistae qui dextrorsum sibi adstabit et ad Altare procedet. Ante infimum gradum reverentiam profundam efficiet Cruci, geniculabit in eodem gradu et recitabit orationem *Aperi, Domine* etc.

57. Post orationem assurget, iterabit reverentiam profundam Cruci, inclinabitur ad Clerum in choro stantem, primo scilicet versus partem adversam illi, in qua manendum ipsi erit, deinde versus partem alteram et vadet ad scamnum vel ad primum chori stallum ex parte, quae ipsi conveniet. (*a*)

58. Sedebit paulisper loco proprio, caput operiens bireto, quod ei tradet vel primus pluvialista, vel Caeremoniarius, secundum loci situm; nam si sedebit in scamno, id accipiet a primo pluvialista, si in primo chori stallo, a Caeremoniario. (*b*)

59. Ad Caeremoniarii nutum, deteget caput, biretum tradet ei qui dederit, assurget et secreto recitabit *Pater noster* et *Ave Maria*.

60. Post haec se signans canet *Deus in adiutorium meum intende*, advertens ut verba haec dividat cum signo Crucis, scilicet ad verbum *Deus* manum imponet fronti, ad *in adiutorium* pectori, ad *meum* humero sinistro, ad *intende* autem dextero.

61. Postquam chorus canendo responderit *Domine, ad adiuvandum etc. Gloria Patri etc. Sicut erat etc.* intonabit primam antiphonam, expectans dum sibi a pluvialista primo submissa voce praecinatur. Tum antiphonam ipsam intonabit.

62. Principio primi psalmi sedebit et caput bireto operiet.

63. Ad *Gloria Patri* meminerit caput detegere et inclinare Altare versus: hoc ipsum exsequetur ad verba *Sit nomen Domini benedictum* psalmi CXII *Laudate pueri Dominum*.

64. Repetita post quintum psalmum antiphona, assurget, nudabit caput iunctisque manibus capitulum cantabit. Responso a choro *Deo gratias*, intonabit hymnum, quem ei praecinet primus pluvialista.

(*a*) Inspiciatur nota (*b*) num. 2. § 1 capitis huiusce.

(*b*) Inspiciatur etiam quod cap. IX num. 10. huius libri notavimus de loco pluvialistarum.

65. Sub hymni finem ad invocationem SS. Trinitatis caput versus Altare inclinabit. Inclinabit quoque librum versus, si nominabitur Sanctus, cuius festum celebrabitur, vel B. Virgo; Altare autem versus, si nomen Jesu Christi proferetur.

66. Post cantatum versum intonabit antiphonam ante *Magnificat*, quae a primo pluvialista ipsi praecinetur.

67. Antiphona intonata, sedebit caputque cooperiet.

68. Ad intonationem cantici *Magnificat*, nudabit caput, assurget et signabit se signo Crucis; de suo loco discedet, reverentia salutabit Clerum, seque adiungens pluvialistis in medium chorum ante Altare procedet.

69. Quo quum pervenerit, reverentiam profundam Cruci exsequutus, ascendet ad Altare, quod in medio osculabitur ponens interea super ipsum manus extensas.

70. Thus deinde in thuribulum cum benedictione iniiciet et Altare adolebit. (*a*)

71. Thuribulum primo pluvialistae restituet, de Altari descendet, reverentiam profundam Cruci iterabit cum inclinatione ad chorum; et ad locum suum, sive scamnum sive stallum, redibit.

72. Si locus eius in primo stallo erit, illuc quum venerit, digniorem inter Clerum, qui post eum subsequetur, ad thurificationem cum inclinatione invitabit.

73. Ipse tribus ductibus a primo pluvialista thurificabitur, et iunctis manibus stare perget ad totum *Magnificat* quod canetur.

74. Post cantatum *Gloria Patri* sedebit et caput bireto cooperiet.

75. Repetita antiphona canenda, nudabit caput, assurget iunctisque manibus cantabit *Dominus vobiscum* et orationem, sive orationes si et aliae commemorationes finet. Post ultimam orationem canendo repetet *Dominus vobiscum* et postquam cantores cecinerint ℣. *Benedicamus Domino*, ipse submissa voce adiunget ℣. *Fidelium animae* etc.

(*a*) Ritum thurificandi Altaris supersedemus describere, eo quod videre est cap. V. huius libri.

76. Si Completorium non sequetur, Celebrans manens suo loco in choro, secreto recitabit *Pater noster*, quo finito, alta voce subiunget ℣. *Dominus det nobis* etc. et una cum choro antiphonam finalem de B. Virgine recitabit vel stans, vel flexis genibus pro temporis qualitate. In fine antiphonae assurget orationemque antiphonae respondentem recitabit. (*a*)

77. Quod si Clerus in choro manebit ad Completorium recitandum, post versum *Fidelium animae* etc. procedet in medium ante Altare, se pluvialistis addet, reverentiam Cruci profundam, mediocrem choro efficiet, et quo ordine venit ad Altare, redibit in sacrarium, advertens ut caput bireto cooperiat in aditu chori, quum erit fere extra Cleri conspectum.

78. Si adolendum erit Altare, in quo asservabitur SS. Sacramentum, ubi venerit ante Altare maximum in intonatione cantici *Magnificat*, reverentia ad ipsum Altare et ad chorum cum pluvialistis effecta, procedet cum ipsis ad Altare illud, et in aditu presbyterii bireto caput operiet.

79. Medius inter pluvialistas seniores, ut in accessu de sacrario ad Altare, iunctis manibus incedet.

80. Progressus ad SS. Sacramenti sacellum, caput nudabit tradetque biretum pluvialistae primo, atque ante Altare genuflexionem in pavimento ante infimum gradum cum pluvialistis exsequetur.

81. Ascendet ad Altare et in medio osculabitur illud, incensum in thuribulum cum benedictione iniiciet atque Altare adolebit, advertens ut unum tantum genu flectat quum in medium transibit, ex altero ad alterum Altaris latus iturus.

82. Thuribulum reddet ac nullam faciens in suppedaneo genuflexionem, de Altari descendet, ibique in pavimento ante gradum infimum genuflectet et ad Altare maximum redibit, bireto caput operiens quum e sacello egredietur.

83. Reversus hinc ad Altare maximum, quum in presbyterium ingressus erit, salutabit chorum, procedet ante Altare,

(*a*) Antiphona finalis de B. Virgine a Celebrante recitanda est in suo stallo, iuxta Caeremoniale lib. 2. cap. 3. num. 15.

ibique reverentiam profundam Cruci efficiet, tum ad Altare ascendet idque osculabitur in medio, ac thurificabit, quin rursus incensum in thuribulum immittat. Deinceps ea, quae superius notata sunt, exsequetur.

§. 3. *In Matutino solemni*

84. Celebrans induetur superpelliceo, vel alio insigni chorali, quod regulariter concessum sit Capitulo, cui est addictus.

85. Ad nutum Caeremoniarii de sacrario discedet, biretum manu sustinens se inclinabit ad Crucem, vel ad imaginem primariam sacrarii, et ad fores Ecclesiae se aqua benedicta signabit, quam ei porriget Caeremoniarius.

86. Ad Altare postquam accesserit, reverentia profunda venerabitur Crucem, genua submittet in gradu infimo, ubi flexis genibus manebit, donec ei a Caeremoniario indicabitur, ut tempus geniculandi in chori plano Clero suppeditetur.

87. Toto choro adgeniculato, orationem secreto recitabit *Aperi, Domine*, etc. post quam assurget, reverentiam profundam Cruci iterabit, salutabit Clerum, perget ad primum stallum in partem, quae ad eum spectat, ubi sedebit dum ceteri omnes de Clero locum quisque suum occupaverint.

88. Ad nutum Caeremoniarii caput deteget bireto, assurget et secreto recitabit *Pater*, *Ave* et *Credo*.

89. Hinc se in labiis pollice dextero signans, cantabit *Domine labia mea aperies* chorusque subiunget *Et os meum* etc. Deinde se muniens signo Crucis canet *Deus in adiutorium* etc.

90. Dum invitatorium et psalmus *Venite exultemus* canetur, stabit, genuflectet autem ad verba *Venite adoremus et procidamus ante Deum.*

91. Post cantatum invitatorium cum psalmo praedicto intonabit hymnum, qui ei praecinetur a cantore primo. Sub hymni finem in invocatione SS. Trinitatis caput versus Altare inclinabit.

92. Intonabit deinde primam primi nocturni antiphonam, quae et ipsa ei praecinetur; et primi psalmi initio sedebit ca-

putque bireto cooperiet. Ad *Gloria Patri* caput nudatum Altare versus inclinabit.

93. Post versum primi nocturni, detecto capite, assurget, canet *Pater noster* quam orationem secreto continuabit: deinde canet *Et ne nos inducas in tentationem*, tum absolutionem et benedictionem primam, principio autem primae lectionis sedebit et cooperiet caput. Ad benedictionem ante secundam et tertiam lectionem caput nudabit, assurget, formulam praescriptam canet, deinde rursus sedebit.

94. Advertet tum in his, tum in aliis lectionibus ut canendo benedictiones sonum vocis cuiusque lectoris seu cantoris earum, quoad fieri potest, imitetur.

95. Idem servabit in reliquis nocturnis.

96. Sub finem psalmorum tertii nocturni (idque dependet a Caeremoniario) Celebrans nudabit caput, assurget, procedet in medium chorum, coibit cum duobus cantoribus, ac reverentia profunda ad Crucem, inclinatione autem ad chorum effecta, redibit in sacrarium, ubi demisso indumento chorali, si indutus fuerit, pluviale superpelliceo, vel rocheto, si uti licebit, superimponet. Hinc capiti rursus imposito bireto, ad chorum inter pluvialistas revertetur, reverentiam Cruci, inclinationem Clero efficiet, ut antea, et reversus ad stallum suum sedebit.

97. Post octavum responsorium, nudato capite assurget, iunctisque manibus conversus ad digniorem Cleri, qui tunc aderit, cantabit *Jube, Domne, benedicere*, acceptaque benedictione, lectionem nonam iunctis manibus cantabit.

98. Hoc facto, intonabit *Te Deum*, ut a primo pluvialista ei praecinetur. Ad ℣. *Te ergo, quaesumus* etc. genu suo loco submittet.

99. Post Matutinum statim Laudes intonabit, quas inter et Vesperas solemnes nullum est quoad methodum discrimen. Illud tantum monemus, quod ad canticum *Benedictus*, chori solummodo Altare thurificabitur, neque ad alterum, in quo adest SS. Sacramentum, procedetur.

§. 4. *In Missa solemni.* (a)

100. Celebrans praevidebit omnia ea quae canenda sibi erunt pro qualitate Missae et ritus.

101. Quum sacris paramentis erit indutus, bireto cooperiet caput, signo autem a Caeremoniario dato, caput nudabit, abibit a tabula, vel mensa, apud quam paramenta sumpserit, reverentiam faciet Cruci vel imagini praecipuae sacrarii, et sacrorum Ministrorum salutationi inclinatione modica respondebit.

102. Ad sacrarii fores bireto caput deteget, aquam benedictam a Diacono accipiet, signabit se, iterumque caput cooperiet.

103. In eundo ad Altare Diaconum iunctis manibus sequetur.

104. Ingressus in chorum seu presbyterium, nudabit caput et biretum tradet Diacono, ac si Clerus in choro iam aderit, reverebitur eum primo versus Evangelii tum Epistolae cornu. Sin in eundo ad Altare Clerus ipsum praecesserit, reverentiam, quam diximus, omittet.

105. Absente Clero, biretum deponet quum ante Altare devenerit.

106. Ante Altare reverentia profunda ad Crucem facta, Sacrum exordietur. Ad confessionem proferens verba *Vobis fratres* et *Vos fratres* se paullum convertet ad Ministros, quin tamen erigat sese de statu sive inclinatione, qua tunc erit.

107. Altare, quum ascenderit, osculabitur in medio, incensum in thuribulum immittet cum usitata benedictione *Ab illo benedicaris* etc. deinde Altare adolebit. Advertet, ut sinistram manum pectori applicet incensum immittens, et Altari imponet, quum benedicet.

108. Thurificatione Altaris absoluta, tribus ductibus thure adolebitur a Diacono, cui modica inclinatione respondebit. (b)

(a) Ritus a Celebrante servandos in Missa tantum solemni hac paragrapho innuemus, siquidem documenta pro Missa privata sequentur inferius.

(b) Ritum thurificandi Altaris descripsimus cap. V. huius primi libri.

109. Introitum ex parte Epistolae in Missali leget, ibique alternatim cum ministris recitabit *Kyrie*.

110. Si dum canetur *Kyrie* sedendum erit, quin eat ad medium Altare inclinabit se Cruci, se convertet sinistrorsum, de Altari a latere descendet, perget ad scamnum, quo in medio sedebit, accipiet a Diacono biretum, quo caput operiet, ac sedens extensas manus planetae imponet prope genua.

111. Sub finem *Kyrie* cantati, admonente Caeremoniario, biretum tradet Diacono, assurget, discedet e scamno, chorum salutabit primo in latere Epistolae, deinde Evangelii, Cleri digniorem salutare incipiens ex utraque parte.

112. Procedet Altare versus, quumque in medium venerit ante infimum gradum, Crucem reverentia profunda venerabitur.

113. Conscenso suppedaneo et cantu *Kyrie* absoluto, intonabit *Gloria in excelsis Deo*, et submissa voce cum Ministris recitare hymnum perget.

114. Postquam recitare *Gloria* finierit, reverebitur Crucem, ac se vertens sinistrorsum, descendet a latere de Altari, et sessum ibit, ut antea. Caput deteget, dum canentur verba *Adoramus te: Gratias agimus* etc.

115. Sub exitum cantus huius hymni, ad nutum Caeremoniarii, detecto capite assurget et ad Altare gradum referet, ut in fine *Kyrie* monuimus.

116. Rursus Altare, quum ascenderit, osculabitur in medio, conversus ad populum canet *Dominus vobiscum* et orationes postea ad Missale, ut in Missa privata. Epistolam deinde, graduale, tractum, sequentiam etc. leget submissa voce.

117. Epistola a Subdiacono cantata, manum ei dexteram osculandam praebebit imponens eam Epistolario; eadem deinde manu benedictionem ei largietur, nullam adiiciens formulam.

118. His expletis, veniet ad medium Altare, recitabit *Munda cor meum* et leget Evangelium, ut in Missa privata, librum autem, postquam legerit, minime deosculabitur.

119. Si legendum ipsi erit sequentiam vel tractum longiorem, benedictionis signum Subdiacono faciet, postquam legere sequentiam vel tractum desierit.

120. Si sequentia vel tractus praedictus cantabitur, benedictionem Subdiacono largitus, sessum ibit, ut ad *Kyrie*, et redibit ad Altare eodem modo, quo pro canendo *Gloria* indicatum est.

121. Lecto Evangelio, redibit in medium Altare, atque incensum in thuribulum infundet cum benedictione *Ab illo benedicaris* etc. ut supra.

122. Ad Diaconum inde se convertet, quum ab eo rogabitur benedictionem, formulam versus eum iunctis manibus proferens *Dominus sit in corde tuo, et in labiis tuis, ut digne et competenter annuncies Evangelium suum. In nomine Patris et Filii,* ✠ *et Spiritus Sancti*; dexteramque impositam Evangeliario porriget illi osculandam.

123. Ubi Diaconus de Altari descenderit, recedet in cornu Epistolae iunctis manibus stans ad Altare conversus, et simul ac Diaconus incipiet Evangelium canere, eum versus iunctis manibus convertetur. Se pollice dextero signabit in fronte, in ore et in pectore ad verba *Sequentia etc.* palmam manus apertam et conversam ad seipsum tenens: quod dum faciet, sinistram infra pectus extensam applicabit. Quum in Evangelio nominabitur *Iesus*, caput inclinabit versus Altare; si B. Virgo, aut Sanctus, de quo celebratur festum, versus Diaconum.

124. Fine facto canendi Evangelii, Evangeliarium sibi a Subdiacono oblatum osculabitur ad principium Evangelii, quod cantatum erit, ponens manus ad extremitates libri et recitans formulam *Per evangelica dicta* etc. Postea thurificabitur a Diacono.

125. Se convertet ad Altare et intonabit *Credo in unum Deum*, si dicendum erit, et prosequetur recitare cum Ministris.

126. Post recitatum *Credo* ibit sessum, ut in *Gloria*. Ad ℣. *Et incarnatus*, capite detecto, inclinatus manebit dum versus ille canetur. Si ad hunc versum adhuc esset in suppedaneo, in media extremitate illius geniculabit cum Ministris.

127. Sub finem symboli cantati redibit ad Altare, ut post cantatum *Gloria*, conscendet suppedaneum, osculabitur Altare

in media ipsius parte, conversus ad populum canet *Dominus vobiscum*, ac rursus se convertet ad Altare et canet *Oremus* et voce submissa leget ℣. Offertorii.

128. Patenam cum Hostia a Diacono accipiet. Ad oblationem Calicis, quem a Diacono quoque accipiet, recitabit formulam *Offerimus tibi* etc. cum Diacono ipso.

129. Calicem neque cooperiet nec deteget; officium enim istud Diaconi est.

130. Incensum in thuribulum infundet post orationem *In spiritu humilitatis* etc. recitans formulam *Per intercessionem etc.* ipsumque benedicet. Hinc thurificabit oblata et Altare, verba praescripta recitans, ut cap. V. huius libri explicatum fuit. Thuribulum autem reddens thuriferario, dicet *Accendat etc.*

131. Thurificabitur a Diacono, lavabit manus, et Sacrum ritu usitato peraget. Canet Praefationem, *Pater noster, Pax Domini.*

132. Prima oratione post *Agnus Dei* recitata, osculabitur Altare, manus extremitatibus corporalis imponens, pacis osculum Diacono praebebit, et Missam prosequetur.

133. Post sumptionem Calicis, si Communio fiet, Calice a Subdiacono cooperto, genuflectet una cum Ministris, priusquam Diaconus detegat pixidem, qua detecta, genuflexionem iterabit; convertetur autem ad populum, quum Diaconus recitabit vel canet *Confiteor*.

134. Absolutionem deinde impertietur dicens *Misereatur etc. Indulgentiam etc.* se convertet ad Altare, genuflectet rursus, unam s. Particulam pollice et indice manus dexterae accipiet, ac pixide in ima parte supra nodum sinistra sumpta, convertetur ad populum, pixidem sustinens ante pectus: s. Particulam elevabit ad altitudinem vultus sui dicens *Ecce Agnus Dei etc.* deinde tribus vicibus *Domine non sum dignus etc.* et communicabit Ministros et Clerum. Dum dicet *Corpus Domini nostri etc.* signum Crucis efficiet, advertens ne manum extra limites pixidis hinc aut inde protrahat.

135. Communione peracta, se convertet ad Altare, ac si qua in pixide particula superfuerit, genuflectet eamque consumet: genuflexionem autem omittet, si nulla supererit particula.

136. Postquam legerit ℣. *Communio*, canet *Dominus vobiscum* atque orationem; itemque post orationem canet rursus *Dominus vobiscum*.

137. Conversus ad populum manebit, donec Diaconus cecinerit *Ite Missa est*, quod ipse non dicet; tamen ad Altare conversus submissa voce dicet *Benedicamus Domino*, si Missa erit ferialis.

138. Ultimo Evangelio recitato, si Clerus de choro discedet, manebit in Altari et descendet ad nutum Caeremoniarii, reverentiam Cruci profundam faciet, recipiet a Diacono biretum, quo caput operiet, iunctisque manibus subsequens Diaconum, gradum referet ad sacrarium.

139. Sin Clerus in choro permanebit, post ultimum Evangelium de Altari descendet, reverentiam profundam Cruci, inclinationem Clero efficiet, receptoque a Diacono bireto, de Altari discedet, advertens ut operiat caput quum e presbyterio exibit, sive extra conspectum Cleri.

140. Sacrarium ingressus, si Clerus aderit, detecto capite eum salutabit, secus recta ibit ante Altare vel in medium sacrarii, ubi nudato capite, reverentiam faciet Cruci vel imagini praecipuae, salutationi Ministrorum inclinatione respondebit, et loco usitato sacris paramentis exuetur.

§. 5. *In Missis solemnibus ferialibus.*

141. Animum advertet ad tonum, quo cantandae erunt orationes, praefatio et *Pater noster*, ac si post Epistolam canetur ℣. *Adiuva*, non genuflectet, quum illum leget privatim, sed geniculabit in media extremitate suppedanei quum a cantoribus canetur.

§. 6. *In Missa cantata duobus assistentibus clericis.*

142. Servabit ea quae superius tradita sunt, exceptis iis quae referuntur ad Ministros et thurificationem, quae in huiusmodi Missis omittitur

§. 7. *In aspersione aquae benedictae in Dominicis.*

143. Celebrans postquam stolam sibi induerit, antequam pluviale sibi imponat, aquam benedicet in sacrario ritu in Missali aut Rituali praescripto.

144. Deinde pluviali induetur, caputque operiet bireto. Admonente Caeremoniario, reverentiam Cruci vel imagini sacrarii efficiet, et salutatione Ministris reddita, ad Altare maximum proficiscetur. Ad sacrarii fores aquam benedictam non accipiet nec se signabit.

145. In chorum ingressus, Clerum, si aderit, salutabit, secus recta procedet ad Altare, et facta ad Crucem reverentia profunda, in medio gradu infimo genuflexabit.

146. Aspersorium aqua benedicta perfusum a Diacono accipiet, antiphonam intonabit *Asperges me,* vel alteram *Vidi aquam* tempore paschali.

147. Altare asperget primum in medio, tum versus cornu Evangelii, deinde Epistolae. Se ipsum in fronte aspersorio signabit, assurget et primo Diaconum, postea Subdiaconum asperget, atque aspersorium Diacono reddet.

148. Tum facta Cruci reverentia, perget una cum Ministris ad chorum in partem, quam dignior occupabit, receptoque a Diacono aspersorio, Praesules, si aderunt, aut Canonicos in sua ecclesia singulos asperget, reverentia eos prosequens prius et postea. Si nec Praesules aderunt neque Canonici, inclinatione ad Clerum facta, praesentes alium post alium asperget, et post aspersionem inclinationem iterabit. Idipsum in altera chori parte exsequetur.

149. Quod si Clerus erit valde numerosus, poterit eum aspergere in medio, ad suam laevam et dexteram tantum.

150. Tum clericos, qui aderunt ad abacum, asperget.

151. Veniens deinde in aditum presbyterii seu balaustrii populum asperget in medio, a sinistris et dexteris suis; redditoque Diacono aspersorio, ante Altare gradum referet.

152. Ibi reverentiam Cruci iterabit, absolutoque antiphonae

cantu, subiunget versus et orationes tono feriali. Tempore paschali addet *Alleluia* in fine unius versus *Ostende nobis, Domine* etc.

153. Post cantatam orationem, repetet Cruci profundam reverentiam, perget ad scamnum vel ad abacum, ubi pluviali demisso, manipulo et planeta induetur.

154. Discedet e scamno vel abaco, reverebitur chorum primo versus cornu Epistolae, deinde Evangelii, procedet ante Altare, et reverentia profunda ad Crucem facta, Missam solemnem exordietur.

§. 8. *In Missa solemni ante SS. Sacramentum expositum.*

155. E sacrario egressus, ubi in conspectum SS. Sacramenti venerit, caput bireto nudabit.

156. Nullam unquam reverentiam ad chorum exsequetur.

157. In accessu ad Altare, genuflexione duplici ante SS. Sacramentum peracta, Sacrum inchoabit.

158. Discedens aut veniens ad medium Altaris, simplici semper utetur genuflexione, utramque manum extensam Altari imponens.

159. Incensum infundens in introitu pro Evangelio et ad offertorium, formulam usitatam recitabit, idque benedicet.

160. In Altaris thurificatione, Crucem non incensabit, sed SS. Sacramentum genuflexus in extremitate suppedanei, facta ante et postea profunda reverentia. Ad Offertorium vero prius oblata thurificabit, et postea SS. Sacramentum, et Altaris thurificationem prosequetur.

161. Thurificationem accipiet extra suppedaneum humeris ad Altare versis, quod ipsum faciet, quum manus erit abluturus.

162. Se convertens ad populum, ut cantet *Dominus vobiscum,* se tenebit versus cornu Evangelii, idque faciet etiam ad *Orate fratres* quin circulum compleat.

163. Pari modo ad benedictionem convertetur versus latus idem, ut ad *Dominus vobiscum*, eaque impertita, quin compleat circulum et genuflexionem iteret, convertetur ad Altare super sinistram suam, atque ultimum Evangelium recitabit.

164. In discessu ex Altari, genuflexionem duplicem, ut in accessu, iterabit, quumque extra conspectum erit SS. Sacramenti, caput bireto cooperiet.

§. 9. *In officio solemni pro defunctis.*

165. Post Vesperas solemnes de Sanctis, pluviale album deponet et sumet nigrum atque in primo chori subsellio sedebit.

166. Ad nutum Caeremoniarii assurget et cantores Vesperas inchoabunt cantu antiphonae *Placebo Domino* etc.

167. Ad intonationem primi psalmi sedebit et caput operiet bireto usque ad intonationem *Magnificat.*

168. Quum intonabitur canticum illud, aperiet caput, assurget, seque signabit.

169. Ad repetionem antiphonae sedebit iterum et caput operiet.

170. Completo antiphonae cantu, detecto capite assurget, geniculabit canetque preces.

171. Assurget ad *Dominus vobiscum* et ad orationem *Fidelium* etc. quam finiet conclusione longa, nempe *Qui vivis et regnas cum Deo Patre* etc.

172. Post orationem subiunget ℣. *Requiem aeternam* etc. et dicto a cantoribus *Requiescant in pace,* de stallo descendet ac prope abacum deponet pluviale recitandi caussa completorium.

173. Expleta recitatione vel cantu Completorii, Celebrans resumet pluviale nigrum quo loco deposuit, redibit ad primum stallum, sedebit paulisper, deinde assurget.

174. Caeremoniarius innuet cantoribus, ut canere incipiant invitatorium. Ad verba *Venite adoremus et procidamus ante Deum* genuflectet.

175. Prima antiphona primi nocturni a cantoribus cantata, ad intonationem primi psalmi sedebit et bireto operiet caput.

177. Post cantum versus primi nocturni, detecto capite, assurget, ac totum secreto recitabit *Pater noster.*

177. Hinc sedebit, caput cooperiet, et sedere perget usque

ad alterum versum secundi nocturni, post quem nudabit caput, assurget ac recitabit *Pater noster*, ut supra.

178. Rursus sedebit et caput operiet usque ad versum tertii nocturni, post quem, nudato capite, assurget, recitabit *Pater noster* iterumque sedebit capite cooperto.

179. Nudabit caput et assurget ad intonationem cantici *Benedictus* seque signabit.

180. Post canticum sedebit rursus, donec repetita erit antiphona cantata, post quam aperiet caput, assurget, geniculabit precesque canet, ut in Vesperis.

181. De choro discedens Clerum sequetur iunctis manibus et quum venerit in sacrarium, pluviale deponet.

182. Si recitatio solemnis officii pro defunctis fiet pro funere sive exequiis proprii Episcopi, Principis etc. pluviali induetur in sacrario et Clerum in accessu ad chorum subsequetur.

183. Ante Altare quum venerit, reverentiam profundam Cruci exsequetur, geniculabit in medio gradu infimo, recitabit orationem *Aperi* etc. post quam assurget, reverentiam Cruci iterabit, salutabit chorum, procedet ad primum stallum, et quidquid traditum est de recitatione officii, peraget.

§. 10. *In Missa solemni de requie.*

184. Thurificatio Altaris ad introitum locum non habet.

185. Benedictio Subdiacono post cantatam Epistolam, et Diacono ante Evangelium canendum, itemque osculum textus Evangelii omittitur.

186. Thurificatio ad offertorium fiet ritu usitato, et incensum benedicet.

187. Omittet etiam pacis osculum dandum Diacono post *Agnus Dei*.

188. De reliquo stabitur iis, quae dicta sunt superius pro Missa solemni.

189. Eadem servanda erunt in Missis cantatis de requie, duobus assistentibus clericis.

§. II. *In expositione et in benedictione SS. Sacramenti.*

190. Celebrans super vestem talarem induet sibi superpelliceum, stolam et pluviale, utrumque albi coloris, quodcumque sit officium, quod in diem incidit.

191. Signo dato exeundi e sacrario, reverentiam faciet Cruci vel imagini primariae, et capite cooperto iunctisque manibus procedet ad Altare.

192. Ad fores sacrarii, aperto capite, aquam benedictam ab assistente accipiet, signabit se, tum rursus operiet caput bireto.

193. Quum in conspectum SS. Sacramenti ventum erit, nudabit caput.

194. Ante infimum gradum in medio biretum tradet assistenti, qui a dextris aderit; genuflexionem duplicem efficiet, assurget ac priusquam flectat genua, incensum in thuribulum infundet sine benedictione.

195. Geniculabit in medio gradu infimo, intonabit *Tantum ergo* cum clericis assistentibus et ad verba *Veneremur cernui* reverentiam faciet profundam, qua peracta, thuribulo accepto ab assistente a dextris, tribus ductibus thurificabit SS. Sacramentum ac thuribulum restituet assistenti, qui dederit.

196. Ad ℣. *Panem de coelo* assurget, post quem tono feriali canet orationem *Oremus. Deus qui nobis* etc. cum conclusione brevi nempe *Qui vivis et regnas in saecula saeculorum.*

197. Post orationem genua rursus flectet, eique super humeros velum humerale imponetur, quod ab assistente a sinistris ante pectus ipsi alligabitur.

198. Quum Sacerdos Ostensorium in Altare demiserit, Celebrans assurget, conscendet suppedaneum, genuflectet unico genu, manus imponens Altari, assurget iterum, manus suas extremitatibus anterioribus veli humeralis cooperiet, atque accepto Ostensorio a praedicto Sacerdote, convertetur super suam sinistram ad populum, et nullum proferens verbum benedictionem SS. Sacramenti fidelibus impertietur.

199. Modus dandae benedictionis statutus est a S. Congregatione Rituum *in Collen. dub.* 2. « An in benedicendo populum cum SS. Sacramento sit servandus modus infrascriptus. Cum stat ante populum, Ostensorium ante pectus tenet, tum elevat illud decenti more non supra caput, sed usque ad oculos, et eodem modo illud dimittet infra pectus, mox iterum recta illud attollit usque ad pectus, et deinde ad sinistrum humerum ducit, et reducit ad dexterum, et rursus ante pectus reducit, ibique aliquantulum sistit, quasi peracta ad omnes mundi partes Cruce, eam etiam venerandam omnibus praebet, tunc girum perficiens collocat Ostensorium super Altare. *Michael Bauldry* parte IV. cap. XVI. artic. 3. et 34. pag. 481. *Theophil. Pytonell.* de depositione SS. Sacramenti lib. III. cap. 2. n. 8. » Et eadem S. Congregatio respondit. « *Si ei placet, potest observare supradictum modum, quem tradit idem Bauldry* loc. cit. . *sin minus servandus est modus dispositus in Caeremoniali Episcoporum* lib. II. cap. 23. *ubi requiritur tantummodo, ut cum eodem SS. Sacramento Celebrans producat signum Crucis super populum.* Et ita declaravit. *Hac die* 21 *Martii* 1676. (Collect. authent. n. 2624) » Notandum tamen est, quod ritus secundo loco indicatus in decreto est usitatior. Convertetur deinde super dexteram suam, et adiuvante Sacerdote praedicto, Ostensorium super Altare deponet.

200. Genuflexionem unico genu iterabit, seque convertens versus cornu Evangelii de Altari descendet, geniculabit rursus in medio gradu infimo, et reverentiam profundam ad SS. Sacramentum efficiet. Tunc ei de humeris velum humerale detrahetur.

201. Clauso intra tabernaculum SS. Sacramento, assurget, genuflectet in pavimento ante infimum gradum, accipiet biretum quo cooperiet caput, iunctisque manibus ad sacrarium revertetur.

202. Ibi Crucem vel imaginem principalem reverebitur et sacris vestibus exuetur.

203. Si solemnitas insignis occurret, in qua fieri soleat expositio cum sacris Ministris paratis, Celebrans induetur amictu, alba, cingulo, stola et pluviali.

204. Procedet ad Altare inter praedictos ministros; in aditu sacrarii aquam benedictam a Diacono accipiet, eique, postquam venerit ad Altare, tradet biretum.

205. Diaconus ipse ei ministrabit incensum et thuribulum, humerisque eius imponet velum humerale, quod a Subdiacono alligabitur.

206. A Diacono pariter Ostensorium accipiet super Altare ante benedictionem, ac post benedictionem eidem restituet. Subdiaconus detrahet ei velum humerale, et in discessu de Altari Diaconus tradet biretum.

207. Reversus in sacrarium, post factam Cruci vel imagini praecipuae reverentiam, salutationi Ministrorum respondebit inclinatione et sacra vestimenta deponet.

§. 12. *In festo Purificationis B. Mariae Virginis.*

208. Aequum esset ut Celebrans praemeditaretur orationes, quas canere, et ritum quem servare debebit.

209. Praemissa debita ad Missam praeparatione, monente Caeremoniario, induetur amictu, alba, cingulo, stola et pluviali violaceo.

210. Eodem Caeremoniario innuente, discedet inde ubi sacras vestes sumpserit, reverebitur Crucem vel imaginem principem sacrarii, salutationi respondebit Ministrorum, interque ipsos capite bireto operto iunctisque manibus ad Altare procedet. Ad fores sacrarii se aqua benedicta signabit, ut iam alibi notatum est. At si festum hoc in Dominicam incideret, se non signabit ad fores sacrarii, siquidem primum fiet aspersio aquae benedictae.

211. In chorum quum ventum erit, si iam ibi aderit Clerus, in aditu presbyterii nudabit caput, biretum tradet Diacono, et Clerum reverebitur primo versus cornu Evangelii, deinde Epistolae. Si Clerus e sacrario ipsi praeibit, reverentia illa omittetur.

212. Ante Altare profundam reverentiam peraget Cruci, suppedaneum conscendet, Altare osculabitur in medio, extensas

super illud manus imponens, tum iunctis manibus transibit ad Missale in latus Epistolae.

213. Ad nutum Caeremoniarii, iunctis manibus, tono feriali canet *Dominus vobiscum* quin se ad populum convertat. Orationes iunctis pariter manibus deinde subiunget ac tono feriali, advertens ut caput versus Crucem inclinet quum dicet *Oremus*, et signum Crucis dextera efficiat versus candelas, quum in Missali indicabitur, quod faciens sinistram Altari imponet.

214. Post quintam orationem infundet in thuribulum incensum, quod ei ministrabit Diaconus, recitabit formulam solitam *Ab illo benedicaris* etc. et benedicet. Aspersorium a Diacono accipiet et candelas asperget in medio, ad sinistram et dexteram suam dicens submissa voce antiphonam *Asperges me etc.* et Diacono reddet aspersorium. Accepto deinde ab eo thuribulo, candelas adolebit quo modo eas asperserit, nullum proferens verbum, ac thuribulum ipsi Diacono restituet.

215. Vadet cum Ministris ad medium Altare ac versus gradus ipsius convertetur. Ante eum se sistet dignior inter Clerum, qui candelam ei porriget, eamque Celebrans accipiet utraque manu, osculabitur ac tradet Diacono, qui ponet ipsam super Altare. Nisi alias erit Presbyter, qui Celebranti candelam praesentet, ea imponetur Altari. Celebrans ad Altare se convertet, genua submittet, candelam sumet, osculabitur et dabit Diacono qui eam deponet in Altari. Post haec se convertet, et distributionem peraget sequenti modo.

216. Candelam primam digniori, a quo ipse candelam accepit, tum ceteris de Clero distribuet. Eam singulis porriget manu dextera ita, ut et candelam et manum eius possint osculari.

217. Si post Clerum distributio facienda sit et populo, de Altari descendet inter Ministros, reverebitur Crucem, et perget ad balaustrium, sive ad cancellos presbyterii, ubi distributionem incipiet in extremitate a cornu epistolae et perget ad cornu Evangelii eodem modo, quo S. Communio distribuitur.

218. Distributione peracta, si ad cancellos seu balaustrium non descenderit, manus lavabit in suppedaneo a cornu Epistolae, ut in Missa: si ad balaustrium descenderit, post distribu-

tionem redibit ante Altare, reverentia profunda venerabitur Crucem, vadet in planum versus partem Epistolae, lavabit manus et a latere ascendet ad Altare ex eadem parte, atque ante Altare in eodem latere subsistet.

219. Iunctis manibus cantabit *Oremus* et orationem *Exaudi, quaesumus, Domine* etc. tono feriali. Monebit autem quum a Diacono dicendum erit *Flectamus genua*, quumque omittendum.

220. Eadem Epistolae parte, post praedictam orationem, incensum infundet in thuribulum et benedicet dicens *Ab illo benedicaris* etc.

221. Dum in processionis ordinem proficiscendum erit, manu dextera accipiet a Diacono candelam accensam, descendet de Altari, reverebitur Crucem, candelam ad sinistram transmittet, biretum capiti imponet, rursusque candelam ad dexteram reducet. Dum in processione candelam dextera sustinebit, sinistram pectori applicabit.

222. In processionis reditu, capiti detrahet biretum in aditu presbyterii, ante Altare profunde reverebitur Crucem, atque ibit apud scamnum in cornu Epistolae, ubi candelam deponet.

223. Ibi adiuvante Caeremoniario exuetur pluviali stolaque violacea, et paramenta albi coloris induet sibi; tum facta reverentia ad Clerum in parte prius Epistolae, postea Evangelii, accedet ad Altare Missam solemnem inchoaturus. Ritum in ipsa statutum servabit; et tantum dum canetur Evangelium candelam accensam dextera sustinebit, laevam interea applicans pectori.

224. Quod si festum hoc in unam ex Dominicis privilegiatis inciderit, demisso pluviali, induetur manipulo et planeta violacea, neque candelam accensam, dum canetur Evangelium, sustinebit. (*a*)

(*a*) Notetur illud, quod idem Celebrans, qui candelas, cineres et palmas benedixit, Missam canere debet, quacumque demum dignitate sit insignitus. Ab hac regula, sancita decreto S. Congr. Rituum, excipitur Episcopus ordinarius.

§. 13. *In feria IV. Cinerum.*

225. Necesse erit ut Celebrans ritum et cantum in hac functione adhibendum praemeditetur. Praemittet praeparationem ad Missam, postea paramentis induetur in sacrario et procedet ad Altare, sicut in praecedenti functione.

226. Facta ad Crucem reverentia, suppedaneum conscendet, Altare osculabitur in medio, manus extensas in eo ponens, et vadet ad Missale iam in latere Epistolae apparatum.

227. Iunctis manibus leget ℣. *Exaudi nos, Domine* etc. dum a cantorum choro cantabitur.

228. Deinde iunctis manibus et tono feriali, quin convertatur ad populum, canet *Dominus vobiscum* et orationes. Ad *Oremus* inclinabit caput versus Crucem, signumque Crucis, quum in Missali indicabitur, dextera faciet versus cineres, sinistram imponens Altari.

229. Post quartam orationem incensum in thuribulum iniiciet cum benedictione et formula usitata *Ab illo benedicaris* etc. Aspersorium a Diacono accipiet cineresque asperget in medio, ad laevam et dexteram suam, dicens submissa voce ant. *Asperges me* etc. Reddet aspersorium Diacono, a quo accipiet thuribulum, adolebit cineres quomodo asperserit, eique thuribulum restituet.

230. Ibit ante Altare in medium, se convertet versus gradus, caput paullum inclinabit ante digniorem Cleri, qui aderit in medio Altari super gradu superiori, cineremque ab eo super caput recipiet. Nisi aderit Presbyter, geniculabit in medio suppedaneo, et cinerem ipse sibi imponet, nullum adiiciens verbum.

231. Hinc cinerem in caput illius dignioris imponet in modum Crucis dicens *Memento, homo, quia pulvis es et in pulverem reverteris.* Id ipsum exsequetur erga totum Clerum, qui ordinatim accedet ad Altare.

232. Si mos erit, ut ipse cineres populo distribuat, descendet de Altari et procedet ad balaustrium seu cancellos presbyterii et cineres imponet adstantibus, initium sumens ab angulo versus partem Epistolae et progrediens ad alterum Evangelii.

233. Distributione peracta, lavabit manus, quas absterget etiam medulla panis, si opus fuerit, idque peraget vel in suppedaneo in angulo Epistolae, vel in plano versus idem latus, ut superius num. 218. declaratum est.

234. Reversus ad Missale iunctis manibus, quin se convertat ad populum, tono feriali recitabit *Dominus vobiscum* et orationem *Concede nobis* etc.

235. Post orationem, eodem in loco reverentiam faciet Cruci, de Altari a latere descendet, scamnum petet ibique deposito pluviali, manipulum sibi et planetam induet.

236. Post haec reverebitur chorum prius versus cornu Epistolae, deinde Evangelii, procedet ante Altare ac praemissa reverentia profunda ad Crucem, Missam solemnem exordietur.

§. 14. *In Dominica Palmarum.*

237. Celebrans huiusce diei functionem praevidebit, et post debitam praeparationem ad Missam, parabitur amictu, alba, cingulo et stola, deinde aquam benedicet, ut superius num. 143. innuimus.

238. Pluviali induetur et biretum capiti imponet. Ad nutum Caeremoniarii discedet de loco, in quo paramenta sumpserit, salutabit Crucem vel imaginem praecipuam sacrarii, salutantes Ministros salutabit, ac medius inter eos procedet ad Altare.

239. Ad fores sacrarii non accipiet aquam benedictam, nec se signabit, siquidem aquae benedictae aspersio fiet.

240. In presbyterium quum venerit, si Clerus in choro aderit, caput deteget, biretum tradet Diacono, salutabit chorum: quod si Clerus ipsi praeibit, salutationem hanc omittet, et caput ante Altare tantum nudabit.

241. Progressus ante Altare, reverentiam profundam faciet Cruci, adgeniculabitur et aspersionem peraget aquae benedictae.

242. Post aspersionem aquae benedictae, conscendet suppedaneum, Altare osculabitur in medio et vadet in cornu Epistolae, ubi Missale in legili vel cussino erit apparatum.

243. Iunctis manibus et submissa voce, sine Crucis signo, leget ℣. *Hosanna filio David* etc. dum canetur a cantoribus.

244. Deinde non conversus ad populum, iunctis manibus et tono feriali canet *Dominus vobiscum* et orationem *Deus quem diligere* etc. Advertet tum in hac tum in ceteris omnibus orationibus, quae subsequentur, ut caput versus Crucem inclinet, quum canendum erit *Oremus*.

245. Post cantatam orationem, submissa voce lectionem leget et tractum, benedictionem impertietur Subdiacono, ut in Missis solemnibus, et perstans in eodem latere recitabit *Munda cor meum,* leget Evangelium ritu solito, nec, lectione absoluta, librum osculabitur.

246. Eodem perstans adhuc in loco, incensum in thuribulum infundet cum usitata benedictione *Ab illo benedicaris* se convertens super sinistram suam, tum benedictionem dabit Diacono se convertens dextrorsum.

247. Ad Evangelium quod canetur, convertetur ad Diaconum, se signabit, ut in Missis solemnibus; post cantum osculabitur librum, quem ei porriget Subdiaconus; postremo a Diacono thurificationem accipiet.

248. Se iterum ad Missale convertet, ac reversis ad latera eius sacris Ministris, quin se convertat ad populum, canet ℣. *Dominus vobiscum* et tono feriali orationes praescriptas usque ad Praefationem inclusive, voce autem submissa cum Ministris recitabit Trisagium. Quum palmas benedicturus erit, faciet id manu dextera, sinistram vero extensam imponet Altari.

249. Adiiciet etiam tono feriali reliquas quinque orationes, post quas incensum in thuribulum demittet cum benedictione *Ab illo benedicaris* etc. Aspersorium a Diacono accipiet, palmas asperget in medio, ad sinistram et dexteram suam, dicens submissa voce *Asperges me* etc. restituet aspersorium, accipiet thuribulum et palmas adolebit modo superius tradito, nullum proferens verbum, ac thuribulum ipsi Diacono reddet.

250. Hinc iunctis manibus, non conversus ad populum ac tono feriali canet *Dominus vobiscum* et orationem *Deus, qui per Filium tuum* etc.

251. Completa praedicta oratione, vadet ad medium Altare se convertet versus gradus, palmam a digniore Cleri accipiet,

quam accipiens osculabitur, et tradet Diacono, qui super Altare imponet. Nisi quis alius Presbyter adsit, faciet quod superius num. 215, ostendimus.

252. Palmarum postea distributionem incipiet a digniore Cleri, qui palmam prius ipsi tradiderit, deinceps reliquis distribuet, advertens ut ita singulis porrigat, ut accipientes possint facile prius palmam, deinde manum porrigentis osculari.

253. Si distribuendae populo quoque palmae erunt, procedet ad cancellos seu balaustrium presbyterii, initium sumens ab angulo e cornu Epistolae et progrediens ad alterum Evangelii.

254. Distributione peracta, lavabit manus in suppedaneo e latere Epistolae; vel in plano Altaris ex eadem parte si palmas populo distribuerit. Ad Altare a latere ascendet, et stans in cornu Epistolae canet, ut supra, *Dominus vobiscum* et orationem *Omnipotens sempiterne Deus* etc.

255. Incensum in thuribulum infundet cum benedictione; vadet ad medium Altaris, palmam a Diacono recipiet, quam dextera manu sustinebit, ad nutum Caeremoniarii descendet de Altari, reverebitur Crucem, palmam ad manum sinistram traducet, caput operiet bireto, reducet palmam ad manum dexteram et processioni se adiunget.

256. In reditu ad Ecclesiam subsistet extra portam cum Clero dum canetur hymnus *Gloria, laus et honor* etc. stans contra portam, dum Clerus manebit ordinatus inter ipsum et portam.

257. Revertens ad Altare nudabit caput in aditu presbyterii, sine ulla inclinatione ad Clerum; Crucem ante Altare salutabit reverentia profunda, perget ad scamnum, palmam tradet Diacono, deponet pluviale atque induetur manipulo et planeta.

258. Redibit ad Altare cum Ministris, reverentiam prius efficiens ad chorum, et Missam exordietur.

259. In Missa solemni servabitur ritus usitatus. Leget *Passio* in cornu Epistolae, cantoribus *Passio* nec benedictionem dabit, nec manum osculandam. Simul ac incipietur cantus praedictus, palmam a Diacono recipiet, quam toto cantus tempore dextera sustinebit. Postquam legerit *Passio* convertetur ad can-

tores, ut in Evangelio, pergens manu palmam sustinere. Ad verba *Emisit spiritum* genua flectet in suppedaneo, loco et statu eodem. Quum cantores desierint canere *Passio*, palmam Diacono restituet, procedet ad medium Altare, dicet *Munda cor meum* etc. *Jube Domine* etc. *Dominus sit* etc. et in cornu Evangelii non se signans leget ultimam partem *Passio*: incensum dein in thuribulum infundet, benedictionem Diacono impertietur, rursus se convertet in cantu ultimae partis, palmam quam ipsi dabit Caeremoniarius, dextera sustinens. Cantu absoluto, palmam restituet, librum osculabitur, quem ei porriget Subdiaconus et a Diacono thurificabitur.

§. 15. *In Matutinis tenebrarum.*

260. Celebrans induetur superpelliceo, vel alio indumento chorali distincto, si uti licebit.

261. In accessu ad Altare Clerum praecedet, quumque ante Altare venerit, reverentiam faciet Cruci (in Parasceve autem genuflexionem) et vadet ad primum chori subsellium.

262. Quum Clerus universus occupaverit locum suum, Celebrans, submissis genibus recitabit orationem *Aperi Domine* etc. Tum assurget et totum secreto dicet *Pater noster*, *Ave Maria* et *Credo*.

263. Innuente Caeremoniario, cantores incipient primam antiphonam canere, et Celebrans cum Clero sedebit ad intonationem primi psalmi et bireto caput operiet.

264. Post versum primi nocturni, capite detecto, assurget, recitabit secreto *Pater noster*, tum rursus sedebit et capiti biretum imponet.

265. Idipsum servabit in reliquis nocturnis; et principio Laudum nec deteget caput, neque assurget.

266. Ad intonationem cantici *Benedictus* nudabit caput et assurget.

267. Post cantatum *Benedictus* sedebit rursus, donec repetita erit antiphona cantata.

268. Deinde geniculabit et flexis genibus manebit ad ant.

Christus factus est etc. ad *Pater noster* secreto dicendum et ad *Miserere*.

269. Quo psalmo recitato, submissa voce dicet orationem *Respice, quaesumus, Domine* etc. quin praemittat *Oremus* et cum conclusione *Qui tecum* etc. secreto, qua oratione completa, manu paullum pulsabit sedile vel genuflexorium, assurget atque iterata ante Altare ad Crucem reverentia, excedet e choro et ad sacrarium revertetur.

§. 16. *Feria V. in Coena Domini.*

270. In Missa solemni servabuntur ritus iam praescripti cum sequentibus tamen exceptionibus.

271. Celebrans consecrabit binas hostias maiores, quarum altera reponenda erit in alterum calicem pro expositione, ut inferius declarabitur. Quapropter animadvertet utram debeat servare, eamque super corporale ad sinistram suam imponet. Consecrabit etiam particulas pro communione Cleri et adstantium aliasque servandas pro infirmis, si Ecclesia erit parochialis, itemque si Ecclesiae alicuius ordinis religiosorum aut communitatis domicilium adnexum erit.

272. In confessione omittitur psalmus *Iudica me Deus* etc. Sed *Communicantes*, et *Hanc igitur* et *Qui pridie* proprium est huius diei. Dicitur quidem *Agnus Dei*, sed pacis osculum non datur.

273. Posteaquam Celebrans Calicem sumpserit, alter Calix vacuus ipsi a Diacono obiicietur. Genuflectet, accipiet S. Hostiam maiorem, quae superfuerit, ponet intra Calicem ita ut e labro foris non extet, vel si in calice aderit cochleare, imponet illi S. Hostiam, et manubrio sumat illud, pollicem ab indice non seiungens, idemque intra calicem ponet. Diaconus hunc Calicem conteget palla, patena inversa et velo albo quod ligabit ad nodum. Celebrans poterit manum imponere super Calicem, quum Diaconus, ut nuper docuimus, taeniam ad nodum eiusdem calicis alligabit.

274. Diaconus calicem locabit in medio corporali paullum Crucem versus et Celebrans genuflexionem faciet.

275. Deinde S. Communionem ministrabit, quemadmodum superius exposuimus num. 133, et seqq. stans in medio suppedaneo humeris ad Altare versis, licet in calice clausum adsit SS. Sacramentum.

276. Postquam purificationem et ablutionem sumpserit et os absterserit, genuflectet et vadet ad Missale ut legat ℣. *Communio.* Dum genuflectet, manus extensas Altari semper imponet extra corporale.

277. Reversus ad medium Altare, genuflexionem iterabit, Altare osculabitur in medio, se paullum convertet versus cornu Evangelii, canet *Dominus vobiscum*, genuflectet rursus et reversus ad Missale cantabit orationem *postcommunio.*

278. Post orationem redibit in medium, renovabit genuflexionem, se convertet ad populum, ut antea, et canet *Dominus vobiscum.*

279. Postquam Diaconus cecinerit *Ite, Missa est*, rursus ad Altare convertetur, genuflectet alia vice et recitabit orationem *Placeat tibi* etc. post quam osculabitur Altare, et elatis manibus, ut fit in aliis Missis, dicet *Benedicat vos omnipotens Deus*, genuflectet, se convertet ad populum a latere, ut supra, et benedictionem impertietur.

280. Se convertet ad Altare super latus idem non complens circulum, nec genuflexionem repetens, dicet *Dominus vobiscum* et Evangelium S. Joannis recitabit, in cuius initio se signabit, non vero Altare. Poterit quidem signare tabellam, si ei porrigetur a Subdiacono. Ad *Verbum caro* etc. genuflectet versus SS. Sacramentum.

281. Sacro peracto, redibit ad medium Altare in suppedaneo genuflectet, descendet a latere de Altari ex parte Epistolae et perget ad scamnum, ubi humeris ad scamnum ipsum conversis deponet planetam cum manipulo, et pluviali induetur.

282. Indutus pluviali, procedet ante Altare et genuflexionem duplicem exsequetur in pavimento ante gradum infimum in medio, deinde assurget et in medio eodem gradu geniculabit.

283. Post brevem orationem, innuente Caeremoniario, assurget et incensum sine benedictione in duo thuribula imponet.

284. Rursus genuflectet, accipiet a Diacono thuribulum, quo SS. Sacramentum thurificabit, reverentiam profundam prius et postea peragens, ac thuribulum Diacono restituet.

285. Ipse deinde Diaconus humeris eius imponet velum humerale, quod ei a Subdiacono ante pectus alligabitur.

286. Diaconus porriget ei calicem cum SS. Sacramento, quod reverentia profunda venerabitur, calicem sinistra sumet ad nodum, dexteramque extensam super patenam imponet, assurget et hoc modo eum ante pectus sustinebit. Postquam Diaconus extremitatibus anterioribus veli humeralis contexerit ei manus et genuflexerit ad SS. Sacramentum, se convertet ad populum et in ordinem processionis sub umbraculo incedet.

287. Hymnum in processione *Pange lingua* , et alios hymnos et psalmos alternatim cum Ministris recitabit. In fine psalmorum omittet ℣. *Gloria Patri.*

288. Ubi ventum erit ad Altare, in quo exponendum sit SS. Sacramentum, subsistet ante gradum infimum et manus ei detegentur velo humerali a Diacono, cui Calicem tradet. Diaconus, accepto Calice, stabit, et Celebrans adgeniculabitur in medio gradu infimo et profunda reverentia adorabit SS. Sacramentum.

289. Subdiaconus velum ei humerale expediet et de humeris tollet.

290. Posteaquam Diaconus in custodiam reposuerit SS. Sacramentum, et de Altari redierit ad Celebrantis dexteram, a cantoribus intonabitur ℣. *Tantum ergo* et Celebrans ad verba *Veneremur cernui* inclinabitur. His verbis cantatis, assurget ac sine benedictione incensum infundet in unum ex thuribulis tum rursus in eodem gradu genuflectet: thuribulum a Diacono accipiet, quo triplici ductu thurificabit SS. Sacramentum, et thuribulum Diacono restituet.

291. Completo praedicti hymni cantu, et clausa a Diacono custodia SS. Sacramenti, orabit paulisper, assurget, genuflexionem duplicem in pavimento peraget, discedet e sacello, caput bireto tegens extra conspectum SS. Sacramenti et ad sacrarium revertetur.

292. Ibi, nudato capite, reverebitur Crucem vel imaginem praecipuam, salutationi Ministrorum respondebit, pluviale et stolam albam demittet, et sibi imponet stolam violaceam, manens ibi donec redeundi ad Altare tempus erit.

293. Interea dum vesperae in choro recitabuntur, Celebrans posset eas recitare cum Ministris.

294. Ad nutum Caeremoniarii, discedet e sacrario, reverentiam faciens Cruci vel imagini praecipuae respondebit salutationi Ministrorum, iunctisque manibus et capite cooperto, Diaconum subsequetur.

295. In aditu presbyterii nudato capite, salutabit chorum, primo in parte versus cornu Evangelii, deinde Epistolae.

296. Ante Altare reverentiam profundam efficiet Cruci, et sine cantu, mediocri voce intonabit antiphonam *Diviserunt sibi* etc., quam chorus prosequetur cum recitatione psalmi *Deus, Deus meus, respice in me* etc.

297. Antiphona intonata, ascendet ad Altare, amovebit de medio tabellam, vulgo *chartagloriam* et adiuvantibus Ministris sustollet tres tobaleas, quae amotae tradentur clericis vel aedituo, relicta tamen tobalea cerata, qua tegitur mensa seu petra sacra. Hinc descendet de Altari ac recedet quantum satis erit ad amovendum tapetum.

298. Post haec, iterata ad Crucem reverentia profunda, et ad Clerum inclinatione, discedet e choro, et in aditu capiti imponet biretum, Diaconum subsequens. Procedet ad reliqua Altaria eodem ordine denudanda, initium sumens ab illo, quod proximum erit Altari maiori a cornu Evangelii, deinde alterum e latere eodem et sic de ceteris deinceps, finem faciens in illo quod propius erit Altari maiori a cornu Epistolae.

299. Praeteriens ante Altare, in quo SS. Sacramentum erit expositum, nudabit caput et duplicem peraget genuflexionem.

300. Ultimo Altari denudato, redibit in chorum, reverentiam Clero, deinde Cruci Altaris efficiet ibique consistet.

301. Chorus complebit recitationem psalmi praedicti et repetet antiphonam *Diviserunt* etc.

302. Hinc ad nutum Caeremoniarii reverentiam profundam

faciet Cruci, caput cooperiet iunctisque manibus redibit in sacrarium subsequens Diaconum et Clerum, qui ei praeibit.

303. In sacrarium quum venerit, nudabit caput, salutabit Clerum et reverebitur Crucem vel imaginem principem et sacris vestibus exuetur.

304. Quod spectat ad *Mandatum* perget ad locum pro exequendo hoc ritu constitutum. In sacrario, seu cubiculo ad hanc rem praeparato, induetur amictu, alba, cingulo, stola et pluviali violaceo.

305. Monente Caeremoniario, discedet e sacrario, usitatam faciens reverentiam Cruci vel imagini et Ministris, biretum capiti imponet, atque inter Ministros medius incedet ad aulam pro hac re instructam.

306. Quo quum venerit, si Clerus aderit, nudato capite salutabit, secus, nudabit caput ante Altare, profundam Cruci reverentiam exsequetur, suppedaneum conscendet et Altare in medio osculabitur.

307. Illic subsistens, postquam Diaconus Evangeliarium super Altare detulerit, incensum in thuribulum cum sueta benedictione *Ab illo benedicaris* etc. infundet: deinde benedictionem Diacono pro Evangelio canendo impertietur cum formula usitata *Dominus sit in corde tuo* etc.

308. Ad Evangelium quod canetur, se convertet ad Diaconum, ut in Missis solemnibus, et fine facto canendi Evangelium, osculabitur librum quem Subdiaconus ipsi obiiciet, dicet *Per evangelica dicta* etc. et a Diacono thurificabitur.

309. Post haec, reverentia ad Crucem facta, de Altari a latere descendet, et ibit apud abacum in cornu Epistolae, ibique demisso pluviali, se praecinget panno lineo, quem taeniis cohibebit circa lumbos, vel ad cingulum.

310. Transibit medius inter Ministros ante Altare et reverentiam profundam faciet Cruci: se sistet ante pauperes, quorum abluturus erit pedes, geniculabit ante primum, manicas albae aliquantum contrahet versus cubitum, lavabit pedem dexterum primi, absterget, osculabitur, eique largietur eleemosynam, quam dum porriget, manum suam illi dabit osculandam. Hinc

assurget, et adgeniculabitur ante alterum, id ipsum peragens, quod de primo dictum est, et sic deinceps de ceteris.

311. Posteaquam omnium laverit pedes, redibit ad abacum et transiens ante Altare faciet Cruci reverentiam profundam.

312. Manus abluet apud abacum, deponet pannum lineum et pluviali induetur.

313. Ad Altare a latere ascendet et stans in cornu Epistolae, ex Missali ibi posito canet versus et orationem cantu feriali.

314. De Altari cum Ministris descendet, reverentiam profundam Cruci efficiet et simplicem Clero, si aderit, redibit ad sacrarium, et ibi quoque facta ad Crucem vel ad imaginem praecipuam reverentia, et reddita Ministris salutatione, sacra indumenta demittet.

§. 17. *Feria VI. in Parasceve.*

315. Celebrans ante functionem aliquandiu orabit, sed psalmos et preces pro Missa praescriptas omittet, exceptis orationibus pro paramentis. Hac autem die maxime expedit, ut secum animo perpendat functionem et ea quae in ipsa erunt canenda.

316. Ubi ei nunciatum erit, lavabit manus sibique induet amictum, albam, cingulum, manipulum, stolam et casulam nigri coloris.

317. Innuente Caeremoniario, una cum sacris Ministris discedet e loco, ubi sese paraverit, reverebitur Crucem vel imaginem principem sacrarii, caput operiet bireto, ac sequens Diaconum ad Altare procedet.

318. Notandum quod hac die reverentiae ad chorum usitatae omittuntur.

319. In presbyterium ingressus nudabit caput et ante Altare faciet Cruci reverentiam profundam: deinde geniculabit, procumbet ante Altare ponens brachia et caput in cussino ibi apparato, et orabit fere spatium unius *Miserere*.

320. Ad nutum Caeremoniarii assurget, suppedaneum conscendet, Altare osculabitur in medio, manus imponens Altari,

vadet in cornu Epistolae et ex Missali ibi praeparato, submissa voce, leget primam lectionem cum tractu.

321. Postquam haec prima lectio cum tractu cantata fuerit, canet *Oremus;* Diaconus cantabit ℣. *Flectamus genua,* Subdiaconus respondebit *Levate:* tum iunctis manibus ac tono feriali Celebrans adiiciet orationem, *Deus a quo et Iudas* etc. Notandum autem, quod tum in istis, tum in aliis orationibus huius functionis, Celebrans non genuflectet quum Diaconus cantat ℣. *Flectamus genua.*

322. Alteram deinde lectionem cum altero tractu leget, nec donabit benedictionem, nec manum osculandam dabit Subdiacono, qui hanc lectionem cantabit.

323. Dum primus et alter tractus canetur, poterit sedere in scamno, quo perget discedens a latere de Altari, ac revertens illuc ascendet etiam a latere ex eadem parte.

324. Si sedebit, ut dictum est, ad tractum, redibit ad Altare dum introibunt in presbyterium cantores *Passio.*

325. Qui quum cantare *Passio* incipient, Celebrans leget illud submissa voce in cornu Epistolae, ibique recitabit *Munda cor meum* sine *Iube Domine* etc. et sine *Dominus sit* etc. et leget etiam ultimam partem *Passio,* quae a Diacono erit canenda.

326. Postquam legerit *Passio,* se convertet ad cantores *Passio* quemadmodum fit ad cantum Evangelii. Ad verba *tradidit spiritum,* geniculabit in suppedaneo, conversus ad eosdem cantores.

327. Fine facto canendi *Passio,* rursus ad Missale convertetur, Diacono nec benedictionem, nec manum osculandam praebebit.

328. Ad ultimam partem *Passio* quae canetur a Diacono, se convertet sicut ad Evangelium, neque osculabitur librum neque thurificabitur.

329. Rursus convertetur ad Missale et canet orationes, nempe invitationem ad orationem cantu praescripto, iunctisque manibus; orationes autem tono feriali et manibus apertis. E Missali ipso congnoscet quando a Diacono canendum erit *Flectamus genua.* Omittet tum invitationem, tum orationem *pro*

Romano Imperio, quum id saepius decreverit S. Congregatio Rituum posteaquam abolitus fuit titulus et repraesentatio praedicta.

330. Orationum cantu absoluto, reverebitur Crucem et a latere descendet ad scamnum, ubi casulam demittet. Redibit in cornu Epistolae, quin ascendat ad Altare, et consistet facie ad populum versa.

331. A Diacono accipiet Crucem, quam ante pectus utraque manu sustinebit. Adiuvante Diacono deteget partem superiorem Crucis usque ad partem transversam atque e Missali canet *Ecce lignum Crucis* et cantores continuabunt *in quo salus mundi pependit* et chorus *Venite adoremus*. His verbis dum ab omnibus genuflectetur, Celebrans unus stabit.

332. Post haec conscendet suppedaneum Altaris in cornu Epistolae, ibique, ut supra, deteget brachium dexterum Crucis et Crucifixi et caput eiusdem imaginis, Crucemque paullum et vocem attollens, canet iterum *Ecce lignum Crucis;* cantores autem et chorus, ut supra, respondebunt.

333. Veniet deinde in medium suppedaneum. Crucem in totum deteget, quam paullo amplius attollet, vocemque amplius elevans canet tertia vice *Ecce lignum Crucis*, et cantores chorusque, ut antea, prosequentur.

334. Post cantatum *Venite adoremus*, manentibus ceteris genibus flexis, unus Celebrans descendet de Altari, comitante Caeremoniario, veniet ad tapetum et cussinum paratum ante infimum Altaris gradum, adgeniculabitur, Crucem cussino imponet ac taeniis si opus fuerit, cohibebit.

335. His effectis, assurget, genuflectet ad Crucem et ibit ad scamnum ubi sacri Ministri ei obviam venient.

336. Ibi deponet manipulum (S. R. C. 15 Sept. 1736) sedebit in scamno et calceos sibi detrahet. (*a*)

(*a*) Meratus in notis ad Gavantum haec habet. « In extendendo hoc decreto irrepsit forsan aliquis error scriptoris, quia ex rubricis potius deducitur non deponendum manipulum in dicta circumstantia; unde opus est ut diligentius examinetur. »

337. Assurget et comitante Caeremoniario tantummodo, procedet ad Crucem adorandam, se dirigens ad extremitatem tapeti; vel, si tapetum non ita patebit, ut possit huic actioni inservire, sex fere passus procul a Cruce subsistet. Ibi genuflexionem duplicem peraget, modica interposita quiete, assurgens deinde procedet alios fere tres passus, iterabit genuflexionem cum eadem pausa; postremo assurget, genuflexionem, ut antea, faciet ad Crucem tum prosternet se, pedes osculabitur Crucifixi, ponens manus super tapetum, vel cussinum, si satis patebit, atque eleemosynam offeret, quam in pelvim ibi praeparatam demittet.

338. Assurget, genuflexionem simplicem ad Crucem efficiet, et recta ad scamnum redibit, in quo sedebit, et calceos rursus sibi inducet. Assurget, resumet manipulum in brachio sinistro, planeta iterum induetur, et rursus sedebit caputque operiet bireto.

339. Sedens alternatim cum Ministris improperia leget e Missali, quod ei sustinebit alter ex acolythis.

340. Crucis adoratione tum a Clero tum a ceteris adstantibus absoluta, dum Diaconus Crucem referet ad Altare, Celebrans, capite detecto, assurget ac geniculabit donec in Altari reposita Crux eadem erit.

341. Tunc sedebit et caput bireto operiet.

342. Innuente Caeremoniario, nudato capite assurget, perget ante Altare cum Ministris et ad Crucem genuflectet.

343. Bireto rursus capiti imposito, Diaconum iunctis manibus subsequetur in processionem Cleri, qui proficiscetur ad sacellum, in quo pridie SS. Sacramentum expositum fuit.

344. In conspectum Sacramenti caput operiet, et ante Altare progressus, biretum tradet Diacono, genuflexionem duplicem in pavimento exsequetur, assurget et in infimo gradu geniculabit, parumper orans.

345. Interea a Diacono aperietur custodia, in qua SS. Sacramentum asservabitur.

346. Celebrans assurget, ac sine benedictione incensum, quod ei ministrabit Diaconus, in bina thuribula iniiciet.

347. Rursus geniculabit, thuribulum a Diacono accipiet, triplici ductu thurificabit SS. Sacramentum, ac Diacono thuribulum restituet.

348. Velum humerale humeris eius a Caeremoniario vel a Diacono imponetur, et ante pectus a Subdiacono alligabitur.

349. Quum Diaconus obiiciet ei Calicem cum SS. Sacramento, profundam faciet reverentiam, assurget, Calicem manu sinistra ad nodum accipiet, dexteramque imponet super patenam: Diaconus autem manus eius cooperiet extremitatibus anterioribus veli humeralis.

350. Quum Diaconus assurrexerit, se convertet ad populum, et cantores canere incipient hymnum *Vexilla regis prodeunt* etc.

351. Una cum Ministris subibit umbraculum et in processionis ordinem ad Altare maximum redibit, psalmos alternatim recitans cum Ministris. In psalmorum fine omittendum est *Gloria Patri.*

352. Ubi ventum erit ad Altare, consistet in medio ante gradum infimum. Diaconus ei manus deteget velo humerali et accipiet Calicem cum SS. Sacramento. Statim geniculabit in medio gradu infimo et profundam reverentiam efficiet ad Sacramentum, quod a Diacono afferetur ad Altare et in media mensa locabitur.

353. Reverso ad eius dexteram Diacono, assurget, incensum in thuribulum infundet sine benedictione, genua rursus submittet, a Diacono accipiet thuribulum, quo SS. Sacramentum triplici ductu thurificabit, ac thuribulum Diacono restituet.

354. Hoc facto, assurget, conscendet suppedaneum et genuflectet ad SS. Sacramentum, ponens manus extensas super Altare tum in hac tum in ceteris genuflexionibus, quas erit exsecuturus.

355. Diaconus tollet de Calice velum album, patenam et pallam. Celebrans Calicem sinistra sumet et S. Hostiam faciet effluere super patenam, quam Diaconus sustinebit. Si aderit cochleare, accipiet illud manubrio et S. Hostiam ponet super patenam, a Diacono, ut supra, sustentam. Calicem detectum relinquet super corporale. Si digito manus dexterae tetigerit Sacramentum extrahendi caussa de Calice purificabit digitos aqua in vasculo vitreo et absterget purificatorio. Deinde patenam a Diacono ambabus manibus accipiet, ponet Sacramentum in medio

corporali, nullum efficiens Crucis signum nullumque proferens verbum et patenam relinquet non subter, sed super corporale ad suam dexteram.

356. Aquam, quae infundetur in Calicem, non benedicet.

357. Calicem a Diacono accipiet, in quem infusum erit vinum et aqua, neque illo efficiens Crucis signum, nec verbum ullum proferens, ponet eum in medio corporali, ut in Missa, Calicem autem palla cooperiet Diaconus.

358. Incensum sine benedictione iniiciet in thuribulum, quod a Diacono quum acceperit, thurificabit oblata et Altare, ritu Missarum solemnium, eademque verba proferens elata voce, nempe *Incensum istud* etc. *Dirigatur, Domine*, etc. Thurificationem oblatorum et Crucis exsequetur accurate, ne qua favilla de thuribulo decidat aut cinis super Sacramentum. Post thurificationem Diacono restituet thuribulum dicens *Accendat in nobis* etc. sed non thurificabitur a Diacono.

259. Postquam Diacono reddiderit thuribulum, descendet super gradum superiorem a latere Altaris, atque humeris ad parietem versis abluet manus, omittens psalmum *Lavabo* etc.

360. Manibus ablutis, conscendet rursus suppedaneum, redibit ad medium Altaris et genuflectet ad SS. Sacramentum.

361. Iunctis manibus ad Altare dicet elata voce *In spiritu humilitatis* etc. deinde non deosculans Altare, genuflexionem iterabit, vertet humeros versus cornu Evangelii et dicet *Orate fratres, ut meum* etc. circulum non perficiens, se convertet ad Altare iterumque genuflectet.

362. Iunctis manibus, tono feriali canet *Oremus. Praeceptis salutaribus* etc. ac manibus extensis *Pater noster*. Responso a choro *Sed libera nos a malo*, secreto adiiciet *Amen*. Prosequetur iunctis manibus et alta voce orationem *Libera nos* etc. cui tamen non praemittet *Oremus*, nec se patena signabit.

363. Genuflexionem iterabit, patenam dextera accipiet, et super eam ponet S. Hostiam; transmittet patenam in manum sinistram, dextera sumet Sacramentum, quod super patena sublime elevabit, ut ab adstantibus conspici possit, demittet super Calicem, et patena super corporali sinistra manu relicta, dividet

S. Hostiam, ut in Missa, ponens eius particulam in Calicem sine ullo signo Crucis et nihil discens. (*a*)

364. Deinde pollicem et indicem utriusque manus non disiungens, iunctisque manibus, secreto dicet orationem *Perceptio Corporis tui* etc. Post quam genuflectet, S. Hostiam, ut in Missa, cum patena accipiet, dicet *Panem coelestem* etc. ac pectus percutiens, ter dicet *Domine, non sum dignus* etc. se signabit Sacramento dicens *Corpus Domini nostri* etc. communicabit, patenam relinquet super corporali, et post Communionem paullum morae interponet. (*b*)

365. Rursus genuflectet, fragmenta colliget, purificabit patenam super Calicem, et etiam cochleare si adhibitum fuerit et Calicem sumptum cum S. Particula consummabit sine ullo Crucis signo et nihil dicens.

366. Digitos dein vino et aqua super Calicem purificabit, ablutionem sumet, labia purificatorio absterget, Calicemque cum purificatorio tradet Subdiacono, ut eum abstergat et ad abacum reportet.

367. Reversis ad eius latera Ministris, stans iunctis manibus et aliquantum inclinatus elata voce dicet *Quod ore sumpsimus* etc.

368. Tum descendet de Altari, genuflectet ad Crucem, accipiet a Diacono biretum, quo caput operiet quum venerit in aditum presbyterii extra chorum, iunctisque manibus Diaconum subsequens ad sacrarium redibit.

369. Ibi reverentiam ad Crucem vel ad imaginem praecipuam efficiet, et sacra indumenta demittet.

(*a*) Post ostensionem S. Hostiae, non eam reponere super corporali et genuflexionem iterare, sed eamdem demittere super Calicem ac dividere debet.

(*b*) Solent quidem elata voce recitare orationem *Perceptio etc.* Non ita praecipit Caeremoniale Episcoporum lib. 2. cap. 26. num. 20. « tunc secrete, ut alias, dicit *Perceptio Corporis* etc. *Panem coelestem* etc. et *Domine non sum dignus* etc. et continuat *Corpus Domini* etc. quo dicto signat se . . ».

In Sabbato sancto.

370. Celebrans, quemadmodum de functionibus praecedentibus monitum est, ritum et cantum huius diei functionis praemeditabitur.

371. Praeparationem ad Missam praemittet, et quum ei nunciatum erit, lavabit manus seque parabit amictu, alba, cingulo, stola et pluviali violaceo.

372. Proficiscens e sacrario, reverentiam faciet Cruci vel imagini praecipuae, capitique imposito bireto, iunctis manibus, adstante Diacono sinistrorsum, Clerum subsequetur.

373. Si transeundum erit ante Altare maximum, reverentiam profundam Cruci efficiet, caput detegens bireto.

374. Progressus ad portam Ecclesiae, sive ad porticum, consistet adversum Subdiaconum, qui Crucem sustinebit, biretum deponet, iunctisque manibus, tono feriali ac submissa voce dicet *Dominus vobiscum*, et adiiciet triplicem orationem pro benedictione ignis, advertens ut, quum a Missali indicabitur, signum Crucis dextera efficiat, sinistram pectori adducens.

375. Benedicet deinceps grana thuris cum oratione *Veniat, quaesumus, Domine* etc. non praemisso *Oremus*.

376. Incensum in thuribulum infundet cum usitata benedictione *Ab illo benedicaris* etc. Accipiet a Diacono aspersorium, quo asperget in medio, a dexteris et sinistris suis primo ignem, deinde grana thuris. Aspersorium reddet Diacono, a quo accipiet thuribulum, et adolebit ignem et grana quo modo asperserit, ac thuribulum ipsi Diacono restituet.

377. Deinde, capite bireto cooperto, expectabit donec Diaconus vestes sacras violaceas demittat, aliasque sibi induat albi coloris.

378. Diacono parato, Celebrans nudabit caput, rursusque incensum in thuribulum infundet cum benedictione *Ab illo benedicaris* etc. Capiti deinde bireto iterum imposito, Diaconum qui ei praeibit iunctis manibus subsequetur.

379. Ubi canetur *Lumen Christi*, deteget caput ac genuflectet.

380. Ad Altare progressus, nudabii caput, biretum tradet Diacono, suppedaneum conscendet, et Altare in medio osculabitur, in eo ponens extensas manus.

381. Diacono benedictionem largietur pro canendo *Exultet* dicens *Dominus sit in corde tuo et in labiis tuis, ut digne et competenter annuncies suum Paschale Praeconium. In nomine Patris* etc. et manum ei dabit osculandam.

382. Ad Diaconum, dum canet *Exultet*, conversus stabit iunctis manibus sicut quum cantatur Evangelium.

383. Cantato *Exultet*, reverebitur Crucem et a latere descendet ad scamnum, ubi, pluviali demisso, induetur manipulo et casula violacea.

384. Redibit ex eadem parte ad Altare, et in cornu Epistolae subsistet ad Missale, quod ibi erit apparatum.

385. Quum cantor incipiet primam canere prophetiam, eam et ipse leget submissa voce, manus apponens ad Miss le, ut in Epistola Missae. Post cantatam prophetiam canet *Oremus* et postquam Diaconus cecinerit ℣. *Flectamus genua*, ac Subdiaconus responderit *Levate*, apertis manibus ac tono feriali orationem adiiciet. Notandum, quod quum Diaconus canet *Flectamus genua*, Celebrans non debet genuflectere.

386. Idipsum exsequetur in reliquis prophetiis, et leget etiam tractum post quartam, octavam et undecimam, neque immediate post cantum prophetiae, sed post cantatum tractum, orationem canet.

387. Post duodecimam prophetiam cantabit *Oremus* atque statim adiiciet orationem, siquidem Diaconus non canet *Flectamus genua*.

383. Duodecima oratione finita, reverebitur Crucem et a latere descendet ad scamnum, ibique manipulo cum planeta deposito, rursus induetur pluviali violaceo; quo facto, stabit apud ipsum scamnum, donec profectus erit in processionis ordinem Clerus ad baptisterium iturus.

389. Incedet ultimo post Clerum loco, eius a lateribus adstantibus sacris Ministris. Proficiscens faciet ante Altare reverentiam ad Crucem et caput operiet bireto, quod ei porriget Diaconus.

390. Quum ventum erit extra septum, seu cancellos fontis, biretum sibi detractum tradet Diacono. Tum tono feriali cantabit ℣. *Dominus vobiscum* et orationem *Omnipotens sempiterne Deus, respice propitius* etc.

391. Introibit deinde in sacellum sive septum fontis, ad ipsum accedet, tono feriali cantabit *Dominus vobiscum*, orationem *Omnipotens sempiterne Deus, adesto* etc. et praefationem sequentem tono quoque feriali et iunctis manibus.

392. Quod autem ad aquam tangendam, dividendam et effundendam extra fontem spectat, sequetur Missalis rubricam.

393. Praefationem canere quum desierit, discedet e fonte, ibit cum Ministris sessum in scamno sibi praeparato, et capiti imponet biretum, quod ei a Diacono porrigetur.

394. Quum se sistet ante eum Sacerdos superpelliceo et stola indutus, qui ei obiiciet aspersorium, deteget caput biretum tradet Diacono, assurget, aspersorium accipiet; eoque se in fronte signabit, asperget ipsum Sacerdotem deinde Diaconum et Subdiaconum, aspersorium reddet eidem Sacerdoti, sedebit et bireto caput operiet.

395. Postquam Clerus et populus aspersus erit aqua benedicta fontis, et inde extracta erit pars sufficiens ad usum fidelium, innuente Caeremoniario, caput deteget, biretum tradet Diacono, assurget, discedet de scamno, reverebitur Clerum qui aderit et ad fontem redibit.

396. Ampullam cum Oleo sancto Cathecumenorum a Diacono accipiet, et modicam illius partem in aquam infundet in modum Crucis dicens *Sanctificetur et foecundetur* etc. Reddet ampullam Diacono, ab eoque accipiet alteram s. Chrismatis quod similiter infundet in modum Crucis dicens *Infusio Chrismatis* etc. Resumet a Diacono ampullam Olei sancti Cathecumenorum, et utramque tenens manu dextera inquiet *Commixtio Chrismatis* etc. et Oleum utrumque in modum Crucis ter infundet dum dicet *In nomine Patris* etc. tum Diacono reddet ampullam utramque.

397. Postea summitate digitorum dexterae manus leviter miscebit aquam cum Oleis infusis, manum absterget modico gossypio, et lavabit, utens etiam medulla panis et mali medici.

398. Si qui autem erunt baptizandi, baptismum illis ministrabit ritu notato in Rituali Romano.

399. Post benedictionem fontis et baptismi ministrationem redibit ad Altare inter Ministros, capite cooperto subsequens Clerum.

400. Ut ventum erit ante Altare, nudabit caput, reverentiam profundam Cruci efficiet, vadet ad scamnum ibique pluviale demittet.

401. Redibit cum Ministris ad Altare, adgeniculabitur et procumbet ponens caput et brachia in cussino apparato.

402. Si Ecclesia fonte baptismali carebit, post cantatas prophetias, Celebrans perget ad scamnum, planetam et manipulum deponet ac veniet ante Altare, ubi se prosternet.

403. Ubi Celebrans cum Ministris humi se prostraverint, cantores duo Litanias in Missali notatas canere incipient.

404. Ad ℣. *Peccatores* assurget, reverentiam profundam faciet Cruci, a Diacono accipiet biretum, quo caput operiet in aditu presbyterii, discedet ad sacrarium, et demissa stola violacea, induetur paramentis albis, nempe manipulo, stola et planeta pro Missa celebranda.

405. Redibit ad Altare et presbyterium ingrediens caput operiet, salutabit Clerum in choro, procedet ante Altare et Missam exordietur.

406. In confessione recitabit psalmum *Iudica me Deus* etc. et ritum pro Missa solemni statutum servabit.

407. Postquam ad introitum thurificationem acceperit, stans in cornu Epistolae ad Missale, recitabit *Kyrie* cum Ministris: in hac enim Missa introitus locum non habet.

408. *Kyrie* cantato, in medio Altaris intonabit *Gloria in excelsis Deo*.

409. Completo Epistolae cantu, et osculanda Subdiacono manu data, ter canet *Alleluia*, vocem singulis vicibus attollens hemitonio. Ac singulis vicibus chorus respondebit *Alleluia*.

410. Post *Pax Domini* omittet *Agnus Dei*, nec pacis osculum dabit, sed tres usitatas orationes recitabit.

411. Quum vero consummaverit et ablutionem etiam sum-

pserit, recitabit ad librum *Alleluia* et *Laudate Dominum* etc. deinde intonabit antiphonam *Vespere autem Sabbati.*

412. Ad intonationem cantici *Magnificat* vadet ad medium Altare, signabit se, incensum in thuribulum infundet cum solita benedictione *Ab illo benedicaris* etc. accipiet thuribulum a Diacono et thurificabit Altare, reddet Diacono thuribulum, et ab eo, ut in introitu, thurificationem accipiet.

413. Consistet in cornu Epistolae, conversus ad Altare, et repetita a choro antiphona cum notis post *Magnificat*, procedet ad medium Altare, cantabit *Dominus vobiscum* ac Missam complebit.

§. 19. *In processionibus*

414. In processionibus de maioribus minoribusque Litaniis, amictum in sacrario sibi induet, albam, cingulum, stolam cum pluviali violaceo, et caput bireto cooperiet.

415. Ad nutum Caeremoniarii caput aperiet, reverebitur Crucem vel imaginem principalem sacrarii et salutatis sacris Ministris, impositoque capiti bireto, inter Ministros eosdem iunctis manibus ad Altare procedet.

416. Ad fores sacrarii nudabit caput, aquam benedictam a Diacono accipiet, signabit se ac rursus biretum capiti imponet.

417. In aditu presbyterii caput deteget ac Diacono biretum committet. Si Clerus iam in choro aderit, reverebitur eum primo versus cornu Evangelii, deinde Epistolae. Si Clerus ei praeibit in accessu ad Altare, illam reverentiam omittet.

418. Progressus ante Altare, reverentiam profundam faciet Cruci, et stans consistet in medio iunctis manibus ante infimum gradum.

419. Cantabitur antiphona *Exurge Domine* etc. et ad Litaniarum intonationem genua submittet in medio gradu infimo.

420. Cantato a cantoribus et repetito a choro ℣. *Sancta Maria, ora pro nobis*, assurget; mox ad nutum Caeremoniarii iterabit reverentiam ad Crucem, recipiet biretum a Diacono, caput cooperiet, atque inter Ministros medius incedens, se postremo loco processioni adiunget.

421. Si qua in Ecclesia statio fiet in itinere, ad portam illius nudabit caput, aquam sanctam a Diacono accipiet, signabit se, cooperiet caput et procedet ante Altare maximum.

422. Quo quum venerit, capite detecto, biretum committet Diacono, reverentiam ad Crucem, vel genuflexionem peraget, si illo in Altari asservabitur SS. Sacramentum, et ante Altare consistet.

423. Cantata a cantoribus antiphona et versu de Sancto Patrono seu Titulari, orationem canet tono feriali, ibique expectabit dum tempus erit in processionem proficiscendi.

424. Discedens reverentiam iterabit vel genuflexionem, biretum a Diacono recipiet, capiti imponet, et processionem, ut antea, sequetur.

425. In Ecclesia, qua processionis fiet finis, progressus ante Altare, reverentiam faciet, vel genuflexionem, si SS. Sacramentum aderit in Altari, et in medio gradu infimo geniculabit.

426. Fine facto canendi Litanias, adiiciet elata voce *Pater noster* quod secreto continuabit usque ad verba *Et ne nos* etc. quae rursus alta voce proferet.

427. Post cantatum psalmum *Deus in adiutorium* etc. perstans genibus flexis subiunget versus et ad *Dominus vobiscum* assurget, orationesque praescriptas tono feriali cantabit. Tum versus, tum orationes in Breviario romano post Litanias reperiuntur.

428. Si qua de caussa Missa Rogationum in Ecclesia illa non cantabitur, adiicietur a cantoribus antiphona cum versu de B. Virgine ac de Sancto Titulari; Celebrans autem orationes respectivas post unumquemque versum tono feriali cantabit, post quas, cantato a cantoribus ℣. *Exaudi* etc. dicet submissa voce *Fidelium animae* etc. (*a*)

429. Discedet de Altari faciens Cruci reverentiam, atque in sacrario se parabit, si Missam solemnem rogationum erit celebraturus; secus, vestes sacras deponet.

(*a*) Cantus antiphonarum, versuum et orationum, quas indicavimus, a Rituali non praescribitur, sed a Caeremoniali Episcoporum lib. 2. c. 32. num. 6.

430. Eamdem methodum servabit in aliis processionibus, quae pro aliqua pubblica caussa ab Episcopo essent indictae.

431. In illis autem quae celebrarentur in festo alicuius Sancti, et in quibus illius Reliquiae aut imago publice gestaretur, servabit methodum sequentem.

432. Indutus, uti dictum est, in sacrario paramentis coloris relativi ad festum Sancti, procedet ad Altare, ibique facta Cruci reverentia, incensum in thuribulum infundet cum usitata benedictione *Ab illo benedicaris* etc. Accepto deinde a Diacono thuribulo, reverebitur S. Reliquias easque triplici ductu thurificabit; post thurificationem iterabit reverentiam ac Diacono thuribulum restituet.

433. Post haec accipiet a Diacono Reliquias, quas utraque manu gestabit, advertens ut manum dexteram ponat fere ad medietatem Reliquiarii, ac sinistram sub Reliquiario eodem, ipsius hac in re serviens formae seu figurae; vel ambabus manibus sustinens manubrium, si aderit.

434. Convertetur ad populum et capite detecto S. Reliquias gestans in processionem incedet.

435. In processionis reditu ad Ecclesiam, progressus ante Altare reddet Reliquias Diacono, qui eas super Altare imponet; deinde cantato a cantoribus versu relativo, orationem respondentem cum brevi conclusione tono feriali cantabit.

436. Rursus incensum in thuribulum cum benedictione demittet, S. Reliquias adolebit, ac post thurificationem ad Altare ascendet, sumptoque utraque manu Reliquiario, adstantibus benedictionem largietur.

437. Post benedictionem de Altari descendet, iterabit reverentiam, et accepto a Diacono bireto caput operiet, interque sacros Ministros incedens ad sacra indumenta demittenda in sacrarium revertetur.

§. 20. *In vigilia Pentecostes.*

438. Functio huius diei parum differt a Sabbato sancto, praeter benedictionem Cerei et alium quempiam ritum Missae particularem.

439. Quapropter Celebrans in sacrario casula violacea paratus, ad Altare usitato ritu proficiscetur.

440. In presbyterium ingrediens biretum committet Diacono et Clerum salutabit, si iam in choro praesto erit.

441. Reverentiam ante Altare faciet, et conscenso suppedaneo, in medio osculabitur illud, perget in cornu Epistolae et leget prophetias praescriptas, orationesque usitatas, ut in Sabbato sancto.

442. Post prophetias, facta Cruci reverentia, a latere descendet ad scamnum in cornu Epistolae, planetam manipulumque deponet ac pluviali violaceo induetur.

443. Veniet ad fontem baptismalem, ut in Sabbato sancto fontem benedicet, baptismum etiam, methodo iam illo die innuta, ministrabit. Oratio tamen quae ante ingressum ad baptisterium recitatur est huius diei propria.

444. Reversus ad Altare, pluviale demittet apud scamnum, deinde ante Altare genua submittet pro canendis Litaniis. Si Ecclesia fonte baptismali carebit, post cantum prophetiarum perget ad scamnum, planetam et manipulum demittet, ac veniet ante Altare, ubi se prosternet.

445. Ad ℣. *Peccatores* assurget et facta ad Crucem reverentia, recipiet a Diacono biretum, quo caput operiet prope aditum presbyterii. Proficiscetur ad sacrarium ac demissa stola violacea, sacris paramentis rubri coloris induetur.

446. Redibit ad Altare, et praemissa ad Clerum in choro reverentia, Missam ritu consueto exordietur.

447. Completa Altaris thurificatione, postquam thurificatus ipse fuerit, se convertet ad Altare, ibique introitum nequaquam legens, recitabit *Kyrie* cum Ministris. Postea ritu praescripto Missae celebrationem prosequetur, in qua nihil est discriminis a ceteris Missis solemnibus.

§. 21. *In festo et octava Pentecostes.*

448. Celebrans, post cantatam Epistolam et datam manum osculandam Subdiacono veniet in medium Altare, convertetur

super dexteram suam et in media extremitate suppedanei geniculabit pro cantu ℣. *Veni Sancte Spiritus*, *reple* etc.

§. 22. *In Processione SS. Corporis Christi et in aliis cum SS. Sacramento.*

449. Posteaquam Celebrans Calicem sumpserit, ponet eum versus latus suum sinistrum super corporale, Subdiaconus autem eum palla cooperiet.

450. Quum Diaconus Ostensorium apertum corporali imposuerit, genuflectet et Diacono praecipiet ut lunulam cum S. Hostia ponet in ostensorio, quo a Diacono clauso et in medio ipsius corporalis reposito versus partem posteriorem Altaris, genuflexionem iterabit.

451. Calicem a Subdiacono detectum adducet rursus ad medium corporale, fragmenta patena colliget quo loco fuerit S. Hostia cum lunula, et patenam super Calicem absterget. Purificationem et ablutionem accipiet, quin de medio Altaris quicquam recedat.

452. Ore purificatorio absterso, genuflectet et perget ad Missale ut prosequatur Missam, advertens quod quotiescumque a medio Altaris abscedat vel illuc revertat, genuflexionem exsequatur. Ad *Dominus vobiscum* versus cornu Evangelii paullum vertet tergum. Eodem modo benedictionem donabit, advertens ne circulum compleat; sed sine alia genuflexione ad Altare convertetur recitandi caussa ultimum Evangelium. Ad verba *Initium Sancti Evangelii* non signabit Altare, sed tantum seipsum, vel signabit tabellam, quam ei Subdiaconus sustinebit. Ad *Verbum caro* versus SS. Sacramentum genuflectet.

453. Sacro peracto, redibit ad medium suppedaneum, et facta genuflexione, de Altari a latere descendet ad scamnum, ubi stans humeris ad scamnum ipsum conversis deponet casulam et manipulum, ac pluviali induetur.

454. Si incensum in thuribulum infundendum erit apud scamnum, sicut in expositione de quadraginta horis praescribitur, id faciet in bina thuribula sine benedictione.

455. Si hoc apud scamnum non fecerit, veniet ante Altare, genuflexionem duplicem in medio peraget ante infimum gradum, atque assurgens incensum in bina thuribula, ut nuper dictum est, iniiciet.

456. Adgeniculabitur in medio gradu infimo, thuribulum a Diacono accipiet, thurificabit SS. Sacramentum, ipsumque thuribulum Diacono restituet.

457. Quum ei velum humerale humeris impositum erit, se paullum convertet versus Subdiaconum, ut illud sibi alliget ante pectus, deinde extremitatibus veli humeralis anterioribus cooperiet manus.

458. Dum Ostensorium cum Sacramento ei praesentabitur a Diacono, reverentiam profundam efficiet, Ostensorium manu dextera accipiet prope nodum, sinistram pedi supponens, assurget et facta a Diacono genuflexione, se versus populum convertet.

459. Cum Ministris subibit umbraculum, atque inter eos medius incedet in processionem, psalmos et hymnos consuetos submissa voce recitans alternatim.

460. Si qua in Ecclesia aut Altari ad hanc rem erecto processio subsistet in itinere, progressus ante Altare consistet, Sacramentum Diacono committet et submissis genibus in gradu infimo adorabit, deinde velum humerale deponet.

461. Reverso ad eius dexteram Diacono, assurget, incensum infundet in thuribulum sine benedictione ac rursus ante Altare in genua procumbet.

462. Intonato a cantoribus *Tantum ergo*, post inclinationem ad verba *Veneremur cernui*, accipiet a Diacono thuribulum, thurificabit SS. Sacramentum et post thurificationem thuribulum Diacono restituet.

463. Ad ℣. *Panem de coelo* etc. assurget ac tono feriali canet orationem cum brevi conclusione *Qui vivis et regnas in saecula* etc.

464. Post orationem rursus genuflectet, velum humerale humeris eius reponetur, accipiet a Diacono Sacramentum, et processionem continuabit quo modo in principio ipsius declaravimus.

465. Quum ad Ecclesiam ventum erit, in qua processionis fiet finis, progressus ante Altare, Sacramentum Diacono committet, in genua procumbet, velo exuetur, incensum in thuribulum iniiciet, thurificabit Sacramentum, atque orationem, ut supra, cantabit.

466. Post orationem geniculabit rursus, veloque rursus induetur, ascendet ad Altare, genuflexionem in suppedaneo faciet atque adiuvante Diacono sumpto Ostensorio manibus extremitatis veli coopertis, ad populum se convertet, ac benedictionem SS. Sacramenti fidelibus impertietur.

467. Benedictione peracta, conversus ad Altare Ostensorium Diacono in manus tradet, genuflexionem iterabit, de Altari descendet paullum super sinistram suam, ne tergum vertat Sacramento, geniculabit iterum in gradu infimo et velo humerali exuetur.

468. Posteaquam Diaconus, SS. Sacramento recondito, ad eius dexteram redierit, assurget, genuflectet in pavimento ante gradum infimum, biretum a Diacono recipiet, iunctisque manibus, capite operto, medius inter sacros Ministros ad sacrarium revertetur, ubi sacra indumenta demittet.

469. Si SS. Sacramentum in Altari expositum adhuc erit, in discessu efficiet genuflexionem duplicem, receptoque bireto operiet caput extra conspectum SS. Sacramenti.

§. 23. *Pro exequiis.*

470. Nihil adiiciendum videtur ad Missam de requie, siquidem ritibus superius notatis celebrabitur.

471. Peracto autem Sacro, redibit in medium suppedaneum, reverebitur Crucem, et a latere descendet ad scamnum, ubi planetam cum manipulo demittet ac pluviali induetur.

472. Si absolutio super pannum nigrum vel tumulum fiet in presbyterio ante Altare, postquam sibi pluviale induerit, consistet cum Ministris in plano a cornu Epistolae, ibique stabit dum canetur ℟. *Libera me, Domine* etc. cavens ne ullum Crucis signum faciat ad ℣. *Requiem aeternam* etc. qui non a Celebrante sed a cantoribus canendus est.

473. Ad repetitionem ℟. *Libera me, Domine* incensum infundet in thuribulum cum formula consueta *Ab illo benedicaris* etc. et benedicet.

474. Ad Altare deinc a latere ascendet, reverentiam faciet Cruci, quum pervenerit in suppedaneum ibique consistet.

475. Cantato a cantoribus *Kyrie eleison*, intonabit alta voce *Pater noster*, quod secreto prosequetur. Convertetur versus pannum nigrum seu tumulum, accipiet aspersorium a Diacono et versus tumulum asperget in medio, a sinistris et dexteris suis; aspersorium reddet Diacono, a quo accipiet thuribulum et thurificationem, eodem modo quo aspersionem, exsequetur.

476. Rursus convertetur ad Altare, perget in cornu Epistolae ad librum, ubi iunctis manibus cantabit versus *Et ne nos inducas* etc. atque orationem. Post quam canens adiiciet ℣. *Requiem aeternam* etc. tum cantato a cantoribus ℣. *Requiescat in pace,* vel *Requiescant in pace*, si absolutio pro pluribus fiet defunctis, descendet de Altari cum Ministris, reverebitur Crucem, et accepto a Diacono bireto caput operiet, iunctisque manibus inter Ministros eosdem redibit ad sacrarium, et sacris vestimentis exuetur.

477. Si tumulus, seu castrum doloris locatum erit, extra presbyterium, pluviali indutus veniet ante Altare, reverentiam ad Crucem efficiet, receptoque a Diacono bireto cooperiet caput et de presbyterio discedens Clerum subsequetur.

478. Quum venerit in caput tumuli inter ipsum et Altare consistet, sed aliquanto versus cornu Evangelii, ne directe tergum vertat ad Altare, licet pro Sacerdote vel Episcopo exequiae celebrarentur.

479. Capite detecto stabit conversus ad tumulum dum cantabitur ℟. *Libera me, Domine* etc. Ad cantum ℣. *Requiem aeternam* animadvertet id quod superius num. 472. notatum est, et ad repetitionem ℟. *Libera me Domine*, incensum in thuribulum cum usitata benedictione infundet.

480. Cantato a cantoribus *Kyrie eleison,* elata voce canet *Pater noster,* quod secreto prosequetur dum interea de loco discedet, reverentiam ad Crucem Altaris efficiet, aspersorium

a Diacono accipiet ac tumulum circumiens asperget a latere tribus vicibus, nempe in parte superiori versus Altare, deinde in media, postremo in inferiori, quae spectat ad portam Ecclesiae: transiens ante Crucem processionalem a Subdiacono sustentam reverebitur illam; et praeteriens ulterius, alterum tumuli latus asperget primo in parte inferiori versus portam, tum in media, postremo in parte superiori quae ad Altare spectat; quo facto aspersorium Diacono restituet.

481. Rursus transibit ante Altare, reverentiam ad Crucem, ut supra, efficiet, acceptoque a Diacono thuribulo, circumibit tumulum et quo modo aspersit, adolebit. Atque heic notabit Celebrans, quod tum in aspergendo tum in adolendo tumulo non debet subsistere ad singulas aspersiones et thurificationes, sed eas ambulando peragere sine ulla mora.

482. Post thurificationem Diacono restituet thuribulum et consistens versus tumulum quo loco erat principio absolutionis, cantabit versus *Et ne nos inducas* etc. cum relativa oratione. Post cantatam orationem, eodem vocis sono dicet ℣. *Requiem aeternam* etc. Crucis signum dextera efficiens tumulum versus: tum a cantoribus adiicietur ℟. *Requiescat*, vel *Requiescant in pace.*

483. Recipiet a Diacono biretum, quod capiti imponet postquam ante ipsum praeterierit Subdiaconus gestans Crucem processionalem, iunctisque manibus in sacrarium ad vestes sacras demittendas redibit.

484. Sin absolutio peragenda esset super Cadaver, procedet ad feretrum ordine superius pro tumulo demonstrato, et ad cadaveris pedes, paullum versus cornu Evangelii, consistet ne humeros vertat ad Altare. Quod si cadaver erit Sacerdotis, directe consistet ad pedes eius, humeris ad portam Ecclesiae versis, et facie versus Crucem processionalem, quae ad caput cadaveris a Diacono sustinebitur.

485. Ibi deponet biretum, quod Diacono committet, iunctisque manibus recitabit ex libro orationem *Non intres in iudicium* etc. in qua notandum, quod *Oremus* non praemittitur, neque immutanda est expressio cum *servo tuo,* si super cadaver mulieris exequiae celebrarentur.

486. Post praedictam orationem cantabitur ℟. *Libera me, Domine* etc. in quo notabit quod traditum est num. 472. huius capitis, et ad repetitionem responsorii incensum in thuribulum cum benedictione infundet.

487. Cantato a cantoribus *Kyrie eleison*, adiiciet *Pater noster*, quod dum recitabit secreto, cadaver circumibit, asperget ac thure adolebit modo superius tradito, nempe primo versus pedem sinistrum, deinde versus medium, postremo versus humerum sinistrum, et facta reverentia ad Crucem a Diacono sustentam, prosequetur aspersionem vel thurificationem primo versus humerum dexterum, tum versus medium, postremo versus pedem dexterum, cum reverentia ad Crucem Altaris, ut superius docuimus.

488. Reversus illuc, ubi erat dum canebatur praedictum responsorium, ex libro cantabit versus et orationem, in qua exprimet nomen defuncti, ac si fuerit Sacerdos, verbum etiam *Sacerdotis* nomini adiiciet. (*a*)

489. Si cadaver efferendum erit ad coemeterium, Celebrans, facta ad Crucem reverentia et bireto a Diacono accepto cooperiet caput, et post Clerum ad coemeterium incedet; quo quum devenerit subsistet ad pedes cadaveris, ut in Ecclesia, et caput bireto nudabit.

490. Nisi ad coemeterium deportabitur, post orationem su-

(*a*) Non videtur incongruum hoc loco referre cuiusdam eruditi scriptoris liturgici reflexionem de additionibus, quae in orationibus pro defunctis fieri solent. « In haec fere verba inquit: Quum in aliquo sodalitio funus vel exsequiae fiunt cuiuspiam, qui illi erat adscriptus, post nomen defuncti addi in oratione solet *fratris nostri* vel *fratrum nostrorum*; sed error est hic admodum gravis et contra rubricam, quae praecipit solum ut addatur *Sacerdotis* quum de Presbytero aliquo sermo est. Quamobrem quippiam aliud adiicere fas non est. Neque vero vocabulum *frater* latino sermone tribui potest homini eiusdem corporis seu societatis, qui potius appellandus esset *socius* vel *sodalis*. Equidem omnes homines, utpote ab eodem progenitore originem ducentes, fratres esse probe scio; Christiani autem peculiariter in Novo Testamento fratres appellantur, quippe qui per S. Baptismum in Iesu Christo renascuntur: verum id cum specialibus sodalitiis et congregationibus nihil habet commune ».

perius indicatam, cantabitur antiphona *In paradisum,* quae omitti etiam poterit, post quam Celebrans intonabit ant. *Ego sum* et principio cantici *Benedictus* se signabit.

491. Iterata a cantoribus praedicta antiphona, canens adiiciet *Kyrie eleison,* et a choro respondebitur *Christe eleison*; subiunget Celebrans *Kyrie eleison, Pater noster*, quod secreto prosequetur. Interim aspersorium a Diacono accipiet, accedet aliquantum ad pedes cadaveris, et quin feretrum circumeat, asperget illud in medio a suis sinistris et dexteris, reddet Diacono aspersorium et redibit quo loco antea erat.

492. Ibi consistens adiiciet ℣. *Et ne nos* etc. cum aliis versiculis et oratione *Fac, quaesumus Domine* etc. qua finita ac responso a Clero *Amen,* dexteram versus cadaver attollens et signum Crucis efficiens, dicet ℣. *Requiem aeternam* etc. et cantato a cantoribus altero ℣. *Requiescat in pace.* ℟. *Amen.* submissa voce subiunget *Anima eius* etc.

493. Profecto Subdiacono gestante Crucem, mediocri voce intonabit ant. *Si iniquitates,* et bireto capiti imposito alternatim cum Clero recitans psalmum *De profundis,* ad sacrarium revertetur.

494. In sacrarium ingrediens nudabit caput, et facta reverentia ad Crucem et ad Clerum, sacra vestimenta demittet. (*a*)

(*a*) Post recitatum psalmum *De profundis* repetendam esse antiphonam, et addendos versus cum oratione *Fidelium* etc. Rituale non praescribit. Rursum idem Rituale iubet recitandum esse *De profundis* tantummodo in exsequiis super cadaver, non vero in aliis, quae super tumulum peraguntur

DE OFFICIO CAEREMONIARUM MAGISTRI.

CAPUT XV.

1. Sacrarum functionum decus ab accurata rituum et caeremoniarum praescriptarum exsecutione dependet. Quia vero non omnes Ecclesiastici callere possunt rationem cunctarum functionum, quas hoc opere descripturi sumus, idcirco Caeremoniarium Magistri officium sapienter institutum est, quod quidem oportet ut in universis Ecclesiis cathedralibus et collegiatis, nec non in aliis, ubi numerosus est Clerus, reperiatur. Quibus autem in Ecclesiis raro cantatur Missa, et quaepiam alia functio celebratur, pertinebit ad eum qui sacro templo praeest, aliquem ecclesiasticum idoneum eligere, qui sacras functiones recte moderandi officio fungi possit.

2. Caeremoniarum Magister, sive, ut aiunt, Caeremoniarius, ex eo quod Episcoporum Caeremoniale praescribit, necesse est ut Sacerdotali dignitate insignitus, aut saltem sacris ordinibus initiatus sit.

3. Officium illius, idem Caeremoniale sequentes, ad tria capita redigere possumus. Primo quum aliquam sacram functionem sit moderaturus, priusquam initium fiat, inspicere debet an *sint suo quaeque loco praeparata et congrue disposita: nec gravetur aliquando (quum viderit necessarium) etiam suis manibus adiuvare ministros ceterosque omnes, quorum opera uti oportebit.* Rerum necessariarum pro functionibus sacris dispositio fieri debet ab Aedituo et a ceteris qui Ecclesiae servientes ab eo dependent. In huius operis progressu cuiuscumque capituli initio res in quaque functione praeparandae diligenter notabuntur.

4. Alterum caput est vigilantia, qua uti debet de singulis uniuscuiusque officiis, ut malis usibus et vitiis de medio sublatis, sacrae caeremoniae ritu ab Ecclesia statuto accurate obser-

ventur. *Omnia circumspiciat et singulorum munia perpendat.* Hinc sequitur quod docendus ab ipso erit, admonendus et corrigendus etiam, occasione data, quisquis erraret, aut hallucinaretur, erroremque in quem inciderit, illi detegat et emendet. Poterit etiam eum castigare eodem tempore, nisi melius esse existimaret in praesentia silentio praeterire, ne adstantium admirationem excitaret. Quamobrem eius studio, prudentiae et moderationi, nec non ingenio miti, patienti atque humili huiusmodi negotium committitur. Quod si gravius quid accideret, licebit ei, si opus fuerit, superioris auctoritatem appellare. *Omnes praemoniti ipsis Caeremoniariis in his, quae ad cultum divinum spectant, sine contradictione obediant, nec tantum eorum verbis acquiescant, sed et oculos in ipsos convertentes observent; et illis nutu, aut levi aliquo signo, vel intuitu, quod agendum sit, significantibus statim pareant.*

5. Tertium requiritur, ut in summa cognitione versetur rerum omnium, quae in qualibet functione agendae sint, ut omni quatenus fieri potest, decore et dignitate eas dirigere possit ac moderari. Atque in hoc studium oportet ut Caeremoniarum Magister enixe incumbat, si recte exsequi munia sua concupiscat. At quia fieri potest, ut ob nimiam solicitudinem nimiumque studium officii et decoris terminos praetergrediatur, ita necesse est, ut ad hoc animum suum adiiciat omnemque operam ponat, ne ullo tempore, ulloque loco *discurrat velociter, caput velociter volvat, aut manus iactet indecenter, nec in suis actibus affectationis vitio notetur: sed quidquid aget, cum gravitate et congruenti mora, ac cum decoro corporis gestu ita peragere curabit, ut ceteris devotionem et reverentiam pariat, ipseque ab omnibus commendari mereatur.*

6. Huiusce capitis esset Caeremoniarii actiones in unaquaque functione et officia, quae ad ipsum spectare possunt, exponere. Res autem hoc loco recensendans, fore quamplurimas nemo non videt. Quare eas in praesenti enumerare supersedemus, idque eo magis, quod in totius operis processu necessario erunt repetendae. Ceterum quia ad Caeremoniarum magistrum attinet omnia novisse et perspecta habere quaecumque in singulis

functionibus peragenda sunt, expedit quidem ut antea penitus praevideat ac secum animo perpendat. Ac si hoc in loco peculiares eius actiones notare velimus, veremur ne impedimento ipsi sit ad recte atque in totum adimplendum officium suum, scilicet, ne animadversa et praevisa parte tantummodo sua, parum curae gereret de actionibus et officiis, quae ad ceteros pertinent ministros. Hisce de causis generales hac super re tra-demus leges, Caeremonialis Episcoporum auctoritatem sequentes.

7. Tunica Caeremoniario vel Caeremoniariis ad Cathedrales addictis propria, est coloris violacei ac super ipsam superpelliceum. Hac veste violacea uti solummodo poterunt in Cathedralibus, aut in Ecclesiis, in quibus adsit Capitulum universum ipsius Cathedralis. In aliis Ecclesiis Caeremoniarius vestem talarem nigram cum superpelliceo induet sibi.

8. Eius officium in Missis, vesperis, aliisque functionibus plerumque versatur in assistendo Celebranti, et idcirco nusquam recedens prope ipsum adstabit.

9. Relate ad Ministros sacros et ad caeteros etiam Ministros inferioris gradus, quemadmodum respectivis capitulis declarabitur, qui et ipsi assistendi sunt, si plures erunt Caeremoniarii, secundus eorum curam geret de Ministris, secus huic officio supplebit thuriferarius, quum ipsi vacabit, vel quidam ex acolythis.

10. Praecedentibus capitulis exposuimus disciplinam a Clero in choro servandam, quod ipsum in decursu huius operis monere non desinemus. Itaque Caeremoniarius chori, cuius est in omnibus invigilare, in extremo presbyterio se sistet, unde ab omnibus facile conspici possit, et nutu aliquo actiones singulas, a Clero in choro praesenti peragendas, significabit. Ubi chorus Praefecto careat, ad Caeremoniarium pertinebit advigilare disciplinae servandae, quae ab eodem Caeremoniali his verbis exponitur: *Ad eorum officium spectabit, ut intra chorum nulla fiant colloquia, nec sint, qui risu aliove incomposito, vel minus modesto actu rem divinam turbent, non qui cum ceterorum scandalo dormiant; literas aut alias scripturas legant; sed nec libros aut ipsum Breviarium aut Diurnum in*

manibus habeant, aut ex illis privatim horas, aut orationes recitent, sed illas alta voce, una cum choro dicant aut cantent, et ad id librum habere permittantur; ne quis gestum aliquem ab aliis differentem demonstret, ut quum alii stant, aliquis sedeat vel genuflectat, vel e contra: sed detur opera, ut omnes uniformi ritu attente, devote et reverenter divinis mysteriis atque officiis assistere, eaque toto cordis affectu admirari et contemplari videantur, ac silentium diligenter servetur.

11. In Missis aliisque functionibus pontificalibus necesse erit, ut Caeremoniarius secum habeat alios Sacerdotes, aut clericos, qui illi adiumento sint in caeremoniis obeundis, quam ob rem ante functionem opus erit, ut cum ipsis conveniat de actionibus peragendis, attribuat eis partem exsecutivam, ac diligenter eosdem doceat methodum tenendum. In eiusmodi functionibus caeremoniarum Magister primus operam suam navabit Episcopo alter Ministris et Celebranti quoque, secundum functionum rationem, ceteri autem Ministris inferioribus qui secundarium aliquod munus in functione obibunt, ut sunt clerici paramentis ad Episcopum afferendis destinati, familiares nobiles ablutionem ministrantes, aliique huiusmodi.

12. In processionibus omnem ponet curam in praevidendis et recte disponendis rebus omnibus; in illis autem, in quibus fertur SS. Sacramentum, oportebit etiam ut prospiciat decori apparatus in itinere et altarium quae dedita opera ob stationem erigerentur, quemadmodum respectivis capitulis inferius demonstrabitur. Ad directionem autem precessionis utetur aliquibus clericis vel Sacerdotibus suis nutibus subiectis, quibus opportuna tradet documenta, ut regulariter illa progrediatur. Curabit insuper ut clerici isti seu Sacerdotes satis numero sint, et alter ab altero non longe distent, ut eorum subsidio effici facile possit, ut processio subsistat, vel ulterius procedat.

13. Quod autem ad functiones spectat, quae rarius incidere solent, veluti dedicatio ecclesiarum, altarium atque his similia, Caeremoniarii munus erit sedulo praevidere non modo apparatus rerum omnium, quae opus sunt, verum etiam universas actiones, ut unaquaeque ordinatim et decore perficiatur.

14. Haec nobis visa sunt generalia documenta, quae pro tali officio traderemus, a quo ratio et ordo sacrarum functionum dependet.

DE OFFICIO DUORUM CLERICORUM MISSAE CANTATAE SINE MINISTRIS ASSISTENTI

CAPUT XVI.

1. Quibusdam in Ecclesiis Clero carentibus, et in nonnullis etiam Collegiatis, solet diebus ferialibus cantari Missa sine ministris, duobus tantum assistentibus clericis. Idcirco opportuna trademus praecepta a praedictis clericis servanda, ut ex rubricae legibus et institutis functio administretur.

2. Clerici huic officio delegati, exsequentur in praxi caeremonias expositas pro Missa privata seu lecta, quibus addent quae praesenti capite innuemus.

3. Paullo ante quam Missa celebretur, venient in sacrarium; quamquam aequum esset, ut priusquam ingrediantur in sacrarium, aliquantisper in Ecclesia preces funderent. Illuc autem ingressi, manus abluent, si opus fuerit, sibique induent superpelliceum.

4. Omnia quaecumque ad Sacrum opus sunt apparabunt, calicem nempe cum hostia et cum purificatorio et cetera quae Sacerdoti operaturo inserviunt; tum pixidem cum particulis numero sufficienti, si Cleri Communio fiet, Missale a Celebrante adhibendum cum signaculis ad commemorationes, ad praefationem seu solemnem sive ferialem, pro Missae qualitate, alterumque Missale pro canenda Epistola necessarium.

5. Clericus, qui Epistolam erit cantaturus, expediet ut eam praevideat, quo canat emendate.

6. Rebus ita dispositis, clericus primus calicem sinistra sumet ac super bursam manum dexteram imponet; si et pixis af-

ferenda erit, eam super bursam ponet ac sustinebit. Alter clericus bina Missalia et tobaleam pro Communione accipiet.

7. Tunc ad Altare simul procedent, ac si Clerus in choro adesset, reverentiam ad eum peragent statim ac in presbyterii aditum devenerint: ante Altare autem progressi genuflexionem efficient.

8. Clericus primus Altaris suppedaneum conscendet atque in medio illius Calicem apparabit, videlicet corporale explicabit, bursam locabit versus cornu Evangelii applicans eam candelabris vel ipsorum gradui; calicem statuet in medio corporali, pixidem autem, si adhibebitur, post Calicem collocabit. Alter clericus deponent in abaco Missale pro cantu Epistolae adhibendum et tobaleam Communionis; ascendet postea ad Altare, Missale a Celebrante utendum aperiet; gradum referet ad abacum et ampullas cum vino et aqua in pelvicula praeparabit, campanulam pro elevatione et manutergium sive sudariolum: videant etiam ne desit scamnum Celebranti, in quo sedeat dum canetur *Gloria*, *Credo* etc. duo funalia seu cerei super candelabra ad elevationem accendendi atque hasta cum gossypio cerato.

9. Clericus primus redibit in sacrarium ut adiumento Celebranti sit in induendis sacris paramentis; alter autem candelas in Altari accendet methodo superius cap. 1. num. 9. huius libri tradita. Accensis candelis, revertetur in sacrarium, ut comitem Celebranti et primo clerico se addat.

10. Quum tempus erit e sacrario exeundi, primus Clericus signum dabit Celebranti, qui medius inter binos clericos capite detecto incedens, reverentiam Cruci vel imagini sacrarii praecipuae cum ipsis exsequetur; ac iunctis manibus et capite cooperto ad Altare procedet, iisdem praeeuntibus clericis, qui iunctis et ipsi manibus duos aut tres passus ipsum praecedent.

11. Si Clerus huic Missae intererit, ante Celebrantem binosque clericos, qui Celebranti ministrabunt, regulis iam statutis incedet.

12. Ad fores sacrarii primus Clericus aquam benedictam ex vase manu haustam Celebranti porriget et alteri clerico, omnesque simul se signabunt.

13. Quum ventum erit in aditum chori, clerici ad latera Celebrantis se disponent, primus autem ex iis a Celebrante, qui nudabit caput, accipiet biretum, eiusque manum et biretum ipsum osculabitur.

14. Si Clerus in choro iam aderit, reverentia a Celebrante et clericis fiet primum versus cornu Evangelii, deinde Epistolae. Sin Clerus Celebranti in functione praeibit, non est illi reverentiae locus.

15. Progressi ante Altare genuflectent in pavimento; clericus alter in suo latere geniculabit paullo post Celebrantem; primus autem clericus ibit ad scamnum ad deponendum ibi Celebrantis biretum, ac reversus ad Altare genua flectet in suo latere prope Celebrantem eique in confessione recitanda una cum socio respondebit.

16. Sub finem confessionis bini clerici assurgent, partem anteriorem vestis et albae Celebrantis sustollent ascendentis ad Altare, rursus genua flectent in infimo gradu, se signabunt cum Celebrante ad introitum, eique ad *Kyrie* respondebunt.

17. Si Celebrans dum cantabitur *Kyrie* sessum ibit, assurgentes clerici coibunt, ad medium Altaris, genuflectent et ad scamnum cum Celebrante pergent; primus a dextris, alter a sinistris eius subsistet, eique partem posteriorem planetae attollentes super postergale scamni imponent extensam: primus illi biretum tradet cum osculis: ibi stabunt in plano, manibus pectori applicitis et fere conversi alter ad alterum ita tamen, ne tergum Altari convertant.

18. Dum a choro *Kyrie* ultima vice cantabitur, prior signum dabit Celebranti ad Altare redeundi, recipiet ab eo biretum cum osculis et super scamno deponet.

19. Uterque al latera Celebrantis redibunt simul ante Altare; salutationem seu reverentiam ad Chorum, genuflexionem ad Altare efficient, partem anteriorem vestis et albae Celebrantis attollent, iterumque in infimo gradu geniculabunt.

20. Quum Celebrans se signabit ad verba *Cum Sancto Spiritu*, se clerici et ipsi signabunt, assurgent, coibunt ante Altare, genuflectent dum Celebrans reverentiam efficiet et redibunt ad

scamnum. Planetam Celebrantis, ut superius dictum est, attollent, clericus primus tradet ei biretum et apud ipsum, ut ad cantum *Kyrie*, manebunt.

21. Ad verba *Adoramus te* etc. inclinabunt caput Crucem versus, ac primus Clericus innuet Celebranti ut caput detegat.

22. Ad illa autem *Cum Sancto Spiritu* ad Altare gradum referent cum Celebrante, reverentiam facient ad chorum, si aderit, Celebrantem ad Altare comitabuntur, ut descripsimus ad finem *Kyrie*, et in infimo gradu rursus geniculabunt.

23. Initio ultimae orationis a Celebrante cantatae, assurget primus clericus, perget ad abacum, Missale sumet ad canendam epistolam, quod sustinebit pectori applicitum et apertura ad suam sinistram versa redibit ad locum suum ibique stans expectabit donec cantabitur orationis conclusio *Per Dominum nostrum*, in qua caput inclinabit versus Crucem ad verba *Iesum Christum*, tunc procedet in medium ante Altare. Si conclusio esset *Qui vivis et regnas* vel *Qui tecum vivit et regnat*, omissa ad Crucem inclinatione, in medium ante Altare procedet.

24. Quo quum venerit, genuflectionem Cruci et reverentiam choro efficiet primo versus cornu Evangelii, deinde Epistolae, redibit ad locum suum ibique stans canet Epistolam tono praescripto.

25. Cantata Epistola, librum claudet, applicabit pectori, redibit ante Altare, genuflexionem iterabit et reverentiam ad chorum, perget ad abacum ubi Missale deponet, ac reversus ad locum suum ibi genua submittet.

26. Epistola a Celebrante lecta, clericus alter respondebit *Deo gratias* et postquam primus clericus desierit canere Epistolam et reverentiam choro fecerit, Missale cum legili seu cussino a Celebrante transferet in cornu Evangelii, genuflexionem peragens ad Crucem dum ante medium Altare transibit, et ad locum suum redibit ac geniculabit.

27. Si Sequentia aut tractus dicendus erit, ac si Celebrans sessum ibit, fiet quod pro *Kyrie* docuimus, clericusque alter Missale transferet, quum Celebrans ad Altare redierit et *Munda cor meum* etc. recitabit.

28. Quum Celebrans Evangelium cantare incipiet, duo clerici consurgent, et post Evangelium respondebunt *Laus tibi, Christe*, quod a choro nequaquam respondetur.

29. Post cantatum Evangelium geniculabunt rursus in loco uterque suo et flexis genibus manebunt donec Celebrans offertorii versum legerit.

30. Si cantandus erit Symbolus, genibus flexis manebunt clerici dum a Celebrante recitabitur: ad ℣. *Et incarnatus* profunde inclinabuntur: ad verba autem *Et vitam venturi saeculi* se signabuut, consurgent, coibunt ante Altare, genuflectent dum Celebrans inclinabit caput ad Crucem, et redibunt ad scamnum. Ibi stabunt a lateribus Celebrantis, eius partem posteriorem planetae attollent primusqne clericus biretum ei cum osculis praebebit.

31. Dum ℣. *Et incarnatus* cantabitur, primus Clericus innuet Celebranti ut caput aperiat, ambo autem iunctis manibus et capite inclinato ad versum illum geniculabunt Altare versus.

32. Sub finem Symboli cantati, primus clericus biretum a Celebrante recipiet, quod in scamno relinquet, et utrique Celebrantem rnrsus ad Altare comitabuntur, usitatas exsequentes reverentias ad chorum et genuflexionem ad Crucem. Postquam sustulerint extremitatem anteriorem vestium Celebrantis ad Altare ascendentis, loco uterque suo in infimo gradu geniculabunt.

33. Lecto a Celebrante offertorii versu, primus clericus assurget, vadet ad scamnum, sumet ampullas, ut in Missis lectis, easque deferet ad Altare.

34. Posteaquam Celebrans vinum et aquam in Calicem infuderit, primusque clericus ampullam vini ad abacum retulerit, assurget alter, genuflexionem in medio efficiet ad Crucem, se ad laevam primi adiunget super gradum superiorem in cornu Epistolae, pelviculam cum aquae ampulla sumet, primus manutergium sive sudariolum, et una ministrabunt Celebranti ablutionem manuum, post quam eadem omnia ad abacum reportabunt.

35. Primus accipiet campanulam, se adiunget alteri, redibunt ante Altare, genuflectent ad Crucem, ac dirempti, in gradu infimo, loco uterque suo, genua flectent.

36. Respondebunt simul *Suscipiat Dominus* etc. postquam Celebrans pronunciaverit *Orate fratres.*

37. Primus Clericus animadvertet signum campanula dare organorum modulatori, ut sonare desinat sub initium praefationis, si opus fuerit. Ad Trisagium idem clericus, ut in Missis privatis, campanulam pulsabit.

38. Ad *Memento* vivorum ambo consurgent, accendent duo funalia seu cereos super candelabra in presbyterio posita ex parte uterque sua, et geniculabunt in extremo suppedaneo.

39. Ad Hostiae et Calicis elevationem, partem posteriorem planetae Celebrantis simul attollent, primus autem campanulam etiam pulsabit.

40. Post elevationem consurgent, de gradibus descendent, advertentes ut faciem alter ad alterum vertant, et redibunt geniculatum suo loco in infimo gradu.

41. Postquam Celebrans S. Hostiam consumpserit, primus clericus assurget, campanulam ad abacum referet, sumet tobaleam pro Communione et in medium ante Altare redibit: hoc tempore assurget alter, accedet ad primum ante Altare ibique una geniculabunt.

42. Calice a Celebrante consumpto, simul recitabunt *Confiteor* profunde inclinati, quo statu permanebunt usque ad *Misereatur*. Ad orationem *Indulgentiam* etc. erigent se, Crucis signo se munient et quum responderint *Amen*, consurgent, ac facta simul cum Celebrante genuflexione, genua submittent in gradu superiori vel in suppedaneo. Quum Celebrans dicet *Ecce Agnus Dei* paullum inclinabuntur et tobaleam explicabunt.

43. Posteaquam sacrae mensae participes facti erunt, consurgent, genuflectent, ac tobaleam sustinentes ibunt geniculatum in suppedaneum a lateribus, ut dum Cleri Communio peragatur, eamdem tobaleam extensam sustentent.

44. Cleri Communione peracta, descendent in medium ante Altare simulque genuflectent. Alter clericus tobaleam relinquet primo, et suo loco geniculabit. Primus autem redibit ad abacum, tobaleam ibi deponet, pelviculam cum ampullis accipiet, ad Altare deferet, purificationem et ablutionem Celebranti ministrabit, ampullasque ad abacum referet.

45. Clericus alter assurget ac Missale cum cussino vel legili a cornu Evangelii ad Epistolae transferet.

46. Post haec iidem clerici, a latere uterque suo cereos, seu funalia super candelabra pro elevatione accensa extinguent tum redibunt ad locum suum, ubi usque ad initium Evangelii S. Ioannis geniculabunt.

47. Si aliud Evangelium esset legendum, alter clericus post *Ite Missa est* rursus Missale cum cussino vel legili transferet in cornu Evangelii.

48. Nisi Cleri communio fiet, omnia quae ad rem exposita sunt, omittentur.

49. Quum Celebrans legere Evangelium incipiet, ambo consurgent, et in fine illius respondebunt *Deo gratias*.

50. Recitato a Celebrante Evangelio, primus Clericus, altero suo loco stante, perget ad scamnum, accipiet biretum Celebrantis et ad Altare redibit.

51. Si Clerus e choro proficiscetur, Celebrans subsistet in medio Altari supra suppedaneum, et quum a primo clerico monebitur, de Altari descendet, reverebitur Crucem et clerici genuflectent. Primus clericus porriget ei biretum cum osculis usitatis, quo caput cooperiet, et praeeuntibus iisdem clericis, qui Clerum subsequentur, ad sacrarium revertetur.

52. Quod si Clerus in choro permanebit prosequendi caussa officium, Celebrans de Altari descendet; ipse reverentiam, clerici autem genuflexionem ad Crucem efficient, tum simul cum eo salutabunt chorum. Primus clericus tradet ei biretum, quo caput operiet in aditu chori, uterque autem Celebranti praeibit.

53. Quum in sacrarium redierint, reverentiam ad Crucem una cum Celebrante efficient; primus adiuvabit eum in deponendis paramentis, alter gradum referet ad Altare ad extinguendas candelas, resque in sacrarium referendas, quae Sacro peragendo opus fuerunt.

54. Si Clerus Celebrantem ad sacrarium redeuntem praecesserit, illuc ingressi clerici reverentiam cum Celebrante exsequentur ad Clerum ipsum, qui ibi substiterit ordinatus.

55. Idem ordo servabitur in Missis pro defunctis, exceptis iis quae heic sequuntur.

56. Si post Missam absolutio ad tumulum vel ad feretrum fiet, ante Missarum solemnia, super abaco deponentur candelabra cum candelis pro acolythis, vasculum aquae benedictae cum aspersorio, thuribulum cum navicula, pluviale nigri coloris pro Celebrante, Rituale, vel Missale ad cuius calcem maioris commoditatis gratia additus sit absolutionis ritus, candelae Clero distribuendae et prope abacum eumdem Crux hasta insistens.

57. Clericos, qui in hac Missa ministrabunt, monemus ne manum Celebrantis neve res, quas tradent aut accipient, osculentur.

58. Postquam Celebrans legerit Sequentiam *Dies irae* etc. clericus alter Missale transferet ad latus Evangelii; deinde uterque genuflexionem, dum Celebrans reverentiam, efficiet Crucem versus et perget ad scamnum, in quo sedebit Celebrans dum cantabitur Sequentia. Clerici consistent apud ipsum, ut superius ad *Kyrie* descriptum fuit.

59. Si candelarum distributio erit facienda, poterunt duo alteri clerici tum dispensandi tum accendendi eas officio delegari, cum regulis quas superius innuimus cap. VIII num. 74.

60. Sub finem Sequentiae *Dies irae* cantatae ad verba *iudicandus homo reus,* primus clericus innuet Celebranti ut procedat ad Altare, acceptumque ab eo biretum in scamno deponet. Celebrans et Clerici ad Altare redeuntes chorum salutabunt.

61. Si absolutio fiet, recitato ultimo Evangelio, clerici cum Celebrante redibunt ad abacum, ubi iam praesto erunt tres alii Clerici, qui Crucem et candelabra gestent, clericus alter qui librum ferat ac Caeremoniarius.

62. Duo praedicti clerici Celebrantem exuent casula et manipulo, ac pluviale illi imponent: alter vasculum cum aspersorio, alter accipiet thuribulum, in quo iam sit ignis, et naviculam.

63. Absolutionis ritus, quemadmodum respectivis capitibus descriptus est, complebitur: Caeremoniarius Diaconi fungetur vice; clericus autem, seu qui vasculum seu qui thuribulum feret, in aspersione aut in thurificatione Celebrantem poterit, sustinens ei laevam fimbriam pluvialis, sinistrorsum comitari.

DE SACRA CONCIONE HABENDA.

CAPUT XVII.

1. Quibusdam in Seminariis, ut adolescentes in sacro ministerio exerceantur, solet iis committi officium concionandi, sive de rebus divinis ad populum sermonem habendi. Ut hoc nostrum manuale omnibus suis partibus, quoad fieri potest, sit absolutum et ad disciplinam conducat iuvenum clericorum, quibus operam nostram, cuiuscumque sit demum pretii, ultro navamus, quaedam hoc capitulo addemus monita de ritu in sacris concionibus servando.

2. Concio regulariter habenda esset post Evangelium Missae cantatae: tamen post Missam etiam vel post vesperas fieri poterit, prouti magis conducet ad populum, iuxta mandata Episcopi ordinarii.

3. Atque heic supervacaneum esse existimamus monere, quod pro exercendo praedicationis officio eiusdem ordinarii Episcopi facultas requiratur.

4. Concionatoris habitus est superpelliceum super veste talari: si concionator erit Canonicus et hoc ministerio fungatur in propria Ecclesia, utetur habitu chorali: si de regulari erit Clero, retinebit habitum ordinis sui: sin ex aliquo sodalitio clericorum regularium, superpelliceo, tamquam clericus secularis, induetur.

5. Clerici tum regulares, tum seculares bireto etiam utentur.

6. Extra Urbem concionator stolam quoque adhibet ad collum, si presbyter, diaconali autem more super humero sinistro si Diaconus.

7. Si post Evangelium concio habebitur et Episcopus ordinarius aderit, qui sacro solemni intersit, concionator manu sustinens biretum, comitante clerico, qui stolam complicatam afferet, se sistet in presbyterio prope Altare a cornu Epistolae sub exitum gradualis aut tractus qui canetur.

8. Genuflectet versus Altare, deinde Episcopum versus, ibique manebit interea dum cantabitur Evangelium, paullum ad Diaconum Evangelium canentem conversus.

9. Si Canonicus et in propria Ecclesia concionator erit, reverentiam Altari faciet atque Episcopo, quod etiam deinceps exsequetur.

10. Evangelio cantato, quum Episcopus sederit, procedet ad thronum advertens ut genuflectat transiens ante Altare et ad Episcopum quum ad thronum devenerit.

11. Conscendet throni planum, genibus obvolvetur Episcopi, cuius manum osculabitur: benedictionem ab eo petet dicens *Jube, Domne, benedicere;* Episcopus autem bene precabitur ipsi inquiens *Dominus sit* etc. Si concio habebitur post Evangelium, exposcet Inpulgentiam dicens *Indulgentias, Reverendissime Pater*, et Episcopus indulgentiam concedet.

12. Si Canonicus in propria Ecclesia erit, stans osculabitur manum Episcopi ac profunde inclinatus eum benedictionem et indulgentiam rogabit.

13. Assurget, de throno descendet, genuflexionem ad Episcopum deinde ad Altare iterabit: Celebrantem etiam, si ante illum sit transiturus, reverebitur.

14. Episcopo autem absente, sub finem Evangelii cantati, vel hora stata, praesto erit prope pulpitum, quod stola collo imposita, conscendet.

15. In pulpito genuflexionem ad Altare, dein ad Episcopum, si aderit, efficiet. Illo autem absente, postquam genuflexerit al Altare, Clerum et populum salutabit.

16. Biretum capiti imponet ac paulisper sedebit, dum populi fremitus conquiescat. Hinc nudabit caput, assurget, pollice dexterae manus se in ore signabit, orabit momento temporis; tum conversus ad Altare genua submittet ac voce clara, quae possit exaudiri, salutationem angelicam recitabit, idque etiam paschali tempore.

17. Assurget, caput operiet sacrumque sermonem exordietur. Fine dicendi facto, signum ad populum beneprecantis faciet nihil dicens, dummodo tamen sit Sacerdos, nec proprius Episcopus aliusve ecclesiasticus praeses adsit.

18. Profecto concionis tempore concionatori standum esset; tamen si valetudo obstaret, vel quaepiam rerum adiuncta impedimento essent, sedere licebit.

19. Textus Evangelii vel sacrae Scripturae ante sermonem si proferet, dicet semper stans, capite nudato ac voce clara.

20. Inclinatio capite detecto, vel genuflexio post primum verbum aut primum incisum orationis, quae *venia* appellatur, fit ad proprium Episcopum tantummodo, nec licet fieri ad Capitulum etsi frequens, neque ad Magistratum, neque ad alios praeter Episcopum ordinarium.

21. In proferendo nomen Jesu vel Mariae aut Sancti, cuius dies festus celebratur, caput aperiendum et inclinandum erit.

22. Fine dicendi facto iterum Altare versus genuflectet, Clerum populumque salutabit, descendet de pulpito et in sacrarium redibit. Si aderit Episcopus, ad Altare et ad illum genuflectet, antequam descendat. Sin post Evangelium Missae solemnis concioni locus fuerit, sermone peracto, caput bireto aperiet et versus Altare geniculabit, dum Diaconus cantabit *Confiteor*.

23. Interim a clerico, qui concionatorem comitatus erit, tradetur ipsi tabella in qua Indulgentiae formula erit inscripta.

24. Ut *Confiteor* cantatum erit, et Episcopus in throno sederit, concionator assurget conversusque ad populum voce perspicua, quae possit exaudiri, formulam leget Indulgentiae, sed meminerit inclinare caput quum Episcopi et Summi Pontificis nomen proferet.

25. Indulgentia evulgata, tabellam clerico restituet, genuflexionem Altare et Episcopum versus efficiet, descendet referetque gradum ad sacrarium.

26. Si de Altari non vero de pulpito verba faciat, consistat in cornu Evangelii, neque unquam in suppedaneo deambulet: licebit tamen insidere scabello ex eodem latere in suppedaneo posito, quemadmodum superius num 18. innuimus.

27. Benedictionem ab uno Episcopo dioecesano, non vero ab ullo alio petet.

28. In Parasceve autem nec benedictio petitur, nec recitatur *Ave Maria,* et reverentiae omittuntur.

29. In orationibus seu sermonibus pro aliqua publica caussa atque in laudationibus funereis concionator non superpelliceo induetur, nec benedictionem ab Episcopo petet nec recitabit *Ave Maria*. Quapropter huiusmodi sermones vel laudationes habendae omnino sunt, peracto Sacro.

30. Quum SS. Sacramentum erit palam in Altari expositum, concio, ex praecepto Instructionis Clementinae, esset omittenda.

31. Quod si, probante Episcopo dioecesano, sermo fiat ante SS. Sacramentum expositum, velo tamen hac da caussa defensum, concionator capite nudato dicet, ut S. Congregatio Rituum VIII Kalen. Octob. 1837. respondit dub. 4. in *Mutinen*. Clerus etiam sedere poterit sed capite detecto; licet enim SS. Sacramentum inter et concionem sit velum interpositum, manente tamen in throno Hostia divina, expositio non cessat.

32. Praecepta pro sacris sermonibus habendis omittimus tradere; neque enim res huc spectat, et unaquaeque dioecesis ad hoc maximi momenti officium suis regitur legibus ac praeceptis.

DE CELEBRATIONE MISSAE PRIVATAE.

CAPUT XVIII.

1. Sacerdos, qui rem divinam facturus erit, praemissa recitatione saltem Matutini cum Laudibus ac sacra Confessione, si opus ei fuerit, aliquamdiu secedet atque orationi vacabit.

2. Nemo, strictim loquendo, recitare tenetur ant. *Ne reminiscaris*, cum psalmis precibusque in Missali notatis *pro opportunitate Sacerdotis*: aequius tamen videtur orationes ab Ecclesia statutas cuilibet peculiari devotioni anteferre: recitare autem qui velit, advertat ut praedictam antiphonam ex toto recitet ante psalmos in diebus de ritu duplici, adiiciatque *Alleluia* tempore paschali. Numquam tamen omittet recitare protestatio-

nem *Ego volo celebrare Missam* etc. et Sacrificium individualiter applicare cui volet.

3. Post praeparationem Missale accipiet, Missam inspiciet orationesque statutas, signacula suo quaeque loco disponens ne forte errori locus sit, neve cogatur in Altari folia Missalis a vertice ad imum evolvere (*a*).

4. Manus deinde lavabit recitans praescriptam orationem *Da Domine virtutem* etc.

5. Hoc facto vadet ad tabulam, in qua sacra paramenta erunt disposita, et praeparabit Calicem, advertens ut hostia sit integra, rotunda et fragmentis mundata, ut corporale sit penitus reconditum intra bursam, cuius apertura sit ad Celebrantem versa, nec super Calicem fas est ponere sudarium ad abstergendas nares, neu manutergium, aut conspicilla, neve rem aliam quamcumque (*b*).

6. Accedet inde ad paramenta, biretum seorsim, non tamen super illa, aut super Calicem vel Missale deponet: ac si Crucis signo se velit munire, faciat id antequam sumat amictum, numquam vero quum amictum prae manibus tenet.

7. Amictum in extremitate prope chordulas utraque manu accipiet, osculabitur in medio super Crucem, capiti imponet, circumducens manum dexteram super humerum sinistrum atque extendet super caput ipsum, dicens orationem *Impone Domine* etc. Tum recitare pergens orationem eamdem, eum demittet circa collum, collaria cooperiet super imponens ad pectus partem dexteram sinistrae, chordulasque sub humeros reducens, iisque se praecingens, infra pectus utramque coniunget et ad extrema alligabit.

8. Alba se induet vel induetur, quam primo imponet humeris, deinde in manicas dexterum et sinistrum brachium inducet, efficietque ut decore usque ad pedes defluat, sed ita ap-

(*a*) De Altaris, paramentorum, aliarumque rerum quibus ad Sacrum peragendum opus est, praeparatione disserere omittimus, lectoresque ad ea quae a rubricis ac liturgicis scriptoribus praecipiuntur, remittimus.

(*b*) In hostia consecranda oportet ut imago Crucis cum Crucifixo impressa sit. Vide Benedictum XIV. *De Sacrificio Missae* lib. I. cap. 6. n. 5.

tabit sibi ut aeque pendeat et ab humo duos fere digitos absit: orationem interea dicet *Dealba me, Domine* etc.

9. Cingulo, quod ei porriget minister, albam circa lumbos cohibebit, orationemque dicet *Praecinge me, Domine* etc. Mos est plerumque cingulum duplicare, cum lemniscis dextrorsum, quorum pars usque ad terram demittitur, ut ipsa possit stola cohiberi.

10. Manipulum deinde sumptum osculabitur in medio ubi est Crux et brachio sinistro imponet ad ulnam, nempe inter pulsum et cubitum: recitabit orationem *Merear, Domine* etc. Ac minister taeniis manipulum eius alligabit brachio, ut ne excurrat.

11. Stolam ambabus manibus accipiet, osculabitur Crucem in apice, atque utraque manu sibi eam aptabit inter cervicem et humeros ita ut nequeat super planetam aut per humeros effluere, decussatim ante pectus partem dexteram sinistrae superimponet, cohibebit extremo cingulo a lateribus et recitabit orationem *Redde mihi, Domine* etc. (*a*).

12. Postremo induet sibi planetam, quae complicata efficiet ut defluat post tergum, advertens ut circa collum, super humeros et ante pectus sit explanata, quam chordulis in parte interiori ante pectus alligabit, orationem interea dicens *Domine, qui dixisti* etc. (*b*).

13. Sacerdos ita paratus caput bireto operiet, efficiens ut eius angulus compressus auri sinistrae respondeat.

14. Tum sumet Calicem, nodo illius apponens sinistram, dexteram autem extensam superimponens bursae; elatum ante pectus sustinebit, non tamen ipsi applicitum, neque nimis longe

(*a*) Qui Sacerdotes stolam ad tergum reiiciunt, inspiciant rubricam, quae praecipit, ut ea cervici imponatur.

(*b*) Monebimus cum Canon. Ferrigni Pisone lib. I. art. 2. n. 15. « Praedicta indumenta sunt ea tantum quae ad Altare ferenda a Sacerdote sunt, nec probandus videtur mos quorumdam qui sine linteolo numquam ad Altare accedunt, perinde quasi necessaria sit vestis. Attamen quum contingere possit, ut quandoque opus illi sit, curans ut sit mundum et quatenus fieri potest, albi coloris, poterit abdere intra planetam et cingulo cohibere, ut penitus contegatur.

ab ipso; Crucem vel imaginem principem sacrarii, capite cooperto, salutabit et ad Altare procedet.

15. In aditu Ecclesiae fas erit ut aquam benedictam accipiat seque ipsa signet, eo quod ubique gentium id fiat, quamquam rubrica non praecipiat.

16. In accessu ad Altare subsequetur ministrum et incedet cum gravitate, modestia animoque in Deum intento, at ne nimis studiose, praeseferens mentem cogitatione absortam mysterii, quod est celebraturus.

17. Si transeundum erit ante Altare maximum, reverentiam faciet profundam, ac si aderit SS. Sacramentum in tabernaculo seu ciborio reconditum, genu dexterum usque in terram flectet, biretum neque in reverentia sibi detrahens neque in genuflexione.

18. Si alio in Altari SS. Sacramentum asservetur, ac transeundum ante illud sit, genuflexionem efficiet, ut supra.

19. Reverentiam profundam faciet etiam Reliquiis Sancti de quo celebratur officium in Ecclesia, vel aliis Reliquiis insignibus aliqua caussa expositis in Altari, si transiturus sit ante illud. Ad Crucis autem Reliquias expositas, cooperto capite, genu tantum dexterum flectet usque ad terram.

20. Quod si transire debeat ante SS. Sacramentum expositum, quamquam Calicem manibus ferat, genuflexionem duplicem, nempe utroque genu, efficiet, caput deteget, Sacramentum adorabit, rursus operiet caput, assurget et prosequetur iter suum: quod etiam faciet si transibit ante Altare, in quo celebretur Missa et elevetur sacra Hostia neque antea assurget quam Celebrans Calicem post ostensionem in Altari deposuerit: sin ministraretur Communio, non oportet ut genibus flexis maneat usque ad finem; sed genuflexione duplici peracta, assurget ac perget.

21. Quum detegetur caput, biretum non est ponendum super Calicem, sed tradendum ministro, vel sustinendum inter pollicem et indicem, apertura ad pectus conversa, manum oblique bursae imponens, ne quid e Calice decidat.

22. Sacerdos Calicem gestans neminem salutabit, praeter-

quam si proprio Episcopo occurreret, vel aliis magnis Praesulibus, aut cuipiam Principi, quibus praetereuntibus inclinabit caput. Idipsum faciet si in alterum Sacerdotem paratum ad Altare procedentem vel inde redeuntem incideret; Si transitus esset angustus, qui accedit ad Altare locum cedet de Altari redeunti, qui modeste excipiet, nulla mora renuendo interposita (*a*).

23. Ad Altare in quo erit operaturus, subsistet in medio ante infimum gradum, caput nudabit, biretum tradet ministro, reverentiam profundam Cruci, ac si aderit SS. Sacramentum in tabernaculo reconditum, genuflexionem peraget usque ad humum in pavimento, minime vero in infimo gradu.

24. Ascendet ad Altare, Calicem statuet versus cornu Evangelii; utraque manu demittet calicis velum, quod reflexum erit super bursa; bursam a calice amovebit, imponet Altari rectamque sustinebit manu sinistra; dextera autem extrahet corporale, quod in Altare deponet. Manu hinc dextera bursam sumptam locabit versus cornu Evangelii, applicans eam gradui quo insistunt candelabra, vel candelabris ipsis, si gradus deesset: advertet ut bursae apertura sit versus medium Altare, nisi quaedam imago aut sacrum emblema inscriptum sit, quod alium statum requireret. Haec peraget, manu sinistra Altari imposita.

25. Deinde ambabus manibus corporale explicabit in medio Altari, prope frontem ipsius admovens illud ita, ut a fronte Altaris extremitas corporalis spatium digiti absit, idque ad maiorem securitatem, ne Celebrans, quum ad populum convertetur, planeta aut manipulo secum ducat corporale cum Calice.

26. Corporali super Altare extenso, calicem ad nodum sinistra accipiet, et superimponet dexteram: sistet eum in medio corporali, sed ne impedimento sibi sit ad osculandum Altare, atque extendet velum ex parte anteriori, ut calix totus contegatur.

27. Iunctis deinde manibus accedet ad latus Epistolae, aperiet Missale super cussino, vel super legili, ad signaculum quod Missam celebrandam monstrat.

(*a*) Sequenti capite XXIII. huius libri declarabimus quibus Praesulibus Sacerdos celebrans se inclinare debebit. *Principis* autem nomine intelligi volumus qui fungitur imperio.

28. Missali ex ea parte aperto, redibit ad medium Altare iunctis manibus, et quin ibi moretur, reverentiam mediocrem faciet Cruci, faciem vertet versus cornu Epistolae, ac posito pede dextero paullum versus partem Evangelii, ne tergum Cruci convertat, iunctis manibus descendet de gradibus in planum ubi rursus ad Altare convertetur.

29. Ibi faciet Cruci profundam reverentiam, vel genuflexionem simplicem, genu usque ad infimum Altaris gradum submisso, si SS. Sacramentum aderit intra custodiam *(a)*

30. Exordietur Missam se muniens signo Crucis et formulam proferens, recitabit antiphonam *Introibo* et psalmum *Iudica me Deus*. Ad *Gloria Patri* inclinabit caput. Versum autem *Adiutorium nostrum* etc. dicens, iterum se signabit.

31. Confessionem profunde inclinatus recitabit: ad verba *vobis fratres*, et *vos fratres* non se vertet ad ministrum, ut fit in Missis solemnibus. Ter pectus percutiet verba proferens *mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa*, quod faciet sinistram ponens infra pectus, dextera aperta et extensa digitisque simul coniunctis, sine strepitu nec nimis studiose.

32. Profunde inclinatus permanebit ad verba *Misereatur tui*, quae recitabit minister, quibus recitatis, eriget sese; et minister confessionem peraget.

33. Sacerdos dicet *Misereatur vestri* etc. deinde *Indulgentiam* etc. seque signabit.

34. Tum mediocriter inclinatus continuabit versus *Deus tu conversus* etc. usque ad orationem *Aufer a nobis*. Ad *Oremus* ante praedictam orationem extendet et iunget statim manus, non tamen elatas. Notandum hoc loco est quod manuum disiunctio numquam debet latitudinem excedere humerorum.

35. *Oremus*, ut supra docuimus, dicto, eriget sese, iunctis manibus ad Altare ascendet recitans orationem *Aufer a nobis*: ad Altare mediocriter inclinatus manus imponet simul iunctas

(*a*) Celebrans quum genuflectet, nullam faciet reverentiam, quandoquidem in genuflexione etiam reverentia comprehenditur, ut iam cap. I. huius libri notatum est.

extremitati anteriori Altaris ita, ut digiti minimi contingant frontem Altaris, eodemque tempore recitabit alteram orationem *Oramus te Domine* etc. et ad verba *Quorum Reliquiae hic sunt* osculabitur Altare.

36. Porro monemus hoc loco, quod quotiescumque manus iunctae imponendae Altari sint, retinenda est methodus superius tradita: illud etiam notandum, quod quum osculandum erit Altare, osculum figatur semper in medio: quocirca ad vitandas corporis aut capitis contorsiones, caveat Sacerdos ne dum osculaturus sit Altare, nimium proximus illi sit: hac autem actione seiungendae manus, eaeque extensae imponendae Altari sunt extra corporale, dummodo hoc non ita pateret, ut statum hunc efficeret indecorum. Post consecrationem animadvertatur ad manus, vel saltem indices et pollices iunctos intra corporale ponendos.

37. Altare osculatus, quin ullam faciat reverentiam Cruci, iunctis manibus accedet ad cornu Epistolae, absolvens interea recitationem praedictae orationis, quam complendi caussa, non debebit morari in medio Altari postquam osculatus fuerit.

38. In cornu Epistolae, introitum e Missali leget, quem incipiens se Crucis signo muniet. Ad *Gloria Patri* se inclinabit ad Crucem, tum iterabit introitum, non vero signum Crucis.

39. Post introitum redibit ad medium Altare, ac nullam Cruci faciens reverentiam, iunctis semper manibus recitabit *Kyrie* simul cum ministro. Non erit abs re monere, quod si minister non responderet, novies dicendum esset a Celebrante, videlicet ter *Kyrie*, ter *Christe*, terque iterum *Kyrie eleison*.

40. Post ultimum *Kyrie*, si dicendum erit *Gloria in excelsis*, disiunget manus quin eas prius imponat Altari, elevabit usque ad humeros, neque oculos ad Crucem nec sublime attollens, dicet *Gloria in excelsis*, ac proferens verbum *Deo* iterum iunget manus, caput tantum inclinans. Atque heic monendum videtur etiam in posterum, quum opus erit, quod manus non sunt supra humeros elevandae. Prosequetur ibi erectus iunctisque manibus recitare praedictum hymnum usque ad finem, advertens quod inclinandum est caput ad verba *Adoramus te. Gra-*

tias agimus tibi. Jesu Christe. Suscipe deprecationem nostram. Ad verba autem *Cum Sancto Spiritu in gloria Dei Patris. Amen*, se signabit, ac dicto *Amen*, manus extensas imponet Altari, quod osculabitur in medio.

41. Osculatus Altare eriget se, iungens eodem tempore manus ante pectus, se sinistrorsum, seu versus cornu Epistolae, ad populum se convertet, oculis demissis, manus iterum aperiet ante pectus, easque reconiunget dicens simul *Dominus vobiscum*. Opus est autem monere, quod quum hoc modo salutabit populum, aperiens manus non debet excedere humerorum latitudinem; quod palmae manuum debent ad invicem altera ad alteram spectare; quod caput demittendum non est, neque alius gestus faciendus versus populum, nec renibus Altari insistendum.

42. Ubi Altare est ad populum versum, non se convertet ad *Dominus vobiscum*, sed stans ibi postquam osculatus erit Altare, faciet ut supra.

43. Deinde ex eadem parte, nempe super suam sinistram redibit ad Missale, et conversus ad Altare extendet rursus manus et iunget dicens *Oremus* et simplicem inclinationem faciet Cruci: deinde disiunctis statim manibus ad altitudinem latitudinemque humerorum et palmis ad invicem conversis, recitabit orationem. Id fiet quotiescumque dicendum erit *Oremus* ante orationem, nisi aliter praescriptum sit. Porro Sacerdos ne oculos elevet in altum, vel ad Crucem quum dicet *Oremus*; itemque fugiat vitium, commune multis, pronunciandi sillabam O cum expressione nimis exquisita, producendo scilicet ac duplicando vocalem, veluti dicendum esset *Ooremus*.

44. Ad conclusionem orationis dicens *Per Dominum nostrum*, aut *per eumdem Dominum nostrum* iunget manus, et ad verba *Jesum Christum* inclinabit caput Crucem versus, iunctisque manibus orationis conclusionem continuabit. Si in conclusione dicetur *Qui vivis et regnas* aut *Qui tecum vivit et regnat*, quin caput ad Crucem inclinet, manus iunget ad verba *in unitate Spiritus Sancti*.

45. Si plures erunt recitandae orationes, non dicetur *Oremus* ad singulas, sed tantum ante primam quae recitatur sta-

tim post *Dominus vobiscum* quod dicitur post *Gloria* aut post *Kyrie*; iterum dicetur *Oremus* ad alteram orationem, quae primam sequetur.

46. Quum in orationibus aut quacumque alia occasione inter Missam contigerit, ut pronuncietur sanctissimum Iesu nomen, inclinandum erit caput ad Crucem; quum nominabitur Beata Virgo vel Sanctus aut Sancti, de quibus celebretur officium aut fiat commemoratio, inclinatio fiet versus librum: in oratione de Pontifice regnante, quum nomen ipsius proferetur, ad librum itidem caput inclinabitur. In Evangelio autem quum nominabitur Iesus, Celebrans non versus Crucem, ut superius docuimus, sed versus librum inclinabit caput.

47. Atque hic animadvertendum occurrit, quod Caeremoniale Episcoporum lib. 2. cap. 8. § 46 praescribit « quùm proferet nomen Iesu vel Mariae inclinet se, sed profundius quum dicit *Iesus*. »

48. Orationibus, quo modo declaratum est, recitatis, prosequetur lectionem Epistolae, manibus libro aut legili impositis, prouti magis placebit, dummodo manus aliquo modo Missale attingant.

49. Si in Epistola vel in Graduali, Tractu, Evangelio ad aliquod verbum genuflectendum e rubricae praecepto sit, genuflexionem simplicem genu tantum dextero, peraget, manus Altari extensas imponens.

50. Post Epistolam leget Graduale cum iis quae sequuntur. Neque silentio praetereundum videtur, quod quidam Sacerdotes a Septuagesima ad Pascha omittere Graduale solent, ut tempore Paschali praecipitur. Fugiendus est error: siquidem Tractus a Graduali non disiungitur, et recitandum utrumque est.

51. Postquam legerit Epistolam cum iis quae sequuntur, Missale relinquet in Altari apertum ut ad alterum transferatur latus. Iunctis manibus veniet ad medium Altare, ubi oculis ad Crucem elatis statimque demissis, ante pectus non disiungens manus neque apponens Altari, profunde inclinatus recitabit orationem *Munda cor meum* etc. *Iube Domine* (non vero *Domne*) *benedicere*. Tum *Dominus sit* etc.

52. Si ministro non sufficerent vires ad transferendum Missale id fiet a Sacerdote, qui accipiet illud cum legili vel cussino, salutabit Crucem, sistet illud in cornu Evangelii ita ut pars inferior Missalis sit paullum conversa ad latus Epistolae: postea redibit in medium ut dicat *Munda cor meum* etc. et reliqua, ut supra.

53. Hisce dictis orationibus, appropinquabit ad Missale iunctis manibus, facieque ad cornu Evangelii conversa dicet *Dominus vobiscum.* Tum prosequetur *Sequentia* aut *Initium Sancti Evangelii secundum* . . . quae verba proferens disiunget manus, et pollice manus dexterae Crucem signabit in libro ad principium Evangelii, quod lecturus erit, deinde digito eodem Crucem imprimet sibi in fronte, in ore et in pectore, manusque iterum iunget, respondente ministro *Gloria tibi, Domine.* Cruces praedictas pollice dextero peragens advertet ut manus extensa sit non clausa, et palma manus respiciat librum, vel seipsum quum se signabit, ut diximus; sinistram autem ponet extensam super librum, quum librum signabit, pariterque extensam infra pectus quum signabit seipsum.

54. Post haec iunctis manibus leget Evangelium, ac si caput inclinandum sit, librum versus inclinabit semper etiam ad SS. Iesu Nomen, ut superius dictum est. Si genuflectendum erit, faciet quo modo num. 49. declaravimus, advertens ut versus librum, nunquam Crucem versus genuflectat.

55. Evangelii lectione absoluta, Missale utraque manu accipiet, sublevabit aliquantulum, caputque paullum et humeros inclinans, osculabitur ubi primo illud signaverit, dicens secreto *Per Evangelica dicta* etc. Missale deinde in legili vel cussino admovebit aliquantum versus medium Altaris, cavens tamen ne sit supra, sed extra corporale.

56. Postea iunctis manibus ad medium Altare redibit. Si dicendum erit Symbolum, ibi ad primum verbum *Credo*, manus attollet usque ad humeros, disiunget eas, ac statim iunget rursus ad verba *in unum Deum*, et dicens *Deum* inclinabit etiam caput. Perget recitare Symbolum iunctis manibus, et ad ℣. *Et incarnatus* . . . *factus est*, manibus in Altari extra corporale

extensis, genuflexionem dextero tantum genu conficiet, quam lente quidem peraget, non tamen ut genu in suppedaneo sistat; advertet etiam, ne ad verba praedicta caput flectat. Dicens autem *Iesum Christum* ac deinde *Adoratur* inclinabit caput. Ad verba *Et vitam venturi saeculi. Amen,* se signabit ut dictum est superius in fine *Gloria in excelsis.*

57. Completo Symbolo, osculabitur Altare, et ad populum ex sua sinistra conversus, dicet *Dominus vobiscum,* rursus ad Altare conversus dicet *Oremus,* iunctisque manibus leget ℣. Offertorii. Ad *Dominus vobiscum* et ad *Oremus* caeremonias antea descriptas exsequetur.

58. Lecto offertorio, Celebrans ipse velum de calice tollet utraque manu, plicabit expedite aut tradet complicandum ministro; velumque complicatum locabitur dextrorsum extra corporale, non longe autem ab ipso, ut possit super illud poni palla eademque facilius recipiatur.

59. Velo de calice remoto, manuque sinistra super Altare extra corporale, imposita, dextera accipiet calicem supra nodum eumque extra corporale ponet. Eademque manu tollet pallam, quam sistet super velo complicato. Eiusdem manus digitis pollice, indice et medio sumet patenam cum hostia, quam, obviam ferens sinistram, accipiet utraque manu, indicem et pollicem utriusque manus apponens ad crassitiem patenae: eamque sustinebit supra medium corporale ad altitudinem pectoris, sed aliquanto longe ab ipso: reliqui manuum digiti erunt simul iuncti infra patenam, quatenus fieri poterit. Hoc statu, elatis statim sublime oculis, statimque demissis supra hostiam, dicet secreto *Suscipe, Sancte Pater* etc.

60. Post praedictam orationem, sustinens adhuc patenam utraque manu, demittet eam paullum et per ipsam efficiet Crucem in medio corporali. Eamdem patenam flectet versus corporale ex ea parte quae spectat ad Crucem Altaris, ac solerter efficiet ut hostia effluat super partem anteriorem corporalis, nempe fere ad primam eius plicaturam. Deinde patenam usque ad medietatem ponet subtus corporale a dextris suis et fere ad eamdem primam plicaturam. Hoc autem peraget non suspensa manu sinistra, sed imposita super Altare extensa.

61. Iunctis inde manibus veniet in cornu Epistolae, ibique subsistens calicem ad nodum sinistra accipiet, et purificatorio eum dextera absterget. Apponens etiam sinistram ad nodum calicis et purificatorium pollici eiusdem manus ita ut calicis pedem contegat, ne qua gutta vini aut aquae desuper decidat.

62. Tum dextera accipiet ampullam vini, quod in calicem infundet, quantum convenit, ampullamque relinquet. Signum autem Crucis efficiet super ampullam aquae, cui benedicet recitans orationem *Deus qui humanae substantiae* etc. aquae ampullam dextera sumet, et dicens *da nobis per huius aquae et vini mysterium* aliquas guttas infundet ac prosequetur orationem usque ad finem, caput inclinans versus Crucem quum dicet *Iesus Christus*, Postquam aquam in calicem iniecerit, aequum erit ut purificatorio, dextero indici paullum obvoluto, guttas intra calicem separatas abstergat.

63. Sinistra admovebit calicem versus corporale, et purificatorium interea componens, veniet ad medium Altaris; et imposita ipsi manu sinistra, purificatorium dextera locabit in parte patenae detecta, atque ita contegetur corporali et purificatorio.

64. Calicem postea supra nodum dextera sumet, apponetque sinistram ad pedem, ac sustinens utraque manu elatum supra medium corporale ita ut calicis summitas oculos Celebrantis non excedat, dicet orationem *Offerimus tibi Domine* etc. in qua recitanda fixis in altum oculis intuebitur Crucem (*a*).

65. Finita oratione praedicta, calicem aliquantum demittet ac per eum Crucis signum efficiet super partem posteriorem corporalis aut utraque manu, aut dextera tantum, quo casu sinistram extensam Altari imponet: hanc autem efficiens Crucem caveat, ne pede calicis radat hostiam. Sistet calicem super corporale post hostiam, fere ad alteram corporalis plicaturam, et palla cooperiet eum.

66. Dehinc mediocriter inclinatus manibusque super Altare

(*a*) Si Crux Altaris nimis in alto vel nimis in imo posita esset, ita ut oculi attolli nequirent, Sacerdos intuebitur versus coelum cum positione convenienti, iuxta expressionem rubricae « intentis ad Deum oculis ».

iunctis, methodo superius tradita num. 35. et 36. recitabit orationem *In spiritu humilitatis* etc.

67. Qua oratione absoluta, erigens se, manus disiunget easque et oculos sublimes attollet, statimque et manus iterum iungens et oculos demittens, dicens interea *Veni sanctificator* etc. signum Crucis commune efficiet super oblata ad verba *et benedic*, tenens interea sinistram extensam in Altari, iunctisque manibus continuabit reliquam orationem, nempe *hoc sacrificium* etc.

68. Notetur quod, quum efficientur Cruces super oblata, iungendae sunt manus ante pectus, et dextera stare debet recta, scilicet digitus minimus debet esse ad Altare conversus, pollex autem ad vultum Celebrantis, omnibus digitis simul iunctis, non altero ab altero seiunctis. Quando Cruces fient communes super hostiam et calicem, linea recta incipietur ad medietatem pallae et quin deprimatur manus extendetur super hostiam; linea vero transversa fiet inter calicem et hostiam extra pallam et ad eamdem ac prima altitudinem. Quum vero Cruces erunt partiales unicuique oblatorum, faciendae erunt breviores et super rem tantum, quae benedicetur. Non tamen necesse est demittere manum super hostiam et elevare propter calicem, quum liceat, quamquam partiales, ad eamdem illas altitudinem efficere.

69. Benedictis igitur oblatis, ut supra, iunctis manibus et sine ulla reverentia ad Crucem, priusquam discedat de medio Altaris, vadet in cornu Epistolae et conversus ad ministrum, qui aquam ampulla ei ministrabit et supponet pelviculam, lavabit extremos digitos indices et pollices manus utriusque, recitans interea psalmum *Lavabo* etc. Non opus est monere quod manus non super Altari sed extra ipsum sunt lavandae. Digitis lotis, se convertet ad Altare eodem in loco, accipiet sudariolum seu manutergium, quod in promptu erit, et digitos illo absterget, prosequens recitare psalmum praedictum, quem loco stans eodem finiet.

70. Manutergium relinquet in Altari vel tradet ministro; iunctisque manibus dicet *Gloria Patri*, caput ad Crucem vertens, atque ibidem complebit versum *Sicut erat* etc.

71. Veniet ad medium Altare iunctis manibus, ibique oculos attollet ad Crucem sive ad coelum, statimque demissis, imponet manus Altari, ut superius demonstratum est, ac mediocriter inclinatus recitabit orationem *Suscipe, Sancta Trinitas* etc.

72. Hac oratione absoluta, manibus extensis Altari impositis, osculabitur ipsum in medio, iungetque manus, et e sinistra sua convertetur ad populum: voce aliquantum elata inquiet *Orate fratres* expandens simul et colligens manus, ut ad *Dominus vobiscum*: complebit circulum se convertens ad Altare dextrorsum et interim continuabit secreto *ut meum ac vestrum sacrificium* etc. quin unquam versus populum subsistat.

73. Minister respondebit *Suscipiat* etc. qua oratione finita, Celebrans submissa voce adiiciet *Amen*. Si minister responsionem omitteret, ut supra, ipse Celebrans dicet *Suscipiat Dominus sacrificium de manibus meis* etc. secreto.

74. Post dictum *Amen*, ut supra, non praemittens *Oremus* manibusque apertis, quemadmodum de orationibus dictum est, secreto eas recitabit orationes, quae *secreta* dicuntur, quaeque respondent orationibus seu collectis ante Epistolam recitatis. Si una tantum oratio dicta fuerit, complebit conclusione, recitans verba *in unitate Spiritus Sancti Deus* inclusive; sin plures orationes fuerint, concludet omnino primam et ipse sibi respondebit *Amen* secreto; ad conclusionem vero secundae vel secundarum non prosequetur ultra verba superius nominata, nempe *In unitate Spiritus Sancti Deus*.

75. His verbis moram interponens, sinistra volvet signaculum Missalis ad praefationem positum, extensa dextera interea Altari imposita. Aperto Missali ad praefationem signatam, extensam etiam sinistram Altari imponet.

76. Manibus hinc inde in Altari extensis, elata voce dicet *Per omnia secula seculorum* et minister respondebit *Amen*. Mox *Dominus vobiscum*, eodem tum corporis tum manuum statu permanens: Minister autem, *Et cum spiritu tuo*: adiiciet *Sursum corda* et elevabit manus extensas ad altitudinem pectoris, palmis autem manuum ad invicem conversis. Ac responso a mi-

nistro *Habemus ad Dominum*, subdet *Gratias agamus* et manus ante pectus iterum iunget dicens autem *Deo nostro* intuebitur Crucem statimque caput demittet. Minister respondebit *Dignum et iustum est.* Quo responso, manus iterum aperiet ante pectus extensas, et praefationem recitabit. Post eam rursus iunget manus ac mediocriter inclinatus, quin manus Altari imponat, recitabit Trisagium voce tamen paullo submissiori, quam recitaverit praefationem. Ad verba *Benedictus qui venit* etc. sese eriget ac signabit.

77. Post recitatum Trisagium disiunget manus, dexteram imponet Altari et sinistra volvet folium Missalis, quod aperiet ad signaculum Canonis.

78. Tunc manibus oculisque ad Crucem sublatis, statimque demissis, et manibus iunctis super Altare, quo modo iam declaratum est, profunde inclinatus incipiet Canonem, dicens *Te igitur* etc. At priusquam dicat *uti accepta habeas et benedicas*, manus super Altare extendet et osculabitur ipsum: eriget se manus iunget ac triplicem Crucem communem super oblata efficiet dicens *haec* ✠ *dona, haec* ✠ *munera, haec* ✠ *sancta sacrificia illibata*, ac post tertium Crucis signum, manibus non iunctis sed ante pectus apertis continuabit *in primis quae tibi offerimus* etc.

79. Advertatur, quod nominandum est Summi Pontificis atque Episcopi ordinarii nomen; immo opportunum videtur ipsa rubricae verba referre *Ritus celebrandi Missam* cap. VIII. num. 2. « Ubi dicet *una cum famulo tuo Papa nostro N.* ex-
« primit nomen Papae: Sede autem vacante, verba praedicta
« omittuntur. Ubi dicitur et *Antistite nostro N.* specificatur no-
« men Patriarchae, Archiepiscopi, vel Episcopi ordinarii in pro-
« pria Dioecesi, et non alterius Superioris, etiamsi Celebrans
« sit omnino exemptus, vel sub alterius Episcopi iurisdictione.
« Si vero Episcopus ordinarius illius loci, in quo Missa cele-
« bratur, sit vita functus, praedicta verba omittuntur: quae
« etiam omittuntur ab iis, qui Romae celebrant. Si Celebrans
« est Episcopus, Archiepiscopus, vel Patriarcha, omissis prae-
« dictis verbis, eorum loco dicit *Et me indigno servo tuo* ».

Si contigerit, ut Celebrans nesciret aut oblitus esset nomen Episcopi, hoc casu dicet tantum *Antistite nostro,* nihil adiiciens, quum satis sit mentaliter renovare pro eo precandi intentionem.

80. Quum dicet *Memento, Domine* etc. paullum attollet manus lente usque ad summitatem pectoris, simulque iunctas tenebit aut ante eamdem summitatem, aut prope vultum, et capite aliquantum inclinato, clausisque oculis, applicationem renovabit Sacrificii atque orabit pro quibus intendet ac volet orare, sicque stabit brevi temporis spatio, quin precum diuturnitate aut brevitate excedat. Hinc manibus disiunctis erectoque capite, continuabit Canonem ad verba *Et omnium circumstantium* etc.

81. In oratione *Communicantes* simplicem capitis inclinationem faciet quum SS. Virginem nominabit; itemque, si nominabitur quis Sanctus in illa oratione enumeratus, quum officium eius celebrabitur vel commemoratio: ad nomen autem Iesu caput versus Crucem inclinabit. Inspiciet autem quando oratio praedicta propria erit festi et pro octava, ut notatur in Missali.

82. Ad conclusionem huius orationis *Per eumdem Christum* etc. quin caput inclinet, claudet de more manus et ante pectus eas iunget.

83. Alteram deinde incipiet orationem *Hanc igitur oblationem* etc. quam recitans expandet super oblata manus, videlicet disiunget eas ex parte digitorum minorum, easdemque iunctas tenens ex parte pollicum, qui ex parte superiori, non inferiori erunt ad invicem superimpositi, efficiet ut extremitates digitorum pertingant ad mediam pallam, quin tamen eam digitis tangat, atque ita et fiet expansio manuum et tempore eodem praedicta oratio incipietur. Animadvertatur autem quod in octavis Paschae et Pentecostes oratio *Hanc igitur* propria est.

84. Ad conclusionem *Per Christum Dominus nostrum* sine ulla capitis inclinatione manus iterum iunget et referet ante pectus: continuabit *Quam oblationem* usque ad verbum *Benedictam.* quod proferens imponet Altari sinistram tresque efficiet Cruces communes super Oblata primam ad verbum *Benedictam,* alteram ad *Adscriptam* tertiam ad *Ratam*; dicens autem *rationabilem acceptabilemque facere digneris*, ne manum dexteram

ponat super Altare, vel rursus iungat sinistrae, aut suspensam teneat, se disponet ad incipiendam primam ex alteris crucibus, quas erit facturus, manum lente ferens quo loco incipienda est linea recta. Ad verba *Ut nobis Corpus*, unam signabit Crucem super hostiam tantum, et ad alia *Et Sanguis* alteram similem supra Calicem; quumque dicet *fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri Iesu Christi* attollet statim manus et iunget ante pectus, caput inclinans dicens *Iesu Christi.*

85. Pollices et indices extremitate corporalis absterget, si opus fuerit, et dicet *Qui pridie quam pateretur*: hostiam deinde inter pollicem et indicem manus dexterae accipiet, atque ut facilius accipere possit, eam in summitate premet indice aut pollice sinistrae (quod etiam faciet deinceps quum eam accepturus erit) eamdemque statim sumens pollice et indice sinistrae, extendet ac simul iunget reliquos digitos, qui erunt infra hostiam, manusque simul coniunget usque ad pulsum, stabit erectus, hostiamque paullo a corporali elatam sustinebit: haec faciens dicet *Accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas*. Quum dicet *Et elevatis oculis in coelum* attollet oculos ad Crucem aut in coelum statimque demittet: tum dicens *Tibi gratias agens* inclinabit caput: ad verbum autem *Benedixit,* manu sinistra tantum sustinens hostiam, super ipsam Crucis signum dextera efficiet, eaque statim resumpta manu dextera, ut ante dicet *fregit, deditque . . . ex hoc omnes.*

86. Haec ubi dixerit, non vero prius, parti anteriori Altaris cubitis decenter incumbet, caput inclinabit, ac distincte et reverenter, sine ulla capitis aut oris contorsione, nec caput tundens nec vocem efferens, nec violenter efflans super hostiam, verba consecrationis pronunciabit, scilicet *Hoc est enim Corpus meum.*

87. Hostiam tali modo consecratam continuabit iisdem digitis tenere, sese eriget, cubitos de Altari demittet, manus paullum protrahet versus extremitatem anteriorem Altaris intra corporale, genuflexionem simplicem genu dextero efficiet ac SS. Sacramentum adorabit.

88. De genuflexione assurgens, Hostiam sacratam cum gra-

vitate elevabit ita ut possit conspici ab adstantibus, eam semper oculis sequens. Hostia elevabitur linea recta, neque extra corporale: cavebitur ne nimis attollatur, brachiis modo indecenti productis, neu parum elevetur, brachiis nimium curvatis: nec sustinebitur moratim sublimis, nec tam celeriter elevabitur, ut fideles deficiat tempus eam intuendi, nedum adorandi: cavebit etiam Celebrans illam attollens ne super caput suum mittat. Haec omnia servanda etiam sunt in Calicis ostensione.

89. Demittens autem Hostiam super corporale, quum proxima ipsi erit, reponet eam reverenter dextera tantum, ac genuflexionem iterabit.

90. Exinde usque post ablutionem manuum nunquam amplius disiungentur pollices et indices, nisi quum Hostia consecrata tangenda sit; qua de caussa in evolvendis Missalis foliis, pagina, quae evolvenda erit, digitis medio et annulari ad taeniolam folio adhaerentem accipietur. Insuper proderit hic repetere, quod posthac manus corporali semper imponentur, ut superius notatum est, quumque super Altare iunctae esse debebunt, non ponendae sunt in corporali, Hostiam fere tangendo extremis digitis, sed erunt applicandae modo usitato, digiti nempe minimi frontem Altaris contingant.

91. Notandum et illud, quod postquam Hostia posita sit super corporale, non est Calix statim detegendus, quia nondum consecratus est.

92. Itaque genuflexione peracta, Calicem deteget accipiens pallam inter digitos indicem et medium dexterae, ac pedem calicis sinistra sustinens. Rem porro utramque exsequetur quum deinceps Calicem operturus aut detecturus erit.

93. Detecto calice, digitos desuper excutiet leviter, si forte iis fragmentum ullum adhaesisset, eosque absterget sive excutiet non ad marginem sed in medium illius. Id fiet quotiescumque tangetur Hostia, et inter digitos fragmentum aliquod reperiatur, ut docet rubrica: quare id fieri poterit singulis vicibus cautionis caussa, quum non ita facile sit solo tactu novisse an fragmenta ulla digitis adhaeserint.

94. Post haec stans erectus dicet *Simili modo postquam*

caenatum est, utraque manu Calicem supra nodum et infra cuppam accipiet et dicet *Accipiens et hunc praeclarum Calicem,* eumque elevabit paullum super corporale statimque reponet; tum non amovens manus ad verba *Item Tibi gratias agens* inclinabit caput; quum dicet *Benedixit* Crucis signum dextera efficiet super calicem non relinquens eum sinistra, positaque statim dextera supra nodum infra cuppam, sinistra autem sub pede, continuabit *deditque . . . ex eo omnes.*

95. His dictis, insistet cubitis super Altare, calicemque sustinens, ut supra, nec flectens eum ad se nimis studiose, neque os naresque in eum inferens, ac fugiens vitia superius innuta, reverenter, distincte et capite inclinato verba consecrationis pronunciabit *Hic est enim Calix* etc.

96. Prolatis consecrationis verbis, deponet Calicem in Altari, eriget se, dicet secreto *Haec quotiescumque* etc. genuflectet atque adorabit illum. De genuflexione assurgens accipiet Calicem, apponens dexteram supra nodum et sinistram infra pedem oculisque sequens eum elevabit, ut ab adstantibus conspiciatur et adoretur, exsequens in hac ostensione quae de altera demonstravimus: eum deinde eodem loco deponet, dextera recipiet pallam, qua rursus illum cooperiet, iterumque genuflectet.

97. Tum hoc tempore, tum deinceps caveat ne manipulo tangat Hostiam consecratam.

98. Post genuflexionem praedictam erectus, manibusque extensis et apertis ante pectus dicet *Unde et memores* etc.

99. Ad verba *de tuis donis ac datis* rursus iunget manus ante pectus et sinistra corporali imposita, triplex Crucis signum efficiet Hostiae et Calici commune, dicens ad primum *Hostiam* ✠ *puram,* ad alterum *Hostiam* ✠ *sanctam,* ad tertium *Hostiam* ✠ *immaculatam;* faciet postea Crucis signum distinctum super Hostiam, dicens *Panem* ✠ *sanctum vitae aeternae,* alterumque pariter distinctum super Calicem, dicens *Et Calicem* ✠ *salutis perpetuae.*

100. Postea manibus rursus ante pectus extensis, prosequetur *Supra quae propitio* etc. Dicens *supplices Te rogamus* manus iunget, imponetque Altari in margine ipsius non

intra corporale, ac profunde inclinatus recitabit, ut supra, *supplices Te rogamus . . . ut quotquot*; dicens autem *ex hac Altaris participatione*, manus aperiet et Altari imponet intra corporale, Altare osculabitur in medio, non hinc aut inde, erectusque iunget manus inquiens *Sacrosanctum Filii tui*, eas rursus aperiet, sinistram ponet in corporali dexteraque faciet Crucis signum super Hostiam dicens *Cor✠pus*, et alterum super Calicem dicens *et San✠guinem sumpserimus;* demittet manum sinistram infra pectus cavens ne planetam pollice aut indice attingat, tum dextera signabit seipsum dicens *omni benedictione* ✠ *coelesti* et continuabit extensis manibus *et gratia repleamur*: iungetque manus ante pectus dicens *Per eumdem Christum* etc. quin caput inclinet.

101. Perget dicere *Memento etiam, Domine* etc. expandens lente manus ita ut rursus iungantur quum dicet *in somno pacis*. Iunctas manus elevabit usque ad faciem suam vel iunctas ponet ante pectus, oculisque in Hostiam sacratam defixis, brevi orabit pro defunctis, pro quibus velit ac debeat precari.

102. Post defunctorum commemorationem, quae brevis sit oportet, non vero momentanea, aperiet manus, ut antea, et prosequetur *Ipsis, Domine* etc. atque in conclusione *Per eumdem Christum Dominum nostrum* advertet ut manus rursus iunget inclinetque caput etiamsi non dicatur *Iesum*.

103. Sinistram deinde corporali imponet ac manu dextera, videlicet tribus digitis inferioribus extensis pectus leniter percutiet, dicens voce mediocri *Nobis quoque peccatoribus* et secreto manibusque extensis continuabit *famulis tuis* etc.

104. In percutiendo pectore tam ad *Nobis quoque peccatoribus*, quam ad *Agnus Dei* et ad *Domine non sum dignus*, cavebit ne index et pollex tangant planetam. Item advertet, quod ad nomen cuiuslibet Sancti, de quo officium aut commemoratio fiat, si in oratione praedicta notatum erit, caput inclinandum est.

105. Ad conclusionem *Per Christum Dominum nostrum* iunget manus, neque adiiciet *Amen* sed statim prosequetur *Per quem haec omnia, Domine, semper bona creas*, hisque verbis

prolatis manum sinistram imponet Altari dextera autem triplex Crucis signum commune faciet super Hostiam et Calicem, dicens ad primum signum *Sancti✠ficas*, ad alterum *Vivi✠ficas*, ad tertium *Bene✠dicis et praestas nobis*.

106. Post haec deteget Calicem, genuflectet, assurget, Hostiam dextera reverenter accipiet medium inter et imum, ac sinistra tenens Calicem ad nodum, ter ipsa Hostia faciet Crucis signum super Calicem intra circumferentiam cuppae quin ipsum Hostia tangat: primo signo dicet *Per ip✠sum*, altero *Cum ip✠so*, tertio *Et in ip✠so:* tum, quin sinistra relinquat nodum Calicis, duas insuper Cruces super corporali efficiet recta linea a labro anteriore Calicis ad pectus suum, dicens ad primam *Est tibi Deo Patri ✠ omnipotenti*, et ad secundam *In unitate Spiritus ✠ Sancti:* deinde statim referet Hostiam super Calicem, ibique directe sistens dexteram, elevabit Hostiam simul et Calicem dicens *Omnis honor et gloria*. Tum Calicem in Altari et Hostiam, quo loco prius erat, reponet: palla Calicem cooperiet ac genuflectet.

107. Assurget atque impositis Altari manibus dicet elata voce *Per omnia saecula saeculorum*. Minister respondebit *Amen*. Celebrans iunget manus caputque inclinans ad Sacramentum dicet *Oremus*. Mox iunctis manibus erectoque capite prosequetur orationem *Praeceptis salutaribus moniti* etc. Ad *Pater noster* aperiet manus extensas ante pectus, et recitabit orationem illam oculis in Hostiam defixis.

108. Responso a ministro *Sed libera nos a malo*, adiiciet secreto *Amen*. Sinistram imponet corporali, dextera autem de corporali subducet patenam, quam purificatorio absterget. Patena abstersa, purificatorium sistet parvo a corporali intervallo ex dextris suis, manuque dextera patenam accipiet inter digitos medium et indicem, eam verticaliter super Altare sustinebit, eiusque pars superior conversa erit versus corporale seu medium Altaris, et secreto dicet orationem *Libera nos, quaesumus, Domine* etc.

109. Priusquam dicat *Da propitius pacem* attollet manum dexteram cum patena, sinistram ponet infra pectus seque si-

gnabit dicens *Da propitius pacem in diebus nostris* ac patenam osculabitur non in medio sed in extremitate, et aequum esset etiam ut eam non oscularetur in parte illa, super quam transmittenda erit S. Hostia.

110. Continuabit interea orationem illam, et ad verba *Ut ope misericordiae tuae adiuti,* Hostiae patenam supponet, quo actu pollice etiam et indice sinistrae utetur.

111. Calicem dextera deteget, genuflectet et assurget, Hostiam indice et pollice dexterae accipiet, ducet super Calicem et pollicem indicemque sinistrae adiungens, sensim, et solerter ac reverenter eam infringet et mediam dividet recta linea, incipiens a parte superiori, idque peragens dicet *Per eumdem Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum.* Hostia divisa, deponet in media patena partem, quam habebit in manu dextera, alteram retinens partem, quam sinistra sustinebit super Calicem. Deinde eadem dextera ex parte inferiori alterius dimidii, quod retinebit sinistra, dividet exiguam particulam dicens haec tantum verba *Qui tecum vivit et regnat.*

112. Particulam illam divisam tenebit dextera super Calicem, ac sinistra ponet super patenam alteram Hostiae partem cum ea quae iam erit in patena et dicet *in unitate Spiritus Sancti Deus.* Tum sinistra sumet Calicem ad nodum et elata voce dicet *Per omnia saecula saeculorum*; Minister respondebit *Amen.* Ab una ad alteram extremitatem labri Calicis per particulam Hostiae quam tenebit dextera, triplex signum Crucis efficiet dicens alta voce ad primum signum *Pax Domini,* ad alterum *sit semper*, ad tertium *vobiscum.*

113. Responso a ministro *Et cum spiritu tuo,* adiiciet secreto *Haec commixtio* etc. efficiet ut particula in Calicem decidat, et absterget vel excutiet leviter super ipsum digitos utriusque manus, quibus rursus iunctis Calicem iterum palla cooperiet ac genuflectet.

114. Assurget, stabit mediocriter inclinatus ad Sacramentum iunctisque ante pectus manibus, quin insistat Altari, dicet alta voce *Agnus Dei, qui tollis*; statim ponet super corporale sinistram, dextera autem, seu tribus digitis inferioribus

extensis percutiet leviter pectus suum, dicens *Miserere nobis*. Repetet iterum *Agnus Dei . . . miserere nobis*, ac tertia vice dicet *Agnus Dei . . . dona nobis pacem*. Cavebit ne manus rursus iungat postquam dixerit *Miserere nobis* prima vice, neu ponat dexteram super corporale, sed dicens secunda vice *Agnus Dei*, lente movebit dexteram ad repercutiendum pectus, atque ita etiam tertia vice.

115. Postea manibus iterum iunctis et impositis extremitati Altaris non vero super corporali ut iam monuimus num. 35 et 36. recitabit tres orationes ante Communionem praescriptas, oculis in S. Hostiam defixis.

116. Absoluta triplici oratione, manus disiunget atque imponet corporali genuflectet atque assurgens dicet *Panem coelestem accipiam* etc.

117. His verbis prolatis, binas Hostiae partes accipiet quin de patena educat, vel saltem, si educturus erit, id faciet a latere, atque ita, ut nullum fragmentum decidat super Calicis pedem: manu sinistra in hac actione utetur maioris commoditatis caussa: binas Hostiae partes aptabit inter indicem et pollicem sinistrae, ut rectae stent super patenam, et eaedem non sint inter se superimpositae, sed tantum coniunctae ut rotundam servent figuram. Postea patenam dextera accipiet et Hostiae supponet inter indicem et medium digitum sinistrae. Sinistra inter pectus et Calicem erit modice elevata e corporali, et paullum inclinatus, quin Altari brachio sinistro insistat, quin se hinc aut inde vertat, quin Hostiam ostendat omnino, dicet mediocri voce *Domine, non sum dignus,* dextera pectus percutiens et secreto continuans *Ut intres* etc. Id faciet etiam iterum ac tertio. Proferens verba *Ut intres* poterit applicare dexteram pectori vel lente eam movere ad iterandam pectoris percussionem.

118. Deinde erectus, inter pollicem et indicem dexterae accipiet utramque partem Hostiae versus extremitates, coniunget eas partem dexteram supponens sinistrae, seipsum Hostia signabit, advertens ut Crucis signum faciat perpendiculariter super patenam ne in transversa Crucis parte excedat limites

patenae ipsius, neu tam sublime elevet eam supra caput, ut a circumstantibus conspiciatur.

119. Posteaquam se signaverit, cubitis, convenienter insistet Altari, inclinabitur, ac tali modo perstans, patenam Hostiae supponens, reverenter communicabit.

120. Hostia consummata, patenam deponet super corporale, eriget se, manus iunget, pollicibus indicibusque iunctis ante faciem, et *in meditatione Sanctissimi Sacramenti* brevissimo temporis spatio permanebit.

121. Post brevem meditationem, aperiens iterum manus, dicet submissa voce *Quid retribuam Domino pro omnibus quae retribuit mihi?* calicemque interea deteget ac genuflectet. Dextera accipiet patenam, et fragmenta, si forte essent, in corporali colliget, illud sinistra modice elevans, advertens ut hanc rem diligenter et attente, sed sine nimio studio vel alio vitio exsequatur.

122. Fragmentis collectis, quin Calicem inde moveat, ducet patenam super illum, patenam ipsam transmittet sinistrae, quae illam accipiet indice et medio, sed prope locum quo eam sustinebat dextera, tum pollice et indice dexterae absterget patenam, seu mittet fragmenta in Calicem, deinde extremitates digitorum indicis et pollicis super Calicem, non vero super marginem, exterget.

123. Post haec manum sinistram cum patena ponet in corporali, accipiet Calicem manu dextera seu tribus digitis liberis infra nodum dicetque *Calicem salutaris . . . salvus ero*: Calicem recta elevabit ita ut summitas eius perveniat ad frontem, eoque signum Crucis efficiet, ut de Hostia monuimus, dicens, *Sanguis Domini nostri* etc. Quum se signaverit, sustollet patenam sub Calicem fere ad mentum, erectusque sumet reverenter Calicem cum particula iam in ipsum demissa, advertens quod aequius est Calicem labiis applicitum continere, quam amovere et referre saepius.

124. Calice sumpto, sinistram cum patena imponet corporali; ac perstans in eodem medio Altaris, Calicem statim obiiciet ministro, qui vinum pro purificatione in illum infundet;

Sacerdos interim dicet orationem *Quod ore sumpsimus* etc. eamque etiam accipiet quo modo consummavit Calicem. Animadvertendum est, quod purificatio ex eadem parte, qua iam consumpta fuit species consecrata, sumenda est, quodque vini quantitas aequetur quantitati consecratae, ac si minori esset copia, agitandus leviter et concinne Calix erit, ut vinum, quod in purificatione infusum, erit, partes antea a Sacramento tactas, circumfluat.

125. Si particula adhaesisset Calici, licebit eam indice dexterae prope labrum adducere, vel sumere cum purificatione.

126. Post sumptam purificationem, Calicem et patenam sistet in corporali, scilicet patenam statuet post Calicem, Calicem autem in anteriori Altaris parte, quam actionem exsequetur uno eodemque tempore. Notandum, quod patena, corporali imposita, non est cooperienda palla, sed detecta relinquenda.

127. Dehinc imponet cuppae digitos indices et pollices manus utriusque, ac reliquis tribus digitis inferioribus ambarum manuum complectetur Calicis cuppam, et vadens in cornu Epistolae accipiet ablutionem, sustinens Calicem intra mensam Altaris, non extra; interea dicet orationem *Corpus tuum Domine* etc. Monemus ad hanc ablutionem, quod non modo extremos pollices et indices abluendi sunt, sed totus etiam digitus, qui S. Hostiam tetigerit, itemque si quis alius digitus tetigerit illam, pari modo lavandus.

128. Ablutione peracta, calicem deferet prope corporale, non supra ipsum; purificatorium capiet indice et pollice manus dexterae, quam imponet pollici et indici sinistrae, digitos prius super Calicem leviter excutiens. Purificatorio utraque manu sumpto, veniet ad medium Altare digitos purificatos extergens.

129. Digitos posthac iunctos non amplius tenebit, sicut fecerit a consecratione hactenus; calicem dextera accipiet ad nodum, purificatorium mento supponet sinistra eodem modo quo antea patenam, et sumet ablutionem.

130. Calicem extra corporale versu cornu Evangelii deponet, purificatorio exterget labia, accipiet calicem sinistra ad nodum, ac dextera illum absterget purificatorio eodem.

131. Abstersum, ut supra, calicem sinistra statuet extra corporale, purificatorium super eum extendet, patenam, deinde pallam superimponet; utraque manu complicabit corporale, bursam sinistra accipiet et rectam sustinens in Altari sinistraque eam paullum comprimens, ut facilius aperiatur, corporale in illam dextera inducet, ipsamque relinquet in plano Altaris: velum sumet dextera, explicabit etiam manu sinistra, atque utraque manu calicem ipso cooperiet: super calicem bursam imponet ita ut eius apertura sit ad pectus Sacerdotis conversa, calicemque hoc modo coopertum sistet in medio Altari, ut ex parte anteriori penitus cooperiatur.

132. Ita disposito in medio Altari calice, vadet in cornu Epistolae, iunctisque manibus e Missali leget ℣. *Communio*.

133. Si minister transferendo Missali par non esset, faciet ipse per se Celebrans, ut de Evangelio paullo ante locuti sumus; advertet autem, quod transiens ante Crucem, reverentia est illi facienda.

134. Recitato ℣. *Communio*, redibit in medium Altare, osculabitur illud, se convertet ad populum super sinistram suam, dicet *Dominus vobiscum* et statim ad Missale revertetur, ubi dicet *Oremus* atque orationes recitabit, ut principio Missae, ritum servans ibi descriptum.

135. Oratione, sive orationibus cum sua conclusione recitatis, Missale dextera claudet, advertens ut libri apertura spectet ad medium Altaris.

136. Si aliud Evangelium e Missali erit legendum, relinquet illud apertum.

137. Iunctis inde manibus ad medium Altaris redibit, se convertet ad populum super sinistram, dicet *Dominus vobiscum,* postea iunctis manibus *Ite, Missa est.* Si dicendum erit *Benedicamus Domino,* dicet id post *Dominus vobiscum* et rursus super sinistram ad Altare conversus. Dicto igitur *Ite Missa est,* a sinistris suis convertetur ad Altare, in quo impositis manibus iunctis, regula iam tradita, capite inclinato recitabit orationem *Placeat tibi* etc.

138. Postea manibus disiunctis et Altari impositis, oscula-

bitur illud in medio: tum erigens sese, elevabit oculos et manus ad Crucem, vel ad coelum, expandet et rursus iunget manus ante pectus, inclinabit caput et dicet *Benedicat vos omnipotens Deus,* se convertet super sinistram ad populum oculis demissis, ponet sinistram extensam infra pectus, dexterâ signum benedicentis populo faciet, dicens *Pater et Filius et Spiritus Sanctus:* advertet haec faciens, ut rectam teneat dexteram et Crucis signum super populum efficiat eodem modo, quo seipsum signat.

139. Manus iunget statim, se convertet ad dexteram versus cornu Evangelii, ubi recitabit S. Ioannis Evangelium *In principio* etc. vel Evangelium aliud, iuxta rubricas. Dicet igitur *Dominus vobiscum,* ac sinistram imponet Missali, si illuc translatum erit, pollice autem dextero, tenens apertam reliquam manum, signum Crucis signabit in principio Evangelii, tum signabit seipsum in fronte, in ore et in pectore eodem pollice, dicens *Sequentia Sancti Evangelii* etc.

140. At si recitandum erit S. Ioannis Evangelium, sinistram extensam imponet Altari, et pollice dextero Crucis signum in ipso Altari efficiet, deinde in fronte, in ore et in pectore seipsum signans dicet *Initium Sancti Evangelii secumdum Ioannem;* dicens autem *Et Verbum caro factum est,* genuflectet versus idem Evangelii cornu, ad quod erit conversus.

141. Si aliud Evangelium e Missali legerit, non osculabitur textum, et postquam legere desierit, manu dextera librum claudet.

142. Dicto a ministro *Deo gratias,* redibit ad medium Altaris iunctis manibus, partem anteriorem veli Calicis reflectet super bursam, Calicem ad nodum sinistra accipiet, extensam dexteram imponet bursae, ac sine ulla ad Crucem reverentia, se cenvertet, descendet de Altaris gradibus, ut in principio Missae, reverentiam profundam ad Altare efficiet, ac si adesset SS. Sacrementum intra custodiam, genu dexterum flectet usque ad terram, quo in casu, nullam aliam inclinationem peraget; caput cooperiet, et ministrum praeeuntem sequens, gradum referet ad sacrarium.

143. Discedens ex Altari recitabit antiphonam *Trium puerorum,* quae duplicabitur in officiis de ritu duplici, et paschali

tempore adiungetur *Alleluia*, deinde canticum *Benedicite* et psalmum *Laudate Dominum in Sanctis eius* etc.

144. Ingressus in sacrarium, capite cooperto reverentiam profundam efficiet Cruci vel imagini primariae, perget ad tabulam, seu mensam ubi paramentis indutus fuerit, ibique deponet calicem, ac biretum; tum adiuvante ministro, planetam demittet ac stolam, cuius in summitate Crucem osculabitur, tum manipulum, et osculabitur eius Crucem in summitate, deinde cingulum et albam, detrahens eam prius e manica sinistra, tum e capite, ad ultimum e manica dextera: postremo deponet amictum, cuius etiam Crucem in medio acu pictam osculabitur.

145. Demum secedet ad gratiarum actionem Deo pro beneficio accepto peragendam.

DE CELEBRATIONE MISSAE PRIVATAE PRO DEFUNCTIS.

CAPUT. XIX.

1. Quod spectat ad Missam privatam de requie, nulla in precibus et psalmis praeparationis facienda est immutatio, si Celebrans haec velit recitare, quum penes eum sit recitare aut omittere, prouti capite precedenti num 2. declaratum est.

2. Paramenta, quibus induetur, videlicet amictum, manipulum et stolam non praetermittet osculari.

3. Quoad Missam, ritum iam descriptum servabit, exceptis iis quae sequuntur.

4. In Confessione omittetur psalmus *Iudica me, Deus* cum *Gloria Patri;* sed recitata antiphona *Introibo ad Altare Dei*, adiicietur statim ℣. *Adiutorium nostrum* etc.

5. Incipiens introitum Celebrans non signabit seipsum, sed manu sinistra Altari imposita, signum Crucis versus librum dextera efficiet, dicens *Requiem aeternam* etc.

6. Hymnus *Gloria in excelsis* omittetur.

7. Antequam legat Evangelium, recitabit tantum *Munda cor meum* etc. omittens benedictionem petere *Iube, Domine,* etc. *Dominus sit* etc.

8. Lecto Evangelio non osculabitur Missale, nec dicet *Per evangelica dicta* etc.

9. Aquam non benedicet, sive omittet Crucis signum super aquam, antequam eam in Calicem infundat, orationem quidem recitabit *Deus, qui humanae substantiae* etc.

10. In fine psalmi *Lavabo inter innocentes* etc. nec *Gloria Patri* dicet, nec ℣. *Requiem aeternam.*

11. *Agnus Dei* recitabit manibus iunctis, non vero Altari impositis: pro *Miserere nobis* dicet bis *Dona eis requiem,* tertia autem vice pro *Dona nobis pacem* dicet *Dona eis requiem sempiternam.*

12. Prima oratio *Domine Iesu Christe, qui dixisti* etc. ante Communionem omittetur, ac reliquae duae tantum recitabuntur.

13. Sub Missae finem pro *Ite Missa est* dicet *Requiescant in pace* conversus tamen ad Altare, ut capite praecedenti numero 137 ad *Benedicamus Domino* innutum est.

14. Post orationem *Placeat tibi, sancta Trinitas* etc. non impertietur benedictionem, sed Altare osculatus, transibit in cornu Evangelii recitatum S. Ioannis Evangelium, quod in fine huius Missae recitabitur semper.

15. Porro notandum est, quod introitus, graduale, tractus versus offertorii et *Communio* nec non *Requiescant in pace* in fine plurali semper numero dicenda sunt, etiamsi pro uno tantum vita functo Missa celebretur et applicetur.

16. Sequentia *Dies irae* recitanda est, quum una tantum oratio in Missa dicitur: si plures recitabuntur orationes, illam dicere aut omittere penes Celebrantem est.

17. Missa pro vita functis celebrari potest quibus diebus non celebratur officium de ritu duplici: excipiuntur ab hac regula Dominicae, octava Epiphaniae, feria IV. Cinerum, Hebdomada maior, octava Paschae, vigilia et octava Pentecostes, octava de Christi Corpore, vigilia S. Natalis cum octava, qummque erit expositum SS. Sacramentum.

MONITA PRO MISSA PRIVATA QUIBUSDAM ANNI DIEBUS.

CAPUT XX.

1. In ferialibus Quadragesimae Missis, quibusdam diebus in fine Tractus recitatur ℣. *Adiuva nos Deus salutaris noster.* Haec dicens Celebrans manus extensas Altari imponet, et genu tantum dexterum flectet.

2. In Missis feriae quartae et sabbati quatuor temporum exceptis illis de Pentecoste, dicitur *Flectamus genua* post *Oremus* ante orationes quae lectiones praecedunt. Celebrans postquam dixerit *Oremus*, ut supra indicatum est, manus extensas Altari imponet, genuflexionem efficiet genu dextero tantum, dicet *Flectamus genua*, et responso a ministro *Levate*, assurget, manibusque apertis orationes praescriptas leget ante lectiones superius nominatas. Hoc ipsum faciet quatuor temporibus Pentecostes relate ad *Oremus* et orationes, ante quas omittet *Flectamus genua,* ut dictum est, temporis paschalis caussa, in quod incidunt.

3. In Quadragesima, quum celebratur Missa de feria, post orationes *Postcommunio*, altera est praescripta *super populum.* Quocirca posteaquam Celebrans recitaverit primam orationem cum conclusione, deinde reliquas duas et insuper cum conclusione ipsarum, aperiet manus et iunget dicens *Oremus* eodem modo ac supra, stabit iunctis manibus, et capite inclinato versus librum dicet *Humiliate capita vestra Deo,* et rursus manibus ante pectus apertis dicet orationem, quam cum conclusione absolvet (*a*).

(*a*) Referre iuvat verba rubricae Rit. Celebr. Missam tit. XI. num. 2. « In Quadragesima autem a feria IV. Cinerum usque ad feriam IV maioris hebdomadae, in feriali officio postquam Celebrans dixit orationes post Communionem cum suis solitis conclusionibus, antequam dicat *Dominus vobiscum*, stans in eodem loco ante librum dicit, *Oremus*, *Humiliate capita Vestra Deo*, caput inclinans et extensis manibus subiungit eadem voce *Orationem super populum* ibidem positam: qua finita etc. »

4. Quod attinet ad genuflexiones tempore Epistolae aut Evangelii peragendas, siquando genuflexio praescribitur, id servabitur quod capite XVIII. num. 49. et 54 libri huius descriptum fuit.

5. In maiori Hebdomada quum legenda erit Passio, non praemittet *Munda cor meum* etc. nec *Iube Domine* etc. nec *Dominus sit* etc. item omittet *Dominus vobiscum*, antequam illam incipiat, nec librum signabit nec seipsum pollice dextero, sed manibus iunctis absolute incipiet *Passio Domini nostri* etc. Ad narrationem mortis Redemptoris, ubi notabit rubrica, utrumque genu submittet versus librum, qui situs erit ut ad Evangelium, et genibus flexis parumper manebit mortem meditans I. C. Passionis lectione absoluta, veniet ad medium Altare, dicet *Munda cor meum* etc. *Iube Domine*, etc. *Dominus sit* etc. ad Missale postea redibit et iunctis manibus, nec librum nec seipsum signans, ultimam partem Passionis leget, qua finita, respondebitur a ministro *Laus tibi, Christe*, Sacerdos autem librum osculabitur ad principium ultimae partis Passionis, dicens *Per evangelica dicta* etc.

6. In tribus Missis de Nativitate Domini advertetur ut in Altari sit in promptu vasculum aquae ad purificandos Celebrantis digitos, et praeparata sit etiam capsula cum hostiis pro reliquis Missis. Postquam in prima Missa SS. Sanguinem Christi sumpserit, Calicem palla cooperiet, iunctisque manibus dicet orationem *Quod ore sumpsimus* etc. Deinde purificabit digitos in vasculo vitreo ibi praeparato et alteram recitabit orationem *Corpus tuum Domine* etc. tum digitos purificatorio exterget, quod complicatum sistet prope corporale. Deinde patenam pallae, hostiam patenae superimponet, calicemque cooperiet velo et ad Missale accedet ad legendum ℣. *Communio* et Missam prosequetur. Idipsum servabit etiam in secunda Missa. In tertia autem purificationem ablutionemque accipiet, ut superius innuimus. Quod ad secundam et tertiam Missam spectat, lecto ℣. Offertorii, Calicem deteget, removebit paullum de medio, relinquens ipsum a dextris suis et hostiae oblationem faciet. Veniet postea in cornu Epistolae, et calicem detectum sinistra accipiet, vinum

et aquam in eum infundet, ut praescribitur, non vero deponet eum in Altari, sed elevatum sinistra sustinebit. Postquam vinum et aquam infuderit, eum purificatorio non exterget, sed si qua gutta interioribus eius partibus adhaesisset, calicem leviter agitabit, ut guttae illae cum vino misceantur, tum calicem reponet super pallam vel super corporale, ut antea, et in medium redibit ad peragendam calicis oblationem. Denique vel transiens ante Altare, vel Missas incipiens, nullam faciet genuflexionem, etiamsi post primam et alteram Missam superesse in calice possit perparvum aliquod residuum specierum vini consecrati. Tunc tantum genuflectet, antequam exordiatur secundam et tertiam Missam, si in Altari asservabitur SS. Sacramentum intra tabernaculum.

7. Si vigilia Nativitatis Domini in Dominicam incideret, praeter commemorationem Dominicae propriam, omittitur tractus et recitatur Graduale; item in Missa de SS. Innocentibus et in aliis.

8. Quum Sacerdotis sit Missale praeparare ac disponere priusquam lavet manus et paramenta sibi induat, omittimus huius rei monere, siquidem non est dubitationi locus, quin omni utatur attentione ac diligentia. Cetera silentio praeterimus, quae vel facilia scitu sunt, vel aliunde disci possunt.

DE MISSA PRIVATA ANTE SS. SACRAMENTUM EXPOSITUM.

CAPUT XXI.

1. Profecto in Altari, in quo palam expositum est SS. Sacramentum, Missa, ex antiquissima Ecclesiae disciplina, nunquam esset celebranda, quod vetat etiam Caeremoniale Episcoporum lib. 1. cap. 12. num. 9. Si qua tamen de caussa celebranda esset, ritus, quem descripturi sumus, servabitur.

2. Celebrans ubi venerit ante Altare, in plano deteget ca-

put ac bireto ministro tradito, genuflectet in pavimento utroque genu. Ad Altare ascendet et in eo deponet calicem, ut superius notatum est, genuflexionem uno tantum genu iterabit, manibus extensis Altari insistens, quod faciet etiam deinceps quotiescumque genuflectendum erit. Calicem in medio Altari disponet, genuflectet rursus, accedet ad legile et Missale aperiet: redibit ad medium Altare, genuflectet, recedet solito magis ad latus Evangelii, de Altari descendet, et facta uno genu in plano genuflexione, Missam exordietur.

3. Post Confessionem ad Altare ascendet, et in suppedaneo facta genuflexione, dicet orationem *Oramus te, Domine* etc. osculabitur Altare, genuflexionem iterabit, et ad legendum introitum ad Missale accedet.

4. Quin ceteras genuflexiones omnes deinceps faciendas describendo teramus tempus, regulam generalem hanc statuemus: quotiescumque de medio Altari transiturus erit ad latus alterutrum, genuflexionem efficiet, quod etiam faciet quum in medium ex alterutro latere redibit. Notandum autem, quod quum erit in medio, prius Altare osculabitur vel aliam peraget actionem praescriptam, postea genuflectet, hoc enim sit oportet ultimum, quod fiat: quum vero e lateribus redibit in medium, prius genuflectet, postea deosculabitur Altare vel aliud peraget. Tantum ad *Munda cor meum* et ad alteram orationem *Suscipe Sancta Trinitas* statim ac venerit in medium, genuflectet et orationes praedictas recitabit.

5. Quum dicturus erit *Dominus vobiscum*, convertet humeros versus cornu Evangelii, et aliquantum conversus ad populum, salutationem, quam diximus, faciet.

6. Ad manus lavandas descendet de suppedaneo in cornu Epistolae se convertet ad sinistram suam, et facie ad populum versa, ut dextrorsum habeat Altare, manus abluet, exterget atque in medium redibit.

7. Ad *Orate fratres* se geret ut ad *Dominus vobiscum* et circulum non conficiet.

8. Ablutionis caussa non est necesse ut discedat de medio Altari, sed paullum conversus ad ministrum, calicem ponet

extra corporale in cornu Epistolae Altaris, ablutionem accipiet ac digitos exterget.

9. Ad *Dominus vobiscum* cum *Ite Missa est* se geret ut supra ad *Dominus vobiscum.*

10. Postquam dixerit orationem *Placeat tibi* etc. osculabitur Altare, dicet *Benedicat vos omnipotens Deus* et pro inclinatione solita efficiet genuflexionem et conversus ad populum, ut ad *Dominus vobiscum* benedictionem donabit quin circulum compleat. Deinde sine genuflexione super sinistram suam se convertet ad Altare, dicet *Dominus vobiscum*, signabit Altare, atque ultimum Evangelium recitabit. Ad *Verbum caro* genuflectet paullum versus SS. Sacramentum. Idipsum faciet in primo Evangelio, si genuflectendum esset (*a*).

11. Ad *Flectamus genua* in Missis ferialibus genuflectet versus librum.

12. Sacro peracto, redibit in medium, genuflectet, Calicem accipiet, de Altari descendet modo superius tradito, genuflexionem utroque genu efficiet, assurget, biretum a Ministro recipiet, et capite operto ad Sacrarium redibit.

13. Si iam in Altari paratus esset Calix quum Sacerdos celebraturus accedet, itemque si Calix a Ministro de Altari asportaretur ante Missae finem, tunc Celebrans nudabit caput quum in conspectum Altaris devenerit, discedens autem de Altari cooperiet caput quum extra conspectum SS. Sacramenti fuerit.

(*a*) Celebrantem, ut in principio Evangelii S. Ioannis sub finem Missae signet Altare, hac paragrapho monuimus. Id videri forte poterit contra rubricam in Missali appositam ad feriam V. in Coena Domini, quae vetat Celebrantem signare Altare, quod ipsum repetitur in Caeremoniali Episcoporum. Opus est tamen animadvertere, quod haec dispositio sancita est SS. Sacramenti caussa, quod super mensa Altaris manet expositum: quocirca in casu nostro quum expositum in Altari quidem maneat sed extra mensam, non esse locus illi rubricae videtur, ideoque Celebrans Altare debere ritu usitato signare.

DE QUIBUSDAM REBUS IN PARAGRAPHIS PRAECEDENTIBUS INNUTIS EPILOGUS

Aliaeque de Missa privata animadversiones.

CAPUT XXII.

1. Sacerdos iunctis manibus dicet *Confessionem, Introitum, Kyrie, Gloria, Evangelium, Credo, Offertorium, Praeceptis salutaribus moniti, Communio, Ite Missa est*, vel *Benedicamus Domino*, aut *Requiescant in pace*; *ultimum Evangelium*, ac generatim reliquum Missae, nisi aliter praescribatur.

2. Profunde inclinatus recitabit *Confiteor, Munda cor meum, Te igitur, Supplices te rogamus.* Alias stabit mediocriter inclinatus.

3. Reverentiam profundam efficiet *veniens* ad Altare, ad Altaris pedes *antequam exordiatur* Missam, *discedens* de Altari, modo non adsit SS. Sacramentum. Adde alteras ad Crucem vel ad imaginem sacrarii in discessu et reditu, et in transeundo ante Altare maximum, nisi SS. Sacramentum ibi asservetur.

4. Voce mediocri, seu submissiori quam cetera, quae elata dicet, recitabit *Orate fratres, Sanctus* ex toto, *Nobis quoque peccatoribus* et *Domine non sum dignus.*

5. Stabit inclinatus ante Altare quin manus super illud imponat, quum dicendum erit *Munda cor meum, Sanctus* et *Agnus Dei.* Alias manus Altari imponet.

6. Intuebitur Crucem, sive oculos in coelum intendet versus Crucem, ad *Munda cor meum*, ad *Suscipe, Sancte Pater*, ad totam orationem *Offerimus tibi Domine* ad *Veni sanctificator*, ad *Suscipe Sancta Trinitas*, ad *Deo nostro* post *Gratias agamus*, ad *Te igitur*, ad *Elevatis oculis*, ad *Benedicat vos.*

7. Quae sequuntur animadversiones seu monita, ad commoditatem praesertim Sacerdotum recens ordinatorum, adiicimus.

8. Hymnus *Gloria in excelsis* tum dicitur, quum in Matutino recitatum est *Te Deum.* Excipiuntur ab hac regula Missae solemnes de feria V. in Coena Domini et de Sabbato sancto, in quibus dicitur *Gloria*, etiamsi *Te Deum* in officio omittatur.

9. *Gloria in excelsis* omittitur in omnibus Missis votivis privatis, quocumque demum tempore celebrentur, excepta Missa Angelorum, et altera Beatae Virginis, si celebretur in sabbato.

10. In festis de ritu duplici dicitur una tantum oratio nisi tamen commemoratio aliqua sit facienda. In semiduplicibus est secunda et tertia oratio, quae variant pro temporum qualitate: quare de his conferatur rubrica generalis Missalis ad titulos *de commemorationibus* et *de orationibus*. Monendum etiam videtur, quod quum rubrica praescribit tertiam orationem *ad libitum*, minime intelligendum est penes Sacerdotem esse dicere vel omittere, sed in arbitrio eius esse unam ad libitum eligere, quae tertia tamen sit. Si qua vero fiet commemoratio, omittetur tertia oratio ad libitum, secundo loco ponetur commemoratio, ac tertio oratio illa quae secundo loco esset dicenda, quamvis de Spiritu Sancto aut de Beata Virgine esset. Si duae faciendae erunt commemorationes, omittetur etiam secunda, ac si plures commemorationes erunt recitandae, recitabuntur, licet non possit servari numerus trium orationum. In Missa Sanctorum de ritu simplici, et in feriis inter annum dicentur tres, aut quinque, aut etiam septem orationes. Commemoratio pro defunctis penultimo semper loco dicetur.

11. Relate ad orationes pro publicis necessitatibus ab Ordinario praescriptas, monemus quod ultimo semper loco sunt dicendae post omnes orationes a rubrica praescriptas, quodque recitandae sunt etiam in ecclesiis a iurisdictione Episcopi exemptis, et ab ecclesiasticis tum secularis, tum regularis ordinis exemptis et ipsis ab eius iurisdictione. Notandum tamen, quod si oratio indicta erit *pro re gravi*, recitanda est in duplicibus primae classis *sub unica conclusione*, in duplicibus secundae classis *sub sua conclusione*. Nisi *pro re gravi* sit, omittetur

in duplicibus primae classis, in duplicibus autem secundae classis penes Sacerdotem erit in Missis privatis eam dicere aut omittere.

12. *Credo* dicitur in omnibus festis Dominicis, Beatae Virginis, Angelorum, Apostolorum, Doctorum S. Ecclesiae, in festo S. Mariae Magdalenae (XXII. Iulii) in anniversario Dedicationis Ecclesiarum: recitatur inter Octavas de illis festis, quibus praescribitur *Credo*, etiamsi alius Sancti celebretur officium, cui non assignetur: recitatur in omnibus Dominicis, licet non celebretur officium cum Missa de Dominica. Si festum S. Marci incidet in Dominicam, in Missa Litaniarum, quoniam est ferialis, omittetur *Credo*. Recitatur etiam in festis de Sanctis Patronis primariis, sive in festo de Sanctis Titularibus seu Patronis in relativis Ecclesiis: hoc autem casu recitatio Symboli est localis, quia limitata ad unam Ecclesiam: limitatur etiam Ecclesiis illis in quibus asservantur Reliquiae insignes aut corpus alicuius Sancti, cuius officium excludit recitationem *Credo*. Omittitur in festis Sanctorum Martyrum, Confessorum, Virginum ac Viduarum, cum exceptione paullo ante declarata de Titulis nempe ac de Reliquiis insignibus. Non erit abs re notare, quod sub Reliquiarum insignium nomine veniunt caput brachium, crus; si vero sit Martyr, ea corporis pars, in qua martyrium passus fuit, modo Reliquiae istae sint integrae, non autem pars earum, atque ab Ordinario declaratae sint tales.

DE MISSA PRIVATA
ANTE PRAESULES MAIORES CELEBRATA.

CAPUT XXIII.

1. Praemonendum est, quod sub Praesulum maiorum denominatione comprehenduntur Eminentissimi Cardinales S. Ecclesiae Romanae ubicumque sint, Patriarchae et Archiepiscopi in sua provincia; Episcopi in dioecesi propria; Nuncii seu Legati Apostolici in regionibus, eorum Nunciaturae seu Legationi subiectis.

2. Ante Altare, ubi Sacro intererunt, praeparabitur faldistorium cum pulvillis, vel genuflexorium strato et pulvillis convenientibus cooperto. Si plures Praelati erunt, qui pari modo excipiendi sint, statuetur genuflexorium capax omnium, instructum strato et cum pulvillis sub genibus et brachiis singulorum.

3. Super abaco, vel alio decenti loco, in promptu erit instrumentum pacis, cui appensum erit velum sericum concolor paramentorum. Animadvertatur autem, quod malus est usus pro instrumento praedicto uti patena.

4. Celebrans ad Altare accedet paullulo ante, quam superveniat Praelatus: calicem praeparabit in medio, Missale aperiet, deinde e latere Evangelii descendet de Altari, animadvertens ut se convertat super sinistram suam dum descendet, quumque in planum devenerit, manebit ibi facie versus cornu Epistolae conversa. Minister autem, ut assolet, a sinistris Celebrantis abgeniculabitur.

5. Posteaquam Praesul venerit ad genuflexorium seu faldistorium, Celebrans profunda eum reverentia salutabit, quumque signum ab eo factum erit ut Sacrum exordiatur, inclinationem ad illum profundam iterabit, et loco permanens eodem, efficiet ad Crucem reverentiam profundam, vel, si in Altari illo asservabitur SS. Sacramentum, genuflexionem; ac paullum ad Altare conversus Missam inchoabit.

6. Si Praelatus paullo ante, quam Celebrans, adveniret, seu postquam celebrasset, vellet alteri Missae interesse, Celebrans, hoc casu veniens ante Altare, salutabit illum in medio; postea reverentiam vel genuflexionem, ut supra dictum est, ad Altare efficiet, suppedaneum conscendet, calicem et reliqua disponet, Missale aperiet, descendet inde, quemadmodum iam innutum est, et Sacrum exordietur.

7. Recitans *Confiteor* loco dicendi *vobis fratres* et *vos fratres* dicet *tibi Pater* et *te Pater,* conversus ad Praesulem. Si forte plures adessent Praelati eiusdem gradus, videtur esse dicendum *vobis Patres* et *vos Patres*.

8. Post Confessionem, Celebrans quum dixerit *Oremus*, inclinationem iterabit versus Praesulem, ascendet deinde ad Altare et Missae celebrationem ritu usitato prosequetur.

9. Fine facto legendi Evangelium, Celebrans Missale nequaquam osculabitur, neque adiiciet *Per evangelica dicta* etc. sed Missale osculabitur Praesul, ad quem afferetur apertum a Ministro. Quod si plures erunt pari dignitate Praelati, neque ullus ex illis neque ipse Celebrans illud osculabitur. Porro cavebit Celebrans ne Missam prosequatur, donec minister a Praesule ad Altare Missale retulerit et in legili locaverit (*a*).

10. Post *Agnus Dei* Celebrans, recitata oratione prima ex tribus ante Communionem praestitutis, manibus corporali impositis, Altare in medio osculabitur, deinde iunctis manibus osculabitur etiam Pacis instrumentum, quod ipsi obiicietur a ministro ad eius dexteram adgeniculato, dicet *Pax tecum*, minister autem respondebit *Et cum spiritu tuo*: postea minister idem instrumentum velo serico contectum afferet ad singulos Praesules dicens unicuique *Pax tecum* et unusquisque illorum respondebit *Et cum spiritu tuo*. Minister post pacem Praesuli vel Praesulibus si plures forent, datam, rursus instrumentum velo cooperiet, et debitam illis reverentiam efficiet. Celebrans, donata Pace, reliquas nulla interposita mora prosequetur orationes.

11. Si Missa erit pro defunctis, neque liber Evangelii osculandus neque Pax donabitur.

12. Postquam Celebrans dixerit *Benedicat vos omnipotens Deus*, conversus ad Praesulem reverentia eum profunda salutabit, veluti benedicendi veniam ab ipso petens, deinde benedictionem circumstantibus impertietur, ex illa tamen parte, quae directe ad Praesulem non vergit, seu, quod eodem redit, benedicet ad dexteram suam.

13. Ultimo Evangelio ex toto recitato, non redibit ad medium Altare, sed illic convertetur versus Praesulem, quem salutabit reverentia profunda et expectabit donec discedat. Quod

(*a*) Notetur Caeremonialis Episcoporum dispositio admodum perspicua lib. I. cap. 30. num. 3. *Ad offertorium Episcopus non benedicit aquam* ob eam rem, quod Missae privatae assistit. Quapropter non possumus quorumdam cappellanorum arguere inscitiam, qui contra rubricae praecepta Episcopo vel Cardinali Missae privatae assistenti obiiciunt ampullam aquae ut benedicat.

si Praesul inde non abibit, Celebrans reversus in medium accipiet calicem, descendet de Altari, inclinationem ad ipsum efficiet, vel genuflectet si SS. Sacramentum ibi asservabitur, sumet biretum quo caput operiet, et ad paramenta missalia deponenda in sacrarium revertetur.

14. Minister autem huic Missae inserviens, praeter actiones superius descriptas animadvertet, ut quotiescumque transiturus sit ante Altare, genuflexionem faciat ad Crucem et ad Praelatum, vel reverentiam nisi erit Episcopus ordinarius, de reliquo servans illa omnia, quae superius tradita sunt cap. XI. huius libri, ubi de ministri Missae privatae officio disseruimus.

DE SS. EUCHARISTIA FIDELIBUS ADMINISTRANDA.

CAPUT XXIV.

Quandoquidem SS. Eucharistiae Sacramentum aut inter Missam aut extra ipsam administrari fidelibus potest, idcirco regulam utroque casu adhibendam praesenti capite innuemus.

§. 1. *De Communione inter Missam.*

1. Si Communio in Missa erit administranda, opus erit ut particulae numero sufficienti praeparentur, nempe ut totidem sint atque fideles, qui de sacra Mensa velint partecipare. Si communicandi quinque aut sex essent numero, particulae praeparandae erunt super corporali; secus intra pixidem ponendae, siquidem periculum esse posset, ne de patena effluerent, quum Sacerdos ex Altari ad balaustrium descendet ad communicandum. Si deerit pixis, licebit uti altero calice, in quo particulae ponantur, quique patena vel altera palla contegetur. Quocumque autem modo praeparatae sint, oportet ut in Altari pro offertorio in promptu sint. Item curabit minister, ut parata sit etiam

tobalea, super balaustrium ante communicandos explicanda: aderunt et scyphi seu vascula vitrea pro purificatione communicandorum, ubi mos hic vigeat, qui licet a Rituali praescribatur, non tamen, generatim loquendo, servari solet.

2. Itaque Celebrans Hostiae peragens oblationem, debet mentem intendere offerendis etiam particulis consecrandis, quae nisi fuerint in pixide praeparatae, ponentur non super patenam sed super corporale, (quemadmodum perspicue rubrica praescribit) versus manum sinistram Celebrantis, paullo longe a loco, quo statuetur Hostia; cavebit autem, ne manipulo aut albae manica eas attingat vel radat. Quod si positae erunt intra pixidem, Celebrans admovebit eam paullum versus dexteram suam, et discooperiet; deinde post oblationem et postquam patenam sub corporale posuerit, pixidem iterum cooperiet et post Calicem vel e latere sistet, intra limites petrae sacrae et corporalis.

3. Ad consecrationem Celebrans Hostiam tantum digitis accipiet, particulas relinquens super corporali: si erunt intra pixidem antequam dicat verba *Qui pridie* etc. admovebit pixidem, ad dexteram suam, sicut in Offertorio, deteget eam, tum dicens *Qui pridie* etc. accipiet Hostiam et Missam in consecratione prosequetur. Hostiae elevationem peraget, eamque in Altari reponet ac genuflexionem iterabit. Deinde prius quam detegat calicem, cooperiet pixidem et sine alia genuflexione eam reponet quo loco prius erat; post haec deteget calicem ac Missam continuabit ad verba *Simili modo* etc.

4. Posteaquam Celebrans Calicem consummaverit, cooperiet ipsum, et Clericus interea recitabit *Confiteor*.

5. Si particulae erunt super corporali, Celebrans priusquam illas attingat, genuflexionem efficiet, ponet eas reverenter super patenam, genuflexionem iterabit, se convertet super sinistram suam versus cornu Evangelii facie ad latus Epistolae conversa, iunctisque ante pectus manibus, quin utriusque manus pollicem et indicem disiungat, dicet *Misereatur vestri*, non autem *tui*, licet unus tantum adsit communicandus; adiiciet deinde *Indulgentiam, absolutionem* etc. Crucis signum versus communicandos efficiens. Si intra pixidem particulae positae erunt, con-

sumpto Calice ut supra, et palla cooperto, genuflectet, pixidem ad se admovebit, nempe ante Calicem, eam deteget, iterabit genuflexionem, tum conversus ad populum dicet *Misereatur vestri* etc. ut superius dictum est.

6. Postquam recitaverit *Indulgentiam*, convertetur ad Altare, genuflexionem efficiet, inter indicem et medium digitum sinistrae manus accipiet patenam, seu pixidem supra nodum, et indice ac pollice dextero sumet particulam unam, clausis interea digitis reliquis eiusdem manus, elevabit eam paullum supra patenam seu pixidem, atque hoc statu se convertet ad populum, oculisque in Sacramentum defixis dicet *Ecce Agnus Dei* etc. deinde ter adiunget *Domine non sum dignus, ut intres* etc. (*a*).

7. Haec postquam dixerit, de Altari descendet e medio, non e latere, ad balaustrium veniet et Communionem fidelibus ibi adgeniculatis ministrabit, initium sumens a latere Epistolae et pergens ad cornu Evangelii, S. Particulam fidelibus porrigens Crucis signum versus eos efficiet advertens ne extra circumferentiam patenae seu pixidis ferat eamdem S. Particulam, et dicet *Corpus* ✠ *Domini nostri* etc. Praesentans autem S. Particulam, cavebit ne digitis aut Particula ipsa labia aut faciem communicandorum attingat, sed eorum linguam leviter premens extremitate Particulae et ipsam linguae fere affigens, digitos retrahet confestim. Advertet etiam ne se inclinet versus illos, neque mento ipsorum supponat pixidem aut patenam, sed hanc sustinens ante pectus, dextera fidelibus S. Particulam praesentabit, quam maxime appropinquans balaustrio tobalea instructo.

8. Fine facto Communionis admnistrandae, Celebrans ad Altare nihil dicens, redibit e medio non e latere ascendens, pixidem seu patenam deponet in Altari, ac si qua superfuerit Particula, genuflectet, deinde illam consummabit; sin nulla Par-

(*a*) Novus est ritus, quo quidam Sacerdos utitur, accipiendi nempe pixidem vel patenam simulque sinistra sustinendi purificatorium. Si ad abstergendum identidem pollicem cum indice dextero adhibendum esset purificatorium, contingere facillime posset, ut fragmenta fortasse digitis praedictis adhaerentia, potius quam purificatorio inhaerescerent, super pavimentum deciderent.

ticula superfuerit, genuflexionem omittet, sed Calice palla detecto fragmenta colliget quo loco prius erant Particulae, et intra Calicem immittet: hoc ipsum faciet de pixide, videlicet quae fragmenta in ea forte essent, ponet intra Calicem deinde purificationem accipiet et Missam ritu praescripto prosequetur (*a*).

9. Quod si Communio particulis iam consecratis et in tabernaculo seu ciborio asservatis administrabitur, Calicem, postquam sumpserit, cooperiet palla, sistens eum versus cornu Evangelii, non vero extra corporale, amovebit vel amoveri iubebit a ministro chartagloriam seu tabellam secretarum, si porticulae, tabernaculi erit applicita, tabernaculum aperiet, genuflectet, extrahet ex illo pixidem, cooperculo ipsam deteget, genuflexionem iterabit, convertetur ad populum ut recitet *Misereatur* etc. omniaque superius declarata exsequetur. Peracta deinde Communione, redibit ad Altare in quo ponet pixidem, genufictet eamque cooperiet, porticulam tabernaculi aperiet, reponet intus pixidem, genuflexionem iterabit, tabernaculum occludet, tabellam seu chartagloriam suo loco reponet vel reponi iubebit, et Sacrum, ut supra, prosequetur.

§. 2. *De Communione extra Missam.*

10. Quod ad Communionem extra Missam spectat, Sacerdos communicaturus lavabit manus, superpelliceo et stola coloris quem officium requirit, induetur (*b*). Perquam perspicua est Ritualis dispositio, quapropter non semper adhibenda erit stola

(*a*) Pixidem vino purificare non est necesse; immo si vinum in eam infundi iubebitur, possent fragmenta ipsi forte pixidi adhaerescere, et multo difficilius esset illa abducere.

(*b*) Si quis caussam requireret cur in S. Eucharistia extra Missam administranda praescribatur stola concolor officii quod celebratur, responderi posset esse hoc constitutum, ut coloris una eademque ratio esset cum reliquis paramentis quae Altare exornant. Videtur, tamen, quod praeter hanc rationem, alia quoque subest magis intrinseca. Vetustis Ecclesiae seculis S. Eucharistia administrari fidelibus extra Sacrificium non solebat. Mos hic deinde invaluit apud Ecclesiam Hierosolymitanam, quo tempore sede illa potiebatur S. Cyrillus Episcopus, ut desiderio et

albi coloris, quemadmodum monet Baruffaldi in Commentariis ad Rituale Romanum. Si Sacerdos esset Canonicus sive alius quispiam Capitulo addictus, deponenda illi erit cappa vel aliud insigne, et superpelliceum cum stola sumendum. In Altari autem, in quo asservabitur SS. Sacramentum, binae accendentur candelae, paratum in medio erit corporale explicatum, clavicula tabernaculi seu ciborii, vasculum vitreum cum aqua et purificatorium ad Sacerdotis digitos purificandos, positum prope tabernaculum versus cornu Epistolae. Parata ad balaustrium pro communicandis erit tobalea, itemque in promptu erunt cyathi seu paterae vitreae cum vino et aqua pro comunicandorum purificatione, si loco illo vigebit mos huiusmodi.

11. Porro Sacerdos superpelliceo et stola, ut dictum est, indutus, capite bireto cooperto iunctisque manibus, praeeunte clerico superpelliceo induto, procedet ad sacellum in quo SS. Sacramentum erit intra tabernaculum reconditum. Clericus afferre bursam cum corporali poterit, nisi iam fuerit in Altari praeparatum. Quibusdam in ecclesiis, quae regulariter exsequi functiones sacras student, in more positum est, ut Sacerdos ipse afferat bursam cum corporali ad pectus applicitam, quae consuetudo ubi vigeat, retineri poterit, praesertim nisi minister Clericus erit.

12. Progressus ad Altare Sacerdos biretum ministro committet, atque in medio ante Altare pavimento genuflexionem efficiet; ascendet ad Altare, corporale explicabit, nisi iam expan-

petitioni satisfieret peregrinorum, qui ad visitanda sancta loca undique confluebant, et quia non semper in promptu erat qui Sacrum faceret, idcirco Panis Eucharisticus ministrari Fidelibus extra Missam ceptus est. Quocirca ad significandum veterem Ecclesiae ritum inter Missam communicandi. costitutum est a Rituali, ut Eucharistiae Sacramentum administretur cum stola quae eiusdem atque officii sit coloris. Quaecumque demum opinio sit gravium auctorum, quos magni facimus, qui affirmant posse aut debere Communio administrari cum stola albi coloris, quum admodum pateat Ritualis dispositio, quae nullis subiici potest interpretationibus, existimamus non esse iis adhaerendum, et legem positivam nobis potius sequendam, quam privatam opinionem scriptorum ceteroquin eruditorum et insignium.

sum ibi fuerit, et bursam versus cornu Evangelii, ut in Missa, ponet. Interea Clericus genibus flexis super gradu infimo in latere Epistolae recitabit *Confiteor*. Hoc tempore Sacerdos aperiet tabernaculum seu ciborium, genuflectet, tum hac tum ceteris vicibus manus Altari imponens, extrahet pixidem, quam sistet in medio corporali ac deteget, relinquens operculum in Altari versus dexteram suam, genuflexionem iterabit, convertetur ad populum, absolutionem impertietur dicens ***Misereatur*** etc. et id totum quod superius numm. 5 et 6. descripsimus, exsequetur.

13. Communione peracta redibit ad Altare, ut superius dictum est, pixidem reponet in medio corporali, genuflexionem iterabit, pollicem et indicem, si quod fragmentum adhaesisset, super pixidem ipsam excutiet, pixidem cooperiet, pollicem et indicem non disiungens, tum digitos eosdem in vasculo praeparato purificabit et purificatorio exterget. Haec faciens recitare poterit antiphonam *O sacrum convivium* etc. post quam ℣. *Panem de Coelo* etc. *Domine, exaudi orationem meam*, et *Dominus vobiscum* cum oratione *Oremus. Deus qui nobis sub Sacramento* etc. cum conclusione longa *Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate* etc. Tempore paschali recitari poterit eadem antiphona addendo *Alleluia* ad ℣. *Panem de coelo* atque orationem *Spiritum nobis, Domine, tuae charitatis infunde, ut quos Sacramentis Paschalibus satiasti, tua facias pietate concordes. Per Christum Dominum nostrum* (*a*). Post orationem reponet pixidem in tabernaculo, et genuflexione iterata illud occludet. Inde iunctis manibus conversus ad populum, neque Altare deosculans, nec manus oculosve attollens aut extendens, benedictionem largietur dicens *Benedictio Dei omnipotentis* ac Crucis signum super adstantes efficiens dicet *Patris et Filii et Spiritus Sancti descendat super vos et maneat sem-*

(*a*) Oratio haec *Spiritum nobis, Domine* etc. recitanda est toto paschali tempore, non vero iis tantum diebus, quibus Corpus Christi praebetur fidelibus, ut praeceptum paschale adimpleant. Eodem modo monemus de recitandis ℣℣. *Domine exaudi* etc. *Dominus vobiscum* et de conclusione integra in oratione *Deus qui nobis*, ut a Rituali praescribitur.

per. Minister autem respondebit *Amen*, ut iam ad versus praecedentes et ad orationem responderit.

14. Sacerdos convertetur iterum ad Altare, corporale complicabit, quod in bursa repositum tradet ministro, vel per se ipse referet ad sacrarium, descendet de Altari, genuflexionem in pavimento efficiet, caput bireto operiet ac praeeunte clerico seu ministro redibit in sacrarium, ibique stolam et superpelliceum demittet.

15. Hanc eamdem methodum Celebrans sequetur, si ante vel post Missam vestibus sacerdotalibus indutus S. Eucharistiam erit fidelibus administraturus.

Pro Communione in Missis defunctorum subiicimus sequens

SACRAE RITUUM CONGREGATIONIS

DECRETUM

Emi ac Rmi Patres sacris tuendis ritibus praepositi decreverunt « posse in Missis defunctorum, cum paramentis nigris, sacram Communionem fidelibus ministrari, etiam ex particulis praeconsecratis, extrahendo pyxidem a tabernaculo. Posse item in paramentis nigris ministrari Communionem, immediate post Missam defunctorum: data autem rationabili causa, immediate quoque ante eamdem Missam: in utroque tamen casu omittendam esse benedictionem. Missas vero defunctorum celebrandas esse omnino in paramentis nigris; adeo ut violacea adhiberi nequeant, nisi in casu quo die 2 Novembris sanctissimae Eucharistiae Sacramentum publicae fidelium adorationi sit expositum pro solemni oratione quadraginta horarum, prout cautum est in decreto S. Rit. Cong. diei 16 Septembris 1801. » *Et ita decreverunt ac ubique locorum, si Sanctissimo Domino nostro placuerit, servari mandaverunt die 27 Iunii 1868.*

Facta autem per me Secretarium SS. D. N. Pio PP. IX. relatione, Sanctitas Sua Decretum S. Congregationis approbavit et confirmavit die 23 Iulii anni eiusdem.

C. Ep. Port. et S. Rufinae Card. Patrizi S. R. C. Praef.

L. ✠ *S.*

Dominicus Bartolini S. R. C. Secretarius.

DEFECTUUM QUI FREQUENTIUS IN MISSAE CELEBRATIONE ADMITTI SOLENT DEMONSTRATIO.

CAPUT XXV.

1. Ut maioris emolumenti fiant documenta, quae pro celebratione Missae tradidimus, defectus seu menda quae praecipue in re divina conficienda incidere solent, enumerare invat, quibus ante oculos ordinatim propositis, ea quae superius descripta sunt, in mentem revocari facile poterunt.

2. Nisi qua iusta caussa adsit, Matutinum saltem et Laudes non recitasse ante Missam, defectus est.

3. Item convenientem praeparationem in Ecclesia et in sacrario, bono etiam aliorum exemplo, non praemittere, praesertim si in sacrario adsint laici homines, in quibus admiratio gigni possit.

4. Post praeparationem commorari in sacrario tempus terendo sermonibus futilibus, loquendo de nugis aut novitatibus, multo autem magis alios obtrectando praecipue hiemis tempore circa focum.

5. Lavare manus antequam Missam in Missali reperiat, aut postquam Calicem disposuerit, vel etiam postquam se paraverit.

6. Non praeparare Calicem per seipsum, aut saltem, si iam in promptu esset, non inspicere an regulariter praeparatus sit.

7. Ponere corporale extra bursam vel super aut infra ipsam ac tali modo ad Altare afferre illud et referre in sacrarium.

8. Loqui cum aliis dum sacra paramenta induet sibi.

9. Se paramentis induere capite cooperto, Calici vel Missali imponere linteolum, biretum, pileolum, conspicilla.

10. Inclinationem facere priusquam sibi imponat amictum, aut se Crucis signo munire cum amictu ipso.

11. Sinistram sibi albae manicam primo induere, deinde

dexteram; partem dexteram amictus et stolae non superimponere sinistrae; adiicere *Amen* ad unamquamque orationem statutam pro paramentis, quum ad ultimam tantum id praescribatur.

12. Linteolum coloratum et sordidum cingulo alligare, idque adeo negligenter ut extra planetam appareat.

13. Manipulum ad cubitum apponere; stolam deiicere per humeros, non eam aptare circa collum, vel ita aptare ut Crux quae est in medio, prodeat e planeta.

14. Albam auf planetam osculari.

15. Nescire orationes secretas, quae in Missa sunt memoriter recitandae.

16. Vagari in sacrario quum paramentis indutus sit tam ante, quam post Missam.

17. Reverentiam efficere ad Crucem vel ad imaginem praecipuam sacrarii biretum manu gestando; biretum ipsum capiti detrahere quum genuflectendum sit ante SS. Sacramentum in tabernaculo reconditum, vel quum reverentia facienda sit ad Altare maximum transeundo ante ipsum.

18. Calicem ferre nimium sublime ferme ad oris altitudinem, aut nimium demissum et non ad pectus, vel eum sustinere sinistra tantum, non superimposita dextera. Ire aut redire ab Altari citato gradu, oculis sublimibus.

19. Post genuflexionem ad Altare, in quo adsit SS. Sacramentum, reverentiam quoque ad Crucem adiicere.

20. Sinistra manu applicare bursam ad candelabrorum gradum; iubere aut permittere ministro ut Missale aperiat et occludat: corporale super mensa non totum explicare, sed unam vel plures partes plicatas relinquere.

21. Morari in medio Altari intuendo Crucem aut orando priusquam de gradibus in planum descendat ad Missam exordiendam.

22. Tergum ad Crucem vertere, eo quod pigeat paullum recedere versus cornu Evangelii, in descendendo tum in principio Missae tum in fine.

23. Non servare debitam gravitatem, tergere oculos, scalpere aures, nasum, capillos aptare atque his similia.

24. Missam incipere antequam sint accensae candelae, aut sinere ut extinguantur antequam perlectum sit Evangelium ultimum.

25. Quum manus iungendae erunt, non extendere et coniungere digitos, nec pollicem dexterum sinistro superimponere in modum Crucis.

26. Se signare signo Crucis extra seipsum aut dimidiato et imperfecto.

27. Negligere inclinationum qualitatem *profundam, mediocrem* et *simplicem* et alteram pro altera exsequi.

28. Non pati ut minister responsiones suas ex toto compleat, neque eum opportuno tempore de inconsiderantiis et mendis admonere.

29. Addere particulam *et* in repetenda anthiphona *Introibo* post psalmum *Iudica, me Deus.*

30. Pectus ad *Confiteor* percutere cum strepitu et vehementer; se vertere ad ministrum in dicendis verbis *vobis fratres* et *vos fratres*; respondere *Amen* postquam ille recitaverit *Confiteor;* addere verbum *omnibus* vel *omnium* in precibus *Misereatur* et *Indulgentiam*, aut dicere in hac *peccatorum vestrorum* pro *nostrorum.*

31. Ad orationem *aufer a nobis* non inclinari tempore praescripto, aut post osculatum Altare inclinationem facere priusquam perveniat ad librum.

32. Exsequi caeremonias ante aut post tempus assignatum.

33. Legere aut recitare nimium festinanter et verba etiam per syncopem contrahere; alta voce proferre quod secreto dicendum est et vicissim.

34. Simulare Altare osculari, nec reipsa osculari, vel osculari e latere, non vero in medio, aut osculandi gratia contorquere membra vel caput.

35. Incipere *Kyrie eleison* priusquam se sistat in medio Altaris, et praescriptas inclinationes omittere.

36. Convertere se ad populum dum dicit *Dominus vobiscum* manibus disiunctis, intuendo adstantes, non depositis conspicillis.

37. Dicere *Oremus* antequam veniat ad Missale, duplicare literam *O* ita ut pro *Oremus* dicat fere *Ooremus.* Intueri Crucem dicendo *Oremus.*

38. Recitare orationes non iunctis aut non apertis ante pectus manibus, aut uti ad legendum parvo conspicillo, quo in casu manus non possent esse apertae.

39. Oculos ad Crucem aut in coelum non intendere quum a rubrica praescribitur, contra autem attollere quum non praescribitur.

40. Ad *Munda cor meum* dicere *Iube Domne* pro *Iube Domine, benedicere,* aut osculari Altare post hanc precationem.

41. Manibus insistere Altari ad *Munda cor meum*, ad *Sanctus*, ad *Agnus Dei.*

42. Incipiendo Evangelium manum sinistram non imponere Missali, ut Crucis signum super textum signet, nec, quum se pollice signabit, manum eamdem infra pectus ponere, nec digitos tenere extensos.

43. Inclinationem facere versus Crucem in legendo Evangelio, aut genuflectere Crucem non librum versus, quum genuflexio praescripta sit.

44. Ad ℣. *Et incarnatus* genuflectere utroque genu, vel morari in genuflexione, aut caput etiam inclinare.

45. Inchoare Crucis signum prius quam verba *Et vitam venturi seculi.*

46. Detegere Calicem dum recitatur *Credo* aut quum legitur ℣. Offertorii.

47. Recitare eumdem versum extensis manibus.

48. Dum Hostiae fiet oblatio intueri Crucem, aut tres digitos inferiores sub patena non extendere.

49. Detecto Calice, velum post ipsum utcumque implicare.

50. Calicem tergere violenter, aut dum e medio Altari transibit in cornu Epistolae: incipere orationem *Deus qui humanae substantiae* dum vinum in Calicem infundet, aut prius quam ampullam vini deponat.

51. Patenam cum Hostia vel Calicem in offertorio nimis elevare, aut utrumque demisse nimis sustinere.

52. Inclinare caput proferendo nomen Iesu et Mariae in oratione *Suscipe Sancta Trinitas*, itemque in reliquis ante Communionem orationibus.

53. Crucis signa super Hostiam et Calicem efficere aut flectendo digitos in ducendis lineis ad illa efficienda, aut manu fere clausa, vel eadem efficiendo saltuatim.

54. Elata voce dicere *Orate fratres*, aut non secreto dicere *ut meum* etc. aut subsistere contra populum praedicta verba proferendi gratia; respondere *Amen*, aut continuare secreta priusquam responsio *Suscipiat* a ministro compleatur.

55. Ad *Sursum corda* clausas attollere manus aut palmis non ad invicem sed ad Altare conversis.

56. Inclinare caput ad *ubique gratias agere* aut ad verba *per Christum Dominum nostrum* in praefatione, vel alio etiam loco praeterquam post *Memento* defunctorum.

57. Pectus percutere dicendo *Sanctus* aut non mediocri voce dicere ipsum; recitare voce intelligibili totum Canonem aut aliquot eius partes, quum omnia secreto dicenda sint, sive illum memoriter recitare.

58. Non iungere manus priusquam signa Crucis faciat, aut suspensam tenere sinistram, dum dextera actionem aliquam exsequitur.

59. Digitos saliva conspergere ad evolvenda Missalis folia.

60. Immorari nimis in *Memento*, vel nimia brevitate conficere, aut alta voce proferre *Memento Domine* etc.

61. Pollices supponere palmis manuum dicendo *Hanc igitur oblationem* etc.

62. Abstergere digitos, antequam accipiat Hostiam, non extremo sed medio corporali prope Hostiam.

63. Imponere brachium sinistrum Altari sustinendo Hostiam ante Consecrationem ad verba *benedixit*, *fregit* etc.

64. Insistere et incurvari indecenter super Altare proferendi caussa Consecrationis verba.

65. Proferendo verba Consecrationis gesticulari capite aut contorquere corpus; non proferre illa secreto, eadem verba repetere, dicere sufflando, aut pedem dexterum suspensum tenere ut statim possit genuflecti.

66. Non removere de Altari cubitos nec ferre manuum articulos versus frontem Altaris post consecrationem, ut commodius genuflectatur.

67. Post elevationem Hostiae detegere Calicem, postea genuflectere.

68. Accipere Calicem ad verba *Accipiens et hunc praeclarum Calicem* manu dextera tantum, os et nasum Calici imponere, aut inclinare eum ad se vel Altari applicatum tenere.

69. In elevatione non sequi oculis Hostiam et Calicem, aut elevare et demittere nimis festinanter, aut plus aequo sustinere sublime in conspectum adstantium, aut nimis attollere extensis monstruose brachiis, aut tam parum attollere ut conspici non possint, aut elevando super caput ponere, aut Calicem osculari.

70. Verba *Haec quotiescumque* etc. tempore elevationis dicere, non post Consecrationis verba dum genuflectitur.

71. Non genuflectere usque in terram, vel genuflectere inconcinne et properanter.

72. Non tenere pollices et indices iunctos a consecratione usque ad purificationem, aut Hostiam tangere digitis inferioribus, aut digitos istos non extendere quum Hostiam accipiet.

73. Ponere manus iunctas super Altare omnino intra corporale post consecrationem non sequendo praescriptiones a rubrica expressas una in perpetuum vice sine ulla distinctione aut limitatione.

74. Pausam facere in commemoratione defunctorum antequam dicatur *qui nos praecesserunt* etc. aut alta voce dicere *Memento etiam, Domine*, aut reliquas *Ipsis, Domine* etc.

75. Pectus non digitis tribus inferioribus percutere, et reliquis iunctis tangere casulam ad *Nobis quoque peccatoribus*, ad *Agnus Dei*, ad *Domine non sum dignus*.

76. Inclinare caput dicendo *Nobis quoque peccatoribus*, aut alta voce dicere etiam *famulis tuis* cum suspirio, vel dicere *Amen* ante *Per quem haec omnia* etc.

77. Caput etiam inclinare ad *Praeceptis salutaribus*, aut recitare illa apertis manibus, aut oculos non defigere in Sacramentum quum recitabitur *Pater noster*, aut patenam de cor-

porali deducere eamque abstergere prius quam minister responderit *Amen*, aut non abstergere manu tantum dextera, sed adiuncta etiam sinistra.

78. Non applicare sinistram infra pectus quum signo Crucis se muniat.

79. Osculari patenam in parte inferiori aut in margine, vel abstergere super planetam aut in alia parte postquam illam osculatus sit.

80. Purificare digitos fragmentis terendo unum post alterum in labro Calicis.

81. Se vertere ad alterutram partem dicendo *Domine, non sum dignus*, aut brachium sinistrum imponere Altari.

82. Crucis signum Hostia efficere extra limites patenae et frontis suae in Communionis actu, aut expuere dum sumpturus est, vel etiam osculari S. Hostiam antequam sumat.

83. Nimia vel modica diligentia peccare in colligendis fragmentis, et collectis intra Calicem iniiciendis.

84. Sumere Calicem strependo labiis, aut oculis sublatis, aut sensim et similia.

85. Pallam patenae imponere antequam transeat in cornu Epistolae ad accipiendam ablutionem, aut eam purificatorio abstergere.

86. Accipiendo purificationem ponere Calicem super Altare aut extra Altare illum ministro porrigere nulla cogente necessitate.

87. Extergere labia aut os digitis iam ablutis vino et aqua antequam purificatorio extergantur.

88. Corporale complicare elato in altum Calice, bursam ponere non versa ante pectus apertura eius, et relinquere velum ex parte anteriori sublatum.

89. Sinere ut minister, quamquam clericus, multo peius si laicus sit, Calicem cooperiat et accommodet.

90. Missale non claudere, ut praescribitur, et conclusionem ultimae orationis absolvere veniendo ad medium Altare.

91. Se inclinare ad populum dicendo *Ite Missa est*, aut dicendo *Benedicamus Domino* se inclinare ad Altare aut convertere ad populum.

92. In discessu de Altari accipere biretum antequam reverentiam vel genuflexionem efficiat, aut illud sibi de capite detrahere priusquam reverentiam fecerit ad Crucem vel imaginem praecipuam sacrarii.

93. Paramenta acervatim deponere in exuendo se, non osculari stolam, manipulum, amictum, aut sibi albam detrahere ex adverso.

94. Sermones conserere et confabulari in sacrario, aut ex illo et Ecclesia discedere quin tempus conveniens intercesserit pro debita gratiarum actione.

95. Quod ad defectus spectat in rubricis generalibus pluribus capitibus notatos, quum de rebus agatur, quas omnis Sacerdos novisse et probe scire tenetur, quasque potest unusquisque in Missali legere et perpendere, potiusquam eadem capita retractemus, in totum silentio praeterire operae pretium visum est.

INDEX.

				Errata.	Corrige.
Pag.	24	lin.	19	cantatum	cantum
»	28	»	2	psalmi	cantici
»	30	»	14	discendente	discedente
»	36	»	25	Indipsum	Idipsum
»	37	»	21	discendendo	discedendo
»	46	»	22	ascendant	ascendat
»	50	»	31	Discendes	Discedens
»	51	»	10	discendens	discedens
»	70	»	21	circulus	circulos
»	73	»	17	Presbyterum	Presbyterorum
»	75	»	18	habito	habitu
»	85	»	9	praecedent	praecedet
»	99	»	28	discendentes	discedentes
»	121	»	1	Dement	Sument
»	126	»	8	repetionis	repetitionis
»	131	»	5	Episcopum	Episcoporum
»	153	»	ult	per	super
»	183	»	30	dependet	dependent
»	218	»	20	abscendens	abscedens
»	251	»	13	repetionem	repetitionem
»	294	»	5	ASSISTENTI	ASSISTENTIUM

CON APPROVAZIONE DELL'AUTORITÀ ECCLESIASTICA.

SACRARUM CAEREMONIARUM
MANUALE

PRO SACRIS FUNCTIONIBUS ORDINARIIS PER TOTUM ANNI CIRCULUM CELEBRANDIS.

LIBER II.

DE OFFICIO SINE CANTU IN DIEBUS FERIALIBUS

CAPUT I. (*a*)

1. In medio choro praeparabitur pro lectionibus legile, super quo situm erit Breviarium formae grandioris et Martyrologium.

2. Quarta vel dimidia horae parte ante horam incipiendi officii praestitutam, signum dabitur sono unius aut plurium campanarum secundum qualitatem festi et consuetudinem cuiusque ecclesiae.

(*a*) Ritus, quem hic describimus, potest documento esse illis ecclesiis, in quibus nondum esset alia praestituta methodus recitandi Officii divini in diebus ferialibus. Caeremoniale Episcoporum iubet servari usus et consuetudines laudabiles uniuscuiusque ecclesiae, eaque de caussa nullam videtur ad officium peragendum statuisse normam. Si commendabilis usuum et consuetudinum ratio sit, licebit cuicumque ecclesiae suis libere uti: verum si quid forte erit, quod corrigendum seu reformandum, vel saltem examinandum videatur, viderit Episcopus Ordinarius, sua ipse utens auctoritate ac tribunalibus competentibus. Id notare voluimus, ne quis existimet nos nobis arrogare ius imponendi leges unicuique, praesertim ecclesiis cathedralibus et collegiatis.

Ritum pro officio feriali describere capite praesenti supersedemus. Ex multiplici enim officiorum de ritu duplici concessione, potest officium feriale pene dici antiquatum. In perpaucis quae supersunt adhuc feriis, poterit facile dirigi officium ex normis pro officiis de ritu duplici aut semiduplici praestitutis.

3. Quicumque in choro adfuturus erit, ecclesiam ingressus se aqua benedicta signabit, brevi orabit ante SS. Sacramentum, perget inde ad sacrarium et vestem choralem induet sibi.

4. Quum tempus praestitutum aderit, facta a chori praefecto licentia, cerei Altaris maioris vel illius in quo peragetur officium ab acolytho accendentur; deinde signum proficiscendi ad chorum sacrarii campanula nunciabit.

5. Cappellani duo, reverentia ad Crucem vel ad imaginem primariam sacrarii facta, praeibunt ceteris omnibus. Procedet post ipsos dignior inter clerum, cuius dexteris adstabit ebdomadarius, quos reliqui deinde omnes bini subsequentur. Quod si praefectus chori ebdomadarii quoque officio fungatur, ad sinistram eius addetur Canonicus antiquior. At si ebdomadarius non sit Canonicus sed ex ordine Beneficiariorum aut Mansionarius, incedet cum Beneficiariis aut Mansionariis locum sibi sumens vel primum inter eos, vel qui ad ipsum spectat ex antiquitate, iuxta mores et leges uniuscuiusque Capituli.

6. Qui duo Cappellani Capitulum seu Clerum praecedunt, progressi ante Altare maius seu chori, genuflexionem exsequentur, sibique mutua facta reverentia, suum locum adibunt; idipsum fiet a chori praefecto et a reliquis, reverentiam vel genuflexionem efficiendo, iuxta gradum ad quem spectant; animadvertent autem ne genua in suo stallo ante submittant quam locum quisque suum universi occupaverint.

7. Tunc adgeniculabitur praefectus chori cumque eo reliqui omnes, orationemque *Aperi, Domine, os nostrum* etc. recitabunt.

8. Hac oratione completa consurgent omnes ac brevissimo temporis spatio considebunt; assurgente autem chori praefecto, ceteri omnes consurgent, et secreto recitabunt *Pater noster*, *Ave Maria* et *Credo*.

9. Ebdomadarius inclinabitur ad chori praefectum, deinde Crucis signo in labris se pollice muniens, dicet *Domine labia mea* etc. Si ebdomadarius esset ipse chori praefectus, antequam intonet praedictum versiculum, se officii caussa ad digniorem inclinabit. Post haec signans sese prosequetur versiculum alte-

rum *Deus in adiutorium* etc. Ad ℣. *Gloria Patri*, caput ad Altare inclinabunt universi.

10. Interea dum recitabitur *Sicut erat*, qui postremi duo sedebunt in choro, seu Cappellani, sive quis alius ad quem id ex usu aut lege attinet, salutatione facta illi qui proxime sedet, deinde utrique Cleri parti, procedent in medium chorum, ubi mutua sibi facta reverentia, tum genuflexione ad Altare, invitatorium incipient e psalmo *Venite exultemus* etc., ut in Breviario. Ad verba *Venite adoremus* totus chorus genuflectet, non exceptis ipsis Cappellanis, qui in medio choro, ut paulo ante dictum est, invitatorium recitabunt (*a*).

11. Completo psalmo cum invitatorio, qui duo in medio choro recitaverint, simul ac invitatorium repetiverint post *Sicut erat*, genuflexione ad Crucem et reliquis, ut superius traditum est, peractis, ad sua loca redibunt.

12. Ebdomadarius intonabit hymnum, et duobus primis primae strophae versibus ab eo recitatis, ceteri omnes qui ex eadem atque ipse parte sunt, prosequentur simul cum eo reliquam strophem. Altera autem recitabitur, a parte opposita, et sic deinceps alternatim; quod etiam in psalmis servabitur. In conclusione hymni quum SS. Trinitas invocatur, caput omnes Altare versus demittent.

13. Hymno peracto, qui duo Cappellani seu Beneficiarii (ex more, quemadmodum paullo ante notatum est) ultimi sunt ex parte ebdomadario adversa, incipiunt et continuant primam antiphonam quae, si admodum exiguus Cappellanorum numerus esset, poterit etiam ab uno recitari.

14. Prima antiphona recitata, Cappellanus ultimus ex ebdomadarii parte, primi nocturni psalmum primum usque ad asteriscum inchoabit, tum reliqui omnes simul ex eadem parte, prosequentur, totusque chorus sedebit.

15. Quicumque recitabit antiphonas aut psalmos inchoabit, animadvertat ut haec faciens stet pedibus semper.

16. Primo psalmo absoluto, qui Cappellanus in semiduplicibus intonaverit, vel in duplicibus integram recitaverit anti-

(*a*) Caerem. Episc. lib. 2 cap. 5 num. 2. et cap. 6 num. 8.

phonam primam, assurget ac repetet eamdem. Duo illi Cappellani, sive etiam unus ille, qui ex eadem ebdomadarii parte psalmum intonavit, secundam recitabit antiphonam, quique ex altera parte recitavit antiphonam primam, psalmum secundum exordietur; idque deinceps semper praestabitur.

17. Dum tertia primi nocturni antiphona repetetur, duo penultimi Cappellani, vel Beneficiarii, qui sunt ex ebdomadarii parte, procedent in medium chorum ad versiculum recitandum. Hoc etiam facient in tertio nocturno, siquidem in secundo nocturno, iuxta regulam traditam, procedere illuc debent qui sunt ex parte ebdomadario adversa.

18. Versiculum recitabunt in medio, postea redibunt ad locum suum. Si alter illorum remanere debebit lectiones recitandi gratia, alter qui discedet, genuflexionem Cruci et inclinationem faciet socio, qui simili salutatione illi respondebit et ad locum suum remigrabit. Lector esse deberet alius ac qui recitant versiculum.

19. Ad versiculum totus chorus respondebit ad eumdem et postea consurget.

20. Ebdomadarius adiiciet *Pater noster*, tum absolutionem et benedictionem, ut in Breviario.

21. Lector iunctis ante pectus manibus benedictionem petet, versus ebdomadarium inclinatus, quo statu permanebit donec ille benedictionem recitaverit.

22. Sub finem lectionis, duo Cappellani, quorum officium est recitare antiphonas et intonare psalmos, procedent in medium ad responsorium post lectionem recitandum. Attendant ut ibi praesto sint quo tempore lector dicit *Tu autem Domine* etc. ut addantur illi in genuflexione ad Crucem peragenda.

23. Responsoria, ut sunt in Breviario, recitabuntur in medio choro a praedictis Cappellanis seu Beneficiariis, quibus in responsorio dicendo respondebit lector.

24. Post primum responsorium redibunt ad locum suum, lector autem methodo iam tradita, secundam recitabit lectionem, ac deinde alterum responsorium, eodemque modo tertiam lectionem cum tertio responsorio.

25. Absoluto responsorio tertio, lector una cum Cappellanis qui responsorium recitaverint, genuflectent pari tempore ad Crucem et ad locum suum revertentur. Tum prima antiphona secundi nocturni recitabitur ab ultimo, sive ultimis Cappellanis, qui ex parte ebdomadarii sunt; post quam intonabitur psalmus, ut superius docuimus. Sin Cappellani tam pauci numero sint, ut desit qui incipiat aut recitet antiphonam, tunc alter ex illis qui recitaverint responsorium non abscedens e medio choro adiiciet antiphonam ex parte sua, deinde redibit sessum.

26. Ad primam lectionem tertii nocturni, totus chorus stabit quum legetur textus Evangelii usque ad verba *Et reliqua.* Idipsum servabitur ad tertiam lectionem eiusdem nocturni, quum legenda erit altera homilia vel pro Dominica vel pro feria aut vigilia.

27. Qui responsoria in medio choro recitare debebunt, quibus diebus dicetur *Te Deum*, nequaquam procedent illuc ad tertiam lectionem tertii nocturni, sed tunc tantum quum nonum responsorium erit recitandum.

28. Nona lectione perlecta, consurget omnis chorus; ebdomadarius autem intonabit hymnum *Te Deum*, qui continuabitur eadem ratione ac psalmi.

29. Absoluto hymno Ambrosiano, ebdomadarius se signans intonabit *Deus in adiutorum*, ut in principio.

30. Prima antiphona indicabitur vel ex toto recitabitur a Cappellanis seu Cappellano qui erit in parte opposita ebdomadario; primus autem psalmus intonabitur a Cappellanis seu Cappellano qui erit ex eadem ebdomadarii parte; atque ita continuabitur deinceps relate ad alias antiphonas aliosque psalmos, et stabit qui recitat antiphonas vel intonat psalmos, ut superius notatum est.

31. Ad verba *Benedicamus Patrem* etc. in cantico *Benedicite* universi caput detegent et inclinabunt.

32. Repetita quinta antiphona, omnes consurgent, et ebdomadarius leget capitulum, atque intonabit hymnum ad duos usque versiculos, ut supra.

33. Sub exitum hymni duo penultimi Cappellani ex ebdomadarii parte venient in medium ad recitandum versiculum, cui respondebit chorus.

34. Qui Cappellanus erit in parte ebdomadario opposita intonabit seu recitabit totam antiphonam cantici *Benedictus*, et canticum ipsum intonabitur a Cappellano qui ebdomadarii ex parte est. Huius autem cantici initio se omnes signabunt. Post canticum repetetur antiphona ab eo qui eam indicavit seu recitavit, stantibus semper universis.

35. Antiphona repetita, ebdomadarius dicet *Dominus vobiscum*, *Oremus*, caput ad Crucem inclinans, et orationem. Si et aliae fiant commemorationes, qui Cappellanus dixit antiphonam ad *Benedictus*, reliquas adiiciet antiphonas; Cappellani autem qui recitaverint versiculum prodibunt in medium ad dicendum versiculum de commemoratione, ac si plures essent versiculi remanebunt ibi donec ultimae commemorationis versiculum recitaverint. Ebdomadarius dicet orationes pro commemorationibus.

36. Post orationes seu commemorationes ebdomadarius iterabit *Dominus vobiscum*, postea *Benedicamus Domino*. Versus autem *Fidelium animae* etc. recitabitur ab ebdomadario vel a praefecto chori, qua in re servabitur usus seu consuetudo locorum.

37. Laudibus expletis, si ebdomadarius canturus sit Missam, de choro discedet simul cum aliis duobus Canonicis aut Beneficiariis, ad quos attinebit ad Altare ministrare, ac facta in medio choro genuflexione, vel reverentia ad Crucem altaris et ad chorum, redibunt in sacrarium ad sacra paramenta sibi induenda.

38. Qui proximus omnium ebdomadario est, succedet in eius officium, ideoque *Pater noster*, *Ave Maria* et *Credo* secreto recitabitur. Ebdomadarius intonabit *Deus in adiutorium*, ut supra, deinde hymnum qua methodo superius traditum est.

39. Antiphona indicabitur a Cappellano, qui sedebit in parte ebdomadario opposita, psalmus autem incipietur a Cappellano qui ex parte ebdomadarii sit. Item psalmus *Deus in nomine tuo* intonabitur a Cappellano, qui est ex ebdomadarii parte, ac

totus chorus considebit. Reliquos psalmos intonabit Cappellanus qui ex illa chori parte est, cui contigerit recitare *Gloria Patri*. Absolutis psalmis, qui Cappellanus intonavit antiphonam, recitabit illam ex toto, chorus, recitata antiphona, consurget.

40. Ebdomadarius recitabit Capitulum, eodemque tempore duo penultimi aut ultimi Cappellani qui matutini responsoria recitaverint, procedent in medium chorum ad responsorium dicendum, in quo totus chorus respondebit. Post responsorium recitabunt versiculum ad quem respondebit chorus, ac deinde uterque redibit ad locum suum. Ebdomadarius subiunget orationem quemadmodum est in Breviario.

41. Quod si officium sit semiduplex ac dicendae sint preces recitabuntur illae demissiori voce ab ebdomadario, qui se signabit ad ℣. *Adiutorium*, et inclinatus recitabit *Confiteor*, se ad chorum convertens quum dicet *Vobis fratres* et *Vos fratres* et permanebit inclinatus usquedum respondeatur *Misereatur tui*, quod a choro recitabitur cum aliquantula ad ebdomadarium inclinatione. Post haec chorus dicet *Confiteor* inclinatus, animadvertens ut ad illa verba *Tibi pater* et *Te pater* se convertat ad ebdomadarium et perstet inclinatus stare dum *Misereatur vestri* recitabit ebdomadarius paullum caput vertens ad chorum ipsum. Ad *Indulgentiam* omnes erigent sese et Crucis signo munient. Ebdomadarius prosequetur reliquos versus et ad *Dominus vobiscum* ante orationem recipiet eumdem vocis sonum quo Capitulum ab initio recitavit.

42. Sub finem orationis, sint aut non sint preces, lector Martyrologii prodibit in medium chorum et Martyrologium leget, cuius ad lectionem considebunt omnes; in fine respondebitur *Deo gratias*, et consurgent universi; lector autem Martyrologii ad locum suum revertetur.

43. Continuabit ebdomadarius recitare versus *Pretiosa* etc. *Sancta Maria* etc. demissiori voce et ad *Deus in adiutorium* nemo signabit se. Oratio *Dirigere* etc. dicetur voce elatiori ab ebdomadario, et sub ipsius fine lector Martyrologii redibit in medium ad recitandam lectiunculam, eodem ritu ac superius innutum est in lectionibus matutini.

44. Superior si aderit, secus ebdomadarius adiiciet ℣. *Adiutorium* etc. *Benedicite* et chorus respondebit *Deus*, ac dicente Superiore *Dominus nos benedicat*, omnes se signabunt.

45. Completa hora Prima, secreto dicetur *Pater noster* et *Ave Maria*; tum ebdomadarius se signans incipiet *Deus in adiutorium*, ut supra relatum est.

46. Deinde idem ebdomadarius inchoabit hymnum, duos recitans primos versus et continuabitur strophe a parte ipsius.

47. Antiphona indicabitur a Cappellano, qui erit ex parte ebdomadario opposita. Psalmus primus incipietur a Cappellano qui ex parte stabit ebdomadarii, et chorus omnis considebit. Reliquos psalmos inchoabit Cappellanus illius partis ubi recitatum fuerit *Gloria Patri* psalmi antecedentis.

48. Expletis psalmis, Cappellanus qui indicavit, recitabit antiphonam, quumque chorus consurrexerit, ebdomadarius capitulum recitabit, quo tempore duo penultimi Cappellani procedent in medium chorum, ac finito capitulo recitabunt responsorium breve et versum, ad quae respondebit chorus, iique ad locum suum redibunt.

49. Ebdomadarius subiunget *Dominus vobiscum*, *Oremus* et orationem, repetet *Dominus vobiscum* et *Benedicamus Domino*. Superior autem, eoque absente, ebdomadarius dicet ℣. *Fidelium animae* etc.

50. In hora canonica, post quam immediate celebrabitur Sacrum, omittetur ℣. *Fidelium animae* etc.

51. Haec eadem methodus servabitur in reliquis horis Sexta et Nona; quumque e choro discedendum erit, post ℣. *Fidelium* recitato *Pater noster* secreto ex toto, ebdomadarius dicet *Dominus det nobis* etc. chorus genua submittet, vel stabit iuxta rubricas Breviarii, et ebdomadarius incipiet antiphonam de Beata Virgine, quam totus simul chorus prosequetur. Ebdomadarius subiunget versum antiphonae respondentem, ac si erat adgeniculatus, assurgens recitabit orationem, post quam complebit officium cum ℣ *Divinum auxilium* etc.

52. Consurget chorus, atque eodem ordine quo diximus initio, ad sacrarium redibitur.

53. Ad vesperas quum accedendum sit ad Altare, servabitur quod traditum fuit pro matutino.

54. Quum in chorum ventum erit, genibus flexis recitabitur ab omnibus oratio *Aperi Domine* etc.

55. Post orationem consurgent omnes et aliquantisper considebunt; assurgente autem chori praefecto, consurgent reliqui omnes ac recitabunt *Pater noster* et *Ave Maria.*

56. Ebdomadarius inclinationem faciet ad chori praefectum, seque signans dicet *Deus in adiutorium* etc.

57. Prima antiphona indicabitur, vel recitabitur ex toto, prout postulat officii ritus, a Cappellanis seu Cappellano qui ex parte erit ebdomadario opposita; primum autem psalmum Cappellani qui ex parte ebdomadarii sunt, incipient, tum chorus considebit.

58. Antiphonam primam repetet Cappellanus ille, qui ex parte ebdomadario opposita erit; secundam indicabit vel recitabit Cappellanus ex parte ebdomadarii, ac secundus psalmus intonabitur a Cappellano qui erit ex parte ebdomadario opposita, atque ita deinceps alternatim dicentur antiphonae et psalmi reliqui. In psalmo *Laudate pueri* etc. detegetur et inclinabitur caput ad illa verba *Sit nomen Domini benedictum.*

59. Absoluto quinto psalmo cum quinta antiphona, chorus consurget, et ebdomadarius recitabit capitulum; deinde hymnum incipiet ad duos usque primos versus, prosequentibus primam strophem illis qui ex parte eius erunt.

60. Ad finem hymni duo ex penultimis Cappellanis procedent in medium et recitabunt versum, ad quem respondebit chorus.

61. Antiphona ad canticum *Magnificat* incipietur vel recitabitur ex toto a Cappellano qui erit e latere ebdomadario opposito, et *Magnificat* intonabitur a Cappellano, qui erit ex parte ebdomadarii, omnesque initio huius cantici se signabunt.

62. Repetita antiphona a Cappellano, qui eam recitavit, ebdomadarius adiiciet *Dominus vobiscum* et orationem; ac si et aliae fient commemorationes, adhibebitur methodus eadem, quae in laudibus. Ebdomadarius subiunget *Dominus vobiscum* et

Benedicamus Domino. Vesperarum fiet finis a chori praefecto dicente ℣. *Fidelium animae* etc. vel ab ebdomadario, iuxta cuiusque ecclesiae usum. Nisi completorium sequatur, dicetur antiphona de Beata Virgine, ut in fine horarum minorum praescriptum fuit.

63. Quod si immediate sequetur completorium, qui ultimus in choro sedet, in medium prodibit, ac debitis factis reverentiis, inclinatus versus ebdomadarium, benedictionem petet dicens *Iube Domne* etc. Ebdomadarius respondebit *Noctem quietam* etc. atque ille recitabit brevem lectionem *Fratres, sobrii* etc. Ad illa autem verba *Tu autem Domine* etc. genuflexione peracta, ad locum suum debitas exsequens reverentias revertetur.

64. Ebdomadarius dicet ℣. *Adiutorium* etc. voce demissiori; atque omnes de choro se signabunt. *Pater noster* secreto in totum recitabitur, et ebdomadarius dicet confessionem, ad quam respondebit chorus, ut in hora Prima.

65. ℣. *Converte* intonabitur ab ebdomadario voce elatiori, et chorus universus se pollice dextero in pectore signabit. Ebdomadarius signans se subiunget alterum versum *Deus in adiutorium* etc. Idem ebdomadarius intonabit antiphonam *Miserere* vel *Alleluia* tempore paschali. Psalmus intonabitur a Cappellano qui ex parte ebdomadarii est, reliqui a Cappellano altero qui erit ex parte illa qua recitatum fuit *Gloria Patri* psalmi antecedentis. Antiphona repetetur a Cappellano qui est ex parte adversa ebdomadario.

66. Consurget chorus atque ebdomadarius incipiet hymnum *Te lucis* etc. quem chorus prosequetur methodo praedicta. Post hymnum ebdomadarius recitabit Capitulum *Tu autem* etc. et interea duo penultimi Cappellani venient in medium chorum et post Capitulum dicent Responsorium ac versum sequentem, cui respondebit chorus.

67. Antiphonam *Salva nos* intonabit ebdomadarius, et canticum *Nunc dimittis* inchoabitur a Cappellano qui ex eadem ebdomadarii parte erit. Initio cantici omnes signabunt se. Antiphona repetetur a Cappellano qui ex parte ebdomadario opposita erit, post ipsam recitabitur oratio *Visita* etc. ab ebdo-

madario et preces quoque, si ritus officii requiret, sed voce demissiori quemadmodum ad horam Primam notatum fuit.

68. Post orationem ebdomadarius adiiciet *Dominus vobiscum* et *Benedicamus Domino* et dignior de choro sive ebdomadarius dicet ℣. *Benedicat* etc. universis se Crucis signo munientibus ad illa verba *Pater et Filius* etc.

69. Chorus deinde genua flectet aut stabit, et ebdomadarius incipiet finalem de B. V. antiphonam, post quam recitabitur oratio ut ad horas minores.

70. Dicto ℣. *Divinum auxilium* etc. recitabitur secreto *Pater noster*, *Ave Maria* et *Credo*, post quae seu secreto seu voce demissiori recitari poterit oratio *Sacrosanctae* etc. adiuncto *Pater noster* et *Ave Maria* (*a*).

71. Officii recitandi fine facto, ad sacrarium eodem ordine ac supra redibitur.

DE VESPERIS SOLEMNIBUS

CAPUT II. (*b*)

Quae sint praeparanda.

1. Altare, prout festi ratio requirit, erit plus minusve exornatum: instructum tamen erit sex candelabris cum cereis et Cruce, cum pallio et super gradibus tapeto.

2. Ex latere Epistolae erit in promptu scamnum pro Celebrante, coopertum tapete vel simili stragulo, et ante scamnum

(*a*) Confer. adnotationem, quam subiecimus §. 1. n. 49 cap. XIV. lib. I. pag. 238. huius nostri Manualis.

(*b*) Ritus, quem hoc capite describimus, est in totum excerptus e Caeremoniali Episcoporum lib. 2. cap. 3. Haud parum differt a ritu, quem praescribunt quidam rubricarum scriptores celebrati. Nobis autem visum est Caeremonialis vestigia sequi, a Summis Pontificibus adprobati, qui iubent omnes ecclesias praescriptiones eius servare.

super pavimento parvum tapetum sternetur; ante scamnum ipsum praeparabitur legile maius cum Breviario formae maioris: legile autem tectum erit panno serico coloris praestituti, itemque Breviarium parvo tegumento eiusdem coloris indutum.

3. Si Celebrans in primo chori stallo seu dextrorsum seu sinistrorsum, prout assolet in unaquaque ecclesia, sedebit ac si ante subsellium sive stallum praedictum, positum erit genuflexorium, super hoc locabitur stratum vel tapetum sericum concolor officii, cui imponetur cussinus aeque ac Breviarium contectus, in sedili autem subsellii parabitur cussinus pro Celebrante. Quod si genuflexorium non esset, praeparabitur quo modo superius de scamno ex latere Epistolae traditum est.

4. In plano chori hinc et inde ante Altare disponentur bina scamna sine postergali, panno viridis coloris, contecta, in quibus sedebunt pluvialistae. Quae scamna ita apta erunt, ut singula capere tres personas possint. Libelli ibi duo parabuntur, qui pluvialistarum commoditati antiphonarum intonationes contineant.

5. In sacrario pluviale Celebranti loco distincto parabitur. In promptu etiam erunt duo vel quatuor vel etiam sex pluvialia pro pluvialistis (*a*); et superpellicea pro servientibus, candelabra cum candelis pro acolythis, thuribulum cum navicula, et curabitur ut tempore debito in promptu sit ignis, thuribulo adhibendus.

6. In Altari SS. Sacramenti, si mos erit illud incensandi, ponentur sex accendendae candelae in candelabris maioribus, ac tempore opportuno tela stragula quae mensam cooperit, removebitur.

In functione

7. Hora praestituta post campanarum sonum Clerus congregabitur in sacrario, et unusquisque induet sibi superpelliceum

(*a*) Quod ad numerum pluvialistarum in Vesperis, non maiorem sex nec minorem duobus, inspiciatur dispositio Caeremonialis Episcoporum lib. 2. cap. 3. num. 16, et 17. Maioris utilitatis caussa dispositionem hanc referemus num. 68. et 69. capitis huiusce.

vel aliud insigne legitime ac regulariter concessum. Interea candelae in Altari et in sacrario candelabra acolythorum accendentur.

8. Caeremoniarum magistro admonente, pluvialistae induentur pluviali supra superpelliceo, itemque Celebrans pluviali super rochetum, si uti ipsi liceat, vel supra superpelliceo. Celebrans pluviali induetur a primo ex pluvialistis, vel ab alio iuxta cuiusque ecclesiae consuetudinem.

9. Acolythi candelabra sument, ac facta ad Crucem vel ad imaginem sacrarii praecipuam reverentia, ad Altare proficiscentur; interea temporis clericus unus pulsabit campanulam ad portam sacrarii appensam. Post acolythos procedet Clerus, omnibus incedentibus binis, minus autem digni seu iuniores post acolythos, seniores propius Celebrantem erunt. Postremi ibunt pluvialistae, bini, si fuerint quatuor aut sex; Celebrans medius incedet inter duos ultimos (qui primi tamen erunt), iique pluvialis fimbrias eius sustinebunt. Pluvialistae cum Celebrante tantummodo caput bireto cooperient.

10. Acolythi, quum ante Altare devenerint, subsistent fere ad angulum infimi gradus Altaris. Clerici seu Canonici facta genuflexione, vel reverentia ad Crucem in aditu chori, sua quisque stalla petent.

11. Pluvialistae una cum Celebrante, ubi in aditum chori pervenerint, caput bireto aperient, unamque efficientes lineam ad Altare progredientur, acolythis sese adiungentibus ultimis duobus pluvialistis. Quo Celebrans cum pluvialistis postquam processerint, reverentiam ad Crucem efficient, acolythi vero genuflexionem (*a*).

12. Celebrans cum pluvialistis genua submittent in gradu infimo, orationemque *Aperi, Domine* etc. recitabunt. Acolythi transibunt ad latera Altaris, candelabra super gradus vel pavimentum deponent, candelas extinguet, deinde in chorum ad

(*a*) Pluvialistae, quum adstant Celebranti, reverentiam faciant ad Crucem a Caeremoniali, capite citato perspicue praecipitur. Ratio afferri posset quod eadem ac celebrans induti sunt veste.

constitutum sibi locum recedent, ubi geniculabunt quemadmodum et chorus.

13. Post orationem praedictam Celebrans cum pluvialistis ad nutum Caeremoniarii consurgent, reiterabunt reverentiam ad Crucem, deinde salutabunt et chorum primo ex parte opposita lateri quo sedebit Celebrans, deinde ex altera.

14. Celebrans perget ad scamnum in latus Epistolae, aut ad primam sedem seu stallum chori, ubi parumper sedebit: tum ceteri quoque qui in choro aderunt, considebunt. Pluvialistae remanebunt in plano chori ante Celebrantem, caventes ne tergum convertant ad Altare; quod si Altare versum esset ad populum et Celebrans sederet ferme adversum istud prope Episcopi thronum, pluvialistae dirimentur in chori plano, se locantes eadem directione cum lateribus Celebrantis, ne humeros ad Altare convertant.

15. Innuente Caeremoniario Celebrans assurget ac secreto recitabit *Pater noster* et *Ave Maria*. Id ipsum facient reliqui de choro, qui simul cum Celebrante consurgent.

16. Post haec Caeremoniarius elevabit fimbriam dexteram pluvialis Celebrantis, qui se signans cantabit *Deus in adiutorium meum intende*, et chorus respondens prosequetur *Domine, ad adiuvandum* etc. inclusive ad totum *Gloria Patri* cum *Alleluia*, vel *Laus tibi, Domine,* pro temporum qualitate.

17. Sub finem versiculi *Sicut erat*, alter ex praedictis pluvialistis, facta ad Altare reverentia, appropinquabit cum Caeremoniario ad Celebrantem, et completo cantu eiusdem versiculi antiphonam illi praecinet. Celebrans intonabit primam antiphonam eodem tono quo ipsi fuerit praeintonata. Antiphonae cantum prosequetur chorus.

18. Intonata a Celebrante antiphona pluvialistae facta illi reverentia procedent ante Altare ubi salutata Cruce cum genuflexione, pergent ad scamnum supradictum, pro ipsis apparatum ibique consistent.

19. Sub finem cantatae antiphonae cantores duo superpelliceo induti procedent in medium chorum, ac facta genuflexione primum psalmum intonabunt, et statim ac versum primum ce-

cinerint, convertentur ad illam chori partem, quae psalmi cantum erit prsosecutura. Deinde iterata ad Crucem genuflexione, se mutua inclinatione salutabunt et ad locum suum redibunt.

20. Primo psalmo intonato, loco quisque suo considebunt; Celebrans autem et pluvialistae caput bireto cooperient.

21. Sub finem primi psalmi, quum canetur *Gloria Patri*, omnes detegent caput et profunde inclinabunt usque ad *Sicut erat*.

22. Quum antiphona canendo repetetur, vel organa pulsabuntur, duo praedicti cantores induti superpelliceo, redibunt in medium chorum, genu ad Crucem flectent, deinde procedent ante digniorem de choro, ut mox praecinent ei secundam antiphonam.

23. Antiphonae ergo cantu peracto, alter ex illis cantoribus, reverentia facta, secundam antiphonam illi praecinet submissa voce.

24. Dignior autem, quem snpra diximus, de choro, eodem tempore quo cantor reverebitur eum, assurget, cumque eo hinc et inde chorus universus consurget, exceptis Celebrante et pluvialistis paratis (*a*).

25. Quod si pluvialistae numero plures essent quam duo, hoc casu ultimus ipsorum praecinet antiphonas praedictas eodem ordine ac supradicto, ceteris suo loco manentibus.

26. Intonata secunda antiphona, chorus considebit, et cantus praedictae secundae antiphonae continuabitur.

27. Duo deinde cantores intonabunt alterum psalmum eadem ac supra tradita methodo.

28. Id etiam servabitur in reliquis antiphonis quae alternatim intonabuntur a dignioribus Cleri atque in reliquis psalmis intonandis.

29. In quarto psalmo *Laudate pueri*, caput detegetur et ad illa verba *Sit nomen Domini benedictum* inclinabitur.

30. Post *Gloria Patri* quinti psalmi, acolythi progredientur

(*a*) Ad antiphonarum intonationem omnem chorum consurgere, non eam tantum partem ex qua intonatur antiphona, iubet Caeremoniale lib. 2. cap. 3. num. 8.

ad Altare, candelabrorum iterum accendent candelas et ad actiones, quae sequuntur, parati erunt.

31. Paulo antequam cantus antiphonarum finiatur, acolythi accipient candelabra et coibunt ante medium Altare: pari tempore pluvialistae caput aperient, consurgent de loco suo et ante Altare procedent; et tam pluvialistae, quam acolythi genuflexionem ad Altare efficient, et venient ante Celebrantem. Utrique ante ipsum quum venerint reverentia eumdem salutabunt. Pluvialistae ante illum subsistent in plano chori, ut superius in principio docuimus, acolythi autem appropinquabunt ad eum, candelabra a lateribus eius sustinentes, conversi tamen alter contra alterum.

32. Antiphonae cantu absoluto, Celebrans caput aperiens assurget, et Capitulum iunctis manibus cantabit. Assurgente Celebrante, consurget et chorus.

33. Completo Capitulo, respondebitur a choro *Deo gratias*, deinde pluvialista primus accedens aliquantum ad Celebrantem, hymnum ei praecinet.

34. Postquam Celebrans intonuerit hymnum, pluvialistae et acolythi, facta ad ipsum reverentia, redibunt ante Altare ibique peracta genuflexione, pluvialistae ad locum suum redibunt, acolythi vero deponent candelabra ubi erant, ibique consistent.

35. Sub hymni finem, thuriferarius vadet in sacrarium, praeparabit thuribulum et praesto erit quum incipietur *Magnificat*.

36. Ad ultimam hymni strophen, postremi duo pluvialistae procedent ante Altare, iisque absentibus, duo cantores superpelliceo induti, et versum tono praescripto cantabunt. Iterata ad Altare genuflexione, redibunt ad locum suum, primusque pluvialista accedet, ut supra, ad Celebrantem, et antiphonam ad *Magnificat* praecinet illi.

37. Celebrans antiphonam intonabit; deinde sedebit caput bireto cooperiens, idemque facient etiam reliqui.

38, Interim a choro canetur antiphona quam diximus, sub cuius finem duo cantores induti superpelliceo pergent in medium chorum easdem exsequentes reverentias, quas superius in intonatione primi psalmi.

39. Completo antiphonae cantu, Celebrans nudabit caput atque assurget; quod etiam facient ceteri omnes. Duo praedicti cantores immediate intonabunt *Magnificat.*

40. Celebrans iunctis manibus, comitante Caeremoniario (qui si de choro exeundum sit, sustinebit biretum eius) descendet de loco suo et reverebitur chorum. Procedet inde ante Altare, ubi se illi adiungent pluvialistae, et medius inter eos simulque cum eis reverentiam faciet ad Crucem.

41. Iam apud Altare praesto erit thuriferarius.

42. Celebrans cum duobus primis pluvialistis ascendet ad Altare, iique sustinebunt ei fimbrias pluvialis, reliquis ante Altare manentibus.

43. Quum ad Altare accesserit Celebrans, osculabitur illud in medio, seque convertet versus Epistolae latus, quin de medio discedat. Pluvialista secundus fimbriam dexteram pluvialis eius attollet; primus autem naviculam ei cum thure ministrabit, cochleare et manum illius, ut in Missis solemnibus, deosculans: thuriferarius obiiciet ei thuribulum apertum: Celebrans incensum iniiciet in thuribulum cum benedictione *Ab illo benedicaris* etc.

44. Secundus pluvialista relinquet fimbriam dexteram pluvialis Celebrantis, et se recipiet ad eius sinistram; primus autem navicula thuriferario reddita, accipiet ab eo thuribulum et cum osculis tradet Celebranti, qui facta una cum pluvialistis reverentia ad Crucem, Altare, ut in Missis solemnibus, adolebit.

45. Celebrans, thurificatione peracta, restituet in latere Epistolae thuribulum pluvialistae primo, qui illud cum osculis receptum reddet thuriferario.

46. Celebrans cum pluvialistis praedictis de Altari descendet, seque adiungens reliquis, si aderunt, ante Altare, exsequetur cum eis primum ad Crucem, deinde ad chorum hinc et inde reverentiam, quemadmodum superius in principio dictum est.

47. Ad locum suum redibit Celebrans; Pluvialistae autem manebunt in chori plano ante eum. Si in primo chori stallo sedebit, statim ac venerit illuc, digniorem Canonicum, qui proximus sibi sedebit, ad incensationem invitabit inclinatione capitis.

48. Pluvialista primus, accepto a thuriferario thuribulo,

Celebrantem incensabit *triplici ductu* et cum inclinatione profunda ante et post. Idem, thurificato Celebrante, tradet thuribulum ultimo pluvialistae, si quatuor aut sex numero erunt, secus thuriferario; et reliqui pluvialistae ad locum suum redibunt.

49. Ultimus pluvialista, vel loco eius thuriferarius adolebit Canonicos *duplici ductu* et cum inclinatione ad singulos ante et post, initium sumens ab illo, qui proximus Celebranti sedebit. Postea reliquos de choro *unico ductu* incensabit, inclinationem faciens ante et post, non tamen singulis, sed ordini simul universo. Postremo pluvialistas incensabit *duplici ductu*, sicut Canonicos; pluvialistam autem, qui thurificationem peregerit, incensabit thuriferarius, et post eum acolythos, denique populum iuxta regulas alio loco traditas.

50. Simul ac thurificatus fuerit populus, cantores vel chorus cantabit *Gloria Patri* ac thuriferarius inclinatus versus Altare subsistet eo loco, quo populum adoleverit, postea redibit in sacrarium ad thuribulum deponendum iam functus officio suo.

51. Quum cantabitur *Sicut erat*, omnes considebunt, et caput cooperient. Hoc ipso tempore, aut sub finem antiphonae, si cantu repetetur, acolythi recipient candelabra et ante Altare coibunt: pluvialistae quoque, capite detecto, consurgent et procedent ante Altare; acolythi et pluvialistae reverentiam ad Crucem cum genuflexione efficient, et venient ante Celebrantem, quem reverentia honorabunt. Pluvialistae subsistent in plano chori, ut in principio dictum est; acolythi vero ad latera Celebrantis accedent, ibique facie alter contra alterum versa manebunt.

52. Antiphona repetita, Celebrans caput deteget atque assurget, et chorus universus cum eo. Celebrans iunctis manibus cantabit *Dominus vobiscum* et orationem. Post orationem officii quod fit in die, si et aliae fient commemorationes, cantabitur a choro respectiva antiphona, quae dum canetur, duo pluvialistae ultimi, si plures erunt quam duo, secus duo cantores, ut supra, procedent in medium chorum; tum cantabunt versum, ad quem chorus respondebit, et Celebrans orationem recitabit. Post orationem ultimam, Celebrans adiiciet *Dominus vobiscum* et pluvialistae vel cantores praedicti canent *Benedicamus Domino*.

53. Interim acolythi, facta ad Celebrantem reverentia, discedentes ab eo progredientur in medium chorum versus aditum presbyterii, et facta ad Crucem genuflexione, ibi subsistent, ut inferius.

54. Post *Benedicamus Domino* quum responsum erit a choro *Deo gratias*, Celebrans subiunget demissa voce ℣. *Fidelium animae* etc.

55. Si sequetur Completorium, Celebrans discedet de suo loco et additus pluvialistis procedet ante Altare, ibique facta cum iis reverentia, ab acolythis autem genuflexione, deinde ab omnibus reverentia ad chorum ex utraque parte, ut in principio declaratum est, in sacrarium revertentur.

56. Quod si Completorium non sequetur, Celebrans remanens loco suo post versum *fidelium animae* etc. recitabit secreto *Pater noster* et postea *Dominus det nobis* etc. chorus respondebit *Et vitam* etc. Celebrans statim demissa voce inchoabit finalem de Beata Virgine antiphonam, quam voce item demissa prosequetur chorus seu stans pedibus, seu flexis genibus pro temporis varietate. Post antiphonam ipse Celebrans similiter voce demissa adiiciet versum et orationem respondentem, post quam complebit Vesperas dicens ℣. *Divinum auxilium* etc. et a choro respondebitur *Amen* (*a*).

57. Tum quo ordine docuimus in principio, ad sacrarium redibitur.

58. Si mos erit adolendi Altare SS. Sacramenti, quod non praescribitur a Caeremoniali Episcoporum cap. 3. lib. 2. ubi sermo est de Vesperis in ecclesiis minoribus, servabitur ritus quem heic subiungimus (*b*).

59. Acolythi sub finem antiphonae, quae praecedit *Magnificat*, sumptis candelabris, discedent de Altari et subsistent apud finem presbyterii, non facientes genuflexionem. Ibi quoque aderit thuriferarius cum thuribulo.

(*a*) Ab eodem Caeremoniali praecipitur, ut antiphona finalis recitetur voce demissa, sine cantu, quin Celebrans de suo loco abscedat et ante Altare progrediatur.

(*b*) In adolendo Altari SS. Sacramenti et illius etiam Sancti, de quo festum sive officium celebratur, retinebitur usus cuiusque loci.

60. Ubi intonatum erit *Magnificat*, Celebrans discedens e loco suo procedet ante Altare, se locabit inter pluvialistas, cum quibus facta ad Altare et chorum reverentia, proficiscetur ad aditum presbyterii capite detecto. Acolythi genuflectent ad Altare et salutabunt chorum una cum Celebrante et pluvialistis.

61. Si mos erit, ut quidam Canonici sive alii de Clero Celebrantem ad thurificationem sequantur, spectabit ad Caeremoniarium eos admonere, quumque de loco descendet Celebrans, et ipsi de stallo suo descendentes procedent in medium chorum post Celebrantem, reverentiam aut genuflexionem ad Altare efficient, deinde salutabunt chorum simul cum Celebrante, tum in binas alas dirimentur, ut dent Celebranti locum libere transeundi.

62. Celebrans cum pluvialistis, sequentibus Canonicis seu clero proficiscentur ad exitum chori, quo quum venerint, bireto operient caput.

63. Anteibit thuriferarius cum thuribulo, sequentur acolythi cum candelabris, post eos pluvialistae duo iunctis manibus et capite bireto operto, tum alii duo pluvialistae, ut supra, postremo Celebrans capite cooperto et medius inter reliquos duos pluvialistas, qui et ipsi biretum capite gestantes, fimbriam pluvialis Celebrantis sustinebunt. Post hos incedent Canonici bini digniores, sive seniores sequentur proxime Celebrantem, deinde reliqui minus digni.

64. Ad Altare SS. Sacramenti quum venerint, thuriferarius genu flectet et recedet ad latus Epistolae prope gradus: acolythi, nulla facta genuflexione vadent ad latera Altaris ante gradus, pluvialistae nudabunt caput, dirimentur unam efficientes lineam cum acolythis ante Altare: quo ubi venerit Celebrans caput aperiet, biretum tradet pluvialistae dextrorsum assistenti, pluvialista autem tradet illud Caeremoniario una cum suo; tum simul cum Canonicis sequentibus Celebrantem, qui non abscedent de loco suo, genuflectent omnes ad SS. Sacramentum.

65. Celebrans cum duobus pluvialistis assistentibus, ad Altare ascendet, et illud in medio osculabitur, imponet incensum et Altare adolebit, ut supra; monemus autem ut genuflexionem faciat, non vero reverentiam.

66. Post thurificationem, quo ordine supra diximus, redibunt ad chorum, cuius in aditum ubi ventum erit, acolythi cum thuriferario efficient unam lineam cum Celebrante et pluvialistis, atque hi, detecto capite, chorum hinc inde salutabunt et ad Altare procedent.

67. Ante Altare quum venerint, reverentiam, ut supra, facient, acolythi autem genuflexionem, post quam statim vadent ad candelabra deponenda. Celebrans incensum in thuribulum non reponet.

68. Ad ultimum monemus quod Caeremoniale Episcoporum cap. 3. lib. 2. praescribit hoc modo celebrari Vesperas, *diebus Dominicis et festivis quae a populo observantur*. Porro praecipit ut secundum diversitatem festorum aliquod intersit discrimen in numero pluvialistarum, qui tamen diebus solemnioribus sex erunt numero, videlicet in die Nativitatis Domini, Epiphaniae, in Dominica Resurrectionis, in festo Ascensionis, Pentecostes et Corporis Domini, praeterea in festis Apostolorum Petri et Pauli, Assumptionis B. Virginis, omnium Sanctorum, Titularis Ecclesiae, Patroni civitatis, et in anniversario dedicationis ecclesiae.

69. Diebus qui immediate sequuntur festa Natalis, Paschae Pentecostes, itemque in Circumcisione J. C. Purificatione, Annunciatione et Nativitate B. V. in festo SS. Trinitatis, S. Joannis Baptistae quatuor aderunt pluvialistae: in Dominicis aliisque festis duo tantum. Diebus ferialibus nec festivis, seu de ritu duplici seu semiduplici, ebdomadarius seu Celebrans non erit paratus, neque Altaris fiet thurificatio.

DE MATUTINO SOLEMNI.

CAPUT III.

Quae sint praeparanda.

1. Altare plus minusve exornatum iuxta ritum et festi qualitatem erit.

2. In Altaris lateribus super gradu secundo ponentur humi candelabra cum candelis extinctis gestanda ab acolythis.

3. In cornu Epistolae statuetur scamnum Celebrantis tapeto congruo paratum: alterum parvum tapetum sternetur in pavimento ante scamnum praedictum, super quo locabitur, legile cum panno serico eius coloris, quem requirit Officium, et in legili praeparabitur Breviarium maioris formae cum signaculis et tegumento respondente ad usum Celebrantis.

4. Si Celebrans sedebit in primo chori stallo, hoc casu in genuflexorio quod respondet primo stallo versus Altare, vel ex cornu Epistolae vel in cornu Evangelii, secundum sedem quae spectat ad ebdomadarium, ponetur pannus sericus concolor officii cui imponetur cussinus eiusdem coloris et super eo Breviarium. Alter autem cussinus Celebrantis commoditati in sedili locabitur. Sin genuflexorium in stallo deesset, ponetur legile et parvum tapetum, ut supra traditum est.

5. In medio choro praeparabitur legile cum Breviario et altero libro cui titulus *directorium chori* ad usum cantorum.

6. Proxime ad Altare in aliquo contiguo cubiculo, vel in sacrario, si proximum sit, aut si desit alius locus, super abaco pluviale distinctum pro Celebrante et alia duo pro cantoribus in promptu erunt.

7. Ex qua parte sedebit Celebrans, in chori plano statuetur scamnum parvum sine postergali, panno viridis coloris contectum pro cantoribus.

8. In altero chori latere ponetur legile maius pro cantoribus, cum libris antiphonario et psalterio.

9. In sacrario thuribulum cum navicula, et opportuno tempore ignis in thuribulo imponendus in promptu erunt.

In functione.

10. Hora statuta, postquam iam signum incipiendi Matutini dederit campanarum sonus, quum unusquisque de Clero superpelliceo vel alia veste, regulariter ad ipsum spectante. indutus fuerit, Clericus aliquis pulsabit campanulam sacrarii, vel chori

haec diversa erit a campanula sacrarii, et ad Altare procedetur ordine sequenti (*a*).

11. Magister seu Magistri Caeremoniarum praeibunt; sequentur duo Beneficiarii seu clerici cantores: post hos solus incedet Celebrans sive ebdomadarius quem sequentur reliqui omnes de choro bini, dignioribus seu senioribus apud Celebrantem euntibus.

12. Ubi ante Altare ventum erit, Celebrans cum cantoribus, genuflectent ante Altare, hi super pavimento, ille in gradu infimo, et ceteri de Clero in plano chori, se ante Altare ordinatim disponentes, vel remanebunt secundum chorum, dignioribus semper Celebranti et Altari propius stantibus. Caeremoniarius assistens Celebranti advertet ut eum adgeniculatum detineat, donec in pavimento geniculaverint omnes ii, qui locum in choro capere debebunt.

13. Quum universi submiserint genua, a Celebrante et a reliquis secreto recitabitur oratio *Aperi, Domine, os nostrum* etc.

14. Post orationem praedictam recitatam, innuente Caeremoniario, assurget Celebrans cum duobus cantoribus, pariter et reliqui omnes qui geniculaverint, consurgent.

15. A Celebrante et assistentibus reverentia ad Altare tum ad Clerum hinc et inde peragetur. Celebrans vadet ad primum stallum in eam partem, quae attributa fuerit ebdomadario, ibique sedebit. In plano chori subsistent duo cantores ante Celebrantem, caventes tamen ne tergum ad Altare convertant. Prope Celebrantem erit Caeremoniarius.

16. Simul ac de Altari Celebrans discesserit, ceteri de Clero petent stallum quisque suum, iuxta dignitatem aut gradum ad ipsos spectantem.

17. Posteaquam universi locum sibi proprium occupaverint Caeremoniario admonente, Celebrans assurget et recitabit totum

(a) In his documentis tradendis sequuti sumus ea quae praescribit Caeremoniale Episcoporum, quemadmodum fecimus in Vesperis solemnibus. Quibusdam in Ecclesiis solet pluviali parari Celebrans principio Matutini. Examine regularitatis huiusce moris, qui a Caeremoniali videtur exclusus, abstinemus.

secreto *Pater noster, Ave Maria* et *Credo*. Reliqui etiam qui in choro aderunt, secreto, ut supra, recitabunt.

18. Tum Celebrans se in ore pollice dextero signans, cantabit *Domine, labia mea aperies* ac responso a choro *Et os meum* etc. se manu signans continuabit canere *Deus, in adiutorium* et chorus respondebit *Domine ad adiuvandum* etc. *Gloria Patri* etc. *sicut erat* etc.

19. Dum canetur *Gloria Patri*, tum Celebrans, tum reliqui omnes caput versus Altare profunde inclinabunt.

20. Quum cantabitur *Sicut erat* etc. duo cantores, facta ad Celebrantem reverentia, abscedent ab eo et in medium chorum ad legile ibi paratum ibunt, ubi genu flectent ad Crucem et cantabunt Invitatorium atque psalmum *Venite exultemus*, iuxta cantum in respectivis diebus praescriptum. Chorus ad invitatorium, ac deinde versus psalmi respondebit.

21. Ad illa verba *Venite adoremus et procidamus ante Deum*, genu flectent cantores, Celebrans et chorus; postea cantores iidem assurgentes, prosequentur *Ploremus coram Domino* etc. (*a*).

22. Cantores duo, postquam totum invitatorium cecinerint genu flectent ad Altare, et vadent ante Celebrantem, subsistentes in plano chori, eidemque Celebranti facta profunda reverentia, primus eorum qui dexterae adstabit socii, illi praecinet hymnum.

23. Meminerint duo illi cantores secum ferre librum inscriptum *Directorium chori*, quo utantur ad intonandas notis musicis antiphonas.

24. Celebrans intonabit hymnum, qui a choro cantabitur, vel etiam alternatim intercalabitur organorum sonus, si hoc ritus officii patietur. Quum in ultimo versu nominabitur SS. Trinitas, caput ab omnibus Altare versus inclinabitur.

(a) Quidam rubricarum scriptores docent minime esse cantoribus genuflectendum ad verba *Venite adoremus*; sed supplendum esse genuflexione post absolutum illius versus cantum: Caeremonialis tamen patet dispositio lib. 2. cap. 6. n. 8. ubi haec praecipit « tam ipsi cantores et Celebrans, quam alii omnes genuflectunt ».

25. Hymni cantu completo, primus cantor superius indicatus, primam primi nocturni antiphonam praecinet Celebranti, qui eam intonabit ex libro, seu Breviario, quod ante se habebit. Interim chorus cantorum antiphonae cantum prosequetur.

26. Duo praedicti cantores, Celebranti, postquam intonuerit antiphonam, reverentiam facient, et vadent in medium chorum ad legile ipsis praeparatum, ibique facta ad Crucem genuflexione, stabunt ad Altare conversi.

27. Prima antiphona a choro cantata, iidem cantores duo primum psalmum iuxta tonum indicatum intonabunt, et reverentiam facient ad eam chori partem, quae prosecutura sit cantum psalmi, atque iterata ad Crucem genuflexione, sibique mutua facta reverentia, pergent sessum ad scamnum supradictum situm in plano chori versus illam partem, in qua Celebrans sedebit.

28. Psalmo intonato, considebunt omnes et ipse Celebrans.

29. Duo praedicti cantores post primum et alterum psalmum, itemque deinceps in fine cantus tertii responsorii primi nocturni, post primum et alterum psalmum secundi nocturni, tum post tertium responsorium secundi nocturni, ed post primum et alterum psalmum tertii nocturni, aut quum repetetur *Sicut erat* in *Gloria Patri*, aut sub finem cantus antiphonae, si a choro antiphonae cantus repetetur, et relate ad responsoria quum versus cantatus post *Gloria Patri* repetetur, consurgent de loco suo, procedent ante Altare prope legile, genuflectent ad Crucem, deinde vadent ante Canonicum sive alium cui continget intonare antiphonam secundam, tertiam etc. Subsistent in plano chori, eumque salutabunt qui debebit antiphonam intonare, quique assurget, et cum eo consurget universus chorus. Statim ac sit absolutus cantus seu repetitio primae antiphonae, secundus cantor mediocri voce praecinet ei secundam antiphonam, quam ille intonabit et chorus cantorum prosequetur canendo. Cantores, intonata antiphona, salutabunt illum et ad legile in medium chorum redibunt, ibique facta ad Crucem reverentia consistent. Chorus, intonata antiphona, considebit. Post cantatam secundam antiphonam, duo illi cantores intonabunt secundum

psalmum atque ordine supra dicto, ad suum scamnum redibunt, ubi sedebunt.

30. Antiphonarum secunda a digniori, qui sedebit primo loco contra Celebrantem, intonabitur, tertia a secundo digniori qui sedebit proximus post Celebrantem; quarta a secundo digniori qui sedebit post eum, qui secundam intonuerit, atque ita porro.

31. Sub finem autem tertii psalmi, vel antiphonae cuiusque nocturni duo illi cantores vadent ad legile praedictum, et facta ad Crucem genuflexione, ubi repetita fuerit antiphona tertii psalmi, conversi ad Altare cantabunt versum ante lectiones dicendum, eoque cantato iterum genuflectent et ad locum, quo sedent, redibunt.

32. Interea dum cantabitur praedictus versus, alter caeremoniarum Magister approximabit in plano chori ante Canonicum sive alium qui canturus sit primam lectionem et reverebitur eum. Canonicus sive alius, ut supra, reverentia illi respondebit, de loco suo descendet eique se addet. Pergent in medium chorum, et facta reverentia ad Crucem Altaris, tum ad chorum, primo ad partem in qua erit Celebrans, deinde ad alteram, accedent ad legile in medio positum, quo usi sunt duo cantores ad canendum invitatorium et intonandos psalmos, ibique subsistent ante Altare conversi.

33. Simul ac duo superius nominati cantores, post psalmos cantaverint versum, quibus Chorus respondebit, Celebrans et totus chorus consurget.

34. Versu absoluto, Celebrans alta voce cantabit *Pater noster* et secreto continuabit reliqua.

35. Celebrans perget canere *Et ne nos inducas in tentationem* chorus autem respondebit *Sed libera nos a malo*, minime tamen adiiciens *Amen* Celebrans tum cantabit absolutionem primam, nempe *Exaudi Domine Jesu Christe* etc. Post quam chorus respondebit *Amen.*

36. Canonicus sive alius, qui canturus sit lectionem primam, stans ante legile, iunctis manibus et ad Celebrantem conversus, petet benedictionem, canens *Jube, Domne, benedicere.* Celebrans respondebit canendo *Benedictione perpetua* etc. Ca-

nonicus sive alius, ut supra, adhuc inclinatus versus Celebrantem perstabit, donec chorus post benedictionem praedictam responderit *Amen*.

37. Post *Amen* a choro responsum, considebunt universi, et Canonicus sive alius, ut supra, impositis legili manibus, primam lectionem, quam supra nominavimus, tono praescripto cantabit. Ad illa verba *Tu autem Domine* etc. reverentiam faciet ad Crucem, si Canonicus, secus genuflexionem, nullamque adiiciens aliam inclinationem aut genuflexionem, iterabit reverentiam ad chorum, et comitante Caeremoniario ad stallum suum redibit. Ibi antequam sedeat, reverebitur Caeremoniarium qui comitatus fuerit, et Caeremoniarius simili reverentia respondebit. Ille sedebit; Caeremoniarius autem subsistet in plano chori, vel alia parte expectans tempus invitandi secundum Canonicum, sive alium ad quem spectabit canere alteram lectionem, idque faciet sub finem responsorii.

38. Interea cantabitur primum responsorium, vel etiam pars illius, si organorum sonus intercalabitur.

39. In secunda, tertia, quinta, sexta et octava, unus Celebrans ad benedictionem assurget.

40. Quod ad modum canendi reliquas lectiones, servabitur methodus iam tradita.

41. Lectiones canentur a Canonicis, praesertim diebus solemnioribus. Monemus autem, quod digniores sive seniores ultimas, minus antiqui primas cantent oportet. Si numero hi satis non essent, alii ex eodem clero supplebunt.

42. Sub finem tertii nocturni (idque pendebit ex maiori aut minori distantia loci in quo parata erunt paramenta) Celebrans et duo cantores, innuente Caeremoniario, discedent de loco suo et ad medium chorum descendent, ubi reverentiam facient ad Crucem et Clerum, et pergent ad induendum sibi pluviale, quod Celebrans imponet rocheto, si uti licebit, secus superpelliceo, ut duo cantores. In chorum redibunt dum repetetur antiphona tertii psalmi, atque iterata ad Altare et ad chorum reverentia Celebrans ad stallum suum sive ad scamnum, in Epistolae cornu paratum, gradum referet, duo cantores autem subsistent ante legile ut cantent versum.

43. Matutini cantus eadem ac superius indicata methodo continuabitur: notandum tamen, quod in Evangelii lectione, qui omnes in choro aderunt, capite nudato stabunt.

44. Dum canetur octavum responsorium, acolythi duo discedent de loco suo, vadent ad Altare et candelas in candelabris ibi paratis, nisi iam accensae fuerint, accendent.

45. Posteaquam cantatum erit *Gloria Patri* octavi responsorii, acolythi, sumptis candelabris, ante Altare coibunt, duo praedicti cantores pluviali induti, discedent de scamno quo sedebant et procedent et ipsi ante Altare: genu simul flectent ad Crucem, tum venient ante Celebrantem, quem reverentia salutabunt. Pluvialistae seu cantores consistent in plano chori ante Celebrantem, quin humeros ad Altare convertant; acolythi vero accedent ad eum candelabra sustinentes, qui ita se locabunt, ut alter ad alterum spectet.

46. Assurget Celebrans ac totus chorus cum eo. Ipse conversus ad digniorem de choro benedictionem ab illo petet dicens, *Jube Domne benedicere* et dignior respondebit *Ad societatem* etc. vel *Per evangelica dicta* etc. pro lectionis qualitate.

47. Quum chorus responderit *Amen*, Celebrans iunctis manibus cantabit lectionem nonam, post quam cantor primus ei praecinet *Te Deum*. Tum Celebrans *Te Deum* intonabit, quod chorus canendo prosequetur.

48. Intonito a Celebrante *Te Deum*, pluvialistae et acolythi, facta ad illum reverentia, redibunt ut supra, ad Altare et genuflexionem peragent: acolythi, depositis ubi erant candelabris, ad locum suum redibunt, itemque pluvialistae. Ad ℣. *Te ergo quaesumus*, universi, quo loco erunt, genuflectent.

49. Post Matutinum sine mora sequuntur Laudes, quae canentur eodem ordine ac supra capite praecedenti de Vesperis solemnibus dictum est; illud tamen monemus quod ad canticum *Benedictus*, chori tantum Altare est adolendum.

CAPUT IV.

Quae sint praeparanda

1. Missa solemnis ad Altare maximum fere solet celebrari. Nulla tamen lege vetatur quominus in alio Altari celebretur, si huiusmodi mos esset, praesertim si festiva redeat memoria Sanctorum, quibus Altaria sive minora sacella dicata sunt.

2. Quodcumque caeteroquin sit Altare in quo canenda sit Missa, si in illo custodiatur SS. Sacramentum, removendum inde erit et transferendum in aliud Altare, decenter instructum in re tali, et apparatum, quemadmodum perspicue iubet Caeremoniale Episcoporum lib. 1. cap. 12. §. 8. Quocira SS. Sacramenti amotio ab Altari, in quo canetur Missa, fieri poterit aut paullo ante Missam solemnem, aut primo mane eius diei, vel etiam pridie, ut videbitur illius Ecclesiae praeposito, aut pro circumstantiis Ecclesiae ipsius in frequentia fidelium ad sacram mensam accendentium, aut aliis de causis, quarum ratio erit habenda.

3. Altare in quod SS. Sacramentum transferendum sit, remotum oportet sit ab altero, ubi Missa canenda erit, sit convenienter, ut diximus exornatum, neque desit conopaeum congrui coloris super tabernaculo et lampades ardentes.

4. Ubi amotum sit SS. Sacramentum ab Altari in quo Missa cantabitur, exuetur conopaeo tabernaculum, seu ciborium, ac si opus fuerit, porticula eiusdem tabernaculi erit aperta.

5. Altare, in quo Missa solemnis celebrabitur, erit plus minusve splendide decoratum, prout festi ratio requirit. Hac super re poterit ex iis, quae in relativis capitibus tradentur, quaedam excipi norma. Super Altari locatae erunt tres mundae tobaleae, ac superior hinc inde a lateribus defluet usque ad humum; Altare ornabitur pallio concolore Missae paramentis;

super eodem erunt sex candelabra cum Cruce, et in candelabris cerei congruentes ex cera alba insistent (*a*). Candelabris interponi poterunt Sanctorum imagines, vel thecae quibus Sanctorum reliquiae continentur, vel etiam vasa cum floribus iuxta rationem officii. Aderunt quoque tabellae secretarum, sive ut vulgo appellantur, carthaegloriae in medio ad pedes Crucis, pro oratione ad *Lavabo* in cornu Epistolae, et pro Evangelio s. Joannis recitando in latere Evangelii. Laudabilis quarumdam Ecclesiarum est usus hanc ultimam tabellam ab Altari amovendi, quum aliud Evangelium est recitandum, siquidem esset abs re; ac si forte oblitus esset, posset in memoriam Celebrantis revocare, quod illa die aliud praescribitur Evangelium. In latere Epistolae disponetur cussinus cum Missali, convenienti tegumento instructo, ac tum cussinus tum tegumentum oporteret, ut eiusdem panni serici essent ac reliqua paramenta, quae in Missa solemni adhibentur.

6. Altaris gradus sternentur tapeto plus minusve spectabili, prout solemnitas ritus sibi postulabit.

7. In cornu Epistolae statuetur scamnum cum modico dorsuali seu postergali, quo Celebrans cum Ministris considebit: scamnum instruetur aulaeo laneo, quod conveniat solemnitati: oportet ut scamnum sit aequale, sine fulcris, sine prominentia, aut discrepantia ulla pro Celebrante; nullus, ne Celebranti quidem, supponatur pulvinus. Licebit tamen uti exiguo suppedali ligneo, quod exiguo etiam contegetur tapeto viridis coloris. Interdicitur usus sedium cameralium et Celebranti et Ministris, itemque sedes ut aiunt cameralis pro Celebrante ac duo scabella pro Ministris.

8. Aequum esset ut ad Altare idem non deessent candelabra maiora cum cereis locata non ad latera Altaris, sed a lateribus presbyterii in aditu iuxta parietes templi.

(*a*) Monemus, quod candelae oportet ut sint ex alba non picta cera. Summus Pontifex tantum in Missis pontificalibus utitur candelis coloratis seu pictis.

Quod ad candelarum numerum spectat diebus ferialibus in Cathedralibus et Collegiatis adhibendum, inspiciatur Caeremoniale Episcoporum lib. 1. c. 12. num. 24.

9. In cornu Epistolae parvus apparabitur abacus ex toto coopertus linea tobalea munda, in quo res ab aedituo disponentur in Missa solemni adhibendae, videlicet calix cum purificatorio, patena, hostia et palla, suo velo contectus, superque eodem cum corporali bursa, cuius apertura verget ad anteriorem abaci partem: item ampullae vini et aquae in pelvicula: sudariolum seu manutergium: campanula pro elevatione nuncianda: duo funalia pro elevationis tempore, quae, si mos erit e sacrario afferre accensa, non parabuntur in abaco: thuribulum cum navicula, nisi in sacrario praeparabitur: Evangeliarium et Epistolarium, aut ipsorum loco Missale, cuius tegumentum erit eiusdem coloris eiusdemque panni ac paramenta: velum humerale pro Subdiacono: si fiet Communio sacrorum Ministrorum et Cleri, in promptu erit pixis cum operculo et sufficienti particularum numero, velum seu tobalea linea albi coloris, ante communicandos porrigenda.

10. In sacrario autem super mensa praecipua seu nobiliori, quae contecta erit tapeto sive strato panni viridis, aderunt paramenta pro Celebrante et Ministris, videlicet in medio planeta cum stola et manipulo, a dexteris planetae manipulus, dalmatica et stola diaconalis, sinistrorsum autem manipulus et tunicella, superque iis cingulum, alba et amictus tam Celebrantis quam Ministrorum. Paramenta ac tota res lintearia erunt plus minusve nobilia secundum festi rationem. Aderunt etiam tria bireta, a Celebrante et Ministris singula adhibenda. Apud eumdem abacum in promptu erunt duo candelabra pro Acolythis, et superpellicea quae clericis Sacro inservientibus satis sint. Parata erunt etiam funalia pro elevationis tempore, si e sacrario afferri soleant, et foculus cum igne ardenti, ferendus prope abacum in abditum locum, vel relinquendus in sacrario, si ibi parabitur thuribulum.

In functione.

11. Statuta hora unum aut plura incipiendae functioni signa fient omnium vel aliquot campanarum sono, ex more cuiusque loci et qualitate festi.

12. Quarta fere horae parte ante functionem, congregabuntur in sacrarium Ministri et reliqui inservientes. Hi superpelliceo induentur super veste talari, ac taciti animoque in Deum intento expectabunt donec significabitur eis quo quisque officio fungi debeat. Quod attinet ad Ministros, praevidebunt alter Epistolae, alter Evangelii cantum; Diaconus autem praevidebit etiam cantum de *Ite Missa est,* vel *Benedicamus Domino,* aut alia re, quam sit canturus.

13. Praesto erit et Celebrans, qui in Missae praeparatione immorabitur, et opus erit ut mente percipiat quidquid erit canendum.

14. Hora praestituta, quum a Caeremoniarum Magistro nunciabitur, Acolythi, nisi maior sit clericorum numerus, vel etiam thuriferarius vadet ad Altare et sex candelas ac duos cereos maiores accendet: alter ex Acolythis in sacrario accendet candelas in candelabris ab iisdem Acolythis gestandis: deinde Celebrans et Ministri ad nutum Caeremoniarii accedent ad tabulam, seu mensam, in qua erunt in promptu paramenta ab ipsis induenda, ibique se simul parabunt. Celebrans adiuvabitur a Caeremoniario, et Ministri ab Acolythis (*a*). Celebrans induetur amictu, alba, cingulo, manipulo, stola et casula quo modo traditum est pro Missa privata. Diaconus et Subdiaconus induent sibi amictum, albam et cingulum eodem modo ac Celebrans; Diaconus autem stolam osculatus imponet sibi humero sinistro, cohibens illam cingulo super dexterum latus; dehinc sibi induet dalmaticam, prius immittens eam per caput, deinde per brachium dexterum, postremo per laevum; eamque clericus, qui adiuvabit, ligabit illi taeniis seu chordulis super humeros, denique manipulum osculatus imponet sibi, quem clericus idem taeniis nectet, ne ad manum decurrat. Subdiaconus autem tunicellam sibi induet eodem modo ac Diaconus dalmaticam, tum manipulum in brachio laevo, quemadmodum de Diacono dictum est. Postea Celebrans et Ministri bireto caput cooperient.

(*a*) Ut Ministri adiumento Celebranti sint in induendis sacris vestibus rubrica non praescribit. Extat etiam decretum S. C. Rituum sub die 13 Iunii 1676 in Neapolitana ad 3. « An Diaconus et Subdiaconus debeant adiuvare celebraturum dum sacras induit vestes? ℟. *Negative.*

15. Thuriferarius postquam cereos Altaris, ut monuimus, accenderit redibit in sacrarium, et nisi adsit alter clericus, quum omnia in promptu sint, signum campanula sacrarii dabit; quo facto ad Acolythos redibit (*a*).

16. Acolythi, paratis Ministris, candelabra cum accensis candelis sument et in medio sacrario vel apud Celebrantem et Ministros subsistent, siquidem id pendet ex forma loci.

17. Meminerint Acolythi qua ratione sustinenda ab ipsis sint candelabra tum hac cum aliis occasionibus, quibus gestanda erunt. Qui Acolythus dextrorsum incedet, manum dexteram nodo, laevam pedi applicabit: qui sinistrorsum, sinistram nodo, dexteram pedi apponet; quumque locus mutandus sit, quin varient situm suum, alteram pro altera manu ad candelabrum substituent, atque ita praescriptam positionem servabunt.

18. Quum omnia ad proficiscendum ad Altare disposita erunt, Caeremoniarius signum dabit Ministris; iique capite nudato de loco quo paramenta induerint, in medium sacrarium procedent, dextera sustinentes biretum, Diacono dextrorsum adstante Celebranti, Subdiacono sinistrorsum: illuc quum venerint, manentibus post eos Acolythis cum candelabris accensis et post Acolythos thuriferario iunctis manibus profundam reverentiam ad Crucem vel ad imaginem praecipuam sacrarii exsequentur, postea caput bireto cooperient: profundam reverentiam et thuriferarius faciet, non vero Acolythi, qui manibus candelabrum gestantes, peragent modicam capitis inclinationem.

19. Procedent ad Altare, thuriferarius iunctis manibus apud eum Acolythi simul incedentes, post hos Subdiaconus, deinde Diaconus, postremo Celebrans, adstante sinistrorsum Caeremoniarum Magistro.

20. In limine sacrarii, thuriferarius dextera sumet aquam benedictam seque signabit: Acolythi autem non ita: Caeremoniarius digito medio manus dexterae aquam benedictam accipiet et Subdiacono ac Diacono porriget. Diaconus conversus super

(*a*) Non est a Celebrante thus in thuribulum imponendum, antequam e sacrario discedatur ad Altare.

dexteram suam offeret eam Celebranti. Celebrans et Ministri aquam sanctam accipientes, caput bireto dextera detegent transmissoque bireto in sinistram, quam infra pectus cum bireto applicabunt, Crucis signo se munient, ac dextera resumpto bireto caput rursus cooperient.

21. Si transeundum sit ante Altare SS. Sacramenti, vel ante Altare maximum (in hypothesi quod Missa in Altari laterali cantetur) vel etiam ante Altare, in quo essent loco principali expositae Reliquiae eius Sancti, cuius celebratur festum, thuriferarius cum Acolythis subsistent loco quo erunt, conversi ad Altare, ante quod erit peragenda reverentia aut genuflexio; Subdiaconus et Diaconus etiam subsistent et caput detegent ac locum Celebranti dabunt, ut transeat et medius inter eos consistat: deinde uno eodemque tempore genuflexionem, si fieri debeat, exsequentur Celebrans, Ministri, Acolythi ac thuriferarius; sin facienda sit reverentia profunda, peragent eam, ut docuimus relate ad Crucem vel Imaginem sacrarii.

22. Ad Altare ubi ventum erit, in quo canenda erit Missa, in aditu Presbyterii, si Clerus in choro aderit, thuriferarius subsistet versus sinistram aditus, Acolythi dirimentur ad latera, et inter Acolythos se locabit Celebrans cum Ministris a lateribus, qui caput bireto nudabunt; Subdiaconus biretum tradet thuriferario vel Caeremoniarum Magistro, Diaconus Caeremoniario, et Celebrans Diacono qui accipiet cum osculis manus et bireti ipsius, deinde tradet eidem Caeremoniario. Postea momento temporis subsistentes, efficient simul reverentiam ad chorum, primo in latere Evangelii, deinde Epistolae. Peracta reverentia, recta linea procedent ad Altare, quo ordine dictum est in aditu chori.

23. Si Clerus a choro aberit, thuriferarius, Acolythi, Ministri et Celebrans ordine supra dicto venient ad Altare, neque ullam facient reverentiam.

24. Quod si Clerus incederet simul cum Celebrante ad Altare, exeundo e sacrario clerici superpelliceo induti, biretum ant pectus manu substinentes, coibunt bini post Acolythos, eoque casu Celebrans et Ministri signum proficiscendi a Caeremoniario expectabunt, priusquam addantur, ut dictum est, et sequantur

clerum. In aditum presbyterii ubi ventum erit, thuriferarius et Acolythi venient ante Altare et genuflectent. Thuriferarius subsistet apud abacum ut promptus sit ad praeparandum et ad deinde ministrandum thuribulum. Duo Acolythi dirimentur et consistent versus extremitatem gradus infimi Altaris in parte anteriori, facie alter contra alterum versa, expectantes Celebrantem cum Ministris. Clerici ad Crucem Altaris exsequentur bini genuflexionem, post quam mutua ad invicem facta reverentia, locum petent quisque suum, in quo consistent stantes. Si aderunt Canonici in sua Ecclesia, reverentiam profundam ad Crucem et inclinationem ad invicem sibi peragent. Hoc casu Celebrans et Ministri capite nudato subsistent recta linea in aditu presbyterii; procedent, ut dictum est superius, ante Altare, sed reverentiam ad Clerum in choro minime efficient: Acolythi se convertent ad Altare quum Celebrans et Ministri supervenient.

25. Ante Altare Ministri et Acolythi genu simul flectent ad Crucem, praeter Celebrantem, qui reverentiam profundam exsequetur, si in tabernaculo non aderit SS. Sacramentum. Si Ministri fuerint Canonici et in sua Ecclesia, profundam reverentiam, ut Celebrans, efficient, idque servabunt etiam deinceps.

26. Acolythi, genuflexione peracta, vadent ad abacum in quo ponent candelabra, quae in extremitatibus lateralibus ex parte posteriori eiusdem abaci statui debebunt. Candelabris in abaco depositis, ante ipsum submittent genua, iunctis manibus et ad Altare conversi.

27. Caeremoniarius deponet bireta in scamno tribus locis distinctis.

28. Celebrans submissa voce incipiet Confessionem, ad quam Ministri et Acolythi quoque, nisi aberunt ab Altari, respondebunt.

29. Clerus in choro geniculabit et cum socio quisque suo bini Confessionem recitabunt: clericus, qui propior erit Altari, incipiet et alter qui relate ad Altare erit post illum respondebit ad eamdem Confessionem: si in extremitate scamni choralis dispar esset numerus, ut tres superessent, Confessio fiet ab eo qui medius erit, reliqui duo respondebunt.

30. Si in choro aderunt Praesules, aut Canonici in sua Ecclesia, Confessionem recitabunt stantes (*a*).

31. Cavere autem Clerus debet, ne Confessionem ad invicem incipiat, nisi iam a Celebrante inchoata sit.

32. Thuriferarius sumet de abaco thuribulum, et parabit ignem; tum accepta navicula, stabit apud Altare obiecturus Celebranti thuribulum, quemadmodum mox demonstrabitur.

33. Celebrans ritum pro Missis privatis praescriptum servabit, excepto *Confiteor*, in quo dicens verba *vobis fratres* et *vos fratres*, se paullum ad Ministros convertet, itemque Ministri se aliquantum inclinabunt ad Celebrantem, quum respondebunt *Misereatur tui*; deinde se convertent ad eum, quum dicent *Tibi Pater* aut *Te Pater*. Iidem Ministri inclinabunt se profunde ad *Confiteor*, et dextera aperta sua pectora tundent, ut Celebrans.

34. Opportunum heic videtur monere Celebrantem, quod rubrica in Missa solemni ei praescribit triplicem dicendi modum, videlicet *sonorum, submissum et secretum*. Sonora voce uti debet in omnibus iis, quae canturus erit, nempe intonationem hymni *Gloria in excelsis*, *Dominus vobiscum*, *Oremus* cum oratione, intonationem *Symboli*, *Dominus vobiscum* et *Oremus* ante Offertorium, *Praefationem*, *Pater noster* cum iis quae antecedunt, *Per omnia saecula* etc. et *Pax Domini*; rursus *Dominus vobiscum*, *Oremus* et orationem sive orationes post Communionem, denique *Dominus vobiscum* post easdem orationes ante *Ita Missa est*, vel *Benedicamus Domino*. Voce submissa utetur in omnibus iis quae leget quaeque canentur a Ministris vel a choro cantorum, quaeque in Missa privata clara voce essent recitanda. Secreta autem utetur in recitandis iis omnibus quae secreto dicenda erunt, ut in Missa privata.

35. Necesse etiam est heic sacros Ministros commonefacere de modo et ratione qua debeant rem aliquam ministrare aut accipere a Celebrante; quod monitum Diaconum praesertim respicit. Quapropter quum res quaedam Celebranti sit porrigenda,

(*a*) Praesules, qui in choro adsunt, habitu proprio dignitatis, qua insigniti sunt, uti debent.

res primo quae traditur, deinde manus Celebrantis rem accipientis osculanda erit. E converso, quum res quaepiam a Celebrante recipietur, primo manus eius, deinde res accepta erit osculanda. Canonici qui Celebranti ministrant in sua quoque Ecclesia, tenentur tum manum Celebrantis tum rem quam dant aut recipiunt, osculari. In Missis tantum pro Defunctis et feria VI. in Parasceve osculationes istae omittuntur.

36. Ad versiculos *Deus tu conversus* etc. Ministri, ut Celebrans, se inclinabunt.

37. Celebrans, dicto *Oremus,* ascendet ad Altare inter Ministros qui tunc sustollent ei fimbrias anteriores albae et vestium.

38. Ascendente ad Altare Celebrante, consurget etiam Clerus in choro, et perseverabit stare donec sederit Celebrans.

39. Celebrans, postquam ascenderit, osculabitur Altare, Ministri autem non genuflectent.

40. Ubi Celebrans osculatus erit Altare, ascendet a latere thuriferarius in suppedaneum Altaris, cum thuribulo et navicula, ibique tradet Diacono naviculam apertam, statimque dextera manu thuribulum aperiet.

41. Diaconus Celebranti cochleare porriget dicens *Benedicite, Pater Reverende*: Celebrans se convertet a latere versus Diaconum, cavens ne tergum ad Crucem convertat, acceptoque cochleari iniiciet ter incensum in thuribulum dicens *Ab illo benedicaris* etc. Restituet Diacono cochleare, incensum dextera benedicet, sinistram, id faciens, imponet Altari, tum ad Altare se convertet.

42. Diaconus receptum a Celebrante cochleare in naviculam reponet, eamque occludet.

43. Thuriferarius thuribulum, statim ac Celebrans benedixerit, claudet, et in dexteram suam traducet.

44. Diaconus reddet naviculam thuriferario, qui eam recipiet sinistra, et dextera reddet Diacono thuribulum.

45. Thuriferarius receptam naviculam ante pectus sustinens utraque manu, de Altari descendet, et in plano subsistet a latere prope gradum cui insistunt candelabra Altaris ipsius.

46. Diaconus, acceptum thuribulum, ut diximus, tradet Ce-

lebranti, qui thurificabit Altare, servans ritum descriptum lib. I. cap. V.

47. Diaconus et Subdiaconus, quum Celebrans, facta inclinatione thurificationem inchoabit, planetam eius ex parte posteriori paullum attollent, caventes ne usque eo sustollant ut appareat cingulum.

48. Dum incensabitur Altare, Magister Caeremoniarum, vel thuriferarius, qui hoc casu relinquet naviculam super abaco, amovebit ab Altari legile, seu cussinum cum Missali, quod tamen referet simul ac mensa fuerit thurificata.

49. Sub finem thurificationis Altaris, Diaconus et Subdiaconus demittent Celebrantis planetam, quam sustinebant.

50. Diaconus descendet ad primum sub suppedaneum gradum in cornu Epistolae, et conversus ad Celebrantem recipiet ab eo thuribulum.

51. Idem, recepto thuribulo, una cum Subdiacono, qui erit prope ipsum, descendet gradus Altaris.

52. Celebrans stabit ex latere Epistolae in extremo suppedaneo, a sinistris ad Altare applicitus.

53. Diaconus et Subdiaconus, quum descenderint Altaris gradus, se convertent super sinistram suam ad Celebrantem et inclinatione profunda illum salutabunt, qui simplici capitis demissione respondebit.

54. Thuriferarius subsistet apud dexteram Diaconi.

55. Diaconus triplici ductu adolebit Celebrantem, deinde cum Subdiacono profundam iterabit reverentiam, et Celebrans simplici inclinatione, ut supra, respondebit.

56. Celebrans se convertet ad Altare, non tamen abscedens de loco quo est.

57. Diaconus, Celebrante thurificato, thuribulum dextera restituet thuriferario, qui facta genuflexione ad Crucem Altaris, perget ad thuribulum deponendum, detrahet inde ignem, sed providebit ut satis adsit ignis in foculo, unde possit deinceps in thuribulum reponere.

58. Diaconus, thuribulo reddito thuriferario, ascendet ad Altare, et apud eum Subdiaconus. Consistet Diaconus a dexte-

ris Celebrantis in gradu superiori post suppedaneum. Subdiaconus autem a dexteris Diaconi in altero gradu inferiori, vel in plano ante gradus, si pauci erunt Altaris gradus, et ferme semicirculum efficient.

59. Tunc Celebrans legere incipiens introitum se signabit, cumque ipso poterunt Ministri et ceteri clerici in choro praesentes signare se.

60. Thuriferarius, thuribulo deposito, vadet in choro, ad locum suum qui erit proximus abaco, vel si chorus deerit, iunctis manibus ante abacum inter Acolythos consistet.

61. Posteaquam Celebrans totum legerit introitum, alternatim cum Ministris recitabit *Kyrie*, quin abscedat de loco quo erit.

62. Magister Caeremoniarium innuet ad Clerum in choro, ut alternatim recitet *Kyrie* ea regula quae tradita est pro Confessione.

63. Si cantus *Kyrie* protrahetur, eaque de re expectandum aliquandiu Celebranti esset priusquam progrediatur in Missa, poterit cum Ministris sedere in scamno.

64. Tamen et Celebrans reverentiam faciet et Ministri genuflectent ad Crucem et a latere pergent sessum: descendendo de Altari, Diaconus a sinistris, Subdiaconus a dexteris Celebrantis ibit; utrique autem Celebrantem descendentem sustinebunt.

65. Acolythi consistent hinc inde a lateribus scamni: qui Acolythus dextrorsum adstabit scamno, accipiet biretum Diaconi et Celebrantis; alter adstans sinistrorsum, biretum Subdiaconi accipiet.

66. Ubi Celebrans et Ministri ad scamnum accesserint, Celebrans convertetur super sinistram suam et in medio scamno sedebit; Ministri autem meminerint sustollere planetam eius ex parte posteriori eamque extendere super postergale scamni, ne Celebrans in illa insideat. Diaconus receptum ab Acolytho vel a Caeremoniario biretum porriget Celebranti cum osculis, qui accipiet illud inter indicem et medium dexterae, ex angulo prominenti qui dexterae auri respondebit; et ipse Celebrans illo cooperiet caput suum, sinistram applicans pectori: manus deinde imponet sinu extensas prope genua et super planeta. Diaconus

et Subdiaconus recipiet uterque ab Acolytho biretum quo modo superius traditum est, et sinistram extensam applicabunt pectori, dextera autem biretum ante pectus sustinebunt: se salutabunt ad invicem et in scamno considebunt. Acolythi tunc sustollent respective dalmaticam aut tunicellam ex parte posteriori et super postergale scamni extendent, ne Ministri praedictis paramentis insideant. Diaconus et Subdiaconus caput bireto cooperient, manusque extensas in sinu ponent, Celebrantem imitantes. Acolythi interea venient ante Celebrantem, quem reverentia profùnda simul honorabunt, tum redibunt ad abacum, ibique iunctis manibus stabunt.

67. Clerus in choro considebit et bireto teget caput; cantores tantum, qui ante legile canent, stabunt capite nudato.

68. Sub finem cantus ultimi *Kyrie*, ad nutum Caeremoniarii, consurgent simul Diaconus et Subdiaconus, qui dum assurgent, caput aperient et sinistram pectori applicabunt: ubi surrexerint biretum in scamno suo loco relinquent. Celebrans nudabit caput, biretum tradet Diacono, qui accipiet et ponet illud super scamno quo loco sedet Celebrans, postquam iste assurrexerit. Celebrans bireto tradito Diacono, assurget; Minister autem uterque, assurgente illo, planetam eius e postergali scamni extollent.

69. Assurgente Celebrante, consurget etiam Clerus.

70. Celebrans cum Diacono dextrorsum et Subdiacono sinistrorsum discedent de scamno. Accèdent aliquantulum ad Altare; ac si chorus erit ante Altare ipsum, paucos passus e scamno progressi se convertent ad eam chori partem, quae ex latere Epistolae sita est, et ad Clerum ibi stantem facient reverentiam: tum procedent duos tresve alios passus versus medium Altare, et Cleri a latere Evangelii partem salutabunt, dehinc ante Altare progredientur. Dum erunt salutaturi Cleri e cornu Epistolae partem, Diaconus paullum accelerabit gradum, et Subdiaconus paulisper retardabit ita ut in salutationis actu unam quasi lineam cum Celebrante efforment: e converso salutaturi alteram Cleri e latere Evangelii partem, Subdiaconus accelerabit gradum et Diaconus remorabitur ut unam eamdemque lineam cum Celebrante efficiant, quemadmodum de parte Epistolae dictum est.

71. Sin Clerus a choro aberit, alius post alium non mutantes locum venient ante Altare, videlicet Subdiaconus, post eum Celebrans, ultimo loco Diaconus.

72. Ante Altare quum venerint, Celebrans reverentiam profundam, Ministri genuflexionem ad Crucem peragent; si Ministri fuerint Canonici et in sua Ecclesia, non genuflexionem sed reverentiam exsequentur eodem modo ac Celebrans. Quod si in Altari custodiretur SS. Sacramentum in tabernaculo seu ciborio conditum, non modo Ministri sed et Celebrans genuflectet.

73. Post reverentiam vel genuflexionem, Celebrans ascendet ad Altare, et Ministri paullum sublevabunt illi albam cum veste ex parte anteriori, Diaconus quoque ascendet ad Altare, sed consistet in gradu superiori infra suppedaneum post Celebrantem; Subdiaconus autem, conscenso uno aut altero gradu ut fimbriam vestium Celebrantis sustollat, redibit post Diaconum et in plano ante Altare consistet.

74. Sin Celebrans cum Ministris ad *Kyrie* non considebit, sub finem huius cantus Celebrans veniet ad medium Altare, Diaconus sequetur Celebrantem et consistet post eum in gradu superiori post suppedaneum, et Subdiaconus Diaconum sequetur seque locabit post eum in plano ante infimum gradum.

75. Dum Celebrans ascendet aut veniet ad medium Altare, si in tabella secretarum sive, ut aiunt, in carthagloria desit intonatio hymni *Gloria* et Celebranti de mente effluxerit, poterit Caeremoniarius oculis eius proponere in medio Altari legile seu cussinum cum Missali aperto ad *ordinem Missae*, ubi varii musici modi, quibus intonatur *Gloria*, notati sunt (*a*).

76. Absoluto *Kyrie* cantu, Celebrans ritu in Missa privata praescripto intonabit *Gloria in excelsis*. Ad verbum *Deo* Ministri inclinabunt caput, ac sine ulla genuflexione Diaconus ad dexteram, Subdiaconus ad laevam Celebrantis ascendent, idque facient uno eodemque tempore. *Gloria* intonato, Celebrans cum Ministris perget hymnum illum submissa voce recitare.

(*a*) In rubricis gen. Missalis Rom. tit. XX, unica tantum praescribitur tabella. « Ad Crucis pedem ponatur tabella Secretarum appellata ». Quam praescriptionem Romae servatam vidi in Basilica S. Mariae trans tyberim solummodo in missis solemnibus.

77. In choro *Gloria* recitabitur a Clero eadem regula ac superius tradita pro Confessione.

78. Ad verba *Adoramus te. Gratias agimus tibi. Jesu Christe. Suscipe deprecationem nostram*, Celebrans, Ministri et chorus inclinabunt caput et ad verba illa *cum Sancto Spiritu* se omnes signabunt.

79. Si Missale cum legili in medium Altare translatum fuerit, Caeremoniario curae sit referre illud in cornu Epistolae priusquam Celebrans de Altari discedat.

80. Completa hymni angelici recitatione, Celebrans reverentiam faciet ad Crucem, Ministri genuflexionem regula superius tradita, ac de Altari descendentes a latere, pergent ad scamnum ibique considebunt. Discedentes autem de suppedaneo Altaris, Celebrans se convertet super sinistram suam, itemque Subdiaconus; Diaconus vero super dexteram suam, ne tergum vertat Celebranti: euntes ad scamnum, considentes et caput contegentes servabunt ea quae superius pro *Kyrie* declarata sunt.

81. Si quum discedendum de Altari erit Celebranti cum Ministris, cantabitur aliquis ex supra notatis versibus, ad quos facienda esset inclinatio, advertet Caeremoniarius detinere eos ad Altare, donec versus ille cantatus fuerit: si cantabitur interea dum ex Altari vadent ad scamnum, nequaquam subsistent sed pergent: quod si cantabitur statim ac venerint ad scamnum, non sedebunt, sed stantes ibi versus Altare se inclinabunt; quod facient Ministri tantum, si cantabitur versus postquam Celebrans sederit, et priusquam consideant ipsi.

82. Si cantus hymni *Gloria* intercalabitur organorum sono ita ut alter versus cantetur a choro, alter recitetur submissa voce a cantore dum sonatur organis non inclinabitur nec detegetur caput ad versus superius nominatos, quum recitabuntur submissa voce.

83. Simul ac sederit Celebrans, considebit etiam Clerus in choro, et congruet cum Celebrante in detegendo et inclinando caput, ut saepius notatum est.

84. Acolythi exsequentur ea quae descripsimus de ipsorum officio ad *Kyrie*, postea redibunt ad abacum.

85. Quum canendi *Gloria* finis fiet, consurget Clerus; Celebrans et Ministri assurgentes et ipsi, ut de *Kyrie* dictum est, ad Altare gradum referent.

86. Celebrans, quum ascenderit, osculabitur Altare in medio, et conversus ad populum canet *Dominus vobiscum*, cui respondebit chorus *Et cum spritu tuo.*

87. Vadet deinde Celebrans in cornu Epistolae atque orationem sive orationes a rubrica praescriptas cantabit.

88. Posteaquam Celebrans cecinerit *Dominus vobiscum*, Ministri nulla facta genuflexione, Celebrantem sequentur, retinentes locum uterque suum.

89. Orationis tempore, sive ad orationum postremam si plures erunt, unus ex Acolythis; aut Caeremoniarius Epistolarium de abaco sumet, apponens dexteram aperturae et sinistram dorso libri, quem sustinebit prope medietatem. Appropinquabit Subdiacono, qui conversus ad eum, facta ad invicem reverentia, accipiet ab eo librum prope extremitatem inferiorem et applicabit pectori, advertens ut apertura libri conversa sit ad Crucem, dorsùm autem libri eiusdem ad dexteram suam. Acolythus aut Caeremoniarius subsistet prope sinistram Subdiaconi, sed aliquanto post ipsum.

90. Ad conclusionem ultimae orationis, si plures erint canendae, Subdiaconus cum Acolytho caput inclinabunt ad verba *Jesum Christum* si conclusio erit *Per Dominum* vel *Per eumdem Dominum*: secus, si erit *Qui vivis* aut *Qui tecum vivit*, nulla fit inclinatio. Dum proferentur verba *in unitate* etc. procedent simul ante Altare, genuflexionem efficient ad Crucem, deinde ad chorum reverentiam versus utrumque latus, Evangelii primum postea Epistolae, et quo loco antea erant, redibunt.

91. Cantata oratione vel orationibus a Celebrante, chorus respondebit *Amen*, et Diaconus veniet prope dexteram Celebrantis remanens in gradu superiori infra suppedaneum a latere Altaris, conversus ad Celebrantem.

92. Quum Celebrans canere desierit orationem, sive orationes, ut suprà diximus, Subdiaconus aperiet librum quem apertum sibi sustinebit ante pectus et canet Epistolam tono praescripto.

93. Clerus in choro, responso *Amen* post orationem, considebit et caput cooperiet.

94. Celebrans submissa voce leget Epistolam, dum cantabitur a Subdiacono; Diaconus respondebit *Deo gratias* in fine, postea Celebrans leget Graduale cum versibus vel cum Tractu, aut *Alleluia* cum versibus, et Sequentiam quoque pro qualitate temporum aut varietate officiorum, ut indicabitur in ipso Missali; deinde iunctis manibus expectabit dum Subdiaconus desinat Epistolam canere. Diaconus animum advertat ad folium Missalis, si opus fuerit, evolvendum.

95. Dum cantabitur Epistola vel etiam dum canetur Graduale, aut Tractus seu Sequentia, thuriferarius praeparabit ignem in thuribulo, ut praesto sit thuribulum ministrando, de quo mox.

96. Subdiaconus, cantata Epistola, claudet librum, dans operam ut eiusdem libri apertura suae sinistrae, ut prius, respondeat, et admovebit pectori; redibit cum Acolytho aut Caeremoniario ante Altare, genuflexionem Cruci et reverentiam choro iterabit, cui Clerus respondebit detegendo caput; tum a latere ascendet ad Altare et in extremo suppedaneo geniculabit ante Celebrantem. Celebrans conversus ad ipsum (quod faciet etiam Diaconus) sinistram applicans pectori, libro imponet dexteram, quam ille osculabitur, et benedictionem nullo addito verbo illi impertietur.

97. Celebrans, data Subdiacono benedictione, veniet ad medium Altare iunctis manibus et recitabit *Munda cor meum* etc. *Jube Domine* etc. *Dominus sit* etc. Diaconus convertetur versus Altare; Subdiaconus assurget, Epistolarium tradet Acolytho vel Caeremoniario, qui referet illud ad abacum, deinde sumet Missale cum cussino seu legili et transferet ad latus Evangelii quod faciens descendet de Altari, ut genuflectat ad Crucem transiens in medium, iterum conscendet suppedaneum, locabit Missale cum legili seu cussino ita ut inferior libri extremitas versa sit ad medium Altaris, tum de suppedaneo descendet, et iunctis manibus in gradu superiori conversus ad Altare consistet.

98. Quum Celebrans dixerit, ut supra, *Munda cor meum*

assurget, accedet ad Missale, et Evangelium ritu pro Missa privata notato recitabit, excepto quod in fine non est osculandus liber, nec dicendum *Per evangelica dicta* etc.

99. Subdiaconus se signabit, ut Celebrans, in fronte, in ore et in pectore, atque indice manus dexterae indicabit illi Evangelium legendum, ac si opus fuerit, folium evolvet libri.

100. Dum vero Subdiaconus transferet Missale in cornu Evangelii, Caeremoniarius aut Acolythus Evangeliarium de abaco sumet eodem modo ac de Epistolario dictum est et subsistet a latere Altaris in plano prope cornu Epistolae.

101. Diaconus a latere Altaris ad Altare conversus stabit, seque signabit in fronte, in ore et in pectore, quum haec faciet Celebrans; si in principio Evangelii nominabitur *Jesus*, inclinabit caput, deinde conversus super dexteram suam de Altari a latere descendet in planum, ibique accipiet librum Evangeliorum, qui a Caeremoniario vel ab Acolytho obiicietur ei, advertens ut sinistra manu aperturam, dextera dorsum libri sustineat ad extremitates inferiores et librum ipsum pectori applicitum: dum procedet ad Altare, faciet reverentiam ad chorum quo modo de Celebrante cum Ministris ad Altare de scamno euntibus dictum est. Chorus sedens ei respondebit detegendo caput. Alte Altare quum venerit, genuflectet ad Crucem, conscendet suppedaneum et librum in medio Altari locabit, ita ut apertura libri spectet ad latus Evangelii, ibique consistet.

102. Interea thuriferarius cum thuribulo et navicula praesto erit in plano Altaris laterali prope latus Epistolae.

103. Celebrans, Evangelio perlecto, non deosculans librum redibit in medium Altare. Diaconus adstabit ei dextrorsum et Subdiaconus ascendet in suppedaneum et a sinistris Celebrantis consistet.

104. Si cantus Gradualis seu Tractus absolutus fuerit, thuriferarius afferens thuribulum cum navicula ad Altare a latere ascendet: ibi naviculam apertam tradet Diacono, tum aperiet thuribulum idque obiiciet Celebranti. Diaconus incensum ministrabit Celebranti eidem, qui iniiciet illud in thuribulum proferens formulam *Ab illo benedicaris* etc. deinde dextera be-

nedicet. Thuriferarius occludet thuribulum et dextera sumet; naviculam sinistra recipiet iterumque de Altari a latere descendet. Acolythi candelabra cum candelis accensis accipient et expectabunt ante abacum. Thuriferarius postquam de Altari descenderit, naviculam in abaco relinquet et perget ante medium Altare, ubi duos vel tres passus ab infimo gradu subsistet. Acolythi candelabra gestantes eum sequentur et ante Altare consistent post ipsum.

105. Diaconus, navicula thuriferario reddita, se convertens super dexteram suam, descendet de suppedaneo, geniculabit in extremitate ipsius et secreto recitabit *Munda cor meum.*

106. Dum Diaconus se convertet super dexteram suam, descensurus, ut supra, de suppedaneo, Subdiaconus convertetur super sinistram suam et descendet ante Altare, ac ferme in medio ante gradum infimum conversus ad Altare consistet sine ulla genuflexione.

107. Diaconus, recitato *Munda cor meum*, assurget, rursus conscendet suppedaneum, accedet ad Altare, librum utraque manu accipiet ad extremitates inferiores, apertura libri versa ad sinistram manum, quae ante pectus sed paullo distans ab ipso admovebitur, et conversus ad Celebrantem in suppedaneo geniculabit. Idem adgeniculatus habebit Altare dextrorsum. Celebrans, sinistra versa ad Altare, convertetur ad Diaconum, qui genibus flexis benedictionem ab illo petet dicens *Jube Domne benedicere.* Celebrans iunctis manibus respondebit: *Dominus sit in corde tuo et in labiis tuis, ut digne et competenter annuncies Evangelium suum. In nomine Patris* etc. Et benedictionem ei largietur, producens inter haec postrema verba signum Crucis super eum dextera, dum sinistram pectori tenebit applicitam: Diaconus respondebit *Amen*; et Celebrans statim libro imponet manum, quam Diaconus osculabitur.

108. Post haec Diaconus assurget et simplici reverentia salutabit Celebrantem, qui versus Altare se convertet. Diaconus super dexteram suam conversus descendet de Altari, se adiunget Subdiacono, qui ipsi adstabit sinistrorsum, et in plano ante infimum gradum se convertet ad Altare.

109. Ad nutum Caeremoniarii, Diaconus cum Subdiacono, Acolythi cum thuriferario, omnes uno tempore genuflectent ad Altare; et Clerum, si aderit in choro, reverentia salutabunt primo versus cornu Epistolae, deinde Evangelii. Procedent eo ubi canitur Evangelium, praecedente thuriferario, Acolythi, Subdiaconus et Diaconus. Evangelium autem canitur ex eo latere, quod dextrorsum spectat ad Crucem, in parte anteriori et in plano presbyterii, eadem ferme linea cum extremitate anguli gradus infimi Altaris. Ibi Acolythi dirimentur, ut medium inter se accipiant Subdiaconum; qui omnes sinistrorsum habebunt Altare, versa facie ad parietem, qui ad sinistram Altaris spectat, videlicet ad latus Epistolae. Diaconus autem librum aperiet eo loco quo canendum est Evangelium, apertumque tradet sustinendum Subdiacono, qui utraque manu fulciet illum in parte inferiori, cavens ne digitis Diacono impediat quominus folia volvere libere possit. Diaconus se convertet ad librum ideoque habebit Altare dextrorsum. Thuriferarius se sistet paullum post Diaconum eadem linea cum Acolytho qui a dexteris Subdiacono adstabit.

110. Celebrans, ubi de Altari descenderint Diaconus, Subdiaconus, Acolythi ac thuriferarius, recedet in cornu Epistolae conversus ad Diaconum qui cantabit Evangelium, ita tamen ut tergum ad Altare ne vertat, sed proximus stet ipsi a latere dextero.

111. Chorus consurget, quum Diaconus incipiet Evangelium canere, et universi stabunt capite detecto, deponentes etiam pileolum, si utantur.

112. Diaconus, aperto ut supra demonstratum est libro, iunctis manibus ac tono praestituto cantabit *Dominus vobiscum*, chorus autem respondebit *Et cum spiritu tuo*. Tum Diaconus imponet sinistram libro, pollice autem dexterae (cuius palma et reliqui digiti sint aperti et conversi ad librum eumdem) signum Crucis signabit in principio Evangelii, quod erit canturus: tum sinistram apertam ducens infra pectus pollice dexterae pariter apertae et ad se ipsum conversae Crucis signum sibi imprimet in fronte, in ore et in pectore, et interim

canet *Sequentia Sancti Evangelii secundum* . . . . chorus respondebit *Gloria tibi Domine*.

113. Dum Diaconus cantabit *Sequentia*, approximabit ad eius dexteram thuriferarius cum thuribulo clauso; et respondente choro *Gloria tibi Domine*, Diaconus thuribulum a thuriferario accipiet et librum Evangelii adolebit in medio, sinistrorsum et dextrorsum sui *duplici ductu* in singulis vicibus. Post haec thuribulum reddet thuriferario, qui ad locum superius indicatum redibit, thuribulum minime agitans, sed apertum et immotum sustinens.

114. Diaconus, thuribulo restituto, Evangelium iunctis manibus cantabit; ac si qua verba in Evangelio canentur ad quae sit genuflectendum, Acolythi, et Subdiaconus non genuflectent, sed utique ceteri omnes, ne Celebrante quidem excepto, versus librum Evangeliorum genuflectent.

115. Evangelio cantato, Subdiaconus librum demittet supra pectus, et utraque manu in parte inferiori sustinebit. Diaconus Subdiacono principium Evangelii a se cantati monstrabit.

116. Subdiaconus nullam faciens reverentiam aut genuflexionem ad Altare, licet SS. Sacramentum esset expositum, neque reverentiam ad Celebrantem, ascendet immediate ad Altare et vadet ad Celebrantem. Ante quem quum venerit, prompte manu dextera indicabit ei principium Evangelii (quod ille osculari debebit) sinistra sustinens librum.

117. Celebrans librum, utraque manu super illum imposita osculabitur dicens *Per evangelica dicta deleantur nostra delicta*. Subdiaconus claudet librum, reverebitur Celebrantem, de Altari descendet, librum tradet Caeremoniario vel Acolyto, ibique consistet ante infimum gradum prope extremitatem fere contra Diaconum et ad ipsum conversus.

118. Simul ac Subdiaconus discedet de medio Acolythorum iturus ad Celebrantem, Diaconus super sinistram suam se convertet versus Celebrantem ac thuriferarius se sistet ad dexteram eius.

119. Profecto, ut supra, Subdiacono, Acolythi transibunt simul post thuriferarium, pergent ante Altare, genuflectent, re-

dibunt ad abacum, candelabra ubi erant reponent et ante abacum ipsum iunctis manibus manebunt. Alter ipsorum, nisi Caeremoniarius praesto esset, advertet ut Evangeliarium a Subdiacono recipiat et super abacum reponat.

120. Quum Subdiaconus de Altari descendet post osculatum a Celebrante textum Evangelii, Diaconus a thuriferario accepto thuribulo et reverentia profunda peracta, triplici ductu adolebit Celebrantem, quem thurificatum eadem profunda reverentia honorabit, ac thuribulum thuriferario restituet.

121. Postquam Celebrans thurificatus fuerit, veniet ad medium Altare, lento gradu incedens in commodum Ministrorum. Diaconus, reddito thuribulo, perget directe ad Altare et ascendet in gradum superiorem infra suppedaneum post Celebrantem et genuflectet. Subdiaconus autem veniet ante Altare post Diaconum ante infimum gradum, et ipse genuflectet ad Crucem.

122. Thuriferarius, recepto a Diacono thuribulo, procedet in medium ante Altare, genuflectet, et redibit ad abacum, advertens quae mox innuentur.

123. Si cantandum erit *Credo*, intonabitur a Celebrante, ritu pro Missis privatis praescripto. Ad verbum *Deo* Diaconus et Subdiaconus inclinabunt caput ac sine genuflexione conscendent suppedaneum ad latera illius ut simul cum eo recitent *Credo* quemadmodum de *Gloria in excelsis* dictum est.

124. Si cantabitur *Credo*, thuriferarius tardo gradu procedet ante Altare, caput iuclinabit ad verbum *Deo*, genuflectet deinde ad Crucem Altaris, et ad abacum vel in sacrarium ad deponendum thuribulum revertetur. Sin autem *Credo* non esset canendum, facta genuflexione, redibit ad abacum, videbit ne in thuribulo desit ignis ibique promptus erit ad thuribulum in Offertorio ministrandum.

125. Quod si omittendus esset Symbolus, Celebrans osculatus Altare cantabit *Dominus vobiscum*, tum *Oremus* et versum Offertorii leget submissa voce.

126. Si dicendum erit *Credo* et in tabella secretarum seu chartagloria desideraretur intonatio ipsius, ac si Celebranti opus essent prae oculis notae musicae, Caeremoniarius dextere ac

solerter aptabit in medio Altari cum cussino vel legili Missale apertum ad initium Symboli, ubi extat Ordo Missae, et Symbolo recitato, Caeremoniarius ipse aut Subdiaconus Missale cum legili vel cussino in latere Evangelii, ubi erat, reponet.

127. In choro recitabitur alternatim *Credo*, ut de *Kyrie* et de *Gloria* notatum fuit. Ad illa verba *Et incarnatus* etc. quum recitabit Celebrans, genuflectent omnes, et Clerus etiam in choro advertet ut una cum Celebrante genuflexionem conficiat.

128. Recitato Symbolo, Celebrans cum Ministris sessum ibunt, ut superius de *Kyrie* docuimus. Acolythi tamen consistent a lateribus Ministrorum, postquam sederint.

129. Quum vero a cantoribus cantabitur ℣. *Et incarnatus . . . factus est,* omnes detegent caput et geniculabunt, exceptis Celebrante cum Ministris, Canonicis et Praesulibus, si aderunt, qui tantummodo caput detegent et inclinabunt.

130. Cantato praedicto versiculo, qui genua submiserunt, assurgent et sedebunt, et cum reliquis qui detexerunt caput solummodo, caput cooperient.

131. Statim ac incipietur cantari ℣. *Crucifixus etiam* etc. Diaconus et Subdiaconus nudabunt caput et assurgent. Diaconus biretum suo loco relinquet, Subdiaconus illud ante pectus sustinebit.

132. Diaconus discedet de scamno, veniet ad abacum, bursam cum corporali sumet, afferens eam utraque manu ad altitudinem vultus sui sublatam, et advertens ut aperturam bursae convertat seipsum versus. Sumptam bursam deferet ad Altare faciens reverentiam profundam ad Celebrantem quum transibit ante ipsum, deinde reverebitur Clerum in choro eodem modo quo superius de Celebrante et Ministris post *Kyrie* innutum est; postremo genuflectet ad Altare in infimo gradu.

133. Subdiaconus, ubi Diaconus reverentiam fecerit ad Celebrantem, sedere poterit et caput operire, vel etiam stare, ut paullo ante dictum est.

134. Diaconus, genuflexione peracta, ascendet ad medium Altare ibique ponet bursam, quam laeva sustinebit sublatam,

et dextera extrahet corporale; quod extractum deponet super mensam Altaris; sinistra Altari imposita, accipiet dextera bursam et statuet eam prope medium Altare versus cornu Evangelii, applicans eamdem candelabris vel gradui, in quo insistunt candelabra. Tum corporale utraque manu explicabit in media mensa, advertens ut extremitas anterior procul absit a pallio crassitudine digiti unius; corporali, si opus fuerit, admovebit Missale cum cussino vel legili, ponens signaculum Missalis ad Offertorium, quod Celebrans sit lecturus; in suppedaneo ipso genuflexionem iterabit, de Altari a latere descendet et ad scamnum redibit.

135. Subdiaconus, si sederit, nudabit caput et assurget dum Diaconus de Altari descendet. Quum Diaconus ad scamnum venerit, in suo loco biretum recipiet, et facta reverentia ad Subdiaconum, qui capitis inclinatione respondebit ei, sedebunt ambo et cooperient caput: meminerint Acolythi extendere supra scamno paramenta Ministrorum ex parte posteriori; postea coeuntes ante Celebrantem, reverentiam ad eum exsequentur et ad locum suum ante abacum revertentur.

136. Sub finem Symboli cantati Caeremoniarius innuet Celebranti et Ministris ut consurgant; et procedent ad Altare quo ordine superius declaratum est. Clerus, assurgente Celebrante, nudabit caput et consurget.

137. Celebrans Altare, quum venerit illuc, osculabitur; et Symboli cantu peracto, cantabit *Dominus vobiscum*, deinde *Oremus*; postea submissa voce leget versiculum Offertorii.

138. *Oremus* a Celebrante cantato, Diaconus nullam faciens genuflexionem, ascendet ad dexteram eius: Subdiaconus autem, facta genuflexione, perget ad abacum.

139. Si omittendum in Missa erit *Credo*, Celebrans osculatus Evangelium ac thurificatus a Diacono, convertetur ad medium Altare, quod osculabitur, ac reversis post eum Diacono et Subdiacono, cantabit *Dominus vobiscum* et *Oremus*. Diaconus veniet ad dexteram eius et Subdiaconus ad abacum eodem modo ac praecedenti paragrapho dictum est.

140. Quum Subdiaconus ad abacum venerit, Acolythus al-

ter velum humerale explicabit, humeris imponet Subdiaconi, et ante pectus eius alligabit chordulis. Acolythus primus demet operculum ex ampullis, explicabit sudariolum super quo ponet pelviculam cum ampullis ita ut coniunctim possit ad Altare eas deferre.

141. Subdiaconus velo humerali indutus, sinistra ad nodum sumet Calicem, in quo erit purificatorium et patena cum hostia et palla, et acceptam extremitatem dexteram veli imponet Calici atque ita conteget illum; tum supra extremitatem veli et Calicem ipsum ponet dexteram discoopertam, ac tali modo Calicem deferet ad Altare, quo ascendet a latere.

142. Primus Acolythus acceptas, ut supra, ampullas afferet ad Altare sequens Subdiaconum.

143. Si *Credo* cantatum non fuerit, Subdiaconus accipiet etiam bursam cum corporali, quam impositam Calici velo humerali cooperiet et cum Calice ipso deferet ad Altare.

144. Ad Altare quum venerit Subdiaconus deponet Calicem, quomodo paratus erat, super Altare ante Diaconum. Acolythus deponet pelviculam cum ampullis et sudariolo in Altari ante Subdiaconum et stabit in latere Altaris a cornu Epistolae.

145. Subdiaconus posito in Altari Calice, amovebit ex illo dexteram suam ac Diaconus vel Subdiaconus ipse tollet de illo extremitatem veli humeralis. Caeremoniarius vel Acolythus e latere dextero Subdiaconi partem dexteram veli sustollet, si forte illi impediret quominus ministraret.

146. Diaconus amoto de Calice velo humerali, accipiet pallam et ponet in Altari prope corporale in suo latere versus partem superiorem: patenam utraque manu sumet, hostiam si opus fuerit reponens in media patena, quam osculabitur in extremitate quae respicit ad seipsum, et tradet Celebranti, cuius dexteram osculabitur, dum accipit eam; cavebit autem ne brachium suum sinistrum supra, sed infra brachium dexterum Celebrantis ponat.

147. Celebrans interea, peraget Hostiae oblationem, et patenam supponet corporali, ut in Missa privatá.

148. Subdiaconus sumet Calicem manu sinistra, ac dextera

absterget purificatorio interiorem eius partem et abstersum tradet Diacono. Hic Calicem ab nodo sinistra accipiet, et pollice eiusdem manus sustinebit purificatorium extensum supra pedem, ne qua vini aut aquae gutta super illum decidat. Acolythus sumet ampullam vini et sudariolo, si opus fuerit, absterget, ac sine osculis porriget Subdiacono.

149. Subdiaconus acceptam ab Acolytho ampullam vini dabit Diacono, qui vinum in Calicem infundet ad libitum· Celebrantis, aliquo nutu significantis Diacono quum satis videbitur. Interim Acolythus sumptam aquae ampullam absterget, ut supra, et praebebit Subdiacono.

150. Postquam Diaconus vinum in Calicem infuderit, vinique ampullam ab ipso retraxerit ad pectus suum, vel prompte in pelvicula reposuerit, Subdiaconus elatam sustinens versus Celebrantem ampullam dicet *Benedicite, Pater Reverende.*

151. Celebrans laevam imponens Altari, dextera faciet Crucis signum super ampullam, orationem recitans *Deus, qui humanae substantiae* etc. Subdiaconus ampullam sustinens perpendiculariter super medium Calicem, efficiet ut quatuor aut quinque aquae guttae in eum defluant, atque ampullam Acolytho restituet; ac si Diaconus ampullam vini non deposuerit, receptam ab illo tradet Acolytho, qui utramque cum pelvicula et sudariolo referet ad abacum.

152. Praesto erit iuxta Altare thuriferarius cum thuribulo et navicula.

153. Diaconus, aqua in Calicem a Subdiacono infusa, purificatorium sumet, et dextero indice purificatorio obvoluto, guttas intra Calicem, quae forte possent separatim adhaerere, absterget. Purificatorium deinde in Altari deponet, et Calicem ad cuppam dextera sumptum, sinistra ad pedem, osculabitur in pede, et porriget Celebranti, cuius manum, dum accipiet, osculabitur, cavebit autem ne brachium suum sinistrum superimponat dextero Celebrantis, quemadmodum superius in traditione patenae monuimus.

154. Celebrans Calicem accipiet et oblationem peraget: Diaconus dexteram apponet ad pedem Calicis, vel infra brachium

dexterum Celebrantis, ac suspiciens Crucem una cum illo calicem offeret simul recitans orationem *Offerimus tibi, Domine* etc. quo in actu sinistram pectori applicabit.

155. Quum Celebrans Calicem corporali imposuerit, Diaconus accipiet pallam atque ipsa Calicem cooperiet. Sumptam deinde sub corporali patenam tradet Subdiacono.

156. Subdiaconus patenam dextera nuda accipiet et extremitate dextera veli humeralis conteget eam, alteram extremitatem sinens defluere: sustinebit illam ante pectus quum de Altari descendet, quum paullum inclinatus respondebit *Suscipiat Dominus* etc. ad *Orate fratres*; quum a Diacono thurificabitur, quum ad Altare ascendet et recitabit *Sanctus*, postremo quum adgeniculatus erit ad elevationem. Porro, sumpta patena, directe de Altari descendet se convertens super dexteram suam: quum venerit ante infimum gradum, genuflectet ad Crucem, ibique consistet ad Altare conversus post Celebrantem, patenam sustinens elatam ad altitudinem vultus sui et manum sinistram poterit apponere pectori vel infra cubitum dexterum ut suffulciat brachium.

157. Celebrans interea Missam prosequetur *In spiritu humilitatis* etc.

158. Profecto ex Altari Subdiacono, thuriferarius cum thuribulo et navicula suppedaneum a latere conscendet. Diaconus incensum ministrabit Celebranti, qui in thuribulum iniiciet illud cum benedictione recitans formulam *Per intercessionem* etc. Thuriferarius thuribulum Diacono tradet, recipiet naviculam, descendet de Altari, reponet naviculam in abaco et in plano prope latus Epistolae expectabit Diaconum ut comitetur eum in thurificatione.

159. Si Caeremoniarius abesset aut alia re impediretur, alter ex Acolythis vel thuriferarius meminerit amovere ab Altari legile seu cussinum cum Missali thurificationis caussa.

160. Diaconus thuribulum tradet Celebranti, qui sine ulla reverentia aut genuflexione Oblata statim thurificabit dicens *Incensum istud* etc. Adolebit deinde Altare dicens *Dirigatur* etc. Diaconus, dum Celebrans incensabit Oblata, Calicem in pede

dextera sustinebit, sinistra autem partem posteriorem planetae Celebrantis attollet: quum vero Celebrans idem thurificabit Crucem et Reliquias, si in medio essent expositae, amovebit Calicem a medio Altari et seponet eum prope latus Epistolae in corporali ipso; tum antequam Celebrans Altaris thurificationem prosequatur, referet eum in medium Altare.

161. Sub finem thurificationis praesto erunt secundus Acolythus cum pelvicula et ampulla aquae, et Acolythus primus cum sudariolo seu manutergio ut manuum ablutionem ministrent Celebranti, subsistentes in plano lateris Epistolae parvo ab infimo gradu intervallo, ne Diacono thurificationem impediant.

162. Peracta a Celebrante Oblatorum thurificatione, Diaconus illius planetae partem posteriorem demittet, descendet in gradum superiorem ex parte Epistolae et recipiet thuribulum a Celebrante, qui dicet *Accendat in nobis Dominus* etc.

163. Celebrans adstabit Altari e suo latere sinistro.

164. Diaconus, thuribulo recepto, de Altari descendet, et ubi venerit in planum a latere Epistolae convertetur ad Celebrantem, reverentia eum salutabit profunda, triplici ductu adolebit, iterabit profundam reverentiam, et comitante thuriferario ad adolendum in choro Clerum procedet.

165. Profecto e latere Altaris Diacono post thurificatum Celebrantem, duo Acolythi conscendent gradum superiorem et facta ad Celebrantem reverentia ablutionem manuum ei ministrabunt, secundus Acolythus adstabit primo sinistrorsum, primus Celebranti manutergium praebebit. Celebrans accepto manutergio se convertet ad Altare, manus exterget prosequens recitare psalmum *Lavabo* iam inceptum tempore ablutionis: manutergium deinde Acolytho restituet ac Missam, ut in privata, usque ad Praefationem prosequetur.

166. Duo Acolythi iterabunt reverentiam Celebranti, de Altari descendent, ampullam, pelviculam et sudariolum ad abacum referent, et ipsorum alter aquam ex pelvicula effundet in concham sub abaco praeparatam sive in parvum meatum, si ad hanc rem erit prope Altare.

167. Quum Celebrans recitabit *Orate fratres*, Subdiaconus

patenam ad pectus demittet atque inclinatus respondebit *Suscipiat* etc. ut iam monuimus.

168. Diaconus, thurificato, ut supra, Celebrante, praeeunte thuriferario procedet ante Altare et genuflectet. Hoc ipso tempore Clerus in choro consurget. Diaconus perget ante eam chori partem, quae erit ex latere Evangelii et Clerum ibi in choro praesentem adolebit; deinde iterata genuflexione in medio reliquum Clerum e latere Epistolae incensabit: postea nisi transeat ante Altare non genuflectens, perget ad Altare directe, subsistet prope angulum sive extremitatem anteriorem gradus infimi e latere Epistolae, convertetur ad Subdiaconum ac duplici ductu eum adolebit, mediocri ipsum reverentia salutans ante et post thurificationem. Thuriferarius transibit statim ad dexteram Diaconi et recipiet ab eo thuribulum. Diaconus ascendet ad Altare in gradum superiorem post Celebrantem, genuflectet ad Crucem, convertetur super sinistram suam ad thuriferarium a quo duplici ductu incensabitur cum reverentia ante et post thurificationem. Diaconus postquam thurificatus fuerit convertetur ad Altare nullam aliam faciens genuflexionem. Thuriferarius autem peraget thurificationem Acolythorum et populi, quemadmodum cap. VII. §. 3. lib. I. demonstratum est.

169. Nisi Clerus in choro aderit, Diaconus post thurificatum Celebrantem, vadet ad angulum gradus, ut superius docuimus, et incensabit Subdiaconum: veniet deinde ad medium Altare et, ut supra, thurificabitur. Ad *Orate fratres* Celebranti respondebit *Suscipiat Dominus* etc.

170. Posteaquam Celebrans recitaverit secreta, ut in Missa privata, praefationem tono praescripto cantabit. Acolythus quipiam, nisi possit fieri secus, campanulae sono significabit organorum modulatori, ut sonare absistat (*a*). Si chorus valde frequens esset, nec brevi posset peragi thurificatio, potiusquam actio ista interrumpatur, aut dimidia eius pars omittatur, opus esset ut Celebrans aliquandiu retardaret cantum praefationis.

(*a*) Ut organorum sonus abrumpatur, solet in quibusdam ecclesiis campanula eadem pulsari, qua *Sanctus* et Hostiae elevatio indicatur. Laudabilis videtur mos illarum, quae alio signo aliaque ratione utuntur.

171. Ad illa verba *Gratias agamus* Diaconus vel thuriferarius abrumpet thurificationem, convertetur ad Altare et caput inclinabit, si dum illa verba cantentur, forte esset in medio choro, aut finem fecisset unum ordinem Cleri thurificandi: sin autem iam coepisset eumdem adolere, actionem nulla intermissione persequetur.

172. Praefationis initio Acolythi vel prope abacum vel in sacrarium ibunt ad funalia sumenda. Si funalium maior afferetur numerus, ipsis se addent et alii clerici designati. Id animadvertant ut praesto sint in aditu presbyterii statim ac Celebrans canere praefationem desierit (*a*). Qui Acolythus incedet dextrorsum, intorticium dextera, qui sinistrorsum, intorticium sinistra gestabit: ex aditu presbyterii usque ante Altare coibunt, quumque ante Altare venerint aequa ab eo distantia simul genuflectent. Post genuflexionem reverebuntur Clerum primo ex parte Evangelii deinde Epistolae: Acolythus qui dextrorsum est, intorticium ad sinistram traducere meminerit quum reverentia ad Clerum ex parte Evangelii fiat, itemque Acolythus qui sinistrorsum, transferat intorticium ad dexteram quum reverentia e latere Epistolae peragatur: postea mutua se reverentia salutabunt, qua in actione Acolythus qui erit dextrorsum sinistra intorticium sustinebit: post mutuam reverentiam dirimentur, geniculabunt ante Altare fere in lateribus, intorticium sustinentes manu seu dextera seu sinistra, iuxta positionem, eodem modo ac in aditu presbyterii. Si plures clerici fuerint gestantes intorticia, nempe quatuor aut sex, servabunt eamdem methodum, et recta linea ante Altare genuflexionem et reverentias simul efficient.

173. Quum Celebrans facturus erit finem canendi praefationem, Diaconus ascendet ad dexteram et Subdiaconus ad sinistram eius sine ulla genuflexione et una cum Celebrante recitabunt *Sanctus* (*b*). Celebrans et Diaconus se signabunt ad *Be-*

(*a*) In Missis cantatis ordinariis duo tantum funalia ad elevationem afferenda sunt; quatuor autem diebus solemnioribus.

(*b*) Quod asseruimus Subdiacono ascendendum ad Altare esse, ut cum Celebrante recitet Trisagium, sequuti sumus rubricam *Rit. cele-*

nedictus qui venit, non vero Subdiaconus, siquidem sustinet patenam.

174. Subdiaconus sine genuflexione descendet de suppedaneo et ad locum suum redibit.

175. Diaconus de suppedaneo descendet, transibit super primum gradum post Celebrantem, genuflexionem faciet ad Crucem Altaris, conscendet iterum suppedaneum ac subsistet a sinistris Celebrantis, ut ipsi in Missali monstret quid sit legendum, et folia Missalis ipsius, quum opus sit, evolvat.

176. Thuriferarius, si vacabit, aut Caeremoniarius apud abacum campanulam pulsabit ad *Sanctus*, ut in Missis privatis.

177. Chorus alternatim recitabit *Sanctus* methodo pro *Kyrie* descripta, tum in genua procumbet.

178. Thuriferarius praesto erit ad afferendum thuribulum quum Celebrans recitabit orationem *Hanc igitur oblationem* etc.

179. Quum Celebrans peraget *Memento,* Diaconus passum unum recedet e loco; quum vero Celebrans continuabit Missam, accedet rursus ad Missale, eique monstrabit quae sint legenda.

180. Ad orationem *Hanc igitur* thuriferarius dabit naviculam Caeremoniario, qui incensum in thuribulum sine benedictione infundet, et Caeremoniario absente, infundet thuriferarius ipse.

181. Caeremoniarius accipiet thuribulum, vel ipse thuriferarius sustinebit illud a latere Epistolae SS. Sacramentum ad elevationem thurificaturus.

182. Dum Celebrans dicet orationem *Quam oblationem* etc. Diaconus sine genuflexione discedet de sinistra illius, descendet e suppedaneo, genuflectet in medio post Celebrantem, deinde a dexteris eius consistet in gradu superiori.

183. Eo ipso tempore quo Celebrans inclinabitur ut proferat verba Consecrationis, Diaconus geniculabit a dextris Celebrantis loco praedicto, scilicet in extremitate suppedanei, Subdiaconus autem in medio supra infimo gradu; thuriferarius seu Caeremoniarius cum thuribulo geniculabit etiam in infimo gra-

bran. Missam tit. VII. num. 11. Si mos alicubi alius fuerit, ad Superiorem pertinebit utrum fas sit eum servare, an rubricae adhaerere.

du a latere Epistolae: chorus et Ministri, excepto thuriferario, in thurificatione SS. Sacramenti caput inclinabunt.

184. Celebrans, verbis Consecrationis prolatis, genuflectet atque elevationem S. Hostiae peraget, ut in Missa privata. Ei, statim ac fecerit genuflexionem, Diaconus planetam e posteriori parte sublevabit eamque demittet dum S. Hostiam post elevationem in corporali reponet. Thuriferarius SS. Sacramentum tribus rite distinctis ductibus thurificabit.

185. Posteaquam Celebrans Hostiam in corporali reposuerit et genuflexerit, dum assurget, etiam Diaconus assurget una cum eo, accedet ad Altare, Calicem deteget iterumque genuflectet a dexteris Celebrantis in extremo suppedaneo.

186. Celebrans peraget consecrationem Calicis et elevationem, ut supra, Diaconus attollet ei planetam, ac thuriferarius SS. Sacramentum thurificabit.

187. Dum Celebeans demittet Calicem post elevationem, Diaconus relinquet planetam, assurget, Calicem rursus cooperiet, genuflectet una cum Celebrante, sed iunctis manibus neque insistens Altari, quod etiam Subdiaconus debebit in iis circumstantiis servare deinceps.

188. Elevatione peracta, assurget Clerus et stabit, itemque Subdiaconus loco suo.

189. Consurgent etiam Acolythi et clerici intorticia gestantes coibunt ante Altare, ut in accessu, et facta ad SS. Sacramentum genuflexione discedent, nullam ad chorum aut inter se reverentiam facientes.

190. Thuriferarius quum assurrexerit, thuribulum ad abacum aut in sacrarium referet, hac actione exsequutus munus suum: redibit tamen ad locum suum sive in chorum sive ad abacum, prout superius num. 60. declaratum est.

191. Celebrans, facta genuflexione, Missam continuabit *Unde et memores* etc. Diaconus facta cum Celebrante genuflexione, transibit, non genuflectens in medio, ad sinistrum eius, ibique ad Sacramentum genuflectet et Celebranti assistet ad librum sequens monita superius ad *Memento* tradita.

192. Quum Celebrans iunget manus dicturus *Per quem*

haec omnia etc. Diaconus genuflectet ad Sacramentum, ac sine genuflexione in medio, transibit ad dexteram Celebrantis, et Calicem deteget postquam Celebrans triplex Crucis signum signaverit ad *sanctificas* etc. Genuflectet cum Celebrante, qui Crucis signa Hostia faciet ad *Per ipsum* etc. deinde Calicem rursus cooperiet.

193. Celebrans tono praescripto cantabit *Per omnia saecula* etc. *Oremus. Praeceptis* etc. et *Pater noster.*

194. Ubi Celebrans coeperit canere *Pater noster,* Diaconus genuflectet ad Sacramentum, de suppedaneo descendet in gradum primum ibique subsistet, dum canitur *Pater noster,* sine genuflexione.

195. Ad illa verba *Et dimitte nobis* etc. Diaconus et Subdiaconus genuflectent eo loco quo stabunt et ad Altare in suppedaneum ascendent, Diaconus ad Celebrantis dexteram, Subdiaconus ad dexteram Diaconi. Eodem tempore Acolythus unus accedet ad Altare genuflectet in infimo gradu a latere, una cum Ministris, et a latere ad Altare ascendet in gradum superiorem.

196. Subdiaconus, conscenso suppedaneo, patenam deteget et Diacono tradet. Idem Subdiaconus sibi solvet velum humerale, quod deponet, et Acolythus ex parte posteriore accipiet. Idem, deposito velo, genuflectet ad Sacramentum, et conversus super dexteram suam de suppedaneo descendet, eoque ubi erat antea sine alia genuflexione redibit.

197. Acolythus genuflectet ad Sacramentum simul cum Subdiacono, descendet a latere de Altari, redibit ad abacum et in eo velum humerale deponet.

198. Diaconus patenam dextera acceptam ad sinistram suam traducet, accipiet purificatorium, eoque absterget patenam, quam deinde elatam verticaliter cum ipso purificatorio prope corporale super Altari dextera sustinebit ita, ut facile possit a Celebrante recipi.

199. Celebrans, absoluto *Pater noster* recipiet patenam, ac Diaconus osculabitur manum eius dum recipiet. Idem Diaconus respondebit *Sed libera nos a malo,* Celebrans adiiciet *Amen* et Missam persequens cantabit deinde *Per omnia* etc. *Pax Do-*

mini etc. Diaconus animum advertet ad detegendum et operiendum Calicem ac genuflectendum una cum Celebrante.

200. Quum Celebrans cantabit *Pax Domini* etc. Subdiaconus genuflectet, ad Altare ascendet ad sinistram Celebrantis qui postea cum ipsis Ministris recitabit *Agnus Dei*, quae dicentes percutient pectus suum.

201. Clerus in choro recitabit *Agnus* et pectus percutiet, eadem ratione qua dictum est ad *Kyrie*.

202. Recitato *Agnus Dei*, ut supra, Subdiaconus a sinistris stans Celebrantis, genuflexionem ad Sacramentum iterabit, et conversus super sinistram suam descendet de Altari et ad locum quo antea erat sine alia genuflexione redibit. Diaconus autem pariter post *Agnus Dei*, minime genuflectens ut Subdiaconus, geniculabit in suppedaneo a dextris Celebrantis, ibique iunctis manibus adgeniculatus permanebit, donec Celebrans desierit recitare orationem *Domine Jesu Christe, qui dixisti* etc.

203. Hac oratione absoluta, Celebrans manus corporali imponet et osculabitur Altare in media parte: Diaconus assurget et Altare a latere suo osculabitur, iunctis manibus ante pectus, non insistens Altari. Celebrans convertetur ac Diaconum et cum amplexu dabit illi pacem dicens *Pax tecum*, ille vero respondebit *Et cum spiritu tuo*; Celebrans manus imponet humeris Diaconi, Diaconus supponet cubitis eius. Post haec Celebrans convertetur ad Altare et Sacrum prosequetur.

204. Diaconus genuflectet ad Sacramentum, convertetur super dexteram suam, de suppedaneo descendent super primum aut alterum gradum, si necesse fuerit, in eoque pacem Subdiacono praebebit, quod faciens manus imponet humeris eius, ille supponet Diaconi cubitis: Diaconus dicet *Pax tecum*, Subdiaconus respondebit *Et cum spiritu tuo*. Diaconus rursus ascendet ad laevam Celebrantis, genuflectet, eique ad Missale assistet.

205. Subdiaconus, osculo pacis accepto, genuflectet ad Sacramentum et comitante Caeremoniario vel Acolythorum aliquo, pacem afferet ad chorum eodem ordine ac cap. VI. lib. I.

206. Redibit Subdiaconus ante Altare, genuflectet in medio gradu infimo ante Altare, pacem dabit Caeremoniario sive Aco-

lytho qui comitatum fuerit, ascendet ad Altare ad dexteram Celebrantis et genuflectet ad Sacramentum. Si non aderit chorus, Subdiaconus accepta pace a Diacono, statim praebebit illam Caeremoniario, vel acolytho, tum ascendet ad altare ad dexteram Celebrantis, et genuflectet ad Sacramentum.

207. Deinde Caeremoniarius vel Acolythus perget pacem tribuere, ut eodem supradicto capite.

208. Subdiaconus calicem deteget, et tempore opportuno vinum pro purificatione, tum vinum et aquam pro ablutione et purificatorium ad extergendas Celebrantis manus ministrabit. Idcirco primus Acolythus afferet ampullas cum pelvicula et sudariolo ad Altare eodem modo ac superius, idque faciet quum Celebrans colliget fragmenta; meminerit autem genuflectere ad Sacramentum antequam ad Altare ascendat. Ampullas postea referet ad abacum, quum Subdiaconus discedet de Altari, ut deinceps trademus.

209. Acolythus alter vel thuriferarius Calicis velum ad Altare deferet et ponet in latere Evangelii, debitas exsequens genuflexiones et ad Altare ascendens a latere.

210. Chorus, posteaquam Celebrans consummaverit Calicem, considebit.

211. Quum Subdiaconus Celebranti ablutionem ministraverit eique purificatorium explicatum digitis imposuerit, Diaconus et Subdiaconus discedent de Altari. Diaconus Missale cum legili seu cussino acceptum referet ad latus Epistolae, posito tamen signaculo ad *Communio* Missae eius diei.

212. Diaconus conversus super sinistram suam descendet in gradum primum infra suppedaneum; Subdiaconus autem conversus super dexteram suam de Alteri descendet ante infimum gradum: genuflectent simul ad Altare, Diaconus perget ad latus Epistolae, deponet ibi Missale et redibit ad eumdem locum in gradum superiorem infra suppedaneum; Subdiaconus suppedaneum conscendet in cornu Evangelii, absterget Calicem, et imponet ipsi purificatorium, patenam et pallam, complicabit corporale, quod ponet intra bursam eamque super Altari relinquet, calicem velo cooperiet, imponet ei bursam apertura ad pectus

suum conversa, superimponet partem anteriorem veli, calicem accipiet manu sinistra ad nodum et dextera extensa super Calicem ipsum; convertetur super sinistram suam, de Altari descendet ex parte anteriori, genuflectet ad Crucem ante infimum gradum, Calicem ad abacum deferet, partem anteriorem veli eius demittens ut prorsus contegatur, et redibit ante infimum gradum in cornu Epistolae post Diaconum.

213. Celebrans vadet ad latus Epistolae, leget ℣. *Communio,* deinde redibit ad medium Altare, et osculatus illud convertetur ad populum et canet *Dominus vobiscum.*

214. Chorus consurget et stabit donec Sacrum compleatur.

215. Diaconus et Subdiaconus sequentur Celebrantem venientem ad medium Altare, transeuntem ad Missale propter orationem vel orationes canendas, et redeuntem postea ad medium Altare.

216. Celebrans deinde redibit in latus Epistolae, canet *Oremus* et orationem sive orationes *Postcommunio* eodem numero ac orationes et collectas ante Epistolam.

217. Hisce orationibus completis, redibit in medium, Altare osculabitur, convertetur ad populum et canet *Dominus vobiscum.* Diaconus stans post Celebrantem, ut dictum est, convertetur super sinistram suam directe ad populum ac tono statuto cantabit *Ite Missa est.* Quo facto, Celebrans conversus ad Altare dicet orationem *Placeat tibi* etc. Diaconus ibit versus cornu Epistolae in partem anteriorem, Subdiaconus conscendet gradum superiorem infra suppedaneum, et in parte anteriori prope latus Evangelii subsistet.

218. Si in Missa canendum sit *Benedicamus Domino,* Celebrans convertetur ad Altare statim ac cecinerit *Dominus vobiscum,* ex eoque loco dicet *Benedicamus Domino* expectans donec cantetur a Diacono, ut recitet orationem *Placeat tibi* etc. Diaconus cantabit *Benedicamus Domino* ad Altare conversus, deinde versus partem Epistolae transibit, ut supra docuimus.

219. Celebrans post orationem praedictam osculatus Altare, benedictionem largietur, ut in Missis privatis. Ad benedictionem autem dicente Celebrante *Benedicat vos* etc. Ministri

genua submittent in extremo suppedaneo, loco iam innuto, et cum eis totus chorus geniculabit, exceptis Praesulibus, si aderunt, et Canonicis in sua ecclesia. Item si Ministri fuerint Canonici et in sua ecclesia ministraverint, ad benedictionem Celebrantis profunde inclinabuntur. Omnes ad benedictionem se signabunt.

220. Si Celebrans ultimum Evangelium e Missali lecturus sit, Subdiaconus accipiet Missale cum cussino seu legili ex Altari et post *Ite Missa est* seu *Benedicamus Domino* transferet illud in latus Evangelii, quo casu Celebrans non ante dabit benedictionem, quam Subdiaconus ad locum praedictum redierit.

221. Post benedictionem Celebrans convertetur ad latus Evangelii dicet *Dominus vobiscum*, Altare et seipsum signabit ad *Initium sancti Evangelii* etc. et Evangelium S. Joannis recitabit. Chorus et Ministri statim, data benedictione, consurgent. Diaconus manebit quo loco erit, sed aliquantulum ad Celebrantem convertetur. Subdiaconus ascendet in suppedaneum, sumet tabellam Evangelii S. Joannis, ac dextera sustinebit eam ante Celebrantem. Ad *Verbum caro* genuflectent omnes, praeter Subdiaconum sustinentem tabellam, qui completa recitatione Evangelii, respondebit *Deo gratias* ac tabellam suo loco reponet.

222. Interea dum legetur ultimum Evangelium, Acolythi candelabra ex abaco sument, procedent in medium ante Altare, ibique sine genuflexione subsistent.

223. Si post Missam, Clerus e choro discessurus sit, Acolythi facta genuflexione ad *Verbum caro* proficiscentur ad aditum presbyterii, eos sequentur qui omnes in choro fuerint, bini incedentes quo ordine traditum est superius, quum de accessu ad Altare sermo fuit.

224. Celebrans, recitato Evangelio, redibit ad medium Altare stantibus hinc et inde in suppedaneo Ministris, ibique expectabunt nutum Caeremoniarii ad redeundum in sacrarium. Caeremoniarius sustinens interea bireta Celebrantis et Ministrorum, in descensu de Altari monebit (si opus fuerit) Celebrantem ne tergum Cruci convertat. Celebrans et Subdiaconus se convertent sinistrorsum, Diaconus dextrorsum, ac quum de-

scenderint de omnibus gradibus, convertentur ad Altare ac respective facient ad Crucem Celebrans reverentiam, Ministri genuflexionem.

225. Diaconus a Caeremoniario accipiet biretum Celebrantis et illud tradet cum osculis usitatis Celebranti eidem, qui eo caput operiet. Caeremoniarius deinde biretum porriget Diacono et Subdiacono, qui capite cooperto, sequentur Clerum in sacrarium redeuntem, videlicet praeibit Subdiaconus, sequetur Diaconus et postremus ibit Celebrans.

226. Sin autem Clerus in choro manebit officium absoluturus, Acolythi e choro minime discedent. Celebrans additus Ministris in suppedaneo, faciet cum eis mediocrem reverentiam ad Crucem: descendent simul de Altari, ut superius dictum est, et ad Altaris pedes facient seu reverentiam seu genuflexionem: Acolythi genuflectent coniunctim cum Ministris. Celebrans et Ministri, bireto resumpto, reverebuntur Clerum primum e latere Evangelii, deinde Epistolae, et capite adhuc nudato e choro excedent, praeeuntibus Acolythis, eodem ordine ac supra, nempe Subdiaconus, post eum Diaconus, postremo Celebrans. In aditu chori cooperient bireto caput et ad sacrarium proficiscentur.

227. Si in reditu ad sacrarium, transeundum sit ante Altare SS. Sacramenti, sive ante Altare maximum, aut illud in quo expositae sint Reliquiae Sancti illius, cuius dies festus celebretur, observabuntur eadem quae in egressu de sacrario num. 21. tradita sunt.

228. Quum ventum erit in sacrarium, Acolythi procedent ante Altare sive imaginem sacrarii et subsistent hinc inde a lateribus Altaris; quo si sacrarium caruerit, tali inter se intervallo disponentur, ut facile satis spatii supersit Celebranti et Ministris, ibique stabunt facie alter ad alterum versa.

229. Clerus in sacrario disponetur in longitudinem, ac si opus fuerit, pluribus etiam ordinibus, sistentibus primis prope sacrarii fores, reliquis deinceps Altare versus ita ut seniores seu digniores sint prope Altare.

230. Celebrans cum Ministris caput detegent in aditu, et

simul coniuncti, videlicet Celebrante medio inter Diaconum, et Subdiaconum, procedent ante Altare, et cum eis coibunt Acolythi. Omnes reverentiam ad Crucem vel ad imaginem exsequentur; deinde Celebrans cum Ministris et Acolythis Clerum quoque salutabunt.

231. Sin Clerus in choro remanebit, Acolythi progressi ante Altare sacrarii dirimentur, ut paullo ante dictum est, et Subdiaconus ac Diaconus ante Altare transibunt ad latera Celebrantis, et capite detecto reverentiam peragent ad Crucem vel ad imaginem praecipuam, et sacra indumenta demittent.

232. Acolythi candelabra deponent quo loco sumpserint, et candelas extinguent; deinde adiuvabunt Ministros ad sacras vestes exuendas: Caeremoniarius adiumento erit Celebranti in sacris paramentis demittendis. Clerici, functi officio suo, superpelliceum deponent.

DE SANCTA CLERI ET POPULI IN MISSA SOLEMNI COMMUNIONE.

CAPUT V.

1. Si Clero in Missa solemni S. Communio administranda erit, praeparabitur primum in abaco pixis cum particulis numero sufficienti et cum operculo; tobalea linea, longa ante communicandos explicanda; ac si Sacerdotes etiam, ut feria quinta in Coena Domini de sacra mensa participabunt, in promptu erunt stolae, quae satis sint numero Presbyterorum, concolores paramentis, quae in Missa solemni adhibentur.

2. Caeremoniarius accipiet pixidem ex abaco, deferet eam ad Altare quum Subdiaconus afferet Calicem, eamque statuet prope corporale.

3. Diaconus pixidem sumet et deteget, cooperculum deponet extra corporale et pixidem supra corporale locabit versus latus suum; tum pallam de patena amovebit, patenam cum hostia su-

met ac tradet Celebranti. Interea dum Sacerdos hostiae oblationem peraget, sumet pixidem eamque a latere patenae sustinebit ad eamdem altitudinem qua Celebrans patenam elevaverit, et peracta oblatione, imponet pixidem corporali in medio, ita ut sit post calicem et operculo cooperiet eam (*a*). Deinde tam Diaconus quam Celebrans persequentur actiones capite praecedenti notatas, ubi agitur de ritibus in Missa solemni servandis.

4. Diaconus transibit ad Celebrantis dexteram quum hic recitabit verba *Quam oblationem* etc. in Canone, pixidem dextera sumet, admovebit ad Celebrantem prope dexteram eius, et detrahet illi operculum, quod ex eadem parte ponet extra corporale, advertens ut pixidis pedem sinistra sustineat dum operculo deteget eam. Postea dum consecratio et elevatio peragetur, geniculabit.

5. Quum Celebrans post elevationem S. Hostiam reposuerit ac rursus adoraverit genuflexione, Diaconus assurget, pixidem operculo iterum cooperiet, et dextera sumptam reponet quo loco antea erat, calicem palla deteget, submittet genua, et suas actiones peraget, ut supra (*b*).

6. Posteaquam Clerus pacem acceperit, communicandi capite nudato et iunctis manibus devenient in medium chorum, ibique bini geniculabunt, quum Diaconus recitabit *Confiteor*: quod si presbyterium communicandorum numerum non caperet, ipsi ad *Confiteor* suo quisque loco in choro geniculabunt.

7. Reliqui de choro in ista et in ceteris actionibus stabunt (*c*).

(*a*) Ponendam esse pixidem post calicem desumitur e Caeremoniali Episcoporum lib. 2. cap. 29 num. 2.

Non esset improbandus usus pixidem alia palla contegendi, quum in praxi facilius sit pallam, quam operculum removere, ea quoque de caussa quod rubrica id insinuat.

(*b*) Perpendatur expressio rubricae Rit. celeb. Miss. tit. VIII. num. 6. « Reposita Hostia consecrata super corporale, (Sacerdos) genuflexus ipsam veneratur: si adsit vas aliarum Hostiarum, patena vel palla cooperit, ut supra ». Ideoque minus recte faciunt Sacerdotes illi, qui reposita Hostia super corporale, statim contegunt pixidem, reponunt eam post Calicem, postea genuflectunt.

(*c*) Non est mirandum, si hoc loco contendimus tempore Commu-

8. Acolythi seu clerici cum intorticiis, quum Communio fiet; non post elevationem sed post Communionem abibunt.

9. Postquam Celebrans Calicem sumpserit, Subdiaconus eum palla cooperiet.

10. Diaconus et Subdiaconus genuflectent et mutabunt locum, Diaconus nempe ad dexteram, Subdiaconus ad sinistram Celebrantis transibit.

11. Celebrans et Ministri genuflectent simul, et Diaconus pixidem dextera sumptam admovebit ante Calicem, deteget eam et ponet operculum extra corporale.

12. Celebrans cum Ministris genuflexionem iterabunt. Diaconus cum Subdiacono vadent ad latera Altaris in gradum superiorem et stabunt ad Altare conversi ita ut Diaconus ad dexteram, Subdiaconus ad sinistram suam habeat Altare. Celebrans convertetur super latus suum sinistrum versus cornu Evangelii ad communicandos, non tamen humeros vertens ad Sacramentum.

nionis adstantium Clero standum esse. Patet dispositio Caeremonialis Episcoporum lib. 2. cap. 29. num. 3. de qua iuvat referre interpretationem clar. Catalani. « Ex Rubrica nostri §. praeter communicandos, qui « scilicet genuflectunt, stare debent Canonici et Clerus. Licet autem in « Vaticana atque in aliis Basilicis Urbis, Canonici et Clerus genuflectunt, « dum fit Communio in Missa solemni, notum est tamen hunc ritum fuisse « aliquando correctum a Summo Pontifice Benedicto XIII. quo tamen « defuncto, ritus ipse antiquus innovatus fuit, genuflectentibus Canonicis « et Clero dictae Basilice, sicut et aliarum plurium Urbis, usquedum « absoluta fuerit Communio, quod tamen huic nostro §. contrarium est « et Auctoribus, qui sacros ritus enarrant, inter quos, ut alios omittam, « Bauldryus in suo Manuali parte III. cap. 12. art. 10. num. 2. citans « locum nostri huius §. ita scribit: *qui communicandi sunt, accedunt ad « Altare cum debitis genuflexionibus soli, ibique sic manent, aliis de « Clero semper stantibus*. Sane si ex Rubricis Missalis et praxi omnium « Ecclesiarum stat Clerus in choro cum Celebrans se communicat, in- « telligere prorsus nescio, cur ad Communionem Ministrorum genufle- « ctat. Quid, quod in primitiva Ecclesia et plura post pacem ei redditam « secula fideles stantes communicabant? Testatur id quidem de Graecis « Joannes Bona Cardinalis lib. II. *rerum liturgicarum* cap. 17. num. 18. « sic inquiens: *De situ communicantium, si de Graecis sermo sit, nulla « est dubitatio, quin stantes divina dona percipiant.* Addit mox de La-

13. Diaconus profunde inclinatus recitabit *Confiteor*, eodemque situ stabunt etiam Subdiaconus et communicandi.

14. Si Acolythi sustinebunt intorticia, duo alii clerici succedent illorum officio priusquam Diaconus recitet *Confiteor*. Venient ad abacum, et primus illorum accipiet tobaleam pro Communione, redibunt simul ante Altare, genuflectent, dirimentur et a lateribus in infimo gradu geniculabunt.

15. Quum Diaconus recitaverit *Confiteor*, Celebrans dicet *Misereatur vestri* etc. *Indulgentiam, absolutionem* etc., et ad Altare convertetur.

16. Si Ministri sumpturi sint Eucharistiam, quum Celebrans, dicto *Misereatur*, etc. *Indulgentiam* etc. convertetur ad Altare, procedent in medium, et in extremo suppedaneo geniculabunt: duo Acolythi suppedaneum conscendent in extremitates, genua submittent, tobaleam ante Ministros explicabunt et ad extremitates sustinebunt, alter fere contra alterum versus.

17. Celebrans ubi ad Altare se converterit, genuflectet,

« tinis non audere se id affirmare, quod nihil habeat ex antiquis Scri-
« ptoribus, quod id confirmet, *nisi quod etiam hodie in Missa solemni
« Romani Pontificis, Diaconus communicetur stans omnino, ex veteri
« ritu*. Concludit autem *ut in reliquis, ita etiam in hac re similes ab
« initio Ecclesiae utriusque ritus fuisse*. Non utique genuflexos, ut hodie
« fit, sed stantes communicasse fideles, probat Henricus Valesius in no-
« tis ad lib. VII. Euseb. cap. 9. Isaacus Habertus ad Pontificale Grae-
« corum pag. 270. Joannes Thiersius in Gallica dissertatione *de Alta-
« ribus* et inter alios Edmundus Martene tom. I. *de antiquis* Ecclesiae
« ritibus cap. IV. art. 7. . . . . Servandum plane hodie quod Ecclesia
« eiusque Hierarchae mandant, Eucharistiam scilicet sumpturos esse qui-
« dem genuflexos, stantem autem in choro Clerum. Quod ultimum pe-
« culiari dissertatione numeris omnibus absoluta, quam manu exaratam
« vidimus, egregie probat, Vir Cl. Basilicae Vaticanae Beneficiarius Do-
« minicus Pizzus, variisque rationibus ritum a Benedicto XIII. in ipsa
« Basilica aliquando emendatum propugnat, atque adversariorum effugia
« cuncta refellit ». Addendum, quod in Missa solemni Summi Pontificis ad Communionem Cardinalium Diaconorum et nobilium laicorum, stant omnes, et ipsi etiam Assistentes, exceptis iis tantum qui Eucharistiam accipiunt, idque servatur etiam quum diebus statutis nequit Summus Pontifex canere Missam, et loco eius canit Cardinalis, qui S. Communionem, ut supra, administrat.

pixidem supra nodum sinistra accipiet, et dextera unam S. Particulam educet; convertetur ad communicandos, dicet *Ecce Agnus Dei* etc. ter *Domine, non sum dignus* etc. et Diaconum primo tum Subdiaconum communicabit.

18. Posteaquam Diaconus et Subdiaconus S. Communionem sumpserint, Acolythus primus statim retrahet tobaleam. Diaconus et Subdiaconus consurgent, genuflectent, et Diaconus ad Celebrantis dexteram, sive ad latus Evangelii, et Subdiaconus ad sinistram sive ad latus Epistolae redibunt, ibique dum Communio ministrabitur, stabunt iunctis manibus. Interea Celebrans non movebitur e situ, quo erat.

19. Si mos erit, Diaconus dextera accipiet patenam, non adhibens purificatorium, eamque communionis momento communicandorum mento supponet.

20. Si Diaconus et Subdiaconus de sacra mensa non participaturi sint, post *Indulgentiam* etc. vadent ad latera Celebrantis, ut supra, genuflectent et cum eo convertentur ad communicandos.

21. Si aderunt Sacerdotes, qui S. Eucharistiam accipient, duo clerici huic officio delegati, sument stolas de abaco iisque porrigent ut collo imponant; ipsi autem clerici meminerint illas recipere, quum dicti Sacerdotes post Communionem de Altari descenderint. Si stolarum numerus non satis sit, duo priores Sacerdotes, communione peracta, sibi stolam detrahent et tradent clericis, hi vero ceteris Sacerdotibus, qui carebunt.

22. Postquam Diaconus et Subdiaconus, sacra Communione sumpta, in suppedaneum ascenderint ad latera Celebrantis, duo praedicti Acolythi rursus extendent et sustinebunt tobaleam ante communicandos.

23. Duo primi communicandi assurgent, genuflectent, ascendent ad Altare, geniculabunt in extremitate anteriori suppedanei et S. Communionem accipient. Dum communicabunt priores duo, praesto erunt alteri duo ad imum Altaris, et ubi duo priores consurrexerint, genuflectent et ascendent ad Altare, ubi flexis genibus sanctam Hostiam accipient. Duo priores ubi assurrexerint, dirimentur ut locum dent secundis ad Altare suc-

cedentibus, et quum devenerint in planum, genuflectent et ad locum suum in chorum redibunt. Dum hanc genuflexionem peragent duo priores, praesto erunt qui tertio loco sunt, qui simul cum duobus qui descenderint genuflexionem exsequentur. Descendentibus secundis iam communicatis, ascendent tertii, iamque aderunt ante Altare quarti qui cum secundis genuflexionem efficient, eademque methodus a reliquis servabitur.

24. Qui communicati fuerint, in chorum redibunt ad locum suum, et reliqui Cleri in choro statum sequentur.

25. Dabitur etiam opera, ut duo clerici vice fungantur illorum qui sustinent intorticia, ut ad divinam mensam accedant, atque ita si numerus postremorum dispar erit, terni una ascendent ad Altare.

26. Si communio administranda esset laicis, fiet id ad cancellos sive ad balaustrium presbyterii.

27. Posteaquam clerici omnes ad Altare communicati fuerint, Celebrans cum Ministris de Altari descendent quo ordine stabant, iisque addentur a lateribus duo clerici intorticia gestantes, qui geniculabunt in extremitate balaustrii aliquantulum versus presbyterium, ne transitum Celebranti et Ministris prohibeant. Si in balaustrio deesset tobalea extensa, duo Acolythi afferentes illam praecedent Celebrantem et Ministros, eamque sustinebunt ante communicandos, gradum sensim facientes cum Celebrante.

28. Celebrans Communionem fidelibus administrans initium sumet, ut in aliis Missis, a latere Epistolae procedens ad latus Evangelii, quo quum devenerit, redibit illuc quo inceperit et Communionem peraget.

29. Communione absoluta redibit ad Altare, si ad balaustrium descenderit, secus post Cleri Communionem ad Altare convertetur.

30. Utroque casu Ministri locum non mutabunt, at Diaconus a laeva, Subdiaconus a dextera Celebrantis remanebit.

31. Acolythi, Communione completa, tobaleam retrahent et super abacum reponent.

32. Si qua superfuerit S. Particula, Celebrans ad Altare

conversus deponet super ipsum pixidem et simul cum Ministris genuflectet, secus genuflexio omittetur. Particulas, quae in pixide superfuerint, Celebrans consummabit.

33. Diaconus patenam, si ante communicandos sustinuerit eam, super corporale reponet.

34. Clerici intorticia gestantes discedent de Altari, reverentes chorum postquam genuflexionem ad Altare fecerint.

35. Subdiaconus Calicem palla deteget, ac Celebrans fragmenta de pixide et de patena quoque in calicem excutiet.

36. Caeremoniarius a Subdiacono pixidem recipiet cum operculo, postquam Celebrans eam purificaverit, et in abacum referet.

37. Post haec Sacrum ritu praestituto peragetur.

38. Non erit abs re notare heic Sacrosancti Concilii Tridentini dispositionem Sess. XXIII. c. XIII. de reformatione « Subdiaconi et Diaconi . . . sciant maxime decere si saltem « diebus Dominicis et solemnibus, cum Altari ministraverint, « sacram Communionem perceperint ».

39. Quod ad ritum purificationis communicandorum spectat, quum iam, generatim loquendo, obsoleverit, non innuendus hoc loco videtur: tractabitur suo loco lib. V. cap. XI num. 33. in capite de Communione in Missa pontificali, in quo sermo erit etiam de habitu quo Praesules, si aderunt, S. Communionem debeant percipere.

DE VARIATIONIBUS QUAE IN MISSAS SOLEMNES FERIALES INCIDUNT.

CAPUT VI.

1. Missae solemnes feriales celebrantur in Adventu, Quadragesima, quatuor temporibus et Vigiliis. Huiusmodi Missae tenent Cathedrales et Collegiatas. Raro accidit, ut cantandae sint in aliis ecclesiis, in quibus non obligetur officium quotidianum. Variationes innuemus, quae incidere solent in celebratio-

nem harum Missarum solemnium, quum de reliquo servanda sint quae cap. IV. huiusce libri de Missis solemnibus tractata sunt.

2. Si Altare, in quo canenda sit Missa ferialis, instructum esset pallio coloris respondentis officio non feriali, quod celebrabitur, pallium violaceum pro Missa feriali substituetur, idque praestaret fieri sub finem horae Nonae.

3. Inter candelabra non ponentur imagines, nec reliquiaria, nec vasa florea, sed candelabris tantum et Cruce Altare exornabitur (a).

4. Scamnum pro Celebrante et Ministris praeparatum, quo sedeant, contegetur panno laneo violacei coloris, itemque eiusdem coloris tapetum, si aderit, sternetur super gradus Altaris.

5. In abaco, praeter res pro Missa solemni indicatas, praeparabitur stola latior a Diacono adhibenda, in Adventu, in Quadragesima et quatuor temporibus.

6. Si in Missa, praeter Epistolam, una aut plures prophetiae, seu lectiones canendae erunt, praeparabitur legile maius apud abacum alterumque Missale tegumento violaceo instructum.

7. In sacrario, ubi disponentur paramenta Celebrantis et Ministrorum, pro dalmatica et tunicella in promptu erunt binae planetae, ab ipsis adhibendae, coloris violacei et ad pectus plicatae (b).

(a) Diebus ferialibus ardere duae aut quatuor candelae in Altari deberent, iuxta dispositionem Caeremonialis Episcop. lib. 2 cap. 12. n. 24.

(b) Quod ad usum planetarum plicatarum attinet operae pretium est referre textum rubricae *de qualitate paramentorum* tit. XIX. n. 6, 7. « In « diebus vero ieiuniorum (praeterquam in vigiliis Sanctorum) et in Do« minicis et feriis Adventus et Quadragesimae ac in vigilia Pentecostes « ante Missam (exceptis Dominica *Gaudete*, si eius Missa infra hebdo« madam repetatur, et Dominica *Laetare*. Vigilia Nativitatis Domini, « Sabbato Sancto in benedictione Cerei et in Missa, ac quatuor tem« poribus Pentecostes) item in benedictione Candelarum et Processione « in die Purificationis Beatae Mariae, et in benedictione Cinerum ac « benedictione Palmarum et Processione, in Cathedralibus et praecipuis « Ecclesiis utuntur Planetis plicatis ante pectus; quam planetam Diaconus « dimittit etc.

« In minoribus autem Ecclesiis, praedictis diebus ieiuniorum Alba

8. In Missa neque *Gloria* neque *Credo* cantabitur.

9. Clerus in Choro et reliqui genuflabunt dum canentur orationes ante Epistolam et aliae post Comunionem.

10. Si una aut plures prophetiae, seu lectiones erunt canendae, tempore quo cantabitur *Kyrie*, quum Celebrans leget introitum, ab Acolytho aliquo statuetur legile maius in medio presbyterio, et super legili Missale apertum.

11. Dum cantabitur oratio quae praecedit prophetiam, Caeremoniarius invitabit eius cantorem, eumque adducet ad legile cum debita ad Altare genuflexione et ad chorum reverentiis.

12. Completo a Celebrante orationis cantu, Ministri accedent ad eum ut in introitu, et cantor prophetiam vel lectionem cantabit tono pro lectionibus statuto. Cantor Celebrantis manum non osculabitur, qui ritus proprius est tantummodo Episcopi ordinarii.

13. Si ante orationes dicendus esset ℣. *Flectamus genua* et alter ℣. *Levate*, primus cantabitur a Diacono, omnesque genuflectent excepto Celebrante, alter autem a Subdiacono, et universi assurgent.

14. Si Ministri utentur planetis plicatis, ad ultimam orationem ante Epistolam assurget primus Acolythus et planetam plicatam detrahet Subdiacono, qui deinde accipiet librum, cantabit Epistolam, manum Celebrantis osculabitur; tum restituto Epistolario, planetam plicatam rursus assumet prope Altare vel prope abacum ac Missale cum cussino vel legili transferet in latus Evangelii.

15. Diaconus, postquam Celebrans inceperit legere Evangelium, de Altari a latere descendet, ut supra dictum est, apud abacum deponet planetam plicatam, induet sibi stolam latiorem, accipiet Evangeliarium, et afferet ad Altare, ac perget in suo officio ministrare.

« tantum induti ministrant: Subdiaconus cum manipulo, Diaconus etiam « cum stola ab humero sinistro pendente sub dextrum ». Quibus de rebus planetis plicatis utentur in Ecclesiis cathedralibus et in reliquis praecipuis, quales existimari possent Collegiatae, Paroeciales, et in quibus officium peragit numerosa Communitas religiosa.

16. Si in Tractu erit ℣. *Adiuva nos Deus* ect. Celebrans non genuflectet quum leget illum privatim, sed postquam, lecto Evangelio, ad medium Altaris redierit, geniculabit in extremo suppedaneo cum Ministris a lateribus, cumque eo Clerus in choro omnesque inservientes genua submittent, et a cantoribus versiculus praedictus cantabitur.

17. Hoc versiculo cantato, assurget Celebrans (et cum eo ceteri omnes) atque incensum in thuribulum imponet pro Evangelio canendo, et Sacrum prosequetur, ut capite praedicto iam declaratum est.

18. Cantores tantum qui cantabunt versiculum *Adiuva nos* etc. stabunt pedibus.

19. Chorus post elevationem non assurget, sed genibus flexis manebit dum cantabitur *Pax Domini* etc. Acolythi sustinentes intorticia manebunt flexis genibus usquedum absoluta sit Celebrantis Communio.

20. Diaconus quum post Communionem Missale cum cussino seu legili retulerit in latus Epistolae, de Altari a latere descendet; veniet ad abacum et, adiuvante Acolytho, deponet stolam latiorem, resumet planetam plicatam et quo loco erat post Celebrantem, redibit.

21. In Quadragesima quum sit oratio *super populum*, ubi Celebrans cecinerit *Oremus*, Diaconus sinistrorsum conversus ad populum, manens loco suo, iunctis manibus cantabit *Humiliate capita vestra Deo* tono praescripto; deinde rursus ad Altare convertetur; tum Celebrans orationem praedictam recitabit. Curabit Diaconus, quoad fieri potest, ut eamdem sequatur vocis modulationem, qua Celebrans *Oremus* cecinerit. Clerus in choro omnesque reliqui genibus flexis stabunt ad praedictam orationem *super populum* ut in praecedentibus.

22. In quibus Vigiliis fit ieiunium (in quibus comprehenduntur vigiliae Apostolorum, S. Laurentii etc. licet quibusdam in locis ex indulto Summi Pontificis obligatio abstinentiae antiquata sit) Ministri utuntur tunicella et dalmatica violacea, quae tamen non deponentur, ut praescribitur de planeta plicata. Chorus ad orationes, ad *Sanctus*, ad *Pax Domini*, ut superius docuimus, genuflectet, neque organis sonabitur.

23. Hac regula excipiuntur Vigiliae Nativitatis Domini, Epiphaniae, Resurrectionis et Ascensionis Dominicae, Pentecostes et eius quatuor tempora, siquidem ritu festivo, non feriali, haec officia celebrantur.

DE MISSA SOLEMNI ANTE SS. SACRAMENTUM EXPOSITUM.

CAPUT VII.

1. Maximopere commendandus est patriarchalium Urbis ecclesiarum usus, in quibus Missa solemnis ante SS. Sacramentum expositum nunquam celebratur, exceptis tantum diebus octavae Corporis Domini, siquidem illis diebus expositio a rubricis praescribitur et pars est quaedam officii.

2. Si qua de caussa, ab ordinario Episcopo habita legitima, cantanda esset Missa ad Altare, in quo expositum erit SS. Sacramentum, sequentes canones servabuntur.

3. In sacrario prarparabuntur super abaco ea omnia, quae Missae solemni opus sunt. Si post Missam fiet processio, aut dabitur benedictio SS. Sacramenti, praeparabitur respective quidquid ad rem spectat, ut demonstrabitur in eo capite quo de quadraginta horarum expositione tractabitur.

4. In Altari quo expositum erit SS. Sacramentum locus esse non debet thecis cum Reliquiis, neque statuis aut imaginibus Sanctorum inter candelabra ad Altaris ornatum. Ante Missam statuetur in eo legile seu cussinus cum Missali, tabellae secretarum, vulgo appellatae charteglориae, et Crux quoque cum imagine Crucifixi, si mos erit, iuxta Constitutionem Benedicti XIV, die sexta Julii 1749. Caveatur ne Crux, quam diximus, locetur supra baldachinum seu thronum in quo expositum sit SS. Sacramentum, nec sit ea amplitudine ut cooperiat ostensorium. Mensa Altaris vacua sit candelabris, cornucopiis, vasis floreis, et similibus; fieri enim posset, ut rerum huiusmodi

impedimento, Altaris thurificatio non posset peragi, ut decet; nec corporale explicari super Altare, vel etiam ut decideret cera liquefacta super Altare ipsum, super corporale, et super ministrantes ad Altare.

5. Quum expositum in Altari erit SS. Sacramentum, pallium albi coloris semper ponendum est, quamvis colorem diversum Missa requirat.

6. Quod autem ad Caeremonias in huiusmodi Missa exsequendas, quidam generales statuentur canones, qui etsi repetiti in operis processu, poterunt tamen conducere ad documenta ipsa facilius exsequenda. Ac *primo:* tempore Missae genuflexio peragetur uno tantum genu, excepto accessu solummodo ad Altare, et recessu ab ipso, in quibus utroque genu ab omnibus genuflexio fiet, nec solum a Celebrante et Ministris, verum etiam ab alio quocumque qui chorum petat vel ab ipso discedat. *Secundo*: omittentur omnes ad chorum reverentiae, excepto Diacono quum thurificabit illum, illa enim reverentia veluti invitatio ad thurificationem existimanda est. *Tertio*: Ministri dantes aut accipientes aliquid a Celebrante, oscula usitata omittent: excipiuntur autem Subdiaconus, qui post Epistolam manum Celebrantis osculabitur, Diaconus qui osculari debebit Celebrantis manum post acceptam benedictionem pro canendo Evangelio, quod etiam faciet tradens Celebranti patenam et Calicem in offertorio ac patenam sub finem Orationis Dominicae.

7. Itaque delegamus lectores ad caeremonias Missae solemnis, descriptas cap. IV. cum exceptionibus seu declarationibus quae sequuntur.

8. Clerus Ministri, et Celebrans procedent ad Altare ordine ibi notato. Acolythi progressi ante Altare genuflexionem facient utroque genu, assurgent et recedent ad latera conversi non ad invicem, sed ad Altare ubi expectabunt Celebrantem cum sacris Ministris.

9. Ceteri de Clero qui sequentur Acolythos, genuflectent utroque genu in medio presbyterio et ad locum vadent quisque suum, quin faciant sibi mutuam reverentiam.

10. Ministri cum Celebrante quum devenerint in conspe-

ctum SS. Sacramenti caput detegent et biretum manu sustinebunt usque in aditum chori, ibique Ministri biretum suum dabunt Caeremoniario, Celebrans Diacono qui Caeremoniario tradet: progredientur ante Altare simulque cum Acolythis ante infimum gradum genuflexionem utroque genu conficient.

11. Si Clerus in choro aderit, Acolythi exsequentur quod traditum est pro Missis solemnibus cap. IV. num. 22.

12. Genuflexione facta, Celebrans et Ministri assurgent ac sine alia genuflexione aut reverentia inchoabitur Missa.

13. Confessione peracta, sine genuflexione ascendent ad Altare, et in suppedaneo genuflexionem uno genu facient, atque ita deinceps, ut iam paullo ante monuimus. Ministri genuflectent, iunctis manibus, non vero eas imponentes Altari. Unus Celebrans genuflexionem efficiens, manus Altari imponet.

14. Postquam Celebrans dixerit orationem *Oramus te, Domine* etc. Altare osculabitur; et una cum Ministris genuflexionem iterabit; tum simul recedent versus cornu Evangelii.

15. Thuriferarius, facta genuflexione uno tantum genu, ascendet ad Altare, et Diaconus incensum Celebranti ministrabit sine osculis.

16. Celebrans incensum in thuribulum iniiciet cum formula usitata *Ab illo benedicaris* etc. et cum benedictione.

17. Thure iniecto et benedicto, thuriferarius relinquet thuribulum Diacono vel Caeremoniario, ac recepta navicula ad locum suum recedet faciens genuflexionem.

18. Celebrans cum Ministris descendent in gradum secundum, ac ne tergum vertant ad Sacramentum, Celebrans cum Subdiacono descendent tergum aliquantulum convertentes versus latus Evangelii, Diaconus autem versus cornu Epistolae et in anteriori extremitate suppedanei geniculabunt.

19. Diaconus tradet thuribulum Celebranti qui, facta profunda ad SS. Sacramentum inclinatione, thurificabit illud triplici ductu. Ministri planetam Celebrantis ex parte posteriori attollent. Postea consurgent, suppedaneum conscendent et facta genuflexione, Altaris thurificationem ritu consueto persequentur. Si in Altari aderit Crux cum Crucifixo omittetur eius thurificatio.

20. Completa thurificatione, Celebrans descendet super gradum secundum, vel etiam in planum si gradus erunt angusti neque uno plures, et faciem vertet ad populum sive ad presbyterium, et a Diacono, qui stabit adversus eum, thurificabitur. Celebrans de Altari descendens, ne tergum vertat ad Sacramentum, convertetur super dexteram suam.

21. Idem postquam thurificatus erit, ascendet cum Ministris ad Altare in latus Epistolae, leget introitum et recitabit *Kyrie.*

22. Post cantatum *Kyrie*, Celebrans cum Ministris, ut in aliis Missis, venient alter post tergum alterius ad Altare ibique genuflectent. Celebrans intonabit *Gloria in excelsis*, quo intonato, Ministri tantum genuflectent, ascendent in suppedaneum ad latera Celebrantis et cum ipso recitabunt *Gloria.* Hoc hymno recitato, Celebrans cum Ministris iterabunt genuflexionem, descendent a latere de Altari et considebunt in scamno, capite nudato.

23. Cantu hymni *Gloria* absoluto, Celebrans cum Ministris assurgent de scamno, redibunt ad Altare, genuflectent in infimo gradu, ad Altare ascendent et sine alia genuflexione stabunt alter post alterum. Celebrans, conscenso suppedaneo, osculabitur Altare et genuflectet, iterumque efficiet genuflexionem et convertetur ad populum humeris conversis ad latus Evangelii et canet *Dominus vobiscum.* Conversus iterum ad medium Altare genuflectet cum Ministris, et iis sequentibus transibit ad latus Epistolae orationesque cantabit.

24. Subdiaconus ritu solito cantabit Epistolam, post quam osculabitur manum Celebrantis ac Missale cum cussino vel legili transferet in cornu Evangelii.

25. Celebrans redibit ad medium Altaris, genuflectet, dicet *Munda cor meum* etc. genuflexionem iterabit et perget ad Evangelium legendum.

26. Diaconus librum afferet ad Altare ritu praescripto, et genuflectet in gradu infimo antequam ascendat ad Altare deinde etiam in suppedaneo, statim ac conscenderit et librum super Altare imponet.

27. Celebrans, Evangelio perlecto, non movebitur loco suo,

sed versus medium Altare conversus iniiciet incensum in thuribulum cum benedictione usitata. Deinde Diaconus, Celebrans et Subdiaconus venient ad medium Altaris ac genuflectent. Diaconus genua submittet in extremo suppedaneo et dicet *Munda cor Meum*, Subiaconus autem in planum descendet.

28. Diaconus postquam recitaverit *Munda cor meum* assurget, accipiet librum, geniculabit ante Celebrantem, accipiet ab eo benedictionem eiusque manum osculabitur. Diaconus assurget et una cum Celebrante genuflectet. Celebrans vadet ad latus Epistolae ac Diaconus quum descenderit in planum ante Altare, genuflectet cum Subdiacono cum Acolythis et thuriferario, quibuscum perget ad canendum Evangelium ut in aliis Missis.

29. Subdiaconus post Evangelium cantatum afferet librum osculandum Celebranti sine ulla genuflexione. Postquam Celebrans librum osculatus erit, Subdiaconus eum claudet et conversus super dexteram suam ne tergum vertat ad Sacramentum, descendet in planum et genuflectet. Diaconus Celebrantem, ut in aliis Missis, adolebit.

30. Thurificato Celebrante, venient Ministri cum ipso unus post alium ad medium Altaris et genuflectent. Celebrans intonabit *Credo,* quo intonato, Ministri tantum genuflexionem facient, ascendent ad latera Celebrantis simulque cum eo recitabunt Symbolum. Quo recitato iterabunt genuflexionem, descendent a latere de Altari et pergent sessum capite nudato.

31. Diaconus post *Incarnatus* bursam cum corporali afferet ad Altare, inclinationem faciet ad Celebrantem tantum, genuflectet in infimo gradu, ascendet ad Altare, iterabit genuflexionem, explicabit corporale in medio, rursus genuflectet in suppedaneo ac descendens a latere de Altari redibit ad scamnum et sedebit.

32. Sub finem *Credo* Celebrans cum Ministris procedent ad Altare, genuflectent in plano, ascendent et sine alia genuflexione consistent alter post alterum. Celebrans osculabitur Altare, genuflectet, recedet versus cornu Evangelii, cantabit *Dominus vobiscum,* rursus convertetur ad Altare, iterabit ge-

nuflexionem, cantabit *Oremus* et leget offertorium. Quum Celebrans cecinerit *Oremus*, Ministri genuflectent, Diaconus ascendet ad dexteram Celebrantis et Subdiaconus vadet ad accipiendum calicem in abaco paratum.

33. Subdiaconus priusquam ascendat a latere ad Altare, genuflectet. Diaconus, ut superius notatum est, patenam et calicem porriget Celebranti cum osculis, at Subdiaconus non osculabitur ampullas. Deinde, accepta patena, genuflectet in suppedaneo, descendet in planum, ibique rursus genuflectet. Notandum autem quod non est ipsi genuflectendum, quum Celebrans thurificabit SS. Sacramentum.

34. Celebrans imponet incensum in thuribulum eodem modo ac supra, dicet orationem *Per intercessionem* etc. et benedicet incensum. Postea sine ulla genuflexione incensabit oblata dicens *Incensum istud* etc. Diaconus non amovebit Calicem de medio Altaris. Celebrans cum Diacono descendent in secundum gradum, ut iam dictum est, et in extremo suppedaneo geniculabunt, et a Celebrante dicente *Dirigatur, Domine* etc. SS. Sacramentum thurificabitur, dum interea Diaconus planetam Celebrantis elatam sustinebit: tum peragetur thurificatio Altaris, ut in aliis Missis, et a Diacono Celebrans thurificabitur extra latus Epistolae, ut ad Introitum monuimus.

35. Posteaquam Celebrans a Diacono thurificatus erit, se illi offerent duo Acolythi, qui manuum ablutionem ei ministrabunt eodem loco quo incensatus erit. Postea redibit ad medium Altaris, genuflectet et Sacrum persequetur ad orationem *Suscipe, Sancta Trinitas* etc.

36. Diaconus post thurificationem Celebrantis, accedet ad chorum et adolebit ipsum ritu usitato, deinde etiam Subdiaconum, qui aliquantulum recedet de medio Altari, genuflectens prius et postea. Diaconus idem thuribulum tradet thuriferario, ascendet super gradum secundum, genuflectet, recedet paullum de medio, thurificationem accipiet ac reversus in medium genuflectet.

37. Celebrans post recitatam orationem supradictam, osculabitur Altare, genuflectet, se convertet ut ad *Dominus vobi-*

scum, dicet *Orate fratres* et non completo circulo, convertetur iterum ad Altare, genuflexionem iterabit et ritibus usitatis Sacrum persequetur.

38. Diaconus priusquam ascendat ad Altare recitaturus *Sanctus* itemque Subdiaconus genuflexionem efficient et ad locum suum reversi genuflexionem iterabunt.

39. Ad *Sanctus* Acolythi afferent intorticia, genuflexionem in accessu utroque genu peragent, consurgent, reverentiam mutuam omittent, genieulabunt, post elevationem autem assurgent, iterabunt genuflexionem, ut supra, et in sacrarium redibunt.

40. Post *Sanctus* usque ad totam Communionem nulla occurrit variatio. Ministri genuflexiones peragent a lateribus Celebrantis, praeterquam ad illa verba *Dimitte nobis* etc. in oratione dominica.

41. Celebrans post sumptionem non movebitur de medio Altari, eodem loco accipiet purificationem et ablutionem paullum conversus ad Subdiaconum.

42. Diaconus transferet Missale et Subdiaconus accedet ad contegendum calicem, genuflexionem faciens in medio. Diaconus collocato Missali in cornu Epistolae sine genuflexione, descendet in gradum superiorem.

43. Celebrans postquam Calicem tradiderit Subdiacono, genuflectet, transibit ad latus Epistolae ac leget ℣ *Communio*. Subdiaconus ubi composuerit calicem cum ceteris rebus, genuflectet in suppedaneo, accipiet calicem, descendet de Altari, genuflexionem in medio iterabit, deponet calicem in abaco ac redibit ad locum suum post Diaconum, nullam aliam faciens genuflexionem.

44. Celebrans postquam legerit ℣. *Communio*, sequente Diacono, redibit ad medium Altare et cum illo genuflectet; deinde Altare osculabitur, iterabit genuflexionem, convertetur ad populum, ut supra descripsimus, et cantabit *Dominus vobiscum*.

45. Idem convertetur ad Altare, genuflectet cum Diacono cumque Subdiacono quoque, si is redierit ad locum suum, veniet ad Missale et orationes cantabit.

46. Post orationes Celebrans cum Ministris redibunt in me-

dium ac genuflectent. Celebrans osculabitur Altare, iterabit genuflexionem, convertetur, ut supra, ad populum et cantabit *Dominus vobiscum.* Diaconus faciet genuflexionem, convertetur ad populum, eodem modo ac Celebrans et canet *Ite Missa est*; quo cantu peracto, Celebrans et Ministri rursus genuflectent.

47. Celebrans dicet orationem *Placeat* ac Ministri ascendent in gradum superiorem, ut adgeniculati in extremo suppedaneo benedictionem accipiant.

48. Posteaquam Celebrans recitaverit orationem *Placeat* etc. osculabitur Altare et dicet *Benedicat vos omnipotens Deus* et pro inclinatione capitis genuflexionem efficiet; tum conversus ad populum, eodem modo ac dictum est ad *Dominus vobiscum*, benedictionem impertietur, et nec circulum complens neque iterans genuflexionem convertetur ad latus Evangelii, dicet *Dominus vobiscum*, deinde signans Altare et seipsum dicet *Initium sancti Evangelii* etc. Altare autem signabit; quia quum SS. Sacramentum non in mensa sed extra ipsam expositum sit, nempe in throno, non videtur in tali circumstantia habere locum id quod praescribit rubrica Missalis et Caeremoniale Episcoporum pro feria V. in Coena Domini: in fine dicens *Verbum caro factum est* genuflectet versus Sacramentum.

49. Sacro peracto, Ministri adiungentur Celebranti in suppedaneo et genuflectent. Si Clerus discessurus de choro sit, permanebunt ibi donec eis innuetur a Caeremoniario. Si Clerus in choro remanebit, descendent de Altari, genuflexionem utroque genu in plano exsequentur et proficiscentes in sacrarium revertentur. Diaconus et Subdiaconus biretum accipient a Caeremoniario, Celebrans a Diacono, et caput cooperient quum extra conspectum SS. Sacramenti pervenerint.

50. Si post Missam fieret Processio, aut impertienda esset benedictio SS. Sacramenti, servabuntur ea quae praescripta sunt relativis capitibus, videlicet in primo casu cap. XIV. §. 22. lib. I. in altero, §. 11. eiusdem capitis et libri, et inferius cap. XI. num. 81. et seqq. et cap. XXXIX. huius libri.

DE ASPERSIONE AQUAE BENEDICTAE IN UNAQUAQUE DOMINICA

CAPUT VIII.

1. Omnibus diebus Dominicis praemittenda Missae solemni est aspersio aquae benedictae super Clerum et populum, quae tunc solum omittitur quum Episcopus Missam pontificalem sit celebraturus.

2. Ad hunc ritum peragendum, qui praescribitur unicuique ecclesiae, opus est huc revocare quae tradita sunt cap. IV. §. 5. et seq. huius libri de rebus praeparandis in Missa solemni. Planeta Celebrantis et manipuli disponentur in scamno quo utetur Celebrans ipse, ibique erit in promptu liberculus etiam precum et orationum a Celebrante canendarum, et in sacrario praeparabitur ad Celebrantis usum pluviale eiusdem coloris qui praescribitur pro reliquis paramentis.

3. Aqua benedicta, qua aspergendus erit Clerus et populus, eodem mane benedicenda est ab ipso Celebrante vel ab alio Sacerdote ut rubrica Missalis praescribit. Quocirca si benedictio peragetur a Celebrante, in sacrario super mensula seu parvo abaco, cooperto alba tobalea, praeparabitur vas decens cum aqua benedicenda, pelvicula cum sale, manutergium sive sudariolum ad usum Celebrantis, vasculum vacuum pro aqua sancta cum aspergillo, Missale vel Rituale adhibendum a Celebrante in benedictione, itemque pannus seu manutergium lineum, cuius usus deinceps declarabitur.

4. Quod spectat ad paramenta a Celebrante et Ministris induenda, servabuntur ea quae superius descripta sunt cap. IV. num. 14. Notandum autem quod Celebrans sibi induta stola non vestiri debet pluviali, ac Ministri si utentur planetis plicatis (quod usuvenit in Dominicis Adventus, excepta tertia, et Quadragesimae, excepta quarta) sibi eas induent post aquae benedictionem.

5. Quum Celebrans paratus erit stola et Ministri suis paramentis sine manipulo, accedent simul ad abacum, in quo parata sit aqua benedicenda. Acolythus aliquis, vel thuriferarius accipiet Missale et sustinebit ipsum apertum Celebranti stans a sinistris eius, et Celebrans iunctis manibus et submissa voce ex illo leget orationes atque exorcismos ibi notatos. Nihil monendum occurrit de ritu benedictionis, quum nulla inveniatur difficultas in exsecutione illius.

6. Diaconus Celebranti obiiciet pelviculam cum sale, quum tribus vicibus illum in modum crucis in aquam immersurus erit, ad illa verba *In nomine Patris* etc. deinde cum osculis consuetis offeret ei manutergium, quo manum absterget.

7. Post benedictionem thuriferarius Missale claudet et in abaco deponet.

8. Celebrans et Ministri simul redibunt ad mensam, apud quam paramenta sacra sibi induerint; Celebrans induetur pluviali et Ministri in Dominicis supradictis vestientur planetis plicatis.

9. Interea thuriferarius accipiet aliquantum aquae benedictae in vasculo, quod exterget panno seu manutergio praeparato, iniiciet aspergillum in illud et utrumque manu dextera ante pectus sustinebit.

10. Signo dato e sacrario proficiscendi ad Altare maximum procedent ordine notato capite praedicto num. 17. et 18. excepto quod thuriferarius praeibit binis Acolythis candelabra gestantibus ac deferet vasculum aquae benedictae, ut supra diximus, et Celebrans incedet medius inter Ministros, qui fimbrias pluvialis eius sustinebunt.

11. Ad fores sacrarii nec Celebrans nec Ministri neque Clerus, si aderit, accipiet aquam benedictam.

12. Quod ad accessum ad Altare, observabitur quod ibidem traditum est num. 21. et 22.

13. Ad Altare ubi ventum erit, thuriferarius cum vasculo aquae benedictae subsistet ante Altare prope latus Epistolae ita ut adstet Diacono dextrorsum; Acolythi post factam genuflexionem cum Ministris, accedent ad abacum, ibique depositis can-

delabris, geniculabunt; Celebrans cum Ministris exsequuti respective reverentiam aut genuflexionem, in infimo gradu ante Altare in genua procumbent. Idque observabitur etiam tempore paschali.

14. Quum omnes, ut diximus, adgeniculati erunt, Diaconus a thuriferario aspergillum aqua sancta perfusum accipiet et cum osculis usitatis tradet Celebranti. Advertat illud Diaconus, quod aspergillum accipiendum est supra medietatem manubrii, ut Celebrans illud possit in extremitate accipere manubrii ipsius.

15. Celebrans, aspersorio accepto, intonabit antiphonam *Asperges me* vel *Vidi aquam*, quam cantando chorus prosequetur cum primo versu psalmi *Miserere* vel alterius psalmi *Confitemini* cum ℣. *Gloria Patri* et cum repetitione antiphonae.

16. In duabus Dominicis Passionis et Palmarum omittetur *Gloria Patri* et post versiculum psalmi antiphona immediate repetetur.

17. Celebrans, intonata antiphona, asperget Altare in medio, tum versus cornu Evangelii, postea Epistolae; asperget seipsum signans frontem suam aspersorio; deinde assurget et asperget prius Diaconum postea Subdiaconum, qui aspersionem accipient inclinati, et post aspersionem assurgent, cumque ipsis Clerus et reliqui omnes qui adgeniculati erant, consurgent.

18. Celebrans aspersorium Diacono, hic clerico vasculum ferenti, restituet. Celebrans reverebitur Crucem, Ministri autem itemque thuriferarius seu clericus praedictus ferens vasculum, qui semper adstabit Diacono, genuflectent.

19. Procedent simul ad chorum, videlicet Celebrans medius inter Ministros, fimbrias pluvialis eius sustinentes, et clericus aquam benedictam afferens a dextris Diaconi. Quum devenerint ante latus illud chori in quo sedebit dignior seu ex parte Evangelii sive Epistolae, reverentiam facient ad chorum, ac Diaconus aspersorium acceptum a thuriferario seu clerico, tradet Celebranti.

20. Si Clerus in choro praesens numerosus non sit, poterit Celebrans aspergere singulos; sin autem valde frequens, aspersionem peraget in medio, deinde ad sinistram, postremo ad

dexteram suam. Iterata reverentia Celebrans cum Ministris transibit in latus oppositum et aspersionem ut superius, conficiet.

21. Notandum, quod Canonici in sua ecclesia aspergendi singuli sunt cum inclinatione ante et post aspersionem: aspersis Canonicis, aspergentur sine inclinatione Beneficiarii seu Mansionarii singuli, tum coniunctim reliqui quomodo supra dictum est.

22. Clero in choro asperso, meminerit Celebrans aspergere clericos apud Altare sive ad abacum stantes, ultimo loco populum asperget.

23. Quod ad laicorum aspersionem attinet, servabitur cuiusque ecclesiae consuetudo, videlicet aut Celebrans cum Ministris per ecclesiam incedens asperget iugiter populum dextrorsum et sinistrorsum, aut se sistet ad balaustrium seu cancellos presbyterii, et adstantes in medio, a dextris et sinistris suis asperget.

24. Si chorus situs fuerit post Altare, Celebrans cum Ministris iturus ad chorum transibit e latere Epistolae, rediturus autem ad Altare transibit per latus Evangelii.

25. Unusquisque de Clero aspersionem accipiet capite inclinato et nudato etiam pileolo iunctisque manibus.

26. Celebrans aspersionem exsequens, submissa voce recitabit antiphonam *Asperges* cum psalmo *Miserere* prout Missalis rubrica praescribit. Id ipsum faciendum esset relate ad psalmum *Confitemini* si memoria teneret. Cantores autem primum unum psalmorum praedictorum versum cantabunt.

27. Populi aspersione peracta, aspersorium Celebrans Diacono, Diaconus thuriferario reddet seu clerico, qui vasculum cum aspersorio super abaco relinquet.

28. Celebrans et Ministri ante Altare reversi et facta respective reverentia aut genuflexione, manebunt ibi stantes. Caeremoniarius Diacono tradet precum et orationum librum, quem Ministri ante Celebrantem sustinebunt.

29. Completo antiphonae cantu, Celebrans versiculos et orationem tono feriali cantabit.

30. Interea praesto erunt apud scamnum Celebrantis Acolythi, ut manipulos induant Ministris.

31. Post orationem Diaconus restituet librum Caremoniario, qui reponet eum in abaco, et Celebrans cum Ministris facta seu reverentia seu genuflexione ante Altare, ad scamnum recedent.

32. Clerus hoc tempore considebit; thuriferarius autem curabit, ut principio Missae in promptu sit thuribulum cum igne.

33. Celebrans apud scamnum deponet pluviale et a Caeremoniario induetur manipulo et planeta: duo etiam Ministri ad scamnum quum venerint, sibi imponent brachio sinistro manipulum, quem ipsis praesentabunt Acolythi.

34. Post haec consurget Clerus, et Celebrans cum Ministris facta ad Clerum reverentia, venient ante Altare et Missae cantatae initium fiet.

35. Advertendum est, quod aspersio aquae benedictae peragenda a Celebrante est, neque alii Sacerdoti hac in re licet vice fungi Celebrantis.

36. Minime decet Celebrantem deponere pluviale et indui planeta ante Altare, non apud scamnum, quum proprium Episcopi sit ante Altare sacris vestibus indui: amplius autem dedeceret praeparari planetam super Altare, ut inde illam Celebrans sibi imponeret.

37. Non erit abs re illud etiam de aquae benedictione monere, quod non oportet sal benedicere singulis vicibus, quum possit sal iampridem benedictum et ad hanc rem custoditum adhiberi.

38. Si cantanda esset Missa apud Altare in quo expositum esset SS. Sacramentum, aspersio aquae benedictae in Dominicis omittetur.

39. Quibus in ecclesiis paroecialibus aderit fons baptismalis, in Dominicis Paschae et Pentecostes, praedicta aspersio peragetur ope aquae pridie in fonte benedictae, et inde extractae priusquam Olea Sancta infundantur.

40. Tempore paschali adiungetur *Alleluia* ad ℣. *Ostende nobis, Domine* etc. quemadmodum rubrica Missalis praescribit.

DE VESPERIS, MATUTINO ET LAUDIBUS PRO DEFUNCTIS

CAPUT IX.

1. Solemnis celebratio officii pro defunctis fere semel in annum incidit, videlicet die secunda Novembris, qua fit mortuorum omnium commemoratio. Sane Vesperae pro defunctis canendae essent post alteras Vesperas omnium Sanctorum, et postridie mane post Laudes officii, quod fit in die, Matutinum et Laudes pro defunctis essent cantandae iuxta rubricam Breviarii. Nihilominus si post Vesperas defunctorum, caneretur etiam Matutinum cum Laudibus, id fieret ex institutionibus Caeremonialis Episcoporum, et dici potest maiori commoditati et satisfactioni statutum esse fidelium, quibus die festivo vacat officio pro defunctis interesse.

Quae sint praeparanda

2. Altare ad Vesperas exornabitur candelabris nobilibus et Cruce simili propter solemnitatem; id modo notandum quod nec Reliquiaria nec vasa florea inter candelabra ponenda sunt, quoniam ornamenta haec pugnarent cum mortuorum funebri officio, quod statim post festivum celebratur. Id autem intelligatur, quum huiusmodi ornamenta removeri possint commode; quod quum fieri possit, amovebuntur quum mutabitur pallium, ut mox describetur.

3. Statuetur ad Altare pallium nigrum superque illo alterum album, ac si bina pallia aptari simul non possent, in promptu habebitur in sacrario alterum nigrum albo sustituendum.

4. Deberent etiam in promptu esse candelae ex cera communi pro candelabris Altaris, et tapetum violaceum substituendum alteri nobili, quo strati erunt gradus Altaris.

5. Seorsim aderit legile nudum ponendum in medio choro ad canendas lectiones.

6. Si Celebrans erit ad scamnum prope latus Epistolae, aut ad primum chori subsellium, praeparabitur apparatus e panno violaceo substituendus apparatui festivo.

7. Breviarium quoque praeparabitur pro ebdomadario, cum tegumento e serico nigro.

8. In sacrario, praeter pluvialia albi coloris et reliqua omnia, quae opus sunt vesperis festivis omnium Sanctorum, in promptu erit pluviale nigrum, aut saltem stola nigra pro ebdomadario.

9. Pro officio canendo defunctorum a Caeremoniali non praescribitur ut erigatur tumulus in media ecclesia sive in choro, siquidem absolutio tumuli exsequenda est postridie post Missam solemnem, quapropter si praescriptae regulae servandae sunt, tumulus vel castrum doloris pro Missa tantum solemni statuendum est.

In functione

10. Quum in vesperis cantabitur *Benedicamus Domino,* aderit apud Altare chori Aedituus sive Sacrista cum Clericis sacrario inservientibus, vel alii huic rei delegati, ad mutandum Altaris ornatum.

11. Removebitur pallium album et substituetur nigrum; auferentur Reliquiaria, et vasa florea, si aderunt, inter candelabra; amovebitur tapetum nobile et surrogabitur alterum coloris violacei, quod contegat tantum Altaris suppedaneum, detrahentur e candelabris candelae e cera alba et imponentur aliae e cera communi; item auferentur ornamenta festiva e scamno sive sedili Celebrantis, et alia consentanea substituentur coloris violacei; denique removebitur pannus albi coloris e legili Celebrantis, si in scamno sedebit, cum Breviario eiusdem coloris, ac legile nudum relinquetur, super quo ponetur Breviarium cum tegumento nigro.

12. Oportet ut mutationes istae ordinatim fiant et solicite.

13. Interea post cantatum *Benedicamus Domino* (cui tamen Celebrans non adiiciet ℣. *Fidelium animae* etc.) Acolythi

candelabra ferentes et pluvialistae per breviorem redibunt in sacrarium, ubi deponent candelabra et pluvialia alba et in chorum ad locum suum revertentur.

14. Clericus quispiam, quum cantabitur praedictus versiculus, accipiet e sacrario pluviale nigrum, vel saltem stolam nigram, deferet in chorum et in promptu sustinebit eam in commodum Celebrantis.

15. Post cantatum praedictum versiculum, Celebrans, profectis Acolythis et pluvialistis, adiuvante Caeremoniario demittet pluviale albi coloris, quod statim a clerico aliquo referetur in sacrarium, atque induetur pluviali nigro, vel stola nigra supra superpelliceum, ac paullum recedet, ut locum det clericis scamnum exuendi apparatu festivo et alium substituendi congruentem cum qualitate officii.

16. Quum omnia disposita fuerint ad inchoandum officium, chorus cantorum ad nutum Caeremoniarii, qui assistet Celebranti, incipiet vesperas canendo antiphonam *Placebo Domino* etc. qua absoluta, iidem cantores intonabunt psalmum *Dilexi* etc. itemque reliquas antiphonas reliquosque psalmos.

17. Antiphonae canentur ritu duplici, neque a Celebrante intonabuntur neque ab aliis de choro.

18. Intonato psalmo *Dilexi*, Celebrans et chorus considebit, usque ad intonationem cantici *Magnificat*, ad quam consurgent omnes capite nudato.

19. Post cantatum ℣. *Requiem aeternam* etc. *Et lux perpetua* etc. considebit Clerus, et a cantorum choro repetetur canendo antiphona cantici eiusdem.

20. Completo antiphonae cantu, consurget Celebrans cum Clero et procumbent in genua; Celebrans autem cantabit preces *Pater noster* etc. Dicens *Dominus vobiscum* Celebrans assurget ac tono feriali cantabit orationem *Fidelium Deus* etc. cum conclusione *Qui vivis et regnas cum Deo Patre* etc. Idem Celebrans deinde adiiciet ℣. *Requiem aeternam* etc. cantores autem cantabunt alterum ℣. *Requiescant in pace* ℟. *Amen*; atque ita fiet Vesperarum finis.

21. Ad preces et orationem non assistent Acolythi cande-

labra gestantes, quoniam Caeremoniale Episcoporum nequaquam hoc praescribit pro ebdomadario, sed tantummodo pro Episcopo quum aderit in primo chori stallo.

22. Vesperis pro defunctis completis, si ecclesia fuerit cathedralis aut collegiata, vel si Clerus ipsius tenebitur peragere officium, Celebrans adiutus a Caeremoniario deponet pluviale vel stolam nigram, atque immediate recitabitur vel canetur Completorium.

23. Si post Completorium cantabitur Matutinum et Laudes pro defunctis, sub finem illius ab aliquo clerico ponetur in medio choro legile maioris formae nudum cum Breviario ad canendas lectiones.

24. Recitato Completorio, Celebrans redibit apud abacum, ibique a Caeremoniario rursus induetur pluviali, aut stola nigra. Celebrans et Clerus in choro considebunt brevi tempore.

25. Ad nutum Caeremoniarii, qui assistet Celebranti, duo cantores superpelliceo induti procedent in medium chorum ad legile, ac genuflexionem ad Altare, reverentiam ad chorum exsequentur.

26. Celebrans statim assurget et Clerus; duo cantores autem canere incipient invitatorium *Regem cui omnia vivunt* etc. Clerus respondebit, et cantores pergent cantare invitatorium.

27. Completo invitatorii cantu, duo cantores iteratis reverentiis ad Altare et ad chorum, redibunt ad locum suum.

28. Cantorum chorus incipiet statim canere antiphonam ante primum nocturnum, eaque completa primum psalmum intonabit.

29. Anthiphonae tam Matutini quam Laudum non intonabuntur a Celebrante neque a choro, ut fit in aliis Matutinis solemnibus.

30. Intonato a cantorum choro primo psalmo primi nocturni, Celebrans et Clerus considebit.

31. Post cantatum primum psalmum primi nocturni, Cantores repetent canendo primam antiphonam, post ipsam cantabunt antiphonam secundam et secundum psalmum intonabuut,

atque ita facient quod ad tertiam antiphonam ac tertium psalmum spectat.

32. Repetita tertia antiphona tertii psalmi, cantores iidem cantabunt versiculom, post quem assurget Celebrans et Clerus ac totum secreto recitabitur *Pater noster*.

33. Hoc tempore Caeremoniarius chori invitabit eum qui canturus sit primam lectionem, et simul procedent in medium chorum ad legile praeparatum, et peracta ad Altare seu genuflexione seu reverentia, iuxta dignitatem illius qui primam lectionem cantabit, deinde reverentia ad chorum, ibi consistent.

34. Postquam chorus recitaverit *Pater noster* et sederit Celebrans et Clerus, is qui primam lectionem canere debebit, cantabit eam tono praestituto; ubi autem canere ipsam desierit, iterabit cum Caeremoniario genuflexionem seu reverentiam ad Altare, ac reverentiam ad chorum, redibit ad locum suum, ubi salutato Caeremoniario comitante, considebit cum reliquis.

35. Interea a cantoribus primum responsorium post primam lectionem cantabitur.

36. Sub finem primi responsorii cantati, Caeremoniarius chori invitabit cantorem alterius lectionis, et eadem methodus servabitur ac in prima, videlicet incipietur cantus secundae lectionis post cantatum primum responsorium: atque ita deinceps tertia lectio.

37. Cantato responsorio tertio statim cantorum chorus intonabit, et canet primam antiphonam secundi nocturni, eademque methodo ac supra, secundum et tertium nocturnum cantabitur.

38. Nonam lectionem non canet Celebrans sed aliquis seniorum ad legile in medio chori, et Clerus in choro non assurget.

39. Quum cantabitur nonum responsorium, unus e clericis amovebit a medio choro legile maius cum Breviario, quo usi fuerint ad canendum invitatorium et lectiones.

40. Cantores nonum responsorium cantabunt *Libera me Domine, de morte aeterna* etc. et post illud intonabunt et canent primam antiphonam Laudum, ad cuius intonationem nec Celebrans neque chorus assurget.

41. Laudes canentur ut Vesperae; ad versiculum ante *Be-*

nedictus et ad intonationem antiphonae eiusdem cantici, nec Celebrans assurget neque chorus; sed utique quum incipietur canticum illud.

42. Post cantatum *Benedictus* cum toto versiculo *Requiem aeternam* etc. Celebrans et chorus considebunt usquedum cantorum chorus repetiverit canendo antiphonam cantici eiusdem.

43. Cantata antiphona, ut supra, Celebrans et chorus procumbent in genua. Celebrans cantabit *Pater noster* et versiculos qui sequuntur, assurget dicens *Dominus vobiscum* et stans cantabit orationem *Fidelium* cum conclusione, ut in Vesperis. Chorus tamen, dum cantabitur oratio, genibus flexis manebit.

44. Quum cantatus fuerit a Celebrante ℣. *Requiem aeternam* etc. et a cantoribus alter *Requiescant in pace.* ℟. *Amen*, chorus consurget, atque ordine usitato redibit in sacrarium. Celebrans comitatus a Caeremoniario, ultimo loco incedet.

45. Nisi recitabitur Completorium, post Vesperas pro defunctis, brevi interposita mora a Celebrante et Clero, considendo paulisper donec positum erit in medio choro legile, incipietur immediate Matutinum, ut supra.

46. Sin autem Matutinum cum Laudibus cantabitur postridie mane, servabitur eadem supradicta methodus post Laudes officii quod fit in die, et completis Laudibus officii pro defunctis, Celebrans redibit in sacrarium et continuabitur officium ad Horam primam, reposito pallio concolore officii.

47. Si Ecclesia non tenebitur officium peragere, et Matutinum cum Laudibus pro defunctis cantabitur mane, tunc Clerus congregabitur in sacrarium, omnes induentur superpelliceo, Celebrans autem supra superpelliceo vestietur pluviali nigro, vel stola nigra, et praecedentibus omnibus de Clero binis ac postremo loco Celebrante, procedetur ad Altare. Clerus ibi geniculabit in respectivis subselliis, Celebrans autem ante Altare brevi facta oratione assurget, et reverentia ad Altare et ad chorum peracta, petet locum sibi praeparatum, et cantabitur Matutinum cum Laudibus quo ritu hoc ipso capite traditum est.

DE MISSA SOLEMNI PRO DEFUNCTIS

CAPUT X.

Res praeparandae

1. Inspiciatur quidquid de Missa solemni num. 1. 2. 3. cap. IV. huiusce libri descriptum est.

2. Altare, in quo Missa solemnis de requie cantabitur, tobaleis exornabitur, quarum superior oportet ut latera Altaris cooperiat ex toto (*a*): statuetur pallium nigri coloris, disponentur sex candelabra cum candelis et Crux similis candelabrorum formae. Inter candelabra nec vasa florea, nec Reliquiaria, nec Sanctorum busta sive imagines ponentur, ac si fuerint, tollentur. Candelabra erunt ex aurichalco aut ex aere, nunquam argentea sive inaurata. Tabellae secretarum seu chartegloriae ponentur in medio, in latere Epistolae propter *Lavabo*, et in latere Evangelii propter Evangelium S. Joannis. In cornu Epistolae locabitur legile, seu cussinus coloris nigri et Missale tegumento nigro instructum cum signaculis similibus. Detur opera ut pannus sericus cussini et tegumenti Missalis sit aequalis paramentis. Altaris suppedaneum sternetur tapeto panni violacei.

3. In eodem latere Epistolae statuetur scamnum cum exi-

(*a*) In opere quodam liturgico recens elaborato praescribitur, ut in Missa de requie imponatur Altari tobalea, quae a lateribus non defluat usque ad humum, ut luctus indicetur. Haec praescriptio in rubrica et in Caeremoniali nusquam extat. Jubet rubrica tobaleam extendi usque ad terram a lateribus, quia si forte Calix subverteretur, species consecratae possint excipi tobalea, neque in pavimentum effundantur. Porro nos quidem latet quid discrimis intersit inter Missam vivorum et Missam mortuorum, quum Sacrum idem sit, si excipiatur circumstantia accidentalis orationum et rituum, qui substantiam Sacrificii non respiciunt. Quocirca probari nobis non potest opinio, quam superius innuimus, licet eruditi et probati scriptoris.

guo dorsuali seu postergali, in quo sedebunt Celebrans cum Ministris: exornabitur tapeto panni violacei; ac servabitur quod de Missa solemni num. 7. dictum fuit.

4. In eodem Epistolae latere praeparabitur abacus omnino coopertus alba tobalea, in qua disponentur res sequentes, calix nempe cum purificatorio, cum patena, cum hostia et cum palla, coopertus velo nigro, superque ipsum bursa cum corporali, cuius apertura versa sit ad partem anteriorem abaci, ampullae vini et aquae in pelvicula cum sudariolo seu manutergio; campanula pro elevatione; duo intorticia item pro elevatione, si sumantur ex abaco secus in promptu erunt in sacrario; thuribulum cum navicula; Evangeliarium et Epistolarium vel alterum Missale, quae cooperta sint tegumento nigri coloris aequalis paramentorum. Si post Missam fiet absolutio, praeparabitur apud abacum Crux in hasta, superque abaco pluviale nigrum pro Celebrante, Rituale maioris formae, vasculum aquae benedictae cum aspersorio. Si candelarum distributio inter Clerum in choro facienda sit, praeparabuntur illae super abaco seiunctae iuxta ordines seu coetus diversos ipsius Cleri.

5. Caveatur autem, ne paramentis nigris Altaris, Celebrantis ac Ministrorum intextae sint Cruces albi coloris, calvae mortuorum cum ossibus, rami lauri, aut olivae aut cupressus neque alia signa funerea sive acu picta, seu texta, sed sine huiusmodi emblematibus.

6. Quod ad tumulum seu castrum doloris, in quo peragetur absolutio, servabuntur ea quae tradentur suo loco lib. IV. cap. 9. et 10. de funeribus.

7. In sacrario super tabula, seu mensa praecipua, aut super illa quae constituitur pro Missa solemni, et cooperietur panno laneo colorato, disponentur paramenta pro celebrante et Ministris, videlicet in medio planeta, stola et manipulus, a dextris planetae manipulus, dalmatica et stola diaconalis, a sinistris autem manipulus ac tunicella, superque ipsis cingulum, alba et amictus ut pro Celebrante ita pro Ministris. Paramenta et res lintearia non erunt illa quidem nobilissima, quum de functione funebri agatur; poterit tamen ratio haberi circumstantiae funeris

ipsius. Aderunt etiam tria bireta pro Celebrante et Ministris. Apud eamdem tabulam praeparabuntur duo candelabra ab acolythis gestanda cum candelis (*a*) et superpellicea sufficienti numero pro clericis inservientibus. In promptu erunt etiam intorticia ad elevationem adhibenda, si e sacrario soleant accipi, et foculus cum igne ardenti afferendus prope abacum in locum separatum, vel relinquendus in sacrario, si thuribulum ibi praeparabitur.

In functione

8. Hora praestituta signum dabitur campanis luctum indicantibus iuxta morem uniuscuiusque loci.

9. Quarta fere horae parte ante functionem congregabuntur in sacrarium Ministri et ceteri inservientes. Delegabitur etiam alter clericus qui vasculum afferat ad absolutionem, si fiet, itemque delegabuntur clerici qui distribuant et accendant candelas Clero in choro, si distribuantur. Clerici inservientes superpelliceum induent sibi supra vestem talarem, et taciti intendent animum ad suum quisque officium adimplendum. Uterque Minister cantum Epistolae et Evangelii praevidebit.

10. Praesto erit etiam Celebrans, qui operam dabit praeparationi Missae et praevidebit etiam quidquid canturus sit.

11. Tempore debito quum admonebit caeremoniarum Magister, Acolythi, nisi maior erit clericorum numerus, vel etiam thuriferarius veniet ad Altare et sex candelas accendet: alter ex Acolythis accendet in sacrario candelabra ab ipsis Acolythis gestanda: Celebrans cum Ministris accedent ad tabulam, in qua disposita erunt ipsorum paramenta, ibique se simul parabunt. Celebrantem Caeremoniarius, Ministros Acolythi adiuvabunt. Postea Celebrans et Ministri caput bireto cooperient.

12. Thuriferarius, accensis, ut dictum est, cereis Altaris, redibit in sacrarium, et quum omnia disposita erunt pulsabit campanulam sacrarii eiusdem et se referet apud Acolythos.

(*a*) Rubrica non praescribit, ut Acolythi e sacrario exeant sine candelabris accensis; ne illud quidem praescribit ut praeparentur in abaco cum candelis extinctis, et sub exitum Missae accendendis.

13. Acolythi, paratis Ministris, accipient candelabra accensis candelis et consistent in medio sacrario, vel apud Celebrantem et Ministros.

14. Caeremoniarius significabit Celebranti et Ministris, ut e sacrario proficiscantur; et illi dempto e capite bireto, e loco ubi parati fuerint procedent in medium sacrarium, adstante Diacono a dextris, Subdiacono a sinistris Celebrantis: ibi sequentibus Acolythis cum candelabris accensis et post ipsos thuriferario, inclinationem profundam facient ad Crucem vel ad imaginem praecipuam sacrarii, et caput bireto cooperient; thuriferarius et ipse reverentiam faciet profundam, non vero Acolythi qui eo quod gestant candelabra, modicam inclinationem capitis efficient.

15. Porro ad Altare procedent thuriferarius iunctis manibus, post eum Acolythi gestantes candelabra et coniunctim incedentes; deinde Subdiaconus, quem sequetur Diaconus, et postremo loco Celebrans cum Caeremoniario sinistrorsum.

16. Ad fores sacrarii thuriferarius dextera, sumpta aqua benedicta, signabit se: Acolythi autem non se signabunt: Magister caeremoniarum sumptam dextera aquam benedictam offeret primum Subdiacono, postea Diacono, qui conversus super dexteram suam porriget illam Celebranti. Celebrans et Ministri accipientes aquam sanctam, caput detegent sinistra, quam cum bireto applicabunt infra pectus, et se Crucis signo quum munierint, dextera resumpto bireto caput cooperient.

17. Si transeundum sit ante Altare SS. Sacramenti, vel ante Altare maius in hypothesi quod Missa canenda sit apud Altare laterale, observabitur quod traditum est cap. IV. huius libri num. 21.

18. In hac Missa Ministri tum dantes tum accipientes rem aliquam a Celebrante, neque manum eius neque rem osculabuntur.

19. Quod ad accessum attinet ad Altare, adsit vel non in choro Clerus, vel si Clerus praecedet Celebrantem observabitur idem quod praedicto capite docuimus.

20. Celebrans exordietur Missam et Ministri respondebunt:

animum advertet ad ea quae pro aliis Missis solemnibus tradita sunt: omittet tantummodo psalmum *Judica me, Deus* etc.

21. Clerus in choro confessionem suam faciet, ut in aliis Missis solemnibus.

22. Thuriferarius manebit apud abacum vel suo loco in choro, siquidem ad introitum non opus est thuribulo.

23. Celebrans, dicto *Oremus*, ascendet ad Altare, recitabit orationem *Aufer* etc. *Oramus te, Domine* etc. et Altare osculabitur. Ministri attollentes fimbriam anteriorem vestium eius, ascendent cum ipso ad Altare, sed nullam facient genuflexionem, quum ille osculabitur Altare.

24. Clerus in choro stabit, quum Celebrans ascendet ad Altare, et stare perget, ut infra.

25. Celebrans osculatus Altare, directe cum Ministris vadet ad Missale in cornu Epistolae. Diaconus se sistet a dexteris Celebrantis in gradu superiori proximo suppedaneo; Subdiaconus transibit post Celebrantem et consistet a dexteris Diaconi in altero infra ipsum gradu, vel etiam in plano ante gradus Altaris.

26. Celebrans leget introitum non signans se; imposita tamen sinistra Altari, Crucis signum versus librum dextra efficiet, dicens *Requiem aeternam* etc. Deinde recitabit *Kyrie* cum Ministris. Etiam in choro alternatim recitabitur *Kyrie*, quum innuet Caeremoniarius.

27. Si longius protraheretur cantus *Kyrie* (quod fieri non solet in Missis pro defunctis) Celebrans considebit cum Ministris, itemque Clerus in choro: quod autem ad redeundum ad Altare et ad salutationem chori, observabitur quod eodem capite IV. notatum est.

28. Dum cantabitur ultimum *Kyrie*, Celebrans veniet ad medium Altare et Ministri sequentur eum, ut in Missa solemni. Celebrans osculabitur Altare, convertetur ad populum, cantabit *Dominus vobiscum*, redibit ad Missale et canet orationem tono feriali.

29. Ad cantum orationis sive orationum, si plures erunt, totus chorus genuflectet, neque hac genuflexione eximuntur

Canonici et Praesules, si aderunt: sic etiam genua submittent Acolythi apud abacum, stantibus tantum Celebrante, Ministris et Caeremoniario Celebranti assistente.

30. Completo orationis sive orationum cantu, consurgent omnes et Clerus in choro considebit.

31. Ordine superius notato cap. IV. num. 92. Subdiaconus recipiet librum et cantabit Epistolam, reverentias ad chorum exsequens, ut ibidem praescribitur. Post Epistolam cantatam, redibit in medium ante Altare, genuflexionem faciet ad Crucem et reverentias ad chorum, ac tradet librum Caeremoniario vel Acolytho, qui ipsum comitatus fuerit, namque in Missis solemnibus de requie non osculabitur manum Celebrantis. Redibit deinde ad locum suum prope Diaconum, ut in introitu.

32. Interim a cantorum choro cantabitur Graduale, Tractus et Sequentia, quae canenda erit si una tantum oratio in Missa dicetur, et omitti poterit, si plures erunt orationes.

33. Postquam Celebrans Epistolam, Graduale, Tractum et Sequentiam legerit, faciet una cum Ministris reverentiam ad Crucem Altaris. Idem convertetur versus scamnum, Diaconus se sistet a sinistris eius, et Subdiaconus a dexteris, descendent de Altari a latere et pergent ad scamnum sibi praeparatum ibique considebunt capite cooperto.

34. Acolythi vadent ad latera scamni paulo ante quam illuc veniat Celebrans cum Ministris, ut ipsorum partem posteriorem paramentorum disponant super dorsuali eiusdem scamni et tradant eis bireta: quum vero Celebrans et Ministri sederint, iidem Acolythi simul coniuncti ante Celebrantem reverebuntur eum et ad locum suum ante abacum redibunt.

35. Si candelae Clero distribuendae erunt, duo clerici vel etiam plures pro numero et qualitate Cleri, accipient ex abaco candelas et procedent in medium ante Altare, genuflexionem ad Crucem et reverentias hinc et inde ad Clerum efficient, primo ex parte Evangelii, deinde Epistolae; dirimentur et venient uterque ad latus suum ibique singulas candelas singulis in choro distribuent. Si transire debeant ante Celebrantem sedentem reverebuntur eum. Distributione peracta, redibunt in medium,

genuflectent iterum ad Altare, iterabunt reverentiam ad chorum et redibunt apud abacum, ibique expectabunt donec tempus erit accendendi candelas.

36. Sub finem cantatae Sequentiae Celebrans cum Ministris redibit ad Altare, ac methodum eodem cap. IV. n. 96. praescriptam observabunt.

37. Celebrans cum Ministris facta ad Crucem Altaris reverentia, conscendent suppedaneum. Celebrans consistet in medio et elevatis in coelum oculis ac profunde inclinatus dicet *Munda cor meum* tantummodo. Diaconus transibit in latus Epistolae et subsistet in latere Altaris conversus ad latus Evangelii. Subdiaconus accipiet Missale cum cussino seu legili et transferet illud in cornu Evangelii.

38. Interea clerici delegati candelas accensas ex abaco sument et petent chorum ad accendendas candelas iam distributas.

39. Acolythus vel Caeremoniarius accipiet ex abaco Evangeliarium vel Missale pro Diacono, qui recipiet ipsum librum et servabit ea quae dicta sunt cap. citato num. 101.

40. Diaconus imponet librum Altari, ac reverso Celebrante in medium Altaris post lectum Evangelium, geniculabit in extremo suppedaneo et recitabit *Munda cor meum.* Subdiaconus autem descendet ante infimum gradum Altaris, et Acolythi venient in medium ante Altare iunctis manibus.

41. Postquam Diaconus recitaverit praedictam orationem, assurget, librum sumet ex Altari, et quin benedictionem petat a Celebrante, de Altari descendet et se adiunget Subdiacono.

42. Quum Sequentia cantata fuerit, genuflectet ad Crucem et reverebitur chorum primo ex parte Epistolae deinde Evangelii simul cum Subdiacono et Acolythis, et vadet ad canendum Evangelium, ut in aliis Missis solemnibus, praterquam liber non incensabitur, qui a Subdiacono claudetur statim ac cantatum fuerit Evangelium, et tradetur Acolytho, quin osculandus afferatur Celebranti, neque ipse Celebrans post Evangelium incensabitur.

43. Dum canetur Evangelium, Celebrans stabit conversus ad Diaconum, ut in Missis solemnibus, et fine facto canendi Evangelii, redibit ad medium Altaris conversus ad illud.

44. Candelas clerici in choro dextera sustinebunt dum cantabitur Evangelium, quo absoluto, eas extinguet ac deponent.

45. Post cantatum Evangelium, thuriferarius praeparabit thuribulum cum igne, ut illud in promptu habeat ad Offertorium.

46. Diaconus et Subdiaconus, Evangelio cantato, redibunt simul ad Altare, sequentibus Acolythis, qui genuflectent in medio et pergent ad abacum in quo ponent Evangeliarium. Diaconus ascendet in gradum superiorem post Celebrantem et Subdiaconus ante infimum gradum post Diaconum et simul genuflectent.

47. Tunc, non prius, Celebrans osculabitur Altare, convertetur ad populum, cantabit *Dominus vobiscum*, rursus conversus ad Altare canet *Oremus* ac leget Offertorium. Diaconus sine genuflexione conscendet suppedaneum ad dexteram Celebrantis. Subdiaconus, facta genuflexione, perget ad abacum.

48. Clerus considebit ubi Celebrans cecinerit *Oremus*.

49. Praesto erit thuriferarius cum thuribulo, siquidem hoc tempore opus est.

50. Primus Acolythus paratas sustinebit ampullas in pelvicula cum sudariolo sicut capite IV. num, 120. dictum est, ut cum ipsis sequatur Subdiaconum quum ad Altare ascendet. Subdiaconus ex abaco sumet calicem, ut ibi praeparatus erit, scilicet cum velo et bursa et afferet eum ad Altare, a latere ascendens per gradus ex parte Epistolae: quum suppedaneum conscenderit ad dexteram Diaconi deponet calicem in Altari.

51. Diaconus accipiet bursam, extrahet inde corporale, ponet bursam versus cornu Evangelii, applicans eam candelabris vel gradui, in quo candelabra insistunt, deinde corporale in medio Altari explicabit.

52. Subdiaconus detrahet calici velum, quod ab Acolytho plicabitur et referetur ad abacum.

53. Diaconus pallam a patena amovebit et in Altari deponet: patenam cum hostia utraque manu accipiet, eamque minime osculans tradet Celebranti, cuius non osculabitur dexteram dum accipiet ipsam; cavebit autem ne brachium sinistrum imponat dextero Celebrantis, sed supponat.

54. Celebrans peraget hostiae oblationem, ac patenam postea sub corporale ponet, ut in Missa privata.

55. Subdiaconus accipiet calicem sinistra, et eum absterget dextera in parte interiori ope purificatorii, deinde tradet illum Diacono.

56. Diaconus recipiet calicem manu sinistra ad nodum et pollice eiusdem manus tenebit extensum purificatorium in pede calicis, nequa super eum decidat vini aut aquae gutta.

57. Acolythus sumet ampullam vini eamque absterget sudariolo, si opus fuerit, et sine osculis tradet Subdiacono.

58. Ampullam vini accipiet Subdiaconus et dabit Diacono, qui vinum in calicem infundet ad libitum Celebrantis, aliquo nutu Diacono significantis.

59. Interim Acolythus sumptam aquae ampullam absterget, ut supra, et Subdiacono tradet. Quum Diaconus vinum in calicem infuderit, Subdiaconus quin ostendat ampullam Celebranti et petat ab ipso benedictionem, infundet in calicem quatuor aut quinque aquae guttas, curans ut in medium calicem defluant.

60. Celebrans iunctis manibus et nullum faciens super aquam Crucis signum recitabit orationem *Deus, qui humanae substantiae* etc.

61. Subdiaconus restituet ampullam Acolytho, ac si Diaconus vini ampullam nondum deposuerit, accipiet eam ab ipso et dabit Acolytho, qui cum pelvicula et sudariolo utramque referet ad abacum.

62. Diaconus, obvoluto purificatorio suo indici dextero, exterget vini guttas quae forte possent interiori calicis parti adhaerere: tum purificatorio cooperiet patenae partem, quae eminebit extra corporale, et calicem dextera ad cuppam et sinistra ad pedem acceptum porriget sine osculis Celebranti. Diaconus advertet ne brachium suum sinistrum imponat dextero Celebrantis calicem accipientis.

63. Celebrans calicem accipiet et peraget oblationem: Diaconus dexteram applicabit calicis pedi vel infra brachium dexterum Celebrantis, et una cum eo Crucem intuens, calicem et ipse offeret recitans orationem *Offerimus tibi, Domine* etc. Diaconus dum calicis oblatio fiet, sinistram pectori applicabit.

64. Quum Celebrans calicem super corporale deposuerit, Diaconus accipiet pallam eaque calicem cooperiet.

65. Subdiaconus interea dum calicis fiet oblatio, conversus super dexteram suam, in medium de Altari descendet, genuflectet ad Crucem ante infimum gradum, iterumque ascendet ad Altare et consistet a sinistris Celebrantis.

66. Calice a Diacono cooperto, dum Celebrans recitabit orationem *In spiritu humilitatis* etc. thuriferarius cum thuribulo et navicula a latere ascendet ad Altare ex parte Epistolae.

67. Diaconus incensum ministrabit Celebranti, qui illud in thuribulum demittet cum benedictione recitans formulam *Per intercessionem* etc. Postea thuriferarius recipiet naviculam a Diacono, eique tradet thuribulum, de Altari descendet, reponet naviculam in abaco, et in plano expectabit prope latus Epistolae, donec Diaconus post thurificationem restituet ipsi thuribulum.

68. Nisi aderit Caeremoniarius vel alia re impediretur, curae sit thuriferario amovere de Altari Missale cum cussino seu legili tempore thurificationis.

69. Diaconus thuribulum a thuriferario acceptum tradet Celebranti, qui adolebit Oblata ritu pro Missis solemnibus praescripto. Diaconus sustinebit calicem et planetam Celebrantis in thurificatione Altaris, itemque Subdiaconus a sinistris planetam cum Diacono sustinebit, ut fit ad thurificationem in introitu Missarum solemnium.

70. Sub finem thurificationis aderunt secundus Acolythus cum aquae ampulla et cum pelvicula, primus Acolythus cum sudariolo seu manutergio, ut manuum ablutionem Celebranti ministrent, subsistentes ante infimum gradum procul ab ipso quatuor aut quinque passibus, ne transitum Ministris in thurificatione prohibeant.

71. Celebrantis, peracta thurificatione Altaris, partem posteriorem planetae Ministri demittent, Diaconus subsistet in gradu superiori ac thuribulum accipiet a Celebrante dicente *Accendat* etc. ut in aliis Missis solemnibus. Accepto thuribulo, descendet cum Subdiacono de gradibus a latere, et in plano convertetur cum eo ad Celebrantem, quem reverentia profunda salutabunt

et Diaconus thurificabit triplici ductu; iterabunt profundam reverentiam, ac Diaconus thuribulum reddet thuriferario.

72. Acolythus primus manutergium tradet Diacono, alter vero ampullam cum pelvicula porriget Subdiacono. Tunc Ministri ascendent in gradum superiorem Altaris et ablutionem manuum ministrabunt Celebranti, qui dicet psalmum *Lavabo* sine *Gloria Patri* in fine.

73. Acolythi recipient manutergium et ampullam cum pelvicula et referent ea ad abacum, postquam Celebrans manus laverit et absterserit.

74. Ministri se sistent post Celebrantem, ut quum cantantur orationes, eumque sequentur ad medium Altare. Illuc quum venerint Ministri genuflectent quo loco erunt.

75. Celebrans continuabit Sacrum, ac Diaconus respondebit *Suscipiat Dominus* quum ille dixerit *Orate fratres.*

76. Interea clerici delegati ad candelas in choro accendendas, accensis candelis suis apud abacum, procedent in medium, genuflexionem ad Altare exsequentur et reverentias ad Clerum et candelas in choro accendent ita ut initio Praefationis universae accensae sint.

77. Acolythi praesto erunt apud abacum cum intorticiis afferendis ad *Sanctus*, quae gestabunt ut num. 172. eiusdem cap. IV. traditum est.

78. Clerus initio Praefationis consurget.

79. Celebrans Praefationem cantabit tono feriali.

80. Sub Praefationis finem, Diaconus ascendet ad dexteram et Subdiaconus ad laevam Celebrantis nullam facientes genuflexionem et simul cum ipso Celebrante recitabunt Trisagium ac se signabunt ad illa verba *Benedictus qui venit* etc. Deinde sine ulla genuflexione Subdiaconus redibit ad locum suum, Diaconus de suppedaneo descendet in gradum superiorem, genuflectet, conscendet suppedaneum ad laevam Celebrantis, ut monstret ipsi quae legere debeat utque folia Missalis, quum opus fuerit, evolvat.

81. Thuriferarius, vel Caeremoniarius apud abacum pulsabit campanulam quum dicetur *Sanctus*, ut in Missis privatis.

82. Clerus in choro alternatim recitabit *Sanctus*, deinde geniculabit. Si candelas accensas sustinebunt, advertent ut sustineant manu dextera unusquisque et modo uniformi.

83. Diaconus observabit ea quae ad *Memento* tradita sunt cap. IV. num. 179.

84. Thuriferarius praesto erit apud abacum cum thuribulo et navicula quum Celebrans recitabit orationem *Hanc igitur oblationem* etc. Quum Celebrans incipiet hanc orationem, thuriferarius tradet naviculam Caeremoniario, qui sine ulla benedictione iniiciet incensum in thuribulum, quod illi praesentabit thuriferarius, vel absente Caeremoniario aut alia re impedito, iniiciet incensum thuriferarius ipse, neque unquam id fiet a Subdiacono (*a*).

85. Dum Celebrans recitabit orationem *Quam oblationem* etc. Diaconus sine genuflexione discedet a sinistris eius, descendet de suppedaneo, genuflectet in medio post Celebrantem et consistet prope dexteram ipsius in gradu superiori.

86. Subdiaconus genuflectet una cum Diacono, transibit in cornu Epistolae a latere primi gradus, et a Caeremoniario vel a thuriferario accipiet thuribulum, in quod immissum iam fuerit incensum, ut traditum est.

87. Quum Celebrans inclinabitur prolaturus verba consecrationis, Diaconus geniculabit a dexteris Celebrantis loco supradicto, Subdiaconus in infimo gradu a latere ex parte Epistolae, ac thuriferarius apud ipsum: Clerus et Ministri caput inclinabunt, excepto Subdiacono quum SS. Sacramentum thurificabit.

88. Celebrans, verbis consecrationis prolatis, genuflectet atque elevabit S. Hostiam, ut in Missis privatis: statim ac genuflexionem peregerit, Diaconus attollet eius partem posteriorem planetae, quam postea demittet dum ille post elevationem reponet Hostiam in corporali. Subdiaconus thurificabit SS. Sacramentum tribus ductibus inter se recte distinctis.

89. Postquam Celebrans S. Hostiam in corporali reposuerit post elevationem et genuflexionem fecerit, dum assurget, Dia-

(*a*) Monemus quod Subdiaconus non debet thus immittere in thuribulum, quemadmodum extra regulam solent quidam.

conus consurget cum eo, accedet ad Altare, deteget Calicem, tum rursus genuflectet a dextris Celebrantis in extremo suppedaneo.

90. Celebrans peraget consecrationem et elevationem Calicis, ut supra, Diaconus attollet eius planetam et Subdiaconus SS. Sacramentum thurificabit.

91. Quum Celebrans Calicem post elevationem demittet, Diaconus relicta planeta, assurget, rursus cooperiet Calicem et genuflectet cum Celebrante ipso, advertens ut genuflectat iunctis manibus, neque insistat Altari, quod similibus circumstantiis observandum erit etiam a Subdiacono.

92. Post elevationem genibus flexis manebunt Clerus in choro et clerici sive Acolythi intorticia sustinentes. Subdiaconus assurget, thuribulum restituet thuriferario, redibit ad locum suum post Celebrantem, genuflectet, et assurgens ibi stabit iunctis manibus.

93. Caeremoniarius et ipse stabit ut possit in suo officio ministrare. Thuriferarius assurget, recipiet a Subdiacono thuribulum, quod deponet ac reversus apud abacum ibi geniculabit. Curabit, ut ignis pro thuribulo in promptu habeatur, si post Missam fiet absolutio.

94. Celebrans, facta genuflexione, persequetur Missam *Unde et memores* etc. Diaconus facta cum Celebrante genuflexione, transibit, non genuflectens in medio, ad laevam eius ibique genuflectet ad SS. Sacramentum et assistet ad librum, advertens ea quae superius ad *Memento* tradita sunt.

95. Quum Celebrans manus iunget dicturus *Per quem haec omnia* etc. Diaconus genuflectet ad Sacramentum et sine genuflexione in medio, redibit ad dexteram Celebrantis et Calicem deteget postquam ipse Celebrans tria Crucis signa confecerit ad illa verba *Sanctificas* etc. Genuflectet deinde cum Celebrante, qui Hostia tria Crucis signa faciet ad verba *Per ipsum* etc. et Diaconus Calicem rursus cooperiet.

96. Celebrans tono feriali cantabit *Per omnia saecula* etc. *Oremus. Praeceptis* etc. et *Pater noster*.

97. Quum Celebrans incipiet canere *Pater noster*, Diaconus

genuflectet versus SS. Sacramentum, de suppedaneo descendet in primum gradum ibique stans consistet sine alia genuflexione dum cantabitur *Pater noster*.

98. Ad verba *Et dimitte nobis* etc. genuflexionem faciet unus Diaconus, conscendet suppedaneum ad dexteram Celebrantis, extrahet patenam de corporali, eamque absterget purificatorio et elatam sustinebit cum purificatorio et dextera prope corporale ita ut Celebrans possit eam facile accipere.

99. Celebrans, post cantatum *Pater noster* accipiet patenam, at Diaconus non osculabitur manum accipientis. Ipse Diaconus respondebit *Sed libera nos a malo* et Celebrans adiiciet *Amen*; tum persequetur Missam ac deinde canet *Per omnia saecula* etc. *Pax Domini* etc. Diaconus attendet ad detegendum et cooperiendum Calicem ac genuflectendum cum Celebrante.

100. Postquam Celebrans cecinerit *Pax Domini* etc. consurget Clerus in choro et ceteri qui adgeniculati erant; sed Acolythi vel clerici duo sustinentes intorticia pergent insistere genibus usque ad totam communionem.

101. Subdiaconus, quum Celebrans cantabit *Pax Domini* etc. genuflectet, ascendet ad Altare ad laevam Celebrantis, qui deinceps cum Ministris recitabit *Agnus Dei* sine pectoris percussione.

102. In choro etiam recitabitur *Agnus Dei*, ut de *Kyrie* monuimus.

103. Recitato *Agnus Dei*, Ministri genuflectent quo loco erunt, descendent de suppedaneo, Diaconus transiens in primum gradum post Celebrantem, Subdiaconus autem in secundum vel tertium gradum post Diaconum, ac sine genuflexione in medio Diaconus ad laevam et Subdiaconus ad dexteram Celebrantis transibunt ac genuflexionem ad Sacramentum iterabunt. Diaconus attendet ad Missalis folia evolvenda et Subdiaconus ad Calicem detegendum, quum opus fuerit.

104. Thuriferarius, si Acolythi distinerentur intorticiis sustinendis afferet ad Altare vini et aquae ampullas cum pelvicula et sudariolo et porriget eas Subdiacono, quemadmodum superius descriptum est cap. IV. num. 208.

105. Quum Celebrans Calicem consummaverit, chorus considebit et candelas extinguet: consurgent Acolythi sive clerici intorticia sustinentes, et facta ad Altare genuflexione et ad chorum reverentia, referent intorticia ad abacum ibique extinguent. Alter ipsorum attendet ad Calicis velum afferendum ad Altare in cornu Evangelii.

106. Diaconus transferet Missale cum cussino seu legili ad latus Epistolae, Subdiacono curae sit abstergere Calicem et plicare corporale et cetera ac referre ad abacum, ut ibidem num. 212.

107. Celebrans in cornu Epistolae leget ℣. *Communio* veniet ad medium Altare, quod osculabitur, conversus ad populum cantabit *Dominus vobiscum* ac reversus ad Missale in latus Epistolae canet orationem sive orationes *Postcommunio*. Chorus et reliqui omnes ad orationes praedictas congeniculabunt, ut ante Epistolam declaratum est. Ministri stabunt post Celebrantem, ut in supradicta oratione.

108. Dicto *Postcommunio* Celebrans redibit ad medium Altare cum Ministris, osculabitur Altare et conversus ad populum cantabit *Dominus vobiscum* et rursus ad Altare convertetur. Diaconus cantabit *Requiescant in pace*, tono praestituto et plurali numero, licet pro uno tantum defuncto Sacrum celebretur, Celebrans et ipse submissa voce dicet *Requiescant in pace*.

109. Celebrans dicet orationem *Placeat tibi* etc. osculabitur Altare, recitabit Evangelium S. Joannis, et fiet totum id quod notatum est eodem supradicto capite num. 222. et seq. relate ad reditum in sacrarium.

110. Si post Missam fieri debeat absolutio supra cadaver praesens vel supra tumulum, inspiciatur cap. IX. et X. sequentis lib. IV. ubi praedictus ritus iuxta varias circumstantias demonstratur.

DE EXPOSITIONE AC BENEDICTIONE SS. SACRAMENTI

CAPUT XI.

1. Expositio SS. Sacramenti a rubricis praecipitur in festo et in octava Corporis Domini.

2. Aliis temporibus penes Episcopum ordinarium est edicere huius ritus exsequutionem et potestatem facere ecclesiis etiam privilegiatis et eius iurisdictione exemptis: prudentiae itaque illius est obviam ire abusionibus et incommodis, quae inde manare possent, si pius hic et commendabilis usus frequentius quam par est aut rarius perageretur.

3. Altare in quo Sacramentum exponetur, erit praecipuum; in ecclesiis cathedralibus et collegiatis servabitur usus exequendae expositionis in Altari laterali, exceptis festo et octava Corporis Domini, et aliquo triduo aut circumstantia solemni.

4. In aliis etiam ecclesiis licebit exponere in Altari laterali, sed necesse est servare decentiam, et cavere id potissimum ne e publica via et domibus templo proximis prospiciatur SS. Sacramentum.

Quae sint praeparanda

5. In Altari sive supra gradu candelabrorum, ne tamen Altaris mensam impediat, statuetur thronus in quo exponetur SS. Sacramentum. Thronus seu baldachinum erit ex Altari elatum aliqua basi seu fulcro altiori: curabitur autem ut altitudo throni non ea sit, ut super mensam Altaris ascendere cogatur Sacerdos, qui Ostensorium in eodem throno collocaturus sit.

6. Huiusmodi thronus erit decenter ornatus caelaturis inauratis et argento obductis, eritque etiam albi coloris: quamobrem minus probatur usus in quibusdam ecclesiis receptus, affigendi pannum sericum rubri coloris in cavo ipsius throni, ut inde

melius emineat Ostensorii splendor: color rubrus, iuxta ritum Romanae Ecclesiae, pro Sacramento non praescribitur, ideoque est reiiciendus.

7. In throni plano, ubi collocabitur Ostensorium, sternetur corporale mundum explicatum, vel etiam palla supra qua commode collocetur Ostensorium.

8. In parte inferiore throni prope mensam Altaris aderit tabernaculum, seu ciborium, in quo reponetur SS. Sacramentum, nisi tamen ex Altari, in quo custoditur ad aliud in quo exponatur, translocetur antequam sacrae functionis initium fiat. Hoc casu non opus est tabernaculum seu ciborium praeparare.

9. A lateribus throni ponentur candelabra cum candelis; eorum numerus dependet ab usu et legibus synodalibus uniuscuiusque loci, quum ad Episcopum spectet statuere numerum, ad SS. Sacramenti expositionem idoneum.

10. Ad altare statuetur pallium albi coloris et tapetum super eius gradus. Pallium semper albi coloris erit, quodcumque sit Officium quod celebretur. Praeparabitur etiam scabellum seu brevis scala in commodum Sacerdotis, qui Sacramentum in throno exponet.

11. In sacrario praeparabitur pluviale cum stola albi coloris et superpelliceum cum bireto pro Celebrante: item superpellicea pro clericis et ceteris assistentibus: stola alba pro Sacerdote qui exponet SS. Sacramentum: Ostensorium albo velo contectum: corporale super Altare extendendum in bursa albi coloris: velum humerale et ipsum albi coloris: clavicula tabernaculi seu ciborii: thuribulum cum navicula: liber precum et orationum recitandarum ac bina intorticia cerea.

12. Sin autem ab uno Altari ad alterum transferendum sit SS. Sacramentum, praeparabitur etiam umbraculum album, altera clavicula tabernaculi, in quo custoditur SS. Sacramentum, et corporale alterum cum bursa alba. In Altari autem, ex quo accipiendum erit SS. Sacramentum, ardebunt saltem duo lumina cerea in candelabris dum fiet translatio.

In functione

13. Sacra functio populo indicabitur campanarum sono, pro more uniuscuiusque loci.

14. Hora praestituta ab uno aut duobus clericis superpelliceo indutis in Altari expositionis candelae accendentur regula tradita cap. I. lib. I. num. 9.

15. Clericus alter vel ipse Sacrista, quod esset convenientius, afferet ad Altare Ostensorium, claviculam tabernaculi et bursam cum corporali, quam reponet super Altare prope medium: tabellas secretarum seu charteglorias ex illo amovebit, si aderunt, et ponet super abacum, sic etiam mensam Altaris tela stragula denudabit, si posita fuerit. Afferet etiam velum humerale et librum precum quem deponet super abacum vel super aliquod scabellum.

16. Si translatio SS. Sacramenti fiet, in medio Altari expositionis explicabit corporale, et ad Altare alterum, ex quo accipiendum sit Sacramentum, deferet claviculam tabernaculi, bursam cum corporali, velum humerale atque umbraculum, et Altare ipsum tela stragula denudabit, iubens binas saltem candelas in ipso accendi.

17. Quum omnia disposita erunt ad incipiendam functionem, qui Sacerdos expositurus est SS. Sacramentum, lavabit manus, induet sibi superpelliceum et super ipso stolam albam, ac bireto cooperiet caput.

18. Duo clerici superpellicio induti accendent intorticia, et clericus alter cum superpellicio accipiet thuribulum cum navicula. Aequum etiam esset, ut unus aut duo clerici induti superpellicio Sacerdotem supradictum comitarentur.

19. Si translatio SS. Sacramenti ab uno ad alterum Altare fiet, thuriferarius praesto erit cum thuribulo ad Altare expositionis, et absentibus aliis clericis, relinquet ibi thuribulum et sustinebit umbraculum translationis tempore: si clerici plures aderunt, umbraculum gestabit alter clericus vel Sacerdos.

20. Supradicti clerici cum Sacerdote reverentiam simul

facient ad Crucem vel ad imaginem praecipuam sacrarii, et ad Altare expositionis procedent: praeibit thuriferarius, sequentur duo clerici intorticia gestantes; qui dextrorsum incedet, intorticium dextera sustinebit, qui sinistrorsum, sinistra; postremo loco Sacerdos stola circumdata collo et capite cooperto medius inter duos clericos, aut si clericus erit unus, is incedet a laeva Sacerdotis ipsius et ibunt iunctis manibus. Si transferendum sit SS. Sacramentum, qui clericus incedet a latere Sacerdotis portabit umbraculum, nisi iam allatum fuerit ad Altare.

21. Quum ad Altare SS. Sacramenti ventum erit, clerici intorticia ferentes dirimentur et consistent in lateribus ante infimum gradum: Sacerdos cum clerico seu clericis veniet ante infimum gradum et capite nudato bireto, quod tradet clerico sibi dextrorsum adstanti, genuflectetur ab omnibus in pavimento.

22. Clerici sustinentes intorticia geniculabunt in pavimento, et clerici assistentes Sacerdoti, in gradu infimo. Alter istorum statim explicabit velum humerale. Sacerdos ascendet ad Altare, ibi in medio explicabit corporale, accipiet claviculam, aperiet porticulam tabernaculi, et genuflexionem faciet genu dextero tantum. Tum extrahet custodiam seu pixidem, in qua erit S. Hostia exponenda, ponet eam in corporali, claudet porticulam ac rursus geniculabit in suppedaneo Altaris.

23. Clericus super humeros illius velum humerale imponet et ante pectus ipsi alligabit. Idem clericus, nisi aderit alius, accipiet umbraculum et aperiet, advertet autem ut biretum Sacerdotis ferat secum.

24. Sacerdos postquam ipsi velum humerale impositum fuerit, assurget, custodiam cum SS. Sacramento sinistra accipiet, eamque cooperiet utraque extremitate anteriori veli humeralis manu dextera, qua deinde imposita sinistrae ad custodiam, descendet de Altari et ad alterum, in quo fiet expositio, proficiscetur.

25. Praecedent duo clerici sustinentes intorticia, sequetur Sacerdos cum Sacramento, et desuper umbraculum sustinebitur a clerico, qui post Sacerdotem ibit. Si aderit et alter clericus a sinistris ipsius Sacerdotis incedet.

26. Eundo ab Altari SS. Sacramenti ad alterum, in quo fiet expositio, aliquod canticum vel psalmus a Sacerdote et clericis alternatim mediocri voce recitandus erit.

27. Ad Altare expositionis ubi ventum erit, duo clerici ferentes intorticia ante Altare geniculabit a lateribus in pavimento, clericus gestans umbraculum, ad ingressum presbyterii claudet illud et deponet seorsim; Sacerdos autem ascendet ad Altare.

28. Conscenso suppedaneo, custodiam cum SS. Sacramento deteget extremitatibus veli humeralis, eamque ponet super Altare in medio corporali iam extenso; genuflectet, expediet velum humerale, quod recipietur a clerico qui ferebat umbraculum, vel ab altero qui a sinistris adstabit Sacerdoti.

29. Quod si expositio fiet in eodem Altari in quo asservatur SS. Sacramentum, sequens ordo tenebitur.

30. Thuriferarius ad Altare quum venerit, ibit prope latus Epistolae, duo clerici intorticia sustinentes consistent in presbyterio a lateribus Altaris, Sacerdos cum ceteris clericis procedet ante infimum gradum. Sacerdos ingrediens intra septa presbyterii, nudabit caput ac biretum tradet clerico a sinistris adstanti. Ab omnibus fiet simul genuflexio.

31. Thuriferarius stabit loco praedicto, clerici sustinentes intorticia geniculabunt loco indicato, ceteri clerici in gradu infimo. Sacerdos ascendet in suppedaneum, extrahet e bursa corporale quod in medio Altari explicabit, et clavicula aperiet ostiolum tabernaculi, genuflectet, educet custodiam cum S. Hostia, quam ponet in medio corporali et ostiolum tabernaculi claudet.

32. Interea clericus aliquis accipiet scabellum seu brevem scalam et portabit eam in suppedaneum in latus Evangelii, ibique a latere Altaris genuflexus subsistet.

33. Sacerdos postquam custodiam cum SS. Sacramento e tabernaculo eduxerit, Ostensorium accipiet, intra corporale ponet deteget velo quo tectum erit quodque in Altari deponet, et aperiet crystallum, quae spheram Ostensorii occludit: deinde aperiet custodiam, lunulam cum S. Hostia manubrio accipiet,

et quin contingat digitis, intromittet eam in spheram Ostensorii ipsumque occludet: custodiam postea, qua continebatur S. Hostia, claudet et ponet supra corporale a latere; accipiet Ostensorium, convertet ipsum ex parte principali et ponet in medio corporali. Recedet aliquantulum ad latus Epistolae, dum clericus admovebit parvam scalam seu scabellum in medium suppedaneum,

34. Clericus et Sacerdos, uterque in latere suo genuflexionem faciet ad SS. Sacramentum *(a)* Clericus assurget ut Sacerdotem ascendentem sustentet: Sacerdos ascendet super brevem scalam seu scabellum, Ostensorium dextera accipiet ac in throno collocabit.

35. Exposito in throno SS. Sacramento, Sacerdos descendet de scabello et simul cum clerico iterabit genuflexionem ut antea. Deinde se vertens versus latus Epistolae descendet in planum et geniculabit in infimo gradu, profunda reverentia adorans SS. Sacramentum et assurget.

36. Clericus scabellum referet quo loco erat; redibit prope Sacerdotem et in infimo gradu geniculabit.

37. Thuriferarius, quum Sacerdos descendet de Altari, accedet in medium et cum Sacerdote genuflexionem exsequetur. Consurget cum eo et naviculam ipsi praesentabit. Si clericus alter adsit, qui Sacerdoti dextrorsum assistat, assurget, naviculam a thuriferario accipiet et incensum sine osculis ministrabit Sacerdoti. Thuriferarius stans offeret thuribulum apertum Sacerdoti, qui sine benedictione incensum in illud iniicet.

38. Iniecto, ut supra, incenso, Sacerdos rursus genicu-

(*a*) Earum nobis probatur Ecclesiarum usus, in quibus Celebrans et Assistentes seu Ministri dum expositum in Altari est SS. Sacramentum, genuflexione simplici non duplici utuntur, quum sunt in suppedaneo Altaris. Sane regula generalis est, ut iu accessu ad Altare quum ibi expositum est SS. Sacramentum et in discessu si permanet adhuc expositio, a Celebrante, a Ministris et clero fiat genuflexio duplex, et in reliqua functione cuiuscumque generis ea sit fiat semper genuflexio simplex. Celebrans et ipse inter Missam genuflexione utitur simplici. Quapropter non intelligitur qua ratione in hac tantum circumstantia Celebrans et reliqui Assistentes genuflexionem duplicem in suppedaneo exsequantur.

labit in medio gradu infimo, thuribulum a thuriferario vel ab alio clerico, si aderit, accipiet, thurificabit SS. Sacramentum, postea thuribulum ei restituet a quo acceperit.

39. Thuriferarius, recepto thuribulo, procedet in medium presbyterium ante Altare: consurgent duo clerici intorticia sustinentes, addentur thuriferario exsequentur ad SS. Sacramentum genuflexionem, et in sacrarium revertentur, praeeunte thuriferario, sequentibus clericis intorticia gestantibus.

40. Sacerdos qui adest ad Altare, recitabit preces statutas: clerici praedicti intorticia gestantes ac thuriferarius, relictis his rebus in sacrario, redibunt ad Altare, genuflexionem duplicem conficient in plano ante Altare deinde congeniculabunt in infimo gradu a lateribus Sacerdotis.

41. Preces ac processus functionis dependet a dispositionibus, quae ad rem dabuntur ab Episcopo ordinario.

42. Sub finem precum aut Litaniarum Celebrans in sacrario induetur superpelliceo, et supra ipsum imponet sibi stolam et pluviale albi coloris ac bireto caput operiet.

43. Dum Sacerdos orationes recitabit post Litanias sive alias preces, duo clerici praedicti, thuriferarius ac reliqui adstantes Sacerdoti, redibunt in sacrarium: ibique thuriferarius recipiet thuribulum, duo supradicti intorticia accensa, et unus aut duo alii clerici assistent a lateribus Celebranti.

44. Fiet simul ab omnibus reverentia ad Crucem vel ad imaginem principalem sacrarii et procedent ad Altare, videlicet thuriferarius cum thuribulo, duo clerici cum intorticiis, ultimo loco Celebrans medius inter duos clericos, qui fimbrias pluvialis eius sustinebunt, aut si unus clericus aderit, a sinistris ipsius incedet. Celebrans ibit iunctis manibus et bireto cooperto capite, quod nudabit statim ac venerit in conspectum SS. Sacramenti.

45. Sacerdos ille, qui ad Altare permanserit, superveniente Celebrante cum clericis, assurget, genuflexionem duplicem in pavimento efficiet, detrahet, sibi de collo stolam et ibit geniculatum in latus Epistolae supra infimum gradum.

46. Quum Celebrans et ceteri clerici accesserint ad Altare,

thuriferarius recedet versus cornu Epistolae, clerici intorticia sustinentes ad latera Altaris, ut supra, et Celebrans cum duobus clericis assistentibus subsistet ante Altare. Genuflexionem duplicem omnes in pavimento conficient, et postquam e genuflexione assurrexerint, thuriferarius stabit, clerici cum intorticiis geniculabunt loco iam demonstrato, Celebrans cum clericis assistentibus in infimo gradu.

47. Si clericus unus Celebranti assistet, geniculabit a dextris ipsius Sacerdos ille, qui SS. Sacramentum exposuerit, atque hic relate ad genuflexiones cum reliquis congruet methodo iam tradita.

48. Celebrans ad Altare quum venerit, biretum suum tradet clerico sibi dextrorsum adstanti, ac facta ut supra genuflexione, priusquam genua submittat in gradu infimo, incensum in thuribulum imponet. Qui clericus adstabit ei sinistrorsum, accedet ad dexteram et fimbriam dexteram pluvialis eius attollet, alter clericus a dextris adstans incensum ei ministrabit, ac thuriferarius stans praesentabit ei thuribulum apertum, in quod ipse Celebrans, conversus paullum a latere super dexteram suam, incensum sine benedictione iniiciet (*a*).

49. Idem deinde Celebrans geniculabit in gradu infimo cum assistentibus a lateribus ac thuriferarius genua submittet a dextris primi assistentis.

50. Celebrans cum clericis assistentibus intonabit *Tantum ergo*, quod canendo continuabitur ab adstantibus. Ad illa verba *Veneremur cernui* fiet ab omnibus inclinatio profunda, et post ea verba thuriferarius tradet thuribulum primo assistenti, hic autem Celebranti qui SS. Sacramentum thurificabit.

51. Post thurificationem Celebrans thuribulum assistenti restituet, hic autem thuriferario, qui referet illud in sacrarium, si proximum erit, secus relinquet in pavimento ex parte Epistolae prope parietem.

(*a*) Quod ad thurificationem SS. Sacramenti in principio hymni *Tantum ergo*, sequuti sumus Ritualis Rom. dispositionem tit. *de Processione in festo SS. Corporis Christi.* Eadem fere inveniuntur in Caeremoniali Episcoporum lib. 2 cap. 33. num, 25. et 26.

52. Cantabitur dehinc altera strophe *Genitori Genitoque* etc. post quam adiicietur ℣ *Panem de coelo* atc.

53. Celebrans post versiculum, nullam faciens reverentiam nullamque aliam genuflexionem, assurget et orationem cantabit tono feriali *Oremus. Deus qui nobis* etc. cum conclusione brevi, idest *Qui vivis et regnas in saecula saeculorum.* Librum ei sustinebunt duo assistentes, vel si magis placeat, poterit sibi ipse sustinere. Post orationem rursus procumbet in genua.

54. Oratione cantata, qui Sacerdos ab initio exposuit SS. Sacramentum, imponet sibi stolam collo, et ascendet in suppedaneum Altaris: eodem tempore ascendet etiam clericus cum scabello, quod applicabit ad medium Altaris Sacerdos in suppedaneo genuflexionem simul cum clerico efficiet: Sacerdos conscendet scabellum ac dextera educet de throno Ostensorium et ponet ipsum in Altari. Descendet de scabello et genuflexionem cum clerico iterabit; ipse geniculabit in suppedaneo, clericus autem amovebit scabellum ipsumque referet ubi erat *(a)*.

(a) Non incongruum videtur hoc loco subiicere adnotationem erudite elaboratam Praesulis Gardellinii relate ad thurificationem, quam quidam contendunt tribuendam esse SS. Sacramento tempore benedictionis. » Altera se offert discutienda quaestio: num scilicet thuriferarius, dum » Sacerdos benedicit populum, debeat incensare Sacramentum? Silentium, » quod tenent *Caeremoniale*, *Rituale*, *Instructio Clementina* et auctores » fere omnes, qui ceteroqui nihil omiserunt de iis, quae in sacra hac actione » servanda sunt, plane suadent hanc incensationem esse omittendam: nihi- » lominus *Cavalerius ibid Decret.* 7. *n.* 7. et *Tetamus* qui eum sequitur in » Append *cap.* III *art.* 6. *num.* 47. et 48. *in fine* innixi quodam Decreto, quod » dicunt *Romae datum* 16 *Martii* 1746. et *Rubrica Missalis* tit. 13 existi- » mant faciendam esse, vel saltem in arbitrio relinqui. Videtur tamen » magis congruere contrariam sententiam consentaneam silentio Caeremo- » nialis, Ritualis et Instructionis. Cur enim in his licet enumerentur ritus » et caeremoniae omnes servandae, de hac una ne verbum quidem fit? » Non alia est ratio, nisi quia locum habere nequit. Si quaeris cur? Dicam: » quia dignior, idest Sacerdos, iam Sacramentum thurificavit, nec inferior » debet postea thurificationem iterare. Dum benedicitur populus, sup- » plet vices incensi bonus adorationis odor. Nec me commovent as-

55. Ascendente ad Altare Sacerdote, Ostensorium depo- situro de throno, clericus primus Celebranti assistens assurget, velum humerale sumet, explicabit et Celebrantis humeris imponet. Clericus alter assistens velum ipsum illi ante pectus alligabit.

56. Celebrans ascendet ad Altare cum duobus assistentibus, qui geniculabunt in extremo suppedaneo, ac Celebrans manibus insistens Altari genuflectet. Quum assurget ipse, assurget etiam Sacerdos qui eum adiuvabit in cooperiendis manibus veli humeralis extremitatibus, eique porriget Ostensorium, quod convertet, ut in danda benedictione pars anterior Ostensorii vergat ad populum, Sacerdos recedet ad latus Epistolae, stolam sibi detrahet e collo, et submittet genua in extremo sup-

» sertum Decreti et Missalis rubrica. Nam ad illud quod attinet, iam » supra notavi, Decretum illud non reperiri in Regestis S. R. C. ac » penitus ignorari a qua Congregatione, vel cuius auctoritate datum » fuerit; et forte nil aliud est, nisi privatum responsum ad consulta- » tionem factam alicui Rubricarum perito, qui potius variam Eccle- » siarum consuetudinem attendens, quam rationum vim, respondit — » *servari posse alterutram* —. Quod vero spectat ad *Rubricam Missalis*, » longe diversa militat ratio. Ideo enim Rubrica praescribit in Missa » solemni — *Thuriferarius genuflexus in cornu Epistolae ter incensat* » *Hostiam cum elevatur et similiter Calicem, posito incenso in thuribulo* » *absque benedictione* — tum quia unica est haec incensatio, quae ad » Sacramentum adolendum fit in Missa solemni, tum quia alius non est » thuriferario dignior, qui eo fungatur munere; nam Sacerdos celebrat, » Diaconus ei assistit, Subdiaconus impeditus est Patena, Caeremoniarius » invigilat, ut suo quisque fungatur officio. Id adeo verum est ut in » Missa defunctorum, cum dignior thuriferario Subdiaconus non sit im- » peditus, Sacramentum incensat, iubente *Rubrica*: *Subdiaconus non* » *tenet Patenam post Celebrantem, sed tempore Elevationis Sacramenti* » *in cornu Epistolae illud incensat.* Contra vero dum benedicendus est » populus cum Sacramento, curnam iteranda erit thurificatio per » Acolythum, si iam ab omnium in ea actione ministrantium dignissimo, » Celebrante scilicet, peracta fuerit? Si has rationes parvi fieri oportere » existimas, haud contemnendum censeas librorum Ritualium silentium, » qui certe hanc thurificationem demandassent, quemadmodum iusserunt » ad hymni cantum ante orationem ». *Comment. ad Instruct. Clement.* §. *XXXI. num.* 23.

pedaneo. Si deesset qui Celebranti dextrorsum assisteret, geniculabit in suppedaneo a dextris Celebrantis eique fimbriam pluvialis attollet.

57. Celebrans super sinistram suam convertetur ad populum et benedictionem SS. Sacramenti impertietur. Clerici assistentes fimbrias pluvialis eius sublevabunt.

58. Qua ratione autem sit populo danda SS. Sacramenti benedictio, nihil heic adiiciendum videtur, quum satis declaratum iam sit cap. XIV. §. 11. num. 199. lib. I.

59. Completo benedictionis actu, Celebrans super dexteram suam convertetur ad Altare, adiuvante Sacerdote saepius indicato, qui stolam collo rursus imposuerit, deponet Ostensorium reducens ipsum ex parte anteriori, et peracta genuflexione, seque convertens versus cornu Evangelii, de Altari descendet et geniculabit rursus in medio gradu infimo.

60. Sacerdos interea reposit urus Sacramentum intra tabernaculum manebit flexis genibus in suppedaneo aliquantulum a latere versus cornu Epistolae.

61. Adgeniculatus Celebrans in infimo gradu reverentiam profundam ad Sacramentum efficiet: tum ei de humeris a clerico sinistrorsum adstante expedietur velum humerale, quod recipietur ab altero clerico dextrorsum adstante, vel ipso absente, ab eodem clerico a sinistris.

62. Sacerdos assurget, genuflectet paullum a latere versus cornu Epistolae, approximabit ad medium Altaris, convertet aliquantulum Ostensorium et crystallum spherae aperiet: accipiet deinde sinistra et aperiet custodiam in qua reponenda erit S. Hostia: lunulam Ostensorii manubrio accipiet, reponet intra custodiam, quam claudet et deponet in medio corporali; deinde crystallum spherae dextera claudet et sinistra ponet Ostensorium extra corporale: aperiet porticulam tabernaculi, reponet intus Sacramentum cum custodia, genuflectet ut antea, assurget, claudet ostiolum, ac sibi de collo detrahens stolam, recedet.

63. Si tabernaculum in alio Altari locum haberet, velo albo cooperiet custodiam cum SS. Sacramento, quam relin-

quet supra corporale, ut deinceps ad Altare suum transferatur.

64. Clauso tabernaculo, Celebrans assurget, et simul cum clericis intorticia ferentibus, cum thuriferario, et clericis assistentibus, ordine superius innuto, redibit in sacrarium, quo quum ventum erit flet ab omnibus reverentia ad Crucem, et sacram vestem quisque suam deponet.

65. Si referendum sit SS. Sacramentum ad Altare, in quo asservatur, redibit in sacrarium Celebrans cum clericis assistentibus. Clerici sustinentes intorticia ac thuriferarius manebunt apud Altare cum Sacerdote, qui postquam discesserit Celebrans, reponet sibi collo stolam, ascendet ad Altare, aperiet tabernaculum et geniculabit in suppedaneo. Thuriferarius velum humerale sumet, imponet humeris Sacerdotis eique ante pectus alligabit.

66. Sacerdos assurgens custodiam cum Sacramento educet, aut velum, quod cooperiet ipsum, amovebit, si positum erit in Altari eo quod ibi non sit tabernaculum, cooperiet extremitatibus veli humeralis et referet ad Altare in quo solet asservari.

67. Thuriferarius portabit umbraculum apertum supra Sacerdotem gestantem S. Eucharistiam, et meminerit etiam biretum deferre illius.

68. Ad Altare SS. Sacramenti, clerici ferentes intorticia geniculabunt a lateribus Altaris ac thuriferarius claudet umbraculum quod seorsim deponet.

69. Sacerdos ascendet ad Altare, velum humerale dimittet de custodia Sacramenti, quam ponet in medio corporali explicato in Altari: genuflectet, deponet velum humerale, quod recipiet thuriferarius, et quin det aliam benedictionem, aperiet porticulam tabernaculi, Sacramentum reponet, genuflexionem iterabit, claudet tabernaculum et claviculam inde tollet.

70. Descendet deinde ex Altari, et Clerici intorticia sustinentes cum thuriferario simul consurgent. Ubi Sacerdos ante Altare descenderit, fiet ab omnibus genuflexio, ac thu-

riferarius dabit biretum Sacerdoti. Redibunt in sacrarium clerici ferentes intorticia, quos sequetur Sacerdos capite cooperto iunctisque manibus, ac thuriferarius incedet a sinistris eius.

71. Clerici referent se ad Altare expositionis, candelas extinguent et Sacrista recipiet ac referet in sacrarium ea omnia quae illic paraverat.

72. Haec methodus servari poterit diebus ferialibus et in expositionibus ordinariis.

73. Non raro accidit, ut maiori solemnitate fieri debeat expositio, quae peragi poterit cum Ministris paratis Celebranti assistentibus. Hoc casu observentur quae heic subiicimus.

74. In sacrario praeparanda sunt pro Celebrante et Ministris albi coloris paramenta, nempe pluviale cum stola dalmatica cum stola, tunicella, tria cingula, tres albae, tres amictus ac tria bireta: quatuor intorticia pro benedictione: superpellicea quae satis sint. Curabitur etiam ut sufficiens adsit clericorum inservientium numerus.

75. Tota functio administrabitur ut superius traditum est usque ad benedictionem SS. Sacramenti.

76. Sub finem Litaniarum seu precum recitandarum, clerici designati in sacrario parabunt Celebrantem, Diaconum et Subdiaconum paramentis superius nominatis, qui ubi parati fuerint bireto caput cooperient. Aderunt etiam clerici quatuor numero, qui sustineant intorticia ac thuriferarius cum thuribulo. Expediret etiam ut adesset Caeremoniarius.

77. Ad nutum Caeremoniarii, Celebrans et Ministri discedentes de loco quo parati fuerint, procedent in medium sacrarium et simul cum clericis ferentibus intorticia ac thuriferario reverentiam efficient ad Crucem sive ad imaginem praecipuam sacrarii, et ad Altare procedent hoc ordine.

78. Praeibit thuriferarius cum thuribulo, sequentur quatuor clerici cum intorticiis incedentes bini, deinde Caeremoniarius, postremo Celebrans medius inter Ministros, et incedent capite cooperto; Ministri autem fimbrias pluvialis Celebrantis sustinebunt.

79. Ad fores sacrarii Caeremoniarius poterit aquam benedictam offerre Subdiacono et Diacono, atque hic dabit Celebranti, qui omnes eam accipientes seque signantes caput bireto detegent. In conspectum vero SS. Sacramenti Celebrans et Ministri bireta deponent.

80. Ubi ventum erit in presbyterium, thuriferarius recedet ad latus Epistolae, duo primi clerici ferentes intorticia dirimentur et pergent ad latera Altaris paullo longe ab infimo gradu, reliqui duo clerici etiam dirimentur et accedent ad primos eadem linea. Caeremoniarius in aditu presbyterii accipiet bireta Subdiaconi et Diaconi, hic autem biretum a Celebrante sine osculis acceptum tradet Caeremoniario.

81. Celebrans ante Altare genuflexionem duplicem cum Ministris, cum clericis ferentibus intorticia et cum thuriferario exsequetur. Assurget deinde Celebrans cum Ministris, et clerici praedicti genuflexi manebunt. Thuriferarius accedet ad Celebrantem, qui aliquantulum conversus super sinistram suam incensum sine benedictione in thuribulum iniiciet. Diaconus ministrabit incensum; Subdiaconus approximabit ad dexteram Celebrantis eiusque fimbriam pluvialis dexteram attollet; thuriferarius stans obiiciet ei thuribulum.

82. Iniecte in thuribulum incenso, Celebrans geniculabit in infimo gradu cum Ministris a lateribus: Caeremoniarius geniculabit a dextris Diaconi ac thuriferarius a dextris Caeremoniarii.

83. Celebrans cum Ministris intonabunt *Tantum ergo*, quod populus continuabit. Ad illa verba *Veneremur cernui* fiet ab omnibus reverentia profunda. Post supradicta verba Caeremoniarius a thuriferario acceptum thuribulum tradet Diacono atque hic Celebranti, qui Sacramentum thurificabit. Deinde ordine inverso, Celebrans thuribulum reddet Diacono, Diaconus Caeremoniario, et Caeremoniarius thuriferario, qui relinquet illud seorsim aut referet in sacrarium, si proximum fuerit.

84. Sub finem ℣. *Genitori Genitoque* etc. Caeremoniarius tradet Diacono librum orationum. Celebrans ad ℣. *Panem de coelo* assurget ac Ministri librum ante ipsum sustinebunt. Cae-

remoniarius assurget et accedet ad dexteram Celebrantis ut ei monstret orationem canendam, si opus fuerit. Celebrans iunctis manibus ac tono feriali cantabit orationem de SS. Sacramento cum conclusione brevi, scilicet *Qui vivis et regnas in saecula* etc. ac rursus adgeniculabitur.

85. Diaconus recipiet librum, ex quo Celebrans orationem cecinerit, claudet illum ac restituet Caeremoniario.

86. Postea Diaconus ab eodem Caeremoniario accipiet velum humerale, assurget, et imponet illud humeris Celebrantis. Subdiaconus autem ipsi ante pectus alligabit.

87. Interea clericus apprehendet scabellum, seu brevem scalam, afferet ad Altare et collocabit eam in medio suppedaneo. Diaconus ascendet ad Altare, genuflectet simul cum clerico, qui scabellum attulerit, conscendet ipsum, Ostensorium e throno educet, supra mensam deponet in medio corporali, genuflexionem cum supradicto clerico iterabit et geniculabit in suppedaneo a latere prope medium, paullum versa facie ad latus Evangelii.

88. Clericus iterabit genuflexionem, scabellum tollet ab Altari ac reponet quo loco erat antea.

89. Celebrans ascendet ad Altare cum Subdiacono ac genuflectet. Subdiaconus consistet adgeniculatus in extremo suppedaneo a latere Evangelii. Diaconus cum Celebrante assurget eumque adiuvabit in cooperiendo manus extremitatibus anterioribus veli humeralis. Deinde ei tradet Ostensorium advertens ut pars eius anterior spectet ad populum, quum Celebrans ad illum convertetur, benedictionem daturus. Ministri, dum benedictionem largietur, fimbrias pluvialis elevabunt.

90. Celebrans benedictionem populo donabit, ut superius declaratum est.

91. Peracta benedictione, Diaconus assurget, recipiet a Celebrante Ostensorium, quod deponet in Altari conversum ex parte anteriore. Celebrans una cum Diacono genuflectet.

92. Celebrans assurget et cum Subdiacono de Altari descendet versus partem Evangelii, ne tergum vertat Sacramento, Diaconus autem adgeniculatus manebit in suppedaneo.

93. Celebrans quum descenderit ante Altare, genieulabit in infimo gradu, reverebitur Sacramentum cum Subdiacono, qui post hanc reverentiam expediet velum humerale ac tollet ex humeris Celebrantis, ipsumque tradet Caeremoniario.

94. Genuflexo Celebrante cum Subdiacono ante Altare, Diaconus assurget, genuflectet ad Sacramentum paullum a latere, ne tergum vertat Celebranti, et accedens ad medium Altare convertet aliquantulum Ostensorium quin id inclinet super Altare. Sinistra deinde sumet custodiam, in qua reponenda sit S. Hostia, eamque aperiet dextera: tum eadem manu, aperta crystallo sphaerae, accipiet manubrio lunulam cum S. Hostia, eamque reponet intra custodiam, quam claudet: deinde custodiam ipsam super Altare ponet in medio corporali, dextera claudet crystallum Ostensorii et sinistra collocabit ipsum extra corporale. Postea aperiet porticulam tabernaculi, intromittet illuc custodiam cum Sacramento, genuflectet ut ante, claudet tabernaculi porticulam, relinquet claviculam in Altari, de suppedaneo descendet et redibit ad dexteram Celebrantis.

95. Dum de Altari Diaconus descendet, assurgent Celebrans et Subdiaconus et cum eis consurgent clerici intorticia sustinentes ac thuriferarius, qui post benedictionem recipiet thuribulum (nisi forte iam retulerit in sacrarium, ut superius innuimus) et medius consistet inter clericos intorticia gestantes.

96. Quum Diaconus ad Celebrantis dexteram descenderit, genuflectetur ab omnibus. Caeremoniarius tradet biretum Celebrantis Diacono, et hic dabit Celebranti: idem Caeremoniarius deinde Diacono et Subdiacono bireta restituet.

97. Eodem ordine quo demonstratum est in exitu, redibitur in sacrarium, et facta ad Crucem reverentia, Celebrans et Ministri paramentis suis, clerici autem reliqui superpellicio exuentur.

Urbis et Orbis. Ad aures Sac. Rit. Congregationis delatum est in nonnullis Monialium publicis ecclesiis tam extra, quam quandoque intra almam hanc Urbem existentibus sensim irrepsisse abusum, ut Ssmo Eucharistiae Sacramento in earumdem Monialium ecclesiis fidelium venerationi exposito, antequam il-

lius fiat depositio et confluenti populo cum illo benedictionem sacerdos de more concedat, idem Sacerdos primum ac separatim benedicat monialibus in interiori eorumdem choro, sive oratorio post altare, vel alibi genuflexis, et deinde populo in publica ecclesia adstanti. S. eadem C. referente me infrascripto Secretario loco Celsitudinis Reginae Emi et Rmi D. Card. Ducis Eborancensis Ponentis » ad hanc reprehensibilem et a suis ritibus et Ecclesiae praxi deviam consuetudinem radicitus convellendam, praesenti generali decreto districte prohibet illam in posterum observari, etiamsi diuturno et immemorabili tempore ac usu convaluerit; ac praecipit ut sacerdos sacram illam exercens functionem in quibusvis ecclesiis monialium ubique locorum erectis, cuiusvis sint Ordinis et Instituti (omissa speciali ac separata monialium benedictione) unicam tantum cum eodem SSmo Sacramento benedictionem interessenti populo impertiatur. Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 11. Decembris 1773. Factaque deinde per me Secretarium de praedictis Ss. Domino nostro relatione, Sanctitas sua praefatum Sac. Congregationis generale decretum confirmavit et ubique exequutioni dandum esse praecepit. Die 18. eiusdem mensis et anni.

DE ADVENTU

CAPUT XII.

1. Primam Dominicam Adventus initium esse anni ecclesiastici nemo quidem ignorat. Vetustissima est eius institutio; tempus autem luctus et moestitiae. Quocirca in Officiis divinis, quae celebranda erunt hoc tempore, documenta quae sequuntur, animadvertentur.

2. In Dominicis I. II. et IV. color violaceus adhibendus est in Missis solemnibus, sacri Ministri induentur planetis plicatis ante pectus in ecclesiis praecipuis, in aliis minoribus ministrabunt ad Altare *in albis:* organis non sonabitur, Altare

instruetur simpliciter pallio violaceo; tapetum violaceum sternetur super gradus; excluduntur vasa florea, statuae sanctorum, thecae cum sacris Reliquiis inter candelabra.

3. Haec eadem methodus servabitur etiam diebus ferialibus quum nullo incidente officio festivo ritus duplicis aut semiduplicis, feriae officium celebrabitur.

4. In tertia Dominica appellata *Gaudete* (ex primo vocabulo Introitus Missae) in Missa solemni tantum licet uti colore rosaceo (qui medius est inter violaceum et rubrum); Ministri sacri induentur dalmatica et tunicella, sonabitur organis, licetque Altare vasis floreis exornare. In reliquo autem officio adhibendus est color violaceus, et organorum sonus interdicitur (*a*).

5. Si quam in Dominicam ex superius indicatis incideret festum sancti cuius ritus praestaret Dominicae, ratio habebitur solemnitatis propriae officii quod celebrabitur, non vero officii de Dominica. Si festum incidens celebrari nequiret, inspiciatur quod in appendice prima huius libri *de modo celebrandi festa* demonstrabitur.

6. Die XVII. Decembris incipiunt antiphonae maiores, quae intonabuntur in officio temporis ante *Magnificat* ab ebdomadario seu Celebrante. Antiphonae supradictae duplicabuntur, seu in officio temporis canentur ex toto ante *Magnificat*, et chorus una cum Celebrante et reliqui omnes ad supradictum cantum stabunt.

7. Quibus autem diebus fieri forte debeat officium festivum, eaque de re fiet sola commemoratio de feria Adventus, antiphonae supradictae intonabuntur a Celebrante vel ab aliis iuxta cuiusque ecclesiae consuetudinem.

8. Quatuor temporibus et in vigilia S. Thomae Apostoli in Missa de feria aut de vigilia, relate ad genuflexiones Cleri inter Missam observetur quod cap. III. lib. I. traditum est.

(*a*) Dispositio sonandi organis in Missa tantum Dominicae tertiae Adventus, et adhibendi in sola Missa solemni colorem rosaceum desumitur a Caeremoniali Episcoporum lib. I. cap. 28. num. 2. et lib. II. cap. 13, num. 11.

DE VIGILIA NATIVITATIS DOMINI.

CAPUT XIII.

1. Altare exornabitur ut in Dominicis praecedentibus.

2. Martirologium cantabitur solemniter, ideoque dum recitatur Matutinum aut Laudes, omnes campanae actionis praedictae causa pulsabuntur in laetitiae argumentum.

3. In sacrario praeparabitur pluviale violaceum, candelabra cum candelis pro acolythis, thuribulum cum navicula et superpellicea pro clericis.

4. In medio presbyterio ponetur legile ornatum panno serico violaceo, superque ipsum Martirologium apertum.

5. Initio Horae primae accendentur sex candelae in Altari, nisi iam essent accensae, candelae etiam candelabrorum pro Acolythis in sacrario, et ignis in thuribulo praeparabitur. Ebdomadarius, sive alius ad quem spectabit canere Martyrologium, veniet in sacrarium, ibique supra superpelliceo induetur pluviali violaceo et caput operiet bireto. Induent sibi superpelliceum Acolythi ac thuriferarius, Caeremoniarius et clerici duo, qui Ebdomadario supradicto assistent.

6. Innuente Caeremoniario, thuriferarius sumet thuribulum cum navicula et Acolythi candelabra cum candelis accensis. Sese addent Celebranti, quocum facient reverentiam ad Crucem sive ad imaginem sacrarii praecipuam. Celebrans post reverentiam capite nudato factam, bireto operiet caput. Tum ad Altare procedent ordine sequenti. Praeibit thuriferarius cum thuribulo; sequentur duo Acolythi cum candelabris deinde Caeremoniarius, postremo cantor sive ebdomadarius paratus, operto capite, medius inter duos clericos qui fimbrias pluvialis eius sustinebunt.

7. Dabunt operam ut ad Altare perveniant dum recitabitur oratio *Domine Deus omnipotens, qui ad principium* etc.

8. In chorum ubi venerint, thuriferarius consistet in aditu dextrorsum, Acolythi dirimentur et in medio choro se sistet

Ebdomadarius cum duobus assistentibus. Ebdomadarius caput deteget ac biretum tradet primo assistenti, hic Caeremoniario. Ab omnibus, excepto Ebdomadario parato, fiet genuflexio ad Altare et reverentia ad chorum versus cornu Evangelii, dende Epistolae.

9. Accedent ad legile, Acolythi stabunt hinc inde a lateribus legilis facie ad invicem conversa, Ebdomadarius cum assistentibus ante legile ac thuriferarius prope primum assistentem.

10. Primus assistens incensum cum osculis ministrabit Ebdomadario, qui iniiciet illud cum usitata benedictione *Ab illo benedicaris* etc. in thuribulum quod ante eum sustinebit thuriferarius. Secundus assistens in hac actione approximabit Ebdomadario dextrorsum, ut pluviale ipsi sustineat, deinde redibit ad dexteram illius.

11. Cantato seu recitato a choro *Benedicamus Domino, Deo gratias*, Ebdomadarius thuribulo accepto a primo assistente adolebit librum in medio, a sinistris et a dextris suis; thuribulum restituet primo assistenti, hic autem thuriferario, qui post ipsum Ebdomadarium stabit.

12. Ebdomadarius nec se nec librum signans incipiet canere Martyrologium, nempe *Octavo Kalendas Januarii Luna . . . Anno a creatione mundi* etc. et ad illa verba in *Bethlehem Judae nascitur ex Maria Virgine factus homo*, attollet amplius vocem, omnesque procumbent in genua, exceptis Acolythis atque Ebdomadario: statim elatiori voce eodemque tono quo canitur Passio, cantabit *Nativitas Domini nostri Jesu Christi secundum carnem*. Quibus prolatis verbis Ebdomadarius etiam genuflectet.

13. Clerus et reliqui omnes consurgent; Ebdomadarius autem cum clericis supradictis, facta respective ad Altare reverentia vel genuflexione, et reverentia ad chorum, redibunt in sacrarium quo ordine ad Altare venerunt, Ebdomadarius deponet pluviale, Acolythi candelabra etc.

14. Postquam Ebdomadarius e choro seu presbyterio discesserit, alter cantor persequetur Martyrologium canere usque ad finem (*a*).

(*a*) Ritus Martyrologii canendi desumptus est ex usu Patriarchalium aliarumque Urbis Basilicarum.

15. Missa Vigiliae est solemnis et post Horam nonam cantatur. Sonabitur organis, sacri Ministri induentur dalmatica et tunicella. Clerus non geniculabit ut in aliis Vigiliis, ac Diaconus cantabit *Benedicamus Domino* illis notis musicis, quibus cantatur in festis de ritu duplici.

16. Si Vigilia ista in Dominicam inciderit, Missa cantabitur post Tertiam ritibus indicatis, et ante Missam fiet consueta aquae sanctae aspersio.

DE FESTO NATALIS D. N. J. C.

CAPUT XIV.

1. Ecclesia exornabitur nobiliter ut in festis primariis, excepto quod in porticu, si aderit, aut in fronte nullum statuetur signum festivum, ut fieri solet in festis localibus de Sancto titulari et de aliis Sanctis particularibus ecclesiae ipsius.

2. Vespertino vigiliae tempore canentur Vesperae solemnes, ut cap. II. huius libri.

3. Completis Vesperis, disponentur omnia quae opus sunt ad functionem nocturnam peragendam, ac praesertim cavebitur, ne quid incommodi ac pertubationis in obscuritate noctis fiat. Quocirca dabitur opera ut Ecclesia sufficientibus luminibus illustrata sit non solum circa Altare maximum et in choro, sed in reliquis etiam partibus et praecipue in angulis et recessibus occultioribus.

4. Unus etiam aut plures eligentur custodes, qui ordini invigilent ac silentio, praesertim si vastum et valde frequens templum sacrum esset.

5, In choro aderunt *fanalia* seu candelabra cum candelis sive intorticiis. Altaria etiam minora illustrabuntur candelis cereis, in ecclesia vero accendi poterunt lumina cerea vel olearia.

6. In abaco et ad Altare maximum praeparabuntur ea

omnia quae opus sunt pro Missa solemni, pro Matutino solemni et Laudibus, quemadmodum superius notatum est respectivis capitulis III. et IV.

7. Si mos erit exponendi super Altare imaginem divini Infantis in cunis, exponetur antequam aperiantur fores ecclesiae et priusquam incipiatur Matutinum; ac si exposita erit in Altari maiori, tempore thurificationis adolebitur a Celebrante post Crucem triplici ductu, ut prorsus incensatur Crux cum imagine Crucifixi *(a)*.

8. In abaco autem ponetur parvum candelabrum cum candela etiam exigua ad usum Celebrantis, et praeparabuntur aliae candelae subtiles in comodum eorum qui lectiones cantabunt. In promptu erit etiam vasculum argenteum aut vitreum cum aliquanta aqua, cum operculo et purificatorio, quod adhibebitur a Celebrante in digitorrum purificatione.

9. Prope scamnum Celebrantis vel apud abacum praeparabitur pulvillus coloris albi adhibendus in genuflexione Celebrantis dum cantabitur ℣. *Et incarnatus est* etc.

10. Hora praestituta pulsabuntur campanae, illuminabitur et aperietur ecclesia. Matutinum solemniter cantabitur ritu praescripto cap. III. huius libri.

11. Tempore Matutini semel aut saepius pulsabuntur campanae festivo modo ad annunciandam Missam solemnem.

12. Post *Te Deum laudamus* etc. Celebrans cantabit *Dominus vobiscum* et orationem, repetet canendo *Dominus vobiscum*, deinde a cantoribus canetur ℣. *Benedicamus Domino*.

(a) Imaginem Iesu pueri ante Matutinum in Altari exponendam (si fieri soleat) contendimus. Habet id rationem cum officio divino, in cuius invitatorio cantatur *Christus natus est nobis, venite adoremus*. Non possumus respectivos ecclesiarum praesides non admonere de novitatibus ac ritibus peregrinis in huius sanctissimae noctis functionem invectis apud plures ecclesias etiam regulariter directas, relate ad processionem quae fit cum imagine divini Pueri. Non incongrum fortasse esset, si fieret ante Matutinum vel etiam ad *Te Deum*. Illud est vitium, quod abrumpitur Missa et cantus etiam ipsius Evangelii, ut modis quibusdam perquam curiosis et absurdis, quos supervacaneum est referre, exponatur ad venerationem et osculanda fidelibus detur.

Responso a choro *Deo gratias*, Celebransa non adiiciet ℣. *Fidelium animae* etc. siquidem immediate sequetur Missae celebratio. Dum canitur oratio, Acolythi candelabra sustinebunt ante Celebrantem, et repetito ab eo *Dominus vobiscum* venient ante Altare ut cum illo in sacrarium revertantur.

13. Completo Matutino, Celebrans cum pluvialistis procedent ante Altare, et facta simul cum Acolythis ad Altare reverentia vel genuflexione et reverentia ad Clerum in choro, redibunt in sacrarium praecedentibus Acolythis, ibique pluvialistae deponent pluviale, ac Celebrans exutus et ipse pluviali, parabitur pro Missa cum sacris Ministris.

14. Clerus restabit in choro ac sedebit, dum in sacrario Celebrans parabitur cum Ministris, qui exibunt e choro aut cum Celebrante ipso, aut paullo ante quam absolvatur Matutinum.

15. Deinde Celebrans cum Ministris, praeeuntibus Acolythis redibunt in chorum, et salutato Clero procedent ad Altare et prima Missa inchoabitur. Notandum autem, quod Missa prima non est ante mediam noctem incipienda.

16. Missa celebrabitur ritu praescripto cap. IV. et ad intonationem hymni *Gloria in excelsis* pulsabuntur campane festivo more.

17. Dum cantabitur ℣. *Et incarnatus est* etc. Celebrans cum Ministris totusque Clerus, suo quisque loco et capite nudato, in genua procumbent. Celebrans et Ministri in infimo gradu, a latere Epistolae, si sederint in scamno; sin autem essent ad Altare, geniculabunt in medio super extremo suppedaneo. Thuriferario curae sit, vel alteri clerico, praeparare pulvillum in quo geniculabit Celebrans.

18. Ad Celebrantis comunionem Caeremoniarius, vel Acolythus aliquis afferet ad Altare in latus Epistolae vasculum aquae cum purificatorio pro Celebrantis purificatione digitorum, alter Acolythus in eamdem partem feret calicis velum.

19. Calicem a Celebrante consummatum et in medio corporali depositum Subdiaconus palla cooperiet. Celebrans iunctis manibus adiiciet orationem. *Quod ore sumpsimus* etc. Subdiaconus extra corporale praesentabit ei vasculum aquae, in quo

pollices et indices purificabit recitans orationem *Corpus tuum, Domine* etc. et illos digitos purificatorio absterget. Subdiaconus patenam imponet calici, quem velo cooperiet et super corporale relinquet in medio Altari, ita tamen, ut sit in parte posteriori prope tabellam secretarum, ne Altare impediat quum ad *Benedictus* thurificandum erit. Idem Subdiaconus purificatorium velo calicis supponet versus dexterum latus.

20. Subdiaconus de Altari descendet, Diaconus Missale transferet in cornu Epistolae et Missa solemnis complebitur. Celebrans veniens aut rediens ad medium Altare non genuflectet.

21. Nemo autem ignorat, quod non est reponendus calix intra ciborium seu tabernaculum, in quo reponendum et custodiendum est unum SS. Sacramentum.

22. Sub exitum Missae solemnis duo pluvialistae pro Laudibus exibunt e choro, vadent in sacrarium, induent sibi pluviale, et uno aut duobus clericis praecedentibus, ad Altare redibunt, dum recitabitur ultimum Evangelium, et consistent apud scamnum Celebrantis, vel prope stallum primum chori, iuxta locum quo Celebrans sedere debebit.

23. Sacro peracto, Celebrans cum Ministris, facta in suppedaneo ad Crucem reverentia, descendent a latere ad scamnum. Ibi Ministri reverebuntur Celebrantem et acceptis biretis, comitantibus duobus clericis, redibunt in sacrarium post debitas reverentias, et sacra indumenta deponent.

24. Celebrans autem, adiuvante Caeremoniario, deponet planetam et manipulum (et haec ponentur in abaco, vel ab aliquo clerico referentur in sacrarium) induet sibi pluviale et intonabit Laudes, quae canentur ritu superius praescripto c. III. num. 49. Hoc tamen tradidimus brevitatis caussa; at si quis iuxta regulas vellet functionem exequi, Celebrans redibit in sacrarium, Acolythis praecedentibus et comitantibus Ministris, ibique sacras vestes demittet, ac supra superpelliceo vel rocheto, si uti ei licebit, induetur pluviali.

25. Postea praeeuntibus Acolythis et comitatus a duobus pluvialistis redibit in chorum, reverebitur Clerum et Altare, procedet ad locum sibi constitutum atque immediate Laudes intonabit.

26. Pro Missis lectis (*a*) praeparabitur in Altari sive in Altaribus, in quibus celebrandae erunt, vasculum operculatum vitreum aut argenteum cum aqua pro purificatione digitorum Celebrantis, et capsula etiam operculata cum hostiis diligenter spoliatis fragmentis, ad alteram et tertiam Missam substituendis. Celebrans in prima et secunda Missa postquam consummaverit et omnino hauserit Calicem, ponet ipsum in medio corporali et cooperiet palla; dicet iunctis manibus orationem *Quod ore sumpsimus* etc. deinde extra corporale in vasculo praeparato purificabit pollices et indices, recitans orationem *Corpus tuum Domine* etc. et purificatorio exterget. Patenam pallae imponet, et ex capsula hostiarum accipiet unam et ponet supra patenam, calicem velo cooperiet et Missam persequetur. Non est autem facienda ad calicem genuflexio, si veniendum aut transeundum sit ad medium Altaris. In secunda et tertia Missa ad Offertorium, postquam velum de calice detraxerit, amovebit de medio calicem ipsum, relinquens eum in corporali coopertum palla et hostiae peraget oblationem. Patena corporali supposita, calicem deteget ac manu sustinens illum quin imponat super Altare, transibit in cornu Epistolae et in eum infundet vinum et aquam, nec purificatorio exterget. Si opus fuerit, guttas vini in calicis parte interiori sparsas colliget, inclinans in gyrum calicem ut a reliquo vino excipiantur. Deponet deinde Calicem in corporali seorsim, ac reversus ad medium Altare, recipiet ipsum et oblationem illius exsequetur.

27. Aquam in vasculo, qua usus fuerit ad purificandos digitos, poterit Celebrans infundere in Calicem ad ablutionem tertiae Missae; vel relinquet eam in Altari, et Sacristae officium erit eam demittere in piscinam seu sacrarium post omnium Missarum celebrationem.

28. Cantu Laudum absoluto, claudetur ecclesia, ac si fuerit

(*a*) Notandum, quod hac nocte Missas lectas celebrare non licet, excepta solemni post Matutinum, quae pertinet ad officium. Ut celebrari possint Missae lectae, nocturno tempore, requiritur specialis facultas Summi Pontificis, quae facultas eadem necessaria est ad Communionem nocte administrandam, ne solemni quidem officii Missa excepta.

necesse, munditiae debitae fient. Si noctis hora ad diluculum inclinaret, cantabitur Hora prima et secunda Missa.

29. Ad canendam Horam primam non sunt adhibenda paramenta, et intonabitur Hora a digniore in choro praesente, vel ab alio iuxta consuetudinem cuiusque ecclesiae. Celebrans cum Ministris morabuntur in sacrario ibique se parabunt.

30. Quod ad Celebrationem secundae Missae, servabitur quod superius traditum est de cantu ℣. *Incarnatus*. Si calix iam in Altari praeparatus erit, Subdiaconus post *Oremus* offertorii sine genuflexione conscendet suppedaneum et consistet a dexteris Diaconi.

31. Diaconus quum ascenderit ad dexteram Celebrantis, deteget calicem et aliquantum de medio removebit, relinquens ipsum super corporali, et patenam cum hostia tradet Celebranti. Idem calicem sinistra sustinens nec abstergens neque locans eum super Altare, infundet ipse vinum et Subdiaconus aquam ritu usitato. Diaconus calicem paullum agitabit, ut guttae in interno calice sparsae colligantur vino eodem: tradet illum Celebranti cumque ipso peraget oblationem.

32. Interea unus ex Acolythis ad Altare deferet velum humerale, quod imponet humeris Subdiaconi, atque hic accepta patena, servabit ritum pro Missis solemnibus statutum. Quod ad purificationem sive ad ablutionem digitorum, observabitur quod superius num. 19. huius capitis pro Missa prima traditum est.

33. Tertia Missa solemnis cantabitur hora convenienti post Tertiam regulis superius traditis pro cantu ℣. *Incarnatus* et pro offertorio. In hac Missa Celebrans purificationem et ablutionem sumet, ut in aliis Missis.

Romana. Dubii. Quum hodiernus Apostolicarum Caeremoniarum Praefectus in suo opere, cui titulus *Manuale Sacrarum Caeremoniarum lib. II. cap, XIV. § 7 pag. 32* variis opinionibus sepositis, proposuerit imaginem Divini Infantis Natalitio tempore super Altari expositam triplici ductu thurificandam esse, quumque a nonnulis huiusmodi ritus errore redarguatur, ad tollendas praesertim varietates, quae sine aliqua fidelium admiratione continuari nequeunt, hanc Sacram Congregationem

adivit humiliter postulans ut velit praefinire quid sit in casu agendum. Quapropter dubium proposuit: « *An sacra Imago Divini Infantis Natalitio tempore principe loco super Altari exposita sit post Crucem thurificanda triplici ductu, eodem prorsus modo, quo incensatur Crux cum imagine Crucifixi?* »

Eadem Sacra Congregatio, audita relatione ab infrascripto Secretario facta, nec non voto R. D. Laurentii Salvati Sanctae Fidei Promotoris Coadiutoris, re mature accurateque perpensa, rescribendum censuit *Affirmative*. Atque ita rescripsit et ubique locorum servari mandavit. Die 15 Februarii 1873.

DE FESTIS QUAE NATIVITATEM DOMINI SEQUUNTUR

CAPUT XV

1. Diebus sequentibus festum Nativitatis Redemptoris celebrantur alia festa, S. Stephani Protomartyris, S. Joannis Apostoli et Evangelistae ac sanctorum Innocentium Martyrum. Quamquam gaudeant ritu duplici secundae classis, tamen propter festum antecedens reputantur ut solemnia. Quocirca in apparatibus et in ornatu Ecclesiae, saltem quod ad duo priora, solemni more celebrabuntur, videlicet distinguentur plusquam alia festa secundae classis, observando praescriptionem in colore sacrorum paramentorum requisitam.

2. Postremo anni die celebratur festum S. Silvestri Pontificis et Confessoris de ritu duplici minore. Recensitum tamen est inter dies festos in Constitutione Urbani VIII. *Universa per orbem* . . . die XIII. Septembris 1642. ac si quando per indultum pontificium esset abrogatum, in choro et in functionibus ecclesiasticis servabitur ritus quo festi dies a diebus ferialibus distinguuntur (*a*).

(*a*) Ultimo anni die cantari vulgo solet *Te Deum* in gratiarum actionem Domino pro beneficiis anno vertente collatis. Kalendis Januariis cani solet hymnus *Veni creator spiritus* ad impetrandum a Domino novi

3. Eadem prima anni die celebratur festum Circumcisionis D. N. J. C. in quo nihil peculiare notandum occurrit, quod quum sit duplex secundae classis, relate ad apparatum et officium, observabitur quod pro celebratione festorum praescribitur.

DE FESTO EPIPHANIAE

CAPUT XVI.

1. Epiphaniae festum est maxime solemne propter mysteria quae in ipso commemorantur; ea sunt Gentium ad fidem vocatio in adoratione Regum, baptisma Christi in Jordane et primum ab ipso editum in nuptiis Canae prodigium.

2. In Vigilia non fit ieiunium, ideoque Missa cum paramentis albis cantabitur post Tertiam; neque Clerus genuflectet ad orationes, neque a Trisagio usque ad *Agnus Dei*, ut fit in aliis Vigiliis, in quibus ieiunium indictum est.

3. Quum igitur festum sit maxime solemne, ornabitur ecclesia ut in die Natali J. C.

4. Relate ad Vesperas solemnes nihil monendum occurrit; siquidem celebrabuntur ritu praescripto. (*a*)

anni faustum initium et processum. Quum hic sit pius devotionis usus, penes legitimum ecclesiasticum Superiorem erit decernere qua methodo extra functiones praescriptas peragendus sit. Non videtur probandus usus in quibusdam locis receptus, ut cantetur *Te Deum* tempore Missae solemnis ante orationem *Postcommunio*.

(*a*) Ritus benedictionis aquae in vigilia Epiphaniae, qui tantummodo proprius est ecclesiae orientalis, a Rituali Romano, cui arbitrarie additus fuerat, iussu Benedicti XIV. P. M. expunctus fuit. In indice librorum prohibitorum antiquato sub tit. *Lucatelli* legebatur: « Lucatelli Petrus. Con« iurationes potentissimae et efficaces ad expellendas et fugandas areas « potestates et benedictio aquae, quae sit, in vigilia Epiphaniae. 4. Dec. « 1725. » In pluribus ecclesiis tum civitatis, tum dioecesis Venetiarum adhuc servabatur. V. E. Iacobo Monico Patriarchae, qui supremum diem obiit die 25 Aprilis an. 1851. huius irregularis ritus extinctionem debemus.

Conferendus idem Benedictus XIV in opere de Canonizatione lib. 4 par. 2 cap. 20.

5. In Matutino servabitur ritus peculiaris huiusce diei, nempe incipietur sine *Domine labia mea* etc. sine *Deus in adiutorium*, sine invitatorio et hymno. In tertio nocturno ad psalmum *Venite exultemus*, omnis Clerus stabit capite nudato.

6. Ambo seu parvum pulpitum in Ecclesiis cathedralibus praeparabitur in presbyterio prope balaustrium seu cancellos ex latere Evangelii, et contegetur atque exornabitur panno serico, superque illud ponetur pulvillus albus cum Pontificali romano part. III, aperto ad signaculum publicationum festorum mobilium. Eidem Pontificali in commodum cantoris inseretur nota manu scripta ac latine dierum quibus praedicta festa celebrantur, exempli gratia » Die vigesima Februarii Dominica in Septuagesima « Dies Cinerum die nona Martii » Die vigesima quarta Aprilis, Pascha Resurrectionis « Die prima Junii Ascensio Domini » Festum Pentecostes die duodecima Junii » Festum sanctissimi Corporis Christi die vigesima tertia Junii « Die vigesima septima Novembris erit Dominica prima Adventus » ut cantor adiumento notae illius possit dies festos praedictos diligenter nunciare.

7. In sacrario praeter paramenta pro Missa solemni, praeparabitur etiam pluviale albi coloris pro cantore, qui festa mobilia publicaturus sit.

8. Missa solemnis celebrabitur ritu praestituto, et quum cantabitur Evangelium ad illa verba. *Et procidentes adoraverunt eum*, omnes genuflectent versus Diaconum canentem Evangelium, stantibus tantum Acolythis candelabra gestantibus et Subdiacono sustinente librum.

9. Post cantatam Epistolam, cantor delegatus publicationi festorum mobilium, qui tamen oportebit ut ordine Diaconatus constitutus sit, in sacrarium ibit ac supra superpelliceo, vel supra rocheto, si uti licebit, induet sibi pluviale albi coloris, iunctisque manibus et capite bireto cooperto, comitantibus duobus clericis, in chorum redibit paullo ante quam cantus Evangelii incipiatur.

10. Presbyterium ingressus, genuflectet ad Altare (vel si fuerit Canonicus et in sua Ecclesia reverentiam faciet) salutabit

Clerum, idque facient etiam duo clerici qui comitati eum fuerint. Consistet in presbyterio prope latus Evangelii, conversus ad Diaconum qui Evangelium cantabit.

11. Postquam Diaconus, completo Evangelii cantu, Celebrantem thurificaverit, cantor idem biretum tradet cuidam clericorum, qui comitati ipsum fuerint, ascendet in ambonem et stans publicabit festa mobilia qua formula a Pontificali praecipitur.

12. Celebrans eodem suo loco stabit, ut in cantu Evangelii, Diaconus in primo gradu a sinistris et eadem cum Celebrante linea, Subdiaconus autem ante infimum gradum a sinistris et in eadem linea Diaconi, omnes ad cantorem supradictum conversi. Acolythi, depositis in abaco candelabris, apud ipsum manebunt itemque thuriferarius. Clerus in choro stabit ad cantorem conversus.

13. Nunciationis praedictae canendae fine facto, cantor de ambone descendet et eodem modo, ac supra, redibit in sacrarium ubi sacra indumenta deponet.

14. Tum Celebrans ad Altare conversus intonabit *Credo* et Sacrum ritu usitato continuabitur.

15. Notetur quod publicatio festorum mobilium de iure pertinet ad Ecclesias cathedrales et ad Ecclesiam in unoquoque loco primariam.

DE DOMINICIS POST EPIPHANIAM

CAPUT XVII.

1. In Dominicis post Epiphaniam nihil est quod peculiariter animadvertendum sit. Officium peragetur eodem modo atque in aliis Dominicis et festis. Supervacaneum est monere, quod in sabbato praecedente Septuagesimam ad ℣. *Benedicamus Domino* in Vesperis, bis additur *Alleluia;* tum initio Horarum loco *Alleluia* dicitur *Laus tibi, Domine, Rex aeternae gloriae.*

DE DOMINICIS SEPTUAGESIMAE, SEXAGESIMAE ET QUINQUAGESIMAE

CAPUT XVIII.

1. A Dominica Septuagesimae initium ducit luctus Ecclesiae et omittitur cantus *Alleluia* usque ad Pascham, ut superius dictum est.

2. Color, quo Ecclesia utitur in paramentis et ornatu Altarium in hisce Dominicis, est violaceus. Ex Altari tollentur vasa florea, reliquiaria seu statuae Sanctorum. In Missa atque in officio sonabitur organis, et sacri Ministri induentur dalmatica ac tunicella.

IN FESTO PURIFICATIONIS B. M. V.

CAPUT XIX.

Res praeparandae.

1. Altare maximum, apud quod celebrabitur functio praeter tobaleas, instruetur pallio albi coloris, super quod imponetur aliud violaceum: in Altari ponentur candelabra cum candelis ex cera alba et Crux aequalis candelabrorum, quae distinctiora erunt quam quae diebus ferialibus adhibentur. Gradus Altaris tapeto decoro sternentur. In Altari e latere Epistolae ponetur legile seu cussinus violaceus cum Missali tegumento violaceo exornato pro functione.

2. Apud Altare ex eodem Epistolae latere praeparabitur parvus abacus alba tobalea coopertus, qui conspici possit a Celebrante: super ipso disponentur candelae albae benedicendae et Clero populoque distribuendae. Sacristae officium erit eas ita

disponere ut possint facile accipi ac sine mora, praesertim si in clero adessent Praelati, Canonici aut alii, quibus conveniret candela distincta. Candelae velo violaceo aut alba tobalea linea contegentur.

3. Non procul a latere Epistolae paratum erit pro Celebrante et Ministris solitum scamnum, cui praeter stragulum pro Missa solemni, superponetur alterum violaceum pro functione.

4. Abacus iis rebus omnibus, quae ad Missam solemnem opus sunt, instruetur, quemadmodum superius cap. IV. notatum est: in promptu etiam erit vasculum cum aqua benedicta et cum aspersorio; urceus cum malluvio ac mantile pro manuum ablutione Celebrantis post distributionem; aliquanta medulla panis in pelvicula eadem pro re: cussinus albi coloris et Missale cum tegumento simili pro Missa: tabellae seu chartegloriae in Altari pro Missa ponendae: abacus cooperietur amplo vero violaceo, ne res albi coloris ibi pro Missa praeparatae conspiciantur.

5. Apud abacum praeparabitur Crux in hasta adhibenda in processione.

6. In sacrario praeparabuntur in canistro planeta cum stola et manipulo, dalmatica cum stola et manipulo, tunicella cum manipulo pro Ministris et Celebrante, coloris albi, quae ad Altare afferentur, ut deinceps declarabitur. Si occurrat hac die altera ex Dominicis privilegiatis, paramenta praedicta erunt coloris violacei.

7. Loco solito in promptu erunt candelabra cum candelis gestanda ab Acolythis, pluviale cum stola violacea, duo planetae plicatae et stola diaconalis coloris violacei, tria cingula, tres albae, tres amictus ac tria bireta pro Celebrante et Ministris, praeter superpellicea pro inservientibus, atque ignis in foculo pro thuribulo. Nisi ecclesia fuerit ex praecipuis, Ministri sacri planetis plicatis non utentur.

8. Parati erunt etiam libelli, sive aliquot exemplaria Ritualis, quibus cantores utentur ad antiphonas in processione canendas.

9. Si candelae distribuentur populo in quodam sacello separato, evitandae confusionis caussa, praeparabitur stola viola-

cea cum superpelliceo pro Sacerdote qui distributionem exsequetur.

10. Eligentur etiam custodes, seu viri idonei qui perturbationem populi prohibeant; verum huiusmodi negotium nunquam dabitur militibus, multo minus apparitoribus.

In functione.

11. Functioni locus est post Horam tertiam in iis Ecclesiis, quae officium peragere tenentur. Si hoc festum in Dominicam inciderit, ante candelarum benedictionem, aspersio aquae benedictae fiet eodem ordine ac superius cap. IX. traditum est.

12. Hora praestituta clerici congregabuntur in sacrarium, induentur superpelliceo ac Ministri deinde et Celebrans se parabuntur ut cap. IV. num. 14. Celebrans, sumpta stola, induetur pluviali violaceo, et Ministri pro dalmatica et tunicella induentur planetis plicatis, si his uti licebit in ecclesia in qua fiet functio, secus ministrabunt alba tantum induti, et Diaconus stolam diaconalem super albam sibi imponet.

13. Praecedentibus Acolythis cum candelabris accensis, procedent ad Altare, ac Celebrans medius inter Ministros capite operto incedet, atque isti fimbrias pluvialis Celebrantis sustinebunt.

14. Si transeundum sit ante Altare SS. Sacramenti, vel ante aliud in quo expositae essent S. Reliquiae, observabitur quod cap. IV. num. 20. iam descriptum fuit.

15. In aditu chori etiam fiet quod eodem capite num. 21. relate ad reverentias peragendas traditum est.

16. Chorum intrantes, Ministri deposita bireta tradent Caeremoniario, Celebrans autem suum dabit Diacono, qui eidem transmittet Caeremoniario; hic autem ea ponet vel poni iubebit in scamno pro Celebrante et Ministris apparato.

17. Celebrans cum Ministris progressus ante Altare, reverentiam faciet ad Crucem, Ministri autem genuflexionem, qui tamen si fuerint Canonici et in sua Ecclesia ministraverint, hac vice nedum, sed etiam deinceps non genuflexionem facient ad Crucem, sed reverentiam.

18. Celebrans cum Ministris ascendet ad Altare, quod osculabitur in medio, et Ministri non genuflectent. Celebrans accedet ad Missale: Ministri stabunt a lateribus eius, non vero sustinentes fimbrias pluvialis: advertant autem ut passum unum stent post eum. Si in suppedaneo sufficiens locus deesset, Diaconus in primo gradu poterit consistere. Interim sacrista, vel Caeremoniarius discooperiet candelas benedicendas.

19. Celebrans iunctis manibus non conversus ad populum cantabit tono feriali *Dominus vobiscum* cum orationibus pro benedictione candelarum praescriptis: ad *Oremus* caput ad Crucem inclinabit.

20. Thuriferarius in promptu habebit thuribulum cum igne et sub finem quartae orationis a sinistris alterius clerici ferentis vasculum aquae benedictae cum aspergillo, veniet cum illo ante infimum gradum in cornu Epistolae.

21. Quum Celebrans benedicturus sit candelas, sinistram Altari imponet ac dextera Crucis signum versus candelas efficiet: Diaconus hoc tempore fimbriam dexteram pluvialis sustinebit.

22. Interea Sacrista ad Altare aderit traditurus candelas distributionis tempore.

23. Caeremoniarius vel alius quispiam efficiet, ut apud Altare adsit dignior Cleri, ad quem pertinebit candelam porrigere Celebranti, quique ordine sacerdotali insignitus sit oportet, nec stola uti debet.

24. Post quintam orationem ad Altare ascendet a latere thuriferarius. Diaconus attollet pluvialis Celebrantis fimbriam dexteram, quam tradet Subdiacono; hic autem accedet prope dexteram Celebrantis ad extremum suppedaneum: idem Diaconus naviculam accipiet et cochleare praesentabit Celebranti dicens *Benedicite, Pater Reverende*, et Celebrans accipiet incensum et iniiciet ipsum in thuribulum apertum, obiectum ei a thuriferario, dicens *Ab illo benedicaris etc.* tum benedictionis signum super illud faciet. Thuriferarius post benedictionem claudet thuribulum, recipiet naviculam et aliquantulum recedet ad dexteram Diaconi.

25. Ad Altare statim ascendet alter clericus cum vasculo et aspergillo, ac Diaconus acceptum aspergillum tradet Celebranti. Celebrans sumpto aspergillo asperget candelas in medio, ad sinistram et ad dexteram suam dicens submissa voce antiph. *Asperges me etc.* et aspersorium restituet Diacono, hic autem clerico praedicto. Postea thuriferarius thuribulum tradet Diacono, et hic Celebranti, qui nihil dicens candelas adolebit in medio, a sinistris et a dexteris suis, ac thuribulum restituet Diacono, a quo illud recipiet thuriferarius.

26. Subdiaconus dimittet fimbriam pluvialis Celebrantis quam hactenus sustinuerit et ad sinistram illius redibit.

27. Duo clerici cum thuribulo et cum vasculo redibunt ad abacum, ibique res illas deponent.

28. Sacrista accipiet candelam Celebrantis et alteram pro digniore Cleri.

29. Celebrans cum Ministris veniet ad medium Altare et convertetur versus gradus. Diaconus adstabit sinistrae ac Subdiaconus dexterae Celebrantis, et fimbriam dexteram pluvialis eius sustinebit.

30. Sacrista accedet ad Altare super gradus prope Diaconum cum candelis praedictis.

31. Caeremoniarius admonebit digniorem Cleri, qui sine stola, ut supra dictum est, approximabit ad medium Altare ante gradus ipsius, ibique reverentiam aut genuflexionem faciet: ascendet in gradum superiorem, et acceptam a Sacrista candelam osculabitur ac porriget Celebranti, quin eius manum osculetur.

32. Celebrans accipiet candelam, osculabitur ipsam ac tradet Diacono, qui ponet eam super Altare. Deinde idem dignior inter Clerum, nisi fuerit Canonicus aut Praesul, adgeniculatus in extremo suppedaneo accipiet a Celebrante candelam, quam osculabitur primum, deinde manum Celebrantis at si fuerit Praesul accipiet eam stans et candelam tantum osculabitur, si Canonicus, stans et ipse illam accipiet, sed candelam et Celebrantis manum pariter osculabitur. Postea de Altari descendet et cum debitis reverentiis vel cum genuflexione redibit ad locum suum. Candela danda digniori, tradetur Celebranti a Diacono.

33. Interim Acolythi sive alii clerici huic rei delegati sument ex abaco candelas reliquas pro Canonicis et Clero, easque ordine suo tradent Sacristae, qui dabit Diacono, hic autem Celebranti.

34. Distributio fiet ordine sequenti. Postquam Celebrans candelam digniori dederit, porriget singulas Praesulibus, si aderunt, deinde Ministris, qui simul descendentes in gradum superiorem ante Celebrantem, accipient eam seu stantes sive adgeniculati, ut superius de digniore docuimus, postea Canonicis. Ministri candelas suas tradent Caeremoniario vel Acolytho cuipiam, qui deponat super abacum, ut libere possint Celebranti ministrare. Si Ministri e Canonicorum coetu non essent, distribuentur candelae primum Canonicis deinde Ministris.

35. Quum Celebrans candelas praebebit Ministris Caeremoniarius ei pro Diacono ministrabit illas. Postea Celebrans candelas largietur Magistratui, si aderit, qui a Caeremoniario invitabitur ad Altare; deinde Beneficiariis seu Mansionariis, Cappellanis, clericis Seminarii ceterisque clericis et illis etiam qui Altari inservient; postremo fiet distributio populo, sed ad balaustrium, ubi tamen foeminae a viris dirimentur.

36. Dum Celebrans candelam suam accipiet, cantores inchoabunt cantum antiphonae *Lumen ad revelationem* etc. ut in Missali, quam prosequentur distributionis tempore.

37. Omnes de Clero bini ad candelam accipiendam procedent, ac si dispar numerus in aliquo coetu esset, ultimum par e tribus constabit.

38. In accessu et in recessu observari poterit ordo in Communione descriptus cap. V. n. 23. Posteaquam unusquisque ordo candelam acceperit, chorus considebit.

39. Si populo candelas distribuit non Celebrans, sed alius Sacerdos in alio sacello, superpellicio et stola violacea indutus, hic distributionem inchoabit statim ac incipiet eamdem peragere Celebrans, et curabit ut compleatur priusquam initium processionis fiat, praesertim si sacellum in quo distributio peragetur, proximum esset navi sive lateri ecclesiae, qua transitura sit processio.

40. Nisi adesset Sacerdos, qui candelam praesentet Celebranti, Diaconus eam imponet medio Altari: Celebrans ad Altare se convertet, genuflectet, candelam sumet, osculabitur et dabit Subdiacono, qui eam rursus deponet in Altari. Post haec se convertet ac distributionem exsequetur modo superius indicato.

41. Si Diaconus aut Subdiaconus essent Presbyteri, non licebit eis candelam tradere Celebranti, siquidem in ordine inferiori ministrant.

42. Aderunt duo vel plures clerici candelis Cleri accendendis delegati, qui tamen mature accendere incipient, ne retardetur processio. Item thuriferarius, ubi candelam acceperit, advertet animum ad praeparandum thuribulum in processione adhibendum.

43. Caeremoniarius vel Acolythus aliquis candelam Celebrantis ab Altari amovebit, ut accendere et tradere Diacono possit, ut deinceps, itemque in promptu habebit alteram pro Diacono ipso.

44. Sub finem distributionis Acolythi provideant ut in promptu sit pelvis cum urceo et mantile cum medulla panis si opus fuerit, ut ablutionem Celebranti, peracta distributione, ministrent.

45. Quum distributio absoluta erit, si Celebrans ad balaustrium sive cancellos descenderit, distribuendi caussa populo candelas, redibit ante Altare cum Ministris, reverentiam ibi faciet, et transibit in latus Epistolae apud abacum, ubi manus lavabit easque medulla panis, si opus fuerit, etiam mundabit. Sin ex Altari non descenderit, Acolythi ad Altare ascendent a latere cum pelvi, urceo et mantili, ac Celebrans stans in latere Epistolae eodem modo quo lavat manus in Missa, lavabit ac mundabit manus et mantili exterget. In hac actione Ministri pluviale illius elatum sustinebunt.

46. Manibus lotis, si Celebrans adstabit abaco, ascendet a latere ad Altare in cornu Epistolae et ad Missale consistet. Sin autem lavabit manus in latere Epistolae, manibus ablutis, convertetur ad Missale. Ministri adstabunt lateribus eius, ut in functionis initio.

47. Interea in choro accendentur a Clero candelae, ut su-

pra dictum est, a cantoribus canetur antiphona *Exurge Domine,* ut in Missali: chorus autem stabit.

48. Praesto erit thuriferarius cum thuribulo apud Altare.

49. Celebrans post cantatam praedictam antiphonam, conversus ad Missale iunctis manibus cantabit *Oremus* et orationem *Exaudi, quaesumus, Domine* etc. tono feriali.

50. Si festum hoc inciderit post Septuagesimam et dies ferialis fuerit, post *Oremus* Diaconus cantabit *Flectamus genua* omnesque genuflectent, excepto Celebrante, Subdiaconus cantabit *Levate,* tunc omnes consurgent ac Celebrans orationem, quam supra nominavimus, continuabit.

51. Thuriferarius post orationem ad Altare ascendet cum thuribulo et navicula. Celebrans stans in cornu Epistolae, ubi orationem praedictam cecinerit, convertetur ad thuriferarium, qui stabit in gradu superiori prope illum: Subdiaconus accedet ad dexteram Celebrantis et dexteram fimbriam pluvialis eius sustinebit. Diaconus accipiet naviculam et incensum ministrabit Celebranti, qui ponet illud in thuribulo cum benedictione.

52. Quum Celebrans incensum in thuribulum iniecerit ac benedixerit, thuriferarius, recepta navicula, descendet a latere de Altari et prope abacum consistet: Subdiaconus pariter a latere de Altari descendet et accedet ad abacum ibique Crucem processionalem accipiet, quam ei praesentabit Caeremoniarius vel clericus quispiam: Acolythi sument candelabra seque adiungent Subdiacono a lateribus: thuriferarius praeibit Cruci, eumque sequentur Subdiaconus cum Acolythis et simul procedent ad ingressum presbyterii: ibi Subdiaconus et Acolythi subsistent ad Altare conversi, thuriferarius autem se sistet post Subdiaconum, et ipse conversus ad Altare.

53. Interim Caeremoniarius Diacono dabit candelam accensam Celebrantis ac Diaconus eamdem candelam praesentabit Celebranti osculans manum eius: deinde candelam ipse suam Diaconus a Caeremoniario accipiet.

54. Ubi Crux, ut supra dictum est, ad ingressum presbyterii pervenerit et Clerus paratus erit ad proficiscendum in processionis ordinem, Diaconus ad populum convertetur et suo tono

cantabit *Procedamus in pace*: chorus respondebit *In nomine Christi. Amen.*

55. Acolythi ac thuriferarius ad Altare genuflectent, convertentur ad navem primariam ecclesiae, et initium processionis fiet quae ordinabitur sequenti ratione.

56. Thuriferarius: Subdiaconus Crucem gestans inter Acolythos cum candelabris accensis: cantores veste talari et superpellicio induti, qui cantabunt antiphonam *Adorna thalamum* etc. et reliquas deinceps, nec sustinebunt candelam accensam: clerici Seminarii; Beneficiarii seu Mansionarii: Canonici incedentes omnes bini, ac si quo in coetu ex supradictis dispar numerus esset, ultimum par constabit e tribus. Nisi Ecclesia sit collegiata aut cathedralis, sed numerosus sit Clerus, primi incedent iuniores, postremi ordine suo antiquiores. Candelam gestabunt dextera qui dextrorsum incedent, et sinistra qui sinistrorsum, altera manu biretum sustinebunt. Caeremoniarius, dum ordinabitur processio, in promptu habebit biretum Celebrantis et Diaconi; et quum Celebrans cum Diacono proficisci debeat, innuet eis ut descendant, qui de Altari postquam descenderint, genuflexionem vel reverentiam ibi conficient: Diaconus accipiet Celebrantis biretum eique tradet, deinde suum recipiet; idem processionem sequens adstabit Celebranti sinistrorsum, ac tum ipse tum Celebrans caput bireto cooperient.

57. Processio fiet per ecclesiam vel extra ipsam, iuxta morem loci ipsius. Si transibit ante Altare SS. Sacramenti, genuflectetur ab omnibus, excepto Subdiacono Crucem gestante. Illud notandum, quod si apud minora Altaria celebrentur Missae lectae, non est pulsanda campanula ad *Sanctus* neque ad elevationem, ne Clerus genuflectat neu processio abrumpatur. Si extra ecclesiam exibit, omnes bireto cooperient caput, exceptis Subdiacono, Acolythis, thuriferario et Caeremoniario. Si de ecclesia non egredietur, omnes capite nudato ibunt, excepto Celebrante et Diacono.

58. Ubi processio de Altari abscesserit, Sacrista cum clericis inservientibus cussinum album et Missale cum tegumento simili substituet violaceo, quod erat antea; reponet tabellas se-

cretarum, tollet pallium violaceum ex Altari, et album ibi relinquet; itidem abacum prope Altare positum, quo opus fuit pro benedictione candelarum et velum violaceum, quod tegebat abacum, amoveri iubebit, et poterunt etiam poni vasa florea, vel Reliquiaria inter candelabra: tapetum etiam seu stratum violaceum detrahetur scamno, in quo sedebit Celebrans cum Ministris, et super ipso ponentur paramenta albi coloris pro Celebrante et Ministris, quae in sacrario, ut supra dictum est, parata erunt in canistro.

59. Toto processionis tempore omnia aera campana festivo more pulsabuntur.

60. In reditu processionis ad ingressum ecclesiae, si exierit, vel in aditu presbyterii a cantorum choro cantabitur antiphona *Obtulerunt pro eo* etc.

61. Redeunte in presbyterium processione, thuriferarius, Subdiaconus et Acolythi venient ante Altare: thuriferarius et Acolythi genuflectent: thuriferarius perget ad renovandum ignem in thuribulo pro Missa, Acolythi pergent ad abacum ibique deponent candelabra, deinde praesto erunt apud abacum ut exuant ac rursus vestiant sacros Ministros. Subdiaconus Crucem deponet quo loco posita erat, vel tradet clerico qui referet ipsam eodem, et consistent apud abacum ut se addat Celebranti et Diacono. Ceteri de Clero in medio presbyterio genuflexionem vel reverentiam facient ad Crucem Altaris, iuxta gradum uniuscuiusque, et se salutantes ad invicem petent stallum quisque suum et candelam extinguent. Diaconus et Celebrans in aditu presbyterii nudabunt caput, et ante Altare progressi Celebrans reverentiam, Diaconus genuflexionem ad Crucem efficient, tum pergent ad scamnum sibi apparatum.

62. Ibi Diaconus relinquet in scamno biretum, tradet candelam suam Caeremoniario, et Celebrantis biretum et acceptam candelam eiusque manum osculatus, eidem transmittet Caeremoniario, qui utrasque in abaco deponi iubebit.

63. Celebrans adiuvante Caeremoniario, Ministri adiuvantibus Acolythis, dimittent paramenta violacea et alba sibi induent iam in ipso scamno praeparata. Paramenta violacea statim in sacrarium referentur a Sacrista eiusque clericis.

64. Chorus, dum Celebrans et Ministri parabuntur, considebit ac rursus consurget, quum e scamno discedent Sacrum inchoaturi.

65. Celebrans et Ministri albis paramentis induti, reverentiam ad chorum efficient, ut superius cap. IV. num. 22. procedent ad Altare et exordientur Missam ritibus eodem capite descriptis.

66. Qui clerici funguntur officio accendendi in choro candelas, accendent eas eodem modo ac supra notatum est pro cantu Evangelii, statim post Epistolam, et ipsorum alter candelam etiam Celebrantis accendet.

67. Quum Celebrans convertetur ad Diaconum canturum Evangelium, Caeremoniarius acceptam Celebrantis candelam tradet ei cum osculo manus, postquam ille se signaverit ad verba *Sequentia sancti Evangelii* etc. Idem Caeremoniarius eam ab ipso recipiet post cantatum Evangelium, extinguet eam et iubebit in abaco deponi. Clerus etiam in choro, cantato Evangelio, candelas extinguet.

68. Candelae in choro a clericis accendentur post thurificationem chori, ita ut initio praefationis omnes accensae sint usque ad Calicis sumptionem.

69. Si Missa erit de Dominica Sexagesimae vel Quinquagesimae, non tollentur ex Altari ornamenta violacea, sed a Sacrista tantum afferentur ad scamnum paramenta pro celebranda Missa, videlicet manipuli violacei, planeta, dalmatica, ac tunicella violacea. Hoc casu Celebrans et Ministri post processionem induentur paramentis praedictis, nec tempore Missae candelae accendentur, ut num, praecedenti traditum est.

70. Si Missa non de B. Virgine, sed de Patrono, de titulo aut Dedicatione fieret, non accendentur candelae tempore Missae, quae rationem nullam habet cum Redemptoris ad templum praesentatione.

71. Si forte in hac Missa Communio sit administranda Clero, quum communicandi e suo loco discedent ut genuflectant ad *Confiteor*, candelas extinguent et relinquent in scamno, in quo sederint.

IN FERIA IV CINERUM

CAPUT XX.

Quae sint praeparanda.

1. Altare maius, in quo functio celebranda est, instruetur pallio violaceo, tobaleis, tapeto violaceo super gradibus, et sex candelabris ex aurichalco cum candelis cerae albae, et Cruce simili candelabris. In Altari e latere Epistolae prope Missale aderit pelvicula argentea plena cinerum aridorum ex reliquiis palmarum et olivarum, quae in Dominica palmarum anni superioris benedictae fuerunt, qui cineres contegentur exiguo velo violaceo, vel operculo simili pelviculae argenteae: in eodem latere ponetur etiam Missale apertum tegumento violaceo exornatum et cussinus violaceus aut legile ad Missale sustinendum.

2. Apud latus Epistolae praeparabitur scamnum pro Celebrante et Ministris et tapeto panni violacei cooperietur. In hoc scamno disponentur manipuli violacei pro Ministris, planeta et manipulus similis pro Celebrante.

3. In abaco praeparabuntur ea omnia quae opus sunt ad Missam solemnem, et notatum est cap. IV. n. 5. et seq. insuper vasculum aquae benedictae cum aspersorio; urceus cum pelvi, mantile et aliquanta medulla panis in pelvicula pro ablutione manuum Celebrantis: tabellae secretarum ponendae in Altari pro Missa et stola latior pro Diacono, si Ministri utentur planetis plicatis.

4. In sacrario praeparabuntur paramento pro Celebrante et Ministris, idest pluviale cum stola violacea pro Celebrante, planetae plicatae pro Ministris, si eis licebit uti, stola pro Diacono, tria cingula, tres albae, tres amictus, ac tria bireta, superpellicea pro inservientibus et candelabra cum candelis pro Acolythis.

5. Si apud aliud Altare distribuerentur populo cineres ab

alio Sacerdote, praeparabitur stola violacea et superpelliceum pro ipso, et alia pelvicula in quo ponetur pars cinerum, qui benedicentur.

In functione.

6. In Ecclesiis quae peragere officium tenentur, haec functio incipietur post recitatam Horam nonam tum officii divini, tum de beata Virgine.

7. Hora constituta congregabuntur clerici in sacrarium, superpelliceum induent sibi et parabunt Celebrantem ac Ministros, ut cap. IV. num. 14. descriptum est. Celebrans circumdata collo stola, induetur pluviali violaceo, et Ministri loco dalmaticae ac tunicellae vestientur planetis plicatis violaceis, dummodo uti licebit in Ecclesia in qua facienda est functio, secus ministrabunt alba tantum induti, Diaconus autem stola diaconali albae superposita.

8. Praecedentibus Acolythis cum candelabris accensis, procedent ad Altare Celebrans et Ministri a lateribus eius, sustinentes fimbrias pluvialis, capite bireto cooperto.

9. Si transeundum sit ante Altare SS. Sacramenti observabitur quod cap. IV. num. 21 notatum est.

10. In aditu chori fiet etiam quod num. 22. eiusdem capitis relate ad reverentias peragendas monuimus.

11. Ministri chorum ingredientes deponent bireta et tradent Caeremoniario; Celebrantis biretum accipiet Diaconus cum osculis, et transmittet Caeremoniario, qui vel ipse ponet vel ponenda curabit in scamno Celebranti et Ministris praeparato.

12. Celebrans progressus cum Ministris ante Altare reverentiam faciet ad Crucem, Ministri genuflexionem, qui tamen si fuerint Canonici et in sua ecclesia ministraverint, et hac vice et deinceps reverentiam semper, non genuflexionem facient.

13. Celebrans cum Ministris ascendet ad Altare et osculabitur illud: Ministri non genuflectent. Celebrans accedet ad Missale: Ministri adstabunt lateribus eius passum fere unum post eum, nec fimbrias pluvialis sustinebunt. Diaconus stare poterit in primo gradu superiori si locus in suppedaneo non satis esset.

14. Caeremoniarius, ubi Celebrans ad Missale venerit, deteget cineres; Celebrans iunctis manibus et submissa voce leget ℣. *Exaudi nos, Domine* etc. Cantores eumdem versiculum cantabunt quo modo canitur introitus Missae; Clerus autem in choro, dum cantabitur, sedebit.

15. Cantu illo absoluto, consurget Clerus et Celebrans iunctis manibus ac tono feriali non conversus ad populum cantabit *Dominus vobiscum* et quatuor orationes: ad *Oremus* inclinabit caput ad Crucem: cineres benedicturus, sinistram imponet Altari, ac dextera signum Crucis versus cineres efficiet, atque in hac actione Diaconus eius fimbriam pluvialis dexteram sublevabit.

16. Initio secundae orationis thuriferarius praeparabit thuribulum cum igne et initio quartae aderit apud abacum; ibi se addet a sinistris clerico ferenti vasculum aquae benedictae cum aspersorio, et a latere ibunt ante infimum gradum in latus Epistolae.

17. Sub finem quartae orationis Caeremoniarius vel alius vice illius curabit ut apud Altare praesto sit dignior inter Clerum, qui in Sacerdotalem ordinem adscitus sit, ut cineres Celebranti imponat, neque stola uti debet id faciens.

18. Post quartam orationem thuriferarius a latere ascendet ad Altare: Diaconus attollet fimbriam dexteram pluvialis Celebrantis eamque tradet Subdiacono, qui accedet ad extremitatem suppedanei prope Celebrantis dexteram: Diaconus accipiet naviculam et Celebranti cochleare praesentabit, dicens *Benedicite, Pater Reverende,* Celebrans autem incensum accipiet et iniiciet in thuribulum apertum, sibi a thuriferario obiectum, dicens *Ab illo benedicaris* etc. tum signum benedictionis super illud faciet. Thuriferarius post benedictionem thuribulum claudet, recipiet naviculam et aliquanto recedet ad dexteram Diaconi.

19. Confestim ad Altare ascendet alter clericus cum vasculo et aspersorio, quod accipiet Diaconus et Celebranti tradet.

20. Celebrans aspersorio accepto, cineres asperget in medio, a sinistris et a dexteris suis, dicens submissa voce antiphonam

Asperges me etc. et restituet aspersorium Diacono, hic autem clerico a quo acceperit. Deinde thuriferarius tradet thuribulum Diacono, hic Celebranti, qui nullum proferens verbum, cineres adolebit in medio, a sinistris et a dexteris suis ac thuribulum restituet Diacono, qui rursus tradet thuriferario. Subdiaconus demittet pluvialis Celebrantis fimbriam dexteram, quam hucusque sustinuerit et ad sinistram eius redibit.

21. Duo clerici cum thuribulo et cum vasculo redibunt ad abacum, et in illo res eas deponent.

22. Celebrans cum Ministris veniet ad medium Altaris et versus ipsius gradus convertetur. Diaconus adstabit Celebranti a dexteris, Subdiaconus a sinistris et fimbrias pluvialis eius sustollent. Caeremoniarius sumptam pelviculam cum cineribus tradet Diacono.

23. Caeremoniarius invitabit digniorem Cleri, qui sine stola accedet ad Altare, ante gradus genuflexionem vel reverentiam faciet, ascendet in gradum superiorem et aliquantulum cinerem extremis digitis pollice, indice ac medio dexterae sumptum imponet in modum Crucis capiti Celebrantis, dicens *Memento, homo, quia pulvis es et in pulverem reverteris*. Celebrans accipiet cinerem capite inclinato. Deinde ipse dignior Cleri, nisi fuerit Canonicus, geniculabit ac flexis genibus accipiet cinerem a Celebrante, qui illi et reliquis omnibus illum imponet modo supradicto. Quod si fuerit Canonicus vel Praesul accipiet a Celebrante cinerem profunde inclinatus. Cinere accepto, de Altari descendet ac debita cum genuflexione aut reverentia ad locum suum redibit.

24. Cantorum chorus statim incipiet canere antiphonam *Immutemur habitu* etc. et reliquas, quas canere continuabit et repetere quoque si opus fuerit, dum cineres distribuentur.

25. Cinerum autem distributio fiet hoc ordine. Postquam Celebrans cinerem imposuerit digniori Cleri, imponet Praesulibus, si aderunt, deinde Ministris, qui simul descendent in gradum inferiorem ante Celebrantem, eumque accipient aut stantes aut adgeniculati, ut superius de digniore innuimus, postea Canonicis. Quum Ministri in gradum descendent accepturi cineres,

Caeremoniarius sustinebit Celebranti pelviculam, et absente Caeremoniario, Diaconus pelviculam ponet super Altare. Si Ministri non fuerint Canonici, dabitur cinis primo Canonicis, postea Ministris. Post hos dabitur Beneficiariis, seu Mansionariis, Cappellanis, clericis Seminarii ceterisque clericis, si aderunt, non exceptis iis qui Altari inservient; post totum Clerum dabitur Magistratui, si aderit, et a Caeremoniario ad Altare invitabitur; postremo autem populo, sed ad balaustrium, et faeminae a viris dirimentur.

26. Chorus considebit, quum unusquisque ipsius ordo cinerem acceperit.

27. Qui de Clero sunt, bini venient ad accipiendum cinerem, et si quo in coetu dispar esset numerus, ultimum par e tribus constabit.

28. In accessu et in recessu poterit servari ordo, in Communione descriptus cap. V. num. 23.

29. Si Celebrans populo non largietur cineres, sed alius Sacerdos in alio sacello huic rei delegatus erit, hic superpelliceo et stola violacea indutus incipiet distributionem simul ac eadem inchoabit Celebrans. Sacristae curae sit alia pelvicula accipere cineres a Celebrante benedictos ad hanc rem. Faeminis non est imponendus cinis super velum, sed supra capillos aut in fronte.

30. Si alter Sacerdos non adesset, qui cineres Celebranti imponeret, hic genibus flexis ad medium Altaris in suppedaneo versus Crucem, sibi ipse cineres imponet nihil dicens. Nec Diaconus neque Subdiaconus poterunt ei dare cineres etsi Sacerdotes, eo quod in ordine inferiori ministrant.

31. Sub finem distributionis Acolythi in promptu habebunt urceum cum pelvi, mantile et medullam panis pro Celebrantis manuum ablutione.

32. Distributione peracta, Celebrans lavabit manus eodem modo ac superius cap. XIX. num. 45. descriptum est.

33. Posteaquam Celebrans laverit manus, chorus consurget, ac Celebrans stans in cornu Epistolae ante Missale, adstantibus a lateribus Ministris, iunctis manibus, non conversus ad

populum ac tono feriali cantabit *Dominus vobiscum. Oremus. Concede nobis etc.*

34. Celebrans et Ministri eodem loco facta ad Crucem reverentia, descendent de Altari a latere et vadent ad scamnum, ubi adiuvantibus Acolythis et Caeremoniario, Celebrans deponet pluviale et induetur manipulo ac planeta, Ministri autem sibi manipulum imponet.

35. Interea clericus aliquis super Altare disponet tabellas secretarum.

36. Parati Celebrans et Ministri reverentiam facient ad chorum, quemadmodum superius traditum est cap. IV. n. 22: procedent ad Altare et Sacrum inchoabunt, quod quum sit feriale, servabitur ritus cap. VI. superius descriptus.

DE QUADRAGESIMA AC TEMPORE PASSIONIS

CAPVT XXI

1. Functio primi diei capite praecedenti descripta est.

2. Quadragesimae tempore ornamentum Altaris simplex erit, sine vasis floreis, sine Reliquiariis aut statuis Sanctorum. Color in paramentis sacris erit violaceus et in Missa temporis non sonabitur organis: sacri Ministri in Ecclesiis principalibus pro dalmatica et tunicella induentur planetis plicatis; in minoribus autem ministrabunt *in albis*.

3. A Sabbato ante primam Dominicam, toto Quadragesimae tempore, Vesperae recitabuntur vel canentur ante meridiem, seu post Nonam et Missam ferialem, exceptis Dominicis, in quibus recitabuntur vel canentur hora usitata.

4. In quarta Dominica appellata *Laetare* in sola Missa solemni abhibebitur color rosaceus, Ministri utentur dalmatica ac tunicella, poterunt disponi vasa florea ad Altaris ornamen-

tum et sonabitur organis. In reliquo officio observabuntur praescriptiones pro tempore Quadragesimae (a).

5. Festum Annunciationis B. Virginis eo quod rationem habet cum mysterio incarnationis Divini Redemptoris, est maxime solemne. In Missa Celebrans, Ministri et chorus geniculabunt dum cantabitur ℣ *Et incarnatus* etc. ut superius cap. XIV. num. 17.

6. Hoc festo in Dominicam incidente, referetur officium ad diem immediate sequentem, nisi impedietur alio officio ritus maioris, et genuflexio ad verba *Et incarnatus* fiet quo die celebrabitur officium.

7. Si quod celebrandum erit funus solemne sive anniversarium, assistente Clero, qui teneatur officium peragere in choro, post Nonam id fiet, nunquam vero post Vesperas.

8. In sabbato ante Dominicam Passionis Cruces et sacrae imagines velandae sunt ante Vesperas. Notandum autem quod velamina seu tegumenta sint coloris violacei, nec translucida, ita ut conspici possit imago aut Crux, licet velata. Simplicia esse debent, neque ulla figura intexta, ne Crux quidem et alia instrumenta Passionis depicta sint. Praecedenti die disponentur omnia, ut in praedicto sabbato post Missam feriae contegi possint imagines et Cruces. Id omnimode fiet saltem in Altari, in quo officium celebrandum erit.

9. Attendetur etiam ad qualitatem cantus tempore Passionis, ut sit non *figuratus*, sed *Gregorianus*, quemadmodum Caeremoniale praescribit.

10. Si quod festum in hoc tempus inciderit, non detegetur imago eius Sancti, de quo celebrandum festum sit; poterit utique exornari Altare candelabris nobilibus, sed sine statuis aut bustis Sanctorum interpositis, adhibere licebit paramenta nobilia, exponere Sancti Reliquias et horis praescriptis cantari Missa, Vesperae etc. Vide appendicem I. huius libri num. 5, 6.

(a) Inspiciatur quod in tertia Dominica Adventus cap. XII. num. 4. notatum est.

DE DOMINICA PALMARUM

CAPVT XXII

Quae sint praeparanda

1. Altare maius, in quo fiet functio, instruetur pallio violaceo, tobaleis, sex candelabris cum candelis albis et Cruce tecta velamine violaceo simili candelabris, quae non erunt nobilia, qualia adhibentur in solemnitatibus et festis praecipuis: candelabris non interponentur Reliquiaria nec vasa florea multo minus imagines Sanctorum. In Altari e latere Epistolae locabitur cussinus violaceus seu legile cum Misaali ornato tegumento violaceo. Gradus Altaris violaceo tapeto sternentur.

2. Apud Altare in latere Epistolae praeparabitur parvus abacus tobalea alba coopertus, in quo collocabuntur palmae et rami olivarum Clero et populo distribuendi. Palmae et rami ipsi contegentur alba tobalea, aut velo coloris violacei.

3. Abacus apparabitur loco usitato cum rebus pro Missa solemni descriptis, quibus adiungenda sunt stola latior pro Diacono, si Ministri planetis plicatis utentur, et vasculum aquae benedictae cum aspersorio, et adhiberi poterit idem quod in aspersione aquae benedictae: urceus cum pelvi et mantile pro lotione manuum Celebrantis post Palmarum distributionem: tabellae seu chartegloriae pro Missa in Altari disponendae.

4. Apud abacum vel in latere Evangelii ponetur Crux processionalis contecta velo violaceo, cui adnexae erunt chordulae eiusdem coloris, quibus alligari palma possit.

5. Scamnum Celebrantis et Ministrorum positum loco solito, contegetur tapeto panni violacei et in eo praeparabitur planeta ac manipulus pro Celebrante manipulique duo pro Ministris.

6. In sacrario praeparabuntur pro Celebrante et Ministris paramenta, videlicet pro Celebrante pluviale cum stola violacea, ciungulum, alba, amictus cum bireto; pro Ministris autem pla-

netae plicatae, si uti licebit, cingula albae, amictus et bireta; ac pro Diacono praeparabitur etiam stola violacea diaconalis: item superpellicea pro clericis inservientibus: candelabra cum candelis albis pro Acolythis.

7. Pro iis autem qui cantabunt Passionem aderunt stolae tres violaceae, tres manipuli similes, tria cingula, tres albae, tres amictus ac tria bireta, et liber continens Passionem in notis musicis, intructus tegumento violaceo (*a*).

8. Aderunt etiam libelli sive exemplaria aliquot Ritualis, quibus utendum erit cantoribus in processione.

9. Si palmae populo in aliquo sacello segregato distribuentur, praeparabitur stola violacea cum superpelliceo pro Sacerdote, qui distributionem exsequetur.

10. Eligentur custodes sive homines idonei, qui populi turbam prohibeant, sed ut in distributione candelarum monuimus, hoc negotium hominibus militaribus aut apparitoribus numquam committetur. Destinabitur etiam aliquis clericus ad aperiendam claudendamque tempestive portam ecclesiae, qui si opus fuerit, ab altero etiam adiuvabitur.

In functione

11. Functioni locus erit post Horam tertiam in illis Ecclesiis, quae officium exsequi tenentur.

12. Benedictio aquae fiet in sacristia, ut cap. VIII. ideoque praeparabitur vas cum aqua benedicenda; sal in pelvicula, mantile pro Celebrante, vasculum vacuum cum aspergillo et Missale seu Rituale pro benedictione peragenda.

13. Hora praestituta clerici congregabuntur in sacristiam, induentur superpellicio, et parabuntur Ministri ac Celebrans ut cap. IV. num. 14. Posteaquam Celebrans et Diaconus sibi stolam induerint, ac Subdiaconus sibi praecinxerit cingulum, benedicetur sal et aqua, ut eodem cap. VIII. Post benedictionem aquae Ministri planetas plicatas, Celebrans pluviale sibi imponet.

(*a*) Ne cui mirum forte videatur, si ad cantandam Passionem unum tantum librum praescripsimus praeparandum, ratio afferetur deinceps.

14. Praeeunte clerico seu thuriferario qui feret vasculum aquae benedictae cum aspersorio et Acolythis cum candelabris accensis, procedent ad Altare, Celebrans medius inter Ministros capite operto, Ministri hinc inde a lateribus eius fimbrias pluvialis sustinentes.

15. Si transeundum sit ante Altare SS. Sacramenti, observabitur quod eodem cap. IV. num. 21. notatum est.

16. Chorum ingredientes, relate ad reverentias, servabunt ea quae eodem cap. num. 22. praescripta sunt.

17. In aditu chori Ministri deponent bireta, quae tradent Caeremoniario, Celebrans suum dabit Diacono, qui Caeremoniario transmittet, atque hic ea ponet vel poni iubebit in scamno Celebrantis et Ministrorum.

18. Celebrans et Ministri ante Altare progressi congeniculabunt, et aspersio aquae sanctae fiet ut cit. cap. VIII. n. 14. et seq.

19. Sub finem aspersionis dum Celebrans cantabit orationem *Exaudi nos* etc. Acolythi sument manipulos Ministrorum, procedent ante Altare et consistent prope illos. Completa a Celebrante oratione, Acolythi statim et celeriter manipulos imponent Ministris, et facta postea genuflexione ad Altare, redibunt ad locum suum ante abacum.

20. Celebrans cum Ministris sine alia genuflexione aut reverentia ascendent ad Altare, quod Celebrans in medio osculabitur, Ministri autem non genuflectent.

21. Celebrans transibit ad Missale in cornu Epistolae: Ministri adstabunt lateribus eius, sed retro aliquantulum, nec fimbrias pluvialis sustinebunt. Diaconus poterit stare in gradu primo, si locus non satis esset in suppedaneo.

22. Quum Celebrans venerit in cornu Epistolae, Caeremoniarius vel sacrista deteget palmas benedicendas.

23. Cantores statim cantabunt antiphonam *Hosanna filio David*, quam Celebrans leget iunctis manibus, submissa voce nec signans se. Completo antiphonae cantu, Celebrans non conversus ad populum et iunctis manibus cantabit tono feriali *Dominus vobiscum*, deinde eodem modo orationem *Oremus*.

Deus, quem diligere etc. inclinationem tantum capitis versus Crucem efficiens ad *Oremus* tum in ista, tum in aliis orationibus sequentibus.

24. Initio praedictae orationis Subdiaconus conversus super sinistram suam, de Altari lateraliter descendet, subsistet in plano post Celebrantem, si planeta plicata usus fuerit, deponet eam, adiuvante Acolytho, et a Caeremoniario vel ab aliquo Acolytho Epistolarium accipiet: in fine orationis veniet in medium ante Altare, genuflectet ad Crucem et salutabit chorum, redibit post Celebrantem quo loco Epistola cantari solet, et lectionem cantabit Epistolae tono.

25. Celebrans legere poterit eamdem lectionem, unum ex responsoriis post lectionem, et loco eodem dicere poterit *Munda cor meum* ac legere Evangelium.

26. Subdiaconus post cantatam lectionem redibit ante Altare, genuflexionem ad Crucem et reverentiam ad chorum efficiet; ascendet ad Altare a latere, geniculabit ante Celebrantem, deosculabitur dexteram illius manum, quam ille imponet Epistolario, ab eoque nullum proferente verbum, benedictionem accipiet.

27. Subdiaconus de Altari descendet, Epistolarium deponet, resumet planetam plicatam, si licebit uti, et ad sinistram Celebrantis redibit.

28. Cantata a Subdiacono lectione, cantorum chorus canet unum ex responsoriis in Missali notatis.

29. Interea thuriferarius in promptu habebit thuribulum cum igne adhibendum in cantu Evangelii.

30. Subdiacono ad laevam Celebrantis reverso, Diaconus a latere de Altari descendet, perget ad abacum, deponet planetam plicatam, si utetur, et pro illa sibi induet stolam latiorem: a Caeremoniario vel ab Acolytho Evangeliarium accipiet et cum debitis choro reverentiis, ut in Missis solemnibus, deferet ad Altare et ante ipsum genuflectet; tum conscendet suppedaneum, librum ponet in medio Altari ac sine alia genuflexione veniet a latere ad dexteram Celebrantis.

31. Thuriferarius a latere ascendet ad Altare cum thuri-

bulo et navicula, quam tradet Diacono. Subdiaconus accedet ad dexteram Celebrantis, et fimbriam dexteram pluvialis eius attollet. Diaconus ministrabit incensum ac thuriferarius obiiciet Celebranti thuribulum, in quo ille ponet incensum cum solita formula *Ab illo benedicaris* etc. et cum benedictione.

32. Thure benedicto, thuriferarius recepta navicula, de Altari descendet et accedet ad abacum, ubi deponet naviculam et post eum coibunt cum ipso duo Acolythi candelabra accensa gestantes et in planum ante Altare procedent.

33. Subdiaconus conversus super dexteram suam descendet de Altari et ante infimum gradum Altaris consistet.

34. Diaconus veniet ad medium Altaris, geniculabit in extremo suppedaneo, dicet submissa voce *Munda cor meum* etc. assurget, accipiet Evangeliarium, cuius apertura ipsius latus sinistrum respiciet, convertetur ad Celebrantem geniculabit et ab ipso petet benedictionem. Dum geniculabit conversus ad Celebrantem, sinistrorsum habebit Altare.

35. Celebrans non abscedens a latere Epistolae, convertetur ad Diaconum, ideoque Altare habebit dextrorsum. Diaconus dicet *Iube, domne, benedicere,* Celebrans respondebit *Dominus sit* etc. ut in Missis solemnibus.

36. Diaconus accepta benedictione, descendet in planum ante Altare, se adiunget Subdiacono, Acolythis ac thuriferario, et facta ad Altare genuflexione, ad chorum hinc inde reverentia, procedet ad canendum Evangelium, qua in re observabuntur ea omnia, quae pro Missa solemni cap. IV. n. 109 et seq. descripta sunt.

37. Evangelio cantato, Subdiaconus, afferet librum osculandum Celebranti, qui dicet *Per evangelica dicta* etc. deinde Diaconus ipsum Celebrantem adolebit.

38. Thuriferarius perget ad deponendum thuribulum, itemque Acolythi candelabra in abaco reponent, ut in Missa solemni.

39. Celebrans postquam thurificatus erit, convertetur ad librum et expectabit donec ad se redeant Ministri. Hi vero non redibunt statim ad Celebrantem, sed pergent prius ad abacum ac deponent manipulos, Diaconus autem etiam stolam

latiorem, si usus fuerit, ac resumet planetam plicatam: ascendent a latere ad Altare atque ut initio functionis redibunt ad latera Celebrantis.

40. Celebrans, ubi Ministri redierint ad ipsius latera, tono feriali, iunctis manibus nec conversus ad populum, cantabit *Dominus vobiscum* et orationem *Oremus. Auge fidem* etc. Benedicturus seu Crucis signum facturus dextera super palmas locis a Missali indicatis, imponet sinistram Altari, et Diaconus in illa actione attollet eius fimbriam dexteram pluvialis; post orationem iuctis adhuc manibus ac tono feriali cantabit praefationem in Missali notatam, post quam paullulum inclinatus iunctisque manibus, submissa voce una cum Ministris recitabit Trisagium, quod a cantoribus notis ferialibus cantabitur.

41. Clerus in choro alternatim recitabit *Sanctus* ac tum Celebrans et Ministri, tum Clerus in choro se signabit ad *Benedictus qui venit* etc.

42. Postea Celebrans recitabit, ut supra, reliquas quinque orationes pro benedictione, cum animadversionibus superius notatis.

43. Quarta oratione thuriferarius praeparabit thuribulum cum igne et initio quintae adstabit a latere alteri clerico, qui feret vasculum aquae sanctae cum aspergillo ad latus Epistolae in planum. Clericus ferens aquam sanctam et aspergillum adstabit thuriferario dextrorsum.

44. Post quintam orationem ascendet a latere ad Altare thuriferarius. Diaconus elevabit fimbriam dexteram pluvialis Celebrantis, eamque tradet Subdiacono, qui accedet ad extremum suppedaneum prope ipsius Celebrantis dexteram: idem Diaconus ministrabit Celebranti incensum, quod is iniiciet in thuribulum cum usitata benedictione. Thuriferarius claudet thuribulum, naviculam a Diacono recipiet ac recedet paulum prope dexteram Diaconi. Ascendet ad Altare clericus alter cum aqua benedicta et tradet aspersorium Diacono, qui porriget Celebranti.

45. Accepto aspersorio, Celebrans asperget palmas in medio, a sinistris et a dextris suis, submissa voce recitans anti-

phonam *Asperges me* etc. et reddet aspersorium Diacono, hic clerico a quo acceperit. Postea thuriferarius dabit thuribulum Diacono et hic Celebranti, qui palmas adolebit in medio, a sinistris et a dextris suis et thuribulum restituet Diacono, qui rursus dabit thuriferario. Subdiaconus demittet fimbriam dexteram pluvialis, quam hactenus sustinuerit, et ad laevam illius redibit.

46. Duo clerici, alter thuribulum alter vasculum gestantes, revertentur ad abacum, in quo illa deponent.

47. Celebrans conversus ad Missale, iunctis manibus ac tono feriali cantabit *Dominus vobiscum. Oremus* et orationem *Deus, qui filium tuum* etc.

48. Hoc tempore Caeremoniarius vel alius vice illius efficiet, ut prope Altare praesto sit dignior Cleri, palmam Celebranti daturus, qui Sacerdotali ordine insignitus esse debet, neque in tali actione utetur stola.

49. Item apud Altare aderit Sacrista, qui palmas aut ramos olivarum tradet in distributione.

50. Post orationem quam indicavimus, Celebrans cum Ministris veniet ad medium Altaris et convertetur versus ipsius gradus. Diaconus adstabit a sinistris, Subdiaconus a dextris Celebrantis eiusque fimbriam dexteram pluvialis sustinebit.

51. Sacrista, sumpta Celebrantis et dignioris palma, accedet ad Altare super gradus prope Diaconum.

52. Innuente Caeremoniario, dignior inter Clerum, appropinquabit ad medium Altaris, reverentiam aut genuflexionem ad ipsum efficiet, ascendet in gradum superiorem et acceptam a Sacrista Celebrantis palmam osculabitur ac porriget Celebranti, manum eius non osculans. Celebrans palmam accipiet, osculabitur ac tradet Subdiacono, qui eam ponet in Altari.

53. Deinde ipse dignior Cleri, nisi hic fuerit Canonicus aut Praesul, genuflexus in extremo suppedaneo palmam a Celebrante accipiet, osculans prius palmam, deinde manum Celebrantis, ac si fuerit Praesul, accipiet eam stans et palmam tantum osculabitur; sin fuerit Canonicus accipiet stans quidem sed palmam, deinde manum Celebrantis osculabitur. Postea

de Altari descendet et cum debitis reverentiis, aut cum genuflexione redibit ad locum suum. Palma dignioris praesentabitur Celebranti a Diacono.

54. Interim Acolythi, vel alii clerici huic rei delegati sument ex abaco palmas pro Canonicis et reliquis de Clero, easque ordinatim porrigent Sacristae, qui tradet Diacono, hic autem Celebranti.

55. Distributio peragetur ordine sequenti. Postquam Celebrans palmam dederit digniori inter Clerum, dabit Praesulibus, si aderunt, deinde Ministris, qui simul descendent in gradum superiorem ante Celebrantem, eamque accipient vel stantes, vel genuflexi, quemadmodum superius de digniore notatum est, postea Canonicis. Ministri suam palmam tradent Caeremoniario, vel Acolytho, qui eas ponat in abaco, ut libere ipsi possint Celebranti ministrare. Si Ministri non essent Canonici, dabitur palma prius Canonicis, postea Ministris. Quum Celebrans palmas daturus erit Ministris, spectabit ad Caeremoniarium loco Diaconi porrigere illi palmas. Dabuntur deinceps Magistratui, si aderit, et a Caeremoniario invitabitur ad Altare; post Magistratum Beneficiariis seu Mansionariis, Cappellanis, clericis Seminarii, ceterisque clericis non exceptis illis qui Altari inservient, postremo dabuntur populo, sed ad balaustrium, ubi alter sexus ab altero separabitur.

56. Ubi Celebrans suam palmam accipiet, cantores incipient canere antiphonam *Pueri Hebraeorum* etc. deinde alteram, quam distributionis tempore continuabunt.

57. Chorus considebit, quum quisque eius ordo palmam acceperit.

58. Qui de Clero sunt, bini accedent ad accipiendas palmas, ac si quo in coetu dispar esset numerus, ultimi ibunt terni. In accessu et in recessu poterit servari ordo in Communione cap. V. descriptus.

59. Si Celebrans palmas populo non distribuet, sed Sacerdos alius in alio sacello, hic indutus superpellicio et stola violacea distributionem incipiet simul ac inchoabit Celebrans et dabit operam, ut absolvat priusquam initium processionis fiat,

praesertim si Sacellum, in quo distributionem faciet, proximum esset navi seu parti illi ecclesiae, qua ipsa processio transibit.

60. Nisi alius adesset Sacerdos, qui palmam Celebranti praesentaret, Diaconus palmam ponet in medio Altari: Celebrans convertetur ad Altare, genuflectet, palmam accipiet, osculabitur ac tradet Subdiacono, qui reponet eamdem in Altari, deinde conversus ad populum distributionem, ut dictum est, exsequetur.

61. Si Diaconus aut Subdiaconus essent Sacerdotes, non licebit ipsis dare palmam Celebranti, siquidem in ordine inferiori ministrant.

62. Quum distributio incepta erit, clericus aliquis in apice Crucis processionalis palmam deligabit.

63. Caeremoniarius vel unus ex Acolythis tollet de Altari palmam Celebrantis, ut possit eam dare Diacono, itemque Diaconi palmam in promptu habebit.

64. Sub finem distributionis mentem advertant Acolythi ad subministrandum urceum cum pelvi et mantile pro manuum lotione Celebrantis.

65. Celebrans manus lavabit quo modo superius in festo Purificationis cap. XIX num. 45. descriptum fuit.

66. Interea thuriferarius ignem praeparabit in thuribulo et cum ipso aderit apud abacum.

67. Postquam Celebrans manus laverit, Clerus in choro consurget et unusquisque illorum dextera sustinebit palmam.

68. Celebrans stans ante Missale, ut initio functionis, non conversus ad populum, iunctis manibus ac tono feriali cantabit *Dominus vobiscum,* deinde orationem *Oremus. Omnipotens sempiterne Deus* etc.

69. Post orationem thuriferarius ad Altare ascendet cum thuribulo et navicula. Celebrans eodem perstans loco, convertetur ad thuriferarium, qui constiterit in gradu superiori prope Celebrantem: Subdiaconus accedet ad dexteram Celebrantis et fimbriam pluvialis eius sustollet: Diaconus incensum ministrabit Celebranti, qui cum benedictione illud iniiciet in thuribulum.

70. Postquam Celebrans incensum in thuribulum iniecerit ac benedixerit, thuriferarius navicula recepta, descendet de Al-

tari a latere et iuxta abacum subsistet: Subdiaconus pariter a latere descendet, ac veniens ad abacum accipiet Crucem processionalem a Caeremoniario vel a clerico quodam: Acolythi, sumptis candelabris, coibunt cum Subdiacono a lateribus: thuriferarius praebit Cruci, eum sequetur Subdiaconus cum Acolythis, et proficiscentur simul prope aditum presbyterii: ibi consistent Subdiaconus cum Acolythis, et post Subdiaconum thuriferarius, omnes ad Altare conversi.

71. Interea Caeremoniarius Diacono dabit palmam Celebrantis: Diaconus eam tradet Celebranti deosculans manum eius; deinde ipse suam a Caeremoniario accipiet.

72. Ubi Crux ad presbyterii aditum venerit, et paratus erit Clerus ad proficiscendum in processionis ordinem, Diaconus ad populum conversus, suo tono cantabit *Procedamus in pace*; chorus respondebit *In nomine Christi. Amen.*

73. Acolythi ac thuriferarius ad Altare genuflectent, convertentur ad portam ecclesiae praecipuam et processionis initium fiet ordine sequenti:

74. Thuriferarius: Subdiaconus gestans Crucem, in cuius apice erit palma, medius inter Acolythos cum candelabris accensis: cantores veste talari et superpellicio induti, qui cantabunt antiphonam *Cum appropinquaret Dominus* etc. et alteram *Cum audisset* etc. nec manu palmam sustinebunt: Clerici Seminarii: Beneficiarii seu Mansionarii et Canonici, omnes incedentes bini, ac si quo in coetu dispar esset numerus, ultimum par e tribus constabit. Si Ecclesia non esset cathedralis aut collegiata, sed copiosus Cleri esset numerus, primi procedent iuniores, ultimi seniores. Qui dextrorsum ibunt, palmam gestabunt dextera, qui sinistrorsum, sinistra; altera manu biretum sustinebunt. Caeremoniarius, dum ordinabitur processio, in promptu habebit bireta Celebrantis et Diaconi: quum tempus erit, innuet Celebranti et Diacono ut de Altari descendant, iique ad pedes Altaris facient respective reverentiam aut genuflexionem: Diaconus Celebranti porriget acceptum a Caeremoniario biretum, deinde suum recipiet: sequentes processionem, Diaconus adstabit Celebranti et sinistrorsum, uterque caput bireto cooperiet.

75. Processio dirigetur extra ecclesiam. Si transeundum erit ante Altare SS. Sacramenti, fiet ab omnibus genuflexio, excepto Subdiacono gestante Crucem. Notandum etiam, quod si celebrentur Missae in Altaribus minoribus, non est pulsanda campanula ad *Sanctus* neque ad elevationem, ne Clerus cogatur genuflectere ac processionem abrumpere.

76. Processione ex ecclesia egrediente, omnes cooperient caput, exceptis Subdiacono, Acolythis, thuriferario et Caeremoniario. Processio sequetur partem dexteram portae ac redibit ante portam ipsam, quoad fieri poterit propter spatium plateae seu viae, quae principem ecclesiae portam prospectat. Antequam ex ecclesia exeant cantores, duo ex istis consistent apud portae interiorem partem.

77. Egressa processione, claudetur porta principalis ac duo cantores stantes intra, conversi erunt ad portam ipsam.

78. Processionis tempore pulsabuntur festivo more omnes ecclesiae campanae.

79. Interea Sacrista amoveri iubebit abacum prope Altare situm, in quo iacebant palmae, et poni in Altari tabellas secretarum, et in scamno Celebrantis ac Ministrorum praeparari pro Celebrante manipulum et planetam, pro Ministris manipulos.

80. In Processionis reditu ad portam ecclesiae, Subdiaconus consistet in limine cum Acolythis a lateribus, ac thuriferarius prope Acolythum primum: Clerus ordinabitur in duas alas iisdem lineis cum postibus portae, et in plures etiam ordines, si necesse fuerit: Celebrans cum Diacono subsistet in medio adversus portam.

81. Hoc vel alio modo, ut commodius videbitur, stante processione, duo cantores qui erunt intra ecclesiam, cantabunt ℣. *Gloria, laus et honor* etc. Cantores et Clerus qui erunt extra respondebunt canendo eumdem versiculum. Deinde duo cantores intra continuabunt canere alterum versiculum *Israel es tu* etc. Cantores et Clerus extra respondebunt *Gloria, laus et honor* etc. atque ita deinceps. Omnes praedicti versiculi vel pars illorum cantabitur, prout libebit.

82. Quum completa erit responsio a Clero extra ecclesiam

data, Subdiaconus partem imam portae extremitate inferiori hastae Crucis leviter pulsabit; aperta statim porta, redibit in Ecclesiam processio. In ingressu a cantoribus cantabitur antiphona seu responsorium *Ingrediente Domino* etc. neque adiicietur *Gloria Patri.*

83. In reditu processionis in presbyterium, thuriferarius, Subdiaconus et Acolythi procedent ante Altare: thuriferarius et Acolythi genuflectent: thuriferarius ibit ad renovandum pro Missa ignem in thuribulo; Acolythi pergent ad abacum et in eo candelabra deponent, postea consistent apud scamnum Celebrantis ut sacris Ministris inserviant; Subdiaconus Crucem suo loco reponet, vel eam tradet clerico qui referat eodem, et subsistet prope scamnum expectans ibi Celebrantem et Diaconum, quibus se adiungat. Reliqui de choro in medio presbyterio genuflexionem et reverentiam iuxta gradum quisque suum exsequentur, ac salutatione ad invicem facta redditaque, petet unusquisque stallum suum et in eo palmam deponent. Diaconus et Celebrans caput nudabunt in aditu presbyterii et progressi ante Altare facient Celebrans reverentiam, Diaconus genuflexionem, deinde ad scamnum sibi paratum procedent. Ibi Diaconus deponet biretum in scamno, palmam suam Caeremoniario committet, deinde Celebrantis palmam et biretum accipiet et Caeremoniario tradet, qui ea in abaco poni iubebit.

84. Celebrans, adiuvante Caeremoniario, pluviale dimittet sibique manipulum et planetam violaceam induet: Ministri autem, adiuvantibus Acolythis, manipulum suo brachio sinistro imponent.

85. Chorus, Celebrante et Ministris se parantibus, considebit ac rursus consurget, quum e scamno discedent Missam inchoaturi. Caveat autem unusquisque ne palmae insideat, quod valde indecorum esset, sed eam applicet directim postergali scamni seu stalli choralis.

86. Parati Celebrans et Ministri reverentiam ad chorum facient quo ordine notatum fuit cap. IV. num. 22. procedent ad Altare et exordientur Missam, quae celebrabitur ritibus eodem capite descriptis et cum variationibus pro Ministris, si utentur planetis plicatis, cap. VI num. 7. descriptis.

87. Haec insuper notanda, quod in Missa ad Confessionem omittitur psalmus *Iudica me Deus* etc. et una tantum oratio cantatur, omissis collectis a superiore praescriptis, vel etiam si esset aliqua commemoratio officii simplicis.

88. Celebrans legens Epistolam non genuflectet cum Diacono ad illa verba *Ut in nomine* etc. . . . *infernorum*. Quum vero Subdiaconus illa verba cantabit, unum tantum genu submittet cumque ipso genuflectent omnes in choro praesentes qui ad verba praedicta nudabunt caput, consurgent ac geniculabunt. Idem Subdiaconus post cantatam Epistolam et post genuflexionem et reverentias consuetas, veniet ad osculandam manum Celebrantis, ac nisi hic finierit legere Tractum, morabitur prope latus Epistolae apud Diaconum, tum deosculata manu Celebrantis, deponet Epistolarium, ac planetam plicatam, si usus fuerit, resumet.

89. Si cantus Tractus diutius protrahetur, Celebrans cum Ministris de Altari a latere descendens ad scamnum sessum ibit, methodo tradita cap. IV. num. 63. et seq.

90. Interea dum cantabitur Epistola, adiuvantibus tribus clericis huic rei delegatis, in sacrario tres cantores Passionis parabuntur amictu, alba, cingulo, manipulo et stola diaconali coloris violacei (*a*). Cantores praedicti esse debent saltem Diaconali ordine constituti, neque huic actioni supplere licet clericis, quum cantare Evangelium Diaconi sit. Debent esse omnino alii ac Celebrans et Ministri Altaris, licet uterque Minister esset Diaconus et Presbyter etiam, quandoquidem Celebrans nequit eodem tempore personam agere Diaconi et Celebrantis; Diaconus Celebranti ministrare debet; Subdiaconus autem non potest eodem tempore Diaconi et Subdiaconi officio fungi.

91. Sub finem Tractus, Celebrans et Ministri, si in scamno consederint, sine ulla ad chorum reverentia, ad Altare a latere redibunt. Caeremoniarius accipiet Celebrantis et Ministrorum

(*a*) Tres Diaconi cantores Passionis indui debent amictu, alba, cingulo, manipulo et stola diaconali coloris violacei. Abusio esset si stola etiam latiore uterentur, siquidem illa propria est Diaconi ad Altare ministrantis, cuius officium a cantorum Passionis officio differt.

palmas, atque ubi incipietur cantari Passio, incipiet et Celebrans legere illam. Diaconus palmam dabit Celebranti qui dextera eam sustinebit, Caeremoniarius dabit Diacono et Subdiacono, qui et ipsi dextera sustinebunt.

92. Diaconus et Subdiaconus adstabunt Celebranti, ut in introitu, donec leget Passionem.

93. Cantores Passionis exibunt e sacrario et aderunt in aditu presbyterii sub finem Tractus cantati. Praecedet Caeremoniarius, tum qui canit Textum; afferens pectori applicitum librum, cuius apertura versa sit ad sinistram, deinde Succentor sive, ut aiunt, cantor turbarum iunctis manibus, postremo qui Christi personam agit et ipse iunctis manibus, et caput bireto operiet (*a*). Sequentur eos tres clerici, qui simul incedent iunctis manibus.

(*a*) Super ritu cantandae Passionis ipsa verba Caeremonialis Episcoporum iuvat referre. « Tres qui Passionem cantaturi sunt, dum can- » tatur Epistola et Tractus, parantur amictu, alba, cingulo, manipulo et » stola ab humero sinistro pendente, coloris violacei, in Sacristia; et » circa finem Tractus procedunt a Sacristia hoc ordine. Antecedit Cae- » remoniarius, tum ille qui Evangelistae personam agit, portans sibi li- » brum, deinde qui turbarum, ultimo qui Christi, sequentibus tribus Cap- » pellanis cum cottis sine candelabris et sine incenso, et factis debitis » reverentiis . . . descendunt ad locum ubi cantant Passionem versus » cornu Evangelii, seu in pulpito, secundum consuetudinem Ecclesiarum. » Et Cappellani tres antedicti stant contra illos, quorum qui est medius » tenet librum, quem inter se mutuant aequali spatio, dum recitatur Pas- » sio, prout Caeremoniarius eos prius admonuit, et in ipso actu, cum » tempus est, eisdem significat nutu ». Ex hoc loco infertur tres cantores in eodem libro canere debere, ideoque regulare esse, quod Cantor praecipuus manu gestet librum. Qua ratione factum sit, ut in praxi tres libri adhibeantur, nos quidem latet, quum facilius et commodius videatur ex uno eodemque libro legere ad vitandas etiam hallucinationes, quae ex diversis editionibus oriri possent. Liber autem oporteret ut dedita opera manu scriptus aut typis excusus grandioribus literis esset, additis musicis notis. Quod ad usum legilis, est etiam perspicua Caeremonialis dispositio, quod scilicet liber sustineatur a Cappellanis, qui debent sibi vicissim succedere. Fortasse usus legilis receptus sensim est ex clericorum penuria vel impotentia ad hoc praestandum officium. Utcumque res se habeat, quum satis pateat Caeremonialis dispositio, supersedemus

94. In ingressu presbyterii caput nudabunt et biretum tradent Caeremoniario, qui apud partem dexteram ipsius aditus subsistet. Qui cantor portabit librum, medium locum obtinebit. Qui Christi personam agit adstabit dextrorsum, qui turbarum, sinistrorsum et sequentibus tribus clericis procedent simul ante Altare, genuflectent et chorum salutabunt primo ex parte Epistolae, deinde Evangelii.

95. Eodem et ordine et situ venient ad locum in quo canitur Evangelium: Cantor stabit medius, a dextris eius qui Christi, a sinistris qui turbarum partes sustinet. Cappellani adversus cantores ipsos consistent. Diaconus cantor librum gestans aperiet ac tradet eum suo cappellano, qui sustinebit apertum, et sic deinceps reliqui duo alternatim librum sustinebunt.

96. Cantor incipiet canere verba *Passio Domini nostri* etc. Chorus statim consurget, unusquisque, toto Passionis cantatae tempore non excepta ultima parte a Diacono ministrante canenda, palmam dextera sustinebit. Id etiam servabitur a cantoribus Passionis.

97. Ut Passio quae canitur bono adstantibus exemplo sit, necesse est ut antecedenter cantores inter se de hoc cantu conveniant, nec dissonae sint eorum diversae voces; necessarium magis est ut super notis praescriptis cantetur, neque ullum fiat notarum additamentum aut crispatio vocis seu frequentamentum aut arbitrarius depressus concentus et alia huiusmodi: quae praeterquam quod extra regulam essent, locum dare possent ineptiis, dissonantiis et risum etiam circumstantibus movere, quod functionem luctus moestitiae et gravitatis plenam maxime dedeceret. Multo autem peius esset si Passionis cantui iunge-

sententiam nostram hac super re proferre, neque aliud nobis licet quam proponere et ostendere quid sit iuxta leges ecclesiasticas faciendum.

Solet quibusdam mirum videri, quod Caeremoniale medium locum attribuat Diacono cantori, non illi Diacono qui Christi personam agit. Nobis quidem evidens ratio videtur, nempe quia Diaconus cantor maiorem aliis partem canere debet. Diaconus autem qui Christi partem agit, licet adstet cantori dextrorsum, tamen propius abest ab Altari, qui locus hac de caussa dignior videtur.

retur sonus organorum, cymbali, physarmonici aut aliorum instrumentorum, quod contra leges ecclesiasticas esset omnino.

98. Celebrans, ut superius dictum est, Passionem leget simul ac incipietur ipsa cantari; nonnihil morae interponet ad illa verba *emisit spiritum*, sed non geniculabit; perget deinde legere Passionem usque ad eam partem quae tono Evangelii cantabitur. Quum legere Passionem desierit, convertetur ad illius cantores, ut in cantu Evangelii: Diaconus eadem positione ac Celebrans stabit in gradu superiore et in eadem cum ipso linea et Subdiaconus in plano ante infimum gradum eadem cum Diacono linea. Tum Celebrans, tum Ministri palmam dextera sustinebunt.

99. Ad illa verba *emisit spiritum* Celebrans et Ministri eodem loco eademque positione, qua erunt, congeniculabunt: tres cantores in genua procumbent versus librum, ceteri omnes loco quisque suo, exceptis Cappellanis sustinentibus librum, qui perseverabunt stare. Assurgente Celebrante, consurgent etiam ceteri omnes et cantus Passionis continuabitur usque ad finem nempe ad eam partem quae a Diacono erit cantanda.

100. Quum cantores Passionem canere desierint, qui Evangelistae partem egerit, librum claudet ac secum referet ut in accessu ad Altare: tres cantores coibunt in medium chori ante Altare, videlicet Cantor medius inter alios duos, a dextra qui Christi, a laeva qui turbarum partes sustinuit et post ipsos clerici seu cappellani, genuflexionem, ad Altare, reverentiam ad chorum prius ex parte Evangelii, deinde Epistolae conficient. Praecedet Caeremoniarius, tum qui Evangelistae personam egit, deinde qui turbarum, postremo qui Christi, ac sequentibus tribus clericis seu cappellanis exibunt de choro: in aditu presbyterii recipient bireta et capite operto redibunt in sacrarium, ubi sacris vestibus exuentur. Clerus in choro, palmis depositis, considebit.

101. Ubi cantus Passionis completus erit, Caeremoniarius palmam Diaconi et Subdiaconi accipiet, easque in abaco poni iubebit. Celebrantis palmam accipiet Diaconus ac tradet Caeremoniario. Celebrans accedet ad medium Altare et recitabit *Mun-*

da cor meum etc. cum *Iube, Domine*, etc. Subdiaconus ascendet ad Altare, accipiet Missale cum cussino seu legili et deferet illud in cornu Evangelii. Diaconus descendet ad abacum, dimittet planetam plicatam, si utetur, sibi induet stolam latiorem et sumptum Evangeliarium ad Altare afferet ritu usitato.

102. Interea Celebrans ultimam Passionis partem non se signans leget, sed in fine ipsius Subdiaconus respondebit *Laus tibi, Christe*. Praesto erit etiam thuriferarius cum thuribulo.

103. Quum Celebrans legerit ultimam partem Passionis, redibit ad medium Altare et Diaconus ei ministrabit incensum quod ille ponet in thuribulo cum benedictione. Thuriferarius coibit cum Acolythis, qui procedent iunctis manibus, nam non gestabunt candelabra, et ante Altare subsistent: Subdiaconus ante Altare descendet: Diaconus recitabit *Munda cor meum*, accipiet librum, benedictionem a Celebrante petet et additus Subdiacono, Acolythis ac thuriferario, praemissis ad chorum reverentiis, procedet ad ultimam Passionis partem tono Evangelii cantandam: non tamen signabit librum nec seipsum, non dicet *Dominus vobiscum*, nec *Sequentia* etc. sed thurificato libro, incipiet statim canere *Altera autem die* etc.

104. Celebrans convertetur ad Diaconum et Caeremoniarius ei dabit palmam. Clerus consurget et palmam recipiet ad verba praedicta. Quum Diaconus canere desierit, Celebrans suam palmam tradet Caeremoniario; itemque Clerus in choro deponet palmam, quae manu amplius non sustinebitur ne ad elevationem quidem. Subdiaconus textum Evangelii osculandum afferet Celebranti, qui postea a Diacono thurificabitur.

105. Nulla autem in hac Missa solemni notanda variatio occurrit, nisi quod in ipsa legitur ultimum Evangelium s Joannis loco alterius in Missis lectis praescripti, quod in functione benedictionis palmarum cantatum est.

DE RELIQUIS MAIORIS HEBDOMADAE DIEBUS

CAPUT XXIII.

1. Nullus hisce diebus peculiaris sese offert ritus, de quo singillatim facienda sit mentio.

2. Altaris ornatus et reliqua omnia disponentur ut in Dominica praecedenti.

3. In feriis III. et IV. pro cantu Passionis servabitur methodus praescripta in Dominica Palmarum. In feria autem quarta cantabitur prima lectio a clerico superpellicio induto, ut superius cap. VI. num. 10. indicatum est.

4. Notandum autem quod a meridie feriae IV. usque ad completam functionem Sabbati sancti locus esse non potest expositioni SS. Sacramenti pro supplicationibus novendialibus, pro triduis aliisque functionibus huiusmodi.

5. Officium vero Superioris est providere ne quid pro functionibus sequentium dierum desit quod opus esse possit.

DE MATUTINO TENEBRARUM

CAPUT XXIV.

1. In feriis IV. V. et VI. maioris Hebdomadae, vespere cantatur Matutinum cum Laudibus, quod ante occasum solis complendum erit. Ad annunciandum Matutinum feriae IV. pulsabuntur ecclesiae campanae festivo more, non ita duobus subsequentibus diebus quibus campanarum sonus intermittitur. Si in Altari maiore servaretur SS. Sacramentum, transferetur in aliud sacellum sive Altare laterale.

Quae sint praeparanda

2. Altare maius exornabitur pallio violaceo, tobaleis et sex candelabris ex aurichalco cum candelis ex cera communi et Cruce simili cooperta velo violaceo. Super gradibus sternetur tapetum violaceum. In Matutino feriae V. vespertino tempore Altare erit omnino denudatum et aderunt tantum sex candelabra ex aurichalco aut ex aere cum candelis ex cera communi et Cruce cooperta velo nigro: vespertino autem tempore feriae VI. ad Matutinum, Altare ut in feria quinta erit dispositum, sed Crux erit detecta.

3. Quo loco Epistola cantari solet, statuetur candelabrum ligneum, in cuius culmine aptatum erit triangulum pariter ligneum, quod sustinebit quindecim candelas aequales ex cera communi: prope candelabrum aderit hasta cum extinctorio ad candelas extinguendas et seorsim praeparabitur scabellum seu brevis scala ut suo tempore possit tolli candela, quae in summitate erit (*a*). Si Altare esset orientale, seu versum ad populum, ut in basilicis, quae formam antiquam retinuerunt, praeparabitur etiam laterna grandis lignea ex toto clausa prope latus Epistolae Altaris, in qua condenda est candela accensa. Aderit et alia hasta pariter instructa extinctorio; qua candelae super Altari ardentes extingui possint.

4. In medio choro ponetur legile maioris formae sine ullo tegumento, sed imposito libro, qui contineat lamentationes cum notis musicis et lectiones in Matutino cantandas.

In functione

5. Si Clerus ecclesiae in qua facienda est functio, teneatur peragere officium, ante Matutinum recitabitur Completorium ritu in rubricis Breviarii Romani praescripto. Sin haec obligatio non erit, Completorium omittetur.

(*a*) Omnes candelabri trangularis candelae esse debent ex cera communi, etiam illa quae in culmine erit et accensa servabitur.

6. Innuente Caeremoniario, candelae Altaris et candelabri triangularis ab Acolythis accendentur, et Clerus in sacrarium congregatus signo campanulae vespere feriae IV. et signo crotali vespere feriae V. et VI. proficiscetur ad Altare maius ordine constituto cap. I. huius libri num. 4. et seq.

7. Statim ac suo quisque loco aderunt, congeniculabunt omnes et orationem recitabunt *Aperi, Domine, os nostrum* etc. deinde consurgent et stantes ac secreto recitabunt *Pater*, *Ave* et *Credo*. Caeremoniarius qui aderit prope superiorem sive digniorem Cleri, primum chori stallum occupantem, postquam dictum erit *Pater Ave*, et *Credo* innuet cantoribus, ut statim primam antiphonam primi nocturni cantare incipiant, post antiphonam duo ex illis eodem loco quo cantata erit antiphona, intonabunt primum psalmum.

8. Ad intonationem psalmi chorus considebit et caput bireto cooperiet.

9. Caeremoniarius signum faciet ad illam chori partem, ad quam spectabit continuare cantum psalmi; idque observabitur in illis praesertim ecclesiis, in quibus quum officium quotidianum non fiat, accidere forte posset in continuatione cantus psalmi aliqua hallucinatio.

10. In Psalmorum fine omittetur *Gloria Patri*, sed in ultimo aut penultimo verbo fiet quaedam inflexio vocis, vel producetur aliquanto cantilena.

11. Psalmo absoluto, statim assurget Acolythus extinguendis candelis delegatus, et veniens ad candelabrum triangulare extinguet candelam ultimam impositam extremitati trianguli versus partem Evangelii et ad suum locum redibit.

12. Post psalmum repetetur antiphona a cantoribus, qui pariter canendo adiicient secundam, deinde secundum psalmum intonabunt ut supra, atque hanc methodum deinceps sequentur pro reliquis antiphonis et psalmis.

13. In fine secundi psalmi Acolythus alteram extinguet candelam, quae sita erit in extremitate trianguli a latere Epistolae, in fine tertii extinguet penultimam versus latus Evangelii, in fine quarti penultimam a latere Epistolae, atque ita deinceps alternatim in fine uniuscuiusque psalmi.

14. Repetita a cantorum choro tertia antiphona, qui duo cantores intonabunt psalmos, cantabunt versiculum et chorus eis respondebit.

15. Chorus nudabit caput, consurget et secreto recitabitur *Pater noster* nec a superiore indicabitur.

16. Interea Caeremoniarius aut alius quisquam vice illius perget ad invitandum inclinatione capitis eum, qui canere primam lamentationem debebit, et comes illi addetur a sinistris simulque procedent ad legile in medio choro positum, et ibi genuflexionem ad Altare facient ac reverentiam ad chorum versus partem prius Evangelii, deinde Epistolae.

17. Chorus considebit et cantor incipiet lamentationem canere cantu praestituto, attendens quae superius monuimus cap. XXII. num. 97. pro cantoribus Passionis. Post lamentationes seu lectiones omittetur *Tu autem Domine* etc. iterata autem ad Altare genuflexione et ad chorum reverentia, redibit cantor ad locum suum, ubi salutabit Caeremoniarium, qui comitatus fuerit, ac sedebit.

18. Absoluto primae lamentationis cantu, chorus cantorum primum responsorium cantabit, et sub ipsius finem Caeremoniarius invitabit secundae lamentationis cantorem, et prorsus ut in prima omnia peragentur, idque observabitur in tertia et in lectionibus secundi et tertii nocturni.

19. Post cantum noni responsorii chorus perget sedere et chorus cantorum cantabit primam antiphonam Laudum, tum intonabitur psalmus *Miserere*, quemadmodum de primo psalmo primi nocturni traditum est, et Laudum cantus continuabitur.

20. Repetita in notis quinta Laudum antiphona, duo praedicti cantores cantabunt versiculum et chorus interea sedebit, tum a cantorum choro cantabitur antiphona ante *Benedictus*, choro adhuc sedente.

21. Ad intonationem cantici *Benedictus* Clerus in choro consurget seque signabit. Ad versiculum *Ut sine timore* etc. qui clericus candelas extinxerit candelabri triangularis, sumet hastam longiorem et candelas Altaris extinguet, singulas nempe singulis versiculis, a praedicto incipiendo; easque extinguet

eodem ordine quo candelas extinxit candelabri triangularis, videlicet ultimam ex angulo Evangelii, tum ultimam ex angulo Epistolae, deinde penultimam ex angulo Evangelii, et penultimam ex angulo Epistolae, postea illam quae adstat Cruci e latere Evangelii, postremo alteram Cruci adstantem ex latere Epistolae.

22. Vespere feriae IV. dum cantabitur canticum praedictum, unus vel duo clerici extinguet omnia lumina in ecclesia ardentia, exceptis lampadis quae apud Altare SS. Sacramenti ardebunt (*a*).

23. Cantato cantico *Benedictus* cum inflexione vocis in fine ultimi versiculi, Clerus considebit et cantores repetent canendo antiphonam.

24. Interea dum antiphona repetetur, Acolythus sive clericus qui candelas Altaris extinxerit, deposita hasta qua extinxerit cereos, admovebit, si opus fuerit, scabellum ad candelabrum triangulare, tollet e summitate illius ultimam candelam accensam, veniet ad Altare eamque sustinebit in latere seu cornu Epistolae. Absoluto autem cantu praedictae antiphonae, candelam adhuc accensam abscondet post Altare, vel in laterna praeparata, ut superius dictum est.

25. Amoto lumine, incipietur cantari antiphona *Christus factus est* etc. et universi congeniculabunt. Deinde secreto recitabitur *Pater noster* ac post ipsum modulata et flebili voce cantabitur *Miserere* alternatim a choro, vel defectu vocum concentum facientium, recitabitur commode et submissa voce.

26. Superior eodem vocis tono, non dicens *Dominus vobiscum* neque *Oremus*, recitabit orationem *Respice, quaesumus, Domine* etc. usque ad conclusionem *Qui tecum* etc. quam dicet secreto.

27. Oratione completa, Caeremoniarius manu pulsabit scamnum vel librum, et ceteri omnes paullum fragoris facient, sta-

(*a*) Lampadae, quae extinctae sunt sub finem Matutini feriae IV, non sunt amplius accendendae usque ad functionem Sabbati sancti, exceptis illis tantum, quae ardent ante Altare, in quo SS. Sacramentum asservatur.

timque cessabunt quum clericus, qui candelam accensam abscondebat, rursus eam ostendet.

28. Candela accensa monstrata, statim omnes consugent et quo ordine in chorum venerunt, eodem in sacrarium redibunt Candela praedicta ab acolytho extinguetur et in sacrarium referetur.

29. Postquam Clerus e choro excesserit amovebitur candelabrum triangulare e loco, quo positum erat, et referetur in sacrarium aut in cubiculum contiguum, ne impedimento sit functionibus matutinis temporibus, quae sequuntur, peragendis.

FERIA V. IN COENA DOMINI

CAPUT XXV.

Quae sint praeparanda

1. Altare maius exornabitur festive candelabris nobilibus sex numero cum candelis albis et Cruce simili candelabris, contecta velo albi coloris. Praeter tres tobaleas, quae tali modo sternentur super Altare, ut facile inde tolli possint, apponetur pallium album, facile et ipsum amovendum, et super gradibus nobile tapetum. In Altari aderit legile seu cussinus albus ac Missale tegumento albo instructum ac tabellae secretarum seu chartegloriae. Si in choro Altaris maioris recitabuntur Horae minores ante Missam, velo albi coloris Crucis superponetur velum violaceum, tollendum ante Missam, itemque pallio albo superponetur alterum violaceum ante Missam et ipsum tollendum.

2. Scamnum Celebrantis et Ministrorum contegetur tapeto vel panno serico albi coloris, ac super abaco alba tobalea cooperto, praeter ea quae notata sunt pro Missis solemnibus, ponetur calix cum patena, palla, velo exiguo serici albi, quod totum calicem contegat et vitta sericea alba, qua velum ipsum calici alligari possit: super patena adhibenda in Missa aderunt

binae hostiae maiores, altera pro Missa, altera servanda in calice praedicto: pixis operculata et particulae pro Communione Cleri et populi quoque, si ecclesia erit paroecialis; tobalea linea in Communione ad Altare adhibenda: vasa vitrea cum vino et aqua et mantilia pro purificatione communicandorum, si mos erit; stolae albi coloris numero sufficienti adhibendae in Communione Sacerdotum; schedulae populo in Communione distribuendae, si ecclesia erit paroecialis; velum humerale nobile pro Celebrante; pluviale pro eodem; intorticia vel candelae a Clero in processione gestandae ac duo thuribula cum naviculis pariter in processione adhibenda.

3. Juxta abacum ponetur Crux processionalis velo violaceo contecta.

4. Prope aditum presbyterii parieti applicitum aderit umbraculum album hastile.

5. Si populo administrabitur Communio, ponentur in balaustrio tobaleae.

6. Apparabitur sacellum, in quo exponetur Sacramentum (*a*) et eius Altare exornabitur sufficienti numero candelabrorum

(*a*) Feria V. in coena Domini recurrit memoria institutionis SS. Eucharistiae. Quum propter officia lugubria non liceat solemniter hac die celebrare huius institutionis festum, exponitur SS. Sacramentum in sacello laterali, ut fideles ipsum venerentur et adorent cum gratiarum actione pro singulari accepto beneficio. Quapropter perperam haec expositio appellatur *Sepulcrum*, quandoquidem in Sacramento Eucharistiae Christus Dominus est vivus et impassibilis. Commemoratio mortis Redemptoris nostri ab Ecclesia postridie celebratur, qua quidem die ipsa abstinet Sacrificio, Crucem adorat et a sacris templis removet Sacramentum. Hac igitur de caussa Sacellum in quo expositio SS. Sacramenti fiet, festivo more parabitur cum luminum copia, cum floribus aliisque ornamentis quae solemnitatem praeseferant, neque locus omnino esse potest pannis nigris aut luctuosis aliisque signis quae solemnitatem hanc dedeceant. Immo nullatenus probandus est usus in quibusdam ecclesiis receptus, exponendi contra regulam imaginem Christi vita functi subtus Altare, ut hac re significetur sepulcrum, siquidem toto Passionis tempore imagines velo contectae sunt, et insuper in hac expositione nihil minus spectatur quam Christi sepulcrum. Eadem ratione improbanda est consuetudo hinc inde apponendi imagines Angelorum deflentium habitu et

cum candelis albis, in media illius parte aderit urna, in qua condetur Sacramentum, cum palla vel corporali intra ipsam cumque clavicula in ostiolo; id porro cavendum, ne, quum urna clausa erit, appareat ex ulla parte calix intus inclusus: praeterea tobaleae super Altare, pallium album et tapetum super gradus aptabitur. Poterit etiam exornari Altare et sacellum vasis cum floribus virescentibus et fictis. Caveatur etiam ne quid ornamenti sit quod luctum significet; sed omnia laetitiam ostendant.

7. Cetera Altaria instructa adhuc erunt Cruce velata, candelabris cum candelis, ac tobaleis quae facile tolli possint. Sed nullae in ipsis ardebunt lampadae nisi in Altari in quo recondetur SS. Sacramentum.

8. Si ecclesia fuerit paroecialis, ponentur tobaleae super balaustrio et conopeum violaceum imponetur tabernaculo Altaris, in quo asservabitur SS. Sacramentum.

9. In sacrario praeter paramenta albi coloris pro Missa, ut in aliis Missis solemnibus, in promptu erunt binae stolae violaceae, altera pro Celebrante pro Diacono altera, quibus utentur in denudatione Altarium, ac tunicella albi coloris cum cingulo, alba et amictu pro Subdiacono, qui Crucem in processione gestaturus erit.

10. Praeterea in eodem sacrario praeparabitur locus remotus, ubi decenter reponi possit SS. Sacramentum pro infirmis, videlicet aderit tabernaculum cum corporali vel palla intra ipsum, clavicula claudendum, super Altari vel etiam tabula cooperta alba tobalea, quatuor candelabra cum candelis et lampadae. In promptu etiam erit parvum umbraculum album, duo intorticia, velum humerale album, stola alba, superpelliceum, claviculae tabernaculorum et corporale, ut debito tempore fieri

instrumenta Passionis sustinentium, et alia eiusmodi, quum haec abhorreant a mente et fine quem sibi in tali occasione Ecclesia proposuit. Quod siquis requireret quam ob rem SS. Sacramentum exponatur inclusum, non sub aspectum oculorum in Ostensorio, respondetur illud esse veteris ritus vestigium, etenim expositio patens SS. Sacramenti non est valde antiquae institutionis.

possit SS. Sacramenti in sacrarium translatio, ut suo loco notabitur.

In functione

11. Hora praestituta, omnium campanarum sono congregabitur Clerus in sacrarium, et accensis candelis Altaris ibit in chorum et Horas minores recitabit. Ordo ad chorum procedendi cap. I. huius libri n. 4. et seq. iam est descriptus. Illuc quum venerit, unusquisque suo loco geniculabit ei dicet *Aperi Domine* etc. Stans autem et secreto recitabit *Pater*, *Ave et Credo*. Tum innuente Superiore, cantor destinatus, qui suo loco stabit, incipiet psalmum *Deus in nomine tuo* etc. et a choro alternatim continuabitur sed submissa voce, itemque reliqui psalmi: initio primi psalmi chorus considebit: post tres psalmos universi nudabunt caput, consurgent, geniculabunt, et antiphonam recitabunt *Chistus factus est* etc. Deinde *Pater noster* secreto et *Miserere* submississima voce; absoluto psalmo *Miserere*, Superior pariter submissa voce nec praemittens *Oremus* recitabit orationem *Respice, quaesumus, Domine*, etc. cum conclusione secreta. Chorus consurget, recitabit secreto *Pater* et *Ave* et incipietur psalmus *Legem pone* Hora tertia, atque ita deinceps fiet ad Sextam et Nonam, observando quiquid pro Hora prima innutum est.

12. Recitatis Horis minoribus, tolletur velum violaceum de Cruce, in qua supererit alterum albi coloris; item ab Altari amovebitur pallium violaceum et apparebit alterum albi coloris.

13. Dum in choro recitabuntur Horae minores, in sacrario Celebrans et Ministri induentur paramentis albi coloris.

14. Post recitatas Horas minores exibit e sacrario Celebrans cum Ministris et fient illa omnia quae praescripta sunt in aliis Missis solemnibus, ut cap. IV. notatum est. Sonabitur organis quum Celebrans et Ministri e sacrario egredientur.

15. In confessione omittitur psalmus *Iudica me Deus* nec dicitur *Gloria Patri* in introitu.

16. Ad intonationem hymni *Gloria in excelsis* pulsabuntur festivo more campanae, quibus amplius non sonabitur usque ad

intonationem eiusdem hymni in Missa Sabbati sancti: sic etiam aliquandiu sonabunt campanulae quae aderunt in ecclesia neque ipsae amplius usque ad Missam Sabbati sancti, ut supra, pulsabuntur. Organis autem sonabitur dum totus hymnus *Gloria* cantabitur, et ipsa, ut campanae, usque ad Missam Sabbati sancti tacebunt.

17. In Missa una tantum oratio recitabitur. Pro Communione Cleri observabitur quod superius cap. V. declaratum est. Celebrans ponens post offertorium Hostias iam oblatas in corporali, meminerit ex una parte corporalis eiusdem seponere Hostiam, quae intra Calicem reponenda erit, si minoris esset mensurae, ne difficile sit eam ibi reponere.

18. In fine psalmi *Lavabo* Celebrans omittet *Gloria Patri*. Ad *Sanctus* et ad elevationem non pulsabitur campanula (*a*). Clerici sustinentes intorticia perstabunt genibus flexis etiam post elevationem, quoniam administranda erit Communio. Recitabitur et cantabitur *Agnus Dei*, sed pax non dabitur, ideoque postquam Diaconus et Subdiaconus cum Celebrante recitaverint *Agnus Dei*, genuflectent ad Sacramentum, Diaconus transibit ad laevam, et Subdiaconus ad dexteram Celebrantis ubi remanebunt pro suo ministerio.

19. Duo clerici eligentur ad tradendas stolas Sacerdotibus, qui de sacra mensa participabunt. Clerici illi post *Agnus Dei* discedent de loco suo, genuflectent simul in medio ad Sacramentum, venient ad abacum, accipient stolas ibi praeparatas, redibunt in medium chorum ante Altare, iterabunt genuflexionem ad Sacramentum, dirimentur ac pergent in chorum alter in latus Evangelii, alter Epistolae et stolas tradent Sacerdotibus. Si stolae numero satis non essent pro numero Sacerdotum, clerici praedicti paullo ante quam Diaconus cantet *Confiteor*, sument ex abaco stolas, consistent a lateribus Altaris easque tradent Sacerdotibus ad Altare accedentibus ut communicent, a quibus post Communionem eas recipient et reliquis communi-

(*a*) Quod ad ritum attinet quatiendi crotalum ad *Sanctus* et ad elevationem, de quo disputatur a Clericato, Merati aliisque, monebimus id neque a rubrica Missalis nec Caeremoniali Episcoporum praescribi.

candis dabunt. Aderunt bini alii clerici, qui genuflexi in gradu superiore Altaris a lateribus, tobaleam communicandis sustinebunt. Eligentur etiam quidam ex clericis, qui purificationem, si fieri soleat, comunicatis administrent.

20. Dum Celebrans dicet *Domine, non sum dignus*, Caeremoniarius ex abaco accipiet alterum calicem cum patena, palla, velo albo et vitta, afferet ad Altare ibique ponet in latere Epistolae.

21. Postquam Celebrans Calicem consummaverit, ipsum palla cooperiet Subdiaconus: Diaconus et Subdiaconus genuflectent ad Sacramentum et locum mutabunt, nempe Diaconus ad dexteram, Subdiaconus ad laevam Celebrantis transibit. Caeremoniarius alterum calicem vacuum ponet iuxta corporale. Celebrans cum Ministris genuflectet.

22. Celebrans accipiet Hostiam maiorem, quae ex una parte corporalis aderit, eamque ponet in Calice, quem ei sustinebit Diaconus intra corporale, animum advertens ad eam ponendam leniter nec vim adhibendam, ne forte frangatur. Diaconus quin Calicem cum Sacramento a corporali amoveat, imponet calici pallam, deinde patenam inversam super pallam, seu quod idem est, concavam patenae partem super calicem, et velum album supra extendet: Celebrans dexteram seu digitum medium et annularem imponet velo et patenae, ac Diaconus adstringens velum circa pedem cohibebit ipsum supra nodum calicis.

23. Composito tali modo calice, Celebrans dexteram retrahet ad ipso, et Diaconus eumdem ponet in medio corporali versus Crucem, calicem vero Missae versus cornu Evangelii, sed intra limites corporalis; tum accipiet pixidem cum particulis, eamque ponet ante Calicem velo contectum, in quo conditum erit Sacramentum eique detrahet operculum.

24. Ministri genuflectent ad Sacramentum et descendent in gradum superiorem Altaris uterque ex ea parte in qua erit, nempe Diaconus ex parte Epistolae Subdiaconus ex parte Evangelii. Diaconus inclinatus cantabit *Confiteor* pro Communione, quae peragetur ritibus cap. V. num. 6. et seq. descriptis.

25. Celebrans antequam sumat purificationem, animum ad-

vertet ad fragmenta patena colligenda eo loco quo erat s. Hostia, quae clausa erit intra calicem.

26. Post Communionem clerici intorticia sustinentes consurgent, et facta genuflexione ad Sacramentum tantummodo, ad intorticia deponenda discedent.

27. Celebrans ablutionem accipiet super Altari sed extra corporale, sine genuflexione et perstans in medio, paullum tantum conversus ad latus Epistolae.

28. Clerus in choro non considebit post Communionem, ut ratio habeatur SS. Sacramenti in Altari expositi.

29. Post haec Ministri, quin genuflectant a lateribus Celebrantis, locum mutabunt, ut in aliis Missis, sed genuflectent in medio post Celebrantem. Subdiaconus calicem cooperiet et ad abacum referet, sed relinquet corporale, super quo erit SS. Sacramentum.

30. Interea duo vel plures clerici accendent et in promptu habebunt intorticia vel candelas accensas Clero distribuendas processionis caussa; item duo thuriferarii praeparabunt thuribula cum igne in fine Missae adhibenda: in sacrario se parabit amictu, alba, cingulo, et tunicella albi coloris Subdiaconus Crucem gestaturus: duo clerici prompti erunt ad transferendum umbraculum hastile ante Altare, vel ad ingressum presbyterii, quum Sacrum peractum erit, et ad tradendas hastas dignioribus de Clero, quos admonebit prius et invitabit Caeremoniarius: clericus aliquis vel etiam Acolythi explicabunt in scamno Celebrantis et Ministrorum pluviale, quo ipse Celebrans induendus erit, atque unus vel plures clerici candelas accendent in sacello, in quo exponetur SS. Sacramentum.

31. Si Cleri numerus esset exiguus, neque adesset Subdiaconus qui paratus ferret Crucem, supplere poterit clericus superpellicio indutus.

32. Postquam Celebrans ablutionem sumpserit, et labra purificatorio absterxerit, calicem Subdiacono committet, genuflexionem uno genu efficiet, manibus insistens Altari (quod etiam deinceps faciet, nisi aliter praecipiatur) et in latus Epistolae transibit, ubi e Missali leget versiculum *Communio*.

33. Redibit Celebrans ad medium Altare, genuflectet, Altare osculabitur, convertetur ad populum non directe, sed a latere super sinistram suam, paullum vertens humeros ad latus Evangelii et cantabit *Dominus vobiscum*. Ministri sequentur Celebrantem, ut in aliis Missis, et cum ipso congruent in genuflexionibus, quas loco uterque suo exsequentur. Celebrans convertetur ad Altare, iterabit genuflexionem, rursus transibit in cornu Epistolae et cantabit *Postcommunio*: redibit deinde, ut antea, ad medium Altare, genuflexiones faciet, cantabit *Dominus vobiscum* paullum conversus ad populum ac Diaconus paullum conversus, ut Celebrans, cantabit *Ite Missa est.*

34. Convertetur Celebrans ad Altare genuflectens simul cum Ministris et recitabit orationem *Placeat* etc. Ministri autem recedent in gradum superiorem a lateribus ut benedictionem accipiant.

35. Post *Ite Missa est* respondet chorus cantando *Deo gratias*, siquidem non amplius organis sonatur.

36. Celebrans Altare osculabitur, dicet ritu solito *Benedicat vos omnipotens Deus* et ad verbum *Deus*, non inclinabit caput ad Crucem, sed genuflectet, se convertet ut ad *Dominus vobiscum* et benedictionem populo impertietur: deinde quin circulum compleat et genuflexionem iteret, convertetur super sinistram suam, appropinquabit ad latus Evangelii et recitabit Evangelium s. Ioannis, non tamen signabit Altare dicens *Initium*, sed seipsum tantum, et ad *Verbum caro factum est* genuflectet versus Sacramentum.

37. Hoc autem tempore distribuentur Clero candelae vel intorticia, introibit in chorum Subdiaconus, qui Crucem in processionem gestaturus erit et cum debitis genuflexionibus consistet prope Crucem eamdem, ac duo thuriferarii cum thuribulis et naviculis se sistent iuxta scamnum Celebrantis, ubi aderunt etiam Acolythi adiuturi Ministros, ut infra declarabitur.

38. Sacro peracto, Celebrans cum Ministris in suppedaneo genuflexionem efficient ad Sacramentum; de Altari a latere descendent ad scamnum, quo sederint in Missa: caveant autem Ministri ne manibus insistant Altari, quum genuflexionem efficient.

39. Ad scamnum ubi venerint, Celebrans et Ministri ad-

vertant ut tergum ad ipsum scamnum convertant, non ad Altare ratione SS. Sacramenti. Ibi Ministri, adiuvantibus Acolythis, deponent manipulos, Celebrans planetam et manipulum, adiuvante Caeremoniario; et pluviali induetur, paramenta praedicta a clerico in sacrarium referentur.

40. Acolythi, statim ac manipulos detraxerint Ministris, pergent ad abacum sumptisque candelabris coibunt cum altero Subdiacono qui accipiet Crucem et medius inter ipsos procedens, in aditu prope balaustrium consistet.

41. Si Clerus erit numerosus, statim initium processionis fiet, secus expectari poterit donec Celebrans accipiat Sacramentum, et intonetur hymus *Pange lingua* etc. In exitu de choro observabitur methodus cap. III. lib. I. §. 14. descripta.

42. Ubi Celebrans indutus erit pluviali, procedet ante Altare cum Ministris, fimbrias pluvialis eius sustinentibus, et in plano ante infimum gradum genuflectent utroque genu ad Sacramentum, deinde consurgent et in gradu infimo geniculabunt.

43. Interea processio ordinabitur, ut infra, et unus e clericis velum humerale Celebrantis in promptu habebit.

44. Postquam Celebrans et Ministris brevi tempore oraverint, innuente Caeremoniario, Celebrans cum Ministris consurget, et convertetur aliquantulum super sinistram suam, non recedens de medio Altari: Subdiaconus ad eius dexteram approximabit et fimbriam pluvialis sustinebit: accedent ad Altare duo thuriferarii, qui stantes alter post alterum obiicient ei thuribulum apertum: Diaconus incensum ei ministrabit sine osculis: Celebrans sine benedictione nec recitans consuetam formulam *Ab illo benedicaris* etc. demittet incensum in thuribula; deinde medius inter Ministros una cum ipsis in gradu infimo rursus geniculabit.

45. Accipiet Celebrans a Diacono sine osculis unum ex thuribulis ac triplici ductu SS. Sacramentum thurificabit: restituet thuribulum Diacono, hic thuriferario, qui simul cum altero thuriferario perstabunt stare in lateribus Altaris ante gradus, ut officio suo in processione fungantur.

46. Diaconus postquam thuribulum reddiderit thuriferario,

assurget, accipiet a clerico vel a Caeremoniario velum humerale et humeris Celebrantis imponet illud: Subdiaconus velum ipsum Celebranti ante pectus alligabit. Deinde Diaconus ascendet ad Altare, genuflexionem ad Sacramentum uno tantum genu efficiet, humeris paullum conversis ad latus Epistolae ratione Celebrantis, assurget, reverenter accipiet Calicem, in quo conditur SS. Sacramentum, dextera infra cuppam, sinistra infra pedem, se convertet super dexteram suam et porriget illum Celebranti.

47. Celebrans reverebitur SS. Sacramentum, Calicem accipiet ponens sinistram nodo et dexteram supra patenam et assurget. Diaconus statim genuflectet ad Sacramentum, assurget adiuvante Subdiacono accipiet utramque extremitatem anteriorem veli humeralis,. et ipsis conteget Calicem et manus Celebrantis. Celebrans convertetur ut in processionem proficiscatur et Ministri prompte et simul se sistent a Celebrantis lateribus (*a*).

48. Simul ac Celebrans, ut supra dictum est, convertetur, ut in processionis ordinem proficiscatur, cantores incipient cantare hymnum *Pange lingua* eumque prosequentur processionis tempore, excepta ultima illius parte, scilicet *Tantum ergo*, ac si opus fuerit, illum etiam repetent, resumendo tamen ex altera strophe *Nobis datus nobis natus* etc.

49. Processio autem disponetur et procedet hoc ordine. Praeibit Magistratus, si aderit: deinde Acolythi cum candelabris accensis et medius inter eos Subdiaconus tunicella indutus, qui Crucem processionalem gestabit: cantores qui cantabunt hymnum *Pange lingua*: clerici et Seminarium: Beneficiarii seu Mansionarii: sequentur Canonici, tum duo thuriferarii qui leviter agitantes thuribula adolebunt SS. Sacramentum: Celebrans postremo loco sub umbraculo hastili gestabit SS. Sacramentum medius inter Ministros, qui fimbrias pluvialis eius sustinebunt. In processione qui a dexteris incedet, dextera gestabit intorticium seu

(*a*) Donec Celebrans Sacramentum apud Altare et in presbyterio sustinet, non oportet eum comitari parvo umbraculo; quod si adhibendum esset, multo aequius ad balaustrium in Communione laicorum esset sustinendum.

candelam accensam, sinistra biretum; qui vero a sinistris incedet intorticium sinistra, biretum dextera ante pectus sustinebit. Si-quis seu Beneficiarius seu Canonicus sive alius ob numeri disparitatem medius ibit inter alios duos, candelam sive intorticium dextera manu feret. Porro supervacaneum esse ducimus monere, quod unusquisque paullulum absit a praecedente ne cera forte fluente ex intorticio seu candela vestem eius offendat. Qui thuriferarius dextrorsum incedit, ferat sinistra thuribulum in summitate et dextera naviculam, qui vero incedit sinistrorsum, thuribulum dextera, naviculam sinistra sustineat. Ex gestatoribus umbraculi, (*a*) ut debito ordine incedant, dignissimus sustinebit hastam primam ex parte Diaconi, secundus primam ex parte Subdiaconi, tertius secundam prope Diaconum, quartus secundam prope Subdiaconum, quintus primam post Diaconum, sextus secundam post Subdiaconum, eodemque ordine reliqui duo ultimas, si octo numero fuerint. Celebrans poterit cum Ministris tempore processionis recitare psalmos, sed sine *Gloria Patri* in fine. Processio non exibit ex ecclesia, sed ipsam circumibit iuxta eius capacitatem et secundum positionem Sacelli, in quo SS. Sacramentum exponetur.

50. Processione ex Altari maiore profecta, Sacrista ab eodem amovebit corporale, transferet in sacrarium res omnes, quae erunt in abaco, quaeque in Missa solemni adhibitae erunt, et curabit, ut bireta Celebrantis et Ministrorum transferantur in sacellum, in quo exponetur SS. Sacramentum, nisi hoc officio alius clericus fungatur.

51. Quum in sacellum, in quo fiet expositio, venerit processio, Subdiaconus gestans Crucem cum Acolythis subsistent prope aditum versus latus Evangelii: clerus autem consistet vel intra vel extra sacellum, in unum aut plures ordines se disponens iuxta capacitatem loci, sed illud notandum quod digniores esse debent propriores Altari. Thuriferarii consistent hinc inde a lateribus Altaris. Delegabitur clericus, qui scabellum seu brevem scalam, si opus fuerit, afferat Diacono. Gestatores umbraculi consistent in aditu sacelli vel etiam ante Altare, et

(*a*) Consule Caeremoniale Episcoporum lib. I. cap. XIV. num. 4.

umbraculum tradent duobus clericis delegatis, qui applicabunt illud ad alterutrum parietem proximum sacello, vel intra sacellum ipsum, eo quod in functione diei sequentis adhibendum rursus sit. Gestatores superius nominati ante Altare congeniculabunt.

52. Celebrans cum Ministris procedet ante Altare, ibique stabit. Diaconus se sistet ante Celebrantem super gradibus Altaris, genuflectet, ac detracto velo e manibus Celebrantis, Calicem dextera infra cuppam, sinistra ad pedem applicata accipiet, et assurget. Celebrans, tradito Sacramento Diacono, geniculabit in infimo gradu et adorabit illud. Diaconus postquam Celebrans Sacramentum adoraverit, convertetur ad Altare et Sacramentum condet in urna praeparata, ac si ascendere supra scabellum necesse sit, Caeremoniarius vel clericus quispiam sustentabit eum (*a*): apertum relinquet ostiolum urnae, descendet de scabello, genuflectet in suppedaneo, ut superius traditum est, redibit ad dexteram Celebrantis et in genua procumbet. Dum Diaconus operam dabit reponendo SS. Sacramentum, Subdiaconus Celebranti velum humerale expediet ac de humeris tollet, et clerico alicui tradet. Aderunt etiam duo vel plures clerici, qui candelas et intorticia Cleri recipiant, ut infra.

53. Statim ac Diaconus redierit ad dexteram Celebrantis, cantores intonabunt versiculum *Tantum ergo* etc. deinde continuabunt alterum *Genitori genitoque* etc. Post verba *Veneremur cernui*, ad quae omnes se inclinabunt, assurget Celebrans cum Ministris, et ad Altare accedet thuriferarius qui aderit ex parte Epistolae: Celebrans eodem modo ac supra, incensum demittet in thuribulum praesentatum a thuriferario, qui stabit, Diacono incensum ei ministrante, et fimbriam dexteram attollente Subdiacono.

54. Celebrans rursus genibus flexis cum Ministris, accipiet a Diacono thuribulum, SS. Sacramentum triplici ductu thurificabit, et reddet thuribulum Diacono, qui thuriferario restituet.

(*a*) Sequuti sumus Caeremonialis Episcoporum dispositionem lib. 2. cap. 23. num. 13. « Diaconus accipiet de manu ipsius (Celebrantis) stantis sanctissimum Sacramentum, quod deponet *super Altari in loco praeparato* ».

Uterque thuriferarius coibunt ante Altare, genuflexionem duplicem simul efficient et redibunt in sacrarium ad thuribula deponenda.

55. Diaconus, reddito thuribulo thuriferario, assurget, ad Altare ascendet, genuflectet, ut supra, in suppedaneo, claudet urnam, in qua conditum erit SS. Sacramentum et claviculam ex ostiolo tollet ac tradet Caeremoniario (*a*). Descendet de scabello, genuflexionem iterabit in suppedaneo, redibit ad dexteram Celebrantis et rursus in genua procumbet.

56. Completo cantu ℣. *Genitori* etc. extinguentur a Clero intorticia et candelae, quae a clericis destinatis recipientur et in sacrarium referentur.

57. Innuente Caeremoniario, Clerus recta redibit ad Altare maius ad Vesperas recitandas, ut deinceps declarabitur, et in discessu de sacello fiet ab omnibus genuflexio duplex, servando ordinem cap. III. lib. I. descriptum. n. 208, praeibunt autem digniores, ut cap. I. num. 5. huius lib. notatum est.

58. Ubi Clerus discesserit, Acolythi cum Subdiacono gestante Crucem directe se sistent ante Altare. Celebrans cum Ministris assurget ad nutum Caeremoniarii, tunc Acolythi, Ministri et Celebrans genuflexionem duplicem ad SS. Sacramentum efficient ac recta in sacrarium redibunt. Extra sacellum Caeremoniarius biretum Celebrantis tradet Diacono, et hic Celebranti, deinde ipse Caeremoniarius dabit bireta Diacono et Subdiacono, qui simul cum Celebrante caput cooperient.

59. In sacrarium quum venerint, peractis reverentiis praescriptis, Acolythi candelas in candelabris extinguent et Subdiaconus, qui gestabat Crucem, illam deponet ac exuet paramenta quibus erat indutus: Celebrans autem et Ministri albis paramentis exuentur: Subdiaconus retinebit albam, Diaconus super alba sibi imponet stolam diaconalem violaceam, Celebrans et ipse stolam violaceam superponet albae decussatam in pectore, ibique expectabunt donec fiet Altarium denudatio. Stabunt

(*a*) Clavis custodiae, in qua conditum erit Saramentum, nulli committenda est quamvis nobili laico, sed in sacrario, ut clavis tabernaculi, asservabitur.

iuxta mensam ubi se paraverint, nec per sacrarium vagabuntur, sed poterunt interea privatim Vesperas recitare.

60. In choro autem, postquam illuc venerit Clerus et stallum quisque suum occupaverit, recitabitur secreto *Pater noster* et *Ave Maria*. Cantor, qui stabit in extremitate chori ex parte ebdomadario opposita, recitabit antiphonam *Calicem salutaris* etc. Alter cantor adversus praedictum ex altera parte chori incipiet psalmum *Credidi propter quod* etc. qui alternatim a choro recitabitur, atque ita de reliquis psalmis et antiphonis. Ad primi psalmi intonationem chorus considebit et cantores tantum assurgent quum recitabunt antiphonas et psalmos incipient. Initio cantici *Magnificat* consurget chorus et unusquisque se signabit. Quod ad antiphonam *Christus*, ad psalmum *Miserere* et ad orationem *Respice*, quam dicet dignior Cleri, observabitur quidquid superius de horis minoribus traditum est. Vesperae recitabuntur tono chorali sine cantu, submissa voce et *Miserere* voce submissiore.

61. Sub idem tempus Sacrista indutus superpellicio et stola albi coloris, afferens bursam cum corporali et claviculam, praecedentibus duobus clericis cum intorticiis accensis, et altero clerico afferente velum humerale et parvum umbraculum, procedet ad Altare SS. Sacramenti. Hoc in Altari et in altero loco ad hanc rem in sacrario praeparato, binae saltem candelae huius actionis causa ardebunt.

62. Illuc quum venerint, clerici intorticia sustinentes consistent ante Altare a lateribus; Sacrista ante infimum gradum et prope eum alter clericus ferens velum et umbraculum: genuflexionem simul uno genu in pavimento conficient: clerici sustinentes intorticia geniculabunt: alter clericus umbraculum applicabit gradibus vel Altari: Sacrista ad Altare ascendet, cuius in medio explicabit corporale et aperiet tabernaculum: alter clericus in promptu habebit velum humerale.

63. Sacrista genua submittet et clericus praedictus imponet eius humeris velum, ipsumque ante pectus eius alligabit; accipiet deinde et aperiet umbraculum et in latere suppedanei geniculabit.

64. Sacrista assurget, s. Pixidem e tabernaculo educet, ponet in Altari, accipiet sinistra, et dextera cooperiet ipsam extremitatibus anterioribus veli humeralis, postea dexteram quoque Pixidi apponet. Convertetur et de Altari descendet: assurgent clerici cum intorticiis et ei praeibunt, clericus alter sequetur eum, gestans umbraculum super Sacramentum.

65. In itinere recitabitur aliquis psalmus, omittendo *Gloria Patri*. Ex Altari supradicto ad sacrarium proficiscentur et venient in locum seu cellam iam dispositam: ibi clerici cum intorticiis in genua procumbent, et alter claudet umbraculum et relinquet seorsim: Sacrista tollet dextera extremitatem veli tegentis s. Pixidem, quam in tabernaculo manu eadem reponet: tum genuflectet, claudet porticulam tabernaculi ac tollet claviculam: deponet velum humerale, quod ibi cum umbraculo et intorticiis extinctis poterit relinqui; et unusquisque discedet.

66. Sacristae officium erit portam claudere huius cellae, in qua custodietur SS. Sacramentum, iubere accendi lampadas et candelas accensas extingui.

67. Quum Sacramentum ex Altari, in quo asservabatur, amotum erit, unus e clericis extinguet lampadas et candelas, tollet cónopoeum et corporale, de medio Altari, et claviculam tabernaculi in sacrarium reportabit. Tunc tabernaculi porticulam licebit relinquere apertam.

68. Dum in choro recitabitur *Miserere*, paullo ante aut post, secundum distantiam sacrarii ab Altari maiore, Celebrans cum Ministris et Acolythis, innuente Caeremoniario, reverentiam facient ad Crucem vel ad imaginem sacrarii et proficiscentur ad Altare primarium, ut Altarium denudationis initium ab eo facient. Illuc curabunt ut adsint statim ac completa erit Vesperarum oratio.

69. Praecedent Acolythi simul et iunctis manibus, sequetur Subdiaconus, tum Diaconus, postremo Celebrans iunctis manibus et capite operto.

70. In aditu presbyterii Acolythi dirimentur et ad latera Ministrorum transibunt; Ministri caput nudabunt, biretum tradent Caeremoniario et medium accipient Celebrantem, qui, ca-

pite detecto, biretum tradet Diacono. Diaconus biretum cum osculis acceptum Caeremoniario committet. Clerus in choro stabit. Celebrans, Ministri et Acolythi reverentiam simul ad chorum conficient, primo versus partem Evangelii, deinde Epistolae: postea simul ante Altare procedent. Ante infimum gradum progressi exsequentur respective reverentiam seu genuflexionem Celebrans, Ministri et Acolythi.

71. Sacrista cum suis clericis superpelliceo indutis aderit prope Altare transferendi caussa res omnes, quae ab illo tollentur.

72. Celebrans cum Ministris ascendent simul in suppedaneum et Acolythi in latera super gradus. In suppedaneo Celebrans voce mediocri et sine cantu intonabit antiphonam *Diviserunt sibi* quam chorus continuabit simul cum psalmo *Deus, Deus meus, respice in me* etc.

73. Id curandum a choro, ut psalmum praedictum ita sensim recitet, ut cum denudatione Altarium prorsus absolvatur.

74. Celebrans, intonata praedicta antiphona, adiuvantibus Ministris, tollet tres tobaleas alteram post alteram, relicta tantum tobalea cerata, qua tegitur mensa seu petra sacra: Acolythi autem amovebunt pallium, tabellas secretarum, tapetum, stragulum scamni Celebrantis et tobaleam abaci, atque hanc denudationem exsequentur accurate et sine perturbatione. Relinquentur suo loco in Altari candelabra cum candelis et Crux velata tantummodo.

75. Denudato Altari maiore, descendent inde Celebrans, Ministri et Acolythi et facta, ut antea, reverentia vel genuflexione et ad chorum inclinatione, procedent eodem ordine ad reliqua Altaria denudanda, initium sumendo ab illo quod proximum erit Altari maiori a cornu Evangelii, deinde ad alterum ex eadem parte, et sic de ceteris deinceps, ita ut ultimum quod spolietur sit propius Altari maiori e latere Epistolae. Celebrans et Ministri caput bireto cooperient exeuntes e choro, quum ex altero ad alterum Altare transibunt.

76. Transeuntes ante Altare, in quo expositum erit SS. Sacramentum, genuflexionem duplicem conficient Celebrans, Mi-

nistri, clerici et quisquis alius illac transibit. Atque illud erit unicum Altare, quod relinquetur rebus omnibus instructum.

77. Altaribus cunctis denudatis, Celebrans cum Ministris redibit in chorum ordine superius descripto et subsistent ante Altare, non ascendentes in gradus ibique expectabunt donec ex toto recitetur psalmus et repetatur antiphona *Diviserunt* etc.

78. Postea Clerus, redibit in sacrarium ordine cap. IV. n. 233. et seq. huius libri notato, sequentibus Ministris et Celebrante, qui in sacristia sacra indumenta deponent.

79. Si Altaria magno essent numero, poterunt in eis denudandis adiumento esse et alii Sacerdotes, superpelliceo et stola violacea induti; atque in eo casu necesse erit statuere antecedenter quae quotque Altaria a Celebrante, quaeque ab aliis Sacerdotibus exuenda sint.

80. Post Altarium denudationem, si mos erit, poterit a Sacrista cum clericis tolli e vasis ecclesiae aqua benedicta et infundi in sacrarium, reservando eius partem in sacristia pro administratione S. Viatici et extremae unctionis si haec in hos dies inciderent. Quod si soleat relinqui in vasis suis, licebit hanc consuetudinem servare.

DE MANDATO SEU LOTIONE PEDUM

Quae sint praeparanda.

81. Mandati ritus quamquam in Missali enumeretur inter ritus huisce diei, tamen non in omnibus peragitur ecclesiis, sed tantum in cathedralibus et in aliis ecclesiis regularium. In quibus igitur locis haec consuetudo recepta erit, monendum est, quod huiusmodi functio peragenda est in sacristia sive in alia aula capaci, sed omnino extra ecclesiam propter strepitum, qui hac in functione vitari non potest.

82. Quod spectat ad eos, quorum lavandi pedes erunt, tredecim numero viri esse debent et oporteret ut essent pauperes, qui misericordi et liberali animo excepti, possint purgari illuvie, novis indui vestibus et ad prandium hac die vocari. Pro func-

tione autem aequum esset ut uniformiter albo colore induti essent, eaque de re possent sacci cuiusdam confraternitatis adhiberi. Praevidendum autem, ut facile possint excalceare dexterum pedem, qui abluendus ipsis erit. Sin erit in more positum, ut laventur pedes Canonicis, vel clericis sive aliis laicis, servabitur totum id, quod usu receptum est.

83. Itaque in capite aulae ad hanc rem gerendam constitutae, praeparabitur Altare instructum pallio violaceo, tobalea hinc inde a lateribus pendente, sex candelabris cum candelis e cera alba et in medio ipsorum Cruce aequali velo violaceo contecta: in cornu Epistolae aderit cussinus violaceus vel legile cum Missali exornato tegumento violaceo ad usum Celebrantis: gradus Altaris sive unus seu plures sint, tapeto violaceo cooperientur.

84. Prope Altare in latere Epistolae praeparabitur abacus ingens alba tobalea contectus, in quo ponetur Evangeliarium albo velamine ornatum; cincticulus seu pannus lineus exornatus reticulis ac taeniis longis e serico albo: urceus cum pelvi, manutergium et aliquantula medulla panis in pelvicula pro ablutione manum Celebrantis: praeterea plures urcei cum aqua calida et frigida cum duobus aut pluribus pelvibus grandioribus ad excipiendam aquam, quae de ablutis pedibus pauperum decidet, tredecim mantilia ad abstergendos eorum pedes: eleemosynae illis distribuendae, positae in pevicula et singillatim divisae.

85. In latere Evangelii collocabitur scamnum longum panno viridi coopertum et cum gradu seu suppedali alto et lato in commodum Celebrantis, in quo scamno sedebunt pauperes, quum eorum pedes abluentur. Curabitur, ut sub scamno sit quoddam forum, quod loco cuiusque pauperis respondeat, ex quo deiici possit aqua illa, qua pes illius erit ablutus: quod si hoc fieri non posset, praeparabitur seorsim in capite scamni magna concha ex aere in quam effundi possit aqua in lotione adhibita.

86. Eadem in aula, si capax erit, statuentur subsellia seu scamna, quibus sedeat Clerus, secus poterit assistere stans iuxta Altare, vel prorsus abstinebit hac functione, et clerici tantum quibus opus erit ad hanc actionem, intererunt.

87. Ibidem in pavimento spargentur flores et herbae odorae virentes, et aulae ipsius parietes poterunt floribus exornari.

88. Praeterea septum fiet e scamnis seu tabulis vel alio modo circum Altare et scamnum pauperum, ut submoveatur nimia populi multitudo, quae forte impedimento esset et turbaret actiones Celebrantis et Ministrorum.

89. In aliquo cubiculo aulae contiguo vel alio modo praeparabitur locus idoneus pro sacristia. Statuetur ibi mensa capax cooperta panno vel tobalea, in qua ponentur paramenta Celebrantis et Ministrorum, nempe pluviale violaceum cum stola simili, cingulum, alba, amictus et biretum; pro Diacono autem manipulus, dalmatica et stola albi coloris, cingulum, alba, amictus et biretum, pro Subdiacono manipulus, et tunicella albi pariter coloris, cingulum, alba, amictus et biretum, insuper duo candelabra cum candelis albis pro Acolythis, thuribulum cum navicula, superpellicea quae satis sint pro clericis et seorsim focus cum igne et forcipe pro thuribulo.

90. Functionem peraget Superior, qui regulariter Missam solemnem celebravit, eique assistent Diaconus et Subdiaconus: aderunt Acolythi ac thuriferarius, clericus qui gestabit pelvim cum elemosynis, alter mantilia seu manutergia pro pauperibus quatuor clerici qui urceos et pelves afferant ablutionis tempore: aderit etiam unus vel duo laici decenti habitu, qui adiumento erunt in detrahendis iterumque inducendis calceis pauperum pedibus.

In functione.

91. Hora praestituta, quae ante meridiem erit, Celebrans Ministri ceterique inservientes superius nominati congregabuntur in eum locum, qui pro sacristia statutus erit. Clerus superpellicio indutus poterit locum sibi sumere vel in subselliis praeparatis, vel in lateribus prope Altare ita tamen ut functionis visum non impediat. Interea ab Acolythis aut a clerico accendentur candelae in Altari, et in candelabris Acolythorum in sacristia. Thuriferarius praeparabit thuribulum. Pauperes, quorum erunt lavandi pedes, ordinatim disponentur apud scamnum

sibi praeparatum, in cuius capite aderit Caeremoniarius ac prope ipsum duo laici praedicti, officium suum exsecuturi. Innuente Caeremoniario, Celebrans et Ministri parabuntur indumentis superius descriptis.

92. Celebrante et Ministris paratis, Acolythi sument candelabra accensa et cum eis coibit thuriferarius. Celebrans, Ministri, Acolythi ac thuriferarius reverentiam conficient ad Crucem sive ad imaginem praecipuam sacristiae et procedent ad aulam Mandati. Praeibit thuriferarius cum thuribulo et navicula, deinde Acolythi cum candelabris, postea Celebrans medius inter Ministros capite bireto cooperto, et ii fimbrias pluvialis Celebrantis sustinebunt.

93. Si adesset Clerus, procedet post Acolythos regula superius tradita pro Missis solemnibus cap. IV. num. 24. postremo Celebrans cum Ministris modo iam declarato incedet. Ceteri clerici superius indicati, qui functioni inservient, poterunt praesto esse apud abacum.

94. In aulam ingressi, recta procedent ad Altare; Acolythi dirimentur ac thuriferarius transibit ad dexteram Acolythi, qui dextrorsum stabit; Ministri, nudato capite, biretum tradent Caeremoniario, Celebrans suum dabit Diacono, qui illud accipiet cum osculis consuetis et committet Caeremoniario; hic autem ea ponet vel poni iubebit in abaco. Ministri cum Celebrante, medii inter Acolythos, eadem linea venient ante Altare. Ibi Celebrans reverentiam ad Crucem, ceteri genuflexionem conficient: Acolythi candelabra sustinentes coibunt ante Altare pro Evangelio, quod cantabitur, ac thuriferarius transibit in latus Epistolae.

95. Celebrans cum Ministris ascendent ad Altare, quod Celebrans osculabitur in medio, sed Ministri non genuflectent. Celebrans cum Subdiacono perstabit ad Altare. Diaconus inde a latere descendet, ibit ad abacum ibique accipiet Evangeliarium, quod afferet ad Altare ritibus pro Missa solemni notatis, et in medio illius librum deponet.

96. Ascendet a latere in suppedaneum thuriferarius cum thuribulo et navicula. Celebrans paullum convertetur ad thu-

riferarium, qui ei thuribulum apertum obiiciet; Diaconus ministrabit incensum cum osculis usitatis; Subdiaconus appropinquans dexterae Celebrantis, sublevabit eius fimbriam dexteram pluvialis; Celebrans iniiciet incensum in thuribulum cum formula consueta *Ab illo benedicaris* etc., et benedicet illud, applicans sinistram Altari, quum signum Crucis super incensum efficiet.

97. Thuriferarius, recepta navicula, descendet a latere de Altari seque addet Acolythis, ut in Missis solemnibus; Subdiaconus descendet ante Altare et Diaconus in gradum superiorem descendens, geniculabit in suppedaneo et recitabit *Munda cor meum* etc. Caeremoniarius prompte accedet ad Celebrantem.

98. Diaconus post recitatam praedictam orationem assurget, accipiet Evangeliarium tali modo ut libri apertura spectet ad sinistram suam, geniculabit, ut in Missa solemni, ante Celebrantem, et ab eo benedictionem petet. Celebrans ad ipsum conversus, benedictionem largietur dicens *Dominus sit* etc. Caeremoniarius fimbriam dexteram pluvialis Celebrantis attollet, quum ille Diacono benedictionem impertietur.

99. Diaconus de Altari descendet, coibit cum Subdiacono, Acolythis ac thuriferario, et facta simul ad Crucem genuflexione et reverentia ad chorum, si aderit, perget ad Evangelium canendum eodem loco eisdemque ritibus ac in Missis solemnibus. Subdiaconus sustinebit librum et Celebrans ad Diaconum convertetur, ut assolet in iisdem Missis.

100. Postquam Diaconus cecinerit Evangelium, Subdiaconus afferet librum osculandum Celebranti, qui dum osculabitur illum, superponet ipsi manus dicens *Per Evangelica dicta* etc. Acolythi pergent ad abacum et in eo candelabra deponent: Diaconus Celebrantem adolebit triplici ductu. Post haec thuriferarius referet in sacristiam thuribulum, quo in hac functione non opus est amplius.

101. Statim ac incensatus fuerit Celebrans, pauperes, qui toto hoc tempore steterint, considebunt et adiuvantibus praedictis laicis, dexterum pedem excalceabunt.

102. Celebrans, accepta thurificatione, reverentiam faciet

ad Crucem et a latere descendet ad abacum cum Subdiacono: Diaconus, facta ad Altare genuflexione, perget ad abacum ibique se addet Celebranti.

103. Celebrans quum venerit ad abacum, deponet pluviale et Caeremoniarius praesentabit ei pannum lineum, quo se praecinget quemque taeniis cohibebit circa lumbos vel ad cingulum. Ministri manipulos dimittent.

104. Interea praesto erunt duo clerici, alter cum pelvi maiori, alter cum urceo, quo continebitur aqua tepens: aderit etiam alter clericus afferens pelvim seu canistrum cum tredecim mantilibus, et ille qui sustinebit pelviculam cum eleemosynis; item alii duo clerici unus ferens aliam pelvim, alter alterum urceum cum aqua tepente.

105. Quum omnia disposita erunt, ad nutum Caeremoniarii procedetur hoc ordine: praeibunt duo clerici, alter pelvim, alter urceum ferens; sequetur Celebrans medius inter Ministros iunctis manibus et capite cooperto: deinde duo alteri clerici cum mantilibus et cum eleemosynis, postremo reliqui duo cum urceo et cum pelvi. Transeuntes ante Altare, genuflectent ad Crucem duo primi clerici, Celebrans, deposito bireto, reverentiam, Ministri pariter bireto deposito, genuflexionem facient, itemque reliqui quatuor clerici bini genuflectent.

106. Cantores incipient cantare antiphonas *Mandatum novum* etc. easque prosequentur, donec tota actio Mandati durabit.

107. Clericus cum urceo consistet ante primum pauperem a sinistris eius, qui locus respondebit dexterae Celebrantis, alter pelvim sustinens, ponet ipsam sub pedem dexterum eius ac postea consistet a dextris ipsius, qui sinistrae Celebrantis adstabit. Celebrans geniculabit ante primum pauperem; Subdiaconus sustinebit aliquantulum e pelvi elatum pauperis pedem; clericus cum urceo aquam sensim super pedem effundet, ne manus aut albam Celebrantis madefaciat; tum Celebrans pedem pauperis manu dextera lavabit; Diaconus accipiet unum ex mantilibus, quod explicabit et in promptu habebit, ut dare possit Celebranti. Quum Celebrans laverit pedem primi pauperis, Diaconus tradet ei mantile, quo absterget pedem iam ablutum, et

mantile pauperi donabit; et pedem ablutum osculabitur; deinde Diaconus tradet eleemosynam Celebranti, et hic eam largietur pauperi, qui dum accipiet, manum eius osculabitur.

108. Eadem methodo, quam de primo tradidimus, lavabitur pes alterius et sic deinceps reliquorum pauperum.

109. Clericus sustinens urceum aquae, quum aqua opus erit, innuet clerico alterum urceum sustinenti, et hic succedet in locum primi, qui perget ad abacum, ut rursus aqua impleat urceum. Clericus autem sustinens pelvim, quum haec aquam amplius continere non poterit, innuet alteri qui pelvim vacuam habebit, ut succedat in locum suum et perget ad effundendam aquam in concham praeparatam, de qua dictum est principio, si in suppedali scamni, quo considebunt pauperes, deesset forum aptum ad eam effundendam.

110. Quum Celebrans lavabit pedem alterius pauperis, laici praedicti calceos rursus inducent primo, cui pes lavatus erit, atque ita fiet deinceps cum reliquis.

111. Dum Celebrans ultimi pauperis lavabit pedem, aderunt apud abacum Acolythi, alter cum pelvi et urceo, alter cum medulla panis et mantili pro Celebrante. Clericus alter in promptu habebit ipsius Celebrantis pluviale.

112. Omnium pauperum abluto pede, canere desinent cantores; Celebrans cum Ministris ad abacum redibit, sequentibus clericis, qui ei servierint in actione superius descripta, quique referent res omnes, quibus ipse usus fuerit; genuflexionem, ut antea, ad Altare aut reverentiam respective exsequentur.

113. Prope abacum Celebrans manus lavabit et medulla panis mundabit: Acolythus sustinebit pelvim et aquam effundet: Ministri autem sustinebunt mantile, quo ille manus exterget. Postquam manus laverit, deponet pannum lineum, quo se praecinxerat, et pluviali rursus induetur.

114. Celebrans cum Ministris a latere ascendet ad Altare et consistet ante Missale in cornu Epistolae: Diaconus a dextris eius adstabit in suppedaneo, si capax erit, secus infra ipsum; Subdiaconus in suppedaneo a sinistris.

115. Clerus, si sederit, consurget ac simul cum eo pauperes.

Celebrans elata voce cantabit *Pater noster*, quam orationem continuabit secreto deinde versiculos, *Et ne nos* etc. cum reliquis in Missali notatis et orationem tono feriali.

116. Dum cantabitur oratio, Acolythi candelabra recipient ex abaco et ante Altare procedent; Caeremoniarius bireta Celebrantis et Ministrorum sustinebit.

117. Completa oratione praedicta, Celebrans et Ministri conversi super dexteram suam, descendent de Altari, et in plano ante ipsum, Celebrans reverentiam, Ministri et Acolythi genuflexionem conficient, et Clerum in choro si aderit, salutabunt. Diaconus biretum Celebranti cum osculis, Caeremoniarius bireta Ministris tradet, qui cum Celebrante caput operient, et ante euntibus Acolythis redibunt in sacristiam, ubi methodo iam tradita, sacra indumenta deponent.

118. Si Clerus in sacristiam cum Celebrante redibit, post orationem Celebrans cum Ministris veniet ad medium Altare in suppedaneo, ubi expectabit signum discedendi. Acolythi, orationis cantu absoluto, genuflectent et ad sacristiam proficiscentur; Clerus Acolythos sequetur ordine alias innuto; ultimus ibit Celebrans medius inter Ministros, fimbrias pluvialis eius sustinentes (*a*).

FERIA VI. IN PARASCEVE

CAPUT XXVI.

Quae praeparanda sint.

1. Altare maius omni ornamento erit exutum: aderunt tantum sex candelabra ex aurichalco aut ex aere, neque inaurata neque argenteo colore obducta, cum candelis e cera communi, et in medio ipsorum Crux aequalis eisdem: poterit commodita-

(*a*) Si Altaris lotionis ritus peragi soleat, inspiciatur cap. XVI. lib. VI.

tis caussa substituit Crux levior, quae tamen aptabitur pedi seu basi aequali candelabris. Crux cooperietur velo nigri coloris quod ita statuetur, ut facile tolli possit.

2. In suppedaneo vel in gradu superiori ponentur tres pulvilli lanei coloris violacei, quibus Celebrans et Ministris utentur in prostratione.

3. Ex parte Epistolae praeparabitur scamnum pro Celebrante et Ministris omni ornamento spoliatum.

4. In abaco posito loco solito statuetur tobalea alba, quae illum cooperiat in parte tantum superiori: super ipsam disponentur res sequentes: duo candelabra cum candelis e cera communi, seu lutea pro Acolythis; ampullae aquae et vini in pelvicula cum sudariolo seu manutergio; bursa nigri coloris cum corporali et purificatorio; Epistolarium et Evangeliarium cum tegumentis nigris; Missale pro Celebrante cum tegumento nigro, positum in cussino nigro vel in legili; vasculum vitreum cum aliquantula aqua et purificatorium pro purificatione Celebrantis digitorum, si opus fuerit; stola latior pro Diacono, si licebit uti; velum nigrum calicis; tobalea Altaris, quae tamen eadem sit mensura ac Altaris mensa, siquidem hac die nequaquam debet a lateribus pendere.

5. Super eodem abaco vel etiam alio modo praeparabitur tapetum violaceum in Crucis adoratione adhibendum cum pulvino maiori e serico villoso coloris violacei simul cum velo albo serico, Cruci supponendo, ut suo loco notabitur. Pulvino annexae erunt taeniae, quibus possit Crux cohiberi, si opus fuerit.

6. Prope latus Evangelii praeparabitur Crux processionalis velo violaceo contecta.

7. Aderunt etiam hastae cum gossipio cerato pro candelis Altaris et abaci tempore debito accendendis.

8. In sacello, in quo expositum erit SS. Sacramentum, praeparabitur clavicula urnae, scabellum seu brevis scala, si necesse fuerit, ad ascendendum ad Altare, velum humerale abum pro Celebrante, intorticia seu candelae e cera alba adhibendae in processione et umbraculum album hastile in eadem processione adhibendum.

9. In sacrario praeparabuntur paramenta nigri coloris pro Celebrante et Ministris, videlicet planeta, stola et manipulus, duae planetae plicatae, si Ministris uti licebit, stola diaconalis ac duo manipuli, tria cingula, tres albae, tres amictus ac tria bireta. Praeterea duo thuribula cum naviculis; planeta plicata cum cingulo, alba et amictu pro Subdiacono Crucem in processionem gestante; tres amictus, tres albae, tria cingula, tres manipuli et tres stolae nigri coloris pro Diaconis cantoribus Passionis: liber Passionis cum notis musicis tegumento nigro instructus et superpellicea sufficienti numero pro Clero.

10. Si laici a Clero seiuncti adorabunt Crucem, in alio sacello praeparabitur aliud stratum violaceum cum pulvino simili et velo albo, et in sacrario Crux cum Crucifixo, stola nigra et superpelliceum pro Sacerdote, qui Crucem deferet ad praedictum sacellum.

In functione

11. Hora praestituta Clerus in sacrarium congregabitur et induetur superpelliceo seu propriis indumentis choralibus: ad sonum crotali procedet ad chorum, et recitabuntur Horae minores, ut pridie, sed Altaris candelae erunt extinctae.

12. Dum Horae recitabuntur, Celebrans et Ministri, adiuvantibus Caeremoniario et Acolythis, ut in aliis Missis solemnibus, se parabunt in sacrario. Notandum autem, quod hac die omittuntur oscula manus Celebrantis et reverentiae ad chorum.

13. Quum in choro praedictae horae ex toto recitatae fuerint, exibunt e sacrario Celebrans, Ministri et Acolythi, praemonente Caeremoniario. Porro hoc ordine procedent: thuriferarius sine thuribulo, duo Acolythi sine candelabris, deinde Subdiaconus, sequetur Diaconus, postremo Celebrans, omnes iunctis manibus; Celebrans et Ministri etiam capite bireto cooperto.

14. Ad fores sacrarii Celebrans et Ministri non se signabunt aqua sancta, si e vasis ecclesiae amota fuerit: sin soleret ibi servari, signabunt sese, ut in aliis Missis solemnibus.

15. Si in eundo ad Altare maius transeundum esset ante Altare, in quo expositum erit SS. Sacramentum, genuflectent

utroque genu, methodo tradita pro Missa solemni cap. IV. num. 21.

16. In aditu chori, thuriferarius recedet super sinistram suam, Acolythi dirimentur, ut eadem linea cum Ministris et Celebrante se addant, Ministri caput nudabunt, biretum tradent Caeremoniario et ad latera Celebrantis transibunt; Celebrans et ipse nudabit caput et biretum dabit Diacono, qui sine osculis illud accipiet ac tradet Caeremoniario. Clerus in choro capite nudato stabit quum advenient Celebrans, Ministri, Acolythi ac thuriferarius.

17. Celebrans ubi venerit ante Altare, reverebitur Crucem et Ministri eum ceteris genuflectent. Celebrans et Ministri congeniculabunt in infimo gradu et procumbent ante Altare ponentes brachia et caput in cussinis iam in suppedaneo aut in gradu superiori praeparatis, quos licebit eis ad libitum propius admovere vel removere a se. Thuriferarius, facta genuflexione, adgeniculabitur aliquantulum post Celebrantem versus sinistram ipsius. Clerus in suis stallis congeniculabit et aequum esset, ut caput et humeros inclinaret. Duo Acolythi facta genuflexione, pergent ad abacum et alter ex illis sumet Altaris tobaleam: deinde procedent simul ad Altare et super mensam explicabunt tobaleam, quae, ut iam demonstratum est, debet mensam tantum contegere, neque a lateribus pendere: meminerint autem incedentes in suppedaneo, quod ibi prostrati sunt Celebrans et Ministri: explicata in Altari tobalea, descendent in planum prope Ministros et congeniculabunt in eadem linea cum thuriferario. Caeremoniarius ex abaco sumet cussinum vel legile cum Missali aperto et ponet super Altare in cornu Epistolae: efficiet etiam ut iuxta abacum adsit adgeniculatus cantor vel clericus, qui cantare primam lectionem debebit.

18. Postquam Celebrans cum Ministris aliquandiu oraverit, quod fieri poterit spatio fere unius *Miserere*, ad nutum Caeremoniarii consurget e prostratione et stabunt. Consurgent etiam Acolythi ac thuriferarius, et statim tollent e gradibus Altaris pulvinos in prostratione adhibitos et prope abacum illos deponent.

19. Celebrans cum Ministris conscendent suppedaneum. Ce-

lebrans Altare in medio osculabitur sed Ministri non genuflectent. Celebrans perget in cornu Epistolae ad Missale, et Ministri adstabunt illi a dexteris, ut in introitu Missae.

20. Interea Caeremoniarius vel thuriferarius invitabit cantorem, ad quem spectabit canere lectionem seu prophetiam, tradet illi Epistolarium, quod accipiet apertura ad suam sinistram versa: et simul venient ante Altare, genuflectent ad Crucem, deinde vadent ubi cantatur Epistola, et cantor sibi ipse sustinens librum cantabit lectionem seu prophetiam *Haec dicit Dominus* etc. tono pro lectionibus praestituto.

21. Clerus, assurgente Celebrante, consurget et postquam Celebrans osculatus erit Altare, considebit.

22. Celebrans leget prophetiam et tractum, manibus impositis Missali aut legili, ut in Epistola.

23. Postquam cantor cecinerit lectionem, librum claudet, redibit in medium ante Altare, genuflectet ad Crucem, revertetur ad abacum, librum tradet Caeremoniario, a quo comitatus fuerit et reveniet in chorum ad locum suum.

24. Interea tractus *Domine, audivi* etc. a cantoribus cantabitur. Si Celebrans cum Ministris sedere volet dum canitur tractus, a latere perget cum Ministris ad scamnum, quemadmodum traditum est de Missa solemni cap. IV. num. 64. et seq. deinde etiam a latere ad Altare redibit, quum cantabitur ultimus versiculus *Operuit coelos* etc.

25. Post Tractum Ministri se sistent post Celebrantem, ut ad orationes Missae solemnis, et Clerus consurget.

26. Celebrans tono praescripto cantabit *Oremus*, Diaconus canet ℣. *Flectamus genua*, Subdiaconus adiiciet *Levate*. Tum iunctis manibus ac tono feriali Celebrans cantabit orationem *Deus, a quo et Judas* etc.

27. Tum in ista, tum in aliis orationibus huius functionis ad ℣. *Flectamus genua* omnes genuflectent genu solum dextero, praeter Celebrantem, qui semper stabit, et ad *Levate* omnes consurgent.

28. Dum cantabitur oratio supra nominata Acolythus accedet ad Subdiaconum eumque exuet planeta plicata, si illa

utetur, et reponet eam super abacum. Caeremoniarius, vel alius loco illius, tradet Subdiacono Epistolarium, qui post orationem, ritibus solitis ac tono Epistolae cantabit lectionem *In diebus illis: dixit Dominus ad Moysen* etc. Celebrans submissa voce lectionem leget et tractum.

29. Hoc tempore in sacrario tres Diaconi cantores Passionis, adiuvantibus suis cappellanis, se parabunt amictu, alba, cingulo, manipulo et stola diaconali nigri coloris et exsequentur quae tradita sunt de cantu Passionis in Dominica Palmarum cap. XXII. num. 90.

30. Postquam Subdiaconus cecinerit lectionem, redibit in medium ante Altare, genuflectet ad Crucem et quin petat benedictionem et manum Celebrantis osculetur, ibit prope abacum, librum reddet Caeremoniario, induetur ab Acolytho planeta plicata, si uti licebit, et ad locum suum apud Altare ad dexteram Diaconi redibit.

31. Cantores tractum *Eripe me, Domine,* etc. cantabunt.

32. Si Celebrans sedere vellet, fiet ut paullo superius num. 24. traditum est et sub exitum tractus cantati ad Altare a latere revertetur.

33. Cantores Passionis intrabunt in presbyterium seu chorum quum cantabitur penultimus vel etiam ultimus versiculus et peragent quidquid praescriptum fuit eod. cap. XXII. num. 93. et seqq.

34. Celebrans in cornu Epistolae submissa voce leget Passionem, ut praedicto capite declaratum est, et antequam convertatur ad Diaconos cantores, recitabit etiam *Munda cor meum* tantum et leget ultimam Passionis partem, quam deinceps cantabit Diaconus ministrans. De reliquo Celebrans, Ministri et chorus observabunt quae loco eodem sunt descripta, praeterquam quod palmam dextera non sustinebunt (*a*).

35. Passione cantata, Celebrans convertetur versus Missale quin de suo loco discedat, et cantores Passionis de choro pro-

(*a*) Super ritu cantandae Passionis inspiciantur observationes, quas notavimus in praecedente Dominica Palmarum in adiecta adnotatione num. 93.

ficiscentur et in sacrarium redibunt ad sacras vestes deponendas. Diaconus a latere descendet ad abacum, deponet planetam plicatam et stolam latiorem sibi induet, si licebit uti, Evangeliarium sumet et ad Altare deferet. Subdiaconus se sistet ante Altare, et Acolythi iunctis manibus illuc venient.

36. Diaconus librum in medio Altari deponet, deinde flexis genibus in extremo suppedaneo recitabit *Munda cor meum*: assurget, Evangeliarium resumet, se addet Subdiacono dextrorsum, quocum simul et Acolythis, facta ad Altare genuflexione, procedet cum ipsis ad ultimam partem Passionis cantandam *Post haec autem rogavit* etc. tono Evangelii, advertens quod nec librum nec seipsum signare debet.

37. Celebrans convertetur ad Diaconum, ut in Missis solemnibus.

38. Clerus, qui sederit in discessu Diaconorum Passionis cantorum, consurget dum Diaconus incipiet canere praedictam partem Passionis.

39. Evangelio, seu parte ultima Passionis cantata, Diaconus claudet librum, quem Subdiaconus tradet Acolytho cuipiam.

40. Celebrans convertetur ad Missale ut cantet orationes, quum a Caeremoniario ipsi indicabitur. Ministri et Acolythi redibunt ante Altare et ad Crucem genuflectent. Diaconus ascendet in gradum superiorem et stabit post Celebrantem, et Subdiaconus post Diaconum in gradu infimo: Acolythi ad abacum redibunt, ibique deposito Evangeliario, permanebunt.

41. Quum Ministri post Celebrantem stabunt, Caeremoniarius significabit ei, ut canere incipiat orationes. Notandum, quod admonitiones sive invitatio ante orationes cantanda est tono praestituto et iunctis manibus, quod ad *Oremus* ante orationes aperiendae et claudendae sunt manus et caput ad Crucem inclinandum, quodque orationes cantandae sunt tono feriali manibusque apertis. Caeremoniarius innuet Diacono, quum dicere debebit *Flectamus genua*, quumque erit omittendum (*a*).

42. Innuente Caeremoniario (quod esse fere poterit ad ora-

(*a*) De oratione *pro Romano imperio* vide lib. I. cap. XIV. n. 329.

tionem *pro haereticis*) duo Acolythi sument tapetum violaceum pro Crucis adoratione praeparatum, explicabunt et extendent ipsum ante Altare in medio, non vero a latere: eiusque summitas pertinget non sublimius quam ad infimum Altaris gradum: deinde alter pulvinum violaceum, alter velum album accipiet; pulvinus ponetur super gradu infimo in medio, et velum album super pulvinum superque tapetum in longitudinem extendetur.

43. Postquam Celebrans omnes orationes cecinerit, Clerus in choro considebit.

44. Cantores duo venient versus latus Epistolae, ut Celebranti adiumento sint in cantu, quemadmodum mox declarabitur.

45. Post orationes cantatas, Celebrans medius inter Ministros a latere descendet de Altari et perget ad solitum scamnum ipsis praeparatum. Celebrans ibi et Subdiaconus, si uti ipsi licebit, planetam deponent. Interea clericus aliquis in promptu habebit scabellum a Diacono utendum, si opus fuerit. Unus ex Acolythis Missale Celebrantis accipiet et paratus erit ad illud sustinendum ante eumdem Celebrantem, ut deinceps tradetur.

46. Celebrans inter Ministros redibit ad Altaris planum versus Epistolae latus ibique stabit versa ad populum facie. Diaconus relinquet ibi Celebrantem cum Subdiacono a sinistris eius, ad Altare ascendet a latere et facta genuflexione in medio suppedaneo, sumet Crucem ex Altari, pedem ibi seu basim eius relinquens: si opus fuerit, conscendet scabellum et Caeremoniarius sustinebit eum.

47. Diaconus Crucem sumptam utraque manu afferet reverenter ad Celebrantem, quam ob rem descendet de medio Altari. Clerus in choro consurget, quum Celebrans et Ministri de scamno discedent redituri ad Altare.

48. Diaconus Celebranti sine osculis tradet Crucem (*a*) et se sistet a dextris eius. Acolythus accedet ad Subdiaconum cum Missali aperto in commodum Celebrantis.

(*a*) Crux quae detegitur et adoranda proponitur, potest esse lignea, metallica ecc. debet autem illi inhaerere imago Crucifixi. Expressio *Ecce lignum Crucis* est historica, siquidem refertur ad originem huiusce ritus ex eo quod in urbe Hierusalem in verae Crucis functione fiebat.

49. Celebrans, accepta Cruce, dextera deteget partem superiorem eius usque ad partem transversam, adiuvante Diacono aut Caeremoniario, si opus fuerit. Crucis superiore parte detecta, Celebrans e Missali cantabit *Ecce lignum Crucis* et cantores praedicti vel etiam Ministri continuabunt *in quo salus mundi pependit* et chorus cantorum *Venite adoremus.*

50. His verbis *Venite adoremus* omnes congeniculabunt, excepto Celebrante: Acolythus sustinens librum, claudet ipsum statim et genua submittet.

51. Post primam adorationem omnes consurgent et Celebrans cum Ministris et Acolythus cum libro ascendet a latere ad Altare in angulum seu cornu Epistolae: Celebrans adiutus, ut supra, deteget brachium dexterum Crucis et Crucifixi et caput eiusdem imaginis, Crucemque paullo plus attollens cantabit iterum *Ecce lignum Crucis*, vocem etiam elevans intervallo unius hemitonii et respondebitur, ut supra, *in quo etc.* et *Venite adoremus* omnesque, ut prima vice, congeniculabunt.

52. Tandem Celebrans cum Ministris et Acolytho veniet in medium suppedaneum, Crucem in totum deteget, quam paullo amplius attollet vocemque elevans altero hemitonio, canet tertia vice *Ecce lignum Crucis*, cantores prosequentur *in quo* etc. et chorus *Venite adoremus* omnesque congeniculabunt et genibus flexis remanebunt.

53. Celebrans, comitante Caeremoniario, de Altari descendet ac deferet Crucem ad tapetum praeparatum ibique adgeniculabitur, Crucem cussino et velo albo imponet ac taeniis, si opus fuerit, cohibebit.

54. Imposita cussino Cruce, assurget et genuflectet: eodem tempore consurget Ministri, qui cum Celebrante et ipsi genuflectent ad Crucem, ceteri omnes consurget et stabunt.

55. Celebrans perget ad scamnum et Ministri ei obviam venient et cum ipso ad scamnum procedent. Ibi Celebrans deponet manipulum, sedebit et calceos sibi detrahet. Ministri stabunt loco uterque suo (*a*).

(*a*) Qua ratione Celebrans et Ministri in hac actione debeant manipulum dimittere, inspice notam cap. XIV. num. 336. lib. I.

56. Cantorum chorus incipiet canere improperia, et unam eorum partem vel omnia cantare poterit prout requiret Crucem adorantium numerus.

57. Celebrans, comitante Caeremoniario, veniet versus medium presbyterium et sex fere passus procul a Cruce subsistens, in genua procumbet et brevi Crucem adorabit: assurget, accedet paullo plus ad Crucem, geniculabit et adorationem peraget eodem modo: postremo assurget et ante Crucem progressus geniculabit et postquam adoraverit eam, ut supra, prosternet se, pedes osculabitur Crucifixi, assurget, genuflexionem simplicem faciet et recta ad scamnum redibit, ubi sedebit, calceos rursus sibi inducet manipulumque et planetam resumet.

58. Postea Clerus Crucem adoratum procedet hoc ordine: videlicet Praesules, si aderunt, Ministri sacri, Canonici, Beneficiarii seu Mansionarii, Clerici, post omnem Clerum Magistratus, postremo laici sequentur. Si Ministri non fuerint Canonici, immediate post Canonicos ibunt et ante Beneficiarios.

59. In adoratione praedicta incedent bini et si quo in coetu dispar esset numerus, terni incedent qui ultimum par constituunt: digniores seu seniores procedent primi. Curabitur, ut haec actio peragatur ordinatim ideoque ad confusionem vitandam destinari poterunt sex clerici, qui adsint in locis adorationum, videlicet bini in singulis locis, qui nutu significent quum tempus sit assurgendi et progrediendi ulterius: haec regula servabitur, quod quum primi osculata Cruce assurgent, tunc assurgant alii qui in secunda adoratione erunt; qui vero erunt in prima transibunt, ad secundam ac duo in primam introibunt. Calceamenta a Ministris et Canonicis deponentur, si usus iste receptus fuerit.

60. Ministri ad scamnum reversi, sibi rursus calceamenta inducent, deinde manipulos; Subdiaconus autem rursus induetur etiam planeta plicata, si utetur ea, Acolythus sustinebit Missale apertum ante Celebrantem, ex quo hic simul cum Ministris leget improperia (*a*). Celebrans et Ministri stabunt capite bireto cooperto.

(*a*) Si Ministri legent improperia simul cum Celebrante, divisio versiculorum poterit servari illa, quae proponitur a *Memoriali rituum* et legetur lib. 3. cap. 5. num. 65.

61. Postquam Celebrans detegerit Crucem, clericus aliquis deteget Crucem processionalem, itemque ipse vel alius clericus denudabit Cruces in altaribus ecclesiae.

62. Si mos esset, ut laici non post Clerum, sed in alio sacello adorarent Crucem, praeparatum ibi erit tapetum cum cussino, ut superius descriptum est: statim ac Celebrans Crucem adoraverit, Sacerdos aliquis indutus superpelliceo et stola nigra Crucem cum Crucifixo detecto afferet ad sacellum praedictum, imponet eam cussino et laicis adorandam proponet. Caveatur omnino, ne haec actio fiat in sacello, in quo expositum erit SS. Sacramentum. Postea Crux illa a Sacerdote removebitur et in sacrarium referetur quum initium processionis fiet ad referendum in Altare maius SS. Sacramentum.

63. Interea dum Crucis adoratio fiet, ut functio bene procedat, praevidenda haec erunt: Subdiaconus Crucem in processionem gestaturus, postquam adoraverit Crucem, revertetur in sacrarium ibique se parabit amictu, alba et cingulo, atque etiam planeta coloris nigri ante pectus plicata, si ea uti licebit; aderit deinde in choro quum adoratio Crucis peracta erit. Duo thuriferarii, thuribula in processionem gestaturi, postquam Crucem adoraverint, pergent in sacrarium, ignem praeparabunt in thuribulis et aderunt in sacello, in quo expositum est SS. Sacramentum, quum illuc veniet processio. Clerici delegati intorticiis seu candelis distribuendis universo choro vel parti ipsius (*a*) post adorationem, ut supra, venient in praedictum sacellum ibique in promptu habebunt candelas sive intorticia accensa Clero advenienti distribuenda: aderunt etiam ibi duo clerici, qui tradant umbraculum hastile dignioribus Cleri, iam praemonitis. Item praesto erit in eodem sacello Sacrista indutus superpellicio et stola nigra, qui custodiam SS. Sacramenti aperiat.

64. Postquam Celebrans improperia legerit cum Ministris, acolythus Missale in cussino seu legili referet ad Altare.

(*a*) Iuxta dispositionem Caeremonialis Episcoporum, non omnis Clerus sed octo aut decem Cappellani seu Beneficiarii ferre deberent intorticia vel candelas ante SS. Sacramentum.

65. Sub finem adorationis unus ex Acolythis ibit in sacrarium et accendet gossypium ceratum, deinde candelas Altaris et candelabrorum in abaco accendet. Diaconus nudabit caput, biretum in scamno relinquet, perget ad abacum, bursam sumet cum corporali, addito purificatorio. Ascendet a latere ad Altare genuflectet versus Crucem, ad Altare convertetur, corporale et purificatorium extrahet e bursa, quam loco solito versus partem Evangelii deponet: deinde in medio Altari explicabit corporale et prope ipsum a dextris ponet purificatorium: hoc eodem tempore Caeremoniarius vel acolythus accipiet Missale cum cussino seu legili e latere Epistolae, et facta genuflexione versus Crucem, transferet illud in cornu Evangelii prope corporale, ut in Canone Missae. Postea Caeremoniarius cum Diacono convertentur ad Crucem, genuflexionem iterabunt, de Altari a latere descendent et ad locum uterque suum redibunt: Diaconus rursus sedebit et caput bireto operiet. Clericus quispiam ponet in Altari vasculum vitreum cum aqua et purificatorio, de quorum usu dicetur inferius.

66. Completa Crucis adoratione, Diaconus assurget, nudabit caput et comitante Caeremoniario veniet ad tapetum, in quo posita erit Crux: ibi prius genuflectet, deinde adgeniculabitur, accipiet Crucem eamque elatam sustinens utraque manu referet ad Altare. Si opus fuerit, aderit clericus, qui scabellum afferat, quo Diaconus ascendat.

67. Statim ac Diaconus adgeniculabitur, Celebrans, Subdiaconus et chorus nudabunt caput et in genua procumbent.

68. Diaconus ascendet ad Altare et Crucem in pede seu basi reponet, atque iterata in suppedaneo genuflexione, a latere ad Celebrantem redibit. Cruce basi imposita, Celebrans, Subdiaconus et chorus consurgent. Acolythi vel duo clerici solicitissime tollent velum album, pulvinum et tapetum violaceum, quae in Crucis adoratione adhibita fuerint, eaque referent suo loco vel in sacrarium.

69. Sine cunctatione ordinabitur processio, quae ad Altare vel sacellum, in quo expositum erit SS. Sacramentum, procedet hoc ordine.

70. Praecedet Subdiaconus cum Cruce processionali detecta, medius inter Acolythos, qui candelabra cum candelis accensis gestabunt, quique Acolythi e presbyterio discedentes genuflectent ad Crucem Altaris: deinde cantores: clerici bini: Beneficiarii seu Mansionarii bini: Canonici pariter bini, ac si quo in coetu dispar esset numerus, ultimo loco incedent terni: subsequetur Subdiaconus, tum Diaconus, postremo Celebrans. Canonici et Celebrans de Altari discedentes, genuflexionem ad Crucem uno genu conficient: Celebrans et Ministri incedent iunctis manibus et capite cooperto. In quibus ecclesiis desideraretur Subdiaconus, qui crucem processionalem gestaret, poterit clericus superpellicio indutus supplere.

71. Processione in sacellum perveniente, ubi SS. Sacramentum erit expositum, Acolythi genuflectent, et simul cum Subdiacono gestante Crucem, recedent prope aditum versus partem Evangelii, ut expeditior sit eorum discessus: reliqui omnes de Clero genuflexionem utroque genu exsequentur, et intra vel extra sacellum, iuxta ipsius capacitatem, in unum aut plures ordines disponentur et congeniculabunt: qui primi in processionem incedent, consistent propius aditum, ceteri versus Altare. Celebrans cum Ministris nudabunt caput ante aditum sacelli, et in ipso aditu Subdiaconus et Diaconus biretum tradent Caeremoniario. Celebrans autem Diacono et hic committet Caeremoniario, qui curabit ut a clerico aliquo ad scamnum Celebrantis et Ministrorum illa referantur, Celebrans in ipso aditu medius accipietur a Ministris et simul procedent ante Altare, genuflectent utroque genu in plano ad SS. Sacramentum, tum consurgent et in genua procumbent super infimum gradum ac brevi tempore orabunt.

72. Interea Clero distribuentur intorticia seu candelae accensae, afferetur umbraculum ante sacellum et tradetur dignioribus Cleri, qui hoc officio fungi debebunt, ac prope Altare aderunt duo thuriferarii cum thuribulis et naviculis.

73. Quum omnia erunt disposita, Caeremoniarius innuet Sacristae, qui assurget, conscendet suppedaneum, genuflectet non in medio, sed versus latus Epistolae, ne tergum vertat Cele-

branti, accipiet claviculam urnae et aperiet ostiolum seu porticulam quin educat Sacramentum, ac si opus fuerit, ascendet super scabellum appositum, genuflexionem iterabit in suppedaneo, de gradibus descendet, redibit ad locum suum, deponet stolam et geniculabit. Tum assurget Celebrans cum Diacono, et Subdiaconus adgeniculatus remanebit.

74. Celebrans postquam assurrexerit, quin de medio abscedat, convertetur paullum super sinistram suam et sine benedictione iniiciet incensum in thuribula, quae subinde alterum post alterum illi obiicient thuriferarii stantes; Diaconus autem incensum Celebranti ministrabit. Rursus Celebrans et Diaconus in genua procumbet; Diaconus acceptum ab uno e thuriferariis thuribulum tradet Celebranti qui facta profunda inclinatione ante et post thurificationem, triplici ductu SS. Sacramentum thurificabit. In incensationis actu Ministri partem posteriorem planetae Celebrantis sustollent. Deinde Celebrans thuribulum restituet Diacono, hic thuriferario. Duo illi thuriferarii stabunt a lateribus ante Altare, ut locum deinde suum in processione sumant.

75. Si Clerus fuerit numerosus, poterit ordinari processio per ecclesiam et ad Altare maius proficisci, quo ordine inferius describemus.

76. Thuribulo a Diacono reddito, ut supra, Caeremoniarius velum humerale sumet ac Celebrantis humeris imponet; Subdiaconus illud alligabit ante pectus Celebrantis: Diaconus ascendet ad Altare, genuflectet in suppedaneo paullum a latere, ne tergum vertat Celebranti, educet ex urna Calicem cum Sacramento, et dextera acceptum infra cuppam, sinistra infra pedem, se convertens, tradet Celebranti. Celebrans adorabit Sacramentum, ponet accipiet Calicem sinistra ad nodum, et dextera extensa super patenam et assurget: Diaconus extremitatibus anterioribus veli humeralis operiet Calicem manusque Celebrantis et genuflectet. Celebrans cum Ministris versus populum convertetur, statimque cantores cantare incipient hymnum *Vexilla regis prodeunt* etc. quem processionis tempore prosequentur. Celebrans medius inter Ministros, qui iunctis manibus incedent, proficiscetur in processionem, quae sequenti modo disponetur.

77. Crux processionalis gestata a Subdiacono, adstantibus a lateribus Acolythis cum candelabris accensis: cantores hymnum supradictum canentes: clerici: Beneficiarii seu Mansionarii: Canonici: qui candelam aut intorticium sustinebunt, meminerint sustinere dextera si dextrorsum incedent, sinistra si sinistrorsum: si una tantum Cleri pars feret candelam sive intorticium, qui ferent intorticium incedent ante SS. Sacramentum: deinde sequentur thuriferarii, qui leviter agitantes thuribula, dum incedent, SS. Sacramentum adolebunt; idcirco thuriferarius a dextris, thuribulum sinistra, naviculam dextera sustinebit; alter a sinistris, thuribulum sustinebit dextera, naviculam sinistra: postremo Celebrans medius inter Ministros, gestans SS. Sacramentum sub umbraculo. Quod ad delatores umbraculi, observabitur quod num. 49 cap. praeced. traditum est.

78. Dum processio veniet ad altare maius, Acolythi recta ibunt ad abacum ibique candelabra deponent, Subdiaconus reponet Crucem quo loco erat et in sacrarium redibit ad sacras vestes deponendas: Clerus nullam faciens genuflexionem, siquidem SS. Sacramentum in processione comitatur, ad sua subsellia redibit ibique statim congeniculabit. Canonici, sive illi qui ferent intorticia, dirimentur in duas alas ante Altare, et quum Celebrans venerit ad Altare, ante ipsum semicirculum efficient. Thuriferarii cum thuribulis stabunt ante latera Altaris. Umbraculum removebitur in aditu presbyterii et a clericis huic rei delegatis, referetur in sacrarium, vel applicari poterit ad parietem prope ingressum Altaris maioris.

79. Diaconus statim ac Celebrans ante Altare veniet, geniculabit ante eum ac de manibus eius tollet extremitates veli humeralis, et ab eodem accipiet Sacramentum, ponens dexteram infra cuppam et sinistram infra pedem Calicis, assurget atque expectabit dum Celebrans in genua procumbat et Sacramentum adoret. Deinde ascendet ad Altare et in medio ponet Calicem super corporale, genuflectet, assurget, solvet taeniam alligantem velum infra cuppam, expandet velum ipsum, cavens ne moveat patenam, iterabit genuflexionem et ad dexteram Celebrantis redibit.

80. Interea Subdiaconus Celebranti expediet velum humerale, quod a Caeremoniario recipietur et in abaco reponetur.

81. Diaconus reversus ad dexteram Celebrantis geniculabit, deinde cum Celebrante tantum assurget, genibus flexis manente Subdiacono. Celebrans incensum, Diacono ministrante, sine benedictione iniiciet in thuribulum a thuriferario stante ipsi obiectum. Rursus genuflectet Celebrans cum Diacono, atque hic acceptum a thuriferario thuribulum porriget Celebranti, qui SS. Sacramentum triplici ductu thurificabit; eique Sacramentum thurificanti Ministri partem posteriorem planetae sustollent. Celebrans Diacono, Diaconus thuriferario restituet thuribulum. Thuriferarii coibunt in medium ante Altare, genuflectent Sacramento, deinde alter ex illis redibit in sacrarium ad thuribulum deponendum, functus iam officio suo, alter remanebit apud abacum pro reliqua functione.

82. Celebrans cum Diacono a dextris et Subdiacono a sinistris ascendet ad Altare et ubi venerint in suppedaneum, iterabunt genuflexionem: Celebrans manus imponet Altari, Ministri autem genuflectent, etiam deinceps, iunctis manibus non eas imponentes Altari. Subdiaconus, genuflexione facta, transibit ad dexteram Diaconi et genuflexionem iterabit. Acolythus quispiam ampullas cum pelvicula et manutergio sumet, ut in Missis solemnibus, easque afferet ad Altare, genuflectet ibique remanebit donec eas recipiet. Diaconus e Calice tollet velum album, quod tradet Caeremoniario et in abaco reponetur: deinde Diaconus ipse e Calice patenam tollet et pallam: patenam accipiet et ante Celebrantem sustinebit intra corporale: Celebrans accipiet Calicem et sacram Hostiam ex illo faciet leviter effluere super patenam, ac si opus fuerit, poterit eam digito extollere; hoc casu digitum purificabit in vasculo praeparato et exterget purificatorio: sic etiam advertat demittere Hostiam in mediam patenam.

83. Diaconus dabit patenam Celebranti, qui accipiet illam utraque manu et ponet Hostiam in medio corporali nullum faciens Crucis signum et patenam reponet super corporale a dextris suis. Diaconus accipiet calicem, neque eum imponens Altari neque extergens purificatorio, sustinebit sinistra: ampullam vini a

Subdiacono accipiet et aliquantulum infundet in calicem; Subdiaconus sumet ampullam aquae et tres vel quatuor guttas in calicem infundet, quin benedictionem petat a Celebrante, qui consuetam orationem omittet. Subdiaconus ampullam aquae Acolytho reddet, recipietque a Diacono ampullam vini et eidem Acolytho restituet; genuflectet; transibit ad laevam Celebrantis ibique genuflexionem iterabit.

84. Acolythus recipiet ampullas cum pelvicula et manutergio, genuflectet easque referet ad abacum et ibi geniculabit. Diaconus, ampulla vini Subdiacono reddita, calicem, quin abstergat intus, tradet Celebranti, qui nullum faciens Crucis signum ponet eum super corporale et Diaconus palla cooperiet.

85. Tum ad Altare ascendet thuriferarius cum thuribulo et navicula, ac thuribulum obiiciet Celebranti, qui, ministrante Diacono, incensum in thuribulum sine benedictione iniiciet. Diaconus a thuriferario acceptum thuribulum tradet Celebranti, qui Altare et Oblata adolebit ritu Missarum solemnium, recitans orationes *Incensum istud* etc. *Dirigatur, Domine* etc. Interea Acolythi in promptu habebunt ampullam aquae cum pelvicula et manutergium sive sudariolum. Thurificatione completa, Celebrans thuribulum Diacono restituet dicens *Accendat etc.* Diaconus acceptum ab eo thuribulum reddet thuriferario, quin Celebrantem thurificet. Thuriferarius in sacrarium reportabit thuribulum, quo non amplius opus erit in functione. Celebrans de suppedaneo descendet in primum aut alterum gradum a latere Altaris, ne tergum vertat Sacramento, et facie ad populum versa, lavabit manus omittens psalmum *Lavabo* etc. Subdiaconus aquam, Diaconus manutergium ei ministrabit, easque res deinde Acolythi recipient et ad abacum referent.

86. Celebrans redibit ad medium Altaris, Ministris sequentibus, nempe Diacono in primo gradu, Subdiacono in plano ante infimum gradum. Ad medium Altaris ut venerint, genuflectent. Celebrans iunctis manibus et paullum inclinatus recitabit orationem *In spiritu humilitatis* etc. Deinde non osculans Altare, genuflectet, ad populum convertetur super sinistram suam, non complens circulum nec tergum vertens Sacramento, dicet elata

voce *Orate fratres, ut meum ac vestrum* etc. Ministri non respondebunt *Suscipiat Dominus* etc.

87. Celebrans conversus ad Altare, genuflexionem ad Sacramentum iterabit: deinde tono feriali et iunctis manibus (neque enim rubrica indicat aperiendas esse) cantabit *Oremus. Praeceptis salutaribus* etc. et *Pater noster* etc. Chorus canendo respondebit *Sed libera nos a malo,* Celebrans secreto adiiciet *Amen:* tum eodem vocis tono et iunctis manibus subiunget orationem *Libera nos, quaesumus, Domine* etc. cui non praeponet *Oremus* nec se patena signabit.

88. Sub finem orationis Diaconus transibit ad dexteram in primo gradu, et Subdiaconus in primum eumdem gradum ascendet ad laevam Celebrantis et in extremo suppedaneo geniculabunt. Celebrans genuflectet, patenam accipiet et Hostiae supponet, tum sinistra accipiet patenam, dextera s. Hostiam, quam sola dextera paullum elevabit perpendiculariter supra patenam, ut ab adstantibus conspici possit, postea demittet. Non attollent Ministri planetam Celebrantis, non thurificabitur Sacramentum, nec pulsabitur crotalum.

89. Quo momento Celebrans s. Hostiam demittet, Ministri consurgent et accedent ad latera Celebrantis, qui non reponet s. Hostiam in patena, nec genuflectet, sed Diaconus statim deteget Calicem et Celebrans relicta patena super corporale, ponet Hostiam supra Calicem, eamque dividet ut in aliis Missis, nihil dicens; ponet binas Hostiae partes super patena, deinde particulam Hostiae in Calicem infundet, nullum faciens Crucis signum nullumque proferens verbum. Diaconus rursus cooperiet Calicem et Celebrans cum Ministris genuflectent.

90. Diaconus ad laevam, Subdiaconus ad dexteram Celebrantis transibit et genuflexionem iterabunt. Celebrans iunctis manibus in Altari secreto dicet orationem *Perceptio corporis tui* etc. postea genuflectet, s. Hostiam cum patena accipiet dicens *Panem caelestem* etc. ter pectus percutiens dicet *Domine non sum dignus* etc. se signabit dicens *Corpus Domini nostri* etc. ritu pro Missa praescripto (*a*).

(*a*) Caeremoniale Episcoporum praescribit ut oratio *Perceptio* etc. secreto recitetur, ut in aliis Missis « Tunc secrete ut alias dicit *Perce-*

91. Interea unus Acolythus afferet ad Altare ampullas aquae et vini in pelvicula, alter deferet velum nigrum calicis, quod ponet in Altari ipso versus cornu Evangelii.

92. Postquam Celebrans communicaverit, Subdiaconus tollet de calice pallam: Celebrans et Ministri genuflectent. Celebrans fragmenta patena colliget quo loco fuerit s. Hostia, eaque demittet in Calicem, quem deinde accipiens dextera et mento supponens patenam, consummabit vinum, quod erit intra Calicem cum sacra Particula, nihil dicens nec se signans.

93. Consurget Clerus in choro, extinguentur intorticia seu candelae, quae a clericis huic rei delegatis colligentur et in sacrarium referentur.

94. Subdiaconus deinde ablutionem vini et aquae ministrabit Celebranti, qui accipiet eam nihil dicens, ut in aliis Missis.

95. Diaconus de Altari descendet et apud abacum deponet stolam latiorem sibique rursus induet planetam plicatam, si uti licebit, secus veniet ad dexteram Celebrantis. Subdiaconus ad laevam Celebrantis transibit, Calicem exterget, plicabit corporale, ut in Missis solemnibus, referet illud ad abacum et ad laevam Celebrantis redibit. Ministri transeuntes ex altero ad alterum latus Altaris, genuflectent in medio ad Crucem, post Celebrantem.

96. Quum ad latera Celebrantis redierint Ministri, Celebrans iunctis manibus, inclinatus et voce intelligibili recitabit orationem *Quod ore sumpsimus* etc. qua huius functionis fiet finis.

97. Caeremoniarius accipiet bireta Celebrantis et Ministrorum, et Acolythi iunctis manibus venient ante Altare.

98. Celebrans cum Ministris descendet de Altari et simul cum Ministris et Acolythis genuflectet ad Crucem. Diaconus biretum dabit Celebranti et Caeremoniarius Diacono et Subdiacono, qui omnes nullam facientes reverentiam ad chorum, praecedentibus Acolythis, redibunt in sacrarium, ut in Missis solemnibus, et sacra paramenta dimittent.

ptio Corporis etc. *Panem caelestem* etc. et *Domine, non sum dignus* etc. et continuat *Corpus Domini* etc »

99. Quum e choro discesserit Celebrans cum Ministris, recitabuntur Vesperae a Clero, qui remanebit in choro, ut pridie.

100. Item, profecto e choro Celebrante, duo clerici designati amovebunt ab Altari tobaleam, Missale cum cussino vel legili, et ex abaco reliqua omnia in functione adhibita et ipsam abaci tobaleam. In Altari adhuc ardebunt candelae dum recitantur Vesperae; Vesperis absolutis, extinguentur.

101. Clerus e choro discedens genuflectet universus ad Crucem, et mutuae reverentiae, ut superius traditum fuit, omittentur.

DE SABBATO SANCTO.

CAPUT XXVII.

Quae sint praeparanda.

1. Pridie vespere quum clausa erit ecclesia, vel etiam ipso mane Sabbati sancti, mature exornentur festive omnia Altaria, in quibus tamen non ponentur Reliquiaria aut alia ornamenta inter candelabra, nec pallium albi coloris, quum id faciendum sit post functionem. Itidem velatae adhuc erunt in Altaribus imagines sacrae, in fine litaniarum detegendae ut deinceps declarabitur. Super Altare, in quo post functionem reponetur Sacramentum, praesertim si ecclesia fuerit paroecialis imponetur ciborio seu tabernaculo conopaeum album coopertum altero violaceo, et relinquetur aperta eiusdem tabernaculi portiola.

2. Altare maius ornabitur candelabris nobilibus numero sex cum candelis e cera alba: in medio Crux detecta similis candelabrorum. Ponentur in eo tres tobaleae, pallium album coopertum alio violaceo superposito, et tapetum nobile super gradus, quod contegi possit alio violaceo, si tamen id facile erit factu. In Altari a latere Epistolae praeparabitur cussinus

violaceus vel legile cum Missali exornato tegumento violaceo in usum Celebrantis.

3. In latere Evangelii ponetur candelabrum et super ipsum cereus paschalis (*a*) qui habebit ellychnium ita dispositum ut facile accendi possit: prope candelabrum apponetur commodum scabellum, cuius ope possit Diaconus grana thuris infigere Cereo: prope idem candelabrum praeparabitur legile maius coopertum nobili panno albi coloris ad cantandum *Exultet* et ita disponetur, ut Diaconus stet eo statu, quo solet canere Evangelium. Ex eadem parte praeparabitur alterum legile nudum applicitum parieti, ponendum in presbyterio pro canendis prophetiis. Aderunt etiam hastae cum gossipio cerato, quo candelae Altaris tempore debito accendentur.

4. In latere Epistolae praeparatum erit scamnum Celebrantis et Ministrorum, quod cooperietur nobili panno, qui adhiberi solet in solemnitatibus et superponetur alter violaceus amovendus, quum tempus erit.

5. Abacus in latere Epistolae contegetur alba tobalea; super ipsa praeter res omnes pro Missa solemni albi coloris, ponetur etiam cussinus albus cum Missali instructo albo tegumento pro Celebrante, tabellae secretarum seu chartegloriae: liber pro canendo *Exultet*, albo tegumento exornatus et alterum Missale cum tegumento violaceo pro canendis prophetiis: omnia cooperientur velo amplo violaceo, quod sternetur super totum abacum et debito tempore amovebitur, ut inferius. Si in ecclesia aderit fons baptismalis, erunt etiam in promptu duo candelabra cum candelis albis pro Acolythis.

(*a*) Cereus paschalis ponendus est super candelabro, non vero super cornucopio, ut statutum est a S. Congregatione Rituum. Cereus autem imponendus est candelabro usque a principio functionis huius diei, idque eruitur e Caeremoniali Episcoporum lib. 2 cap. 27. num. 1. « Praeparetur etiam Cereus Paschalis praegrandis cum quinque granis incensi in eo infigendis, qui ponitur in aliquo candelabro condecenti, regulariter in latere Evangelii, vel alibi pro situ loci ». Idcirco curabitur, ut scabellum, quo utetur Diaconus ad infigenda in Cereo grana, idoneum sit huic circumstantiae.

6. Apud abacum aderunt tres cussini violacei adhibendi in prostratione et scabellum ligneum cum Missali pro cantoribus Litaniarum.

7. Planeta violacea cum manipulo simili, quibus induetur Celebrans, poterit disponi super abaco vel super scamno eiusdem Celebrantis.

8. Apud Altare maius et reliqua etiam Altaria praeparabuntur lampades ita aptatae ut facile accendi possint.

9. In atrio ecclesiae extra portam maiorem aut in aditu ipso, si ecclesia caruerit porticu, praeparabitur abacus alba tobalea coopertus, in qua ponetur dalmatica albi coloris cum stola et manipulo simili pro Diacono; manipulus violaceus pro Subdiacono; Missale cum tegumento violaceo pro benedictione ignis: aliquantum gossipii cerati vel etiam laterna cum subtili candela et duo vel tria sulphurata ad accendendum lumen. Iuxta eumdem abacum praeparabitur arundo cum tricereo in summitate et poterit floribus exornari: arundo locata erit in basi (*a*).

10. Extra portam aderit focus decens, in quo praeparati erunt carbones accendendi, forcipes ad sumendum ignem et instrumenta ad eliciendam e silice favillam, qua ignis accendatur.

11. Si Ecclesia fuerit paroecialis et habuerit fontem baptismalem, educetur ex ipso aqua baptismalis octo ante Pascha diebus, reservata aliqua eius parte in sacrario, ut in necessitatibus adhiberi possit, siquidem octo diebus Pascha praecedentibus baptismum publice administrare non licet. Quapropter fons purgabitur et apertus relinquetur, ut evanescant inde udor et graveolentia. Implebitur autem hoc mane, vel praecedenti vespere, aqua limpida eaque copia, ut quum sanctificata fuerit, una pars pro baptismo servari possit, altera infundatur in conchas seu vasa ante portas ecclesiae, tertia pro usu fidelium conservetur. Exterior fontis pars exornabitur floribus virescen-

(*a*) Arundo oportet ut sit cannea, nec probari potest usus quarumdam ecclesiarum, quae utuntur hasta lignea picta ad instar cannae. Tricereus seu candelae arundini impositae, debent in extremitate vicissim adhaerere, nec licet adhibere tria cornucopia cum candelis posita in apice arundinis.

tibus, qui poterunt etiam spargi et herbis odoriferis misceri super fontis pavimentum.

12. Prope baptisterium intra sive extra sacellum, prout commodius videbitur, praeparabitur abacus contectus alba tobalea, in qua ponetur urceus cum pelvi, manutergium, medulla panis et mali medici in pelvicula pro ablutione manuum Celebrantis; binae ampullae argenteae pariter in pelvicula, quarum altera plena erit sacro Chrismate, altera Oleo sancto pro Cathecumenis; Missale cum tegumento violaceo ad usum Celebrantis; spongia vel mantile e tela rudi ad abstergendam aquam in labro fontis; pannus e tela subtili pro extergendo Cereo, ut inferius docebitur; stola violacea; vasculum vacuum cum aspergillo; aliquantum gossipii et vasa ad hauriendam aquam e fonte baptismali, ut suo tempore declarabitur. Si fontis operculum esset amovibile, ponetur seorsim, ut postea, completa benedictione, statim reponatur.

13. Si baptizandi erunt infantes vel etiam adulti, praeparabitur in abaco separato quidquid necesse erit pro administratione baptismi, qua super re sermo erit lib. 4. cap. I. II. et III. et rebus ibi notatis addetur pluviale album pro Celebrante baptismum administraturo.

14. Apud fontem statuetur scamnum contectum panno violaceo pro Celebrante et Ministris, ac si loci amplitudo patietur, disponentur etiam scamna et subsellia pro Clero.

15. In sacrario super tabula, seu mensa erunt in promptu paramenta albi coloris pro Celebrante et Ministris, videlicet planeta, stola et manipulus pro Celebrante; dalmatica, stola diaconalis et manipulus pro Diacono, tunicella et manipulus pro Subdiacono.

16. Pro iisdem in altera mensa praeparabuntur paramenta idest pluviale cum stola violacea, cingulum, alba, amictus et biretum pro Celebrante; planeta plicata, si licebit uti, stola diaconalis coloris violacei, cingulum, alba, amictus et biretum pro Diacono; planeta plicata, si licebit uti, cingulum, alba, amictus et biretum pro Subdiacono: superpellicea sufficienti numero pro Clero; thuribulum cum navicula; vasculum aquae sanctae cum

aspergillo; quinque grana Cereo infigenda, aliquantum gossipii cerati ad accendendum tricereum, Crux processionalis; ac si ecclesia caruerit fonte baptismali, duo candelabra cum candelis albis pro Acolythis.

17. In sacello, seu loco illo, in quo asservabitur SS. Sacramentum, aderunt res eaedem quas innuimus fer. V. in Coena Domini cap. XXV. num. 10. ut referri possit in ecclesiam post functionem: insuper apud ipsum Altare in ecclesia disponentur tobaleae in balaustrio, si post functionem administrabitur s. Communio pro complemento praecepti paschalis.

18. Si soleat in ecclesia servari aqua sancta in vasis ante portas, si erit paroecialis et instructa fonte baptismali, educetur e vasis supra dictis aqua benedicta quo tempore canentur prophetiae, ut in illa possit rursus infundi altera quae in fonte benedicta fuerit.

In functione

19. Si de more ecclesiae, amota fuerit e vasis aqua benedicta, nec reservata sit quaedam quantitas sufficiens pro administratione Sacramentorum, ut cap. XXV. num. 80. monuimus, Sacrista vel alius Sacerdos indutus superpellicio et stola violacea, aliquam aquae sufficientem quantitatem benedicet ante functionem, eaque servabitur in sacrario, adhibenda, ut inferius docebitur.

20. Hora praestituta congregabitur Clerus in sacrarium, quumque omnia disposita erunt, pulsabitur aliquantisper crotalum ad portam sacrarii, et Clerus ibit in chorum horasque minores recitabit ritu praescripto duobus anteactis diebus, ac si aderunt Praesules aut Canonici in sua ecclesia, salutabunt Crucem Altaris maioris. Candelae Altaris erunt extinctae.

21. Dum Clerus in chorum veniet ad recitandas horas minores, duo clerici superpellicio induti procedent ad portam et accendent ignem praeparatum, elicientes e petra focaria favillam, siquidem hic ritus excutiendi ignem e lapide non caret mysterio. Accenso igne, ponent focum in medio atrio, vel si ecclesia carebit atrio, extra portam in medio aditu ecclesiae.

22. Interea in sacrario se parabunt Celebrans et Ministri paramentis violaceis, superius indicatis, methodo tradita pro Missis solemnibus, et praesto erunt, quum Clerus in sacrarium revertetur.

23. Clerus, recitatis in choro horis minoribus, redibit in sacrarium.

24. Thuriferarius thuribulum sine igne et naviculam accipiet, Acolythus alter sumet vasculum aquae sanctae cum aspergillo, alter sumet pelvim cum granis incensi Cereo infigendis et Subdiaconus Crucem processionalem, ac procedetur recta ad portam primariam ordine sequenti.

25. Praeibunt tres clerici sive Acolythi, videlicet medius ibit Acolythus ferens vasculum aquae sanctae, thuriferarius a dextris eius, a sinistris autem alter Acolythus afferens grana thuris: deinde solus incedet Subdiaconus Crucem processionalem gestans: tum Clerus ordine praestituto, nempe clerici, Beneficiarii et Canonici, in quibus ordinibus si quis esset numero dispari, terni incedent ultimo loco: postremus ibit Celebrans cum Diacono a sinistris, iunctis manibus et capite bireto cooperto: reliqui omnes capite nudato. Clericus quispiam ad scamnum Celebrantis et Ministrorum apud Altare afferet biretum Subdiaconi.

26. Quum pervenerint in atrium aut extra portam ecclesiae sive in aditum, Subdiaconus subsistet contra portam, si erit extra ecclesiam, secus in limine portae, si erit in aditu. Clerus disponetur circa portam in unum vel plures ordines, iuxta loci capacitatem et Cleri numerum. Digniores de Clero erunt propiores Celebranti. Celebrans stabit contra Crucem, conversis humeris ad Altare maius, ita ut focus cum igne sit medius inter Crucem et Celebrantem. Clerici cum thuribulo et granis incensi subsistent prope Celebrantem a dextris eius.

27. Clericus cum vasculo quum ad portam venerit, deponet vasculum in abaco et sumet Missale, quod apertum sustinebit ante Celebrantem, stans prope sinistram eius. Ubi Celebrans venerit ad locum superius indicatum, Diaconus caput deteget ac biretum suum tradet Caeremoniario, tum transibit ad dexteram Celebrantis et salutabit eum transiens ante ipsum, neque enim

transire debet post humeros eius. Celebrans deponet biretum, quod cum osculis consuetis accipiet, Diaconus et Caeremoniario tradet.

28. Celebrans iunctis manibus ac tono feriali cantabit *Dominus vobiscum* et tres orationes pro benedictione ignis: chorus respondebit *Amen* in fine orationum: Diaconus elevabit fimbriam dexteram pluvialis Celebrantis, quum hic facturus erit signum Crucis, ut in Missali notatur.

29. Post tres praedictas orationes qui Acolythus ante pectus sustinebit pelvim cum quinque granis, se sistet ante Celebrantem, qui benedicet illis, dicens orationem *Veniat, quaesumus, Domine* etc. non praeponens *Oremus.* Dum haec oratio recitabitur, thuriferarius ignem forcipe sumptum demittet in thuribulum, deinde rursus recedet versus dexteram Diaconi.

30. Postquam Celebrans recitaverit orationem, superius nominatam, super grana thuris, clericus librum sustinens, claudet illum et in abaco reponet; recipiet vasculum cum aspergillo et recedet prope thuriferarium.

31. Celebrans incensum cum usitata benedictione demittet in thuribulum a thuriferario obiectum: Diaconus ministrabit incensum et Caeremoniarius supplebit pro Subdiacono in attollenda fimbria dextera pluvialis Celebrantis. Iniecto a Celebrante in thuribulum incenso, recedet aliquantulum thuriferarius et Acolythus cum vasculo accedet ad Diaconum. Diaconus accipiet ab eo aspergillum et tradet Celebranti, qui asperget primo grana in medio, a sinistris et dextris suis, postea eodem modo ignem in foco dicens submissa voce antiphonam *Asperges me* etc. restituet aspergillum Diacono, hic autem Acolytho, qui ad abacum supra dictum referet vasculum et aspersorium. Diaconus acceptum a thuriferario thuribulum tradet Celebranti, qui eodem modo ac supra, adolebit grana et ignem. Postea Diaconus receptum a Celebrante thuribulum thuriferario restituet.

32. Diaconus discedet a Celebrante salutans eum et veniet ad abacum ibi praeparatum, exuetur planeta plicata, si utetur, et stola violacea et adiuvantibus Caeremoniario et Acolytho, qui vasculum ferebat, induet sibi manipulum album, stolam

diaconalem albam et dalmaticam similem: deinde idem Acolythus accipiet manipulum violaceum Subdiaconi eiusque brachio imponet illum. Haec actio fieri debet expedite. Acolythus praedictus ex igne benedicto accendet ramento sulphurato gossipium ceratum vel parvam candelam in laterna, et retinebit apud se, curans ne extinguatur.

33. Postquam Diaconus indutus erit paramento albi coloris, rursus redibit ad Celebrantem cum thuriferario, qui obiiciet illi thuribulum apertum et Diaconus ministrabit incensum. Celebrans iterum cum benedictione incensum in thuribulum iniiciet pro processione proque thurificatione antequam cantetur *Exultet.* Diaconus deinde arundinem utraque manu accipiet, ac processio proficiscetur versus Altare maius ordine, quem mox describemus. Duo autem clerici advertent, ut alter eorum ad scamnum Celebrantis deferat planetam plicatam, stolam, manipulum et biretum Diaconi, alter transferat pedem arundinis et collocet prope Altare ex parte Evangelii.

34. Itaque praeibit thuriferarius leviter agitans thuribulum, a dextris eius Acolythus gestans pelvim cum quinqne granis Cereo infigendis: Subdiaconus gestans Crucem processionalem, qui solus incedet: deinde qui de Clero sunt iuxta ordinem, ut superius innuimus, bini incedent: tum Diaconus cum arundine et a sinistris eius Acolythus ferens parvam candelam accensam; postremo Celebrans incedens iunctis manibus et capite cooperto. Reliqui omnes ibunt capite nudato.

35. Sacrista autem cum clericis suis, quum in ecclesiam introiverit processio, removebit seu iubebit removeri ignem a porta et poni seorsim in angulo ecclesiae, ut eo possint uti fideles, item claudi portam ecclesiae et abacum una cum rebus, quae in ipso erant, in sacrarium referri.

36. Ingresso in ecclesiam Celebrante, consistet omnis Clerus. Diaconus inflectet aliquantulum arundinem et primus Acolythus ferens candelam seu gossipium ceratum prope Diaconum, accendet unam e tribus candelis tricerei. Diaconus rursus eriget arundinem, geniculabit et cum eo congeniculabit omnis Clerus, et ipse Celebrans, qui nudabit caput, excepto Subdiacono, qui

stabit. Diaconus dum genuflectet, cantabit *Lumen Christi* et chorus canendo respondebit *Deo gratias*, quod faciet deinceps duabus aliis vicibus. Postquam responsum erit, ut supra, consurgent omnes de genuflexione et processio versus Altare maius progredietur.

37. Ubi Celebrans in mediam ecclesiam pervenerit, Clerus rursus subsistet, Diaconus inflectet arundinem, accendetur altera candela, cantabit, ut ante, *Lumen Christi* secunda vice, vocem attollens hemitonio.

38. Procedet deinde ad Altare maius processio. Subdiaconus cum thuriferario et Acolytho gestante grana thuris, consistet ante Altare: Clerus petet subsellia chori. Quum Celebrans prope Altare venerit, a Diacono inflectetur arundo et accendetur tertia tricerei candela: tum Diaconus idem cantabit *Lumen Christi* attollens vocem altero hemitonio.

39. Thuriferarius recedet versus latus Evangelii ante gradum Altaris; Acolythus gestans grana thuris recedet versus partem Epistolae ante Altare; Subdiaconus gestans Crucem consistet a dextris thuriferarii; Acolythus sustinens candelam vel gossipium ceratum, extinguet ipsum, accipiet a Diacono arundinem et subsistet a sinistris clerici gestantis grana, Diaconus recedet versus latus Epistolae ante Altare et locum transeundi dabit Celebranti, qui, nudato capite, biretum tradet Diacono; hic illud cum osculis acceptum Caeremoniario committet. Celebrans reverebitur Crucem, ascendet ad Altare, quod osculabitur in medio, et ibi consistet ad Altare conversus.

40. Diaconus a Caeremoniario accipiet librum Praeconii paschalis, ascendet ad Altare, geniculabit in extremitate suppedanei et benedictionem petet a Celebrante, qui ad eum conversus benedictionem ipsi largietur dicens *Dominus sit* etc. ut in Missali, videlicet pro verbis *Evangelium suum*, dicet *suum paschale Praeconium. In nomine Patris* etc. Diaconus autem manum Celebrantis osculabitur.

41. Diaconus, accepta benedictione, de Altari descendet et veniet medius inter Subdiaconum et clericos, alterum ferentem arundinem, alterum grana thuris et cum thuriferario; conversus

autem ad Altare genuflectet cum ipsis, exceptis Subdiacono ferente Crucem et clerico cum arundine; et alius post alium procedent ad legile praeparatum pro canendo Praeconio *Exultet*.

42. Ibi Diaconus librum imponet legili et aperiet, Subdiaconus consistet a dexteris Diaconi prope legile, facie et Crucifixi imagine versa ad Altare; a sinistris Diaconi stabit clericus cum arundine, conversus ut Subdiaconus, et prope eumdem clericum consistet alter grana ferens. Diaconus aperiet librum et omittens *Dominus vobiscum*, nec se signans, adolebit librum ut in Evangelio, tum reddito thuriferario thuribulo, incipiet canere *Exultet* (*a*) cuius initio Clerus consurget et Celebrans convertetur ad Diaconum iunctis manibus in latere Epistolae, ut in cantu Evangelii. Chorus meminerit canendo respondere Diacono, ut notatum est in Missali.

43. Thuriferarius receptum a Diacono thuribulum referet cum debitis genuflexionibus ad abacum, tollet inde ignem et redibit ad legile iuxta Subdiaconum pro aliis actionibus, quae muneris eius sunt.

44. Posteaquam Diaconus cecinerit verba *curvat imperia*, cantum abrumpet et chorus considebit. Celebrans autem non sedebit, sed suo loco apud Altare manebit. Diaconus, comitatus a Caeremoniario et clerico grana ferente, ad Cereum accedet conscendet scabellum et quinque grana alterum post alterum Cereo in modum Crucis infiget hoc ordine:

	1	
4	2	5
	3	

45. Diaconus de scabello descendet et redibit ad legile: clericus deferet ad abacum pelvim adhibitam pro granis et sumpta

(*a*) Ipsemet Diaconus ministrans cantare Praeconium debet; novus igitur est ritus sive ut melius dicam, abusio substituere alterum Diaconum, pro canendo *Exultet*; siquidem Diaconus ministrans unus esse debet, non duo. Si qua de caussa Diaconus ministrans cantare Praeconium nequiret, tolerabilius erit si post cantatum Praeconium ex Altari discedat, et alter eius vice fungatur.

caudela seu gossipio cerato, redibit prope clericum sustinentem arundinem: Clerus rursus consurget.

46. Reversus ad legile Diaconus canere Praeconium perget *In huius igitur* etc. usque ad illa verba *rutilans ignis accendit* inclusive; post quae Clerus iterum considebit. Diaconus accedet ad candelabrum Cerei, sequente clerico cum arundine, et arundine ab illo accepta Cereum ipsum accendet.

47. Diaconus redibit ad legile et Clerus consurget rursus. Clericus qui sustinebat arundinem, deferet eam prope Altare et imponet basi ibi praeparata in latere Evangelii.

48. Diaconus cantum Praeconii redintegrabit a verbis *Qui licet sit divisus* etc. et interea thuriferarius et Acolythus, qui sustinebat grana, e Cereo vel tricereo accendent candelam vel gossipium ceratum, quod secum habebunt.

49. Diaconus, ubi cecinerit verba *apis mater eduxit*, abrumpet cantum, ac duo praedicti clerici vel unus eorum accendet lampadas Altaris maioris, postea reliquas per ecclesiam Chorus sedebit ut antea, et consurget quum Diaconus cantum continuabit.

50. Accensis lampadis Altaris maioris, Diaconus prosequetur cantum Praeconii a verbis *O vere beata nox* usque ad finem (*a*).

51. Fine facto canendi *Exultet*, Diaconus claudet librum et in legili eum relinquet. Subdiaconus Crucem tradet thuriferario vel Acolytho, qui sustinebat grana, et ab eodem applicabitur parieti vel super basi locabitur. Ministri simul venient ante Altare, ibique genuflectent ed ad scamnum redibunt.

52. Celebrans, dum Ministri ante Altare genuflectent, suo loco reverebitur Crucem, de Altari a latere descendet et ad scamnum veniet. Ibi adiuvantibus Caeremoniario et Acolythis, Celebrans deponet pluviale et induetur manipulo ac planeta violacea, Diaconus autem dimittet paramenta albi coloris et resumet manipulum, stolam diaconalem violaceam et planetam

(*a*) In Praeconio omittendam esse orationem pro Romano Imperio iam innuimus lib. I cap. XIV. §. 17. eo quod saepius id decreverit S. Congregatio Rituum.

quoque plicatam, si uti licebit. Clericus quispiam in sacrarium referét paramenta alba Diaconi et pluviale etiam Celebrantis, si ecclesia fonte baptismali carebit.

53. Hoc tempore alter clericus legile nudum cum Missali seu libro pro canendis prophetiis deferet in medium chorum seu presbyterium; tolletur legile adhibitum ad canendum *Exultet*; amovebitur etiam scabellum à candelabro Cerei, si deerit in ecclesia fons baptismalis.

54. Caeremoniarius vel alius vice illius, paratus erit ad invitandum primum cantorem primae prophetiae.

55. Celebrans et Ministri parati, ut supra, redibunt a latere ad Altare in cornu Epistolae, ibique disponentur eodem modo ac in introitu Missarum solemnium.

56. Caeremoniarius cum inclinatione invitabit primae prophetiae cantorem, qui caput bireto deteget, assurget et simul cum illo procedet ad legile praeparatum, ibique genuflexionem ad Crucem et reverentiam ad chorum ex utraque parte efficient. Cantor manibus libro impositis, cantabit prophetiam, statim ac legere eam incipiet Celebrans. Cantabitur autem tono praestituto pro lectionibus, non excepta ultima (*a*).

57. Si quas prophetias cantarent Canonici in sua ecclesia, reverentiam ipsi facient ad Crucem Altaris, non vero genuflexionem.

58. Quum cantor prophetiae prope finem ipsius pervenerit, Diaconus et Subdiaconus ibunt post Celebrantem, ut ad orationem in Missis solemnibus.

59. Completo prophetiae cantu, chorus nudato capite consurget; Celebrans caput versus Crucem inclinans et manus iungens cantabit *Oremus*, Diaconus *Flectamus genua* et Subdiaconus *Levate*. Deinde Celebrans extensis manibus ac tono feriali cantabit orationem. Ad verba *Flectamus genua* omnes, excepto Celebrante, genuflectent, ad *Levate* consurgent.

(*a*) Malus est usus abrumpere cantum prophetiarum, quum Celebrans eas legere desierit. Abusivus est etiam cantus non praescriptus, quo in ultima prophetiarum utuntur nonnulli.

60. Cantor post cantatam prophetiam morabitur ante legile, genuflectet cum aliis ad *Flectamus genua* et nullam iterans genuflexionem, aut reverentiam, salutabit Clerum, et comitante Caeremoniario, redibit in chorum ad locum suum, ac se mutua reverentia salutabunt. Caeremoniarius statim cantorem invitabit secundae prophetiae et in medium ad legile ducet eum; ac prorsus in totum fiet, ut in prima, et sic deinceps de reliquis.

61. Ad illas prophetias, post quas cantabitur Tractus, cantor non expectabit *Flectamus genua*, sed statim genuflexionem faciet aut reverentiam ad Altare et ad chorum, ac redibit ad locum suum. Eodem modo Caeremoniarius se geret in invitando altero cantore quum cantabitur oratio, non vero quum cantabitur tractus. Illud etiam facient Ministri, ut eant scilicet post Celebrantem sub finem tractus cantati, qui etiam admonendi erunt ne cantent *Flectamus genua* ante orationem post duodecimam prophetiam.

62. Si aderunt infantes vel etiam adulti, quibus baptisma conferendum sit, dum canentur prophetiae, fiant super eos exorcismi a Rituali Romano praescripti usque ad totam Oleo sancto Cathecumenorum unctionem faciendam in pectore et humeris baptizandorum; idque exsequetur Parochus vel alius Sacerdos ex eius mandato, qui stola violacea induetur imposita superpelliceo, eique duo assistent clerici. Qua super re inspiciatur cap. 1. 2. et 3. lib. IV. Quod si Celebrans ipse cupiat hunc ritum peragere, locus Parocho sive alteri Sacerdoti non erit.

63. Si in ecclesia aderit fons baptismalis, sub finem duodecimae prophetiae accendentur candelae in candelabris Acolythorum super abaco praeparatis.

64. Ad orationem post duodecimam prophetiam, clericus, altero adiuvante, extrahet e candelabro Cereum paschalem. Alter clericus e medio presbyterio tollet legile maius cum Missali seu libro adhibito pro canendis prophetiis.

65. Completa praedicta oratione, Celebrans cum Ministris de Altari a latere descendent et ad scamnum venient. Clerus in choro considebit.

66. Ad scamnum quum venerint, Celebrans dimittet pla-

netam et manipulum, et induetur pluviali; Ministri, adiuvantibus Caeremoniario et Acolythis, manipulos dimittent.

67. Ad baptisterium autem procedetur hoc ordine: Clericus elatum gestans Cereum paschalem; alter clericus superpellicio indutus gestans Crucem processionalem inter Acolythos, qui sustinebunt candelabra cum candelis accensis; cantores qui cantabunt tractum *Sicut cervus desiderat* etc. deinde Clerus, nempe clerici, Beneficiarii seu Mansiorarii, Canonici, omnes incedentes bini, quibus in coetibus si dispar sit numerus, terni incedent ultimo loco: prostremo Celebrans medius inter Ministros, qui fimbrias pluvialis eius sustinebunt. Omnes ibunt capite nudato, praeter Celebrantem et Ministros, qui caput bireto cooperient.

68. Quum ad baptisterium processio venerit, clericus gestans Cereum subsistet prope illud, versus dexteram Diaconi. Crux cum Acolythis locum capiet extra aditum baptisterii versus partem dexteram: Clerus disponetur in duos vel plures ordines iuxta capacitatem loci, et Celebrans cum Ministris extra ingressum. Clericus Missale accipiet et apertum sustinebit ante Celebrantem. Ministri deponent bireta et Caeremoniario tradent. Celebrans autem nudato capite, biretum dabit Diacono et hic committet illud Caeremoniario, qui poni iubebit super scamnum pro Celebrante et Ministris praeparatum.

69. Celebrans tono feriali cantabit *Dominus vobiscum* et orationem *Oremus, Omnipotens septinerne Deus, respice propitius* etc.

70. Post orationem clericus cum Cruce et Acolythi cum candelabris introibunt in septa fontis ac post eos Clerus, si capax erit sacellum; secus intrabunt tantum Celebrans cum Ministris, clericus cum Missali et alter cum Cruce atque Acolythi cum candelabris. Quod si ne Acolythis quidem et clerico cum Cruce locus esset, hi quam maxime poterunt, approximabunt ad fontem.

71. Ingressus Celebrans in baptisterium tono feriali cantabit *Dominus vobiscum* et orationem *Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, adesto* etc. ac tono etiam feriali et iunctis manibus prosequetur Praefationem. Caeremoniarius in promptu habebit mantile seu manutergium pro Celebrante.

72. Postquam cecinerit verba *gratiam de Spiritu Sancto*, Celebrans aquam in formam Crucis dividet dextera, quam statim exterget mantili porrecto a Diacono, deinde canendo continuabit *Qui hanc aquam* etc. Post verba *non inficiendo corrumpat*, tanget aquam dextera, quam, ut supra, exterget ac praefationem canere perget *Sit haec sancta et innocens* etc. ad verba *per Deum vivum* etc. signum benedictionis dextera faciet versus aquam et Diaconus ei sustollet pluviale. Cantatis verbis *cuius spiritus super te ferebatur*, aliquantulum aquae eadem manu extra labrum fontis effundet versus quatuor ventos, exterget, ut supra manum, et cantare perget *Qui te de paradisi fonte* etc. Aquam deinde uno Crucis signo benedicet ad verba *Benedico te* etc.

73. Postquam Celebrans aquam, ut supra, extra fontem effuderit, Caeremoniarius spongia vel panno e tela rudi exterget partem externam fontis.

74. Verba *Haec nobis praecepta* etc. Celebrans dicet elata voce, sed sine cantu: ter deinde halitabit super aquam in modum Crucis, et voce elata prosequetur *Tu has simplices aquas* etc. usque ad verba *purificandis mentibus efficaces*, inclusive.

75. Interea clericus cum Cereo ad fontem accedet et cavebit ne cera liquescens defluat super manus Celebrantis aut Ministrorum.

76. Post praedicta verba Celebrans, adiuvantibus Ministris si opus fuerit, accipiet Cereum et in aquam aliquantum immerget, cantans *Descendat* etc. Extrahet deinde Cereum et altius in aquam immerget eum ac repetet canendo *Descendat* etc. vocem efferens hemitonio. Rursus extractum ex aqua Cereum profundius in fontem immerget ac tertia vice cantabit *Descendat* etc. vocem attollens altero hemitonio. Perget Cereum in aqua immersum sustinere, ter in aquam sufflabit in modum literale graecae ψ et postea cantabit *totamque huius aquae substantiam regenerandi foecundet effectu* et educet ex aqua Cereum, qui a Clerico recipietur et panno telae subtilis extergetur qua parte fuerit immersus.

77. Celebrans prosequetur praefationem *Hic omnium pec-*

catorum etc. usque ad finem et legens recitabit conclusionem *Per Dominum nostrum* etc. Postea cum Ministris e fonte abibit et simul procedent ad scamnum ipsis praeparatum.

78. Dignior de Clero, vel Parochus stolam violaceam sibi collo imponet supra superpelliceum seu supra vestem choralem si utetur; clericus ex abaco accipiet aspersorium et vasculum vacuum, quod implebit aqua benedicta fontis seque adiunget Parocho vel digniori de Clero et simul se sistent ante Celebrantem et Ministros, qui caput bireto detegent et assurgent; tum utrique mutua se reverentia salutabunt.

79. Dignior de Clero vel Parochus aspersorium aqua benedicta perfusum accipiet ac Celebranti praesentabit, qui seipsum signabit, deinde asperget eum ipsum qui aspersorium sibi porrexerit, postea Diaconum et Subdiaconum, qui profunde inclinati aut genuflexi ad aspersionem se signabunt, et post haec aspersorium digniori vel Parocho restituet. Tum Celebrans cum Ministris considebunt et caput cooperient, Diacono Celebranti et Caeremoniario Ministris biretum porrigente.

80. Dignior de Clero vel Parochus Clerum asperget ordine tradito in aspersione aquae benedictae in Dominicis cap. VIII. lib. I. postremo per ecclesiam incedens, circumstantes asperget. Deinde redibit ad fontem et facta ad Celebrantem ei Clerum reverentia, stolam dimittet et ad locum suum revertetur.

81. Interea Sacrista cum clericis aquam vasis praeparatis hauriet a fonte et infundet in conchas seu vasa apud portas ecclesiae et pars aliqua reservabitur in usum fidelium ac pro aspersione posteri diei, relicta in fonte ea quantitate, quae satis sit ad baptismum administrandum, iuxta maiorem minoremve numerum fidelium. Sic etiam praesto erit apud fontem clericus, qui sustinebit ampullas cum s. Chrismate et Oleo sancto Cathecumenorum.

82. Quum omnia disposita erunt, Caeremoniarius invitabit Celebrantem cum Ministris ut ad baptisterium redeant. Caput, ut supra, nudabunt et Clerum salutabunt. Celebrante ad fontem reverso, Diaconus ampullam Olei sancti Cathecumenorum a clerico accipiet ac tradet Celebranti, qui accepta ampulla, ali-

quantulum Olei in aquam infundet in modum Crucis dicens voce intelligibili *Sanctificetur et foecundetur* etc. Tum ampullam Diacono restituet ac Diaconus clerico.

83. Diaconus deinde acceptam ampullam cum s. Chrismate porriget Celebranti, qui aliquantulum eiusdem s. Chrismatis in aquam infundet in modum Crucis dicens voce intellegibili *Infusio Chrismatis* etc.

84. Ampullam Olei sancti Cathecumenorum resumet Diaconus et rursus dabit Celebranti, qui utramque ampullam manu dextera sustinens, dicet alta voce *Commixtio Chrismatis* etc. et ad verba *in nomine Patris* ter Olea praedicta infundet in fontem. Diaconus recipiet ampullam utramque et clerico tradet, qui in abaco reponet.

85. Celebrans extremitate dexterae leviter expandet Olea sancta per totam aquae superficiem quae erit in fonte, manumque statim gossipio exterget (*a*). Si qui erunt baptizandi sive infantes sive adulti, servabitur ritus praescriptus capitibus I. et II. lib. 4.

86. Si iam super eosdem, dum canentur prophetiae, peracti fuerint exorcismi, Celebrans pluviale et stolam violaceam dimittet ac pluviali et stola albi coloris induetur, retinentibus Ministris paramenta quae habebunt. Ante eum se sistent ad fontem baptizandi cum suis compatribus, et ipse functionem baptismatis administrandi exordietur ab interrogatione ante baptismum ipsum, videlicet, quod spectat ad infantes, *N. credis in Deum* etc. ad adultos autem *Quis vocaris?*

87. Post baptisma, vel si baptisma non conferatur, post benedictionem fontis, Celebrans manus lavabit apud abacum easque absterget medulla panis, duobus ei clericis in hac actione inservientibus, ac Ministri porrigent ipsi mantile. Si baptisma

(*a*) Nisi Olea sancta accepta sint in Sabbato sancto, dummodo probabile sit ut quam primum recipiantur, infusio ipsorum in fontem baptismalem fiet privatim a Parocho statim ac acceperit ea. Quod si difficile esset habere nec spes subesset habendi cito, adhibebuntur Olea sancta anni transacti. Conf. Decretum S. Congregationis Rituum num. 4672. in *Oriolen.* 23 Sept. 1837. ad 2.

administraverit, deponet pluviale et stolam albi coloris, ac stolam cum pluviali coloris violacei resumet.

88. Dum Celebrans permanebit apud fontem, clericus in extremo suppedaneo Altaris maioris tres ponet pulvinos violaceos pro Celebrantis et Ministrorum prostratione.

89. Absoluta, ut supra, fontis benedictione et baptismatis administratione, rursus ordinabitur processio ad Altare maius ordine superius indicato. Cereus reponetur in candelabro, et de candelabro ipso removebitur scabellum: Crux eodem referetur, ubi erat: candelabra in abacum ab Acolythis: unusquisque de Clero cum debita genuflexione aut reverentia ad Crucem, deinde mutua inclinatione petet locum suum ibique stabit: Celebrans cum Ministris facta respective reverentia aut genuflexione ad Altare, vadent ad scamnum sibi praeparatum, ubi Celebrans deponet pluviale, Ministri autem planetas, si utentur.

90. Si ecclesia fonte baptismali carebit, post orationem quae duodecimam prophetiam sequitur, Celebrans cum Ministris a latere descendent ad scamnum ibique manipulos et planetas deponent.

91. Scabellum cum Missali pro cantoribus Litaniarum a clerico statuetur in medio choro, vel a latere, si transitum Celebranti prohiberet.

92. Celebrans cum ministris, iunctis manibus, ante Altare procedent, reverentiam vel genuflexionem respective facient ad Crucem, tum congeniculabunt in infimo gradu seque prosternent, brachia et caput ponentes in pulvinis iam in suppedaneo praeparatis; suum quisque pulvinum, ut commodius videbitur, sibi aptabit. Clerus in choro statim congeniculabit. Acolythi cum Caeremoniario genibus flexis manebunt apud Altare, non vero prostrati. Duo cantores statim incipient Litanias in Missali notatas; Clerus autem non respondebit, sed versiculos a binis illis cantoribus cantatos repetet ex toto (*a*).

(*a*) Relate ad id, quod notavimus pro cantu Litaniarum, observationem iuvat referre, quam ex opere P. Pavone excerpimus. Eius haec est sententia « Rubrica docet Litanias cantari post benedictionem fontis,

93. Sacrista cum clericis praesto erunt apud Altare ad amovenda ornamenta violacea, ut infra. Caeremoniarius bireta Celebrantis et Ministrorum accipiet ante ℣. *Peccatores*.

94. Quum cantabitur ℣. *Peccatores*, consurgent Celebrans et Ministri, quos adiuvabunt Acolythi et Caeremoniarius, si opus fuerit. Celebrans reverentiam, ceteri genuflexionem facient ad Crucem altaris: Celebrans a Diacono, Diaconus autem et Subdiaconus a Caeremoniario accipient biretum et ab Altari discedent, revertentes ad sacrarium: in aditu presbyterii caput cooperient; praecedent duo Acolythi iunctis manibus, tum Subdiaconus, Diaconus et Celebrans alius post alium.

95. In sacrarium quum venerint, caput nudabunt, reverentiam facient ad Crucem vel ad imaginem praecipuam, accedent ad tabulam, in qua disposita erunt paramenta albi coloris; Diaconus et Celebrans deponent stolam violaceam, tum Celebrans et uterque Minister induentur paramentis albis. Si candelabra Acolythorum praeparata erunt in sacrario, eo quod ecclesia ca-

revertentibus Sacerdote et Ministris ad Altare. Verbum illud *revertentibus* induxit quosdam ad statuendum, ut Litaniae incipiantur in reditu a fonte ad Altare. Rursus Caeremoniale Episcoporum perspicue notat cantari postquam Celebrans cum reliquis ad Altare pervenit et genua submisit, etiamsi non celebret neque adsistat Episcopus. Hanc ob caussam alii scripserunt Litanias canendas esse ante Altare. Merati innixus principio, quod statuit et nos retulimus num. XII. docet in cathedralibus cantandas esse ante Altare, in aliis autem ecclesiis per viam in reditu ad fontem. Nos vero citato numero iam monuimus, opinionem Merati probandam esse in iis casibus tantum, quibus patet discrimen rubricarum Missalis et Caeremonialis. Sed in casu praesenti rubrica est perspicua, nam vox illa *revertentibus* eumdem sensum admittit ac si diceret *postquam reversi sunt*. Si ex. gr. quis diceret: *ego mane exeo domo et venio ad ecclesiam celebraturus; deinde domum revertens orationem facio;* horum verborum sensus obvius et naturalis non est sane, quod ipse orat dum ab ecclesia domum revertitur, sed postquam domum se recepit, orat. Quod si velit declarare se orationem facere in itinere, diceret *dum revertor domum*. Huius igitur rubricae obvius et naturalis sensus est, Celebrantem cum Ministris, fonte benedicto, redire ad Altare et canere Litanias. Licet autem sensus Rubricae quibusdam videatur ambiguus, Caeremoniali rem perspicue ostendenti, standum est ».

reat fonte baptismali, accendentur ut deferantur, quemadmodum docebitur infra.

96. Cantores Litaniarum advertent, ut producant clausulam cantus, si opus fuerit, quod faciet et chorus in repetitione versiculorum.

97. Statim ac Celebrans cum Ministris de Altari discesserit, ab uno vel duobus clericis accendentur Altaris candelae, amovebitur pallium violaceum, substituetur cussinus albus cum Missali instructo tegumento albi coloris pro Celebrante in latere Epistolae, ponentur in Altari tabellae secretarum, tollentur tres pulvini in prostratione adhibiti et e gradibus tapetum violaceum si aderit, velum violaceum ex abaco, pannus violaceus e scamno Celebrantis, omniaque in sacrarium referentur, quum ornamenta tantum festiva albi coloris adesse debeant. Detegetur etiam pictura sive imago imminens altari, nisi forte soleret detegi ad intonationem hymni *Gloria in excelsis*.

98. Innuente Caeremoniario, discedent e sacrario Celebrans cum Ministris, ut in aliis Missis solemnibus, praeeuntibus Acolythis candelabra accensa gestantibus, nisi extabit fons baptismalis, vel iunctis manibus, si fons extabit.

99. Celebrans cum Ministris et Acolythis de sacrario exibunt quum a cantoribus cantabitur *Agnus Dei*, vel etiam prius iuxta distantiam Altaris a sacrario; adesse enim debent ante Altare quum canitur *Christe, exaudi*, siquidem in hodierna Missa *Kyrie* locum occupat introitus, nec licet incipere cantum introitus, nisi quum Celebrans et Ministri ad Altare pervenerint.

100. Clerus consurget adveniente in presbyterium Celebrante, qui cum Ministris salutabit chorum, deinde procedet ad Altare et exordietur Missam, quae non differt ab aliis, praeter aliquem ritum proprium huius diei etiam in Missali notatum, quem tamen nos heic innuemus. Resumetur psalmus *Iudica me, Deus* etc. cum *Gloria Patri* in confessione: post thurificationem Altaris ipse Celebrans in latere Epistolae statim cum Ministris recitabit *Kyrie*, quod etiam a choro alternatim fiet. Ad intonationem *Gloria in excelsis* sonabitur organis, quae deinceps etiam temporibos statutis in Missa, ut assolet, pulsabuntur: ad

eamdem intonationem detegetur sacra imago seu tela picta super Altare, nisi iam detecta fuerit, reliquorum quoque Altarium imagines per ecclesiam detegentur, et aliquandiu pulsabuntur campanulae ad fores sacrarii appensae, nec non campanae omnes in turri ecclesiae, qua tamen in re servanda est dispositio Concilii Lateranensis sub Leone X.

101. Celebrans leget epistolam tantum, expectabit dum Subdiaconus epistolae cantum absolverit, ut benedictionem ipsi largiatur, et benedictione largita, ter cantabit *Alleluia*, singulis vicibus respondente choro, animadvertens, ut unaquaque vice attollat vocem hemitonio, quod faciet etiam cantorum chorus.

102. Quum cantabitur *Alleluia*, Clerus in choro caput nudabit et consurget ac post repetitum tertia vice a cantoribus, rursus sedebit: tunc Celebrans perget legere versiculum et tractum; Ministri, quum cantabitur *Alleluia*, adstabunt Celebranti, ut in introitu. Quum Clerus Cathedralibus, aut Collegiatis addictus dimittere debeat cappas cum pellibus armellineis (si huiusmodi privilegio fruatur) ad cantum *Alleluia* post Epistolam, ne chorus relinquatur totaliter vacuus, dimidium Canonicorum et Beneficiariorum recedet in sacrarium sub finem *Gloria*, ibique dimissis cappis induent superpelliceum vel cappam ornatam serico et revertentur in choro statim ac finitus erit cantus Epistolae. Tum discedent ceteri, qui remanserint in choro, recedent in sacrarium ad cappas, ut supra, dimittendas, deinde in chorum redibunt.

103. Ad cantum Evangelii Acolythi non deferent candelabra, sed assistent iunctis manibus. Non dicetur nec cantabitur *Credo*, sed Celebrans cantabit *Dominus vobiscum* et *Oremus*, sine versiculo Offertorii.

104. Non dicetur *Agnus Dei* nec dabitur pax; ideoque Subdiaconus non ascendet ad dexteram Celebrantis. Postquam Celebrans in Calicem demiserit particulam Hostiae ad illa verba *Haec commixtio*, Calicem Diaconus teget. Celebrans cum Diacono genuflectet: recitabit triplicem orationem consuetam ante communionem iunctis manibus in Altari, Diaconus transibit ad sinistram et Subdiaconus ascendet ad dexteram Celebrantis, uterque genuflexionem iterabit.

105. In hac Missa communicare adstantibus licebit, et in paroeciis adimpleri praeceptum paschale; quapropter si fieret Communio, observabitur quod traditum est cap. V.

106. Sumpto a Celebrante Calice, chorus considebit et cantores loco ℣. *Communio* statim intonabunt antiphonam *Alleluia* etc. cum psalmo *Laudate Dominum, omnes gentes* etc. cum *Gloria Patri* et cum repetitionibus etiam antiphonae cantatae.

107. Thuriferarius praesto erit cum thuribulo ad intonationem antiphonae ante *Magnificat*.

108. Celebrans postquam sumpserit ablutionem, vadet in latus Epistolae et submissa voce cum Ministris recitabit antiphonam et psalmum praedictum: Ministri adstabunt ut in introitu.

109. Repetita a cantoribus antiphona *Alleluia* etc. Celebrans iunctis manibus intonabit antiphonam *Vespere autem Sabbati* quam canendo prosequentur cantores, et Celebrans recitabit submissa voce cum Ministris. Clerus in choro, nudato capite, consurget ad intonationem praedictae antiphonae postea considebit.

110. Post antiphonam a duobus cantoribus intonabitur ad legile canticum *Magnificat*. Celebrans se signabit cum Ministris et veniet ad medium Altare, Subdiacono ad sinistram Diacono ad dexteram eius transeunte. Chorus quoque nudabit caput, consurget seque signabit.

111. Quum Celebrans venerit ad medium Altare, ascendet a latere thuriferarius in suppedaneum et thuribulum apertum obiiciet Celebranti, qui ministrante Diacono, iniiciet incensum cum benedictione. Deinde idem Celebrans adolebit Altare, ut in Vesperis, et Ministri in ipso thurificationis momento attollent eius partem posteriorem planetae. Completa Altaris thurificatione, Celebrans thuribulum tradet Diacono, a quo incensabitur ut in Missae introitu.

112. Diaconus post incensatum Celebrantem procedet ad chorum, comitante thuriferario, et Clerum adolebit regulis usitatis.

113. Celebrans cum Subdiacono manebunt apud Altare, ut in introitu.

114. Diaconus fine facto thurificandi chorum redibit prope Altare et subsistens ante gradus versus partem Epistolae adolebit Subdiaconum, qui convertetur ad eum super sinistram suam. Postea Diaconus thuribulum thuriferario restituet, redibit ad locum suum iuxta Celebrantem, convertetur ad illum, ut de Subdiacono diximus, et accipiet thurificationem. Thuriferarius autem incensationem prosequetur.

115. Repetita a cantorum choro antiphona *Vespere autem* etc. Celebrans veniet ad medium Altare, et Ministri post eum, osculabitur Altare, convertetur ad populum, cantabit *Dominus vobiscum* et Sacrum peraget usque ad finem ritu usitato, excepto quod Diaconus cantabit *Ite Missa est* cum duplici *Alleluia*.

116. Postremo Clerus cum Ministris et Celebrante revertetur in sacrarium eodem ordine ac in Missis solemnibus, ut cap. IV. num. 225. traditum est.

117. Si Ecclesia erit paroecialis, vel ibi servabitur SS. Sacramentum, referetur hoc in ecclesiam e sacrario quo modo notatum est cap. XXV. num. 61. et seqq. et licebit administrare fidelibus communionem etiam in satisfactionem praecepti paschalis. (*a*)

(*a*) Vide § 7 capitis sequentis.

DE PASCHATE ET DE TEMPORE PASCHALI

CAPUT XXVIII.

1. Paschalis solemnitas, seu dies Resurrectionis Dominicae, est e communi Ss. Patrum sententia, omnium maxima; eaque de caussa ab Ecclesia appellatur *Dies, quam fecit Dominus*.

2. Ecclesia et Altaria exornanda sunt ut in festis primariis et cum discrimine iam in die s. Natalis demonstrato.

3. Ritus officii propius est huius solemnitatis, ut indicatur in Breviario Romano.

4. Peragere officium huius diei spectat ad Superiorem vel digniorem Cleri, et admodum commendabilis est usus quarumdam ecclesiarum canendi solemniter Matutinum ante auroram, in memoriam resurrectionis I. C. qui illa prorsus hora voluit resurgere.

5. In horum dierum officio antiphona *Haec dies* etc. intonabitur a Celebrante, capite nudato et stante; omnis etiam chorus in Laudibus et Vesperis solemnibus stabit.

6. Missa solemnis cantabitur hora praestituta, ac toto paschali tempore ad aspersionem aquae benedictae cantabitur ant. *Vidi aquam*. In paroeciis, fonte baptismali instructis, fiet hac die aspersio aquae, benedictae pridie in baptisterio et ad hanc rem extractae, antequam Olea sancta illuc infusa sint.

7. Parochi populis suis inculcabunt, ut servent vetustissimam traditionem vescendi hac die cibis benedictis, quorum quidem benedictio fieri poterit ab ipso Parocho vel ab alio Sacerdote ex eius mandato in benedictione domorum post functionem hesternam.

8. Die Paschatis administrare fidelibus s. Communionem, praeter quam in ecclesiis paroecialibus, non licet.

9. In duobus sequentibus festis eadem cum solemnitate Missa et Vesperae canentur, quum dies isti sint quaedam festi principalis quasi continuatio.

10. Cereus Paschalis regulariter accendendus esset in Missa et Vesperis solemnibus tribus Paschatis diebus, in sabbato in albis, in Dominicis et in festo Ascensionis, quemadmodum deinceps docebitur. In aliis festis in hoc tempus incidentibus licet solemnibus non accendetur, nisi vigeat contraria consuetudo. Ita quidem statuit S. C. Rituum die 19. Maii 1607. in Placentina dub. 13. Vulgo tamen solet accendi etiam in aliis festis ex. gr. Ss. Philippi et Iacobi, Inventionis S. Crucis, Patroni, Titularis et anniversarii Dedicationis, si in tempus Paschale incidant.

11. Quod attinet ad processiones Litaniarum maiorum minorumque, describetur capitulis sequentibus earum ritus. Illud tantum notandum, quod in Missa feriae non est accendendus Cereus paschalis, siquidem officium est feriale; nisi forte consuetudo contraria recepta sit.

DE PROCESSIONIBUS MAIORUM MINORUMQUE LITANIARUM

CAPUT XXIX.

1. Processiones Litaniarum maiorum celebrantur die XXV. Aprilis; at si in illum diem Pascha incideret, referentur ad feriam III. sequentem: alterae autem minorum Litaniarum celebrantur in tribus diebus ante Ascensionem, videlicet in feriis II. III. et IV. post quintam a Pascha Dominicam.

2. Quum finis huius operis, quemadmodum in praefatione declaratum est, sit regulam, quoad fieri possit, accuratam tradere omnium sacrarum functionum, nihil disseremus de illarum origine nec qua ratione maiores minoresve appellentur. Satis erit tantum monere, quod maiores maiori, minores minori celebrantur solemnitate.

3. In Rituali Romano titulo *de Processionibus* praescribuntur regulae pro decora ac decenti functionum ratione: hunc titulum consulere poterit lector, qui cuperet his de rebus doceri.

4. Processionibus praedictis interesse debet universus Clerus tum saecularis tum regularis et congregandus erit in ecclesiam primariam loci, vel aliam iuxta laudabilem cuiusque loci consuetudinem et dispositiones, quae in hanc rem ab Episcopo emittentur. Quibusdam in locis intervenire solent etiam Confraternitates laicales, quae quidem pia consuetudo, ubi vigeat, servabitur.

5. Processiones huiusmodi matutino semper tempore sunt celebrandae. Regulariter post Nonam dabitur initium processioni, ac propterea in choro matutinum cum laudibus pridie vespere post completorium recitabitur.

6. In qua urbe sedem habet Episcopus, in vulgus edentur leges et dispositiones, si opus fuerit, pro regulari istarum processionum ratione.

7. In aliis locis, ubi populus est limitatus, satis erit ut Parochus vel Vicarius foraneus, sive alius ab Episcopo electus, curam eius rei gerat.

8. Si forte alicubi de praecedentia contendatur, ecclesiastica Auctoritas statuet ordinem servandum sine partium contendentium detrimento, quibus ampla potestas fiet probandi sua iura. Hisce casibus ad vitandum scandalum aut moram functionis, prospiciet Episcopus edendo absolutum mandatum, et plurimum expediet, ut mulctam pecuniariam imperet detrectatoribus.

9. Processiones Litaniarum maiorum minorumque ex regula deberent principium habere in una et finem in altera ecclesia. In qua processionis fiet finis, cantabitur Missa ferialis praestituta, excepta die XXV. Aprilis, qua si processio absolveretur in ecclesia S. Marco dicata, cantanda erit Missa de Sancto.

10. Sin non ita facile esset cantare Missam in ecclesia, ubi processio finem habet cantari poterit in Cathedrali. Ad quem spectet cantare Missam in ecclesia praedicta, nulla certa statui potest regula: servanda erit cuiusque loci consuetudo; quoniam quum multae in hanc rem extent S. C. Rituum decisiones, quae specie non satis cohaerent inter se, videtur eadem S. C. hoc statuisse principium, observandi nempe singulas locorum consuetudines.

Quae sint praeparanda

11. In sacrario eius ecclesiae, ex qua processionis initium fiet, praeparabuntur paramenta coloris violacei pro Celebrante et Ministris, videlicet pluviale cum stola, dalmatica et stola diaconalis, tunicella, tria cingula, tres albae, tres amictus et bireta; insuper superpellicea pro inservientibus, ritualia seu libelli in usum cantorum pro antiphonis et Litaniis.

12. Si processio subsistet in aliqua ecclesia, quae occurat in itinere, in libellis praedictis erunt antiphonae et versiculi de Sancto Titulari uniuscuiusque ecclesiae. Antiphonae, versiculi et orationes desumentur de suffragiis in Officio divino, non vero de die festo. Praeparabitur etiam hoc casu liber orationum a Celebrante recitandarum in ecclesiis praedictis.

13. Aderit Crux in hasta pro Clero, duo candelabra cum candelis pro Acolythis.

14. In Altari maiori ponentur sex candelabra cum candelis et Crux similis, pallium violaceum ac tapetum.

15. In eadem ecclesia praeparabuntur singulae Cruces regularium cum panno appenso coloris violacei et signa confraternitatum laicalium, si intererunt.

16. Statuetur locus, in quo possit decenter suis insignibus indui Clerus et Confraternitates etiam laicales. Praecisiores dispositiones omittimus, quum dependeant ex circumstantiis cuiusque loci, quae opportuno tempore erunt praevidendae.

17. In quibus ecclesiis processio stationem faciet, in Altari maiori ardebunt sex candelabra, praeparabitur vasculum aquae benedictae cum aspergillo et superpelliceum pro Superiore illarum.

18. In ecclesia autem, in qua processio complebitur, Altare maius instruetur sex candelabris cum candelis, Cruce simili, pallio violaceo et tapeto. In abaco praeter ea, quae opus erunt ad Missam solemnem, ut cap. IV. descriptum est, praeparabitur etiam planeta violacea cum manipulo pro Celebrante, manipuli pro Ministris et vasculum aquae benedictae cum asper-

gillo. Quum in hac Missa nec *Gloria* neque *Credo* dicatur, scamno pro Celebrante et Ministris non opus est.

19. Sin Missa non celebraretur ab eo qui processionem peregerit, praeparabuntur in sacrario omnia paramenta in Missa solemni adhibenda.

20. Locus etiam praeparabitur, in quo suis vestibus Clerus et ceteri qui processioni intervenerunt, exui possint.

In functione

21. Clerus secularis et regularis nec non Confraternitates, si processioni intererunt, congregabuntur paullo ante horam praestitutam in ecclesiam, in qua fiet collecta, ut ad processionem sint parati.

22. Deligentur duo pluresve clerici, qui processionem ordinent et curent ut unusquisque occupet locum sibi proprium; quapropter alteri ipsorum scriptus tradetur ordo praecedentiae, cui expediret ut subsignatus esset Episcopus ad prohibendas quaestiones.

23. Supersedemus monere unumquemque, qui processioni interfuturus est, ut moretur in ecclesia cum debita observantia et animi applicatione, ac praesertim abstineat ineptis sermonibus.

24. Hora praestituta Caeremoniarius efficiet ut Celebrans et Ministri in sacrario induantur paramentis violaceis supradictis; accendentur candelabra Acolythorum, et candelae in Altari maiore. Deinde incipietur ordinari processio.

25. Praeibit Crux Cleri gestata a Subdiacono vel etiam a clerico superpellicio induto, inter Acolythos candelabra sustinentes: sequetur Clerus secularis iuxta ordinem praecedentiae, ut docebitur inferius, postremo loco Celebrans medius inter Ministros, qui fimbrias pluvialis eius sustinebunt.

26. Clerus praedictus introibit in presbyterium Altaris maioris, si capax fuerit, secus disponetur prope ipsum. Crux cum Acolythis subsistet a latere Evangelii, et clerici qui Crucem et candelabra sustinebunt, stabunt semper: Clerus in unum aut plures ordines circa Altare ordinabitur, dignioribus seu senio-

ribus stantibus propius Altare; Celebrans cum Ministris ante altare subsistent.

27. Clerus regularis ordinabitur apud Altare maius extra balaustrium ita ut ordines antiquioris institutioni sint propius Altare.

28. Confraternitates disponentur post regulares methodo tradita.

29. Celebrans ante Altare quum venerit, reverentiam ad Crucem, vel genuflexionem faciet, si aderit in Altari SS. Sacramentum, tum in genua procumbet ac brevi orabit, quod ipsum facient reliqui omnes in processionem ituri.

30. Assurget Celebrans et cum eo reliqui omnes, qui adgeniculati erant; tum a cantoribus cantabitur antiphona *Exurge, Domine* etc. ut in Rituali, cum ℣. psalmi *Deus auribus nostris* cum *Gloria Patri* et repetetur canendo antiphona *Exurge.*

31. Repetito antiphonae cantu, rursus genuflectent omnes ac duo cantores, flexis genibus in medio choro, incipient canere Litanias, et respondebit Clerus repetens eosdem versus, quos cecinerint cantores iidem.

32. Quum cantores cantaverint ℣. *Sancta Maria, ora pro nobis*, et Clerus responderit etiam *Sancta Maria, ora pro nobis*, abrumpetur cantus, consurgent omnes et principium Processionis fiet.

33. Campanae ecclesiae, ex qua exibit processio, pulsabuntur festivo more donec omnis Clerus de ecclesia discesserit. Aequum esset, ut festivo more sonarent etiam campanae earum ecclesiarum, ante quas praeteribit processio. Itidem festive sonabunt campanae illius ecclesiae, quo processio perveniet.

34. A duobus vel pluribus clericis delegatis ordinabitur processio ordine sequenti.

35. Confraternitates laicorum, si aderunt, unaquaeque cum suis insignibus et cum Cruce, vel Crucifixo in fronte ipsarum. De praecedentiae ordine servabitur quod capite IV. num. 13. lib. I. traditum est.

36. Regulares iuxta ordinem fundationis respectivi Coenobii, ut praescribitur a Gregorii XIII. Constitutione *Exposcit pastoralis* 25. Iul. 1585. Incedent bini canentes Litanias.

37. Crux Cleri secularis gestata, ut supra, inter duos Acolytos ferentes candelabra.

38. Cantores induti superpelliceo; qui tamen hunc locum obtinebunt, nisi fuerint Beneficiarii seu Mansionarii.

39. Clerici Seminarii pariter bini superpellicio induti et capite cooperto bireto, quod sibi imponent dum exibunt de ecclesia.

40. Parochi urbani, induti superpelliceo et bireto, vel alio insigni, quo utentur ex privilegio a Sancta Sede donato.

41. Capituli Collegiatarum, qui incedent iuxta ordinem praecedentiae seu institutionis, vel privilegii, choralibus insignibus iuduti et capite cooperto bireto.

42. Mansionarii seu Beneficiarii Cathedralis cum suis insignibus et bireto capiti imposito.

43. Canonici Cathedralis cum insignibus suis, ut supra.

44. Dignitates Cathedralis, ut supra.

45. Postremo Celebrans medius inter Ministros ibit.

46. Aderit clericus ferens librum, quo in stationibus, si fient, Celebrans utetur.

47. Statim ac processio de ecclesia exierit, duo cantores resument Litanias a versiculo *Sancta Dei Genitrix* et ita deinceps, curantes ut Litaniarum cantus in itinere conficiatur.

48. Si Clerus esset numerosus neque ita facile esset audire cantores prope crucem Cleri incedentes, poterit eis statui locus ad dimidiam Cleri partem. Hoc casu ad vitandam de praecedentiae loco quaestionem, praedicti cantores oporteret ut induti essent pluviali imposito superpelliceo, ut Romae fieri solet in huiusmodi functionibus.

49. Si Clerus limitatiori numero erit iuxta qualitatem locorum, servabitur in summa idem ordo, et quando desit Collegiata aut alius ordo ecclesiasticus, Sacerdotes loci incedent, servantes ordinem praecedentiae ab epocha ordinationis quisque suae.

50. Si Processio introibit in aliquam ecclesiam, quae occurreret in itinere, dummodo ecclesia capax sit, ingredi poterunt omnia collegia seque disponere eodem ordine ac supra dicto de ecclesia, in qua facta erit collecta: si ecclesia capax non

erit, subsistent in via Confraternitates, insuper et Regulares quin abrumpatur processionis ordo, ac totus Clerus secularis tantum, vel etiam pars illius introibit et disponetur, ut supra.

51. Si cuidam ex istis ecclesiis esset addictus Clerus, exemptus ab interveniendo processioni, hic extra portam ordinatus excipiet ipsum. Quod si iste Clerus vel etiam eius pars locum haberet in processione, subsistere deberet extra portam ad excipiendam reliquam processionem, dum sine perturbatione aut mora id fieri possit.

52. E parte dextera ingressus ecclesiae aderit Rector indutus superpellicio et capite nudato, ac prope ipsum clericus cum vasculo aquae benedictae et cum aspersorio. Rector porriget aspersorium singulis a dextra incedentibus, qui sumptam aquam sanctam manu offerent socio a laeva incedenti. Rector denique porriget eam Diacono, hic Celebranti, postea Rector ipse Subdiacono.

53. Ubi Celebrans cum Ministris ante Altare pervenerit, cantus Litaniarum abrumpetur.

54. Clericus deferens librum consistet prope Diaconum.

55. Celebrans facta ad Altare reverentia, vel genuflexione si aderit SS. Sacramentum, procumbet in genua et brevi orabit, quod ipsum faciet et Clerus.

56. Celebrante assurgente, omnes consurgent; tunc vero cantores antiphonam Sancti Titularis cantabunt; cantores illi duo qui Litanias per viam cantabunt, adiicient versiculum relativum et Celebrans orationem cantabit tono feriali et cum brevi conclusione.

57. Post haec de ecclesia exibit processio et illi duo cantores litaniarum cantum resument a versiculo, quo abruptae fuerunt.

58. Processione adveniente ad ecclesiam, in qua ipsa complebitur, Rector eiusdem indutus superpelliceo, porriget Clero aquam benedictam.

59. Confraternitates, Clerus regularis et secularis locum in ecclesia sument eadem methodo ac superius traditum est quum sermo erat de processionis initio.

60. Ubi Celebrans cum Ministris ad Altare pervenerit, omnes in genua procumbent et a cantoribus absolventur Litaniae, si nondum absolutae essent.

61. Post Litanias Celebrans cantabit preces, ut in Breviario post Litanias; ad ℣. autem *Dominus vobiscum* ipse solus assurget et cantabit orationes, post quas rursus flexis genibus cantabit ℣. *Dominus vobiscum*, alterum *Exaudiat nos* etc. postremo submissa voce *Et Fidelium animae* etc.

62. Celebrans cum Ministris recedet prope abacum, ubi deposito pluviali, induetur manipulo et planeta, Ministri autem induentur manipulo. Acolythi candelabra deponent et Crucifer applicabit Crucem parieti ex parte Evangelii; tum Missa cantata inchoabitur. (*a*).

63. Si qua de caussa caneretur Missa non in ecclesia in qua processionis factus sit finis, sed in Cathedrali, post preces canetur a cantoribus antiphona de B. V. *Sancta Maria succurre* etc. et a Celebrante recitabitur oratio *Concede nos* etc. postea altera antiphona cum versiculo et oratione, ut supra, de Sancto Titulari.

64. Clerus secularis et regularis atque Confraternitates discedent post ℣. *Fidelium animae* etc. ac dimittent superpelliceum vel alia insignia, quibus utentur.

65. Sin Missa non cantaretur ab eo qui processionis functionem peregerit, Clerus secularis, Cruce et Acolythis praecedentibus, ac sequente Celebrante cum Ministris, perget in sacrarium ibique vestes sacras dimittet.

66. In minoribus Litaniis idem ordo servabitur, at si placeat eas celebrare minori solemnitate, poterit in tres dies dispertiri Clerus secularis et regularis ita ut unusquisque individuus uni tantum intersit processioni. Licebit etiam adesse Celebranti sine Ministris.

67. Quibusdam in locis mos est in has processiones ferre quasdam insignes Reliquias, vel imaginem prodigiis celebrem,

(*a*) An in hac Missa sit Cereus Paschalis accendendus, notavimus supra cap. XXVIII. num. 11.

et agros etiam benedicere. Quum huic mori non contradicat Rituale Romanum, licebit locorum usus servare. Prospiciet tamen Episcopus, ne irrepant abusiones praesertim in benedictionibus praedictis, quae ex precibus et orationibus eiusdem Ritualis essent desumendae.

DE FESTO ASCENSIONIS DOMINICAE

CAPUT XXX.

1. Festum Ascensionis Dominicae est unum e festis primariis et solemnibus. Quapropter Altare et chorus exornabitur nobiliter, et Superior vel dignior Cleri officium peraget hac die in Vesperis et Missa.

2. Primis vesperis accendetur Cereus paschalis, itemque in Missa solemni; in qua tamen, ut cantatum erit Evangelium, a clerico extinguetur.

3. Sacro peracto, Cereus de candelabro tolletur et reponetur in sacrario, ut adhiberi possit in Vigilia Pentecostes ad benedictionem fontis, ut infra docebimus.

4. Quod ad Matutinum et Laudes solemnes attinet, uniuscuiusque ecclesiae consuetudo servabitur.

IN VIGILIA PENTECOSTES

CAPUT. XXXI.

1. Vigilia Pentecostés est perquam solemnis: in ipsa fontis baptismalis benedictio peragenda est et baptisma administrandum.

2. Caeremoniale Episcoporum lib. 2. cap. 27. num. 18. baptisma octo Sabbatum sanctum praecedentibus diebus conferri vetat, nisi in periculo mortis imminente; idque ut servetur vetusta consuetudo conferendi baptisma in duabus vigiliis Paschatis et Pentecostes, quam ob rem aqua in fonte baptismali solemniter benedicitur.

3. Servata proportione, id observandum est etiam in Pentecoste, neque per aliquot dies ante hanc solemnitatem administrandum esse baptisma, nisi necessitate cogente, ut servetur ritus et tempus pro solemni baptismo praestitutum.

4. Omnino hac die peragenda est benedictio; nec iuvat contrariam consuetudinem quamvis vetustissimam proferre, ut statuit S. Congregatio Rituum decreto die 7 Decembris 1844. quod cum rubricis Missalis cohaeret.

5. Quapropter praecedentibus diebus extrahetur aqua e fonte baptismali, qui expurgabitur et in vigilia replebitur aqua recenti consecranda, atque exornabitur quemadmodum traditum est cap. XXVII. num. 11. huius libri. Notandum tamen quod in sacrario conservandum est aliquantulum aquae iam benedictae, quae adhiberi possit, si necessitas premat, ut superius docuimus.

6. Altare exornabitur nobiliter, candelabris nempe, Cruce tapetis et pallio rubri coloris, cui superponetur alterum violaceum.

7. In abaco disponetur quidquid opus erit pro Missa solemni coloris rubri, et pluviale violaceum pro Celebrante benedictionem fontis facturo, omnia contegente velo violaceo.

8. Idem fiet de scamno Celebrantis, quod instruetur tapeto pro Missa solemni, superposito altero violaceo.

9. Apud abacum praeparabitur Cereus paschalis cum granis infixis, adhibendus in benedictione fontis.

10. In medio presbyterio praeparabitur legile nudum cum Missali pro canendis prophetiis.

11. Ad baptisterium aderunt illa omnia, quae de Sabbato sancto notavimus num. 12. cap. praedicti.

12. Aequum esset, ut officium perageretur in alio sacello, si plura essent in quibus peragi soleret, secus fieri poterit ad Altare, in quo postea functio celebrabitur. Hoc autem casu Altare instruetur pallio albi coloris, quod amovebitur statim post peractum officium, et extinguentur candelae, quae Officii tempore in Altari erunt accensae.

13. Functio maxima ex parte similis est Sabbati sancti, ideoque ad capitulum illud legentes remittimus, ne frustra eamdem materiam retractemus: aliquid tantum innuemus, ut normam inde sumat, qui functionem moderabitur.

14. Dum in choro nona Hora recitabitur, Celebrans cum Ministris induetur paramentis coloris violacei. nempe Celebrans amictu, alba, cingulo, manipulo, stola et planeta, Ministri autem planetis plicatis.

15. Fine facto recitandi in choro Nonam, statim extinguentur in Altari candelae, amovebitur pallium album et ita apparebit alterum violaceum.

16. Non sonabitur campanula sacrarii, quum de illa exibit Celebrans cum Ministris, qui praecedentibus Acolythis iunctis manibus, alter post alterum capite cooperto et iunctis manibus ad Altare proficiscentur.

17. In chorum quum venerit, salutabunt Clerum, venient ante Altare, Celebrans reverentiam, Ministri genuflexionem facient ad Crucem, nisi fuerint Canonici et in sua ecclesia ministraverint.

18. Celebrans cum Ministris ad Altare ascendet, ipsumque in medio osculabitur; Ministri non genuflectent; deinde Celebrans et Ministri simul transibunt in cornu Epistolae ibique subsistent, ut in Introitu Missae solemnis.

19. Canentur prophetiae, ut in Sabbato sancto, Celebrans

cantabit orationem respectivam tono feriali, sed non cantabitur *Flectamus genua*.

20. Sub finem sextae sive ultimae prophetiae clericus candelas in candelabris Acolythorum, super abaco praeparatis, accendet et Cereum paschalem, quem iuxta abacum sustinebit.

21. Post sextam prophetiam sextamque orationem Celebrans cum Ministris descendet a latere ad scamnum, ubi Ministri deponent manipulum et Celebrans planeta et manipulo dimisso, induetur pluviali violaceo.

22. Deinde eodem ordine ac supra citatò capitulo, procedetur ad fontem seu baptisterium, et clericus ante Crucem processionalem Cereum paschalem accensum gestabit.

23. In accessu ad baptisterium a cantoribus cantabitur tractus *Sicut cervus* etc.

24. Fontis benedictio est prorsus aequalis Sabbato sancto; diversa tantum est oratio, quae recitatur in principio priusquam intretur ad fontem. Quocirca observabitur quod eo loco descriptum fuit etiam relate ad baptismum infantibus et adultis, si aderunt, administrandum.

25. Postea redibitur ad Altare ordine ibidem notato, et clericus gestans Cereum paschalem, non imponet illum candelabro, sed referet in sacrarium, extinguetur ac reponetur, quum usque ad Sabbatum sanctum anni venturi non sit amplius adhibendus.

26. Celebrans et Ministri se prosternent ante Altare, et Litaniae in Missali notatae ritu duplici canentur.

27. Ad ℣. *Peccatores* Celebrans cum Ministris et Acolythis redibunt in sacrarium, deponent paramenta violacea et aliis nobilibus rubri coloris induentur pro Missa solemni.

28. Profectis ex Altari Celebrante et Ministris, amovebitur pallium et reliqua omnia ornamenta violacea et remanebunt altera rubri coloris; tum candelae in Altari accendentur.

29. Non cantabitur Introitus sed loco eius cantabitur et repetetur canendo *Kyrie* sine organorum sono.

30. Sub finem Litaniarum Celebrans cum Ministris redibit ad Altare et Sacrum inchoabitur. Notandum quod, redeunte

Celebrante cum Ministris ad Altare ad Missam celebrandam, non est pulsanda campanula sacrarii.

31. Ad intonationem hymni *Gloria in excelsis* pulsabuntur organa, campanae ecclesiae et campanulae ad fores sacrarii.

32. Ad Evangelium canendum Acolythi non afferent candelabra cum candelis accensis, sed iunctis manibus assistent.

33. De reliquo observabitur ritus pro Missis solemnibus praescriptus.

34. In ecclesiis fonte baptismali carentibus, eadem fiet functio, excepta tantum benedictione fontis et baptismi administratione.

Montis regalis. An occurrente vigilia Pentecostes, cantari possit Missa iuxta ritum pro Missis privatis praescriptum, cum introitu *Cum sanctificatus fuero?* S. R. C. resp. *negative, iuxta rubricas.* Die 23 Februarii 1839.

DE FESTO PENTECOSTES

CAPUT XXXII.

1. Quoniam haec etiam solemnitas e praecipuis est, ad digniorem Cleri spectat officium peragere.

2. Primae Vesperae ritu superius descripto celebrabuntur: notandum tantum, quod ad intonationem hymni *Veni creator Spiritus*, omnes in genua procumbent, exceptis Acolythis, qui suo loco stabunt ante Celebrantem. Celebrans autem stans intonabit hymnum et statim geniculabit quo loco erit, nempe aut in primo chori stallo aut in scamno a latere Epistolae prope Altare. Si scamnum hoc aderit pro Celebrante, praeparabitur pulvinus, in quo ipse possit genua submittere. Clerus, Celebrans et pluvialistae perstabunt genibus insistere, donec canentur primi quatuor versus, seu tota prima strophe.

3. Matutinum cum Laudibus aut cantabitur aut legetur iuxta morem et consuetudinem cuiusque ecclesiae.

4. Hora Tertia cantabitur et in hac hora officium peraget dignior, qui aderit in choro. Ad hymnum *Veni creator Spiritus* omnes geniculabunt ad cantum primae strophae, ut in Vesperis.

5. Post cantatam Tertiam cantabitur Missa, cui praemittetur aspersio aquae pridie in sacro fonte benedictae et consulto extractae antequam Olea Sancta illuc infundantur, si ecclesia habeat fontem baptismalem.

6. In Missa solemni nihil notandum occurrit praeter genuflexionem ad ℣. *Veni sancte Spiritus, reple* etc. post Epistolam. Quam ob rem admoneantur cantores, ut incipiant cantum versus praedicti tempore opportuno. Etenim Subdiaconus cantabit Epistolam, et osculatus manum Celebrantis deferet Missale in cornu Evangelii. Celebrans veniet ad medium Altare et Diaconus ascendet in suppedaneum ad dexteram eius. Quum Subdiaconus librum posuerit super Altare, subsistet a sinistris Celebrantis, qui una cum ipsis Ministris descendet in gradum superiorem cumque iisdem genua submittet in extremo suppedaneo et statim, tunc a cantoribus praedictus versus cantabitur. Celebrans genua ponet in pulvillo, quem ei supponet clericus. Ceteri omnes nudato capite suo quisque loco geniculabunt.

7. Cantato versiculo usque ad verba *ignem accende*, Celebrans assurget ac recitabit *Munda cor meum*, Diaconus et Subdiaconus venient ad locum suum, ceteri omnes consurgent et Clerus in choro considebit.

8. Si cantus Sequentiae prolixus esset eaque de caussa deberet Celebrans cum Ministris sedere, Subdiaconus, osculata manu Celebrantis, non transferet Missale, sed Epistolario tradito clerico vel Caeremoniario veniet ad medium Altare cum Celebrante et geniculabunt, ut supra. Post genuflexionem Celebrans cum Ministris de Altari a latere descendent et recedent ad scamnum, in quo sedebunt.

9. Idem ordo servabitur in Vesperis et in Missis quae reliquis duobus festis subsequentibus celebrabuntur, in quibus cantabitur etiam Hora tertia.

10. Id ipsum fiet in aliis Missis conventualibus quae canentur per totam huius solemnitatis octavam.

DE FESTO SS. TRINITATIS

CAPUT XXXIII.

1. In Dominica, quae immediate sequitur festum Pentecostes, celebratur memoria solemnis de mysterio Sanctissimae Trinitatis. Haec Dominica est primae classis, quae excludit quodcumque officium quamvis maxime solemne; festum autem secundae classis.

2. Relate ad ritum Vesperarum et Missae nihil occurrit, de quo specialis fiat mentio. In Hora prima recitabitur symbolus *Quicumque*, ut in peculiaribus huius diei rubricis notatur.

DE SOLEMNITATE SS. CORPORIS CHRISTI

CAPUT XXXIV.

1. Festum est perquam solemne rituque gaudet peculiari processionis et expositionis tum die festo, tum reliquis octo diebus.

2. De processione agetur separatim cap. sequenti. Quod ad ritum Missae solemnis ante SS. Sacramentum expositum, remittimus ' entes ad praecedens cap. VII.

3. Relate ad officium, meminerit Clerus numquam cooperiendum esse caput; faciendam genuflexionem duplicem in accessu ad chorum et in recessu, si SS. Sacramentum erit expositum, et omittendam esse omnem inclinationem seu reverentiam. Fient tamen illae reverentiae sive inclinationes, quas liceat appellare improprias, quandoquidem nihil aliud sunt, quam invitatio ad actionem quae sequitur. Exempli gratia, duo cantores qui psalmos in medio choro intonant, se convertunt cum

inclinatione ad partem illam quae cantum prosequi debet: unusquisque clericus in choro inclinatur ad alterum qui prope adest, invitans eum pro thurificatione et pro pace accipienda, atque ita de ceteris. Porro Clerus stare semper deberet, sed venia haec datur, ut sedeat propter officii prolixitatem. Cantores, qui psalmos intonabunt, quicumque intonatarus erit antiphonam; vel in medium processurus, vel rediturus ad locum suum seu transiturus ex altera ad alteram partem, genuflexionem exsequatur.

4. In hymno *Pange lingua* congeniculabunt omnes ad totam stropham *Tantum ergo*, si expositum erit SS. Sacramentum super Altari chori aut in ipso intra tabernaculum S. Eucharistia asservetur.

5. Quod ad expositionem, servabitur usus cuiusque ecclesiae, exponendi nempe SS. Sacramentum a principio officii, vel in quadam ipsius parte; ac iuxta regulam videtur esse, si saltem exponatur in Missa conventuali et in Vesperis. De ritu benedictionis inspiciatur cap. XI huius libri. Si dabitur benedictio statim post Missam, functionem peraget ipse Celebrans, qui deponet planetam ac manipulum, et pluviali induetur. Si dabitur post Vesperas, observentur S. Congregationis Rituum decreta.

6. Notetur et illud, quod primae et secundae Vesperae huius solemnitatis cantandae sunt solemniter, ut cap. II huius libri descriptum est.

7. Vesperae autem octavae, completo officio, ad reponendum SS. Sacramentum iterabitur processio per ecclesiam vel etiam per plateam; sed erit minus solemnis, quam prima, et poterit componi ut processio, quae in tertia cuiusque mensis Dominica fieri solet.

DE PROCESSIONE SS. CORPORIS DOMINI

CAPUT XXXV.

1. Haec Processio maxime solemnis omni cum magnificentia celebranda est; simulque vitandum quidquid potest profanationibus, iurgiis, scandalis et irreverentiis locum praebere.

2. In parvis regionibus, quum exiguus sit corporum ecclesiasticorum numerus, difficiliter oriri potest de ordine praecedentiae contentio. In magnis civitatibus, in quibus Cleri et confraternitatum amplior est numerus, fiet tempore debito a Curia Episcopali quod vulgo dicitur *rotulus*, videlicet statuetur et publicabitur ordo, quo unusquisque in processionem incedere debet, ut omnis prohibeatur controversia, quae sacrae functionis tempore posset suscitari.

3. Processio fiet mane et insuper mature ut vitetur aestus anni temporis, in quod hoc festum solet incidere.

4. Eadem Curia ex Episcopi auctoritate statuet horam, qua incipienda erit functio. Huius principium fiet a principali ecclesia loci et reditus ad eamdem. Inter Curiam et Magistratum civitatis conveniet de munditie et ornatu viarum, qua sit transitura processio. Cavebitur autem, ne in ornamentis sit quicquam indecens aut profanum et quidquid a sacris functionibus abhorreret. Eligentur etiam ab Episcopo sive ab eius Curia ii, qui hastas umbraculi gestare debebunt, easque principio processionis in exitu de ecclesia et in reditu ad ipsam substinebunt digniores reliquorum.

5. Interdicentur repraesentationes puerorum, Angelorum cum mysteriis Passionis vel Sanctorum speciem praeseferentium et quidquid aliud sapere potest vanum et inane.

6. Non erigentur in viis Altaria sive sacella, apud quae subsistat processio, sine speciali Episcopi facultate, quae si de-

tur facultas, visitanda erunt antecedenter ab aliquo ecclesiastico, ut sint decentia.

7. Praecipietur Superioribus ecclesiarum, ante quas transitura sit processio, ut campanae pulsentur festivo more, dum tota processio transibit.

8. Non subsistet processio in omni ecclesia et apud omne Altare, quod occurret in itinere, sed poterit subsistere semel, aut iterum, quum tractus itineris percurrendi esset valde longus; et super Altaribus debita opera erectis aut intra ecclesias super Altari deponetur SS. Sacramentum, cantabitur *Tantum ergo*, recitabitur oratio, fiet thurificatio, ut infra; deinde quin detur benedictio, quae impertietur in processionis fine, continuabitur processionis iter.

9. In itinere poterunt spargi flores, herbae virentes et odorae, paullo ante quam transeat processio.

10. Exornabitur ecclesia eodem modo, quo exornatur in solemnitatibus praecipuis.

11. Prope ecclesiam ipsam praeparabitur locus aliquis, ubi suis insignibus induentur qui processioni intervenire debebunt.

12. Confraternitates congregabuntur in ecclesiam, si capax locus erit, secus subsistent in platea ante ecclesiam sita.

13. Singulae candelae distribuendae essent in singulos processioni intervenientes, quas in processionem accensas sustineant.

14. Praeparabuntur etiam libelli, si mos sit, distribuendi Clero seculari et regulari, in quibus sint scripti manu vel typis excusi hymni et preces, quae a Rituali Romano praescribuntur.

Quae sint praeparanda.

15. In sacrario praeparabuntur paramenta albi coloris pro Missa solemni, videlicet tres amictus, tres albae, tria cingula, tunicella cum manipulo, dalmatica cum stola et manipulo ac planeta cum stola et manipulo pro Celebrante et Ministris.

16. Praeparabuntur duo thuribula cum naviculis et incenso, candelabra cum candelis pro Acolythis, intorticia, et candelae

e cera alba, sufficienti copia, pro numero intervenientium processioni.

17. Si ecclesia sit Cathedralis, nec functio fiat ab Episcopo, praeparabuntur paramenta cum amictibus pro Canonicis, iuxta praebendarum distributionem, octo pluvialia pro Beneficiariis hastile umbraculum in processionem gestaturis, tunicella cum cingulo, alba et amictu pro Subdiacono, qui Crucem gestabit.

18. Altare maius exornabitur festivo more, videlicet sex candelabris nobilibus cum candelis, et Cruce simili candelabris, pallio albi coloris et tapeto super gradus. Si in hoc ipso Altari fiet expositio SS. Sacramenti hac die et per octavam statuetur thronus seu baldachinum albi coloris, in quo exponetur SS. Sacramentum; aderunt candelabra cum candelis numero praescripto iuxta morem vel leges synodales. Aderit etiam in Altari tabernaculum, ubi reponi possit SS. Sacramentum; quod si tabernaculum desit, praeparabitur velum album abhibendum, ut infra.

19. In abaco praeter calicem, patenam etc. pro Missa solemni, Missale cum cussino pro Celebrante, Evangeliarium et Epistolarium, ampullas, campanulam etc. velum humerale pro Subdiacono, praeparabitur alterum velum humerale nobile albi coloris pro Celebrante et pluviale pro eodem, ostensorium albo velo contectum, hostia aptata in lunula ponenda in ostensorio et in Missa solemni consecranda; libellus cum oratione *Deus qui nobis* etc. pro Celebrante, ac si opus esset, taenia seu chordula e serico albo collo Celebrantis imponenda ad sustinendum Ostensorium.

20. In presbyterio praeparabitur Crux processionalis, et prope illud statuetur umbraculum album octo hastis instructum et quatuor laternae hastis infixae cum candelis e cera intus occlusis, gestandae circum SS. Sacramentum.

21. Si processio subsistet apud quodpiam Altare in via erectum, vel in aliqua ecclesia, Altare in quo deponetur SS. Sacramentum, ornabitur festivo more, ardebunt in ipso candelae et super mensa aderit corporale extensum. In eadem ecclesia

vel apud Altare disponentur scamna sine postergali, cooperta tapeto sive aulaeo, apud quae geniculabunt Canonici, si aderunt. Prope Altare aut in ecclesia aequum esset ut adesset ignis renovandus, si opus sit, in binis thuribulis.

In functione.

22. Pridie post Vesperas et Completorium, si ecclesia erit Cathedralis vel Collegiata, recitabitur vel cantabitur Matutinum cum Laudibus, mane autem mature recitabuntur horae minores et post eas locus erit Missae solemni cantatae a prima Dignitate seu digniore de Clero, qui Sacramentum etiam gestare in processionem debet.

23. Missa ritibus usitatis cantabitur; Caeremoniario autem vel etiam Subdiacono curae erit ante offertorium afferre hostiam pro processione consecrandam, quae extracta e capsula, in qua erit, ponetur super corporale.

24. Postquam Celebrans communicaverit, Subdiaconus calicem palla cooperiet, Ministri genuflectent et locum mutabunt videlicet Diaconus ad dexteram, Subdiaconus ad sinistram Celebrantis transibit.

25. Interea Caeremoniarius ex abaco ad Altare afferet ostensorium albo velo contectum et ponet ipsum in Altari.

26. Diaconus deteget ostensorium et quin inclinet ipsum ponet supra corporale et crystallum aperiet.

27. Celebrans cum Ministris genuflectet ac Diaconus cavens ne tangat S. Hostiam, sumet manubrio lunulam cum Sacramento eamque ponet in ostensorio et clausa crystallo collocabit ostensorium in medio corporali versus eiusdem partem posteriorem (*a*).

28. Celebrans cum Ministris iterabunt genuflexionem et illi redibunt ad locum uterque suum ut antea, observantes ge-

(*a*) De velo, quo cooperiendum esse ostensorium a Rituali praescribitur postquam repositum ibi erit SS. Sacramentum, inspiciatur eruditum commentarium Praesulis Gardellini ad Instructionem Clementinam §. 19.

nuflexiones praescriptas cap. VII. de Missa solemni ante SS. Sacramentum expositum.

29. Interea Canonici, si ecclesia erit cathedralis, pergent in sacrarium, induentur sacris paramentis et in chorum redibunt. Idipsum facient Beneficiarii, qui induent sibi pluviale, eo quod hastas umbraculi gestaturi sunt, et Subdiaconus gestaturus Crucem, qui omnes sub exitum Missae praesto erunt ad Altare.

30. Paullo ante vel paullo post medietatem Missae, iuxta numerum corporum seu collegiorum, quibus constabit processio, Caeremoniarius, adiuvantibus clericis quibusdam, processionem in ordinem disponet ut, peracto Sacro, sine ulla mora possit Celebrans proficisci.

31. Aderunt clerici delegati intorticiis et candelis accensis distribuendis Clero et reliquis, quorum est eas gestare; Clero autem in choro distribuentur, postquam donata pax erit.

32. Processio autem sequenti ordine dirigetur.

33. Signum albi coloris seu vexillum cum stemmate SS. Sacramenti a clerico gestatum.

34. Confraternitates laicorum cum suis insignibus, servantes ordinem praecedentiae ab epocha suae institutionis.

35. Regulares et unumquodque corpus incedent post propriam Crucem, diversam a Cruce Cleri, cum panno appenso, et in ordine praecedentiae observabitur Constitutio Gregorii XIII. *Exposcit pastoralis* 25. Jul. 1585.

36. Curiales et Officiales togati atque ultimo loco Magistratus, unusquisque cum intorticio accenso.

37. Crux Cleri inter Acolythos cum candelabris, ac si Canonici erunt parati, Subdiaconus etiam, qui gestabit Crucem Cleri, sacris vestibus seu tunicella indutus erit, ut superius traditum est.

38. Chorus cantorum, qui candelam non sustinebunt, sed cantabunt hymnos praescriptos.

39. Clerici Seminarii.

40. Parochi induti superpelliceo sive aliis insignibus, si sua propria habebunt.

41. Collegiatae, iuxta ordinem in processione Litaniarium maiorum.

42. Mansionarii seu Beneficiarii Cathedralis.

43. Octo Mansionarii seu Beneficiarii pluviali albo supra superpellicio induti, hastas umbraculi delaturi, ut infra.

44. Canonici et Dignitates Cathedralis induti sacris paramentis et in suos ordines distincti.

45. Duo clerici cum thuribulo et navicula, qui SS. Sacramentum iugiter in itinere adolebunt.

46. Celebrans manibus sustinens SS. Sacramentum, medius inter Ministros, qui fimbrias pluvialis eius sustinebunt, et incedet sub umbraculo.

47. Quatuor clerici ad quatuor angulos umbraculi gestabunt laternas cum candelis accensis, impositas hastis.

48. Aderit etiam clericus delegatus ferendo libro cum oratione a Celebrante recitanda, si forte statio fieret in aliqua ecclesia vel apud Altare in via erectum.

49. Praesules, si aderunt, induti palliolo et rocheto, si utentur, sequentur processionem.

50. Omnes capite nudato incedent manu sustinentes biretum.

51. Candelam seu intorticium gestabit dextra qui dextrorsum incedet, sinistra qui sinistrorsum.

52. Clerus non utetur paramentis, nisi aderit Clerus Cathedralis, sed unusquisque induetur superpelliceo, ac si nulla aderit Collegiata, Clerus seu Sacerdotes qui intererent processioni, incedent iuxta ordinem antiquitatis desumendum ab epocha ordinationis.

53. Sub exitum Missae praesto erunt bini thuriferarii cum thuribulis et naviculis, clericus vel Subdiaconus gestaturus Crucem, Beneficiarii parati (si erit Cathedralis) pro sustinendis hastis umbraculi, alter clericus apud abacum, qui res quae opus sunt, ministret.

54. Si Clerus erit numerosus, praestaret ut Crux cum Acolythis et clero minore discederet e choro statim post benedictionem a Celebrante impertitam, ne ipse nimium expectet antequam in processionem proficiscatur.

55. Celebrans, peracto Sacro, genuflectet cum Ministris in suppedaneo, et a latere per latus Epistolae descendens perget ad scamnum. Ibi cavebit ne tergum vertat ad Altare; Ministri deponent manipulum; ipse autem dimissa planeta et manipulo, induetur pluviali.

56. Clericus vel Subdiaconus accipiet Crucem eique se addent Acolythi et ante Altare procedent. Acolythi tantum genuflectent ad Sacramentum, deinde processionis principium facient.

57. Celebrans ante scamnum, incensum ei sine osculis ministrante Diacono et fimbriam dexteram pluvialis attollente Subdiacono, incensum in utrumque thuribulum sine benedictione iniiciet.

58. Interea clericus in promptu habebit velum humerale utendum a Celebrante.

59. Bini clerici umbraculum hastile accipient et deferent ante aditum presbyterii, ubi explicabunt illud et hastas tradent delatoribus eius (*a*).

60. Ordo quo disponendi erunt delatores, innuitur a Caeremoniali Episcoporum lib. I. cap. XIV. num. 2. nempe dignior gestabit primam hastam a dexteris Celebrantis, secundam quae prima est a sinistris Celebrantis secundus dignior, tertiam quae secunda est a dexteris Celebrantis tertius, quartam seu secundam a sinistris Celebrantis quartus, quintam seu tertiam a dexteris Celebrantis et fere post ipsum quintus, sextam nempe tertiam a sinistris et post Celebrantem sextus, septimam quae quarta est a dexteris post Celebrantem septimus, octavam quae quarta est a sinistris post Celebrantem octavus.

61. Primi delatores umbraculi erunt beneficiarii praedicti induti pluvialibus relate ad Cathedrales, vel etiam Canonici relate ad Collegiatas, qui hoc casu non utuntur pluviali, et ab Altari maiore solent illud deferre usque ad portam ecclesiae: ab ecclsiae porta usque ad alterum locum designandum succedet Magistratus: deinde alii togati, si aderunt: postea Confra-

(*a*) De usu umbellae, seu parvi umbraculi inspiciatur nostra adnotatio cap. XXV. huius lib. num. 47.

ternitates; donec illud recipient togati, tum Magistratus, postremo Clerus, µt supra, a porta ecclesiae ad Altare in reditu processionis. Delatores supradicti, si locus iis erit in processione, quum venerint ad locum ipsis praestitutum, subsistent ibi ut hastas accipiant, et alii delatores qui eas tradent ipsis, accelerabunt gradum cum gravitate et occupabunt locum sibi proprium in processione.

62. Celebrans, incenso iniecto in bina thuribula, ut supra, medius inter Ministros, qui fimbrias pluvialis eius sustinebunt, cum ipsis procedet ante Altare, et facta genuflexione duplici in plano, geniculabunt in infimo gradu.

63. Diaconus unum thuribulum sine osculis tradet Celebranti, qui thurificabit SS. Sacramentum, postea restituet thuribulum Diacono, hic thuriferario.

64. Diaconus velum humerale a clerico accipiet, assurget, imponet illud humeris Celebrantis, cui Subdiaconus ante pectus alligabit.

65. Diaconus, alligato Celebranti velo, cuius extremitates anteriores super manus eius adiuvante Subdiacono aptabit, ascendet ad Altare, genuflexionem a latere, ne tergum vertat Celebranti, uno genu efficiet ad SS. Sacramentum, Ostensorium accipiet dextra infra radiorum spheram, sinistra ad pedem applicata, et elatum sustinens convertetur ad Celebrantem eique tradet illud.

66. Celebrans, inclinatione facta, ostensorium manibus velo contectis accipiet, ponens dextram ad nodum et sinistram infra pedem illius, et assurget.

67. Diaconus, Ostensorium Celebranti tradito, genuflectet, de Altari descendet et se sistet a dexteris Celebrantis.

68. Celebrans, accepto Ostensorio et adorato SS. Sacramento a Diacono, convertetur ad populum. Ministri simul cum Celebrante ad populum convertentur, suum locum servantes et elatas sustinentes fimbrias pluvialis.

69. Cantores intonabunt hymnum *Pagne lingua*, qui cum aliis hymnis cantabitur tempore processionis.

70. Clerus e choro proficiscetur, vel si chorus deesset, di-

spositus iam erit ante Altare, et facta duplici genuflexione, unusquisque, ut superius teaditum est, locum in precessione suum occupabit.

71. Celebrans et Ministri submissa voce alternatim recitabunt hymnos, psalmos et cantica functioni convenientia.

72. Si qua fiet statio secundum viam sive in ecclesiis, quae occurrent, sive ad Altaria dedita opera erecta, ut n. 8. iam notatum est, processio intrabit in ecclesiam, si capax erit, secus vel totus Clerus vel pars illius; ac si aderunt Canonici parati, locum occupabunt ad scamna praeparata. Omnes illi qui ingredientur in ecclesiam aut in conspectum Altaris erunt, geniculabunt.

73. Celebrans ante Altare quum venerit, consistet; Diaconus aliquantum accelerans gradum, praesto erit ante eum.

74. Diaconus genuflectet, Ostensorium accipiet, assurget, expectabit dum Celebrans cum Subdiacono genuflectant in infimo gradu et Sacramentum adorent, tum deferet illud super Altare et collocabit in medio, genuflectet a latere, ut supra, redibit ad dexteram Celebrantis et geniculabit prope eum.

75. Interea Subdiaconus expediet velum humerale, quod tolletur de humeris Celebrantis. Alter e thuriferariis vadet ad renovandum ignem in thuribulo, et eo revertente, idem faciet alter.

76. Ostensorio a Diacono posito super Altare cantores cantabunt *Tantum ergo* et post verba *veneremur cernui*, ad quae adorabitur Sacramentum, corsurget Celebrans cum Ministris. Subdiaconus attollet fimbriam dexteram pluvialis, Diaconus ministrabit incensum, thuriferarius stans obiiciet thuribulum Celebranti, qui sine benedictione incensum iniiciet.

77. Rursus congeniculabunt in infimo gradu Celebrans et Ministri, ac Diaconus acceptum a thuriferario thuribulum porriget Celebranti, qui SS. Sacramentum thurificabit, tum restituet thuribulum Diacono, hic autem thuriferario.

78. Post cantatum praedictum hymnum duo cantores cantabunt versiculum *Panem de caelo* etc. et Celebrans assurget et cantabit orationem *Oremus. Deus, qui nobis* etc. cum brevi

conclusione ***Qui vivis et regnas in saecula saeculorum.*** Responso ab adstantibus *Amen*, Celebrans rursus genuflectet.

79. Clerus, qui genibus insistebat, consurget ac facta, ut supra, ad Sacramentnm genuflexione, in ordinem processionis rursus proficiscetur.

80. Diaconus velum humerale humeris Celebrantis iterum imponet, et ascendens ad Altare SS. Sacramentum ei tradet, ut supra, et procedent cum processione, quae perget per vias praestitutas, revertens ad ecclesiam ex qua erit egressa.

81. In reditu processionis ad ecclesiam, ex qua initium eius factum fuit, ratio habebitur ordinis delatorum umbraculi.

82. Quum autem processio ad ecclesiam redierit, confraternitates versus portam principalem intra ecclesiam, si capax erit, disponentur, secus in platea, deinde ulterius in ecclesia ipsa regulares, et postremo Clerus intra presbyterium, vel circa ipsum iuxta capacitatem.

83. Prospiciet Caeremoniarius vel qui processionem diriget, ne quis ex illis qui processioni interfuerint, de ecclesia discedat aut candelam seu intorticium extinguat nisi post datam benedictionem et repositum a Diacono in tabernaculo SS. Sacramentum.

84. Canonici, si aderunt, vel antiquiores de Clero in ordinem disponentur circa Altare, si capax erit, aut redibunt in chorum.

85. Celebrante in aditum presbyterii perveniente, recedent clerici gestantes laternas in hastis cum lumine incluso easque referent in sacrarium: duo clerici, qui primum attulerunt umbraculum, recipient illud a delatoribus et applicabunt parieti ubi erat ab initio praeparatum. Delatores autem, si fuerint ecclesiastici, ut supra dictnm est, pergent in chorum vel consistent cum aliis in presbyterio. Sin autem essent laici, remanebunt extra ingressum presbyterii.

86. Celebrans ante Altare consistet ac Diacono tradet Ostensorium, quod deponet in Altari et fient omnia illa, quae superius notata sunt de statione in aliqua ecclesia vel Altari facienda.

87. Si opus fuerit, thuriferarius unus ignem in thuribulo renovabit.

88. Postquam Celebrans thurificaverit SS. Sacramentum, uterque thuriferarius, facta ante Altare duplici genuflexione, redibunt in sacrarium ad thuribula deponenda, quibus in hac functione opus amplius non est.

89. Postquam Celebrans SS. Sacramentum thurificaverit et orationem cecinerit, rursus imponetur ei velum humerale a Diacono, ascendet cum Ministris in suppedaneum Altaris et ad Sacramentum genuflectet.

90. Subdiaconus geniculabit in extremitate suppedanei et Diaconus cum Celebrante assurget eique tradet Ostensorium, quod manibus contectis extremo velo humerali Celebrans accipiet. Diaconus rursus geniculabit in suppedaneo, ut Subdiaconus. Celebrans convertetur ad populum et benedictionem SS. Sacramenti largietur. Ministri fimbrias elatas pluvialis sustinebunt.

91. Post benedictionem Diaconus assurget, Ostensorium recipiet e manibus Celebrantis et super Altare reponet. Assurget etiam Subdiaconus seque addet Celebranti in suppedaneo. Celebrans cum Ministris iterabit genuflexionem simplicem ad SS Sacramentum et de Altari descendent. Cavebit Celebrans ne tergum vertat Sacramento, dum de Altari descendet, sed versus partem Evangelii aliquantum recedet.

92. Ante Altare quum descenderint, congeniculabunt in infimo gradu. Subdiaconus velum humerale expediet et detrahet Celebranti. Diaconus, adgeniculato Celebrante, redibit in suppedaneum ad Altare et a latere genuflectet ad Sacramentum; hoc tempore Caeremoniarius vel Sacrista afferet ad Altare capsulam cum clavicula tabernaculi, aut velum album superius nominatum.

93. Diaconus non inclinans Ostensorium super Altare, aperiet crystallum, extrahet lunulam cum s. Hostia eamque reponet in capsula, quam claudet operculo. Deinde aperiet ciborium seu tabernaculum et intra reponet Sacramentum ac facta genuflexione a latere, claudet porticulam tabernaculi, plicabit

corporale, quod relinquet in Altare et ad dexteram Celebrantis redibit.

94. Sin tabernaculum deesset, Diaconus clauso intra capsulam Sacramento, relinquet illam in Altari, cooperiet velo albo et ad dexteram Celebrantis redibit.

95. Si post processionem expositum per totum diem in Altari maneret SS. Sacramentum, Diaconus conscenso suppedaneo et facta genuflexione, accipiet Ostensorinm et ponet ipsum sub throno seu baldachino praeparato in Altari, ac si opus fuerit, clericus ad Altare afferet scabellum seu parvam scalam, super quam ascendet Diaconus ut SS. Sacramentum sub throno collocet.

96. Acolythi candelabra ex abaco sument, venient ante Altare, genuflectent et in sacrarium revertentur; post Acolythos ibit Clerus et ultimo loco Celebrans medius inter Ministros, fimbrias pluvialis eius sustinentes.

97. Intorticia et candelae extinguentur quum repositum erit SS. Sacramentum, et aderunt clerici illis recipiendis delegati.

98. Si SS. Sacramentum erit expositum, Acolythi, Clerus et Celebrans cum Ministris genuflexionem duplicem conficient, atque isti egressi presbyterio caput bireto cooperient extra conspectum SS. Sacramenti; quod si expositum non erit, sed clausum in ciborio vel coopertum velo, fiet genuflexio simplex, et Celebrans cum Ministris caput cooperient, quum de Altari discedent.

DE DOMINICIS POST PENTECOSTEN USQUE AD ADVENTUM.

CAPUT XXXVI.

1. In Dominicis, quae in hoc tempus incidunt, nihil specialiter notandum occurrit. Si celebrabitur officium de Dominica, adhibenda erunt paramenta viridis coloris, sonabitur organis et sacri Ministri induentur dalmatica et tunicella. Sin celebrabitur qui-

dem officium de Dominica, sed haec incideret intra aliquam octavam sive Ecclesiae universalis, sive partialem cuiusdam ecclesiae, pro colore viridi adhibebitur color octavae congruens.

DE FESTIS PRINCIPALIBUS, QUAE INTRA ANNUM OCCURRUNT.

CAPUT XXXVII.

1. Quaedam superius notavimus ex festis mobilibus pro sua celebratione solemnibus. Convenienti pompa celebrabuntur festa primae classis, videlicet nativitas S. Joannis Baptistae, festum S. Joseph sponsi B. M. V. Ecclesiae catholicae patroni, SS. Apostolorum Petri et Pauli almae Urbis Protectorum principalium, Assumptionis B. Mariae Virginis et omnium Sanctorum.

2. Maiori pompa celebrabitur festum Patroni, Titularis ecclesiae et anniversarium dedicationis, utpote propria loci et ecclesiae cuiusque.

3. In anniversario autem dedicationis ecclesiae propriae a primis vesperis ac toto die festo accendi solent candelae ante cruces parietum, in quibus sacra unctio, consecrationis tempore, ab Episcopo peracta fuit.

4. In praedictis diebus officium spectat ad superiorem seu digniorem Cleri.

5. Cetera secundae classis festa minori pompa celebrabuntur quum aequum sit ut inter prima et secunda aliquod intersit discrimen.

6. In omnium Sanctorum festo post Vesperas canentur Vesperae pro omnium defunctorum commemoratione ritu descripto cap. IX. huius libri.

DE EXPOSITIONE SS. SACRAMENTI PRO QUADRAGINTA HORARUM ORATIONE.

CAPUT XXXVIII.

1. Ut functio haec regulariter procederet, editae a Summis Pontificibus identidem sunt dispositiones, quae simul collectae iussu Clementis XII. die 1. Septembris 1730. publicatae sunt sub titulo *Instructionis Clementinae*, quae Romae tantum vim habet legis. Regulae in hac functione servandae deducentur ex ipsa instructione Clementina et penes Episcopum ordinarium erit ex toto aut ex parte sequi ea quae Summi Pontifices pro urbe Roma disposuerunt.

Quae sint praeparanda.

2. Ad externam ecclesiae portam appendetur tabella seu signum SS. Sacramenti, exornatum panno colorato ad indicandam expositionem. Idem signum suspendetur in proximis viis, praesertim si ecclesia remoto loco sita esset, ut significetur fidelibus, quod in proxima ecclesia adest expositum SS. Sacramentum.

3. Expositio fieri debet in Altari maiore; ac si ecclesia valde spatiosa esset, non dedeceret, ut in aliquo Altari laterali fieret, quemadmodum assolet in ecclesiis patriarchalibus Urbis.

4. Propter expositionem cooperietur principalis pictura Altaris, et reliquae etiam si proximae Altari erunt: panni, quibus cooperientur picturae illae non violaceo nec nigro colore, sed albo aut rubro ac, si fieri poterit, serici erunt. Eadem Instructio Clementina interdicit aulaea aut peristromata, in quibus imagines et historiae profanae pictae sint.

5. Super altari non disponentur Reliquiae Sanctorum, nec statuae aut busta sive imagines ipsorum, ac ne figurae quidem animarum purgatorii. Non tamen excluduntur imagines Ange-

lorum sustinentes candelabra seu fanalia cum candelis. Super ipsum Altare statuetur thronus seu baldachinum coloris albi, et in basi aderit corporale conveniens amplitudini basis ipsius in qua collocabitur Ostensorium (*a*)

6. In quibus ecclesiis stabiliter positum in Altari baldachinum erit, vel ciborium quatuor columnis sustentum, non est necesse ut apponatur thronus, sed satis erit in medio Altari posita basis, in qua collocetur Ostensorium.

7. A lateribus throni super Altari disponetur conveniens candelabrorum et fanalium numerus cum candelis e cera, ut decora fiat expositio. SS. Sacramento exposito, ardebit semper nocte dieque numerus luminum e cera constitutus ab Episcopo vel a synodo aut laudabili dioecesis consuetudine. Idem numerus noctu etiam ardebit, si nocte continuabitur expositio, et penes Episcopum erit ecclesiis pauperibus facultatem facere substituendi nocte clausis portis partem luminum olei loco cereorum (*b*).

(*a*) Non potest probari usus (ac praestaret dicere abusionem) erigendi machinas enormes, siquidem praeterquam quod SS. Sacramentum maneret prorsus extra Altare, periculum etiam esset incendii et ruinae. Peius autem esset, si ad statuendum Sacramentum super machina non posset commode ascendere Sacerdos; itemque si quod artificium adhiberetur, quo ascendere ac descendere ultro posset Ostensorium. Abusio illa tolli prorsus a superiore ecclesiastico deberet.

(*b*) Reprobandus etiam videtur usus vulgo receptus disponendi in Altari magnum cereorum numerum, quorum minor pars accenditur, maior reservatur accendenda prima tantum noctis hora. Sapienter in hanc rem Card. Morozzo Episcopus Novariae tractatu VIII num. 21 de Sacris Caeremoniis (Novariae 1827 typograph. episcop. Josephi Rosario) monet, *universa Altaris lumina oportere ut ardeant tempore expositionis, quamvis plurima praeparata et disposita fuerint, eo quod singulis horis eadem semper adsit praesentia et maiestas SS. Sacramenti, quod adoratur: quocirca si propter circumstantias, in quibus versantur ecclesiae, nimium grave sentiatur dispendium, satius erit cereorum numerum imminuere, quam unam tantum partem accensam relinquere.* Indecentius autem esset si in magnifico cereorum ingentium apparatu interponerentur exiles candelae, quae iugiter in expositione arderent, ne consumentur cerei ad pompam praeparati, siquidem praeter indecentiam et parum observantiae erga SS. Sacramentum, sordide et avare id factum videretur,

8. Abusio intolerabilis esset unum vel plura lumina post s. Hostiam ponere, ut lucida et splendens videretur.

9. Altare pallio albi coloris ornabitur, quodcumque sit officium quod celebretur. Gradus altaris cooperientur decenti tapeto.

10. Si in eodem altari cantabitur Missa pro expositione et repositione, praeparabitur scamnum pro Celebrante et Ministris itemque abacus, quemadmodum traditum est cap. IV. libri huius de Missa solemni.

11. Praeparabitur etiam scamnum longum sine postergali, contectum panno rubri aut viridis coloris, ponendum super gradus Altaris in commodum Sacerdotum, qui adorationi vacaturi sunt: aderunt etiam pulvini genibus supponendi et Breviaria. Huius rei caussa genuflexorium cum strato et pulvinis numquam praeparabitur, squidem haec distinctio in ecclesia et in presbyterio adhibetur Summo Pontifici, Cardinalibus et Episcopis in ipsorum dioecesi tantum, iuxta Decretum Congregationis Caerem. Pro laicis sacco indutis, qui ad adorationem invitabuntur, praeparabitur genuflexorium nudum extra prespyterium ex decreto Concilii Rom. ii tamen in functionibus solemnibus excludendi sunt e Sanctuario.

12. Item clericis superpellicio indutis curae erit prospicere luminibus in Altari ardentibus, nec permittendum est, ut laicus ullus quamquam sacco indutus ad Altare accedat hoc officio functurus.

13. Deligentur unus pluresve Sacerdotes, qui superpellicio et stola induti adorationem ante SS. Sacramentum per vicem agant. Ubi numerus sufficiens Sacerdotum vel clericorum colligi non poterit, supplebitur ab aliqua confraternitate modo iam declarato, vel secus ut Episcopo videbitur.

14. Ad fores ecclesiae, nisi aderunt cancelli, applicabitur pannus densus vel intra vel extra portam, dum tamen inter ostium et pannum intersit sufficiens spatium, ne de publica via prosipciatur Sacramentum in Altari expositum.

15. Licebit obumbrare ecclesiae fenestras, praesertim quae proximae Altari sunt, sed curabitur ne obscuritas eiusmodi sit, ut aliquod incommodum eveniat.

16. Si facultatem faciet Episcopus, ut portae ecclesiae pateant primis noctis horis, illuminetur ecclesia ne obscuritatis et noctis praesidio quid mali oriatur.

17. Excludantur etiam ab ecclesia cuiuscumque generis quaestuantes, licet quaestus, fieret pro expositione ipsa; distrahere enim id posset fideles, qui orare cum animi applicatione cupiunt.

18. Decenter etiam exornabuntur reliqua altaria, et in uno aliquantum remoto locabitur SS. Sacramentum intra tabernaculum, ut fideles qui, velint, possint ad sacram eucharisticam mensam facile accedere.

19. In Missis privatis toto expositionis tempore non sonabitur campanula ad elevationem, tantummodo quum Sacerdos celebraturus e sacrario exibit, dabitur parvum signum campanula ad fores sacrarii appensa.

20. Donec erit expositio, non celebrabuntur Missae de requie, excepto die commemorationis solemnis omnium defunctorum. Missae ritu officii de die celebrabuntur et adiicietur oratio de SS. Sacramento post omnes orationes a rubrica praescriptas. Eadem commemoratio omittetur quum officium duplex erit primae aut secundae classis et in Dominica Palmarum, in Vigilia Pentecostes et Natalis Domini. Dummodo non obstet ritus, licebit celebrare Missas votivas de SS. Sacramento sine *Gloria* et sine *Credo* et cum orationibus praescriptis, ut videre est tit. IX. *de orationibus* in rubricis generalibus Missalis Romani.

21. Si ad maiorem solemnitatem fiet processio tum pro expositione, tum etiam pro repositione, non exibit de ecclesia, quae tamen si exigua fuerit, licebit processionem facere per plateam vel viam tantum ante ecclesiam, non vero per alias vagari. Hoc casu curabitur, ut via scopis mundetur et spargantur herbae virentes ac processionis tempore claudentur tabernae eius viae.

22. Vespere expositionem praecedente triplex signum dabitur festivo omnium campanarum sono videlicet ad *salutationem angelicam*, ad dimidiam noctis horam et ad primam horam noctis. Donec erit expositio, nocte dieque uniuscuiusque horae signum dabitur campana maiori.

23. Si nocturno tempore continuabitur adoratio, fiet clausis portis et curabitur, ut tota nocte adsint Sacerdotes vel saltem aliqua confraternitas, quae adorationem prosequatur, foemineo sexu semper excluso (*a*).

24. Quod si SS. Sacramentum reponetur vespere et postridie summo mane rursus exponetur, Missae repositionis locus non erit, quoniam expositio finem habet vespertino tempore, non matutino. Hoc casu penes Episcopum erit praescribere quae preces recitandae sint unoquoque vespere, et prae caeteris recitari possent Litaniae maiores cum *Pange lingua* et orationibus, post quas benedictio SS. Sacramenti impertietur, et reponetur ipsum in sua custodia. Mane autem exponi posset canendo. *Pange lingua* tantum et orationem *Deus, qui nobis* etc.

25. Instructiones seu documenta deinceps tradentes, sequemur ex totò ecclesiarum Urbis consuetudinem.

In Missa pro expositione

26. Missa solemnis celebrabitur apud Altare, in quo locum habebit expositio, dummodo non esset receptus usus eam cantandi in sacello chori, ut assolet in Patriarchalibus, ac deinde in processionem afferendi SS. Sacramentum ad Altare, in quo permanebit expositum. Si igitur apud supradictum Altare celebretur, curabitur ut adsit Crux visibilis, tabellae secretarum seu charteglorias et mensa sit prorsus vacua candelabris, vasis floreis aliisque similibus ornamentis. Ad Missam accendentur sex e candelis iis, quae propius Crucem positae sunt.

27. In abaco praeter ea quae in Missis solemnibus recensita sunt superius cap. IV. num. 9. preparabitur alterum thuribulum cum navicula, si fiet Processio; velum humerale albi coloris pro Celebrante, si processio pro expositione fiet, siqui-

(*a*) Instituta Romae fuit usque ab anno 1810. Archiconfraternitas Adorationis nocturnae SS. Sacramenti, cuius finis est prosequi adorationem in noctem, in quibus ecclesiis fit expositio SS. Sacramenti. Haec Archiconfraternitas aggregat alias extra Urbem, iisque communicat sua privilegia a Summis Pontificibus concessa.

dem in repositione adhibetur pro benedictione, quamquam processioni locus non esset; pluviale concolor paramentis, quibuscum cantabitur Missa; Ostensorium albo velo contectum; capsula cum hostia consecranda iam in lunula Ostensorii aptata; liber cum precibus et orationibus recitandis tum pro Celebrante, tum etiam pro duobus cantoribus; stola alba pro Sacrista, si expositurus erit SS. Sacramentum, ut deinceps tradetur.

28. Plures hastae cum gossipio cerato seorsim ponentur ad accendendas Altaris candelas, et brevis scala seu scamnum commodum ad conscendendum Altare.

29. Apud abacum praeparabitur Crux processionalis; loco opportuno baldachinum albi coloris hastile et quatuor lampades grandiores hastis infixae, si de ecclesia processio exierit; candelae et intorticia Clero distribuenda. Haec omnia in promptu erunt si locus erit processioni, secus pro expositione quatuor tantum clerici intorticia sustinebunt.

30. In sacrario, quemadmodum in aliis Missis solemnibus, paramenta praeparabuntur.

In functione

31. Missa solemnis cantabitur ritibus cap. IV. praescriptis. Quod ad ritum Missae observabitur quod num. 106, et seqq. huius capitis deinceps tradetur.

32. Ad Offertorium Subdiaconus simul cum calice, vel etiam Caeremoniarius ad Altare afferet capsulam cum hostia consecranda, quam Diaconus e capsula extrahet ac ponet a latere in patena, quam tradet Celebranti pro oblatione. Celebrans autem antequam hostiam Missae ponat in corporali, tollet de patena hostiam in ostensorio locandam eamque ponet a sinistris in corporali, cavens ne manipulo deinceps contingat.

33. Duo pluresve clerici tempore debito accendent candelas Altaris. Id fiet plus minusve sero pro quantitate cereorum, ideoque nulla statui potest certa regula. Aequum autem esset, ut omnes candelae ante elevationem essent in Altari accensae.

34. Quum Celebrans fragmenta colliget post s. Hostiae

sumptionem, Caeremoniarius factis debitis genuflexionibus, vadet ad abacum, accipiet Ostensorium velo contectum, afferet ipsum ad Altare et statuet in latere Epistolae extra corporale.

35. Celebrans postquam consummaverit Calicem, ponet ipsum in corporali versus partem Evangelii et Subdiaconus palla illum cooperiet. Deinde Diaconus et Subdiaconus genuflexionem conficient et locum mutabunt, videlicet Diaconus ad dexteram, Subdiaconus ad sinistram Celebrantis transibit.

36. Ministri ad latera Celebrantis quum venerint, cum ipso genuflexionem ad Sacramentum iterabunt. Diaconus Ostensorium deteget, velum ad abacum deferente altero ex Acolytho, et ponet illud super corporale quin ipsum inclinet, aperiet cryistallum, accipiet lunulam cum s. Hostia eamque ponet in Ostensorio, crystallum rursus claudet et Ostensorium in medio corporali versus gradus candelabrorum collocabit, efficiens ut pars eius anterior Celebrantem respiciat. Hoc facto Celebrans cum Ministris iterabunt genuflexionem. Chorus autem non genuflectet, sed stabit semper.

37. Posteaquam Celebrans cum Ministris genuflexionem confecerint, Diaconus ad laevam, Subdiaconus ad dexteram Celebrantis redibunt et rursus genuflectent.

38. Subdiaconus Calicem deteget; Celebrans fragmenta colliget in loco, in quo fuerit Hostia ostensorii, eaque intra Calicem admittet; deinde non abscedens de medio Altaris, ablutionem et purificationem accipiet.

39. Ministri ex hoc momento advertant, quod omittenda sunt oscula usitata in tradenda aut accipienda re ulla a Celebrante.

40. Quum Celebrans ablutionem accipiet, Ministri genuflectent, Diaconus transferet Missale cum cussino seu legili in cornu Epistolae et Subdiaconus veniet in cornu Evangelii ad extergendum, et cooperiendum calicem.

41. Interea, si fiet processio, duo pluresve clerici accendent intorticia seu candelas, et cum debitis genuflexionibus eas distribuent Clero, qui aderit in choro. Sic etiam siqua aderit Confraternitas, quae se processioni aggregabit, ordinabitur per ipsam

ecclesiam. Duo thuriferarii ignem in thuribulis praeparabunt, ut cum ipsis et naviculis adsint sub finem Missae prope scamnum Celebrantis. Acolythi postquam cum debitis genuflexionibus ampullas ad abacum retulerint, explicabunt pluviale super scamno Celebrantis.

42. Praesto erit apud abacum etiam clericus, superpellicio indutus, qui Crucem processionalem gestabit. Clerici, qui curam gerent umbraculi hastilis, praesto erunt et ipsi ut illud afferant ante Altare vel ad ingressum presbyterii; aderunt alii quoque clerici, qui laternas hastis infixas gestabunt.

43. Celebrans, ablutione sumpta, genuflexionem faciet, manibus insistens Altari; transibit in latus Epistolae ibique ex Missali leget ℣. Communio.

44. Subdiaconus exterget et cooperiet calicem, ut in aliis Missis solemnibus, sed relinquet corporale in Altari, siquidem super eo positum erit Ostensorium. Idem Subdiaconus advertat ut paullum recedat de medio Altari, quum Celebrans cantabit *Dominus vobiscum*. Calicem coopertum accipiet, genuflectet in suppedaneo, de Altari descendet; rursus genuflectet in medio gradus infimi, deferet calicem ad abacum, redibit ad Altare seque post Diaconum locabit.

45. Celebrans quum legerit ℣. *Communio*, redibit ad medium Altaris, genuflectet, Altare osculabitur, genuflexionem iterabit, convertetur ad populum versus partem Evangelii, ne tergum vertat Sacramento, cantabit *Dominus vobiscum*, conversus ad Altare genuflectet rursus, redibit in cornu Epistolae et orationem cantabit.

46. Diaconus sequetur Celebrantem, cum ipso genuflexionem faciet quum venerit in medium illamque iterabit rediens cum eodem in latus Epistolae.

47. Postquam Celebrans cecinerit orationem sive orationes, redibit in medium cum Ministris et genuflexionem simul conficient. Celebrans osculabitur Altare, rursus genuflectet, convertetur ad populum, ut supra, et cantabit *Dominus vobiscum*. Diaconus hoc tempore genuflectet, convertetur ad populum, ut Celebrans, et cantabit *Ite Missa est*. Quo cantu peracto Cele-

brans cum Ministris genuflexionem iterabunt. Celebrans dicet orationem *Placeat* etc. Ministri autem venient in latera suppedanei, in quo congeniculabunt ad benedictionem Celebrantis.

48. Celebrans, completa praedicta oratione, osculabitur Altare, dicet *Benedicat vos omnipotens Deus*, et loco inclinandi caput, genuflectet ad Sacramentum, convertetur ad populum, ut ad *Dominus vobiscum*, benedictionem dabit et quin compleat circulum ac repetat aliam genuflexionem, convertetur versus partem Evangelii, recitabit ultimum Evangelium, cuius initio se signabit, non vero Altare, et ad *Verbum caro factum est* genuflectet Sacramentum versus.

49. Completo ultimo Evangelio, Celebrans cum Ministris genuflectent in suppedaneo et a latere descendent ad scamnum, ubi iam praesto erunt Acolythi. Ibi convertent tergum scamno, ne vertant Sacramento; Ministri manipulos deponent, adiuvantibus Acolythis, qui statim ad abacum redibunt, Celebrans autem dimissa planeta et manipulo, induetur pluviali, adiuvante Caeremoniario.

50. Hoc tempore Sacrista de Altari tollet Crucem, tabellas secretarum et Missale cum legili eaque omnia in abaco deponet.

51. Postquam Celebrans pluviale sibi induerit, se sistent ante eum duo thuriferarii alter post alterum. Diaconus ministrabit incensum sine osculis et Subdiaconus sustinebit elatam fimbriam dexteram pluvialis Celebrantis, qui sine benedictione incensum in thuribula iniiciet.

52. Interea ordinabitur processio, de qua inferius sermo erit.

53. Acolythi cum candelabris et clericus, qui medius inter eos gestabit Crucem, simul ac paratus pluviali Celebrans erit, pergent in aditum presbyterii seu sacelli, quo iam delatum erit baldachinum et hastae traditae fuerint octo Sacerdotibus vel aliis huic officio delegatis.

54. Celebrans postquam incensum, ut supra, in thuribula iniecerit ante scamnum, non ante Altare, cum Ministris sustinentibus fimbrias pluvialis, ante Altare procedet, ibique genuflexionem utroque genu faciet in pavimento, deinde assurget et cum iis in gradu infimo geniculabit.

55. Thuribulum a Diacono accipiet ac triplici ductu SS. Sacramentum thurificabit. Diaconus receptum a Celebrante thuribulum restituet thuriferario. Remanebunt duo thuriferarii in lateribus Altaris, ut se deinde collocent in ordinem processionis. Diaconus Celebrantis humeris imponet velum humerale album, quod illi Subdiaconus ante pectus alligabit. Celebrans manus suas extremitatibus anterioribus veli humeralis cooperiet.

56. Diaconus ascendet ad Altare, genuflexionem in suppedaneo uno tantum genu efficiet paullum versus partem Epistolae, ne tergum vertat Celebranti, assurget, Ostensorium accipiet, dexteram ponens ferme infra radiorum spheram, sinistram infra pedem, convertetur et Ostensorium tradet Celebranti genuflexo advertens, ut partem anteriorem illius ad se convertat.

57. Celebrans inclinationem faciet, manibus velo contectis accipiet Ostensorium, dexteram ad nodum applicans, sinistram ad pedem et assurget. Expectabit dum Diaconus genuflectat et Sacramentum adoret, quo facto ad populum convertetur. Diaconus et Subdiaconus dum ad populum cum Celebrante convertentur, meminerint locum suum servare, videlicet prior a dexteris, alter a sinistris Celebrantis.

58. Statim ac Celebrans conversus ad populum erit, duo cantores intonabunt *Pange lingua* et processionis initium fiet.

59. Processionis tempore pulsabuntur festivo more omnes ecclesiae campanae, et sonabunt etiam aliae ecclesiarum proximarum, si processio de sua ecclesia egressa, prope alias ecclesias transibit.

60. Processio instruetur ordine sequenti. Praeibit Confraternitas laicorum; unus e confratribus gestabit Crucifixum forma diversa a Cruce Cleri, et a lateribus eius incedent duo aut quatuor Confratres cum intorticiis accensis: sequentur bini reliqui confratres et ultimi incedent officiales sive hetaeriarchae, qui ipsam Confraternitatem repraesentant, quibus etiam in propria ecclesia interdicitur sequi baldachinum, quandoquidem locus iste ad ecclesiasticas dignitates tantummodo spectat: si Confraternitati suus erit Cappellanus, et sit in more positum, ut ipse Confraternitatem sequatur, ibit post officiales sive hetaeriarchas

indutus superpelliceo. Eadem regula servabitur, si plures aderunt Confraternitates, quoniam unaquaeque separatim ab altera ordine iam declarato incedet.

61. Post Confraternitatem procedet Crux Cleri gestata a Subdiacono vel a clerico superpellicio induto inter duos Acolythos sustinentes candelabra cum candelis accensis. Sequentur cantores induti superpelliceo, qui cantabunt hymnum *Pange lingua* concentu musico vel simplici canendi modo. Monendi autem sunt, quod post ℣. *Verbum caro* resumendus est cantus hymni ex altero ℣. *Nobis datus* etc. Deinde qui de Clero sunt, omnes bini incedentes, digniores autem seu seniores propius Celebrantem; unusquisque manu sustinebit candelam vel intorticium et biretum; qui dextrorsum incedent, gestabunt candelam dextera et biretum sinistra, qui sinistrorsum, candelam sinistra, biretum dextera sustinebunt. Eadem regula servabitur a Confraternitate, et confratres extensam pectori applicabunt manum vacuam.

62. Duo thuriferarii post eos leviter agitantes thuribula ut SS. Sacramentum adoleant; prior thuriferarius dextrorsum, sustinebit thuribulum sinistra, alter sinistrorsum dextera thuribulum sustinebit. Postremo incedet Celebrans sub baldachino gestans SS. Sacramentum et Ministri a lateribus fimbrias pluvialis eius elatas sustinebunt. Hastas baldachini gestabunt digniores Cleri vel Nobiles, ut praescribitur a Caeremoniali Episcoporum, regula iam tradita cap. XXXV. de Processione Corporis Christi num. 60.

63. Si processio de ecclesia exibit, quatuor clerici a lateribus baldachini gestabunt laternas grandiores cum candelis accensis intus, hastis infixas. Sequentur baldachinum Praesules si aderunt, palliolo induti ac etiam rocheto, si eius usu gaudebunt.

64. Processio dirigetur in mediam ecclesiam, si egredietur foras per plateam aut viam adiacentem, sin de ecclesia non egredietur, dirigetur ad dexteram et per medium ad Altare primarium redibit.

65. Reversa ad Altare processione, Crux Confraternitatis

cum gestantibus intorticia, subsistet extra presbyterium versus partem sinistram ingressus, et tum qui gestabit Crucem, tum qui sustinebunt intorticium, stabunt semper: reliqui confratres disponentur circum balaustrium extra presbyterium ibique congeniculabunt.

66. Acolythi deponent candelabra in abaco et clericus gestator Crucis reponet illam loco quo praeparata fuerit.

67. Clerus sine ulla reverentia aut genuflexione ad Altare redibit ad sua subsellia. Cantores duo libros precum de abaco accipient, quas deinde cantabunt progressi in medium presbyterium, ut deinceps docebitur.

68. In aditu presbyterii subsistent delatores baldachini, quod recipietur a duobus clericis et referetur quo loco erat praeparatum.

69. Uterque thuriferarius consistent stantes hinc inde a lateribus Altaris. Celebrans quum ante Altare venerit, stabit; Diaconus genuflectet ante eum, Sacramentum recipiet ac assurget: expectabit autem donec Celebrans in genua procumbat et adoret illud; tum ascendet ad Altare et Sacramentum in throno praeparato exponet.

70. Si non ita facile posset Diaconus ad Altare ascendere ut Sacramentum exponat, relinquet ipsum in Altari, genuflectet ut antea, et redibit ad dexteram Celebrantis, ubi geniculabit. Sacrista, stola collo imposita, accipiet Sacramentum et in throno exponet.

71. Subdiaconus Celebranti expediet velum humerale, quod de humeris eius detrahetur a Caeremoniario et ad abacum referetur.

72. Sacramento exposito, cantores intonabunt *Tantum ergo* etc. post illa verba *Veneremur cernui*, ad quae omnes inclinabunt se, Celebrans cum Ministris consurget ac sine benedictione incensum demittet in unum ex thuribulis ipsi obiectum a thuriferario stante: Diaconus ei ministrabit incensum et Subdiaconus fimbriam dexteram pluvialis eius sustinebit. Deinde Celebrans rursus genuflectet cum Ministris et accepto a Diacono thuribulo, triplici ductu SS. Sacramentum thurificabit.

73. Statim ac thurificatum fuerit Sacramentum, duo thuriferarii simul ante Altare genuflexionem duplicem efficient et proficiscentur in sacrarium ad deponenda thuribula, quibus in hac functione opus amplius non est.

74. Completo cantu hymni *Tantum ergo*, cantores duo congeniculabunt in medio choro seu presbyterio et Litanias cantabunt (*a*). Chorus et adstantes ad Litanias respondebunt. Caeremoniarius accipiet librum, ex quo deinde leget Celebrans, eumque apud se retinebit.

75. Post Litanias Celebrans elata voce cantabit *Pater noster* reliqua secrete recitabuntur, deinde rursus elata voce *Et ne nos inducas* etc. Postea cantores intonabunt psalmum *Deus in adiutorium* etc. et in fine huius psalmi Caeremoniarius librum tradet Diacono, qui simul cum Subdiacono illum sustinebit ante Celebrantem. Poterit etiam ipse sibi Celebrans sustinere librum, si commodius ei videbitur.

76. Post Psalmum Celebrans tono feriali cantabit versiculos, ad ℣. *Dominus vobiscum* assurget et orationes praescriptas eodem tono cantabit. Notandum autem, quod in urbe Roma praestitutae sunt orationes propriae, quibus aliam ullam adiungere fas non est, quemadmodum iubet Instructio Clementina. Quamobrem temere quidem nonnulli addunt vel addi iubent Collectas, quas pro temporum ac circumstantiarum varietate praescribere Superior in Missis solet. Post orationes Celebrans in genua procumbet, cantabit ℣. *Domine, exaudi orationem meam*, cantores alterum ℣. *Exaudiat nos* etc. ac Celebrans submissa voce adiiciet ℣. *Fidelium animae* etc. Diaconus recipiet et dabit librum Caeremoniario, qui reponet eumdem in abaco et bireta Celebrantis ac Ministrorum accipiet.

77. Clerus brevi tempore morabitur orans. Duo pluresve clerici candelas seu intorticia a clero recipient et extinguent.

78. Innuente Caeremoniario, Acolythi consurgent, cande-

(*a*) Notandum, quod Litaniis seu quae vocantur *Sanctorum* seu de Beata Virgine vetitum est alios versiculos addere, ut saepius declaravit S. Congregatio Rituum, sequens praescriptiones Constitutionum Pontificiarum de libris Liturgicis.

labra sument, procedent ante Altare, genuflexionem duplicem conficient et de choro seu presbyterio discedent. Clerus sequetur Acolythos, omnesque, ut supra, genuflectent bini: Celebrans et Ministri ad nutum Caeremoniarii consurgent, genuflexionem in pavimento exsequentur, ut supra, et sequentes Clerum discedent: Diaconus biretum tradet Celebranti, Caeremoniarius, Diacono et Subdiacono, qui caput cooperient, quum extra conspectum SS. Sacramenti pervenerint.

79. Eodem ordine ac pro Missis solemnibus tradito, redibit Clerus in sacrarium ibique Celebrans et Ministri sacra indumenta dimittent.

80. Postquam Celebrans ex Altari profectus erit, discedet etiam cum debito ordine Confraternitas. Duo clerici ante Altare praeparabunt scamnum cum pulvinis, loco genuflexorii adhibendum, et adorationis principium fiet. Sacerdotes singulis horis adorationem peracturos comitabitur ad Altare clericus aliquis qui in sacrarium reducet alteros iam adoratione functos. (*a*) Quaeque pro functione adhibita fuerint a clericis ex abaco tollentur et in sacrarium referentur.

81. Quod si Processioni locus non esset, observanda sunt quae sequuntur.

82. Celebrans postquam pluviali indutus erit, medius inter Ministros ad Altare procedet, genuflexionem utroque genu in pavimento conficiet, deinde assurget et in gradu infimo geniculabit. Tunc de sacrario exibunt thuriferarius cum thuribulo et navicula ac quatuor clerici cum intorticiis accensis, qui facta duplici genuflexione et sine reverentia aut inclinatione mutua in genua procumbent ante Altare. Thuriferarius a latere Altaris consistet. Clerus in choro genibus insistet. Interea Diaconus vel etiam Sacrista in throno ponet Ostensorium cum SS. Sacramento. Ad *Tantum ergo* incensum demittetur in thuribulum et SS. Sacramentum, ut supra dictum est, thurificabitur. Postea eodem ordine canentur Litaniae, quibus absolutis, quatuor ii clerici cum intorticiis consurgent, genuflexionem con-

(*a*) Confer quae diximus lib. I cap. III. § 20 num. 213.

ficient et in sacrarium redibunt. Postremo Clerus ordine iam innuto e choro proficiscetur.

De Missa pro Pace.

83. Altero post expositionem die, qui dies medius vulgo appellatur, cantabitur Missa *pro Pace*, ut praescribit supra nominata Instructio Clementina. Quum cantanda haec erit quumque substituenda erit Missa de officio, quod incidit in diem, docebitur huiusce capitis num. 106. et seq. Missa erit votiva solemnis et adhibebuntur paramenta coloris violacei. Cantabitur apud Altare laterale, non vero in quo asservabitur Sacramentum in tabernaculo inclusum. Ritus pro Missa solemni praescripti servabuntur, ac tantum a campanula pulsanda ad elevationem abstinebitur.

De Missa pro repositione.

84. Cantabitur Missa solemnis in Altari, in quo expositum erit SS. Sacramentum, et stabitur ritibus praescriptis cap. VII. huius libri de Missa solemni ante SS. Sacramentum expositum quem ad locum, ne frustra eadem repetamus, illos remittimus quibus negotium dabitur hanc functionem moderandi. Excipitur tantum casus, in quo mos esset cantandi Missam in alio Altari, ut fit in Patriarchalibus Urbis; quod si fieret, servabuntur ritus pro Missa solemni praescripti, et Sacro peracto, Clerus cum Celebrante et Ministris in processionis ordinem veniet ad Altare, in quo expositum erit SS. Sacramentum, ut functio compleatur.

85. Notandum autem quod super abaco praeparandae sunt res omnes superius notatae pro expositione, excepto Ostensorio, sed insuper aderit capsula vel pixis qua reponatur Sacramentum et clavis ciborii seu tabernaculi, intra quod praeparatum iam erit corporale vel palla. Si tabernaculo Altare careret, praeparabitur velum album ad contegendum Sacramentum.

86. In Missa ad elevationem non pulsabitur campanula, sive in Altari in quo fit expositio sive in alio celebretur.

87. Absoluta Missa solemni, Celebrans cum Ministris ad scamnum veniet, induetur pluviali, redibit ante Altare et canentur Litaniae cum precibus usque ad totum ℣. *Domine, exaudi orationem* etc.

88. Quum Celebrans apud scamnum erit, ut induatur pluviali, Sacrista tollet de Altari Crucem, si posita ibi fuerit, tabellas secretarum, legile cum Missali, quod reponet in abaco et super Altare deferet corporale, claviculam tabernaculi et capsulam vel pixidem ad reponendum Sacramentum, vel etiam velum album quo illud contegatur, ut deinceps declarabitur.

89. Dum canentur Litaniae, distribuentur Clero intorticia seu candelae, duo thuriferarii praeparabunt thuribula et cum ipsis praesto erunt ad Altare; sic apud abacum aderit clericus gestaturus Crucem. Monebitur Confraternitas, ut ordinata et disposita sit in ecclesia saltem sub Litaniarum finem. Clericis etiam curae erit afferre baldachinum hastile, et infixas hastis laternas cum candelis accensis, si processio extra ecclesiam egredietur.

90. Quum cantatus erit versiculus praedictus *Domine, exaudi ecc.* ante orationes, assurget Celebrans cum Ministris et incensum in bina thuribula sine benedictione iniiciet; Diaconus ei ministrabit incensum et Subdiaconus fimbriam dexteram pluvialis attollet. Rursus Celebrans cum Ministris genuflectet; Diaconus thuribulum unum tradet Celebranti, qui triplici ductu Sacramentum thurificabit. Interea quo modo superius notatum est, processio in ordinem disponetur.

91. Postquam Celebrans thuribulum Diacono et hic thuriferario reddiderit, Diaconus velum humerale album Celebrantis humeris imponet et Subdiaconus ei ante pectus alligabit.

92. Diaconus ascendet super Altare et de throno accipiet SS. Sacramentum. Si hoc fieret a Sacrista, hic ponet Ostensorium super Altare et Diaconus inde accipiet ipsum ac tradet Celebranti et processionis initium fiet, ut descriptum est superius num. 60.

93. In reditu processionis ad Altare, Confraternitas in ordinem disponetur, ut innuimus, extra presbyterium, Clerus ad

sua subsellia redibit et Diaconus acceptum a Celebrante Sacramentum ponet in Altari, genuflectet et revertetur ad dexteram Celebrantis. Tunc duo cantores intonabunt *Tantum ergo* etc. incensum in thuribulum inficietur et Sacramentum thurificabitur.

94. Hac thurificatione completa, thuriferarii simul genuflexionem duplicem facient ante Altare et in sacrarium referent thuribula, quibus in hac functione locus amplius non est.

95. Post illa verba *Genitori genitoque* etc. cantabitur ℣. *Panem de coelo* etc. cui adiungetur *Alleluia* tempore paschali et in festo atque octava Corporis Domini. Assurget Celebrans et omittens *Dominus vobiscum* cantabit omnes orationes praescriptas post preces, quibus absolutis, rursus genuflectet, cantabit ℣. *Domine, exaudi* etc. cantores alterum ℣. *Exaudiat nos* etc. et Celebrans adiiciet submissa voce *Fidelium animae* etc.

96. Diaconus velum humerale album Celebrauti rursus imponet eique ante pectus alligabit Subdiaconus. Tum Celebrans una cum Ministris ad Altare ascendet ac benedictionem SS. Sacramenti donabit eadem ratione ac descriptum est cap. XIV. libri I. § 11. n. 199. Celebrans cum Ministris de Altari descedet, geniculabunt in gradu infimo, et Caeremoniarius Celebrantis humeris detrahet velum humerale a Subdiacono expeditum. Caeremoniarius velum referet ad abacum et Celebrantis ac Ministrorum bireta accipiet.

97. Diaconus iterum ad Altare ascendet, genuflexionem faciet, aperiet capsulam vel pixidem, quam ponet super corporale, convertet aliquantulum Ostensorium, quin inclinet ipsum super corporale, aperiet crystallum, extrahet lunulam cum s. Hostia, quam ponet in capsula vel pixide et operculo claudet; crystallum quoque claudet Ostensorii, quod extra corporale ponet a latere Altaris, aperiet tabernaculum seu ciborium, intus reponet Sacramentum, genuflectet, porticulam claudet tabernaculi et rediens ad dexteram Celebrantis geniculabit.

98. Si Altare careret tabernaculo, Diaconus reposito Sacramento in capsula vel pixide, ponet ipsam in medio corporali et cooperiet velo albo; tum iterata genuflexione, ad Celebrantis dexteram redibit.

99. Hoc tempore a duobus pluribusve clericis recipientur et extinguentur expedite intorticia vel candelae in processione gestatae.

100. Statim ac a Diacono clausa erit porticula tabernaculi, consurgent Acolythi, candelabra accipient et proficiscentur extra chorum seu presbyterium versus sacrarium; Clerus sequetur Acolythos et ultimo loco Celebrans cum Ministris, qui facta ad Sacramentum genuflexione, accipiet biretum a Diacono cum osculis et caput cooperiet: idipsum facient Ministri qui biretum accipient a Caeremoniario.

101. Ordine saepius innuto redibitur in sacrarium, ubi Celebrans et Ministri sacra indumenta dimittent.

102. Quum discesserit Clerus, proficiscetur etiam cum ordine debito Confraternitas.

103. A duobus clericis extinguentur Altaris candelae. Si opportuna fuerit hora aequum esset, ut functionem sequeretur Missa lecta, celebranda in Altari expositionis, consummandi caussa s.. Hostiam ibi conditam post benedictionem. Si tabernaculum non adesset transferetur statim ad Altare, in quo asservari solet Sacramentum, methodo tradita in Feria V. maioris ebdomadae cap. XXV. num. 61 et seqq.

104. Si processioni locus non erit, servabitur methodus sequens:

105. Celebrans, postquam pluviale sibi induerit; procedet ante Altare et canentur Litaniae cum precibus usque ad totum ℣. *Domine, exaudi* etc. Sub finem litaniarum quatuor clerici et thuriferarius afferent intorticia et thuribulum, ut supra dictum est. Post indicatum versiculum cantabitur *Pange lingua* ac sine intermissione *Tantum ergo*, thurificabitur Sacramentum ac deinde Celebrans cantabit orationes praescriptas non praemittens *Dominus vobiscum*. Post ℣. *Fidelium animae* etc. imponetur Celebranti velum humerale album, Diaconus vel Sacrista accipiet de throno Ostensorium, dabitur benedictio eadem ratione ac superius descriptum est.

Pro Missis solemnibus in eadem expositione Regulae servandae.

106. Pro expositione et repositione SS. Sacramenti Missa solemnis de SS. Sacramento post Nonam cantabitur. In Ecclesiis collegiatis, quae tenentur Missam conventualem peragere, suppleri non licet Missa praedicta, sed una vel plures Missae conventuales cantandae erunt, iuxta qualitatem officii, postremo autem loco votiva de SS. Sacramento post Nonam et etiam post Missam conventualem de feria et Vigilia *(a)*.

107. Missa votiva quum sit solemnis, celebranda erit cum *Gloria* et *Credo*, una tantum oratione, Praefatione de *Nativitate* et Evangelium S. Joannis in fine, idque etiam si incidat in Dominicam non solum pro ecclesiis collegiatis, sed etiam in aliis, quae non tenentur obligatione officii et consequenter ne Missae quidem seu Missarum conventualium.

108. Relate ad Missam solemnem *pro Pace* quae celebratur die medio, eadem regula servabitur, omittetur autem *Gloria* et *Credo*, Praefatio erit communis vel de octava, nunquam *de Nativitate*, dummodo non dicenda esset ratione temporis aut octavae; in fine autem Evangelium s. Joannis. In hac Missa adiungetur commemoratio SS. Sacramenti orationi Missae sub unica conclusione. Si celebranda erit in Dominica, dicetur *Credo* tantummodo, et Praefatio de *Trinitate*, nisi dicenda esset altera seu de tempore seu de octava, et in fine dicetur semper Evangelium s. Joannis.

109. Celebratio Missarum votivarum solemnium, quas innuimus, interdicitur nonnulis diebus, videlicet in omnibus Dominicis primae et secundae classis; diebus omnibus in quibus celebratur officium primae et secundae classis, idque intelligi volumus non solum pro festis Kalendarii universalis, sed etiam

(*a*) Non erit abs re monere, quod si expositio fiat quadragesimali tempore in una ex ecclesiis, quae tenentur obligatione officii, recitandae sunt Vesperae post functionem expositionis, seu repositionis, nec recitatio Vesperarum adiungi poterit Missae feriali post Nonam.

peculiaris illius ecclesiae, in qua fiet expositio; in feria quarta Cinerum, in feriis secunda, tertia et quarta maioris hebdomadae; in tota octava Paschatis et Pentecostes; in vigiliis Natalis Domini et Pentecostes et in tota octava Epiphaniae. Hisce itaque diebus celebrabitur Missa de officio, quod fit in die, ac tantum primae orationi Missae adiungetur oratio seu Sacramenti seu pro Pace sub unica conclusione orationis praedictae. Dicetur *Gloria* et *Credo*, vel etiam omittetur iuxta ritum Missae: dicentur una pluresve orationes iuxta eumdem ritum; Praefatio congruet cum ritu Missae atque ita ultimum Evangelium, quum hoc casu statuendum sit principium, quod nullam patitur exceptionem, nempe quum expositio sit functio votiva, quae nihil commune habet cum officio, immutari nec potest nec debet ritus Missae, in qua adiungetur tantum commemoratio cum prima oratione, ut superius innutum est.

110. Quapropter notandum quoque illud occurrit, quod sonandum organis non est, si ritus id vetat, quod adhibenda sunt paramenta rubri coloris, paramenta violacea, planetae plicatae etc. ac reliqua omnia, quae ritus Missae requirit. Eodem modo Celebrans processionis caussa induetur pluviali quod congruat cum colore officii, excepto velo humerali in processione et benedictione adhibendo, quod coloris albi semper erit. In casibus praedictis sonabitur organis tantum in functione, idest ubi Sacrum peractum erit.

111. Iuvat denique monere, quod in festis Purificationis Cinerum, Palmarum et in benedictione fontis in vigilia Pentecostes poterit functio fieri in alio Altari ab expositionis Altari remoto, si ampla erit ecclesia, sed omittenda prorsus erit Processio candelarum sive Palmarum propter perturbationem, quam haec functio afferret adorationi SS. Sacramenti.

112. Si ecclesia fuerit exigua, omittentur etiam praedictae benedictiones. Id intelligi volumus tantum si expositum erit SS. Sacramentum; si enim exponetur post earum functionum Missam, peragendae erunt antea functiones, quas innuimus.

DE PROCESSIONE CUM SS. SACRAMENTO IN TERTIA CUIUSQUE MENSIS DOMINICA

CAPUT XXXIX.

1. Antiquissimus ecclesiarum cathedralium et parochialium usus est in tertia uniuscuiusque mensis Dominica processionem cum SS. Sacramento peragere, quae consuetudo et mos laudabilis a Summis Pontificibus Martino V. et Paulo III. sancitus est, qui multas Indulgentias concesserunt fidelibus in hac occasione SS. Sacramentum comitantibus; ut videre est in Notif. V. Benedicti XIV. num. 7.

2. In quibusdam ecclesiis exponi solet SS. Sacramentum et cantatur Missa, qua peracta, celebratur processio. In aliis autem consecratur s. Hostia in Missa solemni, post quam in processionem defertur. Quum de peculiaribus usibus agatur videtur unicuique ecclesiae licere suam servare consuetudinem. Trademus autem instructiones pro ratione secundo loco innuta, videlicet de modo in processione deferendi SS. Sacramentum sine expositione, qui usus generaliter servatur in ecclesiis Cleri saecularis.

3. Missa conventualis celebrabitur post Nonam, siquidem officium terminatur processione. Cantabitur Missa de officio eius diei, cui addetur commemoratio SS. Sacramenti post omnes commemorationes a rubrica praescriptas.

4. Processio fiet intra ecclesiam, vel si ecclesia fuerit exigua, poterit exire extra ipsam et circuire adiacentem plateam. Processio complebitur ad ipsum chori Altare, in quo Missa cantata fuerit, vel ad aliud Altare in quo asservabitur SS. Sacramentum.

5. Non erit abs re monere, quod haec processio omitti solet, quum mense eodem alia similis processio celebratur, ut feria quinta in Coena Domini, in festo Corporis Christi, quumque SS. Sacramentum pro oratione quadraginta horarum cum processione exponitur.

6. Quoniam haec functio similis est processioni quae fit pro quadraginta horis, et feria quinta in Coena Domini et in festo Corporis Christi, quaedam breviter indicabimus in commodum eorum, qui illam erunt directuri.

Quae sint praeparanda.

7. Res omnes, quae pro Missa solemni opus sunt, in abaco praeparabuntur: praeterea pluviale coloris respondentis officio ac velum humerale album in processione adhibendum a Celebrante, si color paramenti esset ruber aut viridis vel violaceus: alterum thuribulum cum navicula pro processione: Ostensorium albo velo contectum: hostia consecranda, iam aptata in lunula et reposita in capsula operculo clausa: libellus pro oratione *Deus qui nobis* etc. post processionem, et clavicula tabernaculi.

8. Apud abacum aderunt candelae sive intorticia Clero distribuenda processionis causa et Crux processionalis.

9. Extra cancellos seu balaustrium aderit baldachinum album hastile et laternae cum candelis impositae hastis, si processio de ecclesia exibit.

10. Si processio absolvetur ad alterum Altare, praeparabuntur ibi sex candelae in candelabris maioribus accendendae, corporale extensum in mensa Altaris, clavicula tabernaculi et libellus orationis, ut supra dictum est.

11. Si Confraternitas SS. Sacramenti extabit, quae in processione s. Eucharistiam comitetur, monebitur ut adsit in ecclesia cum suetis insignibus sub finem Missae solemnis.

In functione

12. Missa cantabitur ritu praescripto.,

13. Ad Offertorium Subdiaconus una cum calice, vel Caeremoniarius afferet ad Altare capsulam cum hostia pro processione, quae a Diacono superponetur patenae, a Celebrante offeretur simul cum altera ac deinde ponetur super corporale a sinistris ipsius Celebrantis et aliquantulum versus Calicem.

14. Post *Agnus Dei*, pace donata Clero, candelae sive intorticia in choro distribuentur propter processionem.

15. Ad communionem Celebrantis, Caeremoniarius perget ad abacum, accipiet Ostensorium velo contectum, cum debitis genuflexionibus illud afferet ad Altare et collocabit in latere epistolae prope corporale.

16. Celebrans Calicem post sumptionem in corporali ponet versus cornu Evangelii et Subdiaconus palla cooperiet.

17. Ministri genuflectent et locum commutabunt, videlicet Diaconus ad dexteram Subdiaconus ad sinistram Celebrantis venient, ibique simul cum Celebrante genuflectent.

18. Diaconus Ostensorio detrahet velum, quod ab Acolytho aliquo referetur ad abacum, accepto Ostensorio, aperiet crystallum et ostensorium ponet super corporale quin illud inclinet: lunulam deinde cum s. Hostia accipiet eamque ponet in Ostensorio, crystallum claudet et Ostensorium cum Sacramento statuet in medio corporali, paullum versus partem posteriorem Altaris.

19. Celebrans cum Ministris genuflexionem conficient, et Diaconus ad sinistram, Subdiaconus ad dexteram Celebrantis redibunt, et Missa continuabitur ritu indicato feria quinta in Coena Domini cap. XXV. n. 27. huius libri relate ad genuflexiones, ad benedictionem, ad ultimum Evangelium.

20. Sub finem Missae aderunt apud abacum duo clerici cum thuribulis et cum naviculis.

21. Data a Celebrante benedictione, ordinabitur processio, si Clerus fuerit valde numerosus.

22. Sacro peracto, Celebrans cum Ministris genuflexionem in suppedaneo conficient, de Altari a latere descendent, pergent ad abacum, ubi Ministri deponent manipulos, Celebrans autem dimissa planeta et manipulo induetur pluviali, ibique stans incensum in bina thuribula sine benedictione iniiciet.

23. Redibit Celebrans cum Ministris ante Altare et facta in pavimento genuflexione duplici, congeniculabunt in infimo gradu: Celebrans, accepto a Diacono thuribulo SS. Sacramentum incensabit.

24. Tum Diaconus velum humerale Celebrantis humeris imponet.

25. Diaconus ascendet ad Altare, cum debitis genuflexionibus accipiet SS. Sacramentum, quod tradet Celebranti et hic assurgens convertetur ad populum; cantores autem canere incipient *Pange lingua*.

26. Processio dirigetur ad dexteram, seu versus partem Evangelii et redibit versus partem Epistolae, ac si de ecclesia exibit, etiam extra ipsam tenebit partem dexteram, ut supra.

27. Ordo autem sequens servabitur: Confraternitas SS. Sacramenti cum suis insignibus, et fratres incedent bini sustinentes candelas accensas: clavigeri ecclesiae, si erit Cathedralis: Crux Cleri gestata a clerico induto superpellicio qui medius ibit inter Acolythos candelabra gestantes: cantores qui alternatim cum clero cantabunt hymnum *Pange lingua*: deinde bini omnes qui de Clero sunt, ac si ecclesia fuerit collegiata vel cathedralis, incedent clerici Seminarii, tum Beneficiarii seu Mansionarii, postremo Canonici et Dignitates. Post Clerum incedent duo thuriferarii cum thuribulis, Celebrans gestans SS. Sacramentum sub umbraculo medius inter Diaconum et Subdiaconum, qui fimbrias eius pluvialis sustinebunt et cum ipso alternatim recitabunt hymnos et psalmos. Hastas umbraculi gestabunt seniores confratrum, et ipsis absentibus, a dignioribus Cleri, prout disponit Caerem. Episcop. lib. I. cap. XIV. num. 4.

28. Processionis tempore festivo more sonabunt ecclesiae campanae, et in processione sonabitur etiam organis, quamquam in Missa non licuisset pro ritus qualitate.

29. In reditu processionis ad Altare, locum quisque suum in choro occupabit, vel si processionis finis fieret apud Altare a chori Altari diversum, disponetur Clerus circa balaustrium vel in ambitu sacelli in unum aut plures ordines iuxta numerum ipsius.

30. In aditu presbyterii removebitur umbraculum, et Celebrans quum venerit ante Altare, Sacramentum tradet Diacono, qui illud ad Altare deferet ac ponet in media mensa cum debitis genuflexionibus.

31. Cantabitur *Tantum ergo* et Celebrans thurificato Sacramento ac recitata oratione, ascendet ad Altare et benedictionem impertietur.

32. Diaconus SS. Sacramentum in tabernaculo reponet, et Clerus cum Celebrante et Ministris redibunt in sacrarium sacrisque paramentis exuentur.

DE ALIIS PROCESSIONIBUS

CAPUT XL.

1. Praeter processiones in festo Purificationis B. Virginis, Dominica Palmarum, in Coena Domini, in Litaniis maioribus minoribusque et in solemnitate SS. Corporis Christi, de quibus egimus in capitibus superioribus, sunt et aliae processiones in Rituali Romano indicatae, videlicet ad petendam pluviam - ad postulandam serenitatem - ad repellendas tempestates - tempore penuriae et famis - tempore mortalitatis et pestis - tempore belli - et illa etiam - pro quacumque tribulatione.

2. Processiones huiusmodi indicendae sunt ab Episcopo ordinario, vel a Vicario generali nomine Episcopi.

3. Quod ad ritum in ipsis servandum satis perspicua est dispositio Ritualis Romani; ibi enim legitur » aguntur omnia, ut in Litaniis maioribus - omnia fiunt ut in Litaniis maioribus - et alia similis elocutio.

4. Quocirca quin frustra eadem repetamus, quum detur occasio celebrandi aliquam ex praedictis processionibus, servabitur methodus praescripta superius cap. XXIX. et pro circumstantiis variabuntur preces post Litanias praescriptae atque in Litaniis addentur etiam versiculi praestituti in Rituali ad titulos respectivos.

5. Quod ad alteram processionem *pro gratiarum actione*, servabitur generatim eadem methodus, sed paramenta Celebrantis et Ministrorum erunt albi coloris, neque cantabitur anti-

phona *Exaudi nos Domine* etc. antequam principium fiat processionis, neque canentur per viam litaniae, sed hymnus *Te Deum* et psalmi indicati et praescripti in Rituali.

6. In processione pro translatione solemni sacrarum Reliquiarum insignium; quum non frequenter detur occasio ipsam peragendi, et opus sit auctoritate Episcopi pro identitate et authenticitate ipsarum Reliquiarum, penes eum etiam erit statuere methodum servandam, quum apud multos scriptores liturgicos indicetur, quae accomodanda etiam erit diversis circumstantiis uniuscuiusque loci.

7. Solent etiam in quibusdam locis celebrari processiones in festo Sancti Patroni vel alius Sancti, qui magna a populo religione colitur.

8. In hac processione anteibunt Confraternitates, sequentur Regulares, postremo Clerus saecularis ordine declarato in processione solemni Corporis Domini. Aequum esset, ut unusquisque ferret candelam sive intorticium accensum. Clerus autem, quamquam ad Cathedralem pertineret, non induetur paramentis sacris, quae praerogativa tantum est processionis Corporis Domini, et capite bireto cooperto incedet. Aderit Celebrans paratus pluviali et parati etiam Diaconus et Subdiaconus, qui Celebranti assistent. Si Celebrans gestabit Reliquias vel imaginem Sancti, incedet cum Ministris nudato capite, uno tantum thuriferario cum thuribulo praeeunte qui leviter thuribulum agitans in itinere Reliquias seu imaginem Sancti adolebit; nec deerunt octo saltem Sacerdotes vel clerici cum intorticiis ante Reliquias, si Clerus candelam vel intorticium accensum non gestabit.

9. Antequam exeatur de ecclesia, Celebrans veniet ante Altare, in quo expositae erunt Reliquiae vel etiam imago, incensum, ministrante Diacono, in thuribulum iniiciet atque accepto a Diacono thuribulo Reliquias vel imaginem stans adolebit triplici ductu, profundam exsequens reverentiam ante et post thurificationem. Ascendet deinde Diaconus ad Altare, accipiet Reliquias seu imaginem et tradet Celebranti, ac processionis initium fiet dummodo maior ipsius pars iam ordinata esset, ut fieri deberet si numerosa esset.

10. In processione cantabitur hymnus de Sancto aliique psalmi ad rem, qui de officio Sancti eiusdem desumi poterunt.

11. Non erit incongruum monere, quod Decreto generali S. Congregationis Rituum vetitum est in processionem ferre reliquias vel Imagines sacras sub umbraculo (*a*).

12. Oporteret etiam ut in laetitiae signum sonarent campanae ecclesiarum ante quas transibit processio.

13. In reditu ad ecclesiam, processio intra ipsam in ordinem disponetur, et Celebrans ante Altare progressus Reliquias vel imaginem tradet Diacono, qui eam in Altari reponet. Deinde cantato analogo versiculo, cantabit Celebrans orationem, post quam incensum in thuribulum immisso, ut supra, s. Reliquias seu imaginem thurificabit.

14. Si mos erit, Celebrans cum Ministris conscendet suppedaneum, et acceptis Reliquiis vel imagine, adiuvante Diacono, benedictionem adstantibus impertietur.

15. Dum dabitur benedictio, omnes qui aderunt in genua procumbent, non exceptis sacris Ministris neque ipsis etiam Praesulibus, si adessent.

16. Post benedictionem, vel (si benedictio dari non soleat) post thurificationem, redibit Clerus et Celebrans cum Ministris in sacrarium, ubi sacra indumenta dimittentur.

(*a*) Decretum illud datum est die 27. Maii 1826. Id autem intelligendum esse videtur de processionibus ordinariis, quae celebrari solent quotannis, non vero de solemnibus pro translatione alicuius sacrae imaginis vel Reliquiarum. Praeter translationes Imaginis S. Mariae maioris a Paulo V. corporis s. Gregorii Nazianzeni a Gregorio XIII. et s. Leonis a Clemente XI. peractas, recentissimum extat exemplum de translatione capitis s. Andreae Apostoli, a Summo Pontifice Pio IX. facta, in qua sacrae illae Reliquiae sub umbraculo fuerunt gestatae.

DE MODO CELEBRANDI DIES FESTOS.

APPENDIX I.

1. Finis huiusce, cuiuscumque pretii sit, operis est rituum uniformitatem, quoad fieri potest, procurare in ecclesiis quae ritu Romano utuntur. Iuxta titulum praesentis capituli videretur disserendum esse de maiori minorive festorum solemnitate, de eorumdem dignitate et similibus. Sed quoniam id spectaret ad partem theoricam, in qua non fuit nobis in animo operam impendere, quum fuse eruditeque a summis viis viris tractata sit, ita in hoc capite nihil aliud intendimus, quam regulas quasdam tradere pro festis illis, quae in dies incidunt ab officiis solemnioribus impeditos.

2. Ac primum quidem necesse est innuere quinam sint dies, qui cuiuslibet festi quamvis solemnis celebrationem excludant, cuiusmodi sunt de Sancto Patrono loci, de Sancto Titulari, de Dedicatione propriae ecclesiae, de Sancto Institutore cuiusque ordinis religiosi, et de aliquibus aliis, qui magna cum religione a fidelibus coluntur.

3. A rubricis generalibus Missalis et Breviarii multisque decisionibus S. Congregationis Rituum enumerantur feriae, Dominicae et altera festa, quae excludunt quodcumque officium licet maxime solemne, ut e. g. de Patrono principali de Titulari, de Dedicatione propriae ecclesiae et cetera festa etiam, quae ritu gaudent primae classis et maxima a populo celebrantur pietate.

4. OFFICIUM festorum, quae incidunt in praedictos dies celebrare non licet, sed transferendum est quo modo a rubricis praescribitur. FESTUM autem seu solemnitas exterior quoniam illa die statuta est, celebrari eadem die debet, siquidem indulgentia, quae solet a S. Sede pro hoc festo concedi, non lucratur nisi die praescripto, nunquam vero die illo, in quem officium translatum est.

5. Quamobrem Missae et officium erunt de feria vel de Dominica aut de Festo privilegiato. Si per rubricas licebit, cantabitur Missa tantum solemnis de festo incidente translato, secus cantabitur etiam Missa de officio quod in diem incidit.

6. Apparatus exterior congruet cum festo, ea tamen exceptione, quod si festum incideret in diem luctuosum ex. gr. in Dominicam Passionis, apparatus etiam erit accommodandus tempori, videlicet non erunt detectae imagines, non ponentur Reliquiaria neque statuae Sanctorum aut vasa florea inter candelabra et his similia.

7. Haec regula excipit tantum Annunciationem B. Virginis, quod festum quando transfertur etiam cum praecepto reputandum est tamquam incideret in diem translatum tum pro solemnitate, tum pro indulgentia, tum etiam pro octava, quum concessa sit ex privilegio vel ex qualitate festi ex. gr. in ecclesiis, in quibus est titulus ecclesiae ipsius.

8. Eadem limitatio valet etiam pro iis festis quae transferuntur ex privilegio et cum tota octava, ut fit de festo s. Benedicti, quod est praeceptivum pro ordine monastico.

9. Cetera festa, dummodo nulla sit contraria concessio, celebrabuntur modo superius tradito.

10. Ut autem officia divina debito ordine celebrentur, monendum est quod novum quiddam atque arbitrarium esset efficere ut una pars officii congruat cum Missa, quum transferenda est celebratio officii; et haec quidem officii peragendi ratio arbitraria et insolens solet cohonestari appellatione officii peculiaris pietatis, ut ex. gr. canere Vesperas et Horam tertiam de Sancto, in cuius honorem celebratur festum quum e contrario officium debeat esse de feria vel Dominica aut festo privilegiato in quod potest interdum incidere. Vera et aequa pietas in eo consistit, ut serventur leges et ritus ab Ecclesia statuti.

11. Quapropter si acciderit, ut aliquod festum celebretur die statuto nec liceat ipsius officium celebrare, Vesperae, siquis velit celebrare solemniter, celebrabuntur de officio quod fit in die, non vero de festo. Item officium erit eiusdem generis, ac si ecclesia fuerit collegiata vel cathedralis, celebrabitur Missa

conventualis post horam canonicam statutam. Deinde si licebit, seu si concessum erit ex privilegio, cantabitur Missa votiva solemnis de festo post Nonam, ac si cantabitur haec Missa in Cathedrali ab Episcopo ordinario, ante Missam cantabitur Nona, qua absoluta, Clerus et Episcopus paramentis induentur, quemadmodum peculiarius tradetur cap. XI. et seq. lib. V.

12. Haec pauca monita confidimus fore ut possint tam multas abusiones de medio tollere, quae partim inscitia, partim studio immoderato identidem invehuntur, quaeque nomine usus et consuetudinis quidam cohonestare student.

DE CONFRATERNITATIBUS

APPENDIX II.

1. Ordinarius loci tantum potestatem habet Confraternitates erigendi ac si erectio peracta esset alio modo suapte natura est nulla.

2. Si Confraternitates iam erectae aggregari velint Archiconfraternitati Romae vel alibi existenti, assensus Ordinarii explicitus requiritur, atque ut aggregatio sit valida, servari debent regulae ad hanc rem praestitutae a Summo Pontifice Clemente VIII. in Constitutione *Quaecumque a Sede Apostolica* etc. data die septima Decemb. 1604.

3. Ad vitandas quaestiones quae inter Parochos et Confraternitates exoriebantur de suis iuribus in functionibus Sacra Congregatio Rituum generale decretum edidit, quod heic subiicimus.

Urbis et Orbis.

Iurium Parochialium, Functionum et Praeeminentiarum inter Parochos et Confraternitates Laicorum earumque Cappellanos et Officiales.

Ad debitum imponendum finem controversiis, quae inter Parochos et Confraternitates seculares, earumque Cappellanos et Officiales super iuribus parochialibus et functionibus ecclesiasticis, nonnullisque praeeminentiis seu praerogativis exoriri solent in S. R. Congregatione ab Emo et Rmo D. Card. Colloredo propositis infrascriptis dubiis, videlicet:

I. An Confraternitates laicorum legitime erectae in Ecclesiis Parochialibus habeant dependentiam a Parocho in explendis functionibus Ecclesiasticis non Parochialibus?

II. An dictae Confraternitates erectae in Cappellis vel Oratoriis tam publicis, quam privatis adnexis Parochialibus Ecclesiis et ab his dependentibus habeant dependentiam a Parocho quoad dictas functiones?

III. An Confraternitates erectae in aliis Ecclesiis publicis habeant quoad easdem functiones aliquam dependentiam a Parocho, intra cuius Paroeciae limites sunt erectae?

IV. An Confraternitates erectae in Oratoriis tum publicis, tum privatis, seiunctis ab Ecclesiis Parochialibus quoad dictas functiones Ecclesiasticas habeant dictam dependentiam a Parocho?

V. An benedictiones et distributiones Candelarum, Cinerum et Palmarum sint de iuribus mere Parochialibus?

VI. An benedictiones Mulierum post partum, Fontis baptismalis, Ignis, Seminis, Ovorum et similium sint de iuribus mere Parochialibus?

VII. An functiones omnes hebdomadae Sanctae sint de iuribus mere Parochialibus?

VIII. An celebratio Missae solemnis feria V. in Coena Domini sit de dictis iuribus Parochialibus?

IX. An prima pulsatio Campanarum in Sabbato Sancto sit de dictis iuribus Parochialibus?

X. An celebratio Missarum solemnium per annum, sive pro vivis sive pro defunctis, sit de dictis iuribus Parochialibus?

XI. An expositio quadraginta horarum et benedictio, quae fit super populo, sit de dictis iuribus mere Parochialibus?

XII. An expositio, quae fit cum Reliquiis et sacris Imagi-

nibus, et benedictio, quae cum eis fit super populo, sit de dictis iuribus mere Parochialibus?

XIII. An Functiones in praecedentibus octo dubiis, videlicet a dubio V. ad XII. expressae, peragi possint in Oratoriis privatis, contradicente Parocho?

XIV. An in dictis Oratoriis privatis Confraternitatum per Confratres statis horis recitari possint horae canonicae cum cantu, vel sine, absque licentia Parochi?

XV. An in dictis Oratoriis privatis sit licita celebratio Missae privatae assentiente Ordinario loci et contradicente Parocho?

XVI. An Cappellani Confraternitatum possint populo denunciare Festivitates et Vigilias occurrentes in hebdomada absque licentia Parochi?

XVII. An Parochus, invitis Confratribus, docere possit Doctrinam Christianam in praedictis Ecclesiis et Oratoriis publicis, vel privatis, a Parochiali divisis et separatis?

XVIII. An in saepedictis Ecclesiis publicis Confraternitatum possint haberi publicae conciones etiam per totum cursum Quadragesimae vel Adventus cum licentia Ordinarii et absque consensu Parochi?

XIX. An in eisdem Ecclesiis possit celebrari Missa sive lecta, sive cantata ante Missam parochialem sive lectam, sive cantatam?

XX. An ad Parochum spectet facere Officium funebre super cadaveribus sepeliendis in saepedictis Ecclesiis et Oratoriis publicis Confraternitatum?

XXI. An intra ambitum earumdem Ecclesiarum fieri possint Processiones iuxta cuiusque Confraternitatis institutum absque interventu vel licentia Parochi?

XXII. An eaedem Processiones fieri possint extra ambitum dictarum Ecclesiarum absque licentia illorum Parochorum, per quorum territorium transeundum est?

XXIII. An in dictis Processionibus Cappellani Confraternitatum possint deferre stolam?

XXIV. An Episcopo accedenti ad Ecclesias publicas Con-

fraternitatum, quae non sint Regularium, neque proprium Rectorem Beneficiatum habeant, porrigendum sit aspersorium a Parocho, in cuius territorio sunt sitae dictae Ecclesiae?

XXV. An earumdem Ecclesiarum et Confraternitatum Rectores et Cappellanos possit Parochus, cessante speciali ac legitimo titulo, et ex solo iure Parochialitatis compellere invitos ad assistendum functionibus Ecclesiae Parochialis?

XXVI. An in saepedictis Ecclesiis Confraternitatum, neque Parochialibus, neque Regularibus, retineri possit sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sine speciali indulto Sedis Apostolicae?

XXVII. Praesupposita facultate retinendi, an possit intra annum publice exponi sine licentia Ordinarii?

XXVIII. An possit Parochus se ingerere in administratione oblationum et eleemosynarum in saepedictis Ecclesiis recollectarum, vel capsulae pro illis recipiendis expositae clavem retinere?

XXIX. An in Ecclesia Parochiali Confratres, vel eorum Cappellani immiscere se valeant, invito Parocho, in eiusdem Ecclesiae functionibus sive Parochialibus, sive non Parochialibus?

XXX. An Confraternitates sive sint erectae in Ecclesia Parochiali, sive extra illam, possint pro lubitu et iuxta uniuscuiusque peculiaria Statuta Congregationes suas facere, absque interventu, vel licentia Parochi?

XXXI. An possint propria bona administrare, ac de illis disponere absque ulla dependentia a Parocho?

XXXII. Quando Parochus eisdem Congregationibus intersit de mandato Ordinarii, et tamquam eius delegatus, an possit suffragium decisivum ferre? et quatenus Affirmative

XXXIII. An etiam suffragium duplex?

S. eadem Rituum Congregatio, re mature discussa, respondendum esse censuit.

Ad I. Affirmative.

Ad II. Affirmative.

Ad III. Negative.

Ad IV. Negative.

Ad V. Negative.

Ad VI. Negative, sed benedictiones mulierum et Fontis Baptismalis fieri debere a Parochis.

Ad VII. Negative prout iacet.

Ad VIII. Negative prout iacet, sed spectare ad Parochos.

Ad IX. Negative prout iacet, sed spectare ad Ecclesiam digniorem ad formam Constitutionis Leonis X.

Ad X. Negative prout iacet, sed licere Confratribus dumtaxat in festivitatibus solemnioribus eiusdem Ecclesiae, vel Oratorii, ut in Brundusina sub die I. Iunii 1601.

Ad XI. Negative.

Ad XII. Negative et quoad benedictiones cum Reliquiis et Imaginibus servĕntur decreta.

Ad XIII. Satis provisum in superioribus.

Ad XIV. Affirmative, nisi aliter Ordinarius statuat ex rationabili causa.

Ad XV. Affirmative.

Ad XVI. Affirmative.

Ad XVII. Negative.

Ad XVIII. Affirmative.

Ad XIX. Negative, nisi aliter Episcopus disponat.

Ad XX. Affirmative, quando tumulandus est subiectus Parocho, intra cuius fines est Ecclesia vel Oratorium.

Ad XXI. Affirmative.

Ad XXII. Negative, nisi adesset licentia Episcopi.

Ad XXIII. Negative extra propriam Ecclesiam.

Ad XXIV. Negative.

Ad XXV. Negative.

Ad XXVI. Negative.

Ad XXVII. Negative.

Ad XXVIII. Negative.

Ad XXIX. Negative.

Ad XXX. Affirmative, dummodo non impediant functiones et Divina officia.

Ad XXXI. Affirmative.

Ad XXXII. Negative.

Ad XXXIII. Negative.

Et ita, salvis tamen conventionibus et pactis in erectione Confraternitatum forsan factis, Concordiis inter partes initis, et a S. Sede approbatis, Indultis, Constitutionibus Synodalibus et Provincialibus, et consuetudinibus immemorabilibus, vel saltem centenariis, declaravit ac decrevit, *si SSmo Domino Nostro* videbitur. Die 10 Decembris 1703.

Et facta deinde per me Secretarium de praedictis Decretis SSm̃o Domino Nostro relatione, praevia eorumdem integra lectura, Sanctitas Sua laudavit, benigneque approbavit et publicari et non obstantibus quibuscumque aliis in contrarium facientibus, servari mandavit. *Die* 12. *mensis Ianuarii* 1704.

4. Si in uno eodemque loco erectae sint plures Confraternitates, praecedentia desumenda est ab erectione uniuscuiusque iuxta Constitutionem Gregorii XIII. *Exposcit Pastoralis* etc.

5. Ut autem Confraternitates possint intervenire processionibus et etiam funeribus, ad quae forte invitabuntur, necesse est ut induant saccum sive habitum proprium, quo distinguantur: quapropter Confraternitates seu Congregationes, quae suum distinctum indumentum non habent, licet sint antiquioris institutionis, nequeunt gaudere praecedentia super illas, quae habitu proprio distinguuntur.

6. Non licet uno eodemque loco erigere seu stabilire binas Confraternitates eiusdem tituli.

7. Interdicitur Confraternitatibus stare aut sedere in Presbyterio, quamquam essent hetaeriarchae seu Rectores Confraternitatis etiam in sua ecclesia.

8. Item vetitum est in Processionibus ne incedant inter Clerum secularem et regularem, neve Crucem Cleri sequantur.

9. Postremo si processiones et expositiones Confraternitatis SS. Sacramenti sumptibus fierent, nonnullis Confratribus licebit cum intorticiis incedere a lateribus umbraculi, dum hic usus vigeat, et illa Confraternitas in processionibur, quae cum SS. Sacramento fiunt, gaudebit praecedentia super omnes alias Confraternitates, quae iisdem processionibus intervenient.

DECISIONES ALIQUOT S. RIT. CONGREGATIONIS

APPENDIX III.

Subiicimus aliquot S. Rit. Congregationis decisiones, quas rebus in hoc libro digestis, valde utiles existimamus.

Baren. Cum Academici civitatis Baren. nuncupati de Pigri S. Rit. Cong. exposuerint, in ecclesiis praesertim eiusdem civitatis academias in honorem nonnullorum Sanctorum peragere consuevisse: cumque petierint; an ab illis, a quibus orationes, seu discursus recitari debeant, sit ab Archiepiscopo venia petenda? Eadem S. Congregatio, auditis literis Rm̃i Archiepiscopi Barensis, cui pro informatione scriptum fuit, ab Em̃o et Rm̃o D. Card. Colloredo relatis, respondit — Removendas esse Academias ab Ecclesiis, et circa compositiones literarias, quae ab Academia recitantur, Archiepiscopus invigilet. Die 19 Decemb. 1693.

Decretum generale. Quum abusus nonnulli sensim irrepsisse conspiciantur tum adversus Episcopalia iura, tum contra Divini cultus disciplinam, licet alias per S. R. C. de iis fere omnibus edita fuerint decreta; ne in dies magis invalescant, eiusdem S. Congregationis Secretarius pro sui muneris officio dubia quae sequuntur Em̃is et Rm̃is PP. in ordinario conventu enodanda proposuit, videlicet.

1. An in Ecclesiis Regularium, aliisque ecclesiis exemptis recitandae sint collectae ab ordinario loci praescriptae?

2. An liceat Clero earumdem Ecclesiarum ab iis recitandis cessare pro lubitu, antequam Ordinarius id iusserit?

3. An iubente Ordinario ut quibusdam solemnitatibus, vel in alio peculiari casu sonus aeris Campani omnium ecclesiarum edatur, praefatae ecclesiae quantumvis exemptae eius mandato parere teneantur?

4. An praeter consuetas usuque receptas SSm̃i. Sacramenti expositiones, extraordinariae quoque in ecclesiis exemptis fieri possint absque licentia Ordinari?

5. An liceat in expositione Ssmi Sacramenti lumen aliquod eo artificio collocare a parte postica spherae, ut recta illuceat in ipsam sacratissimam Hostiam, quae exinde lucida appareat?

6. An toleranda, vel eliminanda sit consuetudo, quae in dies invalescit, superimponendi Sanctorum Reliquias, pictasque Imagines Tabernaculo, in quo augustissimum Sacramentum asservatur, ita ut idem Tabernaculum pro basi inserviat?

7. An permitti possit ut ante praefatas Imagines in medio Altari positas apponantur lumina ex oleo et ardeant etiam tempore sacrosancti Missae sacrificii?

8. An liceat titulo specialis devotionis litaniis Sanctorum, vel Lauretanis aliquem versiculum addere, vel novas litanias, de quarum approbatione Ordinario nullatenus constet, in ecclesiis canere, vel recitare?

Et sacra eadem Rituum Congregatio, re mature diligenterque discussa, ad relationem mei infrascripti Secretarii, respondendum censuit, ut infra, videlicet. Ad 1. Affirmative. Ad 2. Negative. Ad 3. Affirmative. Ad 4. Negative, et serventur Decreta hac supra re pluries edita. Ad 5. Negative et servetur Instructio iussu sa. mem. Clementis XI. evulgata die 21. Januarii 1705 pro expositione SS. Sacramenti occasione orationis quadraginta horarum § VI. Ad 6. Assertam consuetudinem tamquam abusum eliminandum omnino esse. Ad. 7. Negative in omnibus, nec lumina nisi cerea vel supra mensam Altaris vel eidem quomodocumque imminentia adhibeantur. Ad 8. Negative, et serventur omnino Decreta S. Congregationis, curentque Ordinarii colligere et vetare formulas quascumque tam impressas, quam manuscriptas Litaniarum, de quarum adprobatione non constat.

Et quoniam de Litaniis sermo est, quum sacrae Congregationi innotuerit aliquibus in Ecclesiis, praesertim occasione orationis quadraginta horarum, libellos adhiberi, in quibus vel peculiarium Sanctorum nomina addita conspiciuntur, vel unus aut alter versiculus in precibus desideratur; idcirco S. Congregatio inhaerendo memoratae Instructioni Clementis PP. XI. § XXIV. praecipit ne alii adhibeantur libelli, nisi typis Rev. Camerae Apostolicae impressi, vel eisdem plane conformes.

Atque ita respondit die 31 Martii 1821.

Et facta de praemissis omnibus SS. D. N. Pio VII. Pont. Max. relatione, Sanctitas suae Sac. Congregationis responsa adprobavit confirmavitque, atque ut cunctis pateant, Decretum generale desuper expediri, typisque evulgari mandavit.

Die 3 Aprilis 1821.

Dubiorum. Usus sensim invaluit, ut quoties Calices, aliaque vasa, sacra unctione consecrata iuxta ritum Pontificalis Romani, artificis opera indigeant, quippe vel reficienda, vel fundenda iterum sint; non antea eidem traduntur, quam per Sacerdotem vel directe et manu, vel aliquo mediante instrumento fuerint execrata. Utrum vero execratio haec, modusque illa peragendi, rationi Ecclesiaeque ritibus sit consentanea, vel potius abusiva, nullique innixa principio, cum dubitaverit R. D. Archipresbyter Ferdinandus Valeriani, dubia quae sequuntur, humillime exposuit sapientissimo EE. PP. Sac. Rit. Congregationi praepositorum iudicio, enixe postulans illorum resolutionem.

1. Utrum rite, vel potius ex errore passim fiat huiusmodi execratio?

2. Si rite; utrum ab Episcopo, vel a quocumque Sacerdote sit peragenda?

Et S. C. audita prius etc. respondit.

Ad 1. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad 2. Provisum in primo, et detur Decretum generale. Die 26 aprilis 1822.

Factaque de praemissis S. D. N. Pio VII. P. M. relatione, Sanctitas sua Sac. Congr. responsa approbavit et generale decretum desuper edi et typis publici iuris fieri mandavit. Die 23. dicti mensis et anni.

Dubiorum. Plura ubique vel ex rubricarum et decretorum ignorantia, vel ex nimia in iis pro arbitratu interpetrandis licentia, percrebescere compertum est, quae a legitimis probatisque ritibus plane abhorreant. Hinc crebrae deferuntur quaestiones ad S. Rit. Congr. ut hisce malis oppurtuna adhibeat remedia, cum id maxime curandum sit, ut veteres ritus sacri ubivis locorum in omnibus Urbis Orbisque Ecclesiis, in Missis, Divinis

officiis, Sacramentorum administratione, ceterisque ad divinum cultum pertinentibus a quibusvis personis observentur, caeremoniae si exoleverint restituantur, si depravatae fuerint reformentur, (ex Bulla Sixti V. *Immensa aeterni Dei*). Sui idcirco muneris partes arbitratus est eiusdem S. Cong. Secretarius dubia quaedam ex delatis consultationibus conficere, eaque Emis Patribus definienda proponere, quibus graviores saltem abusus convellantur. Sunt porro ea quae sequuntur.

1. Quomodo se gerere debeant Magistri Caeremoniarum, aliique, qui vident in Ecclesiis non peragi functiones iuxta rubricas, nec observari decreta et resolutiones S. Rit. Congregationis?

2. An signa seu campanae pro indicandis horis in horologiis publicis possint benedici eadem formula, qua ex Pontificali Romano benedicuntur signa ecclesiarum?

3. An Presbyter assistens Episcopo in solio, vice scabelli, uti possit sede camerali, vel simpliciter lignea, vel imbuta, vel corio cooperta renovanda toties, quoties inepta evasit ad usum? Et quatenus negative.

4. An saltem sit toleranda immemorabilis consuetudo eam adhibendi?

5. An idem ornatus, qui iuxta Caeremoniale convenit Amboni, in quo sermo et concio haberi solet, permitti possit in scamno, in quo sedent Dignitates et Canonici solemniter celebrantes?

6. An in eodem scamno Canonici celebrantis apponi possit pulvinum sericum, vel potius laneum?

7. An tolerandus sit abusus, qui nimium invaluit, adhibendi in Missis solemnibus pro Celebrante, loco scamni cooperti tapete, sedes camerales serico damasceno ornatas, et pro Ministris similia scabella; vel potius reprobandus atque damnandus?

8. An et quibus remediis removendus sit abusus collocandi parvam Crucem vix visibilem, vel super tabernaculum, vel supra aliquam minorem tabulam sitam in medio Altaris, loco Crucis collocandae inter candelabra, ut rubrica praescribit?

9. An liceat vel dedeceat fores ecclesiae pandere et repa-

gula removere, ut pateat interna pars transeuntibus per viam, dum benedicendus est populus cum SS. Sacramento.

10. An, quo modo, quove in Altari fieri debeat benedictio palmarum ante Missam celebrandam Dominica in palmis, pro repositione SS. Sacramenti, expleta oratione quadraginta horarum?

11. An permittenda sint vel potius reprobanda in Urbe genuflexoria cum stratis et pulvinis in ecclesiis pro personis cuiuslibet conditionis, praeterquam Regali et Cardinalitia dignitate fulgentibus?

12. An Archidiaconus, aut Presbyter assistens debeat sustinere librum, dum Episcopo celebranti assistit, seu potius sufficiat ut illum tangat?

13. Cum saepe oriantur dubia super authenticitate nonnullorum Decretorum, quae licet in publicis tabulis S. Rit. Cong. inscripta reperiantur, nihilominus in collectione eorundem decretorum typis edita, omissa fuerunt: quaeritur an huiusmodi decreta pro postulantium voto addi possint?

14. An Magistri Caeremoniarum Cathedralium, qui ex dispositione Caeremonialis, necnon Patriarchalium Urbis, qui ex Apostolico Indulto, veste violacea in sacris functionibus utuntur, eadem uti possint extra servitium Episcopi et respective Capituli?

15. An Collegiis Canonicorum, vel Beneficiatorum, quibus ab Apostolica Sede concessum fuit privilegium gestandi Cruces, vel numismata aurea, licitum sit ea palam deferre in paramentis sacris, vel in administratione Sacramentorum?

Et EE. PP. sacrae eidem Congregationi praepositi, exquisita prius sententia duorum ex Magistris sac. Apostolicar. Caeremoniarum scriptis consignata typisque evulgata, ad relationem mei infrascripti Secretarii respondendum censuerunt, ut infra.

Ad 1. Adeundus loci Ordinarius, qui stricte tenetur opportunis remediis providere, ut rubricae et S. R. C. decreta rite serventur, siquid dubii occurrat, recurrendum ad eamdem S. C. pro declaratione.

Ad 2. Negative, praeterquam in casu quod eadem signa nedum pro horarum indicatione pulsanda sint, verum etiam pro sacris actionibus.

Ad 3. et 4. Negative in omnibus.

Ad 5. Negative et adamussim servetur dispositio Caeremonialis Episcoporum lib. II. cap. III. num. 4.

Ad 6. Servandam esse praefati Caeremonialis dispositionem, sed adhibendum pulvinum vel laneum, vel corium.

Ad 7. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad 8. Reprobandum abusum, et ubi invaluit, Ordinarius loci provideat iuris et facti remediis; quod si ob aliquam causam accidentaliter removenda sit Crux inter candelabra, alia tempore Sacrificii apte apponatur inferius sed visibilis tam Celebranti, quam populo.

Ad 9. Non decere, nisi iudicio Ordinarii, ob peculiares circumstantias locorum, aliter permitti posse videatur, citra periculum irreverentiae.

Ad 10. In casu, de quo agitur, si fieri debeat, vel deceat ut fiat benedictio palmarum, haec facienda erit in alio sacello laterali, quo magis fert ecclesiae structura, distante ab ara maxima, in qua SS. Sacramentum expositum est, servatis omnibus caeremoniis in Missali praescriptis, sed absque processione.

Ad 11. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

Ad 12. Servetur dispositio Caeremonialis lib. I. cap. VII. num 1, pluribus huius S. C. decretis confirmata.

Ad. 13. Affimative.

Ad 14. Negative ad utrumque, et quoad Caeremoniarum Magistros Ecclesiarum Patriarchalium Urbis, servandam esse stricte formam privilegii.

Ad 15. Negative.

Atque ita responderunt et statuerunt die 17 septembris 1822.

Facta autem de praemissis SS. D. N. Pio VII, P. M. relatione per me infrascriptum Secretarium, Sanctitas Sua cuncta benigne approbavit, Decretumque desuper expediri et publici iuris fieri mandavit; Locorumque Ordinariis stricte praecipiens ut omnimodam illius observantiam urgeant, Die, mense et anno, quibus supra.

Cenomanen. Ex instructione a S. Rit. Cong. Rm̃o Episcopo

Cenomanensi 18 Februarii 1843 sequentia excerpsimus pro cultu Reliquiis S. Crucis exhibendo.

Benedicendus est populus dum ea reponitur in custodia vel post processionem, vel post expositionem, et benedictio impertienda est a sacerdote, qui functionem explet. In actu hujusce benedictionis interdicitur cantus cuiuscumque versus, aut precis, sicuti cantus iste interdicitur etiam in benedictionibus cum SS. Sacramento. Potest S. Crucis reliquia processionaliter deferri capite detecto sub baldacchino et duobus thuriferariis incensantibns in iis tantum locis ubi adest consuetudo immemorabilis. Dum exponitur super altare thurificanda est triplici ductu a Sacerdote non genuflexo, sed stante, etiam feria VI. in Parasceve. Clerus transeundo ante hanc Reliquiam loco principe super altare expositam, debet unico genu ad terram flexo venerare; si autem in custodia inclusa fuerit, sola inclinatione praefatam Reliquiam reverebitur. In Missa quae celebratur coram Reliquia SS. Crucis palam exposita, genuflectendum est a Sacerdote et Ministris unico tantum genu in accessu et in recessu, et quoties Sacerdos transit per medium altaris, seu de latere ad latus in incensatione altaris eiusdem; Clerus in choro non habeat caput detectum, quod omnino requiritur coram SS. Sacramento palam exposito, neque in transitu genuflectet utroque, sed unico tantum genu. Quoad expositionem huius Reliquiae feria VI. in Parasceve post Missam praesanctificatorum, servetur usus cuiusque loci quoad colorem pluvialis et veli humeralis et quoad recitationem orationis ***Respice quaesumus Domine*** a Sacerdote genuflexo vel stante. Demum ex generali decreto S. R. C. a sa. mem. Leone XII. confirmato dum toleratur consuetudo deferendi S. Crucis Reliquiam in processione sub baldacchino, edicitur omnino ut haec reliquia seorsim a Reliquis Sanctorum in theca custodiatur, atque stricte praecipitur Ordinariis locorum ut eliminandis hac in re abusibus serio incumbant, urgeant Decreti ipsius observantiam, et ne deinceps cum Sanctorum reliquiis in eadem theca Lignum SS. Crucis occlusum permaneat pro viribus adlaborent.

INDEX.

				Errata.	Corrige.
Pag.	15	lin.	ult.	extinguet	extinguent
»	36	»	34	ant	ante
»	47	»	21	Alte	Ante
»	104	»	2	extinguet	extinguent
»	127	»	ult.	acclesiis	ecclesiis
»	134	»	1	Celebransa	Celebrans
»	135	»	ult.	anabit	tonabit
»	136	»	15	O	Of
»	139	»	28	areas	aereas
»	153	»	25	paramento	paramenta
»	160	»	ult.	ciungulum	cingulum
»	185	»	8	ei dicet	et dicet
»	187	»	24	ipsum supra	ipsum vitta sericea supra
»	»	»	26	ad ipso	ab ipso
»	218	»	30	ponet	*dele* ponet
»	237	»	24	*septinerne*	*sempiterne*
»	244	»	31	ad dexteram	ad sinistram
»	247	»	8	propius	proprius
»	251	»	33	ant	aut
»	257	»	13	esse	esset
»	268	»	21	incedent	incedet

SACRARUM CAEREMONIARUM
MANUALE

PRO PRAECIPUIS FUNCTIONIBUS IN PAROECIIS RURALIBUS
CLERO CARENTIBUS PERAGENDIS.

LIBER III.

MONITUM

Benedictus XIII. Pontifex Maximus, dum Archiepiscopus Beneventi sedebat, opusculum edidit, quod inscribitur *Memoriale rituum pro aliquibus praestantioribus sacris functionibus persolvendis in minoribus ecclesiis parochialibus*, ut in paroeciis ruralibus, Clero carentibus, fieri possent sacrae anni principales functiones, praesertim maioris Hebdomadae. Opusculum illud adprobatum fuit die 28. Julii 1821. a S. Rituum Congregatione, quae studium excitavit Episcoporum, qui darent operam ut in ecclesiis et paroeciis Clero carentibus illi ab Ecclesia instituti celebrarentur ritus, qui mysteria Passionis, Mortis et Resurrectionis divini Redemptoris commemorant.

Haec colligentes documenta, opusculo illo usi sumus, et quibus in locis visa nobis materies est maiorem requirere explicationem, studuimus res, ut nobis videtur, luculentius exponere. Addimus documenta pro vigilia Pentecostes, pro expositione et benedictione SS. Sacramenti, pro processione Corporis Christi ceterisque processionibus, nec ritum exequiarum et sacrae Visitationis praeteriimus.

In hisce documentis multam nobis attulerunt lucem eiusdem Cardinalis opera edita sub titulo *Acta Ecclesiae Beneventanae* et alicuius etiam scriptoris liturgici auctoritatem sumus sequuti.

Nostrum esse putavimus haec praemonere ne methodus, qua usi sumus, ignoraretur, neve argui forte possemus novos ritus et caeremonias, quae nusquam inveniuntur in libris liturgicis a S. Sede adprobatis, invexisse.

IN FESTO PURIFICATIONIS B. MARIAE VIRGINIS.

CAPUT I.

Quae sint praeparanda.

1. In abaco Altaris maioris praeparabitur calix cum omnibus ornamentis coloris albi; si hoc festum inciderit in unam ex Dominicis privilegiatis Septuagesimae vel Sexagesimae, aut Quinquagesimae, calicis apparatus erit coloris violacei.

2. Planeta, stola et manipulus albi coloris; quod si in unam ex supradictis Dominicis inciderit, manipulus et planeta erunt coloris violacei.

3. Pulvinus albi coloris pro Missali, si Missa celebrabitur de B. Virgine.

4. Thuribulum, navicula cum thure et cum cochleari.

5. Vasculum aquae benedictae cum aspersorio.

6. Urceus cum pelvi, mantile seu manutergium et aliquantula medulla panis in pelvicula.

7. Ampullae vini et aquae in sua pelvicula cum mappula seu manutergio.

8. Campanula.

9. Nonnulla exemplaria huius libri pro antiphonis in processione recitandis.

10. Apud abacum praeparabitur Crux hastilis.

11. In Altaris fronte locabitur pallium albi coloris supraque ipsum alterum violaceum, quod facile amoveri possit. Nisi Missa de B. Virgine celebretur, sed de quadam ex antedictis Dominicis privilegiatis, pallium tantum violaceum statuetur.

12. Super Altari in latere Epistolae collocabitur pulvinus violaceus, seu legile cum Missali aperto.

13. Ex eodem latere in plano praeparabitur parvus abacus coopertus alba tobalea, et super eo disponentur candelae benedicendae, quae altero mantili albo contegentur.

14. Ex parte Evangelii in suppedaneo statuetur scabellum a Celebrante in sermone adhibendum, ut postea docebimus.

15. In sacristia aderunt tria superpellicea pro clericis; amictus, alba, cingulum, stola cum pluviali coloris violacei et biretum pro Celebrante. Seorsim aderit foculus cum igne ardenti adhibendo in thuribulo.

In functione

16. Hora statuta festivus campanarum sonus fidelibus nunciabit initium functionis, quae curabitur ut fiat hora a rubricis praescripta, videlicet circa horam Tertiam, quoad fieri poterit.

17. Tres clerici, quorum officium erit functioni assistere, praesto erunt in sacristia circa horam praestitutam, super veste talari induentur superpelliceo resque indicatas in Altari et abaco disponet, nisi iam praeparatae essent.

18. Celebrans, praemissa praeparatione Missae, lavabit manus, sibi induet amictum, albam, cingulum, stolam et pluviale violaceum, adiuvante secundo ac tertio clerico.

19. Interea clericus primus amovebit ab Altari vasa florea, si aderunt inter candelabra, accendet sex candelas et in sacrarium redibit.

20. Si festum hoc in Dominicam inciderit, Celebrans in sacrario benedicet aquam pro aspersione usitata.

21. Postea Celebrans simul cum clericis reverentiam conficiet ad Crucem vel ad imaginem praecipuam sacrarii et capite bireto cooperto ad Altare procedet.

22. Clericus primus iunctis manibus praeibit Celebranti, qui medius ibit inter secundum ac tertium clericum, fimbrias pluvialis eius sustinentes.

23. Postquam Celebrans cum clericis pervenerit ante infimum Altaris gradum, caput deteget ac biretum tradet primo clerico, qui recipiet illud osculans Celebrantis manum et biretum ipsum.

24. Clericus primus recedet aliquantulum versus cornu Epistolae.

25. Celebrans reverentiam profundam faciet ad Crucem eodemque tempore clerici genuflexionem. Si intra tabernaculum

Altaris adesset SS. Sacramentum, Celebrans et ipse faciet genuflexionem, atque ita deinceps in tota functione.

26. Si fuerit dies Dominica, fiet aspersio aquae benedictae.

27. Primus clericus ponet super abaco biretum Celebrantis, deinde a candelis benedicendis amovebit mantile seu tobaleam, qua fuerint coopertae.

28. Celebrans medius inter secundum et tertium clericum ascendet ad Altare, quod osculabitur in medio et ad Missale in cornu Epistolae transibit. Clerici non genuflectent dum Celebrans Altare osculabitur, sed perseverabunt stare a lateribus eius usque dum benedictio perficiatur.

29. Celebrans facie versa ad Altare et iunctis manibus, dicet elata voce *Dominus vobiscum* et subiunget quinque orationes pro benedictione candelarum praescriptas. Quum candelas benedicturus erit, imponet Altari sinistram et signum Crucis versus candelas dextera efficiet, clerico secundo fimbriam pluvialis eius sublevante.

30. Interea clericus primus accipiet ex abaco thuribulum in quo praeparabit ignem, et sumpta navicula subsistet in plano a latere Epistolae.

31. Dum recitabitur quinta oratio, clericus tertius discedet a sinistra Celebrantis, de Altari descendet a latere, veniet ad abacum, accipiet vasculum aquae benedictae cum aspersorio et redibit ad Altare accedens ad dexteram primi clerici qui thuribulum cum navicula sustinebit.

32. Absoluta quinta oratione, primus clericus cum thuribulo et navicula ad Celebrantem ascendet.

33. Alter clericus cum osculis usitatis incensum ministrabit Celebranti, qui cum debita benedictione iniiciet illud in thuribulum.

34. Tertius clericus cum aspersorio et vasculo aquae benedictae ascendet ad Celebrantem.

35. Secundus clericus accipiet aspersorium et cum osculis ipsum tradet Celebranti, qui candelas asperget in medio, a sinistris et a dextris suis, recitans submissa voce antiphonam *Asperges me* etc. et aspersorium restituet secundo clerico, hic autem tertio.

36. Postea clericus secundus acceptum thuribulum a primo dabit Celebranti, qui nullum proferens verbum adolebit candelas eodem modo ac asperserit, et thuribulum restituet secundo clerico, hic autem primo.

37. Primus ac tertius clericus redibunt ad abacum, ubi deponent vasculum et thuribulum ibique stantes manebunt.

38. Secundus clericus, bireto Celebrantis ex abaco resumpto ad sinistram illius redibit.

39. Celebrans veniet ad medium Altaris, reverentiam faciet ad Crucem, tum sedebit in scamno seu scabello in cornu Evangelii, humeris ad Altare versis, biretum accipiet a secundo clerico et caput cooperiet.

40. Clericus secundus de Altari descendet et subsistet in plano a latere Evangelii, facie ad abacum versa.

41. Celebrans convenienti sermone populum docebit de institutione huius solemnitatis, de mysteriis et de utilitate candelarum benedictarum, ut accipiant et utantur eisdem reverenter.

42. Sermone absoluto, Celebrans capite detecto biretum tradet secundo clerico, qui scabellum tollet de suppedaneo Altaris et ponet in plano a latere Evangelii.

43. Clericus primus sumet ex abaco candelam Celebrantis eamque ponet in medio Altari.

44. Celebrans, facta ad Crucem reverentia, genua flectet in suppedaneo, accipiet candelam suam, quam osculabitur et tradet primo clerico.

45. Si adsit et alter Sacerdos, Celebrans stabit facie ad populum versa. Sacerdos alter superpellicio indutus sed sine stola acceptam Celebrantis candelam osculabitur eique praesentabit non osculans eius manum. Celebrans candelam suam accipiet, osculabitur et committet primo clerico.

46. Post haec Celebrans redibit ad Missale in cornu Epistolae, ibique alternatim cum secundo ac tertio clerico leget voce aequali et elata antiph. *Lumen ad revelationem* etc. cum cantico *Nunc dimittis*.

47. Primus clericus in promptu habebit candelas Sacerdotibus, si aderunt, et clerici distribuendas.

48. Repetita antiph. *Lumen ad revelationem* etc. post

℣. *Sicut erat in principio* etc. Celebrans redibit ad medium altaris, reverentiam faciet ad Crucem humeros vertet ad Altare et candelas distribuet Sacerdotibus, si aderunt, deinde clericis, omnibus genuflexis in extremitate suppedanei, dignioribus sive antiquioribus prope cornu Epistolae. Unusquisque candelam accipiens, candelam ipsam et manum osculabitur Celebrantis qui candelas distribuere clericis incipiet ex latere Epistolae.

49. Secundus ac tertius clericus candelam acceptam committent primo, qui simul cum sua illas ponet in abaco.

50. Clericus primus sumet candelas populo distribuendas; secundus autem ac tertius coibunt a lateribus Celebrantis, cui fimbrias pluvialis sublevabunt.

51. Celebrans cum clericis de Altari descendent, reverentiam vel genuflexionem respective facient ad Crucem et devenient ad balaustrium seu cancellos a latere Epistolae, ubi Celebrans primo viris, deinde foeminis distribuere candelas incipiet. Primus clericus candelas offeret tertio, qui tradet eas Celebranti, dum interea secundus fimbriam dexteram pluvialis eius sustinebit.

52. Completa distributione, Celebrans cum clericis veniet in planum a latere Epistolae et prope abacum lavabit manus. Primus clericus sustinens urceum et pelvim effundet aquam super manus eius et reliqui duo extensum ante ipsum sustinebunt manutergium, nempe secundus clericus dextera sustinebit manutergium, sinistra sublevabit fimbriam dexteram pluvialis; tertius sinistra manutergium, dextera fimbriam sinistram pluvialis sustinebit. Si hoc quoque opus fuerit, secundus clericus porriget ei pelviculam cum medulla panis ut manus extergat.

53. Post haec clerici ad abacum referent urceum cum pelvi et manutergio.

54. Celebrans medius inter secundum ac tertium clericum redibit per latus ad Altare

55. Clericus primus subsistet apud abacum.

56. Celebrans in cornu Epistolae accedens ad Missale, recitabit cum clericis elata voce antiphonam *Exurge Domine* etc.

57. Postea recitabit *Oremus* et orationem *Exaudi quae-*

sumus, Domine etc. iunctis manibus. Si festum hoc inciderit post Septuagesimam et in diem ferialem, Celebrans dicto *Oremus*, adiiciet *Flectamus genua* et ab ipso omnibusque adstantibus genuflectetur, ac secundus clericus respondebit *Levate* omnesque consurgent; Celebrans autem prosequetur orationem ut supra.

58. Interea primus clericus accendet candelam Celebrantis, secundi ac tertii clerici et in promptu habebit exmplaria huius libri.

59. Post orationem Celebrans veniet ad medium Altaris et a primo clerico accipiet candelam accensam et exemplar huius libri. Secundus etiam et tertius clericus accipiet suam candelam accensam et exemplar, ut supra; secundus insuper clericus meminerit etiam sumere biretum Celebrantis.

60. Clericus primus accipiet Crucem processionalem et subsistet ante Altare.

61. Tunc Celebrans convertetur ad populum, dicet alta voce *Procedamus in pace*, et clerici respondebunt *In nomine Christi. Amen.*

62. Celebrans una cum secundo ac tertio clerico recitare incipient antiphonam *Adorna thalamum* etc. de Altari descendent et respective inclinationem seu genuflexionem ad Altare facient et in processionem proficiscentur. Celebrans caput bireto teget.

63. Primus clericus cum Cruce praeibit, sequetur Celebrans medius inter secundum ac tertium clericum et populus subsequetur eos.

64. Processio fieri deberet intra ambitum ecclesiae; et procedendo a dextera ad sinistram redibitur ad Altare: licebit tamen extra ecclesiam etiam exire, si consuetudo ista in loco vigebit.

65. Recitabuntur antiphonae praenominatae ad versiculos redactae in maiorem commoditatem.

Antiph. Adórna thálamum tuum, Sion: et súscipe Regem Christum.

Amplécte re Maríam: quae est caeléstis porta.

Ipsa enim portat Regem glóriae, novi lúminis.

Subsístit Virgo. addúcens mánibus Filium: ante lucíferum génitum.

Quem accípiens Símeon in ulnas suas praedicávit pópulis: Dóminum eum esse vitae et mortis et Salvatórem mundi.

Respónsum accépit Símeon a Spíritu Sancto: non visúrum se mortem nisi vidéret Christum Dómini.

Et cum indúcerent Púerum in templum: accépit eum in ulnas suas et benedíxit Deum et dixit.

Nunc dimíttis servum tuum, Dómine: secundum verbum tuum in pace.

Cum indúcerent púerum Jesum parèntes eius, ut fácerent secúndum consuetúdinem legis pro eo: ipse accépit eum in ulnas suas.

66. Ingrediendo in ecclesiam, si processio de ea exierit, vel ad ingressum presbyterii recitabitur sequens Responsorium.

Resp. Obtulérunt pro eo Dómino par túrturum; aut duos pullos columbárum.

Sicut scriptum est: in lege Dómini.

Postquam impléti sunt dies purgatiónis Maríae: secúndum legem Móysi.

Tulérunt Jesum in Jerúsalem: ut sísterent eum Dómino.

Sicut scriptum est: in lege Dómini.

Glória Patri et Filio et Spirítui Sancto.

Sicut scriptum est: in lege Dómini.

67. Clericus primus deponet Crucem processionalem apud abacum, quo loco iam posita erat, recipiet candelas Celebrantis et ceterorum clericorum, easque extinguet et super abaco reponet.

68. Celebrans, completa ante Altare recitatione responsorii, reverentiam faciet ad Crucem, secundus autem et tertius clericus simul genuflectent et pergent in planum Epistolae apud abacum una cum Celebrante.

69. Ibi Celebrans pluviale dimittet cum stola violacea et adiuvante secundo ac tertio clerico, induet sibi manipulum, stolam et planetam albi coloris. Nisi Missa fuerit de Beata Virgine, sed de Dominica, Celebrans, pluviali dimisso, induetur manipulo et planeta violacea.

70. Interea si Missa de Beata Virgine celebrabitur, primus clericus detrahet Altari pallium violaceum et apparebit alterum album; reponet vasa florum inter candelabra et calicem defert super Altare, explicans corporale in medio.

71. Celebrans ad Altare procedet et Sacrum exordietur, quod si erit de Festo, clerici praedicti sustinebunt candelas accensas ad Evangelium, et a Praefatione usque ad Communionem.

72. Post Missam Celebrans redibit in sacrarium, ubi paramenta dimittet; clerici autem illuc referent ea omnia, quae ad functionem opus fuerunt.

FERIA IV. CINERUM

CAPUT II.

De rebus praeparandis

1. In abaco Altaris maioris praeparabitur calix pro Missa celebranda cum velo et bursa coloris violacei.

2. Manipulus et planeta violacea.

3. Thuribulum et navicula cum thure et cochleari.

4. Vasculum aquae sanctae cum aspersorio.

5. Urceus cum pelvi, mantile seu manutergium et aliquantula medulla panis in pelvicula.

6. Ampullae vini et aquae in sua pelvicula, sudariolum et campanula.

7. Altare exornabitur pallio violaceo, Cruce et sex candelabris cum cereis, sine Reliquiariis, vasis floreis, aut alio ornatu festivo.

8. Missale apertum in cornu Epistolae super cussino violaceo vel legili.

9. Pelvicula argentea vel ex alio metallo cum cineribus

aridis et subtilibus ex ramis olivae benedictis in Dominica palmarum anni superioris, cooperta velo violaceo, posita inter Missale et latus Epistolae.

10. In latere Evangelii statuetur scabellum nudum in quo sedebit Celebrans, dum sermonem ad populum habebit.

11. In sacristia aderunt tria superpellicea pro clericis.

12. Amictus, alba, cingulum, stola cum pluviali violaceo, et bireto.

13. Seorsim foculus cum igne ardenti pro thuribulo.

In functione

14. Campanarum sonitus convocabit populum ad ecclesiam.

15. Clerici superpellicio in sacristia sibi induto, res superius notatas disponent super Altari et super abaco.

16. Celebrans, praemissa praeparatione, lavabit manus et adiuvante secundo ac tertio clerico se parabit amictu, alba, cingulo, stola et pluviali violaceo.

17. Interea clericus primus accendet cereos Altaris, postea redibit in sacristiam,

18. Celebrans reverentiam una cum clericis faciet ad Crucem vel ad imaginem principalem, caput cooperiet iunctisque manibus ad Altare procedet medius inter secundum ac tertium clericum, fimbrias pluvialis eius sustinentes, primo autem clerico praeeunte.

19. Quum ad Altare ventum erit, primus clericus subsistet versus cornu Epistolae, Celebrans nudabit caput et biretum tradet primo clerico, tum reverentiam ad Crucem faciet, clericis genuflectentibus. Si conditum in tabernaculo aderit SS. Sacramentum, Celebrans et ipse genuflectet quod deinceps etiam exequetur.

20. Clericus primus perget ad abacum ubi deponet biretum Celebrantis.

21. Ascendet ad Altare Celebrans medius inter secundum ac tertium clericum, qui fimbrias pluvialis eius sustollent.

22. Celebrans Altare in medio osculabitur et vadet ad Mis-

sale in cornu Epistolae. Secundus ac tertius clericus dum Celebrans osculabitur Altare, non geneflectent eumque sequentur stantes a lateribus eius.

23. Celebrans ad Missale quum venerit, primus clericus a latere ascendet ad Altare, deteget vas cinerum et velum, quo illud tegebatur, ad abacum deferet.

24. Celebrans ad Missale conversus recitabit elata voce cum clericis antiphonam *Exaudi nos Domine* etc. cum *Gloria Patri.*

25. Repetita antiphona, Celebrans non conversus ad populum dicet alta voce *Dominus vobiscum,* deinde subiunget quatuor orationes, semper iuctis manibus. Quum cineres benedicturus erit, sinistram imponet Altari et clericus secundus fimbriam dexteram pluvialis eius sublevabit.

26. Interea primus clericus accipiet ex abaco thuribulum in eoque praeparabit ignem et sumpta navicula consistet in plano ex parte Epistolae.

27. Initio quartae orationis, clericus tertius discedet a sinistra Celebrantis, de Altari a latere descendet, perget ad abacum, sumet vasculum aquae sanctae cum aspersorio et veniet ad dexteram thuriferarii in planum a cornu Epistolae.

28. Completis orationibus, thuriferarius ad Celebrantem ascendet. Sucundus clericus incensum ritu usitato ministrabit Celebranti, qui cum solita benedictione illud in thuribulum iniiciet.

29. Ad Celebrantem etiam ascendet clericus tertius cum vasculo et aspersorio, secundus autem clericus aspersorium ab illo acceptum praesentabit Celebranti, qui cineres asperget in medio, a sinistris et dexteris suis, submissa voce recitans antiphonam *Asperges me* etc.

30. Clericus secundus receptum e Celebrantis manu aspersorium restituet tertio: deinde idem secundus clericus acceptum a primo thuribulum dabit in manus Celebrantis, qui cineres adolebit in medio, a sinistris et dexteris suis nihil dicens ac thuribulum restituet secundo clerico, hic autem primo.

31. Thuriferarius et alter clericus cum vasculo et aspersorio descendent de Altari, super abaco deponent quae sustinebant manibus, ibique consistent.

32. Celebrans veniet ad medium Altaris et facta ad Crucem reverentia, sedebit in scabello a latere Evangelii, humeris ad Altare versis. Secundus clericus porriget Celebranti biretum. quo caput operiat, neque omittet ponere in medio Altari pelviculam cum cineribus, dum Celebrans ibit sessum in scabello.

33. Sucundus clericus dato, ut supra, bireto Celebranti, descendet a latere de Altari et in plano a cornu Evangelii stabit, facie ad abacum versa, eique se addet clericus tertius.

34. Celebrans in scabello sedens verba faciet ad populum super ritu et mysteriis Cinerum benedictorum.

35. Sermone absoluto, Celebrans nudato capite assurget et ad medium Altaris veniet.

36. Secundus clericus acceptum Celebrantis biretum ad abacum referet, scabellum amovebit a suppedaneo et prope parietem in latere Evangelii deponet.

37. Celebrans submittet genua in suppedaneo, sibique ipse cinerem capiti imponet in modum Crucis, nullum proferens verbum.

38. Si aderit alter Sacerdos, iste Cinerem Celebrantis capiti imponet. Sacerdos, ille indutus superpelliceo sine stola se sistet ante Celebrantem, qui convertetur ad eum humeris versis ad Altare, et capiti Celebrantis cinerem imponet in modum Crucis dicens *Memento, homo, quia pulvis es et in pulverem reverteris*. Secundus clericus in hac actione sustinebit Sacerdoti pelviculam cum cineribus.

39. Celebrans, accepto Cinere, redibit ad Missale et elata voce cum clericis recitabit antiphonas *Immutemur habitu* etc. in distributione Cinerum praescriptas.

40. Redibit Celebrans ad medium Altaris et cineres imponet clericis genuflexis in extremitate suppedanei, primo genuflexo in latere Epistolae, secundo in medio, tertio in latere Evangelii. Si aderunt et alii Presbyteri, primum ipsis imponet cineres, initium sumens a seniore, et ordine supradicto congeniculabunt illi in suppedaneo.

41. Celebrans, dum cineres imponet clericis, pelviculam Cinerum sibi ipse sustinebit. Singulis autem seu clericis sive laicis

viris et foeminis, proferet sine ulla variatione formulam *Memento, homo,* etc.

42. Clericus primus, accepto cinere, recedet prope abacum; secundus ac tertius ascendent ad latera Celebrantis eique fimbrias pluvialis sustollent, secundus autem sinistra sustinebit pelviculam cinerum, dextera fimbriam pluvialis.

43. Celebrans descendet medius inter secundum ac tertium clericum ad cancellos seu balaustrium presbyterii et cineres primo viris deinde foeminis imponet, initium sumens in angulo a cornu Epistolae.

44. Distributione completa, perget in planum ad latus Epistolae apud abacum. Secundus clericus relinquet super abaco pelviculam cinerum. Primus accipiet urceum cum pelvi, alter manutergium, tertius pelviculam cum medulla panis. Secundus ac tertius manutergium extensum sustinebunt ante Celebrantem, sublevantes eodem tempore fimbrias pluvialis eius, primus autem fundet aquam super manus ipsius, qui eas lavabit utens etiam medulla panis ad ipsas emundandas, si opus fuerit.

45. Lotis manibus, iterum ad Altare per latus ascendet Celebrans in cornu Epistolae una cum secundo ac tertio clerico, ut initio functionis, ibique iunctis manibus et ad Altare conversus dicet elata voce *Dominus vobiscum. Oremus. Concede nobis Domine* etc.

46. Post orationem Celebrans inclinationem faciet ad Crucem, de Altari a latere descendet ac prope abacum dimisso pluviali, induetur manipulo et planeta violacea, adiuvante secundo ac tertio clerico.

47. Interea clericus primus calicem afferet ad Altare, explicabit corporale et in ipso calicem ponet.

48. Celebrans iunctis manibus ad Altare procedet et Missam exordietur.

49. Sacro peracto, clerici cum Celebrante redibunt in sacristiam, eumque adiuvabunt in dimittendis vestibus sacris; postea reversi ad Altare recipient ibi res in functione adhibitas et in sacristiam reportabunt.

IN DOMINICA PALMARUM

CAPUT III.

De rebus praeparandis

1. In abaco Altaris maioris praeparabitur calix pro sacro celebrando cum ornamentis coloris violacei.

2. Manipulus cum planeta coloris violacei.

3. Thuribulum et navicula cum thure et cochleari.

4. Urceus cum pelvi et manutergio et aliquantula medulla panis in pelvicula.

5. Ampullae vini et acquae in pelvicula, mappula et campanula.

6. Aliquot exemplaria libri huius pro antiphonis in processione recitandis.

7. Ad Altare statuetur pallium violaceum, et Missale in cornu Epistolae super cussino violaceo vel in legili.

8. In suppedaneo a cornu Evangelii scabellum nudum, in quo sedebit Celebrans, quum sermonem ad populum habebit.

9. Inter candelabra loco florum poterunt misceri rami palmarum vel olivae.

10. Apud latus Epistolae statuetur parvus abacus alba tobalea contectus, in quo disponentur rami palmarum vel olivae benedicendi et cooperientur tobalea seu mantili albo.

11. Prope abacum aderit Crux processionalis contecta velo violaceo, cui alligata erit chordula violacea, qua cohiberi possit ramus palmae vel olivae in summitate Crucis ipsius.

12. In sacristia tria superpellicea pro clericis: amictus, alba, cingulum stola cum pluviali violaceo et biretum pro Celebrante: vas aquae benedictae cum aspersorio. Seorsim foculus cum igne ardenti adhibendo in thuribulo.

In functione

13. Festivo campanarum sono populus ad ecclesiam congregabitur.

14. Clerici hora praestituta aderunt in sacristia, induentur superpelliceo supra vestem talarem, et res superius indicatas eodemque ordine ac supra disponent in abaco et in Altari, nisi iam praeparatae fuissent.

15. Celebrans, praemissa praeparatione, lavabit manus et adiuvante secundo ac tertio clerico sibi induet amictum, albam, cingulam et stolam violaceam.

16. Interea clericus primus accendet sex cereos in Altari, quo facto redibit in sacristiam.

17. Celebrans in sacristia benedicet aquam; postea induetur pluviali violaceo, et facta simul cum clericis reverentia ad Crucem vel ad imaginem principalem, capite bireto cooperto procedet ad Altare medius inter secundum ac tertium clericum, fimbrias pluvialis eius sustinentes; primus autem eis praeibit deferens vasculum aquae benedictae et aspersorium.

18. Celebrans quum venerit ad Altare, nudabit caput tradens biretum secundo clerico, qui deponet illud in abaco, inclinationem faciet ad Crucem, clerici autem genuflexionem. Primus clericus ad secundum accedet a dextris. Si in Altari aderit intra tabernaculum SS. Sacramentum, Celebrans et ipse faciet genuflexionem, et deinceps etiam exequetur.

19. Celebrans genua submittet in medio gradus infimi una cum clericis et ritu praescripto aspersionem peraget aquae benedictae.

20. Primus clericus post aspersionem praedictam ponet in abaco vasculum aquae benedictae cum aspersorio ibique subsistet.

21. Clericus tertius manipulum accipiet ex abaco et brachio sinistro Celebrantis imponet.

22. Celebrans ascendet in suppedaneum medius inter secundum ac tertium clericum, Altare osculabitur in medio et perget ad Missale in cornu Epistolae.

23. Clerici supradicti non genuflectent dum Celebrans osculabitur Altare, neque a lateribus eius discedent.

24. Quum Celebrans ad Missale venerit, primus clericus detrahet palmis mantile, quo tectae erant, complicabit illud et in abaco deponet.

25. Celebrans alta voce recitabit cum clericis antiphonam *Hosanna Filio David* etc.

26. Deinde iunctis manibus nec convertens se ad populum dicet *Dominus vobiscum* et iunctis manibus recitabit orationem *Oremus. Deus, quem diligere* etc.

27. Leget postea lectionem, manibus ad Missale appositis ut in Epistola Missae, qua lecta, subiunget cum clericis responsorium *Collegerunt* etc. *In monte Oliveti* etc.

28. Eodem loco quin transeat ad medium Altaris, recitabit secreto *Munda cor meum* etc. *Jube, Domine, benedicere. Dominus sit in corde meo* etc. iunctis manibus leget Evangelium, postea librum osculabitur dicens *Per evangelica dicta* etc.

29. Celebranti, osculato Evangelio, tertius clericus detrahet manipulum, quem ad abacum referet, deinde redibit ad sinistram Celebrantis, advertens ut descendat et ascendat a latere quum ex Altari perget ad abacum et ad Altare ex abaco redibit.

30. Celebrans ad Altare adhuc conversus et iunctis manibus dicet *Dominus vobiscum*, orationem cum praefatione et cum clericis recitabit *Sanctus* paullulum inclinatus. Ad *Benedictus qui venit* etc. se signabit et secundus clericus attollet fimbriam dexteram pluvialis eius.

31. Postea repetito *Dominus vobiscum*, subiunget reliquas quinque orationes pro benedictione palmarum, et dum faciet signum Crucis versus palmas, non omittat sinistram imponere Altari. Secundus clericus in hac actione fimbriam dexteram pluvialis eius sublevabit.

32. Interea clericus primus praeparabit ignem in thuribulo, quo accepto simul cum navicula, remanebit in plano a latere Epistolae.

33. Initio quintae orationis, tertius clericus discedet a sinistra Celebrantis, de Altari a latere descendet, ibit ad abacum,

accipiet vasculum cum aspersorio et accedet ad dexteram primi clerici thuribulum sustinentis.

34. Completa quinta oratione, primus clericus ad Altare ascendet cum thuribulo, in quod Celebrans iniiciet incensum cum benedictione, altero clerico incensum ei ministrante.

35. Ascendet ad Celebrantem tertius clericus cum vasculo et aspersorio; secundus aspersorium a tertio acceptum porriget Celebranti, qui palmas asperget in medio, a sinistris et a dextris suis, recitans submissa voce antiphonam *Asperges me* etc. tum aspersorium secundo clerico restituet, hic tertio.

36. Postea secundus clericus accipiet thuribulum et tradet illud Celebranti, qui palmas adolebit in medio, a sinistris et a dexteris suis nihil dicens; restituet thuribulum secundo clerico et hic reddet primo.

37. Secundus clericus tam in ministrando thure, quam in aspersione ac thurificatione meminerit fimbriam dexteram pluvialis Celebrantis attollere.

38. Bini clerici cum thuribulo et cum vasculo redibunt ad abacum ibique res illas deponent. Clericus tertius ascendet rursus a latere ad Altare et accedet ad sinistram Celebrantis, clericus primus apud abacum remanebit.

39. Post thurificationem Celebrans conversus, ut ante, ad Altare, dicet *Dominus vobiscum* et adiiciet sextam orationem.

40. Sexta oratione completa, redibit Celebrans ad medium Altaris, inclinationem faciet ad Crucem, sedebit in scabello posito in cornu Evangelii, caput bireto cooperiet, quod porriget ei secundus clericus et sermonem ac populum habebit super mysteriis et ritu huius benedictionis.

41. Dum sermo fiet, tertius clericus coibit primo apud abacum; secundus de Altari a latere descendet et subsistet in plano lateris Evangelii conversus ad latus Epistolae.

42. Sermone absoluto, Celebrans nudabit caput, biretum tradet secundo clerico et vadet ad medium Altaris facie ad Altare versa.

43. Clericus primus sumet palmam Celebrantis eamque ponet in medio Altaris.

44. Celebrans submittet genua, palmam accipiet et osculabitur, tum assurget.

45. Si aderit alter sacerdos, hic indutus superpelliceo sine stola, dabit palmam Celebranti, qui non flectet genua, sed stabit in medio Altaris, facie ad populum versa. Sacerdos ille ascendet, ad Celebrantem accedet, et acceptam a primo clerico palmam osculabitur et praebebit Celebranti.

46. Celebrans palmam acceptam tradet primo clerico, qui ponet eam super abaco, vadet ad Missale et cum secundo ac tertio clerico alta voce leget antiphonam *Pueri Hebraeorum* etc. et reliquas in Missali notatas pro actione distributionis.

47. Interea clericus primus in promptu habebit palmas distribuendas clericis et presbyteris, si qui aderunt.

48. Lectis antiphonis, ut supra, Celebrans redibit ad medium Altaris, inclinationem faciet ad Crucem, convertetur ad populum et palmas distribuet presbyteris, si aderunt, postea clericis, qui omnes genua submittent in extremitate suppedanei, dignoribus seu senioribus ex parte Epistolae genuflexis, unde a Celebrante distributionis initium fiet. Unusquisque osculabitur primo palmam, deinde manum Celebrantis.

49. Secundus ac tertius clericus acceptam palmam tradent primo, qui simul cum sua ponet eas in abaco.

50. Primus accipiet palmas populo distribuendas alter cum tertio adstabunt Celebranti a lateribus eique fimbrias pluvialis sublevabunt.

51. Celebrans cum clericis de Altari descendent, facient respective reverentiam vel genuflexionem ad Crucem et venient ab balaustrium seu cancellos versus partem Epistolae, ibique Celebrans palmas incipiet distribuere primo viris, deinde foeminis. Clericus primus palmas dabit tertio et hic Celebranti: secundus autem fimbriam dexteram pluvialis sustinebit.

52. Distributione peracta, Celebrans cum clericis perget ad abacum ex parte Epistolae ibique manus lavabit. Clericus primus accipiet urceum et pelvim ac fundet aquam super manus Celebrantis, dum reliqui duo extensum ante eum sustinebunt manutergium, nempe secundus dextera manutergium, sinistra fim-

briam dexteram pluvialis, tertius sinistra manutergium, dextera fimbriam sinistram pluvialis sustinebit. Secundus porriget Celebranti pelviculam cum medulla panis, qua manus emundet, si opus fuerit.

53. Clerici ad abacum referent urceum cum pelvi et manutergio.

54. Celebrans medius inter secundum ac tertium clericum ad Altare redibit, ascendens illuc a latere.

55. Interea primus accipiet ramum palmae vel olivae eumque chordula violacea alligabit summitati Crucis processionalis.

56. Reversus Celebrans ad Missale in cornu Epistolae non conversus ad populum et iunctis manibus dicet *Dominus vobiscum* et orationem.

57. Postea clericus primus accipiet palmas Celebrantis et clericorum duorum et aliquot exemplaria libri huius.

58. Completa oratione, Celebrans veniet ad medium Altaris, accipiet a primo clerico palmam et exemplar huius libri. Itidem duo clerici accipient palmam et librum, secundus autem sumet etiam biretum Celebrantis.

59. Primus accipiet Crucem processionalem et subsistet ante Altare.

60. Celebrans convertetur ad populum et elata voce dicet *Procedamus in pace*; clerici respondebunt *In nomine Christi. Amen.*

61. Celebrans cum secundo ac tertio clerico incipient recitare antiphonam *Cum appropinquaret* etc. de Altari descendent, facient respective reverentiam vel genuflexionem ad Altare et in processionem proficiscentur. Celebrans caput bireto cooperiet.

62. Praeibit primus clericus gestans Crucem, sequetur Celebrans medius inter secundum ac tertium clericum, eumque subsequetur populus.

63. Processio de ecclesia exibit ac procedet extra ipsam a dextera ad sinistram. Recitabuntur antiphonae in versiculos redactae ad maiorem commoditatem.

Antiph. Cum appropinquáret Dóminus Ierosólymam: misit duos ex discípulis suis, dicens:

Ite in castéllum, quod contra vos est: et inveniétis pullum ásinae alligátum, super quem nullus hóminum sedit.

Sólvite eum: et addúcite mihi.

Si quis vos interrogáverit: dícite opus Dómino est.

Solvéntes adduxérunt ad Jesum: et imposuérunt illi vestiménta sua, et sedit super eum.

Alii expandébant vestiménta sua in via: alii ramos de arbóribus sternébant.

Et qui sequebántur, clamábant: Hosánna; benedíctus qui venit in nómine Dómini.

Benedictum regnum Patris nostri David: Hosánna in excélsis, miserére nobis, fili David.

Alia Antiph. Cum audísset pópulus, quia Jesus venit Jerosólymam: accepérunt ramos palmárum.

Et exiérunt ei óbviam: et clamábant púeri dicéntes:

Hic est: qui ventúrus est in salútem pópuli.

Hic est salus nostra: et redémptio Israel.

Quantus est iste: cui Throni et Dominatiónes occúrrunt.

Noli timére, filia Sion, ecce Rex tuus venit tibi sedens super pullum ásinae: sicut scriptum est.

Salve Rex, fabricátor mundi: qui venísti redímere nos.

Alia antiph. Ante sex dies solémnis Paschae: quando venit Dóminus in civitátem Jerúsalem.

Occurrérunt ei púeri: et mánibus portábant ramos palmárum.

Et clamábant voce magna dicéntes: Hosánna in excelsis.

Benedíctus qui venísti in multitúdine misericódiae tuae: hosánna in excélsis.

Alia antiph. Occúrrunt turbae cum floribus et palmis Redemptóri óbviam: et victóri triumphánti digna dant obséquia.

Filium Dei ore gentes praedicant: et laudem Christi voces tonant per núbila, Hosánna in excelsis.

Alia antiph. Cum Angelis et púeris fidéles inveniámur: triumphatóri mortis clamántes, Hosánna in excélsis.

64. Reversus ante portam primus clericus subsistet extra ipsam facie ad portam versa. Item Celebrans facie versa ad portam subsistet, capite adhuc cooperto.

65. Secundus ac tertius clericus intrabunt in ecclesiam, et clausa porta, stantes facie ad ipsam conversa, dicent elata voce

℣. Glória, laus et honor tibi sit, Rex Christe Redemptor: cui puerile decus prompsit Hosánna pium.

66. Celebrans extra portam repetet eumdem versiculum Gloria, laus etc.

67. Deinde clerici et Celebrans repetent alternatim hunc hymnum sequenti methodo:

Clerici. Israel es tu Rex, Davídis inclyta proles: nómine qui in Dómini Rex, benedícte venis.

Celebrans. Glória, laus et honor etc.

Clerici. Caetus in excélsis te laudat caelicus omnis: et mortális homo et cuncta creáta simul.

Celebrans. Glória, laus et honor etc.

Clerici. Plebs Hebraea tibi cum palmis óbvia venit: cum prece, voto, hymnis ádsumus ecce tibi.

Celebrans. Glória, laus et honor etc.

Clerici. Hi tibi passúro solvébant múnia láudis: nos tibi régnanti pándimus ecce melos.

Celebrans. Glória, laus et honor etc.

Clerici. Hi placuére tibi, pláceat devótio nostra: Rex bone, Rex clemens, cui bona cuncta placent.

Celebrans. Glória, laus et honor etc.

68. Completa huius hymni recitatione quo ordine heic notata fuit, clericus primus extremitate inferiore Crucis leviter pulsabit portam ecclesiae versus partem imam; tunc secundus ac tertius clericus portam aperient et consistent in lateribus ipsius.

69. Primus clericus Crucem gestans intrabit in ecclesiam eumque sequetur Celebrans, qui recitare incipiet responsorium *Ingrediente Domino* etc. et illud prosequetur cum secundo ac tertio clerico, qui accedent, ut antea, ad latera illius.

Resp. Ingrediénte Dómino in sanctam civitátem: Hebraeórum púeri resurrectiónem vitae pronuntiántes;

Cum ramis palmárum: Hosánna clamábant in excélsis.

Cumque audíssent, quod Jesus veníret Jerosólymam: exiérunt óbviam ei;

Cum ramis palmárum: Hosánna clamábant in excélsis.

70. Processio absolvetur cum Responsorio praedicto ante Altare. Si qua de causa processio extra ecclesiam exire nequiverit, hymnus *Gloria laus et honor* etc. recitabitur ante presbyterii cancellos, et in ingressu presbyterii ejusdem legetur responsorium *Ingrediente Domino* etc.

71. Clericus primus Crucem referet quo loco praeparata erat, palmas recipiet a Celebrante et reliquis duobus clericis easque in abaco reponet.

72. Celebrans nudabit caput ac respectîve cum secundo et tertio clerico facient respective reverentiam vel genuflexionem ad Crucem et in planum lateris Epistolae ad abacum transibunt.

73. Ibi Celebrans pluviale dimittet et adiuvantibus secundo ac tertio clerico induet sibi manipulum et planetam violaceam.

74. Interea primus clericus Calicem afferet ad Altare, explicabit corporale et in ipso calicem ponet.

75. Celebrans ad Altare procedet ac Missam exordietur. Clerici palmam dextera sustinebunt, dum legetur Passio. In fine Missae Celebrans recitabit Evangelium s. Joannis *In principio erat Verbum* etc.

76. Sacro peracto, Celebrans in sacristiam redibit ibique sacra indumenta dimittet. Clerici Celebrantem in sacristiam comitati adiuvabunt eum in exuendis paramentis: deinde ex abaco et Altari recipient res in functione adhibitas et in sacrarium reportábunt illas

---

FERIA V. IN COENA DOMINI

CAPUT IV.

De rebus praeparandis

1. Altare maius exornabitur nobiliter et pallio albo.

2. Crux Altaris velo albo contegetur.

3. In cornu Epistolae Missale in cussino albo vel in legili.

4. In abáco calix pro Missa cum ornatu albi coloris et binis Hostiis.

5. Calix alter cum palla, patena, velo albo ac taenia serica alba.

6. Pixis cum particulis consecrandis pro communione adstantium et pro infirmis.

7. Ampullae vini et aquae in pelvicula et mappula seu manutergium.

8. Schedulae distribuendae iis qui communicabunt.

9. Thuribulum cum navicula.

10. Velum humerale albi coloris.

11. Mantile oblongum ante communicandos explicandum.

12. Prope abacum Crux processionalis contecta velo violaceo.

13. Baldachinum hastile albi coloris et umbella.

14. Crotalum ad annunciandum meridiem.

15. Super balaustrio ante Altare erunt extensae tobaleae pro communione populi.

16. In sacristia tria superpellicea pro clericis. Amictus, alba,

cingulum, manipulus, stola, planeta albi coloris et biretum pro Celebrante: pluviale albi coloris et stola violacea pro eodem in Altarium denudatione adhibenda.

17. Intorticia vel candelae in processione gestandae.

18. Seorsim ignis ardens in foculo pro thuribulo.

19. In sacristia ipsa praeparabitur cella vel alius decens locus, in quo recondetur SS. Sacramentum pro infirmis et aderit Altare sive abacus in modum Altaris dispositus, tobalea coopertus, candelabra cum candelis et tabernaculum cum corporali et clavicula et lampas quae ardeat iugiter.

20. In sacello Ecclesiae, in quo exponetur SS. Sacramentum, Altare instruetur luminibus, floribus aliisque ornamentis coloris albi, excluso et interdicto omni alio ornatu, nempe Reliquiariis, statuis sive imaginibus Sanctorum, velis nigri vel violacei coloris et similibus. Super Altari ad exponendum SS. Sacramentum praeparabitur custodia vel urna, in qua aderit corporale; aderit quoque corporale extensum in Altari. Si opus fuerit praeparabitur etiam climacis seu scabellum graduatum pro Sacramento intra custodiam reponendo. (*a*)

In functione

21. Campanarum sonus populum ad ecclesiam invitabit.

22. Clerici superpelliceum sibi induent supra vestem talarem et res superius notatas praeparabunt.

23. Hora congrua Parochus, postquam confessiones fidelium audierit, adiuvantibus secundo ac tertio clerico induetur paramentis albi coloris pro celebranda Missa, dum interea primus accendet sex cereos Altaris, cuius in media parte calicem et pixidem praeparabit.

24. Celebrans iunctis manibus ad Altare procedet, praeeunte primo clerico, quem coniunctim sequentur secundus ac tertius et post eos Celebrans ipse.

(*a*) Inspiciatur adnotatio, quam subiecimus praecedenti lib. 2. cap. XXV. num. 6.

25. In Missa omittetur psalmus *Judica me, Deus* etc. cum *Gloria Patri.*

26. Ad hymnum *Gloria in excelsis* pulsabuntur festivo more omnes campanae, quae postea tacebunt usque ad Sabbatum sanctum.

27. In Missa consecrabit alteram quoque Hostiam servandam in calice et particulas in pixide repositas.

28. Animum advertet ad *Comunicantes,* ad *Hanc igitur* et ad *Qui pridie,* quod proprium est huius diei.

29. Dum Celebrans post *Agnus Dei* recitabit orationes ante Communionem, clericus primus ex abaco ad Altare afferet alterum calicem vacuum cum patena, palla, velo albo et taenia alba ac ponet ipsum in Altari extra corporale et prope dexteram Celebrantis.

30. Celebrans postquam consummaverit Calicem, teget eum palla et ponet seorsim versus cornu Evangelii super corporale.

31. Accipiet alterum calicem vacuum eumque ponet in medio corporali: genuflexionem faciet, accipiet alteram Hostiam et ponet in calice, quem conteget palla et patena inversa ac desuper expandet velum albi coloris, reliquens eum in medio corporali, sed paullulum versus Crucem Altaris. Deinde rursus genuflectet, accipiet pixidem, admovebit eam ad medium Altaris ante calicem, in quo reposuerit Sacramentum, deteget ipsam atque iterata genuflexione convertetur ad adstantes retrahens se paullulum in cornu Evangelii, facie aliquantulum versa ad latus Epistolae, ne tergum directe vertat ad Sacramentum.

32. Interea secundus clericus accipiet ex abaco tobaleam ante communicandos extendendam.

33. Clericus unus genibus flexis super gradibus in cornu Epistolae, omnibus pariter genua flectentibus seu clericis seu populo, recitabit alta voce *Confiteor,* postea Celebrans subiiciet *Misereatur vestri* etc. et *Indulgentiam* etc.

34. Celebrans se vertet ad Altare et genuflectet.

35. Clerici consurgent, simul cum eo genuflectent, ascendent in suppedaneum, in cuius extremitate submittent genua dum interea secundus explicabit tobaleam, quam tradet primo ac tertio.

36. Celebrans, accepta pixide, se convertet ad populum, dicet *Ecce Agnus Dei* etc. et s. Eucharistiam ministrabit clericis ad Altare, deinde ad cancellos descendet et ministrabit ipsam primo viris, postea mulieribus.

37. Clericus primus animum advertet ad distribuendas schedas communicatis. Alter complicabit tobaleam in communione adhibitam eamque reponet in abaco et reliquo Communionis tempore genibus flexis manebit apud Altare una cum tertio.

38. Post communionem Celebrans Pixidem referet ad Altare, cooperiet et reponet eam intra tabernaculum.

39. Postea nil prorsus abscedens a medio Altaris, purificationem et ablutionem accipiet, calicem exterget, cooperiet ac tradet primo clerico, qui ad abacum referet.

40. Interea accendentur candelae Altaris, in quo exponetur SS. Sacramentum et distribuentur intorticia vel candelae accensae Confratribus alicuius Confraternitatis, si aderit, vel primis de populo et disponetur etiam baldachinum utendum in processione.

41. Celebrans, cooperto ac tradito, ut supra, calice genuflectet, redibit in cornu Epistolae et leget ℣ *Communio*.

42. Redibit ad medium Altaris, genuflexionem faciet, osculabitur Altare et recedens versus cornu Evangelii, dicet *Dominus vobiscum*.

43. Se convertet ad medium Altaris, iterabit genuflexionem, redibit ad Missale et leget orationem *Postcommunio*.

44. Reversus inde ad medium Altaris, rursus genuflectet, Altare osculabitur, se vertet, ut antea, et dicet *Dominus vobiscum. Ite, Missa est.*

45. Convertetur ad Altare, genuflectet, recitabit orationem *Placeat* etc. osculabitur Altare, dicet *Benedicat vos omnipotens Deus* ac denuo genuflectet.

46. Conversus, ut supra, versus cornu Evangelii benedictionem impertietur, nec complens circulum neque rediens in medium, se vertet ad cornu Evangelii et recitabit Evangelium s. Joannis: non signabit Altare, sed tabellam seu librum, si aderit, postea seipsum. Ad *Verbum caro* genuflectet versus Sacramentum.

47. Celebrans redibit ad medium Altaris, genuflexionem faciet ad Sacramentum, descendet de Altari a latere et veniet prope abacum.

48. Primus clericus in promptu habebit thuribulum cum igne et naviculam, alter pluviale, tertius operam dabit exuendo Celebrantem, qui apud abacum dimittet planetam ac manipulum et induetur pluviali.

49. Clericus tertius planetam ac manipulum in abaco reponet, vel referet in sacristiam, si proxima erit Altari.

50. Celebrans cum secundo clerico a dexteris adstante, procedet ad Altare, genuflexionem faciet utroque genu ad SS. Sacramentum in plano, assurget ac genua submittet in medio infimo gradu.

51. Interea ordinabitur processio, ut inferius, et dirigetur circa ecclesiam ad sacellum vel Altare, in quo exponendum erit SS. Sacramentum; notandum autem, quod processionem extra ecclesiam facere non licet. Tertius clericus accipiet Crucem processionalem velatam et se sistet in medio presbyterio prope aditum.

52. Celebrans, facta brevi oratione, assurget ac ponet incensum in thuribulo sine benedictione, ei ministrante incensum sine osculis secundo clerico, qui et ipse fimbriam dexteram pluvialis eius sublevabit.

53. Rursus Celebrans genua submittet, et clericus secundus thuribulum acceptum a primo tradet Celebranti, qui SS. Sacramentum thurificabit.

54. Idem clericus receptum a Celebrante thuribulum reddet primo, qui stans manebit prope latus Epistolae.

55. Idem secundus velum humerale ex abaco accipiet, explicabit, imponet Celebrantis humeris, et rursus genuflexus a dexteris eius, illud ipsi ante pectus alligabit.

56. Celebrans assurget, ascendet in suppedaneum, iterabit genuflexionem simplicem, et consurgens ligabit taenia serica velum album ad nodum calicis, ne decidat patena, siquidem antea ligare illud non licebat, quia nondum purificati digiti erant. Accipiet Calicem sinistra ad nodum et dexteram imponet patenae.

Secundus clericus cum ipso ascendet ad Altare, eique, postquam acceperit Calicem, extremitatibus anterioribus veli humeralis utramque manum cooperiet.

57. Celebrans inde conversus ad populum, incipiet alta voce dicere hymnum *Pange lingua*, quem simul cum clericis perget recitare cum pausa. Clericus secundus sustinebit eum in descensu et extremitatem anteriorem vestium ipsius attollet quum ascensurus erit. Idem meminerit secum ferre biretum illius.

58. Procedetur ad Altare praedictum ordine sequenti:

59. Signum seu vexillum, quod gestari solet in processionibus cum SS. Viatico.

60. Confratres, vel laici delecti, bini cum candelis aut intorticiis accensis; qua in re notandum, quod qui incedit dextrorsum sustinere candelam debet dextera, qui sinistrorsum, sinistra.

61. Crux processionalis a tertio clerico delata.

62. Primus clericus leviter agitans thuribulum, ut adoleat SS. Sacramentum.

63. Celebrans cum secundo clerico adstante a sinistris sub baldachino sustento a confratribus vel a praecipuis paroeciae viris. Sequetur Celebrantem populus pietatem praeseferens.

64. Quum ventum erit in sacellum, vexillarius subsistet a latere, confratres cum intorticiis vel candelis se disponent extra balaustrium seu presbyterium ita ut liberum transitum dent Celebranti, et in genua procumbent, clericus ferens Crucem introibit in sacellum eamque deponet prope cornu Evangelii: thuriferarius consistet prope cornu Epistolae: baldachinum removebitur et ad alterutrum ecclesiae parietem applicabitur, Celebrans ascendet ad Altare et quum venerit in suppedaneum, secundus clericus detrahet manibus eius extremitates veli humeralis.

65. Celebrans ponet Calicem in Altari ac dimittet velum humerale, quod recipiet secundus clericus. Deinde ipse Celebrans genuflectet, et apposito scabello gradato a tertio clerico, accipiet calicem et reponet illum intra custodiam, quin claudat porticulam.

66. Descendet de Altari, iterabit genuflexionem duplicem in medio gradus infimi, assurget et sine benedictione imponet in thuribulum incensum, quod ipsi ministrabit secundus clericus; tertius autem fimbriam dexteram pluvialis eius sublevabit.

67. Denuo Celebrans genuflectet in medio gradus infimi inter secundum ac tertium clericum. Recitare incipiet ℣. *Tantum ergo Sacramentum* etc. accipiet thuribulum a secundo et Sacramentum thurificabit.

68. Completo altero versiculo *Genitori Genitoque* etc. ascendet ad Altare, claudet porticulam custodiae, descendet rursus de Altari et ante ipsum una cum secundo clerico genua submittet in medio gradus infimi ibique brevi tempore fundet preces.

69. Dum haec peragentur, curabit aliquis ut dispositus convenienter sit ac praeparatus in sacristia locus superius indicatus, in quo custodiatur s. Pixis cum Particulis pro infirmis, ut nempe ostium pateat, ardeant lumina cerea et lampas, et adsit corporale super Altari vel mensa ad hunc usum redacta.

70. Celebrans, facta brevi oratione, assurget, genuflexionem faciet utroque genu in plano et discedet de sacello, praeeunte tertio clerico, qui gestabit Crucem, et inter primum ac secundum, qui fimbrias pluvialis illius sublevabunt.

71. Extra sacellum caput cooperiet bireto, quod ei dabit primus clericus et cum ipsis ad Altare maius denuo revertetur.

72. Ante Altare maius, tertius clericus deponet Crucem suo loco et Celebrans nudato capite, biretum dabit primo et una cum reliquis genuflectet.

73. Secundus ac tertius accipient intorticia accensa, primus sumet velum humerale, quod nisi alterum in promptu erit, deferet secum illud quod in processione adhibitum fuerit.

74. Celebrans, conscenso suppedaneo, aperiet porticulam tabernaculi, genuflectet, extrahet inde Pixidem cum s. Particulis eamque ponet in medio Altari super corporali. Deinde genua submittet in suppedaneo et primus clericus humeris ipsius imponet velum humerale.

75. Primus accipiet umbellam, redibit ad Altare ibique umbellam aperiet.

76. Celebrans assurget, accipiet s. Pixidem, quam conteget extremitatibus anterioribus veli humeralis.

77. De Altari descendet et praecedentibus duobus clericis cum intorticiis et primo cum umbella, Sacramentum deferet in sacristiam, recitans aliquem psalmum, in cuius fine omittet *Gloria Patri.*

78. Quum in cellam in sacristia praeparatam venerit, Pixidem deteget et ponet super corporali expanso in mensa sive in Altari. Genua submittet ac primus clericus, clausa iam umbella, detrahet humeris eius velum humerale.

79. Assurget, accipiet s. Pixidem et ponet ipsam intra tabernaculum, genuflectet, claudet ostiolum custodiae, complicabit corporale; de Altari descendet, vel discedens de mensa praeparata, duobus inde aut tribus passibus genuflectet. Clerici extinguent intorticia et candelas ibi ardentes sed una saltem lampada ardere iugiter debet et claudetur ostium, ne prospectus inde pateat in sacrarium.

80. Unus e clericis redibit ad Altare, amovebit inde Missale cum cussino seu legili, complicabit corporale et ponet in abaco; recipiet biretum Celebrantis et redibit in sacristiam.

81. Celebrans, adiuvantibus clericis, dimittet in sacristia pluviale cum stola albi coloris et induet sibi stolam violaceam in pectore plicatam in modum Crucis, eamque cohibebit extremitatibus cinguli.

82. Accepto bireto, faciet cum clericis reverentiam ad Crucem vel imaginem praecipuam sacristiae, caput cooperiet et praeeunte primo clerico, deinde altero ac tertio, simul incedentibus, ad Altare maius procedet.

83. Ante Altare maius Celebrans nudabit caput bireto, quod dabit primo clerico, reverentiam ad Crucem faciet, clerici genuflexionem.

84. Stans ante Altare, elata voce incipiet antiphonam ***Diviserunt sibi*** quam una cum clericis prosequetur cum psalmo ***Deus, Deus meus, respice in me*** etc.

85. Celebrans ascendet ad Altare, unde tollet tobaleas, quae a clericis acceptae complicabuntur et ponentur super aba-

co. Clerici autem amovebunt pallium, tapetum et vasa florum quae intererunt candelabris et Altaris cereos extinguent. Omnia ornamenta amovenda sunt, neque in Altari quidquam aliud superesse debet, quam Crux cum candelabris.

86. Denudato Altari maiore, Celebrans cum clericis gradum facient ad reliqua Altaria, si aderunt, et illa denudabunt eodem modo ac supra.

87. Omnium Altarium completa denudatione, redibit cum clericis Celebrans ante Altare maius et una cum illis repetet antiphonam *Diviserunt sibi* etc.

88. Primus clericus signum meridiei crotalo dabit et Celebrans cum clericis genua submittent ante Altare ac secreto recitabunt *Angelus Domini.*

89. Celebrans assurget, reverentiam faciet ad Crucem et accepto bireto, quo caput cooperiet, redibit in sacristiam eodem ordine ac supra notatum est. Clerici consurgent cum Celebrante, genuflectent, et praecedent ei ad sacristiam.

90. Ibi Celebrans et clerici reverentiam facient ad Crucem vel ad imaginem praecipuam. Celebrans, adiuvantibus clericis, sacra paramenta dimittet ac persolvet gratiarum actionem pro Missa.

91. Clerici redibunt ad Altare, unde tollent res omnes, quae ibi aderunt et in sacrarium reportabunt. Primus clericus meminerit velum album detrahere Cruci, cui supererit alterum violaceum.

92. Curabit Parochus ut sex saltem lumina cerea ardeant in Altari, quo expositum erit SS. Sacramentum et ut adsit perpetuo aliquis, qui ibi peragat adorationem.

FERIA VI IN PARASCEVE.

CAPUT V.

1. Altare maius erit ex toto nudatum; aderunt tantum sex candelabra ex aurichalco vel ex aere cum candelis e cera lutea seu communi.

2. Crux inter candelabra, quae tamen sit levis et velum nigri coloris ita aptatum, ut facile solvi ac tolli possit.

3. Pulvinus e panno violaceo super secundo gradu Altaris.

4. Abacus etiam erit nudus et quum ibi ponenda erunt quae opus sunt pro functione, contegetur tobalea, quae superficiem tantum superiorem cooperiat. In illo pro functione praeparabitur.

5. Tobalea una, quae mensam tantum Altaris cooperire debet.

6. Legile vel cussinus nigri coloris cum Missali.

7. Bursa nigri coloris cum corporali et purificatorio.

8. Velum nigrum pro calice.

9. Vasculum vitreum cum aliquantula aqua et purificatorio, si forte Celebrans digitis tangeret SS. Sacramentum dum extrahet ipsum e Calice.

10. Ampullae vini et aquae in pelvicula et manutergium.

11. Pelvis argentea vel ex alio metallo decenti ponenda prope Crucem pro oblationibus.

12. Plura exemplaria huius libri pro recitandis improperiis et hymno *Vexilla* etc.

13. Thuribulum cum navicula.

14. Prope abacum praeparabitur plicatum tapetum violaceum, pulvinus sericus violaceus et velum album serico violaceo contextum pro Crucis adoratione.

15. Crux processionalis contecta velo violaceo.

16. Hastae cum gossipio cerato ad accendendas candelas.

17. A latere Epistolae, quo loco statui solet scamnum pro Celebrante et Ministris, aderit scabellum nudum in usum Celebrantis.

18. A latere Evangelii scabellum gradatum ad amovendam Crucem ab Altari.

19. In sacello vel Altari, ubi expositum erit SS. Sacramentum ponetur corporale explicatum in medio Altaris cum clavicula custodiae.

20. Velum humerale albi coloris.

21. Baldachinum hastile albi coloris.

22. Intorticia vel candelae e cera alba pro Processione.

23. Scabellum seu brevis scala ad extrahendum Sacramentum e custodia.

24. In sacristia tria superpellicea pro clericis; amictus, alba, cingulum, manipulus, stola, planeta nigri coloris et biretum pro Celebrante.

In functione.

25. Signum crotalo dabitur extra portam ecclesiae, ut populus ad functionem concurrat.

26. Hora praestituta clerici superpelliceum induent sibi supra vestem talarem et diligenter quae superius notata sunt, suo quaeque loco praeparabunt.

27. Celebrans, facta brevi oratione, lavabit manus et induetur amictu, alba, cingulo, manipulo, stola et planeta nigri coloris et manu sustinens biretum faciet cum clericis reverentiam ad Crucem vel ad imaginem praecipuam sacristiae.

28. Praeeunte primo clerico, deinde reliquis duobus, qui coniunctim incedent, ad Altare procedet, bireto capiti imposito et iunctis manibus.

29. Primus clericus ante Altare progressus, locum sibi sumet versus cornu Epistolae, reliqui duo dirimentur et ad latera Celebrantis transibunt.

30. Celebrans ante Altare deponet biretum, quod dabit secundo clerico, hic autem illud accipiet sine osculis, quae in huius diei functione omittuntur.

31. Celebrans reverentiam faciet ad Crucem, Clerici genuflexionem. Deinde Celebrans genua submittet in pavimento et

procumbet super gradus Altaris, ponens caput et brachia in pulvino ibi praeparato, sic perstans orando fere spatio unius *Miserere*.

32. Clerici, facta ut supra cum Celebrante genuflexione pergent ad abacum, in quo secundus deponet biretum Celebrantis.

33. Clericus primus accipiet Altaris tobaleam eamque ad Altare deferet et adiuvante altero, extendet ipsam in longitudinem versus gradum candelabrorum ita ut duplicata sit ultra dimidium mensae.

34. Tertius accipiet legile cum Missali aperto ac ponet ipsum in cornu Epistolae.

35. Secundus ac tertius genua submittent a lateribus Celebrantis, primus autem paullo propius ipsum.

36. Celebrans surget e prostratione et clericus primus amovebit de gradibus pulvinum violaceum, quem ponet prope abacum. Idem clericus stans subsistet prope abacum ipsum.

37. Celebrans ascendet in suppedaneum, osculabitur Altare in medio et accedet ad Missale in cornu Epistolae.

38. Duo clerici consurgent ibique stabunt.

39. Celebrans ad Missale elata voce leget primam lectionem cum tractu sequenti, manibus Missali appositis, ut in Epistola Missae. Deinde, ut in Missa, dicet *Oremus* et genuflectens subiunget *Flectamus genua* et ab omnibus genuflectetur. Secundus clericus assurgens dicet *Levate* et omnes consurgent. Celebrans apertis manibus recitabit orationem *Deus, a quo et Judas* etc.

40. Leget deinde secundam lectionem cum tractu, postea Passionem, iunctis manibus, in ipso latere Epistolae. Post lectam Passionem, eodem in loco recitabit *Munda cor meum* etc. ante Missale, leget ultimam Passionis partem, sed in fine non osculabitur librum.

41. Si post lectam Passionem habendus esset sermo super ipsa, descendet a latere de Altari et perget ad scabellum praeparatum, ut supra, ibique sedebit ac bireto caput cooperiet.

42. Post sermonem, deteget caput, assurget, redibit a latere ad Altare in cornu Epistolae pro orationibus, ut infra.

43. Nisi fiet sermo, statim post Passionem recitabit orationes, videlicet monitiones iunctis manibus et orationes manibus expansis et post *Oremus* ante singulas orationes subiunget *Flectamus genua* et genuflectet, clericus autem secundus dicet *Levate*, ut superius pro oratione prima dictum est. Omittet autem *Flectamus genua* ante orationem pro Hebraeis.

44. Sub finem orationum primus clericus, adiuvante tertio, accipiet tapetum violaceum iam praeparatum apud abacum et expandet illud in longitudinem in medio presbyterio, ponens partem superiorem tapeti cum pulvino in medio et super gradu infimo: explicabunt etiam in longitudinem velum album cum ornatu violaceo super pulvino ac tapeto.

45. Completis orationibus, Celebrans de Altari a latere descendet et apud abacum dimittet planetam.

46. Clericus primus accipiet Missale et subsistet in plano lateris Epistolae. Reliqui duo Celebrantem adiuvabunt in dimittenda planeta, quam deponent in abaco, et remanebunt in eodem latere. Si opus fuerit, tertius transibit in cornu Evangelii et ponet scabellum gradatum in suppedaneo, Celebrantis commoditati.

47. Celebrans veniet ante Altare, faciet reverentiam ad Crucem, ascendet in suppedaneo et super scabellum quoque si necesse fuerit, accipiet ex Altari Crucem velatam et utraque manu sustinens illam, descendet in planum lateris Epistolae, ibique subsistet facie ad populum versa.

48. Secundus ac tertius clericus accedent ad latera Celebrantis; primus autem stans aliquantulum versus sinistram eius, Missale apertum ante ipsum sustinebit.

49. Celebrans deteget summitatem Crucis usque ad partem transversam, deinde utraque manu paullulum attollens Crucem gravi voce dicet *Ecce lignum Crucis* et clerici eodem vocis tono continuabunt *In quo salus mundi pependit*, et omnibus, excepto Celebrante, genuflectentibus, subiungent *Venite adoremus*. Clericus primus ad illa verba *Venite adoremus* claudet librum et genuflectet.

50. Celebrans cum clericis ascendet ad Altare et subsistet

in cornu Epistolae super suppedaneo, deteget brachium dexterum Crucis cum brachio et capite Crucifixi, et elevans paullo plus Crucem et vocem, dicet *Ecce lignum Crucis* et reliqua, ut superius.

51. Post genuflexionem, Celebrans cum clericis in suppedaneo venient ad medium Altaris et Celebrans totum detrahet Cruci velum, quod secundus clericus accipiet, et postea ponet super abaco, ut dicetur inferius. Celebrans paullo amplius attollens Crucem et vocem dicet tertia vice *Ecce lignum* etc. ut supra.

52. Post verba *Venite adoremus*, omnes genibus flexis manebunt.

53. Celebrans solus portans elatam utraque manu Crucem de Altari descendet ex parte anteriori graduum versus cornu Evangelii, submittet genua et Crucem pulvino imponet.

54. Deinde assurget ac genuflectet.

55. Clerici consurgent cum Celebrante et cum ipso genuflexionem facient ad Crucem. Primus clericus reponet Missale apertum super legili in cornu Epistolae.

56. Celebrans cum clericis venient in planum lateris Epistolae.

57. Primus clericus deteget Crucem processionalem.

58. Alter ponet in abaco velum Crucis Altaris, quod receperit a Celebrante.

59. Tertius accipiet pelvim argenteam eamque ponet prope Crucem ad excipiendas oblationes.

60. Celebrans, adiuvante secundo clerico, dimittet manipulum, sedebit in scamno et excalceabit se.

61. Deinde Celebrans solus procedet ad adorandam Crucem genuflectens tribus vicibus utroque genu et cum brevi pausa ad Crucem ita ut a prima ad secundam et a secunda ad tertiam genuflexionem, quam faciet ante Crucem, adsit intervallum trium vel quatuor passuum. Post tertiam genuflexionem, inclinatus osculabitur pedes Crucifixi, offeret eleemosynam quam ponet in pelvi, assurget, iterabit genuflexionem simplicem et redibit ad latus Epistolae, ubi sedens in scamno calceos resu-

met, a secundo clerico rursus ipsi imponetur manipulus, et caput bireto cooperiet.

62. Tres clerici prope abacum calceos sibi detrahent et pergent ad adorationem, exsequentes ea quae Celebrans peregerit.

63. Redibunt ad abacum, calceos rursus sibi inducent tum primus subsistet prope Crucem ut laicos in adoratione diducat.

64. Post clericos procedent ad adorationem Confratres si aderunt, induti sacco, deinde reliqui laici, postremo loco mulieres, omnes tamen bini.

65. Celebrans, secundus ac tertius clericus, qui stabunt a lateribus eius, recitabunt elata voce improperia, in maiorem commoditatem divisa sequenti modo:

PRIMA PARS.

Celeb. ℣. Pópule meus, quid feci tibi? aut in quo contristávi te? respónde mihi.

℣ Quia edúxi te de terra Aegypti: parásti Crucem Salvatóri tuo.

2. *Cl.* ℟. Agios o Theos.
3. *Cl.* Sanctus Deus.
2. *Cl.* Agios ìschyros.
3. *Cl.* Sanctus fortis.
2. *Cl.* Agios athánatos eléison imas.
3. *Cl.* Sanctus immortális miserére nobis.

Cel. ℣. Quia edúxi te per desértum quadraginta annis: et manna cibávi te: et introdúxi te in terram satis bonam: parásti Crucem Salvatóri tuo.

2. *Cl.* ℟. Agios o Theos.
3. *Cl.* Sanctus Deus.
2. *Cl.* Agios ìschyros.
3. *Cl.* Sanctus fortis.

2. *Cl.* Agios athánatos eléison imas.

3. *Cl.* Sanctus immortális miserére nobis.

Cl. ℣. Quid ultra débui fácere tibi et non feci? Ego quidem plantávi te vineam meam speciosissimam; et tu facta es mihi nimis amára, acéto namque sitim meam potásti, et láncea perforásti latus Salvatóri tuo.

2. *Cl.* ℟. Agios o Theos.

3. *Cl.* Sanctus Deus.

2. *Cl.* Agios ìschyros.

3. *Cl.* Sanctus fortis.

2. *Cl.* Agios athánatos eléison imas.

3. *Cl.* Sanctus immortális miserére nobis.

SECUNDA PARS.

Celeb. ℣. Ego propter te flagellávi Ægyptum cum primogénitis suis; et tu me flagellátum tradidisti.

2. et 3. *Cl.* ℟. Pópule meus, quid feci tibi? aut in quo contristávi te? respónde mihi.

Cel. ℣. Ego edúxi te de Ægypto, demérso Pharaóne in Mare rubrum; et tu me tradidisti Princípibus Sacerdótum.

2. *et* 3. *Cl.* ℟. Pópule meus, quid feci tibi? aut in quo contristávi te? respónde mihi.

Cel. ℣. Ego ante te apérui Mare; et tu aperuísti láncea latus meum.

2. *et* 3. *Cl.* ℟. Pópule meus, quid feci tibi? aut in quo contristávi te? respónde mihi.

Cel. ℣. Ego ante te praeívi in colúmna nubis; et tu me duxísti ad praetórium Piláti.

2. *et* 3. *Cl.* ℟. Pópule meus, quid feci tibi? aut in quo contristávi te? respónde mihi.

Cel. ℣. Ego te pavi manna per desértum, et tu me caecidísti álapis et flagéllis.

2. *et* 3. *Cl.* ℟. Pópule meus, quid feci tibi? aut in quo contristávi te? respónde mihi.

Cel. ℣. Ego te potávi aqua salútis de petra; et tu me potásti felle et acéto.

2. *et.* 3. *Cl.* ℟. Pópule meus, quid feci tibi? aut in quo contristávi te? respónde mihi.

Cel. ℣. Ego propter te Chananaeórum Reges percússi; et tu percussísti arúndine caput meum.

2. *et* 3. *Cl.* ℟. Pópule meus, quid feci tibi? aut in quo contristávi te? respónde mihi.

Cel. ℣. Ego dedi tibi sceptrum regále; et tu dedísti cápiti meo spíneam corónam.

2. *et* 3. *Cl.* ℟. Pópule meus, quid feci tibi? aut in quo contristávi te? respónde mihi.

Cel. ℣. Ego te exaltávi magna virtúte; et tu me suspendísti in patíbulo Crucis.

2. *et* 3. *Cl.* ℟. Pópule meus, quid feci tibi? aut in quo contristávi te? respónde mihi.

TERTIA PARS

Cel. ℣ Crucem tuam adorámus, Dómine, et sanctam Resurrectiónem tuam laudámus et glorificámus: ecce enim propter lignum venit gáudium in univérso mundo.

Psal. Deus misereátur nostri et benedícat nobis:

2. *et* 3. *Cl.* ℟. Illúminet vultum suum super nos, et misereátur nostri.

Cel. ℣. Crucem tuam Dómine, adóramus, et sanctam Resurrectiónem tuam laudámus et glorificámus: ecce enim propter lignum venit gáudium in univérso mundo.

2. *et* 3. *Cl.* ℟ Crux fidélis inter omnes, arbor una nóbilis, nulla sylva talem profert fronde, flore, germine. Dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus sústinet.

Cel. ℣. Pange lingua gloriósi láuream certaminis: et super Crucis trophaeo dic triúmphum nóbilem: quáliter Redémptor orbis immolátus vícerit.

2. *et* 3. *Cl.* ℟. Crux fidélis inter omnes, arbor una nóbilis, nulla sylva talem profert, fronde, flore, gérmine.

Cel. ℣. De paréntis protoplásti fraude factor cóndolens; quando pomi noxiális in necem morsu ruit; ipse lignum tunc notávit, damna ligni ut sólveret.

2. *et* 3. *Cl.* ℟. Dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus sústinet.

Cel. ℣. Hoc opus nostrae salútis ordo depopóscerat, multifòrmis proditòris ars ut artem fálleret: et medélam ferrèt inde, hostis unde laeserat.

2. *et* 3. *Cl.* ℟. Crux fidélis inter omnes, arbor una nóbilis; nulla sylva talem profert fronde, flore, gérmine.

Cel. ℣. Quando venit ergo sacri plenitúdo témporis; mis-

sus est ab arce Patris, Natus orbis cónditor; atque ventre virgináli carne amictus pródiit.

2. *et* 3. *Cl.* ℟. Dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus sústinet.

Cel. ℣. Vagit infans inter arcta cónditus praesépia, membra pannis involúta Virgo mater álligat; et Dei manus pedésque stricta cingit fáscia.

2. *et* 3. *Cl.* ℟. Crux fidélis inter omnes arbor una nóbilis; nulla sylva talem profert fronde, flore, gérmine.

Cel. ℣. Lustra sex qui iam perégit, tempus implens córporis; sponte libera Redémptor possióni déditus; Agnus in Crucis levátur immolándus stípite.

2. *et* 3. *Cl* ℟. Dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus sústinet.

Cel. ℣. Felle potus ecce languet, spina, clavi, láncea mite corpus perforárunt, unda manat et cruor; terra, pontus, astra, mundus, quo lavántur flúmine.

2. *et* 3. *Cl.* ℟. Crux fidélis inter omnes, arbor una nòbilis; nulla sylva talem profert fronde, flore, gérmine.

Cel. ℣. Flecte ramos, arbor alta, tensa laxa viscera: et rigor lentéscat ille, quem debit natívitas; et supérni membra Regis tende miti stípite.

2. *et* 3. *Cl.* ℟. Dulce lignum, dulces clavo, dulces pondus sústinet.

Cel. ℣. Sola digna tu fuisti ferre mundi víctimam; atque portum praepárare arca mundo náufrago; quam sacer cruor perúnxit fusus Agni córpore.

2. *et* 3. *Cl.* ℟. Crux fidélis inter omnes arbor una nóbilis; nulla sylva talem profert fronde, flore, gérmine.

Cel. ℣. Sempitérna sit beátae Trinitáti glória; aequa Patri

Filióque par decus Paráclito, uníus triníque nomen láudet univérsitas. Amen.

2. *et* 3. *Cl.* ℟. Dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus sústinet.

---

66. Versiculi isti legentur ex toto, quamvis esset completa adoratio.

67. Sub finem adorationis primus clericus accendet sex cereos Altaris.

68. Improperiis a Celebrante cum secundo ac tertio clerico lectis, secundus recipiet exemplaria hujus libri et reponet ea super abaco.

69. Primus cum ceteris duobus clericis redibunt ad Altare. Tertius ad ipso amovebit Missale cum legili et primus cum secundo in lateribus Altaris, expandent super mensam ipsius tobaleam, quae hactenus relicta fuerit complicata versus candelabra.

70. Clerici praedicti exsequentes actiones indicatas et quae inferius tradentur, advertent ad genuflectendum versus Crucem in accessu et in recessu de Altari.

71. Secundus clericus ex abaco accipiet bursam cum corporali et purificatorio, eam deferet ad Altare et in medio suppedanei educet e bursa corporale, quod explicabit in medio Altari, ponet purificatorium versus dexteram et bursam applicabit gradui candelabrorum in latere Evangelii.

72. Tertius clericus accipiet legile cum Missali aperto et locabit illud in cornu Evangelii prope corporale, aliquantum conversum ad mediam partem. Secundus et tertius, iterata genuflexione ad Crucem, redibunt ad latera Celebrantis.

73. Completa adoratione Crucis Celebrans nudabit caput, assurget ac procedet ad Crucem, et ibi genuflexionem faciet. Tum procumbet in genua, accipiet utraque manu Crucem et ascendens per medium referet illam ad Altare et in basi sua reponet. Clerici et omnes adstantes ad hanc actionem in genua

procumbent. Si opus fuerit, tertius clericus ponet brevem scalam sed scabellum in suppedaneo ad reponendam in sua basi Crucem.

74. Celebrans, Cruce imposita basi, genuflectet in suppedaneo, descendet a latere de Altari, redibit ad scabellum, ubi adiuvante secundo clerico, resumet planetam.

75. Interim primus ac tertius clericus amovebunt velum, pulvinum ac tapetum adhibitum in adoratione Crucis, eaque reponent ubi erant.

76. Primus clericus praeparabit thuribulum cum igne et ex abaco accipiet naviculam.

77. Accendentur hoc tempore candelae vel intorticia in sacello sive apud Altare, in quo expositum erit SS. Sacramentum, distribuentur confratribus vel primariis viris loci, praeparabitur baldachinum et distribuentur hastae, ut supra.

78. Quum omnia disposita erunt, tertius clericus accipiet Crucem processionalem et subsistet prope aditum presbyterii: Celebrans, manu sustinens biretum, procedet ante Altare, genuflectet ad Crucem, cooperiet caput et proficiscetur ad sacellum praedictum.

79. Praeibit primus clericus ferens thuribulum cum navicula, sequetur tertius gestans Crucem processionalem, postea Celebrans cum secundo clerico a sinistris eius.

80. Ubi ventum erit in sacellum, Celebrans nudabit caput et biretum tradet secundo clerico, primus subsistet versus cornu Epistolae, tertius cum Cruce prope latus Evangelii.

81. Celebrans cum secundo ac primo clerico genuflexionem duplicem conficient ante Altare, et Celebrans cum secundo clerico genua submittent in medio gradu infimo ac brevi tempore orabunt.

82. Secundus clericus si necesse fuerit, ponet scabellum vel brevem scalam in suppedaneo commoditati Celebrantis.

83. Deinde Celebrans assurget, ascendet ad Altare, aperiet ostiolum urnae seu custodiae, iterabit genuflexionem in suppedaneo, descendet de Altari in planum, ubi stans demittet in thuribulum sine benedictione incensum quod ipsi a secundo clerico ministrabitur.

84. Celebrans rursus genua submittet in gradu infimo et accepto thuribulo a secundo clerico, thurificabit SS. Sacramentum, et idem clericus sublevabit ei partem posteriorem planetae, dum thurificationem peraget.

85. Celebrans postquam thuribulum reddiderit secundo clerico, hic autem primo, ascendet rursus in suppedaneum, genuflectet, educet Sacramentum de custodia, ponet ipsum super Altare in medio corporali et procumbet in genua.

86. Secundus clericus velum humerale accipiet, imponet humeris Celebrantis et ante pectus eius alligabit ipsum.

87. Celebrans assurget, sinistra accipiet Calicem ad nodum, dexteram autem imponet patenae; secundus clericus animum advertet ad manus ejus cooperiendas extremitatibus anterioribus veli humeralis.

88. Celebrans convertetur ad populum et incipiet hymnum *Vexilla Regis etc.* quem elata voce una cum clericis prosequetur.

89. Hymnum praenominatum in commodum clericorum hic subiicimus.

Vexílla Regis pródeunt,
Fulget Crucis mystérium,
Qua vita mortem pértulit
Et morte vitam prótulit.

Quæ vulneráta lánceae
Mucróne diro, críminum
Ut nos laváret sórdibus,
Manávit unda et sánguine.

Impléta sunt quae cóncinit
David fidéli cármine,
Dicéndo natiónibus
Regnávit a ligno Deus.

Arbor decóra et fúlgida,
Ornáta Regis púrpura,

Elécta digno stípite
Tam sancta membra tángere.

Beáta cuius bráchiis
Prétium pepéndit saeculi,
Statéra facta córporis
Tulítque praedam tártari.

O Crux ave spes única
Hoc passiónis témpore,
Piis adáuge grátiam
Reísque dele crímina.

Te, fons salútis Trínitas,
Colláudet omnis spíritus,
Quibus Crucis victóriam
Largíris, adde praemium. Amen.

90. Processio non exibit extra ecclesiam et redibit ad Altare majus ordine sequenti. Vexillum quod praeferri solet in processionibus S. Viatici. Confratres cum intorticiis vel candelis accensis. Tertius clericus gestans Crucem processionalem. Primus cum thuribulo, quod leviter agitans adolebit SS. Sacramentum. Celebrans sub baldachino, qui gestabit SS. Sacramentum et a sinistris ejus incedet secundus clericus, qui meminerit secum ferre biretum Celebrantis.

91. Quum processio pervenerit ad Altare, delator Vexilli remanebit extra balaustrium seu cancellos in alterutro latere, Confratres se disponent extra presbyterium ad cancellos, ibique genibus flexis manebunt sustinentes cereos sive intorticia ardentia usque ad finem officii. Baldachinum removebitur extra ingressum presbyterii et collocabitur apud unum e parietibus proximis ipsi presbyterio; tertius clericus deponet Crucem processionalem in presbyterio prope cornu Evangelii, primus sustinens thuribulum remanebit in plano versus partem Epistolae; Celebrans autem cum secundo ascendet in suppedaneum Altaris.

92. Interea aderit qui cereos extinguet in sacello vel Altari, in quo erat expositum SS. Sacramentum.

93. Secundus clericus extremitates veli humeralis detrahet manibus Celebrantis, qui Calicem deponet in medio Altaris et, facta genuflexione, descendet in planum atque in medio gradus infimi submittet genua.

94. Ibi genuflexus secundus clericus expediet ac detrahet ei velum humerale, quod a tertio referetur ad abacum.

95. Assurget Celebrans et ministrante ei secundo clerico, incensum demittet in thuribulum, quod ipsi a primo praesentabitur.

96. Celebrans rursus genua submittet in infimo gradu et accepto a secundo clerico thuribulo SS. Sacramentum thurificabit. Secundus ac tertius clericus, genuflexi a lateribus Celebrantis, advertent ut ipsi in thurificatione attollant partem posteriorem planetae.

97. Celebrans thuribulum restituet secundo clerico, hic autem primo, qui stans subsistet in plano lateris Epistolae.

98. Celebrans cum secundo clerico consurget, ascendet in suppedaneum et genuflexionem faciet ad Sacramentum.

99. Tertius clericus vadet ad abacum, accipiet ampullas vini et aquae cum pelvicula et deferet eas ad Altare quo loco poni solent in latere Epistolae.

100. Celebrans post genuflexionem, solvet taeniam qua firmatum erit velum Calici, et ab ipso Calice amovebit velum. Secundus clericus deferet ad abacum velum cum taenia, ac redibit ad dexteram Celebrantis faciens genuflexionem in discessu et in reditu.

101. Celebrans accipiet patenam et ponet ipsam in medio corporali versus partem anteriorem Altaris, amovebit a Calice pallam, quam etiam in corporali ponet prope latus Epistolae in parte superiori et accepto reverenter Calice faciet leviter effluere S. Hostiam super patenam. Relinquet Calicem super corporali et accepta ambabus manibus patena cum S. Hostia, ponet Sacramentum super corporale, nullum signum Crucis patena efficiens, et patenam ipsam in corporali collocabit versus dexteram suam.

102. Si ad extrahendum e Calice Sacramentum opus esset ut illud tangeret indice vel pollice dextero, purificabit digitum in vasculo aquae, quod tertius clericus deferet ad Altare, exterget digitum vel digitos purificatorio, et vasculum supradictum relinquetur in Altari.

103. Celebrans accipiet Calicem sinistra et quin abstergat ipsum ac perstans in medio Altaris, vinum et aquam, ut in aliis Missis, infundet in Calicem, sustinens ipsum aliquantulum elevatum ab Altari, sed non absterget illum. Advertet ne benedicat aquam neu dicat orationem consuetam.

104. Ponet Calicem a latere corporalis, quem deinde acceptum dextera reponet in medio, et nihil dicens neque ullum faciens Crucis signum, illum palla cooperiet.

105. Tertius clericus tollet de Altari ampullas vini et aquae cum pelvicula et referet illas ad abacum. Procedet deinde in cornu Evangelii, ut thurificationis tempore amoveat ab Altari Missale cum legili.

106. Primus cum thuribulo ascendet ad Altare, et Celebrans ministrante ei secundo clerico, incensum sine benedictione demittet in thuribulum.

107. Accepto autem thuribulo a clerico eodem genuflectet, Oblata thurificabit dicens *Incensum istud* etc. genuflexionem iterabit, thurificabit Crucem et Altare ut in Missis solemnibus, dicens *Dirigatur Domine* etc. advertens quod quum transibit in medium Altaris, facere debet genuflexionem. Secundus clericus partem posteriorem planetae eius sublevabit, ut superius traditum est. Tertius autem amovebit ab Altari legile cum Missali, quod rursus post thurificationem ibi ponet, et cum debitis genuflexionibus redibit ad abacum et accipiet ampullam aquae cum pelvicula et manutergio.

108. Celebrans, peracta Altaris thurificatione, thuribulum tradet secundo clerico, dicens *Accendat in nobis* etc. sed ipse non thurificabitur. Secundus tradet thuribulum primo, qui referet illud in sacristiam vel ad abacum, siquidem in hac functione non opus est amplius.

109. Celebrans, tradito, ut supra, thuribulo, advertens ne

tergum vertat ad Sacramentum, de suppedaneo descendet in secundum gradum, et facie ad populum versa, lavabit manus, non tamen recitans psalmum consuetum *Lavabo inter innocentes* etc. Tertius clericus aquam ipsi ministrabit, secundus manutergium seu mappulam.

110. Extersis manibus, Celebrans rursus ascendet in suppedaneum, redibit ad medium Altaris, genuflectet, postea iunctis manibus super Altari et paullulum inclinatus, voce intelligibili recitabit *In spiritu humilitatis* etc. Osculabitur deinde Altare, genuflexionem faciet, se convertet versus cornu Evangelii ad populum dicens eodem vocis tono *Orate fratres ut meum* etc. circulum non complens, rursus se convertet ad Altare ac genuflexionem iterabit.

111. Non respondebitur *Suscipiat Dominus* etc.

112. Clerici manebunt genuflexi in gradibus Altaris, videlicet secundus versus cornu Epistolae, tertius versus partem Evangelii et primus super gradu in latere Epistolae.

113. Celebrans manibus iunctis ante pectus dicet altiori vocis tono *Oremus. Praeceptis salutaribus* etc. et ad *Pater noster* aperiet manus. Clerici respondebunt *Sed libera nos a malo*. Celebrans secreto dicet *Amen*; deinde adhuc extensis manibus recitabit eodem vocis tono, ac supra, *Libera nos, quaesumus* etc. et clerici respondebunt *Amen*.

114. Celebrans genuflectet, assurget, deteget Calicem, patenam supponet s. Hostiae, et sustinens dextera s. Hostiam, sinistra patenam, elevabit s. Hostiam usque eo ut conspici possit ab adstantibus. Non pulsabitur crotalum, non fiet thurificatio, nec planeta Celebrantis sublevabitur.

115. Deinde Celebrans immediate s. Hostiam demittet super Calicem, relinquet patenam super corporali, dividet s. Hostiam, ut in aliis Missis, ponens duas maiores partes supra patenam et particulam in Calice, nihil dicens et nullum faciens Crucis signum.

116. Cooperiet Calicem, genuflectet, assurget et manibus iunctis super Altari, paullulum inclinatus et secreto recitabit orationem *Perceptio corporis tui* etc.

117. Post hanc orationem genuflectet rursus, accipiet patenam cum s. Hostia, ut in aliis Missis, dicet *Panem coelestem* etc. ac tribus vicibus *Domine, non sum dignus* etc. percutiens pectus. Se signabit dicens *Corpus Domini nostri* etc. et communicabit.

118. Brevi interposita mora seu meditatione, deteget Calicem et genuflexionem faciet; patena colliget fragmenta super corporali, purificabit patenam supra Calicem et accepto Calice non signans se, reverenter, sumet vinum cum particula s. Hostiae.

119. Secundus clericus assurget et ampullas vini et aquae deferet ad Altare. Tertius ex abaco accipiet velum nigri coloris et ponet ipsum super Altare versus cornu Evangelii. Primus autem advertet ut extinguantur intorticia seu candelae quae adhuc ardentes a sodalibus sustentae fuerint, et universi consurgent.

120. Celebrans, omissa purificatione Calicis, super calicem ipsum lavabit digitos aqua et vino, absterget digitos et in medio Altaris sumet ablutionem, absterget os suum, deinde calicem, quem ut in aliis Missis, velo nigro cooperiet.

121. Primus clericus acceptum calicem deferet ad abacum.

122. Celebrans stans in medio Altaris, manibus ante pectus iunctis et paullulum inclinatus, dicet secreto *Quod ore sumpsimus, Domine* etc.

123. Clericus secundus amovebit ampullas ab Altari; tertius post praedictam orationem claudet Missale et deferet ipsum ad abacum.

124. Celebrans de Altari descendet, genuflexionem faciet ad Crucem, recipiet biretum et caput cooperiet; deinde praeeuntibus clericis, ut in accessu, in sacristiam redibit.

125. Illuc quum venerit reverentiam cum clericis faciet ad Crucem vel ad imaginem primariam, et adiuvantibus eisdem clericis dimittet sacra indumenta ac parumper attendet orationi.

126. Clerici redibunt ad Altare, extinguent cereos, ex ipso et ex abaco tollent tobaleam, et omnia quae in hac functione adhibita sunt, in sacristiam reportabunt.

DE SABBATO SANCTO.

CAPUT VI.

Quae sint praeparanda.

1. Extra portam primariam ecclesiae praeparabitur mensa cooperta albo mantili et super ea ponentur.

2. Legile parvum cum Missali aperto.

3. Pelvis argentea vel argenteo colore obducta, cum quinque granis incensi Cereo infigendis.

4. Thuribulum cum navicula.

5. Vasculum aquae sanctae cum aspersorio.

6. Manipulus, stola et dalmatica albi coloris.

7. Laterna cum exigua candela et ramentum sulphuratum ad accendendum lumen.

8. Prope eamdem mensam praeparabitur focus cum carbonibus accendendis, ut infra, et cum forcipe ferrea ad accipiendum ignem.

9. Arundo cum tricereo in summitate, ornata floribus seu veris seu fictis.

10. Altare maius exornabitur candelabris nobilibus cum cereis albi coloris, Cruce, tobaleis, tapeto et duplici pallio, videlicet violaceum superpositum erit albo. Aderunt etiam tabellae secretarum et in latere Epistolae pulvinus violaceus vel legile cum Missali aperto.

11. Basis marmorea vel lignea in latere Evangelii, in qua statuetur arundo.

12. In eodem latere Cereus Paschalis iam impositus candelabro et ante candelabrum ponetur scabellum gradatum in commodum Celebrantis, qui tempore debito quinque grana thuris infiget Cereo eidem: curabitur ut ellychnium sit ita diligenter compositum, ut facile accendi possit.

13. Ante vel etiam iuxta candelabrum aderit legile maius panno albi coloris contectum.

14. Lampades erunt ita compositae, ut facile accendi possint.

15. Super abaco Altaris maioris, cooperto alba tobalea, ponetur Missale pro praeconio et alterum pro Litaniis ac pulvinus albi coloris pro Missali, nisi adhibebitur legile.

16. Calix cum ornamentis albi coloris.

17. Ampullae vini et aquae in pelvicula.

18. Manutergium seu mappula.

19. Campanula.

20. Prope cornu Evangelii collocabitur scabellum nudum commoditati Celebrantis.

21. In sacristia quatuor superpellicea pro clericis, qui quatuor aderunt, amictus, alba, cingulum, manipulus et stola, pluviale cum planeta violacea; manipulus, stola et planeta albi coloris ac biretum pro Celebrante.

22. Crux processionalis.

23. Velum humerale album, intorticia et umbella pro referendo SS. Sacramento in ecclesiam post officium.

24. In baptisterio, si aderit, abacus coopertus albo mantili, super quo duae mappae maiores seu manutergia.

25. Vas. pro aqua benedicta et aspersorium.

26. Alia vasa ad hauriendam e fonte aquam benedictam.

27. Ampullae cum Oleis sanctis Chrismatis et Catechumenorum in lance argentea.

28. Urceus cum pelvi et manutergio pro abluendis manibus.

29. Medulla panis et mali medici ad tergendas manus et aliquantulum gossipii, seu bombacii.

30. Extra baptisterium, legile maioris formae cum Missali aperto.

31. Si administrabitur baptisma infantibus, praeparabitur etiam Rituale Romanum.

32. Pelvicula seu lanx cum sale.

33. Vascula cum Oleo sancto Catechumenorum et cum S. Chrismate in pelvicula.

34. Cochleare ad effundendam aquam baptismalem in caput baptizandorum.

35. Stola et pluviale albi coloris.
36. Mantile pro extergendo capite infantis.
37. Alterum mantile loco vestis candidae.
38. Candela, quae postea tradetur accensa baptizato.

In functione.

39. Hora praestituta pulsabitur crotalum extra ecclesiam ad annunciandum fidelibus functionis initium.

40. Quatuor clerici superpelliceum induent sibi supra vestem talarem et disponent res omnes suis locis indicatas, nisi iam preparatae fuerint.

41. Clericus unus indutus superpelliceo accendet ignem extra ecclesiam, et favillam eliciet e silice, siquidem hic ritus non caret mysterio.

42. Celebrans praeparationem ad Missam praemittet et quum omnia disposita erunt ut officii initium fiat, lavabit manus et adiuvantibus clericis induetur amictu, alba, cingulo, stola et pluviali violaceo.

43. Reverentia simul cum clericis faciet ad Crucem vel ad imaginem praecipuam sacrarii, caput operiet bireto et cum clericis proficiscetur ad portam principalem ecclesiae.

44. Praeibit primus clericus iunctis manibus, sequetur tertius gestans Crucem processionalem, postremo Celebrans medius inter secundum et quartum, qui fimbrias pluvialis eius sustinebunt.

45. Ad portam ecclesiae quum ventum erit, clericus tertius, subsistet in limine portae, humeris versis ad ipsam, et imagine Crucifixi conversa ad Celebrantem.

46. Celebrans accedet ad abacum ibi praeparatum, qui erit inter ipsum et Crucem.

47. In eo loco caput nudabit bireto, quod tradet secundo clerico; hic accipiet illud cum osculis consuetis et ponet in abaco.

48. Iunctis manibus ex Missali posito in legili recitabit voce convenienti *Dominus vobiscum* et orationem triplicem super

ignem et alteram super grana thuris. Secundus clericus animadvertet ad elevandam fimbriam dexteram pluvialis, quum Celebrans faciet signum Crucis versus ignem et versus grana.

49. Dum Celebrans dicet quartam orationem pro benedicendis granis, primus clericus accipiet thuribulum et forcipe novum ignem ponet in ipso, deinde relicta forcipe, accipiet naviculam.

50. Quartus clericus accedet ad dexteram Celebrantis et fimbriam pluvialis eius sublevabit, quum secundus ei ministrabit incensum cum osculis consuetis. Celebrans incensum in thuribulum sustentum a primo clerico iniiciet cum benedictione *Ab illo benedicaris*. etc.

51. Secundus clericus accipiet aspersorium et tradet Celebranti, qui ignem et grana thuris asperget in medio, a sinistris et a dextris suis, dicens submissa voce ant. *Asperges me* etc. Restituet aspersorium secundo clerico; hic reponet illud in vasculo et accipiet a primo thuribulum, quod tradet Celebranti. Celebrans ignem et grana adolebit, eodem modo ac supra, nihil dicens. Tum reddet thuribulum secundo clerico, et hic primo, qui, si opus fuerit, ignem in thuribulo renovabit.

52. Celebrans, adiuvante quarto clerico, dimittet pluviale cum stola violacea et induet sibi manipulum, stolam diaconalem et dalmaticam albi coloris.

53. Aderit aliquis, qui referat in sacrarium pluviale, stolam violaceam et biretum, et quum Celebrans ingressus fuerit in ecclesiam, reportabit in sacrarium res etiam illas, quae aderant super mensa vel abaco.

54. Interea secundus clericus ex igne benedicto accendet ramentum sulphuratum et ex ipso parvam candelam vel gossipium ceratum, quod abscondet in laterna et reponet in abaco.

55. Quartus clericus accipiet pelviculam, seu lancem cum granis incensi.

56. Secundus accedet rursus cum primo ad dexteram Celebrantis et ipsi ministrabit incensum cum osculis consuetis, quod Celebrans cum benedictione demittet in thuribulum.

57. Recepta a primo clerico navicula, secundus accipiet

arundinem cum tricereo, quam tradet Celebranti, deinde resumet laternam.

58. Procedetur ad benedictionem Cerei ordine sequenti:

59. Clericus quartus, ferens grana thuris, a dextris primi qui sustinebit thuribulum cum navicula: deinde tertius clericus gestans Crucem processionalem: sequetur Celebrans sustinens arundinem cum secundo clerico a sinistris, qui lumen in laterna conditum portabit.

60. Omnes in ecclesiam ingressi subsistent apud portam. Celebrans inclinabit, seu potius flectet arundinem, et secundus clericus accendet unam e candelis tricerei, Celebrans eriget arundinem, submittet genua et reliqui cum ipso, excepto clerico gestante Crucem. Tum Celebrans elata voce dicet *Lumen Christi*, et assurget ac ceteri omnes consurgent cum eo, respondentibus clericis *Deo gratias*.

61. Procedetur ad medium ecclesiae, accendetur altera candela et fiet ut antea, nisi quod Celebrans paullo amplius attollere vocem debet.

62. Denique devenietur ante Altare, accendetur tertia candela, ut supra, sed Celebrans elatiori etiam voce dicet *Lumen Christi*.

63. Responso a clericis tertia vice *Deo gratias*, primus cum thuribulo locum sibi sumet versus cornu Evangelii et quartus cum granis incensi versus partem Epistolae, tertius gestans Crucem adstabit a dexteris primo sustinenti thuribulum, et secundus cum laterna a sinistris quarto, qui feret grana, Celebrans autem cum arundine medius inter eos.

64. Secundus clericus responso ut supra, perget ad abacum, ibique deponet laternam et accipiet librum seu Missale pro praeconio, redibit ad Altare, librum tradet Celebranti et ab ipso accipiet arundinem.

65. Celebrans, accepto libro, submittet genua in medio gradu infimo, dicet *Jube Domine, benedicere. Dominus sit in corde meo et in labiis meis, ut digne et competenter annuntiem suum Paschale Praeconium. Amen.* Assurget, genuflexionem ad Altare faciet cum clericis, exceptis duobus quorum

alter Crucem processionalem sustinebit, alter arundinem, ac vadent ad legile praeparatum iuxta candelabrum cum Cereo, ordine sequenti: Thuriferarius cui adstabit a dexteris quartus clericus cum granis, tertius cum secundo a sinistris arundinem ferente, postremo Celebrans solus, sustinens Missale.

66. Ad legile quum venerint, se disponent recta linea, versa facie ad parietem oppositum, qui respondet lateri Epistolae Altaris maioris. Celebrans Missale imponet legili; clericus cum Cruce a dexteris Celebrantis, thuriferarius a sinistris clerici gestantis Crucem, clericus cum arundine a sinistris Celebrantis et alter cum granis a dextris clerici sustinentis arundinem.

67. Celebrans ponet Missale seu librum apertum super legile et accedente thuriferario accipiet thuribulum et librum adolebit in medio, a sinistris et a dexteris suis.

68. Celebrans commode et hilari voce leget Praeconium *Exultet iam* etc.

69. Post verba *curvat imperia,* discedet a legili cum clerico sustinente grana, ascendet scabellum gradatum et infiget Cereo quinque grana hoc ordine

1
4 2 5
3

quae clericus idem ei ministrabit.

70. Celebrans revertetur ad Missale et prosequetur praeconium ad verba *In huius igitur* etc.

71. Quartus clericus perget ad abacum, relinquet ibi pelviculam, quae continebat grana, accipiet gossipium ceratum seu parvam candelam accensam in laterna et ad suum locum redibit.

72. Ad verba *rutilans ignis accendit,* Celebrans accedet ad Cereum, accipiet a secundo clerico arundinem, et ex ipsa accendet Cereum. Deinde clericus cum arundine redibit ad locum suum et Celebrans reversus ad legile prosequetur *Qui licet sit divisus* etc. usque ad verba *apis mater eduxit.*

73. Post haec verba Celebrans abrumpet lectionem et cle-

ricus quartus circumibit ecclesiam accendens lampades candelula gossipio cerato.

74. Lampadibus accensis, Celebrans prosequetur praeconium usque ad finem.

75. Completo praeconio, secundus clericus portabit arundinem prope latus Evangelii et firmabit ipsam in sua basi, tertius relinquet Crucem processionalem apud parietem in eodem latere.

76. Celebrans simul cum clericis faciet in medio ante Altare genuflexionem ad Crucem et praecedentibus duobus clericis nempe thuriferario et qui ferebat grana, deinde secundo ac tertio, redibit in sacrarium, ubi deponet dalmaticam, stolam et manipulum albi coloris ac sibi induet manipulum, stolam et planetam violaceam.

77. Interea clericus quartus redibit ad Altare, tollet de legili pannum sericum adhibitum pro lectione praeconii, et deferet legile nudum cum Missali ad fontem baptismalem, vel si deerit fons, illa omnia referet in sacrarium.

78. Celebrans, accepto bireto, reverentiam una cum clericis faciet ad Crucem vel ad imaginem principalem sacrarii et capite bireto cooperto ac iunctis manibus redibit ad Altare, praecedentibus clericis.

79. Ante Altare quum venerit, nudabit caput, biretum tradet secundo clerico, reverentiam faciet ad Crucem, ascendet ad Altare et osculabitur ipsum in medio, transibit in cornu Epistolae et leget alta voce duodecim prophetias. Post unamquamque ipsarum dicet *Oremus. Flectamus genua* et genuflctet, ac secundus clericus respondebit *Levate*; tum assurget et subiunget orationem.

80. Clerici in accessu ad Altare genuflexionem facient ad Crucem. Secundus cum tertio stabunt ante gradum infimum a lateribus, reliqui duo apud abacum.

81. Advertet Celebrans, quod legendus est etiam Tractus quum notatus in Missali erit, et omittendus ℣. *Flectamus genua* ante duodecimam orationem.

82. Post ultimam orationem, Celebrans reverentiam faciet ad Crucem et descendens a latere de Altari perget ad scabel-

lum positum prope abacum in latere Epistolae ibique dimittet planetam et manipulum.

83. Si ecclesia habuerit fontem baptismalem, Celebrans induetur pluviali violaceo, quod ibi iam delatum erit a quarto clerico.

84. Clericus primus Cereum Paschalem tollet de candelabro et deferens illum utraque manu veniet ante Altare prope ingressum presbyterii. Tertius accipiet Crucem processionalem veniet et ipse ante Altare et subsistet a dexteris clerici sustinentis Cereum.

85. Celebrans procedet ante Altare medius inter secundum et quartum clericum qui pluviale eius sustinebunt. Secundus autem advertet ut ferat etiam biretum Celebrantis et Missale, vel exemplar huius libri pro recitando tractu, ut infra.

86. Celebrans cum clericis ante Altare progressus, reverentiam faciet ad Crucem, clerici autem genuflexionem.

87. Secundus clericus Celebranti biretum et librum dabit.

88. Celebrans incipiet tractum, caput cooperiet et proficiscetur ad fontem, alta voce cum clericis recitans tractum praedictum.

89. Praebit clericus gestans Cereum, alter deinde cum Cruce et post eos Celebrans medius inter reliquos duos.

Tractus. ℣. Sicut cervus desíderat ad fontes aquárum: ita desíderat ánima mea ad te, Deus.

℣. Sitívit ánima mea ad Deum vivum: quando véniam et apparébo ante fáciem Dei?

℣. Fuérunt mihi lácrymae meae panes die ac nocte, dum dícitur mihi: ubi est Deus tuus?

90. Quum venerint ad cancellos sive ad ingressum baptisterii, omnes consistent. Celebrans nudabit caput ac biretum tradet secundo clerico, et stante Cruce ante ipsum, dicet *Dominus vobiscum* et orationem *Omnipotens sempiterne Deus, respice propitius* etc. iunctis manibus. Missale collocatum erit super legili maioris formae, ut supra dictum est, vel etiam sustinebitur ante Celebrantem a quarto clerico.

91. Post primam orationem Celebrans cum clericis introibit in sacellum baptisterii, si capax locus erit secus accedet ad fontem quatenus poterit.

92. Clericus cum Cruce stabit semper e regione Celebrantis et alter cum Cereo adstabit illi.

93. Celebrans iunctis manibus dicet *Dominus vobiscum*, orationem *Omnipotens sempiterne Deus, adesto* etc. et praefationem etiam iunctis manibus. Missale sustinebitur a quarto clerico, vel imponetur legili, quod transferetur et collocabitur apud fontem.

94. In recitanda praefatione exsequetur actiones ibi indicatas, videlicet post verba *gratiam de Spiritu Sancto*, dividet aquam manu dextera, quam exterget mantili, quod ei porrigetur a secundo clerico. Post verba *non inficiendo corrumpat*, tanget aquam dextera, quam immediate terget, ut supra. Post verba *indulgentiam consequatur* triplex signum Crucis faciet dextera versus fontem. Post verba *super te ferebatur*, dividet aquam dextera et fundet illam versus quatuor ventos orientem, occidentem aquilonem et austrum hoc modo

1
3 4
2

Post verba *in nomine Patris . . . Spiritus Sancti*, mutabit tonum, vocem aliquantum supprimens. Post verba *tu benignus aspira* ter halitabit super aquam in modum Crucis. Post verba *purificandis mentibus efficaces*, eodem vocis tono quo recitaverit praefationem, accipiet a primo clerico Cereum et immergens ipsum aliquantulum in aquam, dicet *Descendat in hanc plenitudinem* etc. deinde extrahet illum. Iterum deinde Cereum in aquam immerget paullo profundius et aliquantulum etiam attollens vocem, dicet *Descendat* etc. ut supra. Educet Cereum ac tertia vice paullo profundius immerget et altiori etiam voce dicet *Descendat* etc. Postea super aquam sufflabit tribus vicibus in modum literae graecae ψ, dicet *Totamque huius aquae* etc. et post verba *foecundet effectu* extrahet Cereum e fonte ac

reddet illum primo clerico, qui animadvertet ad abstergendum ipsum uno e mantilibus praeparatis in abaco. Perget Celebrans recitare praefationem *Hic omnium peccatorum* etc. Conclusionem autem *Per Dominum nostrum* etc. recitabit voce submissiori.

95. Secundus clericus in omnibus istis actionibus advertet ut fimbriam dexteram pluvialis Celebrantis sustollat; quod etiam exsequetur in aliis, quas paullo inferius notabimus.

96. Secundus clericus accipiet vasculum aquae sanctae et implebit ipsum aqua nuper benedicta in fonte, et acceptum aspersorium porriget Celebranti.

97. Celebrans immerget aspersorium in aquam benedictam et ipsa asperget seipsum et adstantes. Postea medius inter secundum et quartum clericum per ecclesiam asperget aqua benedicta adstantes et redibit ad fontem.

98. Quartus clericus, adiuvante secundo, extrahet unum vel plura vasa aquae benedictae a fonte, ut pars infundatur in fontes lustrales ecclesiae, pars servetur pro benedictione domorum, pro aspersione Dominicae sequentis et in usum fidelium.

99. Extracta, ut supra, aqua, Celebrans cum duobus praedictis clericis accedet iterum ad fontem et accepta ampulla cum Oleo sancto Catechumenorum, aliquantulum ipsius infundet in aquam, quae erit in fonte, dicens *Sanctificetur* etc. Deinde accipiet ampullam S. Chrismatis et ipsius aliquantulum infundet in aquam cum formula *Infusio Chrismatis* etc. Postea manu dextera accipiet utramque ampullam Oleorum et aliquantulum ipsorum in aquam infundet cum formula *Commixtio Chrismatis.* etc.

100. Relictis ampullis in pelvicula, Celebrans extremitate manus dexterae sparget et miscebit leviter Olea sancta cum aqua benedicta et manum exterget aliquantulo gossipio.

101. Quartus clericus porriget ei manuum ablutionem cum urceo et pelvi et secundus medullam panis et mali medici, qua mundabit manus, et mantile, quo absterget illas.

102. Deinde Celebrans batipsmum administrabit infantibus methodo sequenti.

103. Remanebit apud fontem clericus sustinens Cereum. Celebrans, praeeunte Cruce, et comitante secundo et quarto clerico, qui gestabit Rituale, perget ad portam ecclesiae, extra quam aderunt baptizandi cum suis compatribus.

104. Ibi Celebrans incipiet catechismum, ut praescribitur in Rituali, quemadmodum notabimus cap. 1. et 2. lib. IV.

105. Imponet deinde Celebrans extremitatem sinistram stolae super infantem, dicens *N. ingredere in templum Dei.* etc.

106. Tum peraget ritum exorcismorum extra baptisterium sed priusquam ingrediatur in baptisterium ad baptismum administrandum, adiuvante quarto clerico dimittet pluviale cum stola violacea et adiuvante secundo induet sibi stolam cum pluviali albi coloris. Introibit in baptisterium et progressus ad fontem administrabit baptismum.

107. Administrato baptismo, lavabit manus, dimittet pluviale et stolam albi coloris ac resumet stolam cum pluviali coloris violacei.

108. Redibit ad Altare medius inter secundum et quartum clericum, praeeuntibus clerico cum Cereo, post ipsum altero cum Cruce processionali.

109. Quum ventum erit ad Altare, primus clericus reponet Cereum in candelabro, tertius applicabit Crucem parieti prope latus Evangelii.

110. Clericus tertius accipiet scabellum cum Missali et ponet ipsum in medio suppedanei.

111. Celebrans quum steterit ante Altare, nudabit caput, biretum tradet secundo clerico et reverentiam faciet ad Crucem. Secundus et quartus genuflectent.

112. Celebrans dimittet pluviale, genua submittet apud scabellum et recitabit Litanias, Clerici genibus flexis adstabunt a lateribus eius et respondebunt repetentes versiculos ab ipso recitatos.

113. Ad ℣. *Peccatores* primus clericus cum tertio amovebunt pallium violaceum et relinquent album; tollent etiam a Missali Altaris pulvinum violaceum et illi substituent alterum albi coloris, deinde accendent candelas Altaris.

114. Celebrans prosequetur Litanias ad totum versiculum *Christe exaudi nos.* Assurget, reverentiam facit ad Crucem et accepto bireto cooperiet caput ac simul cum clericis in sacrarium revertetur.

115. Ibi exuet sibi stolam violaceam, induet manipulum, stolam et planetam albi coloris, caput bireto cooperiet ac redibit ad Altare.

116. Ante Altare nudabit caput, reverentiam faciet ad Crucem et exordietur Missam cum psalmo *Judica me, Deus* etc. et cum *Gloria Patri.* Ascendet ad Altare, dicet orationem *Aufer a nobis* etc. osculabitur Altare in medio, ibique, non in cornu Epistolae, recitabit *Kyrie,* postea *Gloria in excelsis* et campanae festivo more pulsabuntur.

117. Primus clericus solvet velum quod cooperiebat imaginem Altaris atque ita imago seu tela picta Altaris detegetur.

118. Post Epistolam Celebrans tribus vicibus dicet *Alleluia,* gradatim elevans vocem et clerici quoque respondebunt *Alleluia* singulis vicibus, deinde prosequetur versiculum et tractum. Non recitabit *Credo* et post *Dominus vobiscum* et *Oremus* non recitabit ℣. offertorii. Omittet etiam *Agnus Dei,* nec Pax donabitur.

119. Loco ℣. *Communio* recitabit Vesperas, videlicet vadet ad Missale in cornu Epistolae, recitabit antiphonae *Alleluia* etc. et cum clericis prosequetur alternatim psalmum *Laudate Dominum omnes gentes* etc. cum *Gloria Patri* et in fine repetet praedictam antiphonam *Alleluia* etc. Postea subiunget alteram Antiphonam *Vespere autem Sabbati* etc. et alternatim cum clericis recitabit canticum *Magnificat* cum *Gloria Patri* et in fine repetet antiphonam paullo ante indicatam.

120. Redibit ad medium Altaris, dicet *Dominus vobiscum* conversus ad populum et reversus ad Missale leget *Postcommunio.* Redibit ad medium Altaris, dicet conversus ad populum *Dominus vobiscum. Ite Missa est Alleluia Alleluia* et Missam absolvet.

121. Post Missam redibit in sacrarium, deponet paramenta sacra et induet sibi superpelliceum cum stola albi coloris.

122. Dum dimittet, ut supra, paramenta, unus e clericis disponet ea omnia, quae opus erunt ad referendum in ecclesiam SS. Sacramentum, observans ritum superius notatum cap. IV. num. 71. et seq. in Coena Domini.

123. Redibit postea Celebrans in sacrarium et dimissa stola cum superpelliceo, recitabit preces pro gratiarum actione.

124. Clerici redibunt ad Altare, extinguent candelas et Cereum, et referent in sacrarium illa omnia, quae adhibita erunt in functione, non excepta arundine cum tricereo et basi.

DE SABBATO PENTECOSTES

CAPUT VII.

1. Ecclesiae, in quibus adest fons baptismalis, tenentur functionem peragere huius diei, nec licet Parochis ipsam omittere.

Quae sint praeparanda

2. E conchis aquae sanctae in limine ecclesiae amovebitur aqua benedicta paullo ante functionem, ut ibi substituatur alia recens quae benedicetur in baptisterio.

3. Altare maius exornabitur candelabris nobilibus cum candelis albis, Cruce, tobaleis ac tapeto. Apponetur duplex pallium, videlicet violaceum superpositum rubro, itemque si ibi custodietur SS. Sacramentum, tabernaculum cooperietur conopeo violaceo superposito alteri rubro. Aderunt tabellae secretarum et in cornu Epistolae Missale super legili vel cussino violaceo.

4. Lampades in Ecclesia ardebunt.

5. Super abaco ipsius Altaris cooperto mantili albo praeparabitur Missale adhibendum pro Litaniis, cussinus rubri coloris pro Missali Altaris, nisi adhibebitur legile, calix cum ornamentis coloris rubri, ampullae vini, et aquae in pelvicula, manutergium seu mappula, campanula et pluviale coloris violacei pro Celebrante.

6. Prope eundem abacum applicitus erit Cereus Paschalis extinctus cum quinque granis incensi infixis et Crux processionalis.

7. Item prope abacum aderit scabellum nudum in usum Celebrantis.

8. In sacrario, seu sacristia quatuor superpellicea pro quatuor clericis; amictus, alba, cingulum, manipulus, stola et planeta coloris violacei et biretum pro Celebrante, et manipulus, stola et planeta coloris rubri.

9. Pridie extrahetur e baptisterio seu fonte baptismali aqua consecrata, mundabitur fons et replebitur alia aqua recenti et limpida.

10. Prope baptisterium praeparabitur abacus coopertus alba tobalea, in quo ponentur duo mantilia seu manutergia grandiora; vas pro aqua benedicta cum aspersorio, altera vasa ad hauriendam e fonte aquam benedictam, ampullae cum Oleis sanctis Chrismatis et Catechumenorum in lance argentea, urceus cum pelvi et manutergio pro lotione manuum, medulla panis et mali medici ad tergendas manus et aliquantulum bombacii. Aderit etiam legile maioris formae cum Missali aperto.

11. Si baptismum infantibus administrabitur, praeparabitur super abaco rituale Romanum, pelvicula cum sale, vascula cum Oleo sancto Catechumenorum et cum sacro Chrismate in lance argentea, cochleare ad fundendam aquam baptismalem in caput baptizandorum, stola et pluviale albi coloris, mantile vel plura mantilia pro abstergendo capite baptizandorum, alterum mantile loco vestis candidae et candela tradenda accensa baptizato.

In functione

12. Ad festivum campanarum sonum congregabitur populus in ecclesiam.

13. Quatuor clerici supra vestem talarem induentur superpelliceo et in Altari et super abacis praeparabunt res superius notatas, nisi iam essent dispositae.

14. Celebrans praeparationem ad Missam praemittet ac

quum omnia disposita erunt ad functionis initium faciendum lavabit manus et adiuvantibus clericis sibi induet amictum, albam, cingulum, manipulum, stolam et planetam violaceam.

15. Faciet simul cum clericis reverentiam ad Crucem vel ad imaginem principalem sacrarii, caput bireto cooperiet ac praecedentibus clericis proficiscetur ad Altare maius.

16. Ante Altare deteget caput, biretum tradet secundo clerico, reverentiam faciet ad Crucem, vel genuflexionem, si aderit SS. Sacramentum, ascendet ad Altare, osculabitur in medio et vadet in cornu Epistolae, ubi elata voce leget sex prophetias cum tractu respectivo quum notatus erit et post unamquamque prophetiam recitabit orationem apertis manibus sine ℣. *Flectamus genua.*

17. Clerici in accessu ad Altare facient genuflexionem ad Crucem. Secundus ac tertius clericus stabunt pedibus ante infimum gradum in lateribus et reliqui duo ante abacum.

18. Dum a Celebrante legetur sexta prophetia, primus clericus accendet et in promptu habebit Cereum paschalem pro benedictione fontis.

19. Post ultimam orationem Celebrans faciet reverentiam ad Crucem, descendet a latere de Altari et perget ad scabellum, quod positum erit prope abacum in latere Epistolae et ibi exuetur planeta et manipulo.

20. Celebrans, adiutus a secundo clerico, induetur pluviali violaceo.

21. Primus accipiet Cereum iam accensum et elatum sustinens illum utraque manu procedet ante Altare apud ingressum presbyterii. Tertius accipiet Crucem processionalem procedet ipse quoque ante Altare et se sistet a dexteris primi sustinentis Cereum.

22. Celebrans procedet ante Altare medius inter secundum et quartum clericum, qui fimbrias pluvialis eius sustinebunt. Secundus autem advertet, ut secum ferat biretum Celebrantis et Missale vel exemplar huius libri pro recitando tractu, ut infra.

23. Celebrans cum clericis ante Altare reverentiam faciet

ad Crucem (vel genuflexionem, si aderit SS. Sacramentum) clerici autem genuflexionem.

24. Secundus dabit Celebranti biretum et librum.

25. Celebrans incipiet tractum, cooperiet caput et proficiscetur ad fontem, recitans alta voce cum clericis tractum praedictum.

26. Praecedet clericus cum Cereo, alter cum Cruce et post ipsum Celebrans medius inter alios duos.

Tractus ℣. Sicut cervus desíderat ad fontes aquárum: ita desíderat ánima mea ad te, Deus.

℣. Sitívit ánima mea ad Deum vivum: quando véniam et apparébo ante fáciem Dei?

℣. Fuérunt mihi lácrymae meae panes die ac nocte, dum dícitur mihi: ubi est Deus tuus?

27. Quum venerint ad cancellos sive ad ingressum baptisterii, omnes consistent. Celebrans nudabit caput, biretum tradet secundo clerico et stante contra ipsum tertio clerico, qui sustinebit Crucem processionalem, dicet *Dominus vobiscum* et iunctis manibus subiunget orationem *Concede quaesumus, omnipotens Deus* etc. Missale positum erit super legili maioris formae, ut supra dictum est, vel etiam sustinebitur a quarto clerico ante Celebrantem.

28. Post hanc orationem Celebrans cum clericis introibit in aediculam baptisterii, si capax erit locus, vel accedet ad fontem et benedictionem ipsius peraget ritu superius praescripto in Sabbato sancto a num. 92. usque ad 101. cap. VI. Postea baptismum administrabit infantibus, si aderunt, observans ritum ibidem praescriptum.

29. Administrato baptismo, lavabit manus, dimittet pluviale cum stola albi coloris et rursus induet sibi stolam cum pluviali violaceo.

30. Redibit ad Altare cum secundo et quarto clerico a lateribus eius adstantibus, qui fimbrias pluvialis sustinebunt, praecedente clerico ferente Cereum et altero gestante Crucem.

31. Quum ventum erit ad Altare, primus clericus extinguet Cereum et referet ipsum in sacrarium, vel etiam relinquet prope abacum quo loco praeparatus fuerat ab initio: tertius deponet Crucem ad parietem in latere Evangelii.

32. Tertius accipiet scabellum cum Missali et ponet ipsum in medio suppedaneo.

33. Celebrans ante Altare progressus nudabit caput, biretum tradet secundo clerico et reverentiam ad Crucem vel genuflexionem faciet, si custodietur ibi SS. Sacramentum. Secundus et quartus facient genuflexionem.

34. Postea Celebrans dimittet pluviale; genua submittet ante scabellum et recitabit Litanias. Clerici genibus flexis adstabunt lateribus eius et respondebunt repetentes versiculos, quos Celebrans recitaverit.

35. Ad versiculum *Peccatores* primus clericus cum tertio detrahent Altari pallium violaceum et relinquent ibi alterum rubri coloris: tollent de Missali Altaris cussinum violaceum et substituent alterum rubrum; accendent cereos Altaris, ac si asservabitur ibi SS. Sacramentum, advertent ut detrahant de tabernaculo conopoeum violaceum et relinquant in eo vel substituant alterum rubri coloris.

36. Celebrans prosequetur Litanias usque ad totum versiculum *Christe exaudi nos.* Deinde assurget, reverentiam faciet ad Crucem (vel genuflexionem ad Sacramentum) et accepto bireto cooperiet caput et simul cum clericis in sacrarium redibit.

37. Ibi deponet stolam violaceam et assumet manipulum, stolam, et planetam rubri coloris, caput cooperiet bireto et revertetur ad Altare.

38. Ante Altare nudabit caput, reverentiam faciet ad Crucem (vel genuflexionem si ibi aderit SS. Sacramentum) et inchoabit Missam. Ascendet ad Altare, orationem recitans *Aufer a nobis* etc. osculabitur illud in medio, postea immediate subiunget *Kyrie eleison* et *Gloria in excelsis* ac tum festivo more pulsabuntur campanae.

39. In reliqua Missae parte nihil variandum de ritu solito occurrit.

DE EXPOSITIONE ET BENEDICTIONE CUM SS. SACRAMENTO

CAPUT VIII.

1. Expositio et benedictio cum SS. Sacramento a rubricis praescribitur in festo et in tota octava solemnitatis Corporis Domini.

2. Si quis velit hunc ritum peragere alio tempore et in aliis circumstantiis, opus est ut facultatem explicitam obtineat ab Episcopo ordinario.

De rebus praeparandis

3. Expositio fiet in Altari maiore, quoniam in paroeciis ruralibus unicum esse solet, ac si adsunt et alia, non sunt fortasse ad hanc functionem apposita, propter decentiam quam ipsa requirit.

4. Super Altare, videlicet in medio gradu candelabrorum ita, ut ne mensam impediat, statuetur thronus, in quo exponetur SS. Sacramentum. Thronus seu baldachinum elevatum erit aliqua basi vel fulcimento, non tamen tali altitudine ut conscendere mensam Altaris cogatur Sacerdos, qui ibi collocaturus erit Ostensorium, siquidem praeter defectum decentiae, esset etiam impedimento, quum nemo alius adsit Sacerdos, nisi qui indutus erit pluviali.

5. Decenter autem ornatus erit thronus et coloris albi nec probari potest usus quarumdam ecclesiarum, quae solent affigere pannum sericum rubri coloris in cavo ipsius throni, ut amplius emineat splendor Ostensorii.

6. In plano throni in quo collocandum erit Ostensorium ponetur explicatum corporale mundum seu palla, in qua possit commode statui Ostensorium.

7. Super Altari ipso iam aderit tabernaculum seu ciborium, in quo asservabitur SS. Sacramentum.

8. A lateribus throni disponentur candelabra cum cereis: numerus candelarum ardentium dependet a consuetudine cuiusque loci et legibus synodalibus vel etiam a dispositionibus, quas dabit Episcopus proprius.

9. Altare exornabitur pallio albi coloris, quodcumque sit officium, quod praesenti die celebretur, idque toto expositionis tempore; gradus quibus ascenditur ad Altare, cooperientur tapeto. Ex uno latere apponetur scabellum, seu scabellum gradatum in commodum Celebrantis, qui expositurus erit SS. Sacramentum.

10. Praeparabitur in sacrario pluviale cum stola albi coloris, superpelliceum et biretum pro Celebrante; tria superpellicea pro clericis; Ostensorium albo velo contectum; corporale explicandum super Altari positum intra bursam albi coloris; velum humerale albi coloris; clavicula tabernaculi seu ciborii; thuribulum et navicula cum thure et cochleari; liber precum et orationis. Si qua confraternitas intervenerit, poterunt etiam praeparari duo intorticia.

In functione

11. Signum sacri officii populo dabitur campanarum sonitu, quae una vel pluribus vicibus pulsabuntur iuxta cuiusque loci consuetudinem.

12. Hora praestituta congregabuntur in sacrarium Parochus cum tribus clericis, et hi supra vestem talarem induent sibi superpelliceum.

13. Unus illorum accendet cereos Altaris, alter ad Altare deferet Ostensorium, bursam cum corporali et claviculam, quae omnia ponet in Altari prope medium, super abaco ponet velum humerale; librum autem precum ponere poterit super gradus Altaris versus partem dexteram. Amovebit etiam ab Altari tabellas secretarum ac telam stragulam, nisi iam remotae fuerint.

14. Clericus alter, qui remanebit in sacrario, adiuvabit Parochum in induendis paramentis, nempe superpelliceo, stola et pluviali, ac praeparabit ignem in thuribulo.

15. Si aderit aliqua Confraternitas, duo confratres induti sacco poterunt sustinere intorticia ardentia.

16. Quum in sacrarium redierint reliqui duo clerici ideoque omnia disposita erunt ad incipiendum officium, clericus tertius accipiet thuribulum cum navicula et primus cum secundo assistent Celebranti.

17. Celebrans cum clericis, reverentia facta ad Crucem vel ad imaginem principalem sacrarii, procedent ad Altare.

18. Praecedent duo confratres cum intorticiis ardentibus si aderunt, et qui incedet dextrorsum sustinebit intorticium dextera et qui sinistrorsum, sustinebit sinistra; deinde tertius clericus cum thuribulo, postremo Celebrans capite cooperto et iunctis manibus medius inter primum et secundum clericum, qui fimbrias pluvialis eius sustinebunt.

19. Quum venerint ad Altare, confratres consistent extra presbyterium hinc inde a lateribus. Clericus tertius cum thuribulo subsistet versus partem Epistolae et Celebrans cum duobus clericis ante Altare: Celebrans nudabit caput, biretum tradet primo clerico, qui ei adstabit a dexteris et ab omnibus genuflexio fiet in pavimento.

20. Duo illi confratres genua submittent extra balaustrium presbyterii, thuriferarius remanebit suo loco stans pedibus, primus clericus genua submittet in infimo gradu et super eodem deponet biretum Celebrantis, secundus accipiet scabellum seu brevem scalam et deferet ipsam super suppedaneum versus partem Evangelii, ubi consistet flexis genibus ac Celebrans in suppedaneum ascendet.

21. Celebrans, conscenso suppedaneo, accipiet bursam, extrahet corporale, ponet bursam prope candelabra in latere Evangelii et corporale explicabit in medio Altaris: deinde velum detrahet Ostensorio, quod ponet super corporale ac velum deponet ex una parte, accipiet claviculam, aperiet ostiolum tabernaculi, et genuflectet: extrahet pixidem seu capsulam in qua aderit s. Hostia, ponet illam super corporale, claudet porticulam tabernaculi, aperiet crystallum Ostensorii et aperta pixide seu capsula, sumptam lunulam cum sacra Hostia collocabit in

Ostensorio; claudet crystallum, deinde etiam capsulam seu pixidem, convertet Ostensorium ex parte anteriori, collocabit illud in medio Altari et genuflexionem faciet unico genu.

22. Postea surget, recedet aliquantulum ad latus Epistolae, et posito a secundo clerico scabello seu brevi scala, accipiet Ostensorium dextera et conscenso scabello, ponet illud in throno. Postquam descenderit in suppedaneum, iterabit genuflexionem et de Altari descendet, advertens ne tergum directe vertat ad SS. Sacramentum. Secundus clericus amovebit scabellum de suppedaneo, deinde ad locum suum redibit a sinistris Celebrantis.

23. Celebrans ante Altare postquam descenderit, genuflexionem duplicem faciet in infimo gradu, postea consurget simul cum clericis. Accedet ad medium Altaris tertius clericus cum thuribulo, secundus proximabit dexterae Celebrantis et fimbriam dexteram pluvialis eius sublevabit, primus accipiet naviculam et incensum sine osculis ministrabit Celebranti, qui demittet illud sine benedictione in thuribulum ipsi praesentatum a tertio clerico stante.

24. Rursus cum primo et secundo clerico Celebrans submittet genua in medio gradu infimo, ac tertius genibus flexis adstabit dexterae primi clerici. Hic acceptum thuribulum tradet sine osculis Celebranti, qui SS. Sacramentum incensabit, et post thurificationem restituet thuribulum primo clerico, hic autem tertio.

25. Clericus tertius recipiet thuribulum et facta genuflexione duplici in pavimento, referet illud in sacrarium ibique deponet, si functio erit aliquantulum prolixa, vel etiam ipsum relinquet apud abacum et redibit ad locum suum ubi genua submittet prope primum. Confratres etiam cum intorticiis facta genuflexione, ut supra, redibunt ad locum suum; secus remanebunt ibi cum intorticiis accensis.

26. Preces et orationes recitandae, recognitae et adprobatae ab Episcopo vel ab ipsius Vicario generali esse debent.

27. Sub finem precum et orationum statutarum redibunt in sacrarium duo praedicti confratres ac tertius clericus, qui recipient respective intorticia et thuribulum, redibunt ad Altare,

genuflexionem efficient, ibique suum quisque locum recipient, ut functionis initio notatum fuit.

28. Completa recitatione precum et orationum, Celebrans cum primo et secundo clerico assurget et ad eum accedet tertius cum thuribulo, qui naviculam tradet primo. Secundus accedet ad dexteram Celebrantis et fimbriam dexteram pluvialis eius sublevabit. Celebrans, ministrante ei primo clerico incensum sine benedictione demittet in thuribulum, quod ipsi praesentabit clericus tertius non genuflexus, sed stans.

29. Celebrans cum clericis rursus genua submittet in medio gradu infimo ac tertius clericus a dexteris primi.

30. Celebrans cum clericis intonabunt ℣. *Tantum ergo* et adstantes illnm prosequentur cantare. Ad verba *veneremur cernui* fiet ab omnibus inclinatio profunda. Clericus tertius thuribulum tradet primo et hic Celebranti, qui SS. Sacramentum thurificabit.

31. Post thurificationem Celebrans thuribulum restituet primo clerico et iste tertio, qui thuribulum vel referet in sacrarium vel deponet apud abacum (*a*) ex quo accipiet velum humerale et redibit ad dexteram primi ibique genua flectet.

32. Interea cantabitur tota altera strophe *Genitori Genitoque* etc. post quam subiungetur ℣. *Panem de coelo* etc.

33. Responso ab adstantibus *Omne delectamentum* etc. assurget Celebrans sine ulla alia genufiexione vel inclinatione et stans pedibus ac iunctis manibus, tono feriali e libro, quem ei sustinebunt primus et secundus clericus genuflexi, cantabit orationem *Deus, qui nobis* etc. cum brevi conclusione *Qui vivis et regnas in saecula saeculorum* et ab adstantibus respondebitur *Amen*.

34. Celebrans genuflexionem faciet et ascendet in suppedaneum simul cum primo clerico, dum secundus deferet in suppedaneum scabellum gradatum.

35. Celebrans, conscenso suppedaneo, iterabit genuflexionem et in scabellum gradatum appositum a secundo clerico ascen-

(*a*) Inspiciatur adnotatio num. 54 cap. XI. lib. II.

det, Ostensorium e throno accipiet et super Altari ponet in medio corporali expanso. Statim ac Celebrans descenderit, scabellum removebitur a secundo clerico, qui redibit ad extremitatem suppedanei ubi genua submittet a sinistris Celebrantis.

36. Genua submittet Celebrans in suppedaneo et a primo clerico velum humerale imponetur humeris eius et ante pectus alligabitur; ipse autem clericus postea genua submittet in extremitate suppedanei a dexteris Celebrantis.

37. Assurget Celebrans, convertet Ostensorium, ut pars anterior spectet ad populum, et manibus contectis extremitatibus anterioribus veli humeralis, Ostensorium accipiet dextera ad nodum, sinistra infra pedem, deinde convertetur super sinistram suam ad populum et benedictionem SS. Sacramenti impertietur. Primus et secundus clericus in hac actione sustinebunt hinc inde elatas fimbrias eius pluvialis.

38. Sacra Rituum Congregatio quo modo sit donanda benedictio SS. Sacramenti declaravit his verbis « Collen. ad dub. « 2. An in benedicendo populum cum SS. Sacramento sit ser- « vandus modus infrascriptus. Cum Sacerdos stat ante populum « Ostensorium ante pectus tenet, tum elevat illud decenti mora « non supra caput, sed tantum usque ad oculos et eodem modo « illud dimittit infra pectus et deinde ad sinistrum humerum « et reducit ad dexterum et rursus ante pectus reducit, ibique « aliquantulum sistit, quasi peracta ad omnes Mundi partes « Cruce, eam etiam venerandam omnibus praebet, tunc girum « perficiens collocat Ostensorium super Altare. *Michael Baul-* « *dry* part. 4. cap. 16. art. 3. et 34. pag. 481. *Theophil. Pi-* « *tonell.* de depositione SS. Sacramenti lib. III. cap. 2. num. 8. « Et eadem S. C. respondit — *Si ei placet, potest observare supradictum modum, quem tradit* idem Bauldry loc. cit. *sin minus; servandus est modus dispositus* in Caeremoniali Episcoporum lib. II. cap. 23. *ubi requiritur tantummodo ut cum eodem SS. Sacramento Celebrans producat signum Crucis super populum* — Et ita declaravit. Hac die 21. Martii 1676. (Coll. auth. num. 2624.) Ritus secundo loco innutus in decreto, est communius receptus.

39. Celebrans advertet ne nimium elevet, neu nimis inclinet inconcinne Ostensorium, sed rectum sustineat non vero curvatum versus seipsum aut versus populum ac tum nimiam cunctationem fugiat, tum nimiam celeritatem.

40. Celebrans conversus iterum ad Altare post benedictionem, deponet, ibi in medio corporali Ostensorium, quod postquam velum manibus detraxerit, convertet, ut pars anterior Ostensorii ipsius respiciat populum. Deinde genua submittet in suppedaneo eique a primo clerico detrahetur ex humeris velum humerale.

41. Assurget Celebrans et sine ulla alia genuflexione, convertet aliquantulum Ostensorium et aperiet crystallum spherae: accipiet manu sinistra capsulam seu pixidem et aperiet dextera; sumet ex Ostensorio s. Hostiam cum lunula eamque ponet in pixide seu capsula, quam claudet et collocabit in medio corporali: claudet etiam dextera crystallum spherae et sinistra ponet Ostensorium extra corporale; aperiet ostiolum tabernaculi, ubi reponet Sacramentum cum custodia praedicta, genuflexionem faciet, assurget, claudet ostiolum tabernaculi; claviculam relinquet in Altari et de ipso descendet, se paullum convertens super sinistram suam.

42. Clericus primus velum humerale recipiet et referet ad abacum, accipiet biretum Celebrantis et una cum secundo aderit ante infimum gradum ut se adiungat illi. Tertius si deposuerit thuribulum apud abacum, recipiet illud et cum ipso subsistet ad ingressum presbyterii; sin minus stabit ibi iunctis manibus.

43. Postquam Celebrans de Altari descenderit, genuflexionem in pavimento conficiet una cum clericis et confratribus et accepto a primo clerico bireto, cooperiet caput et in sacrarium revertetur.

44. Praecedent duo praedicti Confratres, si aderunt, sustinentes intorticia accensa, tertius clericus cum thuribulo vel iunctis manibus, ultimo loco Celebrans medius inter primum et secundum clericum, qui fimbrias pluvialis eius elatas sustinebunt.

45. Quum ingressi erunt in sacrarium, reverentiam facient ad Crucem, et Celebrans adiuvantibus clericis deponet pluviale, stolam et superpelliceum.

46. Tandem clerici redibunt iterum ad Altare, extinguent cereos et referent in sacrarium omnia ea quae in sacra functione adhibita fuerint.

DE PROCESSIONE IN FESTO SS. CORPORIS CHRISTI

CAPUT IX.

1. In paroeciis ruralibus clero carentibus, facienda erit Processio solemnis in festo SS. Corporis Christi et curae erit Parocho, ut evadat decora et decens quatenus patientur loci circumstantiae. Quare cum tribus quatuorve clericis et evocando in adiumentum suum aliquam Confraternitatem, quae communiter solet esse instituta in unaquaque paroecia ad associationem SS. Viatici, poterit hanc sacram functionem peragere, quae ad id spectat, ut Divinus Redemptor noster in mysterio Eucharistiae speciali cultu honoretur. Ipse itaque prospiciet singulis rebus et dabit opportuna documenta secundum ea quae traditurі sumus.

2. Processio peragenda est mane et post celebrationem Missae, sed curabitur ut fiat summo mane, ad vitandum aestum anni temporis, in quod plerumque incidit illa solemnitas.

3. Dabitur opera ut viae, per quas transitura sit processio mundentur et processionis tempore claudantur tabernae et ipsae domorum ianuae. In itinere poterunt spargi herbae virentes et odorae mixtae floribus; muri quoque et fenestrae domorum exornari poterunt tapetis et aulaeis, quoad fieri hoc liceat per facultates paroeciae.

4. Si iter a processione percurrendum esset aliquantulum longum, poterit erigi in ipsa via Altare aliquod, in quo fiat statio, sed curabitur ut Altare sit decens, adsit tobalea, corporale expansum in medio et sex saltem candelabra cum candelis cereis.

5. Processioni non licet subsistere in omni sacello, quod

occurrat in itinere, neque in ecclesiis aut aediculis dirutis neque in quibus celebrare Missam non licet.

6. Ecclesia paroecialis parabitur solemniter et Altare instruetur suis ornamentis, throno seu baldachino pro exponendo SS. Sacramento, multis cereis et floribus, exclusis tamen bustis, statuis et Reliquiariis cum reliquiis Sanctorum.

De rebus praeparandis

7. Extra presbyterium praeparabitur signum seu vexillum Confraternitatis, baldachinum hastile albi coloris, quatuor vel saltem duo maiores laternae cum luminibus cereis infixae hastis et Crux processionalis in presbyterio.

8. Super Altare praeparabitur calix cum hostia et reliqua omnia, quae opus sunt ad Missam et prope calicem ponetur capsula vel pixis, qua contineatur hostia consecranda pro processione, iam aptata in lunula ostensorii.

9. In abaco, praeter ampullas et alia quae in Missa adhiberi solent, ponetur ostensorium albo velo contectum, velum humerale albi coloris, liberculus orationis recitandae in fine processionis et clavicula tabernaculi seu ciborii, si post processionem facienda sit repositio SS. Sacramenti.

10. In sacrario praeter paramenta pro Missa, praeparabitur etiam pluviale albi coloris, cerei seu intorticia gestanda in processionem accensa et thuribulum cum navicula.

In functione.

11. Ad festivum omnium campanarum sonum congregabitur populus in ecclesiam et confratres induti sacco aderunt genuflexi extra presbyterium ad cancellos seu balaustrium ut assistant Missae, cuius initium non fiet, nisi quum omnia ad processionem peragendam disposita sint.

12. Missa celebrabitur a Parocho sine cantu, assistentibus tribus clericis, ut superius notatum est in functionibus maioris hebdomadae. In Missa consecrabitur etiam hostia collocanda in ostensorio pro processione.

13. Postquam Celebrans sumpserit Calicem, primus clericus cum debitis genuflexionibus deferet ad Altare ostensorium iam praeparatum in abaco, sed tollet ex eo velum, quod complicatum ad abacum ipsum reportabit.

14. Celebrans accipiet ostensorium et ponet illud super corporali et quin inclinet ipsum, ponet in eo lunulam cum s. Hostia, claudet crystallum, collocabit ostensorium in medio corporali versus partem posteriorem Altaris, postea continuabit Missam ritu superius declarato in Coena Domini num. 39. cap. IV. huius libri.

15. Clericus primus referet ad abacum, vel etiam in sacrarium, calicem postquam illum Celebrans contexerit.

16. Completa Missa, Celebrans de Altari descendet, faciet in pavimento genuflexionem duplicem ad SS. Sacramentum, accipiet biretum quo caput cooperiet, quum fuerit extra conspectum SS. Sacramenti, et praecedentibus tribus clericis, in sacrarium revertetur.

17. Remanebunt genibus flexis ad adorationem SS. Sacramenti duo quatuorve confratres et reliqui attendent ad processionem cum quiete ordinandam.

18. Celebrans reversus in sacrarium, primo ac tertio clerico adiuvantibus eum, dimittet planetam et manipulum, induetur pluviali albi coloris et caput bireto cooperiet. Secundus clericus accipiet thuribulum cum igne et naviculam.

19. Distribuentur interea confratribus candelae vel intorticia accensa, baldachinum tradetur senioribus Confraternitatis vel aliis ad quos spectare poterit, et laternae hastiles, accensis earum candelis, tradentur confratribus huic rei delegatis, qui consistent prope baldachinum.

20. Celebrans praecedente secundo clerico cum thuribulo et medius inter primum ac tertium, qui hinc inde fimbriam pluvialis eius elatam sustinebunt, exibit de sacrario et procedet ad Altare. In conspectum SS. Sacramenti quum venerit, nudato capite biretum tradet primo clerico, qui deinde illud ponet in abaco.

21. Ad Altare progressi, secundus clericus recedet versus

latus Epistolae, et omnes una cum Celebrante genuflexionem duplicem facient in pavimento. Celebrans assurget et medius inter supradictos clericos genua submittet in medio gradu infimo et brevi tempore orabit.

22. Celebrans cum primo ac tertio clerico consurget. Primus sine osculis ei ministrabit incensum, quod ipse Celebrans sine benedictione iniiciet in thuribulum a secundo ipsi praesentatum. Tertius in hac actione accedet ad dexteram Celebrantis eique fimbriam dexteram pluvialis sublevabit.

23. Celebrans rursus submittet genua medius inter primum ac tertium clericum, secundus autem cum thuribulo geniculabit a dexteris primi, cui thuribulum tradet. Celebrans accepto thuribulo a primo clerico, SS. Sacramentum thurificabit. Primus et tertius fimbrias pluvialis eius sublevabunt. Celebrans post thurificationem restituet thuribulum primo clerico, hic secundo.

24. Clericus tertius assurget, accipiet Crucem processionalem et cum ipsa subsistet in aditu presbyterii conversus ad Altare.

25. Clericus primus perget ad abacum, ubi deponet biretum Celebrantis, accipiet velum humerale et imponet ipsum humeris Celebrantis et ante pectus eius alligabit.

26. Celebrans ascendet in suppedaneum Altaris, genuflectet, assurget, Ostensorium convertet, ut quum delaturus erit ipsum, pars anterior eiusdem respiciat processionem, manus cooperiet extremitatibus anterioribus veli humeralis et accepto Ostensorio manu dextera ad nodum et sinistra infra pedem, se convertet super sinistram suam ad populum et intonabit hymnum *Pange lingua* vel intonabitur a cantoribus huic rei designatis.

27. Ad cantum primae strophae remanebunt omnes genibus flexis, excepto Celebrante, secundo clerico cum thuribulo ac tertio sustinente Crucem processionalem.

28. Postea proficiscetur processio extra ecclesiam ordine sequenti:

29. Praecedet vexillum sive aliud insigne, quo utetur Confraternitas, deinde Confratres bini, manu sustinentes candelam vel intorticium, tum clericus tertius gestans Crucem processio-

nalem, sequetur secundus cum thuribulo, ultimo loco Celebrans sub baldachino gestans SS. Sacramentum et a sinistris ipsius incedet primus clericus, qui fimbriam pluvialis eius elatam sustinebit. A lateribus extra baldachinum incedent duo vel quatuor Confratres sustinentes laternas hastiles cum luminibus accensis. Populus processionem ordinate sequetur.

30. Confratres incedentes dextrorsum, candelam seu intorticium sustinebunt dextera et sinistram applicabunt pectori; qui incedent sinistrorsum, sinistra sustinebunt candelam sive intorticium, dexteram pectori applicabunt. Clericus thuriferarius, incedendo agitabit leviter thuribulum, et quum opus fuerit, incensum in eo renovabit. Ex delatoribus baldachini primus seu dignior sustinebit primam hastam a dexteris Celebrantis, secundus primam a sinistris, tertius secundam a dexteris Celebrantis, quartus secundam a sinistris et ita de reliquis, si plusquam quatuor hastae baldachini fuerint. Celebrans cum primo clerico submissa voce recitabit hymnos et psalmos analogos, vel etiam poterit sequi cantum ceterorum.

31. Toto processionis tempore canentur hymni et psalmi a Rituali praescripti. Item sonabunt festivo more campanae, nec sonare desierint, nisi quum functio absoluta fuerit.

32. Si processio factura sit stationem in aliquo templo sive oratorio, aut apud Altare in via erectum, disponentur in duos ordines a lateribus Confratres, quos inter genuflexos transibit Celebrans cum reliquis superius notatis. Ad Altare quum pervenerint, clericus cum Cruce subsistet stans versus partem Evangelii, thuriferarius autem versus partem Epistolae: delatores baldachini et qui sustinebunt laternas hastiles recedent in alterutrum latus. Celebrans ascendet ad Altare et primus clericus fimbrias anteriores eius vestium sustollet. Celebrans ponet Ostensorium super Altare vertens partem anteriorem illius versus populum, genuflexionem faciet in suppedaneo et conversus ad suum latus sinistrum, de Altari descendet ac geniculabit in gradu infimo et velum humerale deponet. Postea assurget et incensum demittet in thuribulum, ut superius innuimus, et rursus genibus flexis cantabit ℣. *Tantum ergo* deinde alterum *Ge-*

nitori Genitoque et SS. Sacramentum thurificabit. Postea cantato ℣. *Panem de coelo* etc. assurget, cantabit orationem *Deus, qui nobis* etc. cum conclusione brevi *Qui vivis et regnas in saecula saeculorum* et rursus geniculabit. Imponetur iterum eius humeris velum humerale, ascendet ad Altare, recipiet ut antea SS. Sacramentum et processio rursus ordinabitur.

33. In quo loco subsistet processio, si tamen fiet statio, aequum esset ut adesset ignis in foculo substituendus in thuribulum,

34. Quum processio redierit ad ecclesiam, unde profecta erit, delator vexilli, qui anteibit Confraternitati, reponet illud in eodem loco, quo praeparatum fuerat; Confratres ordinabuntur circa Altare extra presbyterium in unum pluresve ordines dispositi ibique procumbent in genua formantes semicirculum ita ut seniores adstent proximi ad ingressum presbyterii et minus antiqui versus parietes ecclesiae. Tertius clericus delator Crucis deponet eam in latere Evangelii, ubi erat initio functionis, et se addet Celebranti a sinistris, transeunte ad huius dexteram primo clerico, secundus cum thuribulo recedet versus cornu Epistolae intra presbyterium et delatores baldachini ac laternarum hastilium consistent in aditu presbyterii, quum autem ingressus in presbyterium Celebrans erit, reportabunt baldachinum et laternas hastiles quo loco erant a principio: Celebrans ascendet ad Altare, primo ac tertio clerico fimbrias anteriores vestium eius sublevantibus.

35. Celebrans, conscenso suppedaneo, ponet SS. Sacramentum in medio Altaris super corporali, partem anteriorem Ostensorii versus populum convertens. Deinde genuflexionem faciet et conversus super sinistram suam de Altari descendet aliquantulum recedens versus cornu Evangelii, ne tergum vertat Sacramento, et in infimo gradu geniculabit medius inter duos clericos praedictos.

36. Genuflexus deponet velum humerale, adiuvantibus eisdem clericis, tum assurget una cum ipsis et ordine supradicto demittet incensum in thuribulum, quo facto rursus genua submittent.

37. Cantabitur ℣. *Tantum ergo* cum altero *Genitori Genitoque* et interea Celebrans, ut supra, thurificabit SS. Sacramentum, postea secundus clericus receptum a primo thuribulum reportabit in sacrarium vel deponet apud abacum, ex quo accipiet libellum orationis et primo clerico tradet illum.

38. Cantato ℣. *Panem de coelo* etc. assurget Celebrans et ex libro, quem ante eum sustinebunt primus ac tertius clericus, cantabit orationem *Deus qui nobis* etc. cum brevi conclusione *Qui vivis et regnas in saecula saeculorum.*

39. Clericus secundus librum receptum a primo reportabit ad abacum, apud quem genua submittet; primus autem imponet humeris Celebrantis velum humerale, quod tertius ante pectus eius cohibebit.

40. Celebrans ascendet ad Altare et accepto SS. Sacramento, benedictionem populo impertietur, ut diximus cap. praecedenti num. 38 et 39.

41. Postea deposito Sacramento super Altari, genuflexionem faciet ac velum eius humeris detrahetur. Reponet Sacramentum in tabernaculo, vel si tota die expositum remanebit, exponet ipsum in throno seu baldachino praeparato super Altari. Clericus secundus deferet ad Altare claviculam tabernaculi, vel apponet scabellum gradatum, in quod possit ascendere Celebrans expositurus SS. Sacramentum.

42. Deinde idem clericus accipiet biretum Celebrantis et tradet ipsum primo.

43. Si expositum in throno erit SS. Sacramentum, Celebrans posteqam descenderit de Altari, genua submittet in medio gradu infimo ac brevi tempore orabit; tum assurget et facta in pavimento genuflexione duplici, praecedente secundo clerico et medius inter primum ac tertium, qui fimbrias pluvialis eius elatas sustinebunt, redibit in sacrarium, caput bireto cooperiens, quum extra conspectum fuerit SS. Sacramenti.

44. Sin intra tabernaculum reconditum fuerit SS. Sacramentum, Celebrans postquam de Altari descenderit, genuflexionem simplicem in pavimento faciet ac bireto capite cooperto, in sacristiam redibit ordine iam descripto.

45. Celebrans in sacrario, adiuvantibus clericis, sacra indumenta dimittet.

46. Profecto ex Altari Celebrante, Confratres extinguent candelas sive intorticia, quae reddent illis, a quibus acceperint initio, vel ordinatim in sacristiam redibunt ante Celebrantem, ibique candelas vel intorticia extinguent, praesertim si expositum sit SS. Sacramentum.

47. Hoc casu curabit Parochus, ut semper adsit qui successive orent ante SS. Sacramentum expositum, et unus saltem clericus superpellicio indutus, qui curam gerat de cereis in Altari ardentibus.

48. Tota octava huius solemnitatis exponetur aliquandiu singulis diebus SS. Sacramentum et expositio complebitur benedictione, observando ritum in expositione praescriptum, ut superius cap. VIII. declaratum est.

DE CETERIS PROCESSIONIBUS

CAPUT X.

1. Quamvis tenuissimus sit Cleri numerus in quibusdam paroeciis, praesertim ruralibus, non tamen eximitur Parochus a peragendis Processionibus praescriptis, cuiusmodi sunt illae quae fiunt in maioribus et minoribus Litaniis et ceterae extraordinariae quas edicit Episcopus, aut quae usu sancitae sunt, praecipue in festo Sancti Patroni.

2. Quapropter processiones faciendae festo die S. Marci et reliquis tribus diebus praecedentibus solemnitatem Ascensionis Dominicae, peragentur ritu, quem heic subiicimus.

3. In Dominica seu festo praecedente, cohortatio fiet ad populum, ut interveniat processioni et indicabitur hora, qua ipsius fiet initium.

4. Edicetur etiam Confratribus, ut processioni interveniant induti sacco.

De rebus praeparandis

5. In fronte Altaris statuetur pallium violaceum et eiusdem coloris praeparabitur in sacrario planeta pro Missa post processionem celebranda.

6. In cornu Evangelii prope Altare praeparabitur Crux processionalis.

7. In abaco a latere Epistolae disponentur quae opus sunt ad Missam.

8. In sacrario, praeter paramenta superius indicata pro Missa, aderunt quatuor superpellicea, unum scilicet pro Celebrante, reliqua pro tribus clericis, pluviale violaceum cum stola eiusdem coloris pro Celebrante et Rituale.

In functione

9. Hora praestituta signum dabitur festivo campanarum sono, ut populus in ecclesiam colligatur. Coibunt etiam in ecclesiam Confratres cum Cruce vel alio signo, quod in processione solebunt deferre, et disponentur in ordinem ad balaustrium seu cancellos extra presbyterium. Clerici in sacrario sibi induent superpelliceum supra vestem talarem. Clericus tertius accendet sex cereos Altaris et reliqui duo adiuvabunt Celebrantem induentem sibi superpelliceum, stolam et pluviale violaceum. Primus clericus accipiet etiam Rituale.

10. Quum omnia disposita erunt, Celebrans cum clericis, facta reverentia ad Crucem vel ad imaginem principalem sacrarii, proficiscentur ad Altare. Anteibit clericus tertius iunctis manibus, sequetur Celebrans capite bireto cooperto medius inter primum et secundum clericum, qui fimbrias pluvialis eius elatas sustinebunt.

11. Quum devenerint ad Altare, clericus tertius subsistet versus cornu Evangelii, et Celebrans cum reliquis duobus clericis ante Altare. Celebrans caput nudabit bireto, quod tradet primo clerico, et hic accipiet illud cum osculis consuetis. Cele-

brans cum clericis genuflexionem conficient ad SS. Sacramentum, quod ibi custodietur in tabernaculo. Nisi aderit Sacramentum, Celebrans reverentiam ad Crucem faciet, clerici genuflexionem.

12. Celebrans cum primo et secundo clerico stabunt ante Altare in medio gradus infimi et Celebrans e Rituali, quod ei tradet primus clericus, incipiet alta voce recitare antiphonam *Exurge Domine*, quam etiam clerici prosequentur eodem vocis tono.

13. Clericus tertius accipiet Crucem processionalem et consistet in ingressu presbyterii, facie versa ad Altare.

14. Post antiphonam praedictam subiungetur a Celebrante et a clericis ℣. *Deus venerunt gentes* etc. *Gloria Patri* cum *Sicut erat* ac repetetur antiphona *Exurge, Domine* etc. et advertatur quod non est addendum *Alleluia*, quia nullomodo praescribitur a Rituali, quamquam processiones istae celebrentur tempore Paschali.

15. Repetita praedicta antiphona, Celebrans et duo clerici in genua procumbent et cum eis omnes adstantes, excepto tertio clerico, qui gestabit Crucem, tum incipientur Litaniae, quae continuabuntur usque ad totum versiculum *Sancta Maria ora pro nobis*, qui repetetur idem ab adstantibus.

16. Assurget Celebrans, clerici et reliqui omnes et processionis initium fiet.

17. Praecedent Confratres, quos anteibit unus ex ipsis qui gestabit vexillum seu signum proprium Confraternitatis. Sequentur Confratres bini, incedentibus senioribus ipsorum propius Crucem Cleri. Post eos incedet tertius clericus cum Cruce processionali; post Crucem Celebrans capite bireto cooperto medius inter reliquos duos clericos, qui fimbrias pluvialis eius sustinebunt. Etiam his duobus clericis licebit uti bireto extra ecclesiam. Populus sequetur Celebrantem.

18. In processione recitabuntur vel canentur Litaniae et populus respondebit repetens eosdem versiculos.

19. Si processio stationem faciet in alia ecclesia, quae occurrat in itinere, abrumpetur cantus vel recitatio Litaniarum

et Celebrans progressus ante Altare huius ecclesiae, deposito bireto, recitabit antiphonam, versiculum et orationem de Sancto Patrono. Advertatur, quod processioni non licet stationem facere in ecclesiis vel cappellis, in quibus celebrare Missam non licet, seu quod ita constructae sint ab origine, seu suspensae ab ecclesiastica auctoritate propter indecorum ipsarum statum.

20. Notandum etiam, quod nisi Celebrans duobus saltem uti possit clericis, qui sibi assistant, non induetur pluviali in istis processionibus, sed stola solummodo supra superpelliceum.

21. Revertente in ecclesiam processione, Confratres in genua procumbent ordinatim circa balaustrium extra presbyterium; tertius clericus deponet Crucem et Celebrans medius inter clericos praedictos geniculabit ante Altare in medio gradu infimo et recitabit preces orationesque in Rituali notatas.

22. Completa orationum recitatione, redibit in sacrarium, se parabit pro celebranda Missa, quae congruet processioni celebratae in Litaniis maioribus et minoribus, tum exordietur Missam, cui assistent clerici et confratres, ut supra dictum est, et aequum esset ut populus etiam rei divinae adesset.

23. Methodus a nobis indicata ad exequendas processiones maiorum minorumque Litaniarum, poterit servari et in aliis processionibus in Rituali Romano praescriptis si eas exequi aliquando necesse sit.

24. Si erit in more positum, ut fiat etiam processio qua die celebratur festum de Sancto Patrono, poterit retineri methodus descripta, cum ea tamen animadversione, quod color paramentorum debet congruere classi, ad quam pertinet Sanctus, et quum deferantur in processionem Reliquiae vel imago ipsius Sancti, Confratres sustinebunt candelas accensas, et in processione hymnus de Sancto cantabitur.

DE EXEQIIS

CAPUT XI.

1. Parochus curabit ut in qua domo adsit cadaver, in promptu sit vasculum aquae benedictae cum aspersorio. Deinde superpellicio indutus et stola nigri coloris, gestans manu Rituale et praecedente clerico cum Cruce processionali, proficiscetur ad domicilium defuncti.

2. Clericus cum Cruce ingressus in cubiculum, in quo iacebit cadaver, collocabit eam ad caput defuncti applicitam parieti et accedet ad dexteram Parochi, a quo accipiet biretum et sine osculis ministrabit ipsi aspersorium.

3. Parochus subsistet ad pedes cadaveris, nudabit caput inclinationem faciet ad Crucem, et asperso cadavere in medio, a sinistris et a dextris suis nihil dicens, immediate incipiet antiphonam *Si iniquitates* cum psalmo *De profundis*, quem recitabit solus vel alternatim cum clerico. In fine psalmi dicet ℣. *Requiem aeternam dona ei, Domine. Et lux perpetua* etc. et repetetur tota antiphona *Si iniquitates observaveris, Domine* etc.

4. Clericus, ministrata aqua benedicta et bireto restituto Parocho, rursus accipiet Crucem eamque sustinens respondebit, ut supra, Parocho in recitatione psalmi praedicti.

5. Parochus iubebit a lecticariis super feretro efferri cadaver.

6. Quum iam humeris suis lecticarii imposuerint feretrum cum cadavere, Parochus egressus e ianua, Rituale sinistra, candelam accensam dextera sustinens, intonabit antiphonam *Exultabunt Domino* cum psalmo *Miserere mei, Deus* etc. quem prosequetur elata voce et cum pausa vel solus, vel cum clerico, concludens hunc psalmum et reliquos praescriptos cum ℣ *Requiem aeternam* etc.

7. Ut ventum erit in ecclesiam, clericus collocabit Crucem

in basi ibi praeparata ad caput defuncti, et Parochus ingrediens in ecclesiam, desinet recitare psalmos et dicet totam antiphonam *Exultabunt Domino ossa humiliata.*

8. Deposito in ecclesia feretro, Parochus recitabit ℟. *Subvenite sancti Dei* etc. ut in Rituali, quo absoluto, extinguet candelam et praecedente clerico cum Cruce processionali, procedet ad Altare pro recitando officio.

9. In presbyterio disponentur duo scabella, altérum in latere Evangelii pro Parocho, alterum in latere Epistolae pro clerico, unum e regione alterius.

10. Officium recitabitur integrum cum invitatorio, tria nocturna et Laudes alternatim a Parocho cum clerico, et hic suo loco manens, nec procedens in medium, recitabit invitatorium, versiculos et lectiones. In stando et sedendo observabitur quod alibi traditum est, videlicet invitatorium recitabunt stantes, psalmos cum antiphonis sedentes, *Pater noster* ante lectiones stantes et in recitatione lectionum Parochus sedebit itemque in respondendo ad responsoria. *Benedictus* recitabitur stando et preces in fine dicentur genibus flexis, Parochus autem assurget pro recitanda oratione.

11. Post officium celebrabitur Missa in suffragium defuncti, in qua nihil notandum occurrit, utpote privata.

12. Clericus praeparabit pluviale nigri coloris super aliquo scabello in latere Epistolae et praeparabit etiam prope cadaver alterum scabellum vel parvum abacum cum vasculo aquae benedictae et cum aspersorio, cum Rituali, cum thuribulo, et navicula, et statuet basim pro Cruce processionali ad caput cadaveris.

13. Sacro peracto, Celebrans a latere descendet de cornu Epistolae, ibique deposita planeta et manipulo, induet sibi pluviale et accepto bireto cooperiet caput ac sedebit in scabello, expectans dum clericus statuat basim pro Cruce processionali ad caput cadaveris et praeparet ignem in thuribulo, vasculum et Rituale in abaco seu scabello posito prope cadaver, ut superius notatum est.

14. Praecedente clerico cum Cruce, Celebrans in medium

ibit ante Altare, ubi caput nudabit et facta profunda reverentia ad Crucem, vel genuflexione ad Sacramentum, iunctis manibus et capite cooperto procedet ad feretrum et subsistet ad pedes defuncti, facie versa ad Crucem sitam in basi ad caput cadaveris.

15. Clericus firmata Cruce in basi, accedet ad sinistram Parochi, biretum accipiet ab eo te ponet super mensa seu scabello et tradet ipsi Rituale.

16. Parochus alta voce recitabit orationem *Non intres in iudicium* etc. et responso a clerico in fine *Amen* prosequetur eadem voce ℟. *Libera me, Domine, de morte aeterna* etc.

17. Responsorio absoluto, clericus cum thuribulo accedet ad dexteram Celebrantis, qui demittet incensum in thuribulum cum benedictione et immediate diciet *Kyrie eleison*, clericus *Christe eleison* et uterque simul *Kyrie eleison*.

18. Parochus intonabit *Pater noster* et reliqua prosequetur secreto, accipiet a clerico aspersorium et procedens a dextris suis aspersionem peraget super cadaver circa feretrum, advertens ut reverentiam faciat ad Crucem processionalem, quum ante eam transibit. Reversus ad locum suum restituet aspersorium clerico et ab ipso accipiet thuribulum, quo adolebit cadaver eodem modo quo illud asperserit. Clericus in aspersione et incensatione sublevabit fimbriam dexteram pluvialis Celebrantis et advertet, ut genuflectat ad Crucem processionalem, dum Celebrans reverentiam faciet.

19. Reversus Celebrans ad locum suum reddet thuribulum clerico, a quo accipiet Rituale et subiunget versiculos *Et ne nos inducas* etc. et orationem *Deus, cui proprium est misereri* etc.

20. Post orationem, si cadaver efferendum sit ad sepulcrum clericus tradet biretum Celebranti, et accepta Cruce processionali, proficiscetur ad Coemeterium, quem sequentur Celebrans et lecticarii cadaver portantes. Parochus recitabit antiphonam *In paradisum* etc. ac si locus longe aberit, addet aliquot psalmorum poenitentialium vel gradualium cum ℣. *Requiem aeternam* in fine.

21. Ut ventum erit ad locum sepulturae, clericus firmabit crucem in basi ad caput cadaveris et vadet ad dexteram Parochi, qui consistens ad pedes cadaveris nudabit bireto caput, recitabit antiphonam *Ego sum* et canticum *Benedictus*, quod prosequetur altèrnatim cum clerico, et in fine adiiciet integram antiphonam *Ego sum resurrectio* etc. Postea dicet versiculos *Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster;* reliqua prosequetur secreto. Interea accepto a clerico aspersorio, asperget cadaver in medio, a sinistris et a dextris suis, non recedens de loco suo, et aspersorio restituto clerico, subiunget ℣. *Et ne nos inducas* etc. et orationem *Fac, quaesumus, Domine* etc. Dicet in fine *Requiem aeternam* etc. Crucis signum dextera faciens versus cadaver, et recitato cum clerico *Requiescat in pace* ℟. *Amen,* complebit exequias cum altero versiculo *Anima eius* etc. et a clerico respondebitur *Amen.*

22. Clericus reddet biretum Parocho et recepta Cruce processionali, simul cum Parocho sequente ipsum, redibunt in sacrarium recitantes interea psalmum *De profundis* cuius in fine repetetur sola antiphona *Si iniquitates* etc.

23. In exequiis parvulorum eadem fere methodus servabitur, quam tamen breviter innuemus.

24. In qua domo iacebit cadaver iubebitur deferri vasculum aquae benedictae cum aspersorio, et aderit tabula super quam Crux ponatur.

25. In ecclesia autem preparabitur parva mensa, in qua poni possit Crux ad caput cadaveris et in eadem mensa poterit praeparari etiam vasculum aquae benedictae cum aspersorio et thuribulum cum navicula.

26. Si cadaver ex ecclesia efferendum sit ad sepulturam sive ad Coemeterium, praeparabitur in ecclesia scabellum in quo ponetur Crux et in Coemeterio aderit alterum scabellum pro Cruce et aqua benedicta in vasculo cum aspersorio ac thuribulum cum navicula.

27. Parochus indutus superpelliceo et stola albi coloris, Rituale manu gestans et capite cooperto, praecedente clerico, qui deferet Crucem processionalem sine hasta, adibit domum, in qua aderit cadaver parvuli.

28. Ingressus clericus in cubiculum, in quo iacebit cadaver, deponet Crucem super tabula ad caput ipsius cadaveris, accedet deinde ad dexteram Parochi, ab eo accipiet biretum et ipsi tradet aspersorium.

29. Parochus consistens ad pedes cadaveris, asperget ipsum in medio, a sinistris et a dextris suis et aspersorio reddito clerico, intonabit statim antiphonam *Sit nomen Domini*, recitabit psalmum *Laudate pueri Dominum* cum *Gloria Patri* in fine et repetet integram antiphonam *Sit nomen Domini benedictum* etc. Poterit alternatim cum clerico praedictum psalmum recitare.

30. Clericus recepto a Parocho aspersorio, et ipsi reddito bireto, redibit ad accipiendam Crucem, nec discedet nisi quum repetita erit indicata antiphona.

31. Parochus dextera sustinens candelam accensam, sinistra Rituale, iubebit efferri domo cadaver, quumque feretum cum cadavere humeris suis imposuerint lecticarii, incipiet elata voce recitare psalmum *Beati immaculati in via* etc. et reliquos in Rituali notatos cum *Gloria Patri* in fine.

32. Ad ecclesiam quum venerit, Parochus cessabit a psalmorum recitatione et clericus ponet Crucem super scabello, ad caput cadaveris, et redibit ad dexteram Parochi, a quo accipiet biretum.

33. Deposito in ecclesia cadavere, Parochus dicet antiphonam *Hic accipiet* et psalmum *Domini est terra* etc. cum *Gloria Patri* alternatim cum clerico, postea recitabit integram antiphonam *Hic accipiet benedictionem* etc. Deinde subiunget *Kyrie eleison* etc. cum precibus et oratione *Omnipotens et mitissime Deus* etc.

34. Clericus tradet Parocho biretum, recipiet Crucem et cadaver ad Coemeterium sive ad sepulturam deferetur. Parochus recitabit antiphonam *Iuvenes*, caput bireto cooperiet et sequetur clericum recitans psalmum *Laudate Dominum de coelis* etc. cum *Gloria Patri* in fine et repetet integram antiphonam *Invenes et virgines* etc.

35. Ad locum sepulturae quum devenerit, clericus ponet Crucem in scabello praeparato, accedet ad dexteram Parochi et ab ipso accipiet biretum, quod deponet in eodem scabello.

36. Parochus subiunget *Kyrie eleison* cum reliquis precibus et cum oratione *Omnipotens sempiterne Deus* etc.

37. Tum Parochus tradet Rituale clerico, qui praesentabit ei thuribulum et ille in hoc demittet incensum cum benedictione consueta. Postea accipiet a clerico aspersorium, quo asperget cadaver, deinde sepulturam in medio, a dexteris et a sinistris suis: tum restituto clerico aspersorio, accipiet ab eo thuribulum et adolebit cadaver ac sepulturam eodem modo quo asperserit et reddito clerico thuribulo, recipiet ab eo biretum et Rituale.

38. Clericus resumet Crucem et sequente Parocho redibit ad ecclesiam. Parochus recitabit antiphonam *Benedicite* cum ipso cantico, cuius in fine repetet antiphonam *Benedicite Dominum* etc. Quum devenerint ante Altare, clericus consistet a sinistris Parochi, qui stans ante Altare, nudato capite, subiiciet *Dominus vobiscum* ℟. *Et cum spiritu tuo* et orationem *Deus qui miro ordine* etc. Post haec redibit in sacrarium, ubi deponet stolam et superpelliceum.

39. Si in exequis tam adultorum, quam infantium transferendum cadaver non erit ad Coemeterium, functio in eo loco prescripta fiet in ecclesia.

40. Functiones, quas in exequiis adultorum innuimus, peragendae sunt ordine statuto; poterunt tamen separari altera ab altera, si ratio sufficiens id requirat: Missa autem cum absolutione coniuncta esse debet.

41. Notandum denique, ut sequenti lib. IV. cap. XI. declarabitur, quod abusivus est ritus celebrandi Missam Angelorum in exequiis infantium et ideo ab Ordinario loci prohibendus.

DE SACRA VISITATIONE

CAPUT XII.

1. Acturi de pastorali Visitatione dioecesis lib. VI. cap. XXXV declarabimus, quod in exiguis vicis dioecesis ritus iste quo meliori modo poterit, peragetur. Exoptantes ut hoc nostrum opus, quoad fieri potest, utile quaquaversus evadat innuemus quid peragi possit in paroeciis ruralibus, sufficienti numero Cleri destitutis, quum Visitatio pastoralis ab Episcopo ordinario fiet.

2. Praeparabitur hospitium pro Episcopo et Convisitatoribus in domo parochiali vel in alia, et Parochus admonebit populum, ut praesto sit ad excipiendum Episcopum. Disponet eos, quibus sacra Confirmatio conferenda erit et ipsorum Compatres, in promptu habebit eorum catalogum et monebit eosdem ut hora praestituta adsint in ecclesia pro administratione illius Sacramenti. In promptu etiam habebit libros paroeciales et in quibus relata sunt legata pia ac reliqua omnia, de quibus admonitus fuerit in denunciatione, a Cancellaria Episcopali praemissa pro S. Visitatione. Die praecedente adventum Episcopi pulsabuntur festivo more omnes campanae, ut ipsarum sono nuncietur populo Episcopum postridie adfuturum, ut suo officio fungatur.

Quae sint praeparanda

3. Ecclesia instruetur et exornabitur, ut fieri solet festivis diebus.

4. In limine ipsius praeparabitur parvum tapetum, et pulvinar, in quo geniculabit Episcopus.

5. In Altari maiore aderit SS. Sacramentum reconditum intra tabernaculum ornatum conopoeo albi coloris. Pallium quoque Altaris erit albi coloris, gradus contegentur tapeto et in Altari ipso praeter tobaleas et sex candelabra cum candelis et Cruce media inter illa, corporale cum clavicula tabernaculi

explicabitur in medio, atque in latere Epistolae legile cum Pontificali pro recitandis a Parocho versiculis et oratione. Si deerit Pontificale poterit adhiberi hic ipse liber, in quo ad maiorem commoditatem notamus preces in S. Visitatione recitandas. Ad Crucis pedes vel loco tabellae seu chartagloriae statuetur canon apertus, si haberi poterit ut adhibeatur in benedictione.

6. In suppedaneo a latere Evangelii praeparabitur pro Episcopo faldistorium cum tegumento albi coloris, si haberi poterit, sin minus, sedes decora cum fulcimentis. Si Episcopus celebraturus sit Missam, sedes vel faldistorium ponetur seorsim, ut tempore debito collocetur in suppedaneo.

7. In latere Epistolae praeparabitur, abacus coopertus alba tobalea, in quo disponetur stola albi coloris pro Episcopo, scotula cum candela, pontificale vel hic liber pro Episcopo, velum humerale album, duo intorticia, stola nigri coloris pro Episcopo, formula absolutionis et altera Indulgentiae in pagella vel in libello et stola albi coloris pro Parocho. Si Episcopus celebraturus sit Missam lectam, praeparabuntur in abaco omnia quae ad Missam opus sunt.

8. Ante Altare praeparabitur genuflexorium cum strato et cum pulvinis.

9. In sacrario vasculum aquae benedictae cum aspersorio thuribulum cum navicula et exigua imago Crucifixi in pelvicula cooperta velo albo ac superpellicea pro Parocho et pro clericis.

10. Si clerici numero quatuor non erunt, prope portam ecclesiae praeparabitur parvus abacus coopertus alba tobalea, et super ipso aderit vasculum aquae benedictae cum aspersorio et imago Crucifixi albo velo contecta.

11. Praeterea in sacrario Crux processionalis et supellectiles sacrae ab Episcopo visitandae. Aderunt etiam claves fontis bapstismalis, armarii in quo Olea sancta et alterius in quo s. Reliquiae custodiuntur.

12. Si Coemeterium proximum erit ecclesiae, aperietur et lumina cerea prope sepulturas disponetur, accendenda ipso tem-

pore S. Visitationis. Sin longe aberit ab ecclesia, praeparabitur intra ecclesiam ipsam lodix funerea, seu pannus nigri coloris extendendus in medio super pavimento pro absolutione.

13. Prope domum, in qua hospitio exceptus erit Episcopus, in promptu erit baldachinum hastile albi coloris.

In functione

14. Hora praestituta pulsabuntur campanae et populus ad ecclesiam convocabitur. Si qua aderit Confraternitas, quae sacco utatur, aliqui ex Confratribus sacco induti inservient functioni, ut infra. Parochus induetur superpelliceo in sacrario et eodem tempore superpelliceum sibi induent quatuor clerici, quorum unus deferet Crucem processionalem, alter thuribulum, tertius vasculum aquae benedictae, quartus imaginem Crucifixi coopertam, quam osculabitur Episcopus in limine ecclesiae.

15. Parochus cum clericis, praecedentibus confratribus, si aderunt, vel primariis viris loci, procedent ad hospitium quo exceptus erit Episcopus. Tres illi clerici cum vasculo, cum thuribulo et cum imagine Crucifixi subsistent in limine ecclesiae a dextera ingressus.

16. Nisi aderunt quatuor clerici, praeparabitur vasculum cum aspersorio et Crucifixus super parvo abaco posito prope portam, ut superius innutum est, et prope portam consistet clericus cum thuribulo et alter accipiet Crucem processionalem.

17. Parochus, praecedentibus clerico cum Cruce et confratribus ante Crucem, procedet ad hospitium Episcopi et ascendet ad ipsum; Crux subsistet ad ostium domus et confratres accipient baldachinum. Episcopus indutus rocheto et mozzetta deveniet ad ecclesiam.

18. Praebiunt aliqui confratres, post eos clericus cum Cruce, sequetur Parochus, ultimo loco sub baldachino sustento a confratribus vel a praecipuis paroeciae viris. Episcopus, quem sequentur Convisitatores induti veste talari cum pallio, nisi ex privilegio uti possint alio habitu distincto. Sequetur eos populus, primo viri postea foeminae.

19. In itinere a domo praedicta ad ecclesiam cantabitur vel recitabitur alternatim canticum *Benedictus Dominus Deus Israel* etc. et alii psalmi.

20. Quum ventum erit ad portam ecclesiae, clericus gestans Crucem se convertet ad Episcopum, qui capiti detrahet biretum et pileolum ac geniculabit in pulvino ibi praeparato.

21. Parochus a clerico vel ex abaco accipiet Crucifixum et detracto velo, quo coopertus erit, porriget ipsum osculandum Episcopo, et rursus velo coopertum Crocifixum restituet clerico vel reponet super abaco, et Episcopus assurget.

22. Unus e clericis amovebit pulvinum, in quo geniculaverit Episcopus. Postea Parochus accipiet aspersorium et cum osculis consuetis tradet illud Episcopo, qui accepto aspersorio, signabit primo seipsum, deinde asperget adstantes intra et extra ecclesiam et aspersorium Parocho restituet.

23. Postea Parochus accipiet naviculam et incensum cum osculis ministrabit Episcopo, dicens *Benedicite Reverendissime Pater*. Episcopus cum benedictione immittet incensum in thuribulum, quod ei praesentabitur a clerico genuflexo.

24. Parochus restituet naviculam clerico, et ab eo accipiet thuribulum, se sistet contra Episcopum et ipsum reverentia profunda salutans ante et postea, triplici ductu adolebit. Episcopus in thurificationis actu caput bireto cooperiet, et accipiet thurificationem iunctis manibus; post incensationem autem benedictionem Parocho donabit.

25. Clericus, qui thuribulum et alter, qui vasculum sustinebit, deferent haec ad Altare.

26. Postquam thurificatus erit Episcopus, procedetur ad Altare et cantabitur vel alta voce recitabitur a Parocho cum clericis antiphona sequens:

Ant. Sacérdos et Póntifex, et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo sic placuísti Dómino.

27. Vel sequens responsorium.

Resp. Ecce Sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo: Ideo iureiurándo fecit illum Dóminus créscere in plebem suam.

℣. Benedictiónem ómnium géntium dedit illi et testamentum suum confirmávit super caput eius. Ideo iureiurándo fecit illum Dóminus créscere in plebem suam. Glória Patri et Fílio et Spirítui Sancto. Ideo iureiurándo fecit illum Dóminus créscere in plebem suam.

28. Interea de limine ecclesiae tolletur pulvinus et tapetum, in quo geniculaverit Episcopus.

29. Quum ad Altare ventum erit, clericus gestans Crucem, deponet ipsam prope latus Evangelii, Parochus procedet ad Altare, et prope abacum induet sibi stolam: Episcopus genua submittet in genuflexorio ibi praeparato et seorsim ponetur baldachinum hastile, quo in hac functione non opus est amplius.

30. Parochus subsistet in superiori latere Epistolae Altaris in gradu superiori, conversus a sinistris suis ad Episcopum ibique e Pontificali vel ex hoc ipso libro cantabit aut recitabit versiculos sequentes cum oratione, et clerici respondebunt ei

℣. Protéctor noster áspice Deus,

℟. Et réspice in fáciem Christi tui.

℣. Salvum fac servum tuum,

℟. Deus meus sperántem in te.

℣. Mitte ei, Dómine, auxílium de Sancto,

℟. Et de Sion tuére eum,

℣. Nihil profíciat inimícus in eo,

℟. Et fílius iniquitátis non appónat nocére ei.

℣. Dòmine exaudi oratiónem meam,

℟. Et clamor meus ad te véniat,

℣. Dòminus vobíscum

℟ Et cum spíritu tuo.

OREMUS

Deus humílium visitátor, qui eos patérna dilectióne consoláris: praeténde societáti nostrae grátiam tuam; ut per eos, in quibus hábitas, tuum in nobis sentiámus advéntum. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

31. Oratione completa, Parochus exuet sibi stolam, quam super abaco deponet, Episcopus assurget de genuflexorio, procedet ad Altare et quum ascenderit ad ipsum, solemnem benedictionem populo impertietur, dicens *Sit nomen Domini* etc.

32. Si Episcopus celebraturus sit Missam lectam, descendet de Altari, se parabit et leget Missam de officio, quod fiet in die.

33. Lecto Evangelio, ponetur sedes vel faldistorium in cornu Evangelii et Episcopus ibi sedens homiliam ad populum habebit, docens eum de ratione et fine sacrae Visitationis.

34. Completa homilia, clericus ante Episcopum inclinatus recitabit elata voce *Confiteor*, faciens genuflexionem versus Episcopum ad illa verba *Tibi Pater* et ad altera *Te Pater*. Interea Parochus adstabit prope Episcopum lecturus formulam Indulgentiae, itemque prope Episcopum adstabunt duo cappellani aut clerici cum scotula et libro pro formula absolutionis.

35. Episcopus stabit dum recitabitur *Confiteor*, quo completo sedebit. Parochus, facta ad Episcopum inclinatione, publicabit Indulgentiam formula sequenti:

Reverendissímus in Christo Pater et Dóminus, Dóminus N. Dei et Apostólicae Sedis grátia huius Sanctae N. Ecclésiae Epíscopus dat et concédit ómnibus hic praeséntibus quadragínta dies de vera Indulgéntia in forma Ecclésiae consueta. Rogáte Deum pro felíci statu Sanctíssimi Dómini nostri N. divína Providéntia Papae N. Dominatiónis suae Reverendíssimae et Sanctae Matris Ecclésiae.

36. Episcopus assurget ac donabit absolutionem cum benedictione, dicens:

Précibus et méritis beátae Maríae semper Vírginis, beáti Michaélis Archángeli, beáti Joánnis Baptístae, Sanctòrum Apostolòrum Petri et Páuli et ómnium Sanctórum. Misereátur vestri omnípotens Deus, et dimíssis peccátis vestri, perdúcat vos ad vitam aetérnam. ℟. Amen.

Indulgéntiam, absolutiónem et remissiónem peccatórum vestrórum tríbuat vobis omnípotens et misériçors Dòminus. ℟. Amen.

Elevans oculos et manus, quas iunget ante faciem suam prosequetur:

Et Benedíctio Dei omnipotentis Patris ✠ et Fílii ✠ et Spíritus ✠ Sancti descéndat super vos et máneat semper ℟. Amen.

37. Postea prosequetur Missam usque ad finem, dimittet paramenta et recítabit etiam preces pro gratiarum actione.

38. Sin Missam non celebrabit, largita populo benedictione, ut supra, habebit homiliam seu sermonem, post quem recitabitur *Confiteor* et Episcopus donabit absolutionem cum benedictione, ut supra.

39. Deinde ante Altare imponetur ei super mozzetam stola nigri coloris et parati aderunt prope ipsum duo clerici, alter cum vasculo, alter cum thuribulo ac tertius etiam cum libro.

40. Episcopus, facta ad Altare genuflexione, siquídem in eo custodietur SS. Sacramentum, convertetur ad populum super sinistram suam, animadvertens ne humeros directe vertat ad Altare, propterea quod, ut innuimus, ibi asservabitur SS. Sacramentum, ibique in presbyterio recitabit alternatim cum Parocho et cum clericis sequentem

Ant. Si iniquitátes et psalmum
De profúndis clamávi etc.

In fine dicet

℣. Réquiem aetérnam dona eis, Dómine. Et lux perpétua lúceat eis.

Repetet deinde totam

Ant. Si iniquitátes observáveris, Dòmine : Dómine, quis sustinébit ?

Subiunget Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster, et prosequetur secreto.

41. Aspersorium ipsi a Parocho tradetur, et asperget super pavimentum presbyterii versus medium, a sinistris et a dextris suis, tum aspersorium Parocho restituet. Postea incensum, ministrante Parocho, demittet cum benedictione consueta in thuribulum, quod ante eum sustinebit clericus genuflexus, et accepto a Parocho thuribulo, thurificationem peraget eodem modo ac aspersionem. Thuribulo reddito Parocho, subiunget sequentes versiculos

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℟. Sed líbera nos a malo.
℣. In memória aetérna erunt iusti,
℟. Ab auditióne mala non timébunt.
℣. A porta ínferi
℟. Erue, Dómíne, ánimas eórum.
℣. Réquiem aéternam dona eis, Dómine.
℟. Et lux perpétua lúceat eis.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.

℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS

Deus qui inter Apostólicos Sacérdotes fámulos tuos Pontificáli fecísti dignitáte vigére: praesta, quaesumus, ut eórum quoque perpétuo aggregéntur consórtio. Per Christum Dóminum nostrum ℟. Amen.

42. Interea si deerit Coemeterium, vel si paullo longius aberit ab ecclesia, a duobus clericis vel confratribus praeparabitur in media ecclesia lodix funerea seu pannus nigri coloris super pavimento.

43. Completa praedicta oratione, duo clerici cum vasculo et cum thuribulo praecedent alterum clericum, qui acceperit Crucem processionalem et vadent ad Coemeterium, vel in mediam ecclesiam, Episcopus cum Parocho et Convisitatoribus sequetur Crucem.

44. In accessu ad Coemeterium vel ad mediam ecclesiam cantabitur vel recitabitur ab ipsis elata voce sequens:

℟. Qui Lázarum resuscitásti a monuménto foetidum Tu eis, Dómine, dona réquiem et locum indulgéntiae.

℣. Qui ventúrus es iudicáre vivos et mórtuos et saeculum per ignem. Tu eis, Dómine, dona réquiem et locum indulgéntiae.

45. Episcopus cum Parocho et reliquis recitabit submissa voce antiph. *Si iniquitates*. Psalmum *De profundis* etc. cum ℣. *Requiem aeternam* in fine et cum repetitione antiphonae. *Si iniquitates observaveris* etc. ut supra.

46. In Coemeterio, vel in ecclesia clericus cum Cruce se sistet contra Episcopum versus portam ecclesiae et Episcopus

stabit a capite, adstante prope ipsum Parocho et duobus clericis cum vasculo et thuribulo.

47. Quum ibi erunt suo quisque loco, cantabitur vel recitabitur elata voce sequens:

℟. Líbera me, Dómine, de morte aetérna in die illa treménda; quando coeli movéndi sunt et terra; dum véneris iudicáre saeculum per ignem. ℣. Tremens factus sum ego et tímeo, dum discússio vénerit atque ventúra ira. Quando coeli movéndi sunt et terra. ℣. Dies illa, dies irae, calamitátis et misériae, dies magna et amára valde. Dum véneris iudicáre saeculum per ignem. ℣. Réquiem aetérnam dona eis Dómine. Et lux perpétua lúceat eis. ℟. Líbera me, Dómine, de morte aetérna in die illa treménda; quando coeli movéndi sunt et terra: dum véneris iudicáre saeculum per ignem.

48. Dum cantabitur hoc responsorium, vel in fine ipsius, si recitabitur, Parochus mínistrabit Episcopo incensum, quod ípse cum benedictione usitata iniiciet in thuribulum, sustentum ante eum a clerico genuflexo. Ad ℣. *Requim aeternam* Responsorii, seu cantati seu recitati elata voce, Epíscopus nullum Crucis signum dextera efficiet.

49. Post Responsorium Episcopus recitabit alternatim cum Clero *Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison*; deinde subiunget elata voce *Pater noster* et prosequetur submissa voce recitare.

50. Parochus porriget Episcopo aspersorium, quo asperget in medio, a sinistris et a dextris suis solum Coemeterii, vel pannum nigrum positum in pavimento ecclesiae et reddito Parocho aspersorio, accipiet ab eo thuribulum, quo incensabit eodem modo ac asperserit, et reddito thuribulo, subiunget sequentes:

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.

℟. Sed líbera nos a malo.

℣. In memória aetérna erunt iusti.

℟. Ab auditióne mala non timébunt.

℣. A porta ínferi.

℟. Erue, Dŏmine, ánimas eórum.

℣. Réquiem aetérnam dona eis Dómine.

℟. Et lux perpétua lúceat eis.

℣. Dómine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

OREMUS

Deus, qui inter Apostólicos Sacerdótes fámulos tuos Sacerdotáli fecísti dignitáte vigére: praesta quaesumus, ut eórum quoque perpétuo aggregéntur consórtio.

Deus, véniae largítor et humánae salútis amátor: quaesumus cleméntiam tuam, ut nostrae Congregatiónis fratres, propínquos et benefactóres, qui ex hoc saeculo transierunt, beáta María semper Vírgine intercedénte, cum ómnibus Sanctis tuis, ad perpétuae beatitúdinis consórtium pervenire concédas.

Deus, cuius miseratiòne ánimae fidélium requiéscunt, fámulis et famulabus tuis ómnibus hic et ubíque in Christo quiescéntibus, da propítius véniam delictórum: ut a cunctis reátibus absolúti, tecum sine fine laeténtur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

℣. Réquiem aetérnam dona eis Dòmine.

℟. Et lux perpétua lúceat eis.

Tum duo cantores vel Episcopus ipse elata voce una cum reliquis de Clero recitabunt.

℣. Requiéscant in pace. ℟. Amen.

51. Episcopus, dextera elata sed nullum proferens verbum, Crucis signum efficiet versus omnem Coemeterii partem, vel super pannum nigrum in ecclesia, et ordine eodem ac superius innutum est, redibunt ad ecclesiam vel ad Altare maius.

52. In reditu ad ecclesiam vel ad Altare recitabitur sine cantu et voce competenti psalmus ***Miserere mei, Deus, secundum magnam*** etc. cum v. ***Requiem aeternam*** etc. ℟. ***Et lux perpetua*** etc. in fine.

53. Ad Altare quum redierint, clericus ferens vasculum relinquet illud in abaco et ponet pulvinum in medio gradu infimo, in quo geniculabit Epíscopus. Alter clericus cum thuribulo subsistet prope Altare a cornu Epistolae, et qui gestabit Crucem processionalem deponet eam a cornu Evangelii, accendet duo intorticia ac tradet ipsa sustinenda binis confratribus vel etiam duobus laicis extra presbyterium.

54. Episcopus progressus ante Altare, completa recitatione praedicti psalmi ***Miserere*** etc. stans ante Altare recitabit:

℣. Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

℣. Pater noster, et prosequetur secreto.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.

℟. Sed líbera nos a malo.

℣. A porta ínferi.

℟. Erue, Dómine, ánimas eórum.

℣. Dòmine exáudi oratiònem meam.

℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

OREMUS

Absòlve quaesumus Dòmine, ánimas famulòrum famularúmque tuárum ab omni vínculo delictórum: ut in resurrectionis glòria inter Sanctos et Eléctos tuos resuscitáti respírent. Per Christum Dòminum nostrum. ℟. Amen.

55. Postea Parochus detrahet Episcopo stolam nigri coloris, quam deponet in abaco, accipiet stolam coloris albi et imponet eam Episcopo, qui capiti detrahet pileolum et geniculabit super pulvino.

56. Tunc Parochus imponet sibi stolam albi coloris, ascendet ad Altare, explicabit corporale in medio, et accepta clavicula aperiet tabernaculum et colliget ex uno latere tentoriolum seu velum, si aderit in interiori tabernaculi parte. Genuflexionem faciet, paullulum conversus super dexteram suam ne tergum ad Episcopum vertat, descendet de Altari, sibi detrahet stolam et geniculabit a dexteris Episcopi.

57. Episcopus assurget et incensum, ministrante Parocho, sine benedictione demittet in thuribulum, quod sustinebitur a clerico stante.

58. Rursus geniculabit Episcopus in pulvino et accepto a Parocho thuribulo, incensabit SS. Sacramentum et Parocho thuribulum restituet.

59. Episcopus intonabit *Tantum ergo* quod canendo prosequetur populus et post inclinationem ad verba *Veneremur cernui*, assurget et pulvino a clerico de medio amoto, ascendet ad Altare cum Convisitatoribus, genuflexionem faciet, extrahet pixidem e tabernaculo seu ciborio, ponet in Altari, deteget, et inspiciet ac si opus fuerit, emanabit opportuna decreta, quae a Secretario S. Visitationis notabuntur.

60. Episcopus postquam visitaverit SS. Sacramentum, rursus cooperiet Pixidem, relinquens eam in Altari et Convisitatores recedent.

61. Parochus acceptum velum humerale albi coloris imponet humeris Episcopi genuflexi in suppedaneo eique ante pectus firmabit illud.

62. Cantabitur alter versiculus *Genitori Genitoque* etc. et Episcopus assurgens accipiet s. Pixidem, qua cooperta extremitatibus anterioribus veli humeralis impertietur triplicem populo benedictionem.

63. Benedictione impertita, Episcopus deponet Pixidem in Altari, genuflectet, de Altari descendet et rursus geniculabit super pulvino in medio gradu infimo ac velum humerale dimittet.

64. Parochus, imposita collo stola, claudet SS. Sacramentum intra tabernaculum, ut superius dictum est, et Episcopus post brevem orationem assurget, dimittet stolam albi coloris ac recepto pileolo et bireto, comitatus a Parocho et Convisitatoribus perget ad visitandum fontem baptismalem. Visitabit deinde Olea sancta et s. Reliquias in Sacrario. Poterit etiam prosequi visitationem sacrarum supellectilium, Altarium et ceterarum rerum, vel alia hora visitationem indicere, postremo ad suum hospitium a Parocho et reliquis comitatus redibit, ut in accessu ad ecclesiam.

In administratione Confirmationis

65. Parochus postquam certior factus erit de die et hora qua velit Episcopus hoc Sacramentum administrare, admonebit confirmandos et eorum compatres de die et hora qua parati debebunt in ecclesia adesse.

66. Sacramentum illud ministrabitur matutino tempore.

67. Curae erit Parocho, ut circum Altare fiat ex scamnis septum quoddam, intra quod stabunt compatres cum confirmandis, videlicet mares a dexteris, foeminae a sinistris.

68. Ipse Parochus unicuique confirmando tradet schedam in qua notatum erit nomen et cognomen confirmandi et nomen eius parentum, aetas eiusdem, nomen et cognomen compatris; quae schedae in functionis actu a clerico quodam accipientur et ope fili et acus coniungentur, ut deinde eorum nomina in librum confirmatorum referri possint.

69. Meminerit etiam Parochus uni vel pluribus exploratae fidei hominibus committere negotium claudendi ecclesiam postquam ingressus erit Episcopus, ne abire possint confirmandi, aut alii supervenire.

70. Pro administrando autem hoc Sacramento praeparabitur super Altare pro Episcopo stola albi coloris, mitra auriphrygiata, vasculum S. Chrismatis in pelvicula et aliquantum gossipii soluti ad abstergendam frontem confirmatorum. Super abaco disponetur urceus cum pelvi, mantile in lance et in altera pelvicula aliquantulum medullae panis et mali medici. A latere Evangelii in suppedaneo statuetur faldistorium, vel in huius defectu, sedes cum fulcris et pulvinus in medio gradu infimo.

71. In sacrario aderunt superpellicea pro Parocho et clericis et vasculum aquae benedictae cum aspergillo.

72. Hora praestituta ad campanarum sonum congregabuntur in ecclesiam confirmandi et eorum compatres. Parochus autem indutus superpelliceo una cum clericis perget ad hospitium Episcopi et comitabitur eum ad ecclesiam. Ad portam ecclesiae praesto erit clericus cum vasculo aquae benedictae et cum aspergillo. Episcopus induetur rocheto et mozzeta.

73. Episcopo ad portam ecclesiae progresso Parochus porriget cum consuetis osculis aspergillum, quo Episcopus seipsum signabit, deinde asperget circumstantes et aspersorio reddito Parocho, procedet ad Altare et geniculabit in genuflexorio, si aderit praeparatum, secus super pulvino posito in medio gradu infimo.

74. Oratione absoluta assurgens Episcopus genuflectet, si aderit SS. Sacramentum, ascendet ad Altare, amoto a clerico pulvino, et sedebit in faldistorio vel in sede ibi praeparata.

75. Episcopus sedens faciet admonitionem, ut a Pontificali praescribitur, quo ipso tempore praesto erunt Ministri ablutionis et clerici cum libro et cum scotula et alter cum acu et filo accepturus schedas confirmatorum.

76. Si Episcopus existimabit non opus esse admonitione, simul ac sederit, dimittet mozzetam et manus lavabit.

77. Interea claudentur ecclesiae portae, vel saltem providebitur ne quis e confirmandis exire, neve alii adiungi possint.

78. Tum Parochus Episcopo imponet stolam super rocheto et omnes confirmandi simul cum suis compatribus in genua procumbent.

79. Episcopus assurget ac elata voce et iunctis manibus, conversus ad confirmandos dicet.

Spíritus Sanctus supervéniat in vos, et virtus Altíssimi custódiat vos a peccátis. ℟. Amen.

Deinde se signans dicet:

℣. Adiutórium nostrum in nómine Dómini.

℟. Qui fecit cœlum et terram.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.

℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Extensis deinde manibus versus confirmandos, dicet.

OREMUS

Omnípotens sempitérne Deus, qui regeneráre dignátus es hos fámulos tuos ex aqua et Spíritu Sancto, quique dedísti eis remissiónem ómnium peccatórum: emítte in eos septifórmem Spíritum tuum Sanctum Paráclitum de cœlis. ℟. Amen.

Spíritum sapiéntiæ et intelléctus. ℟. Amen.

Spíritum consílii et fortitúdinis. ℟. Amen.

Spíritum sciéntiæ et pietátis. ℟. Amen.

Adímple eos Spíritu timóris tui et consígna eos signo Crucis ✠ Christi in vitam propitiátus ætérnam. Per eúmdem Dó-

minum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte eiùsdem Spíritus Sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

80. Post orationem Episcopus descendet de Altari et faciet genuflexionem si aderit ibi SS. Sacramentum, eiusque capiti imponetur mitra a Parocho, qui postea accipiet vasculum, in quo erit s. Chrisma, et gossipium.

81. Clericus qui debebit schedas confirmatorum colligere, praecedet Episcopum et advertet etiam, nisi aderit alius qui hoc officio fungatur, ut ipse colligat candelas ab eisdem confirmandis, si erit in more positum, ut illi praesentent candelam. Hac in re poterit coadiuvari ab aliis clericis, et defectu Cleri, poterit uti opera alicuius ex confratribus sacco indutis.

82. Dum Episcopus confirmabit unumquemque confirmandum, compater seu commater debebit imponere dexteram humero dextero confirmandi, deinde in huius fronte ligabit taeniam.

83. Episcopus in donanda Confirmatione intinget pollicem dexterum in s. Chrismate et imposita capiti confirmandi manu extensa, percontatus a compatre nomen illius, exequetur pollice unctionem in modum Crucis super frontem eiusdem, dicens:

N. signo te signo Cru ✠ cis et confírmo te Chrísmate salútis: In nómine Patris ✠ et Fílii ✠ et Spíritus ✠ Sancti. ℟. Amen.

Et leviter manu dextera percutiens genam sinistram confirmati, dicet:

Pax tecum, nec respondetur *Et cum spiritu tuo.*

84. Quum confirmati erunt omnes illi, qui se praesentaverint, Episcopus redibit ad Altare, et sedens in faldistorio la-

vabit manus, mundans pollicem dexterum medulla panis et mali medici.

85. Interea recitabitur sequens:

Ant. Confírma hoc, Deus, quod operátus es in nobis a templo sancto tuo, quod est in Jerúsalem. ℣. Glória Patri et Fílio et Spirítui Sancto. ℟. Sicut erat in princípio et nunc et semper, et in sæcula sæculórum. Amen. Confírma hoc, Deus, quod operátus es in nobis a templo sancto tuo, quod est in Jerúsalem.

86. Parochus detrahet mitram Episcopo, qui assurget, se convertet ad Altare et iunctis manibus, dicet:

℣. Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam.
℟. Et salutáre tuum da nobis.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

OREMUS

Deus, qui Apóstolis tuis Sanctum dedísti Spíritum et per eos eorúmque successóres cæteris fidélibus tradéndam esse voluisti: réspice propítius ad humilitátis nostræ famulátum, et præsta, ut eorum corda, quorum frontes sacro Chrísmate delinívimus, et signo sanctæ Crucis signávimus, idem Spíritus Sanctus in eis supervéniens templum glóriæ suæ dignánter inhabitándo perfíciat. Qui cum Patre et eodem Spíritu Sancto vivis et regnas Deus per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Deinde subiunget:

Ecce sic benedicétur omnis homo, qui timet Dóminum.

Et conversus ad confirmatos efficiet super eos Crucis signum dicens:

Bene ✠ dicat vos Dòminus ex Sion, ut videátis bona Jerúsalem òmnibus diébus vitae vestrae et habeátis vitam aetérnam. ℟. Amen.

87. Sedebit rursus in faldistorio vel in sede et compatres admonebit, ut in Pontificali et cum ipsis recitabit *Credo in Deum* et *Pater noster* et *Ave Maria.*

88. Aperientur portae ecclesiae sive sacelli, et Episcopus dimissa stola ac resumpta mozzeta, de Altari descendet, geniculabit super pulvillo, orabit brevi tempore, et eodem ordine ac traditum est in accessu, ad suam residentiam revertetur.

89. Postquam Episcopus Visitationem peregerit, eo ipso tempore, quo discessurus erit, redibit ad ecclesiam indutus habitu viatorio, ibique SS. Sacramentum adorans fundet preces; postea stans et ad Altare conversus in latere Epistolae, recitabit psalmum De profúndis clamávi etc. cum ℣. Réquiem aetérnam etc. et antiphonam Si iniquitátes observáveris etc.

Subiunget Pater noster et prosequetur secreto, tum

℣. Et ne nos inducás in tentatiònem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. A porta ínferi.
℟. Erue, Dòmine, ánimas eòrum.
℣. Requiéscant in pace.
℟. Amen.
℣. Dòmine exáudi oratiònem meam.

℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

OREMUS

Deus, cuius miseratióne ánimae fidélium requiéscunt, fámulis et famulábus tuis ómnibus hic et ubíque in Christo quiescéntibus da propítius véniam peccatórum; ut a cunctis reátibus absolúti, tecum sine fine laeténtur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

SACRARUM CAEREMONIARUM
MANUALE

PRO SACRAMENTORUM ADMINISTRATIONE AD PAROCHUM SPECTANTE, ET PRO BENEDICTIONIBUS DE EPISCOPI MANDATO FACIENDIS.

LIBER IV.

DE BAPTISMO UNIUS PARVULI ADMINISTRATO A PAROCHO VEL AB ALIO SACERDOTE EX EIUS MANDATO.

CAPUT I.

1. Quod spectat ad materiam et formam Baptismi, ad Ministrum ipsius, ad Compatres, ad Olea sancta et reliqua omnia, quae perspicue a Rituali Romano praescribuntur ubi sermo est de administratione huius Sacramenti, locus non est hic disserere. Quare solummodo ritum, hac in re servandum innuemus.

De rebus praeparandis.

2. Aperientur cancelli baptisterii, elevabitur operculum vel reserabitur ostiolum, quo coopertus seu clausus erit fons baptismalis.

3. Prope fontem super exiguo abaco cooperto alba tobalea aderunt binae stolae, altera coloris albi, altera violacei *(a)*, vascula S. Chrismatis et Olei sancti Catechumenorum in pelvicula argentea, vasculum vitreum cum sale iam benedicto, vel benedicendo, aliquantulum gossipii et medullae panis; urceus

(*a*) Inconveniens est usus stolae duplicis, sive ut aiunt, bifrontis, quoniam altera alterius videretur esse pannus subsutus: idcirco duas monuimus distinctas stolas esse praeparandas.

cum pelvi et mantile in usum Sacerdotis baptismum administraturi, manutergium ad extergendum caput infantis, linteolum album et mundum adhibendum loco vestis candidae, cereus unus, Rituale, nomina imponenda baptizando scripta in papyro, cochleare argenteum vel saltem stanneum ad effundendam aquam in caput infantis et pelvis seu concha ad excipiendam aquam quae defluet de capite parvuli, nisi in ipso fonte aderit sacrarium.

4. Si qua de caussa Sacramentum hoc administrandum esset noctu, aderunt lumina, quae satis sint ad illustrandum baptisterium *(a)*.

In functione

5. Rebus ita dispositis, se sistet extra portam ecclesiae compater vel commater cum infante, et Parochus lotis in sacristia manibus et superpellicio indutus supra vestem talarem, assistente clerico induto et ipso superpellicio accedet ad fontem, collo sibi imponet stolam violaceam et secum ferens Rituale, consistet in limine ecclesiae vel baptisterii, si hoc esset ab ecclesia seiunctum iuxta veterem disciplinam *(b)*.

6. Parochus stans in limine ex parte interiori ecclesiae vel baptisterii, interrogabit compatrem, dicens *N. quid petis ab Ecclesia Dei?*

(*a*) Sacramenta administranda sunt diurnis temporibus; ideoque sine gravi caussa baptismus noctu non conferetur.

(*b*) Exorcismi sunt faciendi extra portam ecclesiae vel baptisterii, quum perpiscua sit ratio, qua id a Rituali praescribatur.

Non erit supervacaneum hisce adnotationibus addere quae cap. 3. tit. XXVI. declarat Concilium Romanum habitum a Summo Pontifice Benedicto XIII, an. 1725. « Quia baptismus ianua est Sacramentorum et porta, per quam in Christi Ecclesiam intramus, sciant Parochi non nude a Romano Rituali praescribi, ut baptizandorum catechismus ad Ecclesiae ianuam, his cum patrinis extra existentibus, peragatur. Ipsis itaque districte praecipimus, ut ritum omnino servent eumdem, nec unquam committant contrarius procedat abusus: quemadmodum et alter ille, domi scilicet infantes baptizandi extra necessitatem, quae si unquam eveniat, erit ab Episcopo probanda. »

7. Notandum quod loco literae *N.* tum in hac tum in reliquis interrogationibus et orationibus exprimendum est nomen seu nomina baptizandi *(a)*.

8. Compater sive commater respondebit *Fidem.*

9. Parochus seu Sacerdos subiunget *Fides quid tibi praestat?*

10. Compater: *Vitam aeternam.*

11. Sacerdos: *Si igitur vis ad vitam ingredi* etc.

12. Hoc tempore clericus qui assistet Parocho, accipiet e baptisterio vasculum salis et mantile.

13. Postquam Parochus dixerit *proximum tuum sicut teipsum,* accedet aliquantulum ad infantem, leniter halitabit tribus vicibus super faciem eius, deinde subiunget *Exi ab eo* etc. Tum prosequetur *accipe signum Crucis* et pollice dextero Crucis signum efficiet in fronte infantis ad illa verba *in fronte* et alterum in pectore dicens *in corde.*

14. Postea Parochus recitabit orationem *Oremus. Preces nostras quaesumus, Domine* etc. qua completa, dexteram imponet capiti infantis, quam pergens sustinere extensam versus illum, dicet alteram orationem *Oremus. Omnipotens sempiterne Deus* etc.

15. His duabus orationibus absolutis, clericus Parocho praesentabit salem benedicendum, quod ille benedicet cum oratione *Exorcizo te, creatura salis* etc.

16. Si sal iam benedictus servaretur ad hunc usum in fonte, benedictione praedicta amplius opus non est.

17. Parochus pollice et indice dexterae accipiet pauca frustula salis eaque infundet in os infantis dicens *N. accipe salem* etc. et exterget digitos mantili, quod referetur ad fontem una cum sale a clerico assistente.

18. Deinde Parochus dicet *Pax tecum* et Compater respondebit *Et cum spirito tuo.* Et Parochus subiunget alteram orationem *Oremus. Deus patrum nostrorum* etc. Post ora-

(*a*) Si plura nomina baptizando imponuntur, solent communiter pronunciari omnia nomina prima vice, in ipso baptismatis momento et quum dimittitur baptizatus: reliquis vicibus primum tantum nomen pronunciatur.

tionem recitabit exorcismum *Exorcizo te* etc. advertens ut dextera benedictionis signum faciat versus infantem, quum dicet *in nomine Patris* etc. itemque ut Crucis signum pollice dextero faciat in fronte infantis sub finem exorcismi ad illa verba *quod nos fronti eius* etc.

19. Post exorcismum Parochus rursus dexteram imponet capiti infantis, eamque extensam sustinens versus illum, recicitabit orationem *Oremus. Aeternam ac iustissimam* etc.

20. Completa hac oratione, Parochus extremitatem sinistram stolae imponet capiti infantis et dicens ei. *N. ingredere in templum Dei* etc introducet ipsum in ecclesiam vel in baptisterium. Compater accipiet extremitatem stolae et gestans infantem, intrabit in ecclesiam vel in baptisterium una cum Parocho, incedens a sinistris eius.

21. Interea dum a porta accedent ad baptisterium, Parochus et Compater recitabunt *Credo* et *Pater noster*. Compater ea poterit recitare idiomate vernaculo, Parochus latino, ut notatur in Rituali.

22. Quum Parochus et Compater cum infante devenerint ad cancellos fontis, antequam ingrediantur in ipsum, Parochus subsistet humeris ad fontem versis, Compater cum infante stabit contra Parochum.

23. Parochus recitabit exorcismum *Exorcizo te, omnis immunde spiritus* etc.

24. Interea clericus in promptu habebit vasculum Olei sancti Catechumenorum in pelvicula et aliquantulum gossipii, adstans Parocho a dextris.

25. Postquam Parochus recitaverit exorcismum, pollice dextero accipiet ex ore suo paullulum salivae, qua tanget aurem dexteram baptizandi dicens *Ephpheta*, ac tanges sinistram dicet *quod est adaperire*. Narem deinde dexteram infantis tanget dicens *In odorem*, tum sinistram dicens *suavitatis* et prosequetur *Tu autem effugare* etc.

26. Parochus interrogabit baptizandum exprimens nomen eius et dicet *N. abrenuntias satanae?* Compater respondebit *Abrenuntio*. Parochus: *Et omnibus operibus eius?* Compater:

adrenuntio Parochus: *et omnibus pompis eius*. Compater: *abrenuntio*.

27. Compater vel Commater aperiet vestem infantis in pectore et in collo. Parochus intinget pollicem dexterum in Oleum sanctum Catechumenorum et dicens *Ego te linio* etc. pollice efficiet unctionem in formam Crucis primo in pectore, postea in humeris baptizandi ad verba *oleo salutis*. Post formulam Parochus exterget pollicem gossipio, quod ei porriget clericus, qui si in sacro ordine constitutus sit, absterget gossipio unctiones in pectore et in humeris baptizandi; secus hoc faciet Parochus ipse.

28. Clericus referet ab abacum vasculum Olei sancti Catechumenorum et accipiet stolam albi coloris.

29. Parochus dimittet stolam violaceam et sibi imponet alteram albi coloris, deinde intrabit in ambitum baptisterii et accedet ad fontem baptismalem. Compater cum infante sequetur Parochum.

30. Clericus ad abacum referet stolam violaceam et in promptu habebit cochleare ad effundendam aquam in caput infantis, et deinceps reliqua etiam, videlicet manutergium ad extergendum caput infantis, vasculum S. Chrismatis, linteolum seu vestem candidam et postremo cereum accensum.

31. Parochus, imposita sibi alba stola et adstans fonti, baptizandum interrogabit compellans eum, scilicet N. *credis in Deum* etc. Compater respondebit: *Credo*. Parochus: *Credis in Iesum Christum* etc. Compater: *Credo*. Parochus: *Credis in Spiritum Sanctum* etc. Compater: *Credo*.

32. Postea Parochus compellans baptizandum interrogabit, dicens *N. vis baptizari?* Compater respondebit: *Volo*.

33. Parochus se convertet ad fontem stans a dextera ipsius. Compater accedet ad fontem, supra quem sustinebit infantem capite nudato et inclinatum versus fontem ipsum. Clericus sustinebit pelvim infra caput infantis, si fons careret sacrario, seu loco in quem defluat aqua e capite baptizandi. Sin aderit sacrarium, Compater infantem sustinebit supra ipsum.

34. Parochus, accepto cochleari dextera, hauriet aquam

baptismalem, et dicens *N. ego te baptizo in nomine Patris* aquam prima vice effundet in formam Crucis super caput infantis, *et Filii* effundet aquam, ut supra, secunda vice, *et Spiritus Sancti* tertia vice.

35. Si mos erit conferendi Baptismum per immersionem, Parochus sumpto utraque manu infante, ter immerget caput illius in fontem, prima vice ad verba *in nomine Patris*, secunda *et Filii*, tertia *et Spiritus Sancti*. Hoc casu Compater vel Commater, sive uterque simul e manibus Parochi accipient infantem baptizatum.

36. Compater et Commater accipient manutergium et diligenter extergent caput infantis baptizati.

37. Exterso infantis capite, clericus praesentabit Parocho vasculum s. Chrismatis cum aliqantulo gossipio. Parochus pollicem dexterum intinget in s. Chrisma et dicens formulam *Deus omnipotens* etc. unctionem in formam Crucis faciet super verticem capitis (non vero in fronte) baptizati, quum pronunciabit verba *Ipse te liniat Chrismate salutis*. Parochus gossipio exterget pollicem et clericus, si sacro ordine fuerit constitutus, vel Parochus ipse unctionem in capite baptizati factam gossipio exterget. Quo facto, Parochus dicet *Pax tibi* et Compater respondebit *Et cum spiritu tuo*.

38. Clericus tradet Parocho vestem candidam, seu linteolum mundum lineum, quod explicatum Parochus imponet capiti baptizati dicens *Accipe vestem candidam* etc. Compater respondebit *Amen*.

39. Amota a baptizato veste candida, clericus tradet cereum accensum Parocho et hic Compatri, qui accipiet illum dextera, et Parochus dicet ei *Accipe lampadem ardentem* etc. Compater respondebit *Amen* et cereus a clerico recipietur.

40. Post haec Parochus dicet baptizato *N. vade in pace* etc. Compater autem respondebit *Amen*.

41. Compater cum infante baptizato discedet, et Parochus deposita stola albi coloris, accedet ad abacum et lavabit manus et utetur medulla panis ut pollicem Oleis sanctis perfusum extergat.

42. Clericus aquam supradictam et alteram quoque in baptismo adhibitam infundet in sacrarium et claudet fontem, resque omnes, quae opus fuerunt in administratione huius Sacramenti, vel in baptisterio vel in sacristia reponet.

DE BAPTISMO PLURIUM INFANTIUM ADMINISTRATO A PAROCHO VEL AB ALIO SACERDOTE EX EIUS MANDATO.

CAPUT II.

De rebus praeparandis

1. Aperientur cancelli Baptisterii et operculum quoque sive ostiolum, quod cooperiet vel claudet fontem baptismalem.

2. Prope fontem praeparabitur parvus abacus alba tobalea contectus, in quo disponentur binae stolae, alba scilicet ac violacea; vascula Olei sancti Catechumenorum et s. Chrismatis in pelvicula argentea, vasculum vitreum cum sale benedicto vel benedicendo; aliquantulum gossipii et medullae panis; urceus cum pelvi et mantile seu manutergium in usum Parochi, qui administrabit baptismum; manutergia correspondentia numero baptizandorum ad extergendum eorum caput; linteolum albi coloris mundum, adhibendum pro veste candida; cereus unus, Rituale, nomina cuiusque baptizandi scripta in pagella, sed distincta, ne oriatur aequivocatio in interrogationibus; cochleare argenteum vel stanneum ad fundendam aquam in caput baptizandi; pelvis ad excipiendam aquam, quae defluet de capite baptizati, nisi in fonte ipso adesset sacrarium.

In functione

3. Hora praestituta extra portam ecclesiae vel baptisterii, si hoc ab ecclesia seiunctum esset iuxta veterem disciplinam,

se sistent compatres et commatres cum infantibus. Mares a sinistra et foeminae a dextera ingressus consistent ita, ut illi a dextera, istae a sinistra stent Parochi vel Sacerdotis baptismum administraturi.

4. Parochus indutus veste talari lavabit manus et sibi imponet superpelliceum et stolam violaceam; tum manu sustinens Rituale et assistente uno vel duobus clericis superpellicio indutis, subsistet in limine ecclesiae vel baptisterii, et primus compater cum primo infante masculo se sistet ante eum.

5. Parochus proferens nomen seu nomina primo infanti imponenda, interrogabit *N. quid petis ab Ecclesia Dei?*

6. Notandum, quod loco literae *N.* tum in ista tum in reliquis interrogationibus, nomen, vel nomina baptizandi exprimenda sunt. (*a*)

7. Compater respondebit *Fidem.*

8. Parochus subiiciet *Fides quid tibi praestat?* Compater autem: *Vitam aeternam.* Parochus: *Si igitur vis ad vitam ingredi* etc. usque ad illa verba *proximum tuum sicut teipsum* inclusive.

9. Postea Parochus accedet ad infantem praedictum et leniter tribus vicibus halitabit in faciem eius, ac deinde dicet *Exi ab eo* etc. Tum prosequetur *accipe signum Crucis* et pollice dextero Crucis signum in fronte eius signabit ad verba *in fronte* et alterum in pectore, dicens *in corde* et continuabit formulam usque ad finem, videlicet *ut templum Dei iam esse possis.*

10. Tunc recedet Compater cum primo infante et prodibit alter, quem Parochus interrogabit *N. quid petis* etc. usque ad verba praedicta.

11. Sic deinceps interrogabit tertium, sic quartum et reliquos, postea foeminas.

12. Clericus accipiet salem cum mantili, quum Parochus interrogabit ultimum baptizandum.

13. Postquam Parochus interrogaverit, ut supra, omnes

(*a*) Confer adnotationes cap. praecedenti positas sub num. 3. 4. et 7.

infantes sive eorum compatres et commatres, stantibus singulis suo loco, quo erant functionis initio, dicet orationem *Oremus. Preces nostras* etc. plurali numero.

14. Hac oratione completa, unusquisque compater accedet ad Parochum, qui manum imponet capiti singulis baptizandis masculis et foeminis, et immediate redibunt ad locum quisque suum.

15. Deinde Parochus sustinens manum extensam versus baptizandos, orationem plurali numero dicet *Oremus. Omnipotens sempiterne Deus* etc.

16. Post hanc orationem, clericus praesentabit Parocho salem, quem benedicet cum exorcismo et oratione *Exorcizo te, creatura salis* etc.

17. Si sal esset iam benedictus, omittetur eius benedictio.

18. Parochus accipiet pauca frustula salis et infundet in os primi baptizandi, dicens N. *accipe salem* etc. Idipsum deinceps faciet secundo, tertio et reliquis, deinde foeminis, servans ordinem, quo usus est in interrogationibus. In hac actione unusquisque compater cum infante successive se sistent ad Parochum, qui postquam singulis salem in os infuderit, dicet *Pax tecum* et compater vel commater respondebit *Et cum spiritu tuo.*

19. Hoc facto, Parochus exterget digitos mantili, ac deinde orationem numero plurali recitabit *Oremus. Deus patrum nostrorum* etc. Post orationem subiiciet exorcismum *Exorcizo te* etc. pariter numero plurali, advertens, ut dextera benedicat versus baptizandos ad verba *In nomine Patris* etc. Quod autem ad verba *et hoc signum sanctae Crucis, quod nos fronti eorum damus*, accendentibus ad ipsum compatribus, signo Crucis in fronte signabit omnes baptizandos alterum post alterum, quo omnibus signatis, prosequetur *tu maledicte diabole* etc.

20. Post hunc exorcismum Parochus dexteram imponet capiti cuiusque baptizandi, deinde sustinens eamdem manum extensam versus ipsos, leget plurali numero orationem *Oremus. Aeternam ac iustissimam pietatem* etc.

21. Hac oratione recitata, Parochus extremitatem dexteram stolae imponet capiti primi baptizandi et extremitatem sinistram

capiti primae baptizandae et dicet N. N. *ingredimini in templum Dei* etc. Quum plures sint baptizandi infantes masculi et foeminae, primus compater et prima commater manu tenebunt stolam, secundi et secundae compatres et commatres manu tenebunt primos et primas, et sic de ceteris; et intrabunt in ecclesiam. Mares locum sument a dexteris, foeminae a sinistris Parochi.

22. Parochus introducet eos in ecclesiam vel in baptisterium, et dum procedent ad fontem baptismalem, recitabunt *Credo* et *Pater noster*. Compatres et Commatres poterunt haec recitare vulgari sermone.

23. Progressi ante cancellos fontis extra baptisterium, mares et foeminae subsistent eodem ordine, quo stabant in porticu seu extra portam ecclesiae.

24. Parochus antequam ingrediatur in baptisterium, subsistet ibi humeris ad fontem versis, et conversus ad baptizandos dicet plurali numero exorcismum *Exorcizo te* etc.

25. Hoc tempore clericus in promptu habebit vasculum Olei sancti Catechumenorum in pelvicula et aliqantulum gossipii et adstabit Parocho a dextris.

26. Recitato plurali numero praedicto exorcismo, primus Compater cum baptizando approximabit ad Parochum; qui extremitate pollicis dexteri, accepta ex ore suo aliquantula saliva, tanget aures et nares baptizandi: tangens aurem dexteram dicet *Ephpheta* sinistram *quod est adaperire*; tangens narem dexteram *in odorem*, sinistram *suavitatis*; et prosequetur formulam dicens *tu autem effugare, diabole, approquinquabit enim iudicium Dei.*

27. Recedet primus Compater cum baptizando, et accedet secundus ad Parochum, qui peraget eadem ac primo, et sic de ceteris et post eos de foeminis.

28. Quum Parochus saliva tetigerit aures et nares baptizandorum omnium, rursus se sistet ante eum primus Compater cum infante, et Parochus pronuntians nomen baptizandi istius interrogabit dicens N. *abrenuntias Satanae?* Compater respondebit *abrenuntio* Parochus: *Et omnibus operibus eius?* Com-

pater: *Abrenuntio* Parochus: *Et omnibus pompis eius?* Compater: *Abrenuntio.*

29. Compater aperiet vestem infantis in pectore et in humeris. Parochus intinget pollicem dexterum in Oleum sanctum Catechumenorum, et proferens formulam *Ego te linio* etc. pollice dextero unctionem faciet in formam Crucis primo in pectore, deinde in humeris infantis ad verba *oleo salutis*. Post formulam Parochus exterget gossipio unctiones, quas fecerit infanti, quod etiam fieri poterit a clerico ei assistente, dummodo sacro ordine constitutus eit.

30. Post unctionem recedet primus Compater et accedet alter cum baptizando, cui Parochus unctiones faciet ut primo, atque ita deinceps reliquis masculis et foeminis, Post unctionem ultimi sive ultimae baptizandae, Parochus gossipio exterget etiam pollicem suum.

31. Clericus referet ad abacum vasculum Olei sancti cum gossipio et accipiet stolam albi coloris.

32. Parochus dimittet stolam violaceam et sibi imponet alteram albi coloris, intrabit in baptisterium et accedet ad fontem baptismalem. Compater primus cum infante sequetur Parochum.

33. Interea clericus referet ad abacum stolam violaceam et in promptu habebit cochleare ad effundendam aquam in caput infantis, mantile ad extergendum caput eius, deinde vasculum s. Chrismatis, vestem candidam et cereum.

34. Parochus imposita sibi, ut supra dictum est, stola albi coloris, et adstans fonti baptismali, interrogabit baptizandum, compellans eum N. *credis in Deum* etc. Compater respondebit *Credo*. Parochus: *Credis in Jesum Christum* etc. Compater: *Credo* Parochus: *Credis in Spiritum Sanctum* etc. Compater: respondebit *Credo.*

35. Postea Parochus: interrogabit baptizandum, compellans eum N. *vis baptizari?* compater respondebit *Volo.*

36. Parochus se convertet ad fontem a dextris ipsius. Compater accedet ad fontem, super quem sustinebit infantem inclinatum et capite nudato. Clericus sustinebit pelvim infra caput infantis, si in fonte deesset sacrarium; sed si sacrarium aderit

seu locus in quem decidat aqua defluens de capite baptizandi, compater super ipsum sustinebit infantem, ut supra.

37. Parochus, accepto dextera cochleari, attinget aquam baptismalem, ac dicens N. *ego te baptizo in nomine Patris* etc. effundet aquam in formam Chrucis super caput infantis prima vice, et dicens *et Filii* effundet aquam, ut supra, secunda vice, *et Spiritus Sancti* effundet tertia vice.

38. Si baptismum conferendum esset per immersionem, servabitur quod capite praecedenti num. 35. notatum est.

39. Compater vel commater accipiet mantile et caput baptizati diligenter extergent.

40. Capite infantis exterso, clericus praesentabit Parocho vasculum s. Chrismatis cum aliquantulo gossipio. Parochus intinget pollicem dexterum in s. Chrisma et recitans formulam *Deus omnipotens* etc. unctionem faciet in modum Crucis super verticem capitis (non vero in fronte) baptizati ad illa verba *ipse te liniat Chrismate salutis* etc. Exterget deinde gossipio pollicem suum et unctionem in infante peractam. Hoc fieri poterit etiam a clerico, si sacro ordine constitutus sit.

41. Clericus tradet Parocho vestem candidam seu linteolum mundum lineum, quod explicatum Parochus imponet capíti baptizati, dicens *Accipe vestem candidam* etc. Compater respondebit *Amen*.

42. Amota a capite baptizati veste candida, clericus tradet Parocho cereum accensum et Parochus compatri, dicens *Accipe lampadem ardentem* etc. Compater respondebit *Amen* et cereus a clerico recipietur.

43. Postremo Parochus baptizato dicet N. *vade in pace* etc. Compater respondebit *Amen*.

44. Discedet e fonte primus compater cum infante baptizato, et succedet in locum eius secundus quem Parochus interrogabit N. *credis in Deum* etc. ut supra cum iis quae sequuntur usque ad finem. Idipsum deinceps fiet singulis alîis baptizandis, masculis et foeminis, servando semper methodum eamdem a num. 34. ad num. 43. inclusive huius capítis.

45. Postquam discesserit ultimus baptizatus, Parochus di-

mittet stolam albi coloris et lavabit manus, abstergens pollicem medulla panis.

46. Aqua antedicta et illa quoque, quae adhibita fuit in baptismo, infundetur in sacrarium, claudetur fons et suo loco reponentur res omnes, quae opus fuerunt in administratione huius Sacramenti.

DE BAPTISMO ADULTORUM A PAROCHO ADMINISTRATO

CAPUT III.

1. Baptisma adultis conferendum esset ab Episcopo, praesertim in Sabbato sancto vel in Sabbato Pentecostes.

2. Si qua de causa functio haec peragenda esset a Parocho sive ab alio Sacerdote, sequens methodus observabitur (*a*).

De rebus praeparandis

3. In sacristia praeparabitur pluviale coloris violacei cum stola simili et superpelliceea pro inservientibus.

4. In baptisterio. Aperientur cancelli et fons baptismalis. Super abaco cooperto alba tobalea ponetur pluviale coloris albi cum stola simili, vascula Olei sancti Catechumenorum et s. Chrismatis in pelvicula cum aliquantulo gossipio; urces cum pelvi, mantile et aliquantulum medullae panis; unum vel plura manutergia ad extergendum caput Catechumemi; vestis candida, candela, cochleare ad effundendam aquam baptismalem, si baptisma conferatur per infusionem, et pelvis ad recipiendam aquam baptismalem, si fons careret sacrario.

5. In Altari maiore. Pallium violaceum et super abaco

(*a*) Has instructiones tradimus pro ecclesiis parochialibus. Si conferendum esset baptisma in aliqua ecclesia, quae fonte baptismali destituta sit, conferetur ad Altare; qua in re conferre poterunt quae documenta trademus lib. VII. cap. XII. agentes de Episcopo.

vasculum cum sale, purificatorium seu mantile; Rituale et nomina catechumeno imponenda, grandioribus characteribus scripta.

In functione

6. Hora praestituta, quae in matutinis esse debet, siquidem tam Parochus, quam Catechumenus ieiuni debent esse, congregabitur Clerus in sacristiam, et clerici sibi induent superpelliceum supra vestem talarem. Parochus lavabit manus, deinde supra superpelliceum imponet sibi stolam et induetur pluviali violaceo.

7. Catechumenus cum Compatre subsistet extra portam ecclesiae.

8. Qui de Clero sunt, omnes bini, ultimo loco Parochus paratus, ut supra, et capite operto proficiscetur ad Altare maius, in quo aequum est, ut ardeant sex cerei.

9. Clerus ante Altare quum venerit, se ibi in ordinem disponet, et Parochus procedet ante Altare in medium, nudabit caput, biretum tradet cuidam e clericis et facta ad Crucem reverentia, geniculabit in infimo gradu ac brevi tempore orabit, ut digne possit, Deo suffragante, hoc Sacramentum administrare.

10. Interim clericus unus ex abaco accipiet Rituale, quod tradet Parocho.

11. Parochus assurget et cum eo clerici omnes, signabit se ac dicet *Deus in adiutorium* etc, ut in Rituali, et simul cum clericis recitabit antiphonam *Effundam* etc. cum psalmis, versiculis et orationibus.

12. Sub finem orationum clericus unus ex abaco accipiet vasculum cum sale, purificatorium seu mantile et folium, quo continentur nomina Catechumeni.

13. Clerus, omnibus incedentibus binis, proficiscetur ad portam ecclesiae, ultimo loco post Clerum Parochus: duo clerici gestabunt Rituale cum nominibus baptizandi et vasculum salis.

14. Ad portam ecclesiae Parochus nudabit caput et subsistet in limine portae; Clerus ordinabitur a lateribus Parochi; Catechumenus, ut supra dictum est, extra portam stabit simul cum compatre suo.

15. Parochus interrogabil Catechumenum *Quo nomine vocaris?* Catechumenus respondens latino aut vulgari sermone proferet nomina sibi imponenda.

16. Parochus pronuncians nomina Catechumeni (idque faciet quatiescumque in Rituali signata erit litera N.) dicet N. *quid petis ab ecclesia Dei?* Catechumenus respondebit *Fidem* et sic fient deinceps reliquae interrogationes (*a*).

17. Post interrogationem *Credis et in Spiritum Sanctum* etc. et responsionem *Credo*, Parochus tribus vicibus sufflabit leniter in faciem Catechumeni et dicet *Exi ab eo spiritus immunde* etc. deinde halitabit leniter in faciem illius et dicet N. *accipe Spiritum* etc.

18. Tum Parochus dicet N. *accipe signum Crucis* et pollice dextero Crucis signum imprimet in fronte Catechumeni dicens *tam in fronte*, deinde in pectore *quam in corde*, et prosequetur *sume fidem* etc. advertet autem expressionem relativam ad sectam, ex qua proveniet Catechumenus antequam dicet *Cole Deum* etc. ut in Rituali.

19. Parochus recitabit orationem *Oremus. Te deprecor* etc.

20. Post haec pollice dextero signabit frontem, aures, oculos etc. Catechumeno ut in Rituali, dicens *Signo tibi frontem* etc. recitabit tres sequentes orationes et in tertia dexteram imponet capiti Catechumeni.

21. Completis tribus orationibus, clericus aliquis praesentabit Parocho salem, quem ipse benedicet dicens *Exorcizo te, creatura salis* etc. Quae tamen benedictio omittetur, si sal esset ad hunc usum iam benedictus.

22. Antequam Parochus porrigat salem Catechumeno, dicet alteram orationem *Oremus. Domine sancte* etc. quae tamen omittetur, si Catechumenus non ethnicus esset sive idolatra.

23. Parochus indice et pollice dexterae accipiet aliquot frustula salis eaque infundet in os Catechumeni dicens N. *accipe salem* etc. et ille respondebit *Amen*. Parochus: *Pax tibi*. Catechumenus: *Et cum spiritu tuo*.

(*a*) Relate ad nomen, inspiciatur adnotatio num. 7. cap. I. hujus libri.

24. Si necesse fuerit, Parochus absterget digitos purificatorio, deinde subiunget orationem *Oremus Deus patrum nostrorum* etc.

25. Postea Parocus dicet Catechumeno *Ora, electe, flecte genua et dic Pater noster*.

26. Catechumenus genua submittet et dicet *Pater noster* usque ad verba *Sed libera nos a malo* inclusive.

27. Parochus illi dicet *Leva, comple orationem tuam et dic Amen*.

28. Catechumenus assurget ac dicet *Amen*.

29. Parochus dicet Compatri *signa eum*.

30. Compater pollice dextero Crucis signum efficiet in fronte Catechumeni, dicens *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*.

31. Parochus dicet Catechumeno *Accede* eique pollice dextero signum Crucis faciet in fronte, dicens *In nomine Patris* etc.

32. Et sic prosequetur reliquos exorcismos, ut in Rituali, in quibus nulla occurrit peculiaris adnotatio.

33. Exorcismis absolutis, Parochus dexteram imponet capiti Catechumeni et recitabit orationem *Oremus. Aeternam ac iustissimam* etc.

34. Post orationem Parochus porriget Catechumeno extremitatem sinistram stolae dicens ei N. *ingredere in sanctam Ecclesiam* etc. et introducet ipsum in templum Dei.

35. Catechumenus ingressus in ecclesiam, dimittet stolam quam manu tenebat, genua submittet ac pavimentum osculabitur.

36. Deinde assurget, recipiet stolam manu et incedens a sinistris Parochi procedet cum ipso versus baptisterium (*a*) et recitabunt interea *Credo in Deum* et *Pater noster*. Parochus recitabit *Credo* et *Pater* sermone latino, Catechumenus poterit recitare vulgari, si latine dicere difficile ipsi esset.

(*a*) Non est probandus usus in quibusdam ecclesiis receptus, in quibus quum adsit fons baptismalis, ad functionem efficiendam solemniorem, erigitur in hanc rem novum Altare in media ecclesia, vel confertur baptisma apud Altare primarium.

37. Parochus cum Cathecumeno ante ingressum baptisterii quum venerint, subsistent ibi, et Parochus dextera imposita capiti Catechumeni, qui stabit ante ipsum, recitabit exorcismum *Nec te latet, Satana* etc.

38. Interea clericus aliquis in promptu habebit vaculum Olei sancti Catechumenorum et aliquantulum gossipii; compater autem Catechumeno aperiet vestes circa collum et pectus.

39. Post exorcismum Parochus pollice dextero accipiet ex ore suo paullulum salivae et ipsa tanget aures et nares Catechumeni, dicens *Ephpheta* etc. et prosequetur verba *tu autem effugare* etc.

40. Rursus interrogabit Catechumenum *Quis vocaris?* et ipse respondebit proferens nomina sibi imposita. Parochus N. *abrenuntias Satanae?* et prosequetur reliquas interrogationes post quas intinget pollicem dexterum in Oleum sanctum Catechumenorum eique peraget unctionem in formam Crucis super pectus et humeros, dicens *Ego te linio* etc.

41. Parochus pollicem suum, deinde unctiones in Catechumeno peractas absterget gossipio et subiunget *Exi, immunde spiritus* etc.

42. Deinde Parochus accedet ad abacum praeparatum prope fontem, ibique deponet pluviale cum stola violacea et induet sibi stolam cum pluviali albi coloris.

43. Indutus albo pluviali Parochus ducet Catechumenum in interiorem partem fontis et interrogabit eum *Quis vocaris?* et ipse respondens proferet nomina sibi imposita, ut supra, et Parochus continuabit interrogationes usque ad illam *Vis baptizari?* inclusive. Et quando Catechumenus responderit *Volo,* Parochus, ipse vel alius Sacerdos eum excitabit ad perfectum animi de commissis dolorem.

44. Tunc Compater aperiet vestes circa collum Catechumeni, qui caput inclinabit super sacrarium fontis vel super pelvim praeparatam. Compater manum imponet super eius humerum dexterum.

45. Interea clericus unus in promptu habebit mantile quo tergetur caput baptizati, itemque vestem candidam et candelam.

Alter clericus sustinebit vasculum s. Chrismatis et aliquantum gossipii.

46. Parochus, accepto cochleari et extracta aqua baptismali, dicens N. *ego te baptizo in nomine Patris,* effundet aquam super caput Electi in modum Crucis prima vice *et Filii* secunda vice, *et Spiritus Sancti* tertia (*a*).

47. Si mos in ecclesia receptus esset administrandi baptismum per immersionem, inspiciatur quod de baptismo administrato ab Episcopo docebimus lib. 7. cap. 12.

48. Compater accipiet mantile seu manutergium et maxima cum diligentia terget caput baptizati.

49. Aqua, quae defluet de capite baptizati, si deerit sacrarium seu piscina in ipso fonte, servabitur ut in sacrarium seu piscinam deiiciatur.

50. Absterso capite baptizati, Parochus intinget pollicem dexterum in s. Chrisma et pronuncians formulam *Deus Omnipotens* etc. liniet s. Chrismate verticem capitis neophyti ad verba *ipse te liniat chrismate salutis* etc. et neophytus respondebit *Amen.* Parochus subiiciet *Pax tecum,* et neophytus respondebit *Et cum spiritu tuo.*

51. Parochus pollicem suum, deinde unctionem in capite neophyti factam gossipio exterget.

52. Parochus accipiet vestem candidam et ipsa induet neophytum, dicens *Accipe vestem candidam* etc. (*b*).

(*a*) In Rituali ad baptismum pro adultis legitur in rubrica « Ducitur Electus ad baptisterium; ubi si ob aliquam causam non habeatur, sive praeparata non fuerit aqua baptismalis, fiat benedictio fontis, ut infra ponitur » Difficile est, quod haberi non possit aqua baptismalis: tamen si deesset, fiet benedictio in antecessum functionis, quae quidem est satis prolixa. Atque hic videtur esse rubricae sensus; et pollem ut illud *fiat* acciperetur pro ipso tempore functionis.

(*b*) Non ante, sed post baptismum induendus est veste candida neophytus. Proderit hoc loco referre hac super re dispositionem Concilii Romani habiti sub Benedicto XIII. anno 1725, tit. XXIV. cap. 2. » Non « est in solemni adultorum baptismate sine redargutione praetereunda « illa sacri Ritus inversio; dum Catechumeni ad divinum permittuntur « accedere lavacrum, candida induti Neopytorum veste, quam tantum-

53. Deinde Parochus tradet illi candelam accensam, quam accipiet dextera, et dicet ei *Accipe lampadem ardentem* etc.

54. Postremo Parochus dicet ei N., *vade in pace* etc. et Neophytus respondebit *Amen.*

55, Hac actione absolvitur solemnis administratio huius Sacramenti.

56. Parochus recedet ad abacum, ubi medulla panis lavabit manus; aqua autem lotionis deiicietur in sacrarium. Post haec ordine praedicto redibit in sacristiam et sacra indumenta deponet.

57. Si sanctam Eucharistiam Parochus administraturus sit neophyto, post ea quae tradita sunt, celebrabit Missam, hoc autem non est faciendum, nisi cogente necessitate, quum ante Eucharistiam neophytus e manibus Episcopi accipere deberet Sacramentum Confirmationis.

DE BENEDICTIONE FONTIS BAPTISMALIS EXTRA SABBATUM SANCTUM ET PENTECOSTES

CAPUT IV.

1. Benedictio haec facienda erit quotiescumque aqua consecrata in fonte deesset, vel ita esset corrupta, ut amplius adhiberi non posset in baptismatis administratione. Porro fieri poterit quocumque die et quavis hora.

« modo post Baptismum tradimus baptizatis, in gloriosae signum resur-
« rectionis, ad quam homines e sacro fonte regenerantur, novaeque
« vitae innocentiam significandam, quam, post veteres ablutas maculas,
« servare debent immaculatam ante tribunal Christi perferendam. Haec
« itaque et similia a sacrarum caeremoniarum Magistris animadvertan-
« tur; caveantque Parochi, ne suarum instructionum defectu quod fide-
« libus ab Ecclesia mystice traditum est ad salutem, pompae serviat et
« vanitati.

De rebus praeparandis

2. Extrahetur e fonte aqua corrupta, si hac de caussa renovanda erit benedictio, fons ipse diligenter purgabitur et alia aqua recenti et limpida replebitur.

3. Prope fontem praeparabitur abacus alba tobalea contectus, in quo disponetur Rituale, urceus et pelvis cum mantili seu manutergio pro ablutione manuum Celebrantis, aliquantula medulla panis et mali medici in pelvicula, binae ampullae, altera Olei sancti Catechumenorum, altera S. Chrismatis in lance argentea vel stannea; thuribulum cum navicula; alterum mantile e tela rudi vel spongia ad abstergendum fontem et Missale apertum vel signaculo posito ad Litanias Sabbati Sancti, sive etiam Breviarium signatum ad Litanias post psalmos poenitentiales.

4. Ante fontem sternetur tapetum exiguum.

5. Quod si in baptisterio adesset Altare, gradus sternentur tapeto, et exornabitur ipsum candelabris cum cereis et Cruce.

6. In sacristia praeparabitur pluviale cum stola violacea et superpelliceum pro Celebrante, superpellicea pro clericis inservientibus, Crux hastilis et duo candelabra cum candelis pro Acolythis.

7. In promptu erit etiam ignis adhibendus in thuribulo.

In functione

8. Hora praestituta accendentur candelae in candelabris Acolythorum et cerei in Altari baptisterii, si aderit.

9. Clerici et ceteri assistentes superpelliceum sibi induent super vestem talarem.

10. Celebrans supra superpelliceum induetur stola et pluviali violaceo.

11. Procedetur ad fontem ordine sequenti.

12. Praeibit clericus deferens Crucem hastilem, a lateribus eius duo Acolythi candelabra gestantes cum cereis ardentibus.

Qui de Clero sunt, bini incedent. Postremo Celebrans medius inter duos Presbyteros vel clericos superpellicio indutos, qui fimbrias pluvialis ejus sustinebunt.

13. Quum ventum erit in baptisterium, Crux cum Acolythis consistet a dexteris fontis, Clerus disponetur in duas alas circa fontem vel ante Altare et Celebrans se sistet ante Altare vel fontem.

14. Ibi Celebrans nudabit caput, salutabit Crucem Altaris, si aderit, et ab uno assistentium, tradito ei Breviario vel Missali, stans pedibus recitabit Litanias et Clerus respondebit. Quum recitaverit versiculum *Ut omnibus fidelibus defunctis.* etc. attollente fimbrias pluvialis eius primo assistente, conversus ad fontem dicet duabus vicibus versus illum *Ut fontem istum* etc. et benedicet eum, duplex Crucis signum efficiens dum dicet *benedicere et consecrare.* Complebit Litanias, deinde elata et clara voce recitabit *Pater noster* et *Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem* etc.

15. Post *Credo* recitabit versiculos et orationem *Omnipotens sempiterne Deus* etc.

16. Interea thuriferarius ibit in sacristiam, praeparabit ignem in thuribulo, quod afferet ad fontem, et alter clericus in promptu habebit manutergium ad tergendas manus Celebrantis et spongiam vel mantile rude ad abstergendum fontem.

17. Celebrans post orationem accedens ad fontem, recitabit exorcismum super aquam, quam deinde benedicet dextera dum dicet *per Deum vivum* etc. Recitatis verbis *manare iussit* dividet aquam manu dextera in quatuor partes et effundet aliquantulam extra labrum fontis versus quatuor coeli plagas. Assistens vel clericus porriget ei manutergium, quo terget manum et alter clericus spongia vel mantili e tela rudi exterget partem externam fontis, quae perfusa fuerit aqua delapsa.

18. Celebrans resumet recitationem exorcismi a verbis *et in quatuor fluminibus* et continuabit usque ad finem. Recitabit deinde orationem *Oremus. Domine Sancte* etc.

19. Interea clericus unus in promptu habebit ampullas cum Oleis sanctis infundendis in fontem.

20. Completa oratione. Celebrans in tres partes sufflabit in aquam in modum graecae literae ψ. Incensum deinde, ministrante uno ex assistentibus, cum benedictione demittet in thuribulum, quo accepto ab eodem assistente, adolebit aquam triplici ductu; restituet illud assistenti et hic thuriferario, qui referet illud in sacristiam.

21. Assistens Celebranti tradet ampullam Olei sancti Catechumenorum.

22. Celebrans dextera accipiet ampullam praedictam et dicens *Sanctificetur* etc. infundet aliquantulum in aquam in formam Crucis dum dicet *in nomine Patris* etc.

23. Restituet ampullam assistenti et hic tradet ei alteram cum S. Chrismate, cuius, dicens formulam *Infusio Chrismatis* etc. aliquantulum in aquam infundet in formam Crucis ad illa verba *in nomine Sanctae Trinitatis*.

24. Retinens deinde ampullam S. Chrismatis dextera et recipiens alteram cum Oleo sancto Catechumenorum sinistra, utrumque simul Oleum in aquam infundet in modum Crucis ad illa verba *in nomine Patris* etc. formulae *Commixtio Chrismatis* etc.

25. Restituet ampullas assistenti, qui referet ipsas ad abacum; extremitate dexterae leviter expandet et miscebit Olea sancta cum aqua fontis baptismalis; postea accedens ad abacum, manus absterget medulla panis et lavabit.

26. Lotio manum effundetur in sacrarium.

27. Postremo eodem ordine, quo venerunt ad fontem, redibunt in sacristiam Clerus et Celebrans qui sacra parameta deponet.

DE RITU SUPPLENDI CAEREMONIAS IN BAPTISMO INFANTIS. (a)

CAPUT V.

Quae sint praeparanda

1. Aperientur cancelli baptisterii et prope fontem baptísmalem, qui clausus erit, praeparabitur parvus abacus alba tobalea contectus, in quo disponetur stola violacea, altera coloris albi, vasculum salis benedicendi, vel iam benedicti, vascula Olei sancti Catechumenorum et S. Chrismatis in lance argentea, aliquantulum gossipii et medullae panis, urceus cum pelvi et manutergium in usum Parochi sive Sacerdotis, qui hunc ritum persolvet, linteolum album mundum, adhibendum loco vestis candidae, candela, Rituale et nomina baptizato imposita, grandioribus characteribus scripta in papyro.

In functione

2. His rebus dispositis, extra portam ecclesiae se sistet Compater vel Commater cum infante, et Parochus, ablutis manibus in sacristia et superpellicio indutus supra vestem talarem, assistente clerico induto pariter superpellicio, procedet ad fontem, stolam, violaceam collo imponet, et manu sustinens Rituale, subsistet in limine ecclesiae vel baptisterii, si hoc seiunctum ab ecclesia esset iuxta veterem disciplinam.

3. Parochus remanens in limine interiori ecclesiae vel

(a) In Rituali romano, edito Romae typis de Propaganda Fide anno 1847, extat insertus per extensum ritus supplendi caeremonias baptismatis pro infantibus et adultis; idque factum fuit superiorum permissu in commodum Missionariorum, quibus difficile erat hunc ritum peragere ex solis citationibus quae in antiquo Rituali inveniuntur.

baptisterii, interrogabit compatrem dicens *N. quid petis ab ecclesia Dei?*

4. Quum in Rituali signata est litera *N.* Parochus exprimere nomina baptizati debet (*a*).

5. Compater seu Commater respondebit *Fidem.*

6. Parochus prosequetur reliquas interrogationes et clericus interea in promptu habebit vasculum salis et mantile.

7. Post interrogationes accedet aliquantum ad infantem Parochus, suflabit leniter tribus vicibus in faciem eius, postea dicet *Exi ab eo* etc. Prosequetur *Accipe signum Crucis* et pollice dextero Crucis signum signabit in fronte infantis dum dicet *in fronte,* deinde in pectore, dicens *in corde.*

8. Subiiciet deinde orationem *Oremus Omnipotens sempiterne Deus* etc. (Advertatur differentia in hac oratione.)

9. Completis duabus praedictis orationibus, clericus praesentabit Parocho salem benedicendum, quem ipse benedicet cum oratione *Exorcizo te creatura salis* etc.

10. Si sal iam esset benedictus, non erit locus huic orationi.

11. Parochus pollice et indice dextero accipiet aliquot frustula salis eaque infundel in os baptizati dicens *N. accipe salem* etc. et Compater respondebit *Amen.* Parochus subiunget *Pax tecum* et Compater *Et cum spiritu tuo.*

12. Parochus absterget digitos mantili, quod cum vasculo salis a clerico referetur ad fontem.

13. Parochus deinde recitabit alteram orationem *Oremus. Deus patrum nostrorum* etc. (Advertatur variatio in hac oratione). Post orationem recitabit exorcismum *Exorcizo te* etc. advertens in fine ipsius, ut faciat Crucis signum pollice dextero in fronte infantis dum dicet *quod nos fronti eius damus* etc.

14. Post exorcismum Parochus dexteram imponet capiti infantis et recitabit orationem *Oremus. Aeternam ac iustissimam* etc. (Advertatur variatio in hac oratione).

15. Parochus post orationem imponet extremitatem sinistram stolae capiti infantis, et dicens *N. Ingredere in templum*

(*a*) Quod ad nomina baptizatorum inspiciatur adnotatio subjecta num. 7. cap. I. huiusce libri.

Dei etc. introducet eum in ecclesiam vel in baptisterium. Compater apprehendet extremitatem stolae et cum infante intrabit in ecclesiam vel in baptisterium a sinistris Parochi.

16. Parochus cum Compatre euntes a porta ecclesiae ad fontem baptismalem, recitabit *Credo in Deum* et *Pater noster* Compater poterit ea recitare vulgari sermone.

17. Quum Parochus et compater cum infante venerint ad cancellos fontis, consistent ibi et Parochus recitabit exorcismum *Exorcizo te, omnis immunde spiritus* etc. (Advertatur variatio in hoc exorcismo).

18. Interea clericus in promptu habebit vasculum Olei sancti Catechumenorum in pelvicula et aliquantulum gossipii.

19. Postquam Parochus recitaverit praedictum exorcismum, pollice dextero accipiet ex ore paullulum salivae, et ipsa tanget aures et nares infantis dicens *Ephpheta, quod est* etc. et prosequetur *Tu autem effugare* etc.

20. Postea Parochus interrogabit *N. abrenuntias* etc. cum iis, quae sequuntur in Rituali et compater respondebit *Abrenuntio*.

21. Compater aperiet vestem circa collum infantis et Parochus intincto pollice dextero in Oleum sanctum Catechumenorum, unctionem faciet in formam Crucis prius in pectore, postea in humeris infantis dicens *Ego te linio Oleo salutis* etc. Parochus post unctionem absterget pollicem gossipio, deinde unctiones in infante peractas.

22. Clericus vasculum Olei sancti ad abacum referet, et accipiet stolam albi coloris.

23. Parochus dimittet stolam violaceam, et sibi imposita stola alba, introducet in fontem Compatrem cum infante.

24. Clericus in promptu habebit S. Chrisma, vestem candidam et candelam.

25. Parochus interrogabit baptizatum *N. Credis* etc et Compater respondebit *Credo* Post interrogationem *Credis in Spiritum* etc. Parochus pollicem dexterum intinget in S. Chrisma et pronuncians formulam *Deus Omnipotens* etc. unctionem in formam Crucis faciet in summitate capitis infantis ad illa verba *ipse te liniat Chrismate salutis* etc. Parochus gossipio absterget pollicem suum, deinde unctionem baptizato.

26. Clericus tradet Parocho vestem candidam, quam explicatam, imponet capiti baptizati, dicens *Accipe vestem candidam* etc. postea dabit ei candelam accensam, qua accepta a Compatre, dicet *Accipe lampadem* etc. Denique dicet ei *N. vade in pace* etc. et Compater respondebit *Amen.*

27. Discedet compater cum baptizato et Parochus dimissa stola alba, lavabit manus utens medulla panis ad abstergendos digitos.

28. Clericus aquam praedictam effundet in sacrarium, claudet fontem et omnia suo loco reponet (*a*).

DE RITU SUPPLENDI CAEREMONIAS IN BAPTISMO ADULTI.

CAPUT VI.

De rebus praeparandis.

1. In sacristia praeparabitur pluviale violaceum cum stola simili et superpellicea pro clericis.

2. Aperientur cancelli baptisterii et prope fontem baptismalem statuetur abacus coopertus alba tobalea, in quo disponetur pluviale albi coloris cum stola simili, vascula Olei sancti Catechumenorum et S. Chrismatis in lance argentea, aliquantulum gossipii, urceus cum pelvi, mantile ad extergendas manus Parochi, paullulum medullae panis, vestis candida et candela.

3. Altari maiori apponetur pallium violaceum et super abaco vasculum salis et purificatorium seu mantile, Rituale, et nomina baptizati scripta in pagella.

(*a*) Ritum supplendi caeremonias pluribus infantibus omittendum censemus, eo quod facile desumi potest ex cap. II. huius libri, ubi agitur de baptismo pluribus infantibus administrando.

In functione.

4. Hora praestituta, quae in matutinis esset debet, Clerus cum Parocho congregabitur in sacristiam. Unusquisque induet sibi superpelliceum et Parochus induetur etiam stola et pluviali violaceo, praemissa lotione manuum.

5. Baptizatus cum compatre suo subsistent extra portam ecclesiae.

6. Qui de Clero sunt incedentes bini et ultimo loco Parochus paratus pluviali et capite bireto cooperto proficiscentur ad Altare majus, in quo ardebunt sex cerei.

7. Clerus quum pervenerit ad Altare, in ordinem disponetur ante ipsum, et Parochus in medio, qui detracto capiti bireto et salutata Cruce, geniculabit in infimo gradu et brevi tempore orabit.

8. Clericus unus ex abaco accipiet Rituale et ipsum tradet Parocho.

9. Parochus assurget et cum eo consurgent clerici qui erant genuflexi, signabit se ac dicere incipiet *Deus in adiutorium* etc. ut in Rituali, tum simul cum clericis recitabit antiphonam et psalmos, postea subiunget versiculos et orationes.

10. Sub finem orationum clericus unus accipiet ex abaco vasculum salis, mantile et folium, in quo notata fuerint nomina baptizati.

11. Clerus ordinatim incedens ut in accessu ad Altare, sequente Parocho, procedet ad portam ecclesiae; clericus praedictus deferet salem, et alter sustinebit Rituale.

12. Parochus deponet biretum, quum venerit in limen ecclesiae; Clerus in ordinem disponetur a lateribus eius; baptizatus et compater manebunt extra portam et stabunt.

13. Parochus interrogabit baptizatum ***Quo nomine vocaris?*** et baptizatus respondebit latino aut vulgari sermone proferens nomina sibi imposita.

14. Parochus pronuncians nomina baptizati (quod faciet quotiescumque in Rituali notata est litera *N.*) dicet *N.* ***quid***

pedtis ab Ecclesia Dei? baptizatus respondebit *Fidem* atque ita continuabitur in reliquis interrogationibus. (*a*)

15. Post interrogationem *Credis et in Spiritum Sanctum* etc. et responsionem *Credo,* Parochus tribus vicibus leniter sufflabit in faciem baptizati et dicet *Exi ab eo* etc. Postea leniter halitabit in faciem ipsius et dicet *N. accipe Spiritum bonum* etc.

16. Parochus item dicet *N. accipe signum Crucis,* et pollice dextero Crucis signum imprimet in fronte Catechumeni dicens *tam in fronte,* deinde in pectore *quam in corde,* et prosequetur *sume fidem* etc. animadvertens deinceps dicere expressionem sectae, ad quam pertinebat baptizatus et continuabit *cole Deum* etc. ut in Rituali.

17. Parochus, deinde recitabit orationem *Oremus. Te deprecor* etc.

18. Post orationem Parochus pollice dextero signabit frontem, aures, oculos etc. baptizati, dicens *Signo tibi frontem* etc. et recitabit tres sequentes orationes, et dicens tertiam imponet dexteram baptizato (Advertatur variatio notata in tertia oratione).

19. Completis tribus orationibus, clericus unus obiiciet salem Parocho, qui benedicet illum dicens *Exorcizo te creatura salis* etc. quae tamen benedictio omittetur, si iam benedictus esset ad hunc usum.

20. Priusquam Parochus det salem gustandum baptizato, recitabit orationem *Oremus. Domine sancte* etc. quae omittetur, si baptizatus non fuerit de secta ethnicorum, sive idolatrarum.

21. Parochus, recitata vel omissa praedicta oratione, indice et pollice dexterae accipiet aliqua frustula salis eaque infundet in os baptizati, dicens *N. accipe salem sapientiae* etc. et baptizatus respondebit *Amen.* Parochus subiunget *Pax tibi,* baptizatus respondebit *Et cum spiritu tuo.*

22. Parochus digitos absterget mantili, si opus fuerit, et

(*a*) Vide adnotationem sub. num. 7. cap. II. hujus libri.

adiiciet orationem *Oremus. Deus patrum nostrorum* (in qua oratione advertenda est variatio).

23. Postea Parochus dicet baptizato *Ora, electe, flecte genua et dic Pater noster.*

24. Baptizatus in genua procumbet et recitabit *Pater noster* usque ad verba *Sed libera nos a malo* inclusive.

25. Parochus dicet ei *Leva, comple orationem tuam et dic Amen.*

26. Baptizatus assurget ac dicet *Amen.*

27. Parochus dicet compatri *Signa eum.*

28. Compater pollice dextero Crucis signum in fronte baptizati signabit dicens *In nomine Patris et Filii et Spirtus Sancti.*

29. Parochus dicet baptizato *Accede* et pollice dextero faciet in fronte Crucis signum, dicens *In nomine Patris* etc.

30. Deinde Parochus prosequetur exorcismos, ut in rituali, in quibus nulla occurrit adnotatio, excepto quod in exorcismo *Audi, maledicte satana,* post secundam vicem recitatum *Pater noster*, extat variatio relativa ad baptismum iam acceptum.

31. Post exorcismos, Parochus dexteram imponet capiti baptizati et recitabit orationem *Oremus. Aeternam ac iustissimam* etc. (advertatur variatio).

32. Parochus deinde porriget extremitatem sinistram stolae baptizato, dicens ei *N. ingredere in sanctam Ecclesiam* et introducet eum in templum Dei.

33. Baptizatus ingressus in ecclesiam, dimittet stolam, quam manu tenebat, procumbet in genua et pavimentum osculabitur.

34. Post haec assurget, manu recipiet stolam incedens a sinistris Parochi, procedet cum ipso ad baptisterium, recitans *Credo in Deum* et *Pater noster*. Parochus recitabit *Credo* et *Pater* latino sermone, baptizatus ea poterit recitare vulgari, si latino recitare ei difficile erit.

35. Quum Parochus et baptizatus ante fontem venerint, subsistent ibi extra cancellos. Parochus dexteram imponet baptizato et recitabit exorcismum *Nec te latet, satana* etc. (In hoc exorcismo advertatur variatio ibi notata).

36. Interea clericus accipiet a fonte vasculum Olei Sancti

Catechumenorum et aliquantulum gossipii et cum his accedet ad Parochum; compater autem aperiet vestem baptizato circa collum et pectus.

37. Completo exorcismo, Parochus pollice dextero ex ore suo accipiet paullum salivae, qua tanget aures et nares baptizati, dicens *Ephpheta quod est* etc. deinde prosequetur reliqua *Tu autem effugare* etc.

38. Parochus rursus interrogabit baptizatum *Quis vocaris?* et ipse respondens proferet nomina sibi imposita. Parochus *N. abrenuntias satanae?* et sequentur reliquae interrogationes, post quas Parochus intinget pollicem dexterum in Oleum sanctum Catechumenorum et peraget unctionem in formam Crucis super pectus et humeros baptizati, dicens *Ego te linio.* etc.

39. Parochus absterget pollicem suum gossipio, deinde unctiones in baptizato peractas et subiunget *Exi, immunde spiritus.* etc.

40. Postea Parochus accedet ad abacum praeparatum prope fontem et ibi dimittet pluviale cum stola violacea et induetur stola et pluviali albi coloris.

41. Clericus unus in promptu habebit vasculum S. Chrismatis et gossipium, alter vestem candidam et candelam accensam.

42. Parochus indutus albo pluviali, ducet baptizatum in interiorem partem fontis et rursus interrogabit eum *Quis vocaris?* et ille proferet nomina sibi imposita, ut supra; Parochus prosequetur interrogationes inclusive usque ad illam *Vis baptizari?* baptizatus respondebit *Volo.*

43. Tunc Parochus pollicem dexterum intinget in S. Chrisma proferens formulam *Deus omnipotens* etc. et unctionem S. Chrismate in formam Crucis peraget in vertice capitis baptizati, dicens *ipse te liniat Chrismate salutis* etc. baptizatus respondebit *Amen* Parochus dicet *Pax tecum* et baptizatus *Et cum spiritu tuo.*

44. Parochus gossipio absterget pollicem suum et unctionem baptizati.

45. Parochus accipiet vestem candidam, qua induet baptizatum dicens ei *Accipe vestem candidam.* etc.

46. Quum baptizatus indutus erit veste candida, Parochus tradet ei candelam accensam, quam ille accipiet dextera, dicens *Accipe lampadem ardentem* etc.

47. Postremo Parochus dicet baptizato *N. vade in pace* etc. et ille respondebit *Amen.*

48. Parochus recedens ad abacum lavabit manus utens medulla panis, et aqua quae adhibita fuerit in lotione, infundetur in sacrarium.

49. His omnibus expletis quo ordine traditum est superius, redibit in sacristiam cum Clero et sacra indumenta dimittet.

DE ADMINISTRATIONE SS. VIATICI.

CAPUT VII.

1. Rituale Romanum titulo *de Communione infirmorum* praescribit regulas servandas in administratione SS. Viatici. Hoc capite notabimus tantummodo ea quae spectant ad ritum administrationis huius peragendae.

2. In domo infirmi curabitur, ut omnia sint decentia et munda propter observantiam, quae debetur SS. Sacramento. Prope lectum infirmi statuetur mensa cooperta alba tobalea cum duobus vel quatuor candelabris in quibus ardebunt candelae cereae et scyphus cum aliquanta aqua ad purificandos digitos Sacerdotis, qui Communionem administrabit.

3. In sacristia autem ecclesiae parochialis loco segregato servanda essent ea, quae opus sunt in administratione Viatici idest tobalea sternenda in mensa domi infirmi, si careret; corporale explicandum in eadem mensa, purificatorium adhibendum a Parocho vel Sacerdote, qui administrabit SS. Viaticum, quae duo reponenda erunt in bursa albi coloris aequali bursae quae adhibetur in Missa; campanula maior et sonora pulsanda in itinere; vasculum aquae sanctae et aspersorium; sex intorticia cerea vel candelae numero etiam maiori pro comitatu SS. Sa-

cramenti; duae laternae maiores hastiles vitris clausae (*a*) in quibus claudi possit candela cerea; Rituale, vel libellus, in quo ad maiorem commoditatem sit transcriptus ritus Communionis infirmorum, ut in ipso Rituali; superpelliceum cum stola albi coloris, velum humerale albi coloris, parva pixis cum operculo et veste serica albi coloris, baldachinum quatuor hastis instructum, vel etiam umbella coloris albi; necesse est etiam ut adsit altera umbella maior cooperta ex parte superiori tela cerata albi coloris, si contingerit ut pluat; item opus est bursa serica albi coloris cum resticulis collo imponendis ad afferendum privatim SS. Viaticum et una vel duae laternae manu gestandae.

4. Si aderit Confraternitas laicorum, quae comitetur SS. Sacramentum, praeparabuntur sacci induendi a confratribus.

5. Opus est etiam canistro oblongo cum manubrio, quo reponantur res necessariae in administratione Viatici, si necessitas cogat ad immorandum in domo infirmi propter nimiam distantiam loci vel intemperiem coeli.

6. Quum deferendum erit SS. Viaticum, signum dabitur campana ecclesiae, iuxta morem uniuscuiusque loci. Praeter Parochum, sive alium Sacerdotem, qui vice eius fungatur, aderunt tres quatuorve clerici cum superpelliceis, quos supplere poterunt confratres sacco induti, si clerici supradicti deerunt praesertim in paroeciis ruralibus. Confratres convenient in ecclesiam; ac si Confraternitas deerit, invitandi erunt alii homines, quibus tradentur intorticia vel candelae et duobus eorum duae supradictae laternae hastiles cum candelis accensis. Uni ex confratribus vel etiam clerico tradetur campanula, et diligenter indicabitur domus infirmi, siquidem esset grave incommodum, si qua aequivocatio contingeret, praecipue in paroeciis, quae late patent. Alter clericus accipiet vasculum aquae sanctae cum aspersorio, alter bursam cum corporali et purificatorio, tobaleam explicandam super mensam in domo infirmi et Rituale; tertius ad Altare, in quo custodietur SS. Sacramentum, deferet alterum cor-

(*a*) Laternae hastiles praescribuntur a Concilio Romano habito a Sum. Pont. Benedicto XIII anno Domini 1725. tit. XV cap. VII.

porale, quod explicabit in medio, claviculam tabernaculi seu ciborii, velum humerale albi coloris et umbellam, nisi adhibebitur baldachinum hastile, quoniam hoc casu baldachinum deferetur a quatuor confratribus ante ipsum Altare.

7. Tali modo dispositis rebus omnibus, accendentur duo quatuorve cerei in Altari SS. Sacramenti, deinde intorticia vel candelae confratribus seu laicis distributae et candelae clausae in duabus laternis hastilibus accendentur. Parochus lavabit manus, induetur superpellicio et stola albi coloris (*a*) et veniet ante Altare iunctis manibus, comitatus a clericis praedictis.

8. Ante Altare progressus, genuflectet ad SS. Sacramentum in pavimento, ascendet ad Altare, aperiet ciborium seu tabernaculum, genuflectet ac pixidem cum s. Particulis ex illo educet. Aperiet deinde parvam pixidem adhibendam pro Viatico eamque ponet in corporali, aperiet item alteram pixidem, quae aderat in tabernaculo, ex illa accipiet tres vel quatuor Particulas easque reponet in parva pixide: postea excutiet digitos super pixidem maiorem, si quod fragmentum adhaeserit, purificabit digitos in vasculo aquae, absterget eos purificatorio cladet utramque pixidem, reponet maiorem in ciborio et relinquet minorem in medio corporali, genuflectet et claudet porticulam ciborii seu tabernaculi.

9. Genua submittet in suppedaneo et clericus unus eius humeris imponet velum humerale, quod ei firmabit ante pectus: idem clericus, si deerit baldachinum, accipiet et aperiet umbellam, cavens ne ipsa impellat candelabra Altaris vel lampades ante Altare appensas.

10. Assurget Parochus, sinistra accipiet pixidem et dextera cooperiet illam extremitatibus veli humeralis anterioribus, imponens dexteram velo ipso coopertam pixidi, quam sustinebit ante pectus. Convertetur ad populum, intonabit seu canendo

(*a*) Rituale praescribit quod Parochus potest in administratione Viatici indui *si haberi potest pluviali albi coloris*. Haec praescriptio locum habere potest quum deferatur Viaticum solemniter. Si deferatur privatim, satis erit stola tantummodo.

sive alta voce psalmum *Miserere* et proficiscetur de ecclesia iturus recta via ad domicilium infirmi.

11. Procedetur hoc ordine: clericus qui pulsabit campanulam, duo clerici alter cum vasculo aquae sanctae et aspersorio, alter cum bursa corporalis, cum Rituali et mantili, ut supra; sequentur bini confratres seu laici cum intorticiis, vel candelis, ac si aderunt alii clerici sive Sacerdotes cum intorticiis, incedent ultimo loco; Sacerdos sive Parochus, qui gestabit SS. Sacramentum subtus baldachinum sustentum a confratribus vel subtus umbellam a clerico substentam, et a lateribus eius incedent duo confratres vel clerici cum laternis hastilibus, accensis luminibus; sequetur populus, at curabitur, ut foeminae a viris incedant diremptae. Si longum esset iter percurrendum post psalmum *Miserere*, canentur aut recitabuntur alii psalmi et cantica.

12. Quum ventum erit ad domicilium infirmi, duo praedicti clerici cum vasculo et cum corporali introibunt in cubiculum, ubi iacebit infirmus, et super mensa explicabunt mantile, si deesset, et disponent corporale, purificatorium, Rituale et vasculum cum aspersorio dextrorsum. Confratres cum cereis subsistent in via, vel etiam ascendent ad habitaculum, sed subsistent extra cubiculum infirmi et genua submittent. Sacerdos ingredietur in cubiculum praedictum; dicet *Pax huic domui* et respondebitur *Et omnibus habitantibus in ea*, detrahet pixidi velum humerale eamque ponet super tabulam et genuflectet.

13. Populus, qui comitabitur SS. Sacramentum, remanebit extra portam habitaculi, et genibus flexis recitabit aliquas preces pro infirmo; poterunt praesertim recitari Litaniae de beata Virgine.

14. Sacerdos post genuflexionem accipiet aspersorium, asperget infirmum et adstantes, dicens *Asperges me* etc. ut in Rituali, quae tamen antiphona non variabitur tempore paschali neque adiungetur *Alleluia*. Post antiphonam recitabit primum versiculum psalmi *Miserere, Gloria Patri, Sicut erat*, et repetet antiphonam.

15. Deinde versiculos subiunget *Adiutorium nostrum* etc. *Domine, exaudi* etc. *Dominus vobiscum* et orationem *Exaudi nos* etc. ut in Rituali.

16. Accedet ad infirmum et interrogabit eum an confessionem praemittere debeat et ut disponat ipsum ad accipiendum SS. Viaticum.

17. Post haec ab infirmo ipso vel ab aliquo adstantium recitabitur *Confiteor* et Sacerdos ad infirmum conversus dicet *Misereatur tui* etc. (*a*) servans ritum declaratum in administratione Communionis.

18. Postea genuflectet, deteget pixidem, accipiet Particulam unam, se convertet ad infirmum et sustinens Particulam elevatam super Pixidem, dicet *Ecce Agnus Dei* etc. et tribus vicibus *Domine non sum dignus ut intres* etc. quae verba recitanda essent submissa voce etiam ab infirmo, saltem una vice.

19. Accedet ad lectum infirmi et versus ipsum faciens s. Particula signum Crucis, advertens tamen ne excedat a circumferentia Pixidis, dicet *Accipe* etc.

20. Quod si s. Eucharistia administretur non per Viaticum sed in devotionem infirmi, dicet *Corpus Domini nostri* etc.

21. Communicato infirmo, reponet Pixidem super mensam, excutiet digitos, si forte adhaesissent fragmenta, super Pixidem ipsam, quam deinde cooperiet operculo, purificabit digitos in scypho praeparato et absterget illos purificatorio. Aqua schyphi dabitur bibenda infirmo sive a Sacerdote ipso sive ab alio, et si quid superfuerit, effundetur super ignem.

22. Sacerdos dicet *Dominus vobiscum* et orationem *Domine sancte Pater* etc. Post orationem genuflectet ad Sacramentum, accipiet s. Pixidem, ut supra, eamque cooperiet velo humerali et nihil adiiciens, benedictionem largietur infirmo, eodemque ordine quo ventum erit, redibitur in ecclesiam.

23. In reditu cantabitur vel recitabitur in itinere psalmus *Laudate Dominum de coelis* et alii psalmi atque hymni, prout requiret loci distantia.

24. Reversa in ecclesiam processione, confratres cum intorticiis vel candelis in ordinem genua submittent ante Altare,

(*a*) Sacerdos in administrando SS. Viatico, ex sententia rubricistarum dicet *Misereatur tui* etc.

sed extra cancellos seu balaustrium sacelli; clerici superpelliceo induti intrabunt in ambitum sacelli.

25. Sacerdos ascendet ad Altare, tollet de s. Pixide velum humerale eamque ponet in medio Altari, et facta genuflexione, se convertens versus cornu Evangelii, descendet de Altari et geniculabit in medio gradu infimo.

26. Flexis genibus hoc loco, recitabit vel cantabit ℣. *Panem de coelo* etc. tum assurget, dicet *Dominus vobiscum* et orationem *Deus, qui nobis sub Sacramento* etc. cum longa conclusione *Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate* etc. Convertetur deinde paullulum versus populum, cavens ne humeros vertat ad SS. Sacramentum et publicabit indulgentias a Summis Pontificibus concessas omnibus illis, qui SS. Sacramentum per Viaticum comitantur.

27. Tum ascendet ad Altare, genuflectet et accepta Pixide, ut supra, cooperta velo humerali, se convertet ad populum et benedictionem adstantibus impertietur.

28. Conversus iterum ad Altare, detrahet Pixidi velum humerale, deponet eam in Altari et genuflectet: solvet velum humerale, quod recipietur a clerico, qui sustinebat umbellam.

29. Sacerdos aperiet ostiolum ciborii seu tabernaculi, genuflectet, extrahet Pixidem de ciborio, aperiet utramque Pixidem, in maiorem recondet Particulas, quae aderant in minori, excutiet super illam fragmenta, si digitis adhaeserint, et claudet Pixidem maiorem: postea digitos purificabit in vasculo consueto et purificatorio absterget; reponet Pixidem intra tabernaculum, genuflectet, claudet ostiolum tabernaculi, amovebit claviculam, descendet de Altari, genuflexionem iterabit in pavimento et in sacristiam revertetur.

30. Confratres extinguent intorticia et in sacristiam referent; item clerici quoque extinguent cereos Altaris, complicabunt corporale et res omnes, quae adhibitae fuerint in hac functione, ad sacristiam reportabunt.

31. Si propter pluviam vel longitudinem itineris vel alia de caussa rationabili fas non esset referre Sacramentum ad ecclesiam, Parochus deferet unam Particulam. Deveniens autem

ad ostium domus infirmi, convertetur ad populum et benedictionem largietur. Posteaquam communicaverit infirmum et recitaverit orationem *Domine sancte Pater* etc. benedictionem dextera donabit infirmo, ibique dimittet superpelliceum et stolam.

32. Dabitur opera, ut ad habitaculum infirmi afferatur canistrum, in quo reponi possint res omnes adhibitae pro Viatico, quae privatim ad ecclesiam referentur.

33. Haec est methodus servanda in administratione s. Viatici, ex praescriptionibus Ritualis romani. Non tamen excluditur pompa maior, si haec fiat in honorem SS. Sacramenti, praesertim quum afferatur divina Eucharistia infirmis chronicis paroeciae in recursu solemnitatum principalium. Quia pro tali circumstantia nullus sit praescriptus peculiaris ritus, servari poterit methodus indicata in processionibus SS. Sacramenti, ut omnia peragantur ordine debito.

34. Si necessitas urgeat, poterit etiam noctu afferri Viaticum, sed privatim sine ulla pompa, et Sacerdos habebit clericum, qui eum comitabitur cum laterna accensa.

35. Oportebit etiam advertere methodum servandam si forte administrandum sit s. Viaticum ultimis tribus diebus maioris Hebdomadae, prout S. Rit. C. disponit in *Lucana* die 15 Maii 1745. « Si sacrum Viaticum deferri debeat ad infirmum feria V. in Coena Domini post Missam solemnem, feria VI. in Parasceve et sabbato sancto ante Missae solemnis celebrationem, pulsabitur crotalus, et Parochus adhibebit stolam et velum humerale coloris albi, sicuti et umbella, quae super Sacramentum deferetur. Voce submissa, imo submississima recitabuntur per viam psalmi consueti cum ℣. *Gloria Patri* in fine et populus sine benedictione dimittetur. » De reliquo observabitur totum id, quod superius expositum est.

36. Postremo notandum, quod praeter campanas ecclesiae parochialis, ex qua exibit s. Viaticum, pulsabuntur et aliae ecclesiarum, qua transibit SS. Sacramentum.

DE EXEQUIIS

Exequiae ad quatuor capita rediguntur, videlicet ad cadaveris deportationem in ecclesiam, ad funus super cadaver, ad suffragia tertio, septimo, tricesimo et anniversario die, et ad funus parvulorum, Vestigia sequentes Ritualis Romani, nostras instructiones in quatuor distincta capita dividemus.

DE CADAVERIS DEPORTATIONE AD ECCLESIAM

CAPUT VIII.

1. Usus, ubi vigeat, dandi campana signum in agone alicuius fidelis, servari poterit, ut exoretur Dominus pro felici illius transitu. Item statim ac animam efflaverit, signum campana dabitur, ut quum audiatur, in suffragium animae eiusdem fundantur preces. Sacerdos, qui assistet ipsi, recitabit preces in Rituali praescriptas.

2. Qui ex familia curam geret defuncti, curabit ut cadaver lavetur et mundetur cum debita decentia, et induatur vestibus convenientibus conditioni defuncti et consuetudini uniuscuiusque loci.

3. Cavebitur autem, ne moveatur cadaver statim ac expiraverit defunctus, sed expectetur aliquandiu, ne forte extinguatur spiritus vitalis, si adhuc superesset in illo.

4. Sacerdotum cadavera induentur veste talari et paramentis coloris violacei, quibus celebratur Missa, et bireto capiti imposito. Ceteri ecclesiastici induentur sacris vestibus convenientibus ordini, quo erunt constituti, et bireto capite cooperto.

5. Cuicumque cadaveri componendae in pectore sunt manus in formam Crucis, vel etiam poterit inter manus illorum parva Crux aptari.

6. Postea collocabitur cadaver super linteum in solo vel

supra tabulam, et prope ipsum ardebit unum saltem lumen et aderit vasculum aquae benedictae cum aspergillo, ut aspersio aquae sanctae super illud fiat.

7. Aderunt Sacerdotes aut laici, qui recitabunt preces in suffragium defuncti.

8. In quibus locis non licet efferre cadavera aperta cavebitur ne deportentur domo, nec claudantur in arca, nisi transacto temporis spatio post mortem, quod a peritis artis sanitariae iudicabitur iustum, ne forte vivus in arca clausus aut panno nigro superposito suffocetur, praesertim post quosdam morbos, quibus non raro infirmi convalescunt.

9. Si qua de causa rationabili peragenda esset autopsia cadaveris, fiet tempore debito, extra locum sacrum et ex facultate auctoritatis ecclesiasticae, siquidem sacrosanctum est cadaver Christiani in sinu Ecclesiae Catholicae defuncti.

10. Parochus autem, vel alius vice illius, cum haeredibus defuncti conveniet de omnibus iis, quae opus erunt ad cadaveris deportationem in ecclesiam: nempe invitabitur Clerus, Regulares et Confraternitates laicorum, quas cupient haeredes ad funus convenire, indicetur cera accendenda et distribuenda, feretrum etc,

11. Hora praestituta in ecclesiam parochialem defuncti congregabitur Clerus et Confraternitates, quae intervenient deportationi cadaveris: quod si invitatum interveniret etiam Capitulum Cathedralis, aut Collègiatae, hoc casu Clerus, Regulares et Confraternitates simul cum Parocho defuncti coibunt in ecclesiam cathedralem, vel collegiatam, ut inde accedant domum, in qua iacebit cadaver.

12. Deportatio fiet diurno tempore, nunquam nocturno.

13. Signum dabitur campana seu campanis, iuxta morem cuiusque loci, et procedetur ad habitaculum defuncti ordine sequenti:

14. Praecedent Confraternitates laicorum ad funus invitatae cum suis propriis insignibus et iuxta ordinem institutionis aut privilegii, sive legis synodalis; deinde Crux Paroeciae vel ecclesiae in qua fiet funus, vel Cathedralis, si Capitulum inter-

veniet, et illa deferetur a clerico induto superpelliceo supra vestem talarem; post Crucem sequentur Regulares ad exequias invitati, et unumquodque corpus incedet separatim ab altero, observando in ordine praecedentiae antiquitatem erectionis Coenobii, secundum constitutionem Gregorii XIII. Post Regulares ibit Clerus secularis, et unusquisque de Clero indutus erit superpellicio et capite bireto cooperto: ultimo loco incedet Parochus, stola nigra collo imposita. A latere Parochi ibit clericus ferens vasculum aquae sanctae cum aspergillo et Rituale. Si aderit Capitulum Cathedralis vel etiam alicuius Collegiatae, Parochus incedet ultimo loco sui Cleri, deinde sequetur Capitulum praedictum. Notandum, quod si plura intererunt corpora Regularium et plura etiam Capitula, debent singula incedere post unam Crucem Cleri, sive illa sit parochialis, sive capitularis sive illius ecclesiae, in qua celebrabitur funus, ut superius notatum est. Post Capitulum seu Clerum portabitur feretrum a quatuor lecticariis, sacco indutis, vel a sodalibus Confraternitatum, quae intererunt. Cadaver nunquam curru vehetur.

15. Quum ventum erit ad habitaculum defuncti, pompa funebris ibi subsistet: Parochus autem ascendet domum cum clerico ferente vasculum et Rituale; ascendent etiam lecticarii vel confratres, qui debebunt cadaver demittere, siquidem feretrum relinquetur ante ostium domus, item confratres aut Regulares, qui sustinebunt intorticia seu candelas accensas circum cadaver, et clericus vel alius quispiam, qui fungetur officio accipiendi et distribuendi ceram omnibus funeri intervenientibus.

16. Quum omnia disposita fuerint, Parochus aqua benedicta asperget cadaver in medio, a sinistris et a dextris suis, recitabit cum clerico antiphonam *Si iniquitates*, psalmum *De profundis* cum *Requiem aeternam*, et postea repetet integram antiphonam *Si iniquitates observaveris, Domine* etc.

17. Tum domo efferetur cadaver intra linteum positum vel in arca et aptabitur supra feretrum. Qui sustinebunt intorticia seu candelas accensas, incedent a lateribus feretri.

18. Collocato, ut supra, cadavere, Parochus elata voce sed sine cantu intonabit antiphonam *Exultabunt. Domino*, et im-

mediate proficiscetur processio et in itinere psalmus *Miserere* et alii Graduales recitabuntur, donec deveniatur ad ecclesiam. In fine psalmorum adiungetur *Requiem aeternam* etc. singulari numero.

19. Pompa funebris domo defuncti dirigetur recta ad ecclesiam (*a*).

20. In limine ecclesiae solet in quibusdam locis aspergi a Parocho cadaver priusquam introducatur in ecclesiam. Haec aspersio a Rituali non praescribitur, et locum habere posse videtur eo casu tantum, quo cadaver deponeretur in aliqua ecclesia, in qua iurisdictio Parochi de ipso cessaret.

21. In aditu ecclesiae repetetur elata voce et sine cantu antiphona *Exultabunt Domino ossa humiliata.*

22. Confraternitates seorsim deponet Crucem sive signum quod prae se ferent, et se ordinatim disponent circa ambitum ecclesiae in plures circulos, si necesse fuerit; Crux Cleri locum sumet quo respondebit caput cadaveris; Regulares in unum pluresve circulos se disponent ante Confraternitates et Clerus secularis ante Regulares; Parochus consistet ad pedes cadaveris.

23. Dispositis ordine demonstrato Confraternitatibus et Clero, feretrum ccm cadavere deponetur in media ecclesia et cantabitur ℟. *Subvenite Sancti Dei* etc. Qui sustinebunt intorticia seu candelas accensas, adstabunt a lateribus feretri, facie versa alter ad alterum.

24. Si distribuentur candelae Confraternitatibus et Clero, aderit unus aut duo clerici, vel etiam unus aut duo confratres, qui in limine ecclesiae, succedente processione, distribuent singulis candelam accensam, quae ab universis sustinenda erit accensa ad cantum Responsorii praedicti.

25. Notandum etiam erit, quod si cadaver erit laici hominis, statuendum est capite ad portam verso et pedibus ad Al-

(*a*) Improbandus est mos, vulgo receptus, in gyrum per compita ducendi cadavera sine causa ulla. Si domus esset proxima ecclesiae, licebit inire longiorem viam ut possit aequo modo explicari processio: animadvertendum tamen, ut omnis abusio declinetur.

tare; si fuerit Sacerdotis ponetur capite ad Altare, pedibus ad portam versis (*a*),

26. Responsorio absoluto, extinguentur candelae et de ecclesia discedent Confraternitates, Regulares et Clerus etiam secularis, remanentibus illis tantum, qui ad funus invitati fuerint, ut in capite sequenti. Prope cadaver, si celebrabitur funus postridie, unum vel duo lumina ardebunt.

27. In quibusdam ecclesiis, praesertim Cathedralibus, mos est exponendi cadavera non in media ecclesia, sed in aliquo Sacello laterali. Hoc casu quod notatum fuit relate ad Altare et portam, intelligi volumus de Altari Sacelli et de ingressu eiusdem.

DE FUNERE SUPER CADAVER

CAPUT IX.

1. Cadaver exponetur in ecclesia super feretro seu lectica, exceptis Episcopis, Cardinalibus, Principibus imperantibus etc. qui exponentur super lecto funebri. Circa feretrum ardebunt convenienti numero cerei seu intorticia, ut videbitur haeredi; observanda tamen est lex seu consuetudo uniuscuiusque loci, relate ad conditionem defuncti, et curandum, ut sit debita distinctio iuxta personam, quam ipse gerebat in vita. Cerei sive

(*a*) Abusio est deportare cadavera curru vecta et sine interventu Cleri cum processione definita. In Statuto Cleri Romani a Summo Pont. Clemente XII. adprobati, num. 10. Appendicis insertum est edictum de mandato Clementis XI. quod vetat efferri cadavera in vehiculis.

Quod ad modum exponendi cadavera in ecclesia, privilegium est Sacerdotum tantummodo, ut collocentur capite ad Altare, pedibus ad portam versis, quod quidem privilegium, ut inhaerens *dignitati Sacerdotali*, non est extendendum ad laicos, quamvis praeminentiis et honoribus spectabiles, quos inter comprehenditur etiam ecclesiae Patronus.

intorticia imponentur candelabris ferreis de industria ad hanc rem elaboratis, nec fas est uti candelabris, quae adhibentur in altari vel ad ornatum ecclesiae: item vitabitur uti palliis, tapetis et pannis sericis ecclesiae ut his exornetur feretrum aut lectum funebre (*a*).

2. Peracta cadaveris ad ecclesiam deportatione, exponetur illud quo modo innuimus, et Parochus cum Clero suo, vel cum Clero, qui ab haeredibus invitabitur, initium faciet recitandi Officium pro defunctis. Clerus locum sumet in choro, et si forte chorus seu presbyterium non satis capax esset, poterit se disponere ad scamna posita in longitudinem circa feretrum, seu cadaver. Parochus indutus stola nigri coloris primum locum occupabit. Officii initium fiet a Vesperis (*b*) postea Matutinum cum tribus nocturnis et Laudes: antiphonae duplicabuntur et in fine Vesperarum et Laudum omittentur preces, videlicet psalmus *Lauda anima mea* etc. aut alter *De profundis* etc. Recitabitur oratio conveniens defuncto. Officium recitabitur tono chorali, vel etiam cantabitur iuxta consuetudinem cuiusque ecclesiae, aut circumstantias funeris plus minus solemnis. Pro

(*a*) Cadaver, exponendum est in feretro; abusio est illud humi locare super lodice funerea seu panno nigro. Abusio etiam illa est feretro supponere basim seu fulcimentum, quo erigatur. Perspicua hac super re dispositio est Ritualis Romani quae declarata est in superius relato Statuto Cleri Romani num. 12. Append. Haec abusio, generatim loquendo originem duxit ex avaritia seu sordido lucro illorum, qui mercede conducti, ecclesiae pro funeribus inserviunt. Licebit tamen feretro supponere pannum seu stratum nigri coloris ad ornatum et circumdare illud aliquo scamno nigro panno contecto, ut populus si forte affluat, a feretro submoveatur.

(*b*) Non est mirandum, si defendimus Officium defunctorum incipiendum esse a Vesperis. In hoc officio non est Vesperis statuta hora, idque eruitur e Caeremoniali Episcoporum lib. II. cap. 38. num. 16. ubi iubetur recitari pro Episcopo defuncto officium mortuorum, initium sumendo a Vesperis. Idque est notandum, quod hoc officium recitatur mane. Etiam Romae in exequiis Cardinalium pro cantu officii defunctorum mane quo expositum prostat cadaver, Vesperarum recitatione principium fit officii.

Caeremoniis servandis in officio seu cantato sive recitato, traditae regulae sunt relativis capitibus lib. II.

3. Dum recitabuntur vel canentur Laudes, se parabit in sacristia Celebrans cum Ministris pro Missa solemni de requie. Si cantabit Missam Parochus, vel numerus Cleri esset limitatus, induentur paramentis Missalibus post absolutam recitationem officii.

4. Missa cantabitur ritibus praescriptis cap. 10. lib. II. legetur illa quae notata est in Missali *in die depositionis* et in oratione ad illa verba *famuli tui* N. exprimetur nomen defuncti vel defunctae (*a*).

5. Post Missam fiet absolutio super cadaver ordine sequenti.

6. Postquam Celebrans ultimum Evangelium recitaverit, Diaconus ascendet in suppedaneum, se addet Celebranti a dexteris; et Celebrans, Diaconus ac Subdiaconus, facta simul ad Crucem reverentia, descendent a latere de Altari et directe procedent ad scamnum in latus Epistolae.

7. Interea prope abacum praesto erit clericus, qui sustinebit vasculum aquae sanctae cum aspergillo, thuriferarius cum thuribulo ac navicula et clericus alter, qui deferet Rituale vel Missale, in quo extet formula absolutionis.

8. A clericis delegatis accendentur Clero candelae, si pro Missa distributae illi fuerint.

(*a*) Advertatur quod in oratione non est omittendum verbum *hodie*. Quod ad additionem *fratris nostri*, iuvat hoc loco referre sententiam recentis eruditi scriptoris liturgici « Quum in aliquo sodalitio, inquit, fu- » nus vel exequiae fiunt cuiuspiam, qui illi erat adscriptus, post nomen » defuncti addi in oratione solet *fratris nostri* vel *fratrem nostrum*; sed » error est hic admodum gravis et contra rubricam, quae praecipit so- » lum, ut addatur *Sacerdotis* quum de Presbytero aliquo sermo est. Qua- » mobrem quippiam aliud adiicere fas non est. Neque vero vocabulum » *frater* latino sermone tribui potest homini eiusdem corporis seu so- » cietatis, qui potius appellandus esset *socius*, vel *sodalis*. Equidem » omnes homines utpote ab eodem progenitore originem ducentes, fra- » tres esse probe scio, Christiani autem peculiariter in Novo Testa- » mento fratres appellantur, quippe qui per s. Baptismum in Iesu Chri- » sto renascuntur: verum id cum specialibus sodalitiis et congregatio- » nibus nihil habet commune ».

9. Acolythi aderunt a lateribus scamni Celebrantis.

10. Ubi Celebrans cum Ministris ad scamnum devenerit, Acolythi detrahent Ministris manipulos, Caeremoniarius Celebranti detrahet planetam et manipulm eique imponet pluviale. Tam Celebrans, quam Ministri advertent, ne humeros vertant ad Altare.

11. Acolythi, postquam Ministros manipulis exuerint, accedent ad abacum et accipient candelabra. Subdiaconus accipiet Crucem processionalem et procedetur ad absolutionem super cadaver peragendam ordine sequenti:

12. Praecedent duo clerici cum thuribulo et cum vasculo qui vasculum deferet, adstabit thuriferario dextrorsum. Subdia, conus gestans Crucem, medius inter Acolytos cum candelabris: qui de Clero sunt, bini manu sustinentes biretum et candelam accensam, quam dextera gestabit qui dextrorsum incedet, sinistra qui sinistrorsum. Digniores seu seniores incedent propiores Celebranti: ultimo loco ibit Celebrans cum Diacono a sinistris, et incedent capite cooperto ac sine candela (*a*). Clericus ferens librum incedet prope Celebrantem.

13. Clerici cum thuribulo et cum vasculo, Subdiaconus cum Acolythis, incedent ad sinistram cadaveris; Subdiaconus cum Acolythis consistent ad caput cadaveris; thuriferarius et alter cum vasculo redibunt ex parte adversa ad pedes cadaveris: Clerus consistet circa cadaver, divisus hinc et inde, dignioribus seu senioribus manentibus propius Celebrantem. Celebrans cum Diacono consistent ad pedes cadaveris adversum Crucem.

14. Quod si cadaver esset Sacerdotis ideoque depositum esset capite ad Altare, pedibus ad portam conversis, servabitur haec alia methodus, videlicet duo clerici cum thuribulo et vasculo, Subdiaconus cum Cruce et Acolythi cum candelabris, sequente Clero et Celebrante cum Diacono, incedent a dexteris cadaveris usque ad eius pedes. Quo quum venerint duo clerici

(*a*) Nulla rubrica praescribit, ut Celebrans et Diaconus sustineant candelam accensam in absolutione. Celebrans et Ministri candelam accensam sustinent uno die Purificationis beatae Virginis.

cum vasculo ac thuribulo, Subdiaconus et Acolythi procedent a sinistris cadaveris et redibunt ad caput eiusdem, ubi consistent Subdiaconus et Acolythi. Clerus autem ad pedes cadaveris quum venerit, dirimetur, post Crucem se disponens a lateribus feretri, manentibus propius Celebrantem dignioribus: Celebrans cum Diacono consistet ad pedes cadaveris contra Crucem: duo clerici cum vasculo ac thuribulo transibunt rursus a dexteris cadaveris, redibunt ad Celebrantem et consistent prope ipsum a dextris. Tam Subdiaconus et Acolythi, quam Clerus advertent ut se sistant circa feretrum convenienti ab illo distantia, ut locus detur Celebranti, qui cum Diacono debebit feretrum circumire, ut inferius tradetur.

15. Quum unusquisque suo loco constiterit, Diaconus et Celebrans caput bireto nudabunt, Diaconus biretum tradet Caeremoniario, Celebrans tradet Diacono et hic Caeremoniario.

16. Clericus librum sustinens, se sistet ante Celebrantem, salutabit eum, aperiet librum, quem ante ipsum Celebrantem sustinebit, qui iunctis manibus recitabit tono feriali orationem *Non intres* etc. Notandum, quod si cadaver esset mulieris, nulla facienda erit variatio in verbis *cum servo tuo*. In fine orationis a choro respondebit *Amen*. Clericus claudet librum, salutabit Celebrantem et recedet ad locum suum prope Celebrantem ipsum.

17. Cantores immediate incipient et prosequentur cantum Responsorii *Libera me, Domine* etc. Cantores ipsi canent ℣. *Requiem aeternam* ad quem Celebrans nullum Crucis signum faciet versus cadaver, ut perperam faciunt nonnulli contra rubricarum praescriptionem.

18. Quum a cantoribus repetetur ℣. *Libera me, Domine* etc. Diaconus reverebitur Celebrantem et transibit ad dexteram eius. Caeremoniarius attollet fimbriam dexteram pluvialis Celebrantis, cui se praesentabit thuriferarius ac thuribulum apertum obiiciet. Diaconus accipiet naviculam et incensum sine osculis ministrabit Celebranti. Celebrans incensum demittet in thuribulum cum formula usitata *Ab illo benedicaris* etc. et dextera benedicet illud. Thuriferarius claudet thuribulum, recipiet naviculam et redibit ad dexteram clerici vasculum sustinentis; hic

consistet a dexteris Diaconi et in promptu habebit aspersorium tradendum ipsi.

19. Cantores post responsorium cantabunt *Kyrie eleison, Christe eleison* et *Kyrie eleison.* Celebrans elata voce ac tono statuto cantabit *Pater noster* et prosequetur submissa voce dicere una cum adstantibus. Diaconus accipiet aspersorium et ipsum tradet Celebranti, qui simul cum Diacono attollente eius fimbriam dexteram pluvialis, circumibit cadaver, ut ipsum aspergat, aspersionem autem incipiet a sinistris cadaveris, primo aspergens illud versus pedes, deinde versus medium postremo versus caput: postea reverebitur Crucem a Subdiacono sustentam et Diaconus genuflectet, nisi fuerit Canonicus et in sua ecclesia; prosequetur aspersionem a dextris cadaveris, primo versus caput, deinde versus medium, postremo versus pedes; advertet etiam ut aspersionem vel thurificationem peragat praeteriens, non vero usquam subsistens.

20. Reversus Celebrans ad locum ubi acceperit aspersorium, restituet ipsum Diacono, hic autem clerico, qui iam substinebat illud: thuriferarius tradet thuribulum Diacono; et Celebrans cum Diacono respective reverentiam vel genuflexionem ad Altare facient; tum Diaconus porriget thuribulum Celebranti, qui simul cum eo circumibit cadaver et adolebit illud eodem modo quo aspersionem confecerit.

21. Si cadaver esset Sacerdotis ullius, Celebrans et Diaconus omittent reverentiam vel genuflexionem ad Altare, eo quod alius hoc casu sit situs cadaveris.

22. Post incensationem Celebrans ad locum suum reversus, restituet thuribulum Diacono, hic autem thuriferario Duo clerici cum vasculo et thuribulo remanebunt quo loco erant. Diaconus accipiet a clerico librum et sustinebit illum ante Celebrantem, qui tono praescripto cantabit versiculos *Et ne nos* etc. et sequentes cum orationes *Deus cui proprium est.* etc. tono feriali, quae oratio nullam patitur unquam variationem, licet defunctus sit Sacerdos, ut monet Rituale (*a*).

(*a*) Diaconus librum sustinet ante Celebrantem, quia sic praescribit rubrica Missalis.

23. Si cadaver efferendum erit ad coemeterium, praesto aderunt lecticarii, qui deportabunt feretrum cum cadavere, ut inferius.

24. Completa praedicta oratione, si deportandum erit cadaver ad coemeterium proximum ecclesiae, duo clerici cum thuribulo et cum vasculo aquae sanctae discedent de loco suo et procedent ante Crucem.

25. Procedetur ad coemeterium eodem ordine ac supra de accessu ab Altari ad feretrum, et cadaver in feretro efferetur post Celebrantem. In transitu ab ecclesia ad coemeterium cantabitur a Clero antiphona *In paradisum* etc.

26. Quum processio ad coemeterium venerit, Clerus disponetur eodem ordine quo stabit in ecclesia. Feretrum cum cadavere deponetur aut in medio coemeterio aut prope sepulcrum, et hoc casu Clerus circa sepulcrum consistet ordine iam descripto.

27. Si sepulcrum non erit benedictum, Celebrans, ut eo venerit, ex libro quem sustinebit Diaconus, recitabit tono feriali orationem super sepulcrum (*a*) post quam, ministrante Diacono, demittet incensum in thuribulum cum solita formula *Ab illo benedicaris* etc. et cum benedictione. Postea Diaconus acceptum aspersorium porriget Celebranti, qui asperget in medio, a sinistris, et a dextris suis primo cadaver, deinde sepulcrum; tum reddet aspersorium Diacono, et accepto ab eo thuribulo, adolebit cadaver et sepulcrum eodem modo, quo asperserit.

28. Reddito thuribulo Diacono, Celebrans intonabit antiphonam *Ego sum* et immediate a cantoribus cantabitur *Benedictus*, quod alternatim a Clero canetur, cum *Requiem aeternam* in fine. Post canticum praedictum a cantoribus cantabitur integra antiphona *Ego sum resurrectio* etc.

29. Cantata praedicta antiphona, Celebrans alta voce cantabit *Kyrie eleison*, Clerus *Christe eleison*, Celebrans, *Kyrie eleison* et immediate *Pater noster*, reliqua ab omnibus dicentur

(*a*) Si coemeterium sit benedictum, non oportet facere benedictionem sepulcri, quamquam esset recens effossum.

secreto. Dum recitabitur *Pater noster,* Diaconus aspersorium tradet Celebranti, qui suo loco perstans asperget cadaver in medio, a sinistris et a dextris suis et restituet aspersorium Diacono, hic autem clerico vasculum sustinenti.

30. Diaconus accepto libro, se sistet ut supra ante Celebrantem eique sustinebit illum apertum. Celebrans tono feriali cantabit versiculos *Et ne nos inducas* etc. postea eodem tono orationem *Fac, quaesumus, Domine,* etc.

31. Dum canentur versiculi et oratio, duo clerici cum thuribulo et cum vasculo accedent prope Crucem, ut parati sint ad proficiscendum suo loco ante Subdiaconum.

32. Post orationem Diaconus, non claudens librum, recedet aliquantum versus sinistram Celebrantis, cui Caeremoniarius in hac actione attollet fimbriam dexteram pluvialis. Celebrans, responso a choro *Amen* post orationem praedictam, elevabit dexteram et Crucis signum faciens versus cadaver, dicet *Requiem aeternam* etc. Cantores cantabunt *Requiescat in pace*: Clerus respondebit *Amen* et Celebrans submissa voce adiiciet *Anima eius* etc. et eodem vocis tono a choro respondebitur *Amen.*

33. Diaconus librum claudet ac tradet clerico, a quo illum acceperit: sumet a Caeremoniario biretum et porriget Celebranti accipiet deinde biretum suum et transibit ad sinistram Celebrantis.

34. Celebrans, capite nudato, sine cantu intonabit antiphonam *Si iniquitates,* et caput bireto cooperiet, quod ipsum faciet Diaconus.

35. Proficiscetur immediate Crux cum Acolythis, praecedentibus clericis cum vasculo ac thuribulo, et sequente Clero Celebrante ac Diacono, ut supra, et revertetur ad sacristiam. In itinere recitabitur psalmus *De profundis* alternatim tono chorali, sed sine cantu.

36. Reversi Subdiaconus et Acolythi in sacristiam, subsistent in capite ipsius, facie ad ingressum versa; duo clerici cum thuribulo et vasculo subsistent a lateribus Acolythorum; Clerus ubi venerit in sacristiam, consistet a Cruce versus portam, se dividens in aditu ideoque duos ordines hinc inde efficiet, om-

nibus ad invicem conversis: Celebrans cum Diacono subsistent prope ingressum sacristiae, facie versa ad Crucem, in fine duorum ordinum Cleri. Diaconus et Celebrans detegent bireto caput. Celebrans repetet antiphonam *Si iniquitates* etc. post ipsam, facta ad Crucem a Diacono sustentam et ad Clerum reverentia, perget ad sacra paramenta deponenda (*a*).

37. Subdiaconus Crucem tradet clerico, qui ponet eam seorsim, se adiunget Celebranti et ipse quoque deponet paramenta simul cum Diacono. Clerici et Acolythi res, quas sustinebant, suas quisque deponent.

38. Postquam e Coemeterio Clerus discesserit, a vespillonibus dabitur cadaveri sepultura, si transactum erit legitimum tempus; sin minus, deponetur cadaver in aliqua cella huic rei destinata, quoad tempus illius sepeliendi erit.

39. Providebitur, ut sepulturae virorum diversae sint a sepulturis foeminarum, itemque puerorum et ecclesiasticorum. In inferendis in sepulturam cadaveribus curabitur, quoad fieri potest, ut laicorum cadavera sint pedibus ad Altare seu sacellum conversis, Sacerdotum autem collocentur capite ad Altare verso eodem modo quo exponuntur in ecclesia.

40. Quod si Coemeterium non esset ecclesiae contiguum aut proximum, vel cadaver sepeliendum esset in ipsa ecclesia servabitur methodus sequens:

41. Postquam Celebrans cecinerit orationem *Deus, cui proprium est misereri* etc. Clerus non discedet e loco quo erit circa feretrum, Omittetur cantare antiphonam *In paradisum* etc. benedictio sepulcri, aspersio ac thurificatio cadaveris et sepulcri, sed Celebrans immediate intonabit antiphonam *Ego sum* et peragetur functio ordine supra dicto (*b*).

42. Si Coemeterium longe aberit ab ecclesia, fieri non potest, ut Clerus cum Celebrante comitetur cadaver in absolutione

(*a*) Post *De profundis* ut adiiciantur versiculi et oratio, a Rituali non praescribitur.

(*b*) Si mos in ecclesia esset cantandi antiphonam *In paradisum*, quamquam cadaver ad Coemeterium non sit deportandum, licebit servare consuetudinem, ut respondit S. C. Rituum.

post Missam de requie. Quocirca ritus absolutionis complebitur in ecclesía et debito tempore cadaver ad Coemeterium deportabitur. Curandum, ut in deportatione unum vel duo lumina adsint, Sacerdos seu Parochus et clericus praecedens cum Cruce. In itinere a Parocho recitabuntur preces in suffragium defuncti, et depositum prope sepulturam cadaver aspergere poterit aqua benedicta, et orationem *Absolve* recitare. Id ipsum esset faciendum, si deportatio fieret ope alicuius vehiculi, quod licet contrarium sit legibus a Rituali praescriptis, tolerari tamen poterit si de longa et difficili agatur via et ubi absit modus facile deportandi cadavera super feretro.

43. Si qua de caussa graviori recitari non posset totum officium, aut saltem nocturnum cum Laudibus, non omittetur tamen cantare Missam nec facere absolutionem super cadaver ritu superius descripto.

44. Quod si propter solemnitatem incidentem ne Missam quidem de requie liceat celebrare, non omittetur absolutio superius descripta, quae peragetur super cadaver statim ac deportatum erit in ecclesiam et cantatum fuerit ℟. *Subvenite* prescriptum in fine deportationis.

45. Tribus ultimis diebus maioris hebdomadae fiet quidem ritu statuto deportatio, sed abstinebitur a sonandis campanis et preces recitabuntur submissa voce. Item facienda erit absolutio super cadaver in ecclesia, sed privatim; videlicet quum minor erit in ecclesia fidelium concursus, et voce submissa. Licebit officium defunctorum super cadaver recitare sed voce suppressa et sine cantu.

46. Ultimo loco notabimus, quod cantare Missam solemnem, praesente etiam cadavere, non licet die festo Epiphaniae, in Dominica Paschatis, in diebus Ascensionis, Pentecostes, SS. Corporis Christi, nativitatis S. Joannis Baptistae, S. Iosephi sponsi B. M. V. Ecclesiae Catholicae patroni, SS. Apostolorum Petri et Pauli, Assumptionis Beatae Virginis, omnium Sanctorum, Nativitatis D. N. J. C. et in festis Patroni, Titularis, Dedicationis ecclesiae et tribus diebus ultimis maioris hebdomadae.

DE EXEQUIIS IN DIEBUS TERTIO, SEPTIMO, TRICESIMO ET ANNIVERSARIO

CAPUT X.

1. Exequiae pro aliquo defuncto licebit praedictis diebus celebrare (*a*).

2. Integrum officium defunctorum cum Laudibus recitabitur, servando ritum duplicem, vel etiam unum nocturnum et Laudes ritu eodem. In fine Vesperarum et Laudum recitandae sunt preces, videlicet psalmus *Lauda anima mea*, aut *De profundis*, quamquam soleant recitari tria nocturna, quoniam sic iubentibus rubricis Breviarii et Ritualis, preces praedictae in die obitus tantum omittuntur. Oratio propria est dierum, quos supra nominavimus et notata est in Rituali (*b*).

3. Postea cantabitur Missa, quae in Missali notata est *in anniversario* cum oratione respectiva aut pro anniversario aut pro ceteris diebus praedictis et cum caeremoniis descriptis cap. 10. lib. II.

4. Post Missam fiet absolutio. Haec peragi poterit duplici modo vel ad tumulum in ecclesia erectum, vel prope Altare posita in pavimento lodice funerea, seu panno nigro extenso, vel parvo tumulo cooperto panno nigro, qui a Caeremoniali Episcoporum *lectica mortuorum* appellatur. Prima praescribitur a Rituali, altera a Caeremoniali praedicto.

5. Relate ad absolutionem secundo modo persolvendam, haec servabuntur. Praeparabitur seorsim lodix funerea seu pannus extendendus ante Altare vel parvus tumulus ibidem statuendus.

6. Postquam Celebrans compleverit recitationem ultimi R-

(*a*) Dies tertius, septimus, tricesimus et anniversarius computari possunt a die vel obitus, vel sepulturae.

(*b*) Quod ad recitandum officium unius aut trium nocturnorum, servabitur usus locorum et dispositio quoque testatoris.

vangelii, redibit in medium Altaris cum Subdiacono a sinistris, Diaconus se addet ad dextera eius et facta simul ad Crucem reverentia, descendet a latere de Altari et pergent ad scamnum, in quo ipsi sederint inter Missam.

7. Interea a clericis delegatis accendentur candelae Cleri si fuerint ei distributae. Duo alii clerici ante gradus Altaris super pavimentum explicabunt lodicem funeream seu pannum nigrum, vel eo deportabunt, exiguum tumulum panno nigro contectum.

8. Acolythi praesto erunt a lateribus scamni Celebrantis, et prope Altare aderunt etiam clericus cum vasculo aquae benedictae et clericus cum thuribulo.

9. Ad scamnum postquam venerit cum Ministris Celebrans, quin vertant humeros ad Altare, Ministri adiuvantibus Acolythis deponent manipulum, et Celebrans, adiuvante Caeremoniario, detrahet sibi manipulum et planetam atque induet pluviale nigri coloris. Acolythi ad locum suum prope abacum redibunt.

10. Celebrans cum Ministris ascendet a latere ad Altare et subsistet in cornu Epistolae, ut in introitu, et in angulo Altaris aderit Missale super cussino vel legili. Diaconus Celebranti adstabit a dextris in suppedaneo vel in gradu superiori, Subdiaconus adstabit Celebranti a sinistris in suppedaneo.

11. Incipietur statim a cantoribus ℟. *Libera me, Domine* quod prosequentur cantare usque ad finem. Dum responsorium cantabitur Clerus in choro considebit. Post ℣. *Requiem aeternam*, in quo Celebrans nullum faciet Crucis signum, ascendet ad Altare thuriferarius cum thuribulo et navicula. Celebrans convertetur ad thuriferarium; Subdiaconus accedet ad dexteram Celebrantis eique fimbriam dexteram pluvialis attollet: Diaconus accipiet naviculam et Celebranti ministrabit sine osculis incensum; thuriferarius praesentabit thuribulum apertum Celebranti, qui incensum in thuribulum demittet cum formula *Ab illo benedicaris* etc. et cum benedictione. Diaconus restituet naviculam thuriferario, qui de Altari descendens se adiunget clerico sustinenti vasculum et simul vadent ad alterum latus Altaris, idest Evangelii, et ante medium Altaris transeuntes facient ad Crucem genuflexionem.

12. Ad *Kyrie eleison* Clerus in choro consurget. Post tertium *Kyrie* Celebrans conversus ad Missale cantabit elata voce *Pater noster* et continuabitur secreto. Postquam intonaverit, ut supra, *Pater noster*, veniet in medium suppedanei et se convertet ad tumulum seu pannum nigrum extensum ante Altare: Diaconus advertet prompte transire in cornu Evangelii ut ministret Celebranti. Ascendent ad Altare duo clerici cum vasculo et cum thuribulo. Diaconus manu sinistra fimbriam dexteram pluvialis Celebrantis attollet, et aspersorium acceptum dextera sine osculis tradet Celebranti, qui tumulum seu pannum asperget in medio, a sinistris et a dextris suis. Celebrans aspersorium restituet Diacono et hic clerico a quo acceperit. Diaconus thuribulum accipiet a thuriferario et tradet ipsum Celebranti, qui thurificationem, eodem modo quo aspersionem, exsequetur, et restituet thuribulum Diacono, qui reddet illud thuriferario.

13. Duo clerici cum vasculo et cum thuribulo descendent de Altari et debita genuflexione in medio facta, redibunt ad abacum vel in sacrarium ibique relinquent vasculum cum aspersorio ac thuribulum cum navicula.

14. Celebrans postquam asperserit et incensaverit, redibit iterum in cornu Epistolae ad Missale: Diaconus revertetur ad dexteram Celebrantis, qui cantabit ℣. *Et ne nos* etc. *A porta inferi* etc. cum reliquis versiculis et orationem *Absolve*, aut alteram quae recitata erit in Missa, ut rubrica Ritualis praescribit, sed cum conclusione brevi. Postea subiunget ℣. *Requiem aeternam* etc. et a cantoribus canetur *Requiescat in pace* ℟. *Amen*. Caeremoniale non praescribit, ut dicatur ℣. *Anima eius* etc. nec *De profundis* in reditu ad sacristiam, ideoque omittendum est utrunque. Clerus cum Celebrante et Ministris redibit in sacristiam methodo iam tradita pro aliis Missis solemnibus, excepto quod Ministri incedent a lateribus Celebrantis eique fimbrias pluvialis sustinebunt.

15. Altera methodus exsequendi exsequias super tumulum aut castrum doloris, praescribitur a Rituali Romano. In media ecclesia vel prope sacellum, in quo cantabitur Missa, erigetur tumulus aut castrum doloris plus minusve spatiosum iuxta con-

ditionem defuncti et exornabitur pannis nigri coloris et lodice funerea in summitate; licebit apponere stemmata gentilitia et alia insignia defuncto convenientia; circa castrum doloris disponentur congruenti numero cerei vel intorticia candelabris mortuariis infixa, quae toto saltem officii tempore ardebunt. Notandum autem, quod ad ornatum tumuli non fas est adhibere pannos sericos neque candelabra Altaris aut alia quae Altaris propria sunt.

16. Cantabitur Missa de requie, ut superius num. 3. huiusce capitis traditum est. Sacro autem peracto, Celebrans cum Ministris in suppedaneo salutabunt coniunctim Crucem, descendent a latere de Altari et pergent ad scamnum sibi praeparatum in parte Epistolae.

17. A clericis interea designatis accendentur Cleri candelae, si distributae fuerint. Hoc tempore Clerus sedebit. Praesto erunt aqud abacum duo clerici, alter cum thuribulo et navicula, alter cum vasculo aquae benedictae et aspersorio. Acolythi aderunt hinc inde a lateribus scamni Celebrantis.

18. Ubi Celebrans cum Ministris ad scamnum venerint, non vertentes tergum ad Altare, Ministri deponent manipulos, quos ipsis detrahent Acolythi et hi postea redibunt ad abacum, ex quo accipient candelabra. Celebrans, adiuvante Caeremoniario, manipulum et planetam dimittet et induet sibi pluviale.

19. Parato Celebrante, Subdiaconus accipiet Crucem processionalem, medius accipietur ab Acolythis et procedetur ad tumulum seu castrum doloris hoc ordine:

20. Praecedent duo clerici cum vasculo et cum thuribulo, et primus incedet a dexteris secundi: sequetur Subdiaconus gestans Crucem processionalem, medius inter Acolytos, qui sustinebunt candelabra cum candelis accensis. Post Crucem procedent Clerus; ac si candelae distributae fuerint, qui incedet dextrorsum, candelam dextera sustinebit, qui sinistrorsum, sinistra: omnes altera manu gestabunt biretum, incedent bini et capite nudato. Ultimo loco ibit Celebrans cum Diacono a sinistris, uterque capite bireto cooperto et sine candela accensa. Prope

Celebrantem ibit Clericus sustinens Rituale aut Missale, in quo extet ritus absolutionis. Unusquisque antequam discedat ex Altari, faciet in medio reverentiam aut genuflexionem ad Crucem Altaris, excepto Subdiacono.

21. Duo Clerici cum vasculo et cum thuribulo, Subdiaconus et Acolythi transeuntes super sinistram suam pergent ad pedes tumuli. Subdiaconus cum Acolythis ibi consistent, facie ad tumulum versa, quamvis exequiae celebrentur pro Sacerdote: duo praedicti clerici redibunt super dexteram suam versus caput tumuli. Clerus in principio tumuli dirimetur bifariam et in ordine disponetur secundum latera: Celebrans cum Diacono consistet in capite tumuli versus sinistram, seu versus partem Epistolae, ne directe vertant tergum ad Crucem Altaris. Clericus cum vasculo, alter cum thuribulo ac tertius cum libro adstabunt Celebranti a sinistris eius (*a*).

22. Ut Celebrans cum Diacono venerint ad caput tumuli, Diaconus deteget caput et biretum dabit Caeremoniario, Celebrans et ipse, nudato capite, biretum tradet Diacono et hic Caeremoniario.

23. Cantores immediate cantabunt ℟ *Libera me, Domine* etc. Ad ℣. *Requiem aeternam* etc. qui ab iisdem cantoribus canetur, Celebrans nullum Crucis signum versus tumulum faciet, ut perperam solent quidam contra rubricarum praescriptionem. Post cantatum hunc versiculum, Diaconus, salutato Celebrante, se sistet a dexteris eius, ideoque animadvertet ad transeundum ante eum. Ad Celebrantem appropinquabit thuriferarius, qui naviculam tradet Diacono, exhibebit thuribulum Celebranti et Diaconus ipsi ministrabit incensum sine osculis.

(*a*) Probari non potest usus quibusdam in locis receptus, mittendi Subdiaconum cum Cruce et Acolythos cum candelabris ad pedes tumuli, dum interea pergit sedere Celebrans cum Diacono in suo scamno et Clerus in choro. Quum super tumulum facienda est absolutio, hac prorsus de caussa defertur illuc Crux processionalis quia Celebrans cum Clero exire de choro et de presbyterio debet, ideoque Crux processionalis vice fungitur Crucis Altaris. Si de choro exeundum non esset, servari deberet ritus statutus a Caeremoniali Episcoporum lib. II. cap, 37. et sicut superius notatum est.

Celebrans incensum demittet in thuribulum, cum formula *Ab illo benedicaris* etc. et cum benedictione. Caeremoniarius interea fimbriam dexteram pluvialis eius attollet. Demisso in thuribulum incenso, thuriferarius claudet thuribulum, recipiet naviculam et redibit ad locum suum. Clericus cum vasculo appropinquabit ad dexteram Diaconi, adstantis dexterae Celebrantis.

24. Post responsorium cantabitur a cantoribus *Kyrie, Christe, Kyrie eleison*, quo cantato, Celebrans tono praescripto cantabit *Pater noster*. Diaconus accipiet aspersorium. Celebrans cum Diacono a dexteris de suo loco discedet, reverentiam ad Altare faciet et Diaconus genuflexionem, accipiet a Diacono aspersorium et circumibit tumulum ut aspersionem peragat, initium faciens a sinistris suis. Primum aspersionis iactum faciet in eam partem tumuli, quae respicit Altare, alterum in mediam, tertium in extremam quae respiciet Subdiaconum sustinentem Crucem: deinde Celebrans et Diaconus respective facient reverentiam vel genuflexionem ad Crucem a Subdiacono sustentam, et Celebrans peraget aspersionem in alterum tumuli latus, primum nempe iactum in extremitatem respicientem Subdiaconum, alterum in medium, tertium in partem quae respicit Altare: notandum autem, quod in exsequendis aspersionibus non est subsistendum, sed faciendae ipsae sunt sine interruptione dum circumitur castrum doloris.

25. Reversus ad locum quo erat antea, tradet aspersorium Diacono, et hic clerico sustinenti vasculum. Diaconus accipiet thuribulum, et reversi Celebrans ac Diaconus in medium facient ad Altare respective reverentiam vel genuflexionem. Tum Diaconus thuribulum tradet Celebranti, qui tumulum seu castrum doloris adolebit quo modo asperserit; et reversus ad locum suum, thuribulum restituet Diacono, hic thuriferario.

26. Deinde Diaconus librum a clerico accipiet et sustinebit apertum ante Celebrantem, qui cantabit versiculos *Et ne nos* etc. et reliquos cum oratione *Absolve*, sive alteram de Missa tono feriali et cum brevi conclusione. Postea Diaconus, non clauso libro, recedet paullulum a latere et Caeremoniarius elevabit fimbriam dexteram Celebranti, qui attollet manum dexte-

ram versus tumulum et cantans ℣. *Requiem aeternam* etc. Crucis signum faciet versus illum. Cantores autem cantabunt *Requiescat in pace* ℟. *Amen.* Diaconus claudet librum et redibit ad sinistram Celebrantis, atque hoc modo functionis fiet finis.

27. Clerus ordine alias innuto, redibit in sacristiam, et Celebrans facta ad Crucem et Clerum reverentia una cum Ministris sacra indumenta deponet (*a*).

28. Quod ad praedictas exequias illud est notandum, quod eas celebrare non licet diebus officii duplicis primae et secundae classis, in omnibus Dominicis et festis praeceptivis, ne illis quidem exceptis, quae ex indulto Pontificio abrogata essent, in vigiliis Natalis Domini et Pentecostes, in tota maiori hebdomada et in octava Epiphaniae, Paschatis, Pentecostes et SS. Corporis Christi.

29. Denique si forte exequiae celebrentur pro pluribus defunctis, monemus quod versiculi et orationes plurali numero sunt recitandae.

DE EXEQUIIS INFANTIUM

CAPUT XI.

1. Ritus, quem Ecclesia Catholica pro funere infantium instituit, est potius festivus, quam luctuosus; quia quum moriantur in innocentiae statu, eorum animae ad beatificam Dei visionem statim admittuntur.

2. Parochus, nuntiata parvuli morte, cum iis quibus ille curae sit, conveniet de exequiis super cadaver faciendis ritu ab Ecclesia praescripto.

(*a*) In reditu ad sacristiam Rituale non praescribit, ut recitetur ℣. *Anima eius* nec *De profundis*. Quid ergo ex hoc erui potest? Quia, si recitetur *De profundis*, non amplius altera functio ab altera distinguitur. Inde colligitur, quod sacrae functiones a quibusdam diriguntur ad libitum et sine cognitione legum, quas Ecclesia singulis et universis praecepit.

3. Invitabuntur Confraternitates, Regulares et Clerus seu quidam sive omnes ex iis corporibus, ut funus comitentur. Adhibebitur feretrum puerorum funeri destinatum, quod exornabitur lodiculis et pannis sericis albi coloris. Neque deerunt lumina in deportatione, et statuentur, qui debeant illa deferre (*a*). Cadaver parvuli induetur vestibus albis, et spargetur floribus recentibus et herbis odoris, cum florea corona capiti imposita in signum integritatis carnis et virginitatis.

4. Hora praestituta congregabuntur in ecclesiam parochialem corpora illa, quae debebunt funus comitari; ac si interveniret Capitulum Cathedralis aut Collegiatae alicuius, congregabuntur in ecclesiam praedictam ibique aderit etiam Parochus.

5. Campanae non pulsabuntur more funerum, sed si pulsari solerent, pulsabuntur tantum in laetitiae argumentum.

6. Ordo, quo procedetur domum ad efferendum cadaver erit idem ac superius indicatus n. 14. cap. VIII. Notandum solummodo est, quod Confraternitates deferent suum proprium signum, nulla nota mortuaria distinctum; quod Crux ante Clerum gestabitur sine hasta (*b*) quodque Parochus supra superpelliceum induet sibi stolam albi coloris.

7. Quum pompa funebris pervenerit domum defuncti, ascendet ad ipsam Parochus cum clerico deferente Rituale et vasculum aquae benedictae cum aspersorio: ascendet etiam qui delaturi erunt intorticia seu candelas accensas circum cadaver et qui deportare cadaver ipsum et locare super feretrum debebunt.

8. Rebus omnibus dispositis, Parochus a clerico accipiet aspersorium et asperget cadaver in medio, a sinistris et a dextris suis. Deinde recitabit antphonam *Sit nomen Domini;* psalmum *Laudate, pueri, Dominum* cum *Gloria Patri* in fine et repetet antiphonam totam *Sit nomen Domini benedictum* etc.

9. Efferetur domo cadaver, locabitur super feretrum et

(*a*) In exequiis parvulorum non distribuntur neque accendentur candelae a Clero et Confraternitatibus ad funus comitandum invitatis.

(*b*) Ritus deferendi Crucem sine hasta non caret mysterio, quemadmodum videre est apud scriptores liturgicos.

procedetur ad ecclesiam. In processione quae fiet a domicilio defuncti ad ecclesiam recta via, vel cum brevi diversione, si proxima ecclesiae esset domus defuncti, recitabitur psalmus *Beati immaculati in via* etc. cum *Gloria Patri* in fine, ac si tempus superesset, alteri tres psalmi *Laudate Dominum de coelis* etc. *Cantate Domino canticum novum, laus eius* etc. *Laudate Dominum in Sanctis eius* etc. cum *Gloria Patri* in fine huius ultimi psalmi.

10. Reversa ad ecclesiam processione, disponentur Confraternitates, Regulares et Clerus eodem modo ac in exequiis adultorum num. 22, cap. VIII. et advertetur, ut clericus unus in promptu habeat thuribulum cum navicula, qui consistet prope alterum clericum sustinentem vasculum aquae sanctae cum aspersorio.

11. Deposito feretro cum cadavere in media ecclesia, Parochus vel unus cantorum intonabit antiphonam *Hic accipiet*, et Clerus alternatim cantabit psalmum *Domini est terra* etc. cum *Gloria Patri* in fine. Dehinc a cantoribus canetur tota antiphona *Hic accipiet* etc. Et hac antiphona completa, duo cantores cantabunt *Kyrie eleison*, Chorus respondebit *Christe eleison*, duo iidem cantores repetent *Kyrie eleison*. Parochus cantabit *Pater noster* et omnes hanc orationem prosequentur secreto. Parochus, accepto a clerico aspersorio, asperget cadaver in medio, a sinistris et a dextris suis, quin circumeat feretrum. Reddito autem aspersorio eidem clerico, cantabit tono feriali versiculos *Et ne nos inducas* etc, et orationem *Omnipotens et mitissime Deus* etc. tono etiam feriali.

12. Ordinabitur processio ad Coemeterium, si proximum erit ecclesiae, metodo tradita num. 13. cap. IX. Sin longe aberit ab ecclesia, peragentur exequiae in ecclesia ipsa.

13. Dum cadaver deportabitur ad coemeterium vel si non deportabitur, in ipsa ecclesia, Parochus aut unus e cantoribus intonabit antiphonam *Juvenes* et canentur tres psalmi *Laudate Dominum de coelis* etc. et reliqui, ut supra dictum est cum *Gloria Patri* in fine ultimi psalmi. Deinde cantabitur integra antiphona *Juvenes et virgines* etc.

14. Quum ad locum sepulturae ventum erit, vel in ecclesia ipsa Parochus cantabit ℣. *Kyrie eleison* etc. cum reliquis in Rituali notatis, et orationem *Omnipotens sempiterne Deus* etc. tono feriali.

15. Thuriferarius exhibebit Parocho thuribulum apertum et alter clericus ministrabit incensum Parocho, qui ponet illud in thuribulum cum formula *Ab illo benedicaris* etc. et cum benedictione. Postea Parochus accipiet aspersorium et asperget cadaver in medio, a sinistris et a dextris suis eodemque modo sepulturam, si proxima erit feretro, deinde restituto aspersorio et accepto thuribulo, adolebit, ut supra, cadaver et sepulturam.

16. Clerus redibit a coemeterio ad ecclesiam, vel a media ecclesia, ubi completus erit ritus, procedet ad Altare primarium: Parochus aut cantor intonabit antiphonam *Benedicite* et alternatim cantabitur canticum *Benedicite omnia opera* etc. quo absoluto, repetetur in cantu antiphona *Benedicite Domino* etc. Post antiphonam Parochus stans ante Altare cantabit *Dominus vobiscum* et orationem *Deus, qui miro ordine* etc. tono feriali.

17. Clerus ordine debito redibit in sacrarium, et cadaveri sepultura dabitur in sepulcro parvulis attributo (*a*).

Barchinonen. Episcopus Barchinonen. petiit declarari: an permittendus sit usus inveteratus in sua dioecesi, quod praesente cadavere, loco Missae de requie dicatur Missa Angelorum in paramentis albis? Et S. C. respondit: *nullo modo permittendum, sed omnino prohibendum.* Die 21 Iunii 1632.

(*a*) Parvulorum exequiae peragendae sunt quo ordine in hoc capite notavimus; sequuti enim sumus ordinem Ritualis. In iis neque expositioni, nec celebrationi Missae locus est. Non est locus expositioni, siquidem ea fit pro adultis in hunc finem, ut per officii recitationem, per celebrationem Missae et absolutionem, animae eorum fruantur suffragiis in delictorum suorum expiationem. Non est locus celebrationi Missae, quia parvuli suffragiis non egent: et gravis etiam esset error celebrare Missam votivam Angelorum, quae nullam relationem cum pueris habet, sed instituta est in honorem Angelorum, qui purissimi Spiritus sunt, et nunquam humanam naturam habuerunt nec habebunt. Quamobrem curae erit Episcopo invigilare, ne abusiones tam indecorae invehantur.

Hispalen. Pro parte Didaci Diaz de Escobar Presbyteri et Magistri Caeremoniarum Ecclesiae Hispalensis supplicatum fuit apud S. R. C. an sustinendi sint mores infrascripti, videlicet (omissis).

5. In funeribus, etiamsi defunctus parvulus sit, fit officium de adultis et Missa votiva de Angelis, unica oratione in duplicibus et Dominicis. Rogatur, an possit hoc sustineri?

Et eadem S. C. respondit — Consuetudines, seu ut melius dicam, abusus omnes expositi, uti repugnantes rubricis et expositorum opinionibus, tolli omnino debent. Non sunt enim laudabiles, imo scandalosae, iis maxime, qui amant observantiam bonorum rituum. — Et ita declaravit, decrevit, atque praefata omnino tolli mandavit. Die 16. Ianuarii 1677.

Camerinen. Petro Riposati terrae Plebis Faveriae Plebano Dioecesis Camerinensis pro declaratione infrascript. dubior.

1. An liceat in exequiis parvulorum, praesente, vel non praesente cadavere, cantare Missam solemnem, vel dicere Missam planam votivam de Angelis?

Et S. R. C. censuit respondendum — Ad I. Servetur rubrica Ritualis Romani. Die 23 Martii 1709.

DE MATRIMONIO CELEBRATO ANTE PAROCHUM SIVE ALTERUM SACERDOTEM AB EO VEL AB EPISCOPO ORDINARIO DELEGATUM, CUM NUPTIARUM BENEDICTIONE

CAPUT XII.

1. Pro celebratione Matrimonii et benedictione nuptiarum praeparabitur super Altari calix cum purificatorio etc. et collocabitur in medio, ut in principio Missae. Super patenam autem ponentur binae particulae pro Communione Sponsorum. In eodem Altari statuetur Missale cum signaculis ordinatim dispositis. In latere Epistolae aderit vasculum aquae benedictae cum aspersorio, pelvicula cum annulo tradendo sponsae et Rituale. In latere Evangelii praeparabitur manipulus pro Celebrante: super abaco praeter ampullas etc. aderit tobalea linea expandenda pro Communione.

2. Parochus vel alius Sacerdos ex eius mandato, induetur in sacristia vestibus sacerdotalibus pro celebranda Missa, excepto manipulo. Color paramentorum congruet officio, quod celebrabitur et nisi eo die vetitum sit legere Missam pro sponso et sponsa, ut docebitur inferius, adhibebitur color albus.

3. Paratus, ut supra, Parochus capite bireto operto et iunctis manibus adibit ad Altare, praecedente clerico superpellicio induto.

4. Parochus ante Altare nudabit caput, biretum tradet Ministro, reverentiam ad Crucem vel genuflexionem faciet, si custodietur ibi SS. Sacramentum, conscendet suppedaneum in medium et se convertet ad populum. Clericus seu Minister, deposito bireto super abaco, ascendet ad Altare ad sinistram Parochi eique sustinebit Rituale.

5. Sponsi se sistent ante Altare, mulier adstabit sinistrae viri; geniculabunt in extremitate anteriore suppedanei, vel su-

per gradu superiore Altaris. Memoranda est primum eis in habitu et in incessu modestia, quae Sacramento debetur; si forte uterentur chirothecis, deponent eas antequam accedant ad Altare: simul cum Sponsis adibunt ad Altare etiam duo praestituti testes, iam noti Parocho, qui consistent pedibus prope Sponsos.

6. Parochus interrogabit sponsum hac formula, quam proferet vulgari sermone — N. *vis accipere* N. *hic praesentem in tuam legitimam uxorem iuxta ritum Sanctae Matris Ecclesiae?* — Sponsus elata voce ut intelligi possit a Parocho et testibus, respondebit — *Volo* —. Tum Parochus interrogabit sponsam, dicens — N. *vis accipere* N. *hic praesentem in tuum legitimum maritum iuxta ritum Sanctae Matris Ecclesiae?* Sponsa respondebit elata voce, ut supra, — *Volo* —.

7. Tunc Parochus eos iubebit dexteram iungere dexterae, seu alterum alterius tenere dexteram dum ipse dicet *Ego coniungo vos in matrimonium* et faciens dextera signum Crucis versus ipsos subiunget *In nomine Patris* ✠ *et Filii et Spiritus Sancti. Amen.* Clericus tradet aspersorium Parocho, qui asperget illos in medio, a sinistris et a dextris suis, ac restituet aspersorium clerico.

8. Parochus conversus ad Altare benedicet annulum, dicens versiculos et orationem in Rituali notatam, post quam recipiens aspersorium a clerico asperget annulum in formam Crucis, dicens submissa voce *Asperges me* etc. Accipiet annulum, se convertet ad sponsum eique annulum tradet: sponsus illum inducet in digitum annularem sinistrae manus sponsae et Parochus dicet *In nomine Patris* etc. faciens dextera signum Crucis. Postea Rituale ante eum sustinente clerico, dicet ℣. *Confirma* etc. cum oratione *Respice* etc.

9. Post orationem sponsi consurgent et descendent ad balaustrium ut assistant divino Sacrificio. Clericus manipulum imponet Celebranti, et vasculum, Rituale ac pelviculam, quae erant super Altari, ad abacum referet.

10 Parochus de Altari descendet et Sacrum exordietur, quod peraget usque ad *Pater noster* inclusive. Responso a Mi-

nistro *Sed libera nos a malo*, respondebit *Amen* submissa voce, genuflectet ad Sacramentum et se convertet versus cornu Epistolae, ne tergum vertat Sacramento. Sponsi redibunt ante Altare ibique geniculabunt; Minister accipiet Missale et sustinebit ipsum ante Parochum, stans prope sinistram eius. Parochus iunctis manibus recitabit orationem *Oremus. Propitiare, Domine* etc. et alteram *Oremus. Deus, qui potestate virtutis tuae* etc. quibus completis, sponsi ad locum suum redibunt; Parochus autem se convertet ad Altare, genuflectet et Missam prosequetur ad orationem *Libera nos* etc. Minister Missale reponet super legile vel pulvilum.

11. Postea Parochus sacram Eucharistiam administrabit sponsis ad balaustrium stantibus, et ante eos a Ministro expandetur mappula.

12. Post Communionem Parochus prosequetur Sacrum usque ad *Benedicamus Domino*, seu ad *Ite Missa est* et priusquam dicat orationem *Placeat* stabit conversus ad populum et rursus sponsi se sistent ante Altare. Parochus super eos dicet orationem *Deus Abraham* etc. postea brevi sermone eosdem monebit quomodo suggerit rubrica Missalis. Accepto autem a clerico aspersorio, asperget ipsos modo iam notato.

13. Sponsi redibunt ad locum suum, et Parochus ad Altare conversus dicet orationem *Placeat tibi* etc. ac Missam complebit.

14. Ex decisionibus in hanc rem editis e S. Rituum Congregatione, potest celebrari Missa *pro sponso et sponsa* quibuslibet diebus, exceptis Dominicis, festis praeceptivis (inter quae numeranda illa quoque sunt, quibus observantia fori abrogata est ex indulto Pontificio) et diebus quibus occurrit officium de ritu primae aut secundae classis. Hisce diebus recitabitur Missa de festo cum commemoratione *pro sponso et sponsa*. Inter dies exceptos adscribendi etiam sunt dies octavae de Epiphania, vigilia et tota octava Pentecostes et octava etiam integra de festo SS. Corporis Christi, ubi celebretur cum privilegio ad instar Epiphaniae. Relate ad Missam *pro sponso et sponsa*, quando erit dicenda, omittetur in ipsa *Gloria in excelsis* et

Credo, dicentur secunda ac tertia oratio, ut praescribunt in Missis votivis generales Rubricae Missalis tit. VII. num. 3. *Benedicamus Domino* in fine et Evangelium s. Joannis *In principio* etc. Quod si recitanda erit Missa respondens officio, advertatur quod oratio *pro sponso et sponsa* non est iungenda sub unica conclusione cum prima oratione, sed recitanda post omnes orationes, seu commemorationes a rubrica praescriptas et ante collectas a superiore imperatas.

15. Si mulier fuerit vidua, omittetur nuptiarum benedictio sive orationes post *Pater noster* et ante benedictionem in Missa.

16. Si qua de caussa a superiore approbata Matrimonii functio celebranda esset primis horis nocturnis, Parochus induet sibi superpelliceum et stolam albi coloris, eaque omnia exsequetur, quae superius tradita sunt usque ad celebrationem Missae.

17. Ritus hic, in quibus locis nullus alius legitime invectus erit, ex eo quod praescribit Sacrum Concilium Tridentinum, prorsus observabitur.

DE BENEDICTIONE PRIMARII LAPIDIS NOVAE ECCLESIAE, A SACERDOTE EX MANDATO EPISCOPI PERAGENDA

CAPUT XIII.

1. Postquam Episcopus ea omnia constituerit, quae opus sunt ad novae ecclesiae aedificationem, Sacerdos ab eo delegatus, quo loco erigendum erit Altare primarium, ponet vel poni iubebit Crucem ligneam maioris formae, ut conspici possit.

2. Substruentur fundamenta, vel etiam lineis describetur eorum locus.

3. Quandoquidem in substructionibus ipsis statuenda sit petra fundamentalis, fossio fiet quo loco ipsa erit collocanda, videlicet in angulo dextero absidae, qui locus respondet lateri Evangelii Altaris primarii.

4. Fundamenta effossa cingentur munitionibus, ne quod gravius incommodum accipiatur.

5. Praeparabitur lapis ex omnibus partibus perfecte quadratus qui palmi amplitudinem aequet, ponendus in fundamentis. Lapis iste non erit pumice expolitus, sed ferme rudis, ut in ipso possit Sacerdos cultro effingere Crucem.

6. Fiet etiam arcula lapidea cum operculo a latere claudendo, intra quam ponetur lapis seu petra supradicta. In parte superiori arculae inseretur annulus ferreus, ut demitti possit in fundamenta. Intra arculam istam includi poterit aliquod numisma ac tubus vitreus cum pergamena scripta, quae memoret actum.

De rebus praeparandis

7. Si quis locus proximus ac decens erit, ubi se parare possit Sacerdos, disponetur ad hanc rem, secus Sacerdos se parabit ibidem ubi functio erit peragenda.

8. Ante Crucem pridie positam in loco designato pro Altari maiore, praeparabitur tapetum et super ipso ex una parte abacus albo mantili coopertus, in quo disponentur res necessariae ad functionem, videlicet vas seu concha decens cum aqua benedicenda, aliquantulum salis in pelvicula; vasculum ad hauriendam aquam benedictam; aspergillum ex hyssopo; mantile; lapis fundamentalis extra arculam praedictam; paullum gypsi triti in lance ad obturandum operculum arculae si opus fuerit; culter vel aliud ferrum acutum cum manubrio decenti ad signum incidendum in lapide; resticula longa liganda arculae ad demittendum lapidem in fundamentum; Rituale; pluviale cum stola albi coloris, cingulum, alba, amictus pro Celebrante, bina intorticia et superpellicea pro clericis.

9. Prope abacum Crux hastilis cum basi et legile maioris formae cum Rituali pro cantoribus.

10. Quo loco ponendus erit primarius lapis, aderit calx cum lateribus, ut immediate possit ipsa petra obstrui muro.

11. Praeter Celebrantem, adesse debent clerici, qui respe-

ctive sustineant Crucem, intorticia, vasculum aquae sanctae et duo qui assistant Celebranti, duo qui deferant lapidem ad fundamentum, cantores aliquot superpellicio induti, et coementarii sacco induti, qui lapidem muro occludant.

12. Functio haec peragi poterit quacumque die et quavis hora, quum post ipsam praescripta non sit celebratio Missae.

In functione.

13. Hora statuta Clerus cum Celebrante congregabitur in locum functionis, vel eo, ubi parata erunt sacra indumenta. Quisque clericus induet sibi superpelliceum supra vestem talarem. Celebrans adiutus a duobus clericis, qui assistent ei etiam in functione, induetur amictu, alba, cingulo, stola in pectore decussata et pluviali, ac bireto caput operiet.

14. Duo clerici accendent intorticia et alter accipiet Crucem processionalem.

15. Si Celebrans cum clericis se paraverit in ipso functionis loco, clerici cum Cruce et intorticiis se sistent ad abacum prope tapetum, neque unquam de loco illo discedent, quum non adsit Altare cum Cruce.

16. Si sacra indumenta alibi praeparata essent, Celebrans capite bireto cooperto, praeeunte Cruce cum intorticiis, tum Clero, omnibus incedentibus binis, accedet ad locum functionis.

17. Clerici cum Cruce et intorticiis se sistent prope tapetum, ut supra, Celebrans autem super tapeto, facie ad locum versa quo respondebit Altare maius, et clerici circa eum, vel iuxta abacum, secundum eorum officia.

18. Celebrans capite nudato stans prope abacum, benedicet aquam et salem benedictione communi.

19. Completa aquae benedictione, clericus huic rei delegatus, extrahet eiusdem aquae vasculum unum, accipiet aspergillum hyssopi et subsistet prope dexteram primi assistentis Celebranti.

20. Celebrans, benedicta aqua, veniet ante Crucem ligneam pridie positam quo loco designatum erit Altare primarium.

21. Clerici cum Cruce et intorticiis perstabunt loco suo.

22. Quum Celebrans venerit ad locum praedictum, cantores intonabunt antiphonam *Signum salutis* eamque prosequentur canendo cum psalmo *Quam dilecta* etc.

23. Interea primus assistens acceptum aspergillum hyssopi a clerico sustinente vasculum, porriget cum osculis Celebranti.

24. Celebrans aspergillum praedictum immerget in aquam benedictam et asperget illam terrae partem, in qua statuta erit Crux lignea, deinde aspergillum restituet assistenti et hic clerico.

25. Cantato a cantoribus post psalmum praedictum *Gloria Patri*, Celebrans manens quo loco aspersionem fecerit, recitabit orationem *Oremus. Domine Deus* etc. et in ipsa nominabit Sanctum, vel Sanctos, in quorum honorem nova ecclesia dedicabitur.

26. Post orationem Celebrans accedet ad abacum et benedicet primarium lapidem, recitans versiculos et orationem in Rituali praescriptam.

27. Post lapidis benedictionem, assistens, praebebit Celebranti aspergillum, quo Celebrans lapidem asperget.

28. Postea idem assistens, recepto aspergillo, tradet Celebranti cultrum, quo ipse lapidem signabit in singulis partibus, triplicem Crucem unam post aliam imprimens in loco eodem et dicens *In nomine Patris* etc. ut in Rituali. Duo clerici lapidem convertent, ut Celebrans eum possit signare undequaque.

29. Assistens recipiet cultrum a Celebrante, qui dicet orationem *Oremus. Benedic, Domine* etc.

30. Absoluta lapidis benedictione, Celebrans geniculabit super tapetum, conversus, ut antea, ad locum Altaris primarii et cum eo congeniculabunt omnes circumstantes, exceptis tribus clericis cum Cruce et cum intorticiis.

31. Duo cantores cantabunt Litanias, ad quas respondebunt adstantes.

32. Interea coementarii praeparabunt coementum, quo obstruendus erit lapis praedictus.

33. Completo Litaniarum cantu, assurget Celebrans et ceteri cum eo.

34. Celebrans intonabit antiphonam *Mane surgens Iacob.* quae canetur cum psalmo *Nisi Dominus aedificaverit domum* etc.

35. Inter haec claudetur lapis intra arculam et includetur etiam pergamena cum aliis monumentis et operculum obturabitur gypso et in summitate arculae alligabitur praedicta resticula, qua demitti possit in fundamentum.

36. Cantato a cantoribus psalmo supradicto cum *Gloria Patri,* duo clerici accipient lapidem eumque deferent ad locum ex quo demittendus erit in fundamentum. Celebrans cum assistentibus sequetur eos et cum ipsis clericus ferens vasculum aquae benedictae et aspergillum.

37. Quum ventum erit ad fundamenti locum, Celebrans demittet lapidem, cui detrahetur resticula, postquam fundum attigerit. Tunc Celebrans recitabit formulam *In fide Iesu Christi* etc. deinde eum asperget aqua benedicta, recitans simul cum assistentibus antiphonam *Asperges me* etc. cum toto psalmo *Miserere mei, Deus* etc.

38. Coementarii statim desuper iniciient calcem et coementum in lapidem benedictum eumque ita cooperient, ut nequeat amplius dimoveri loco.

39. Celebrans intonabit antiphonam *O quam metuendus est,* quae a cantoribus cantabitur cum psalmo *Fundamenta eius* etc.

40. Celebrans, accepto ab assistente aspergillo, circumibit fundamenta aperta vel saltem designata novae ecclesiae aspergens illa aqua benedicta. Aspersionem inchoabit a dextris suis ex ipso loco, quo posuerit primum lapidem.

41. Post aspersionem reversus quo loco erat a principio, restituet aspergillum assistenti, et cantato a cantoribus *Gloria Patri* post psalmum ac repetita antiphona cantata, Celebrans conversus, ut antea, cantabit *Oremus,* assistens a dexteris *Flectamus genua* (omnesque, excepto Celebrante, genuflexionem facient) et assistens a sinistris *Levate,* tum Celebrans cantabit orationem *Omnipotens et misericors Deus* etc. atque immediate alteram orationem *Deus, qui ex omnium* etc. non praemittens consuetum invitamentum *Oremus.*

42. Hac oratione explicit huiusce ritus exsecutio et quo ordine superius traditum est, sacra paramenta deponentur.

DE BENEDICTIONE NOVAE ECCLESIAE VEL PUBLICI ORATORII A SACERDOTE EX EPISCOPI MANDATO EXSEQUENDA

CAPUT XIV.

1. Absoluto novae ecclesiae aedificio, priusquam in ea celebrentur officia divina et s. Sacrificium, oportet ut ab Episcopo rite dedicetur. Sed quoniam potest interdum contingere, ut quadam legitima de caussa nequeat peragi statim dedicatio, simulque in templo recens exstructo celebrare divina officia necesse sit, idcirco prolatando in tempus opportunius dedicationem, negotium alicui Sacerdoti ab Episcopo dabitur exsequendi ecclesiae illius benedictionem. Haec functio perficietur quemadmodum in Rituali praescribitur, sequenti ratione, matutino tamen tempore, quia complebitur cum sacrificio Missae.

De rebus praeparandis.

2. Ecclesia quocumque prorsus ornameuto carebit, itemque omnia eius Altaria.

3. In sacrario praeparabitur pluviale albi coloris cum stola simili, cingulum, alba, amictus et biretum pro Celebrante: numerus superpelliciorum, qui satis sit pro Clero huic functioni interfuturo; Crux hastilis cum duobus intorticiis; candelabra cum candelis, Crux ac tobaleae et reliqua ornamenta pro unoquoque Altari; tapetum saltem pro Altari primario: omnia quae opus sunt ad Missam lectam, celebrandam post benedictionem; ac si ecclesia gaudebit iure, seu privilegio custodiendi SS. Sacramentum, praeparabitur etiam pixis cum particulis consecrandis in ipsa Missa et reponendis in tabernaculo seu ciborio;

vasculum aquae benedictae cum aspergillo ex hyssopo; alia quantitas aquae benedictae, qua impleantur fontes lustrales, seu vasa posita ad fores ecclesiae post completam benedictionem; Rituale pro Celebrante et Rituale cum notis musicis, vel Pontificale pro cantoribus.

4. Praeter Celebrantem aderunt etiam tres clerici pro Cruce et intorticiis sustinendis, alter clericus pro vasculo aquae sanctae, alter cum Rituali pro Celebrante, duo Sacerdotes vel etiam clerici, qui Celebranti assistant et aliquot cantores.

In functione

5. Hora praestituta coibunt in sacrarium Celebrans et clerici: isti sibi induent superpelliceum, Celebrans autem, adiuvantibus suis assistentibus, induetur amictu, alba, cingulo, stola in pectore decussata, pluviali albi coloris et caput bireto cooperiet.

6. Praeibit clericus cum vasculo aquae benedictae et aspersorio, tres post eum alii clerici cum Cruce hastili et intorticiis, Clerus, et omnes incedent bini, tum alter clericus ferens Rituale, postremo Celebrans medius inter duos Sacerdotes vel clericos, suos assistentes: exibunt de ecclesia cumque ipsis totus populus, qui admittendus non erit in ecclesiam, nisi quum completus fuerit actus benedictionis.

7. Crux cum Acolythis consistet a sinistra ingressus extra portam principalem, clericus cum vasculo iuxta primum assistentem, Celebrans contra portam ecclesiae, et Clerus in ordinem disponetur apud Celebrantem, omnes ad ecclesiam conversi.

8. Porta ecclesiae erit aperta.

9. Celebrans deponet biretum, et stans recitabit orationem *Actiones nostras* etc. Deinde intonabit antiphonam *Asperges me*, quam prosequentur cantores cum toto psalmo *Miserere mei Deus* etc.

10. Celebrans, intonata antiphona, accipiet aspergillum a primo assistente, et asperget externos ecclesiae muros in summitate et versus fundamenta, incipiens a dextris suis. Haec

actio complebitur a Celebrante, comitato a suis assistentibus et clerico ferente vasculum aquae benedictae. Celebrans dum asperget muros, recitabit ℣. *Asperges me, Domine* etc. Ceteri omnes suo loco manebunt.

11. Si ecclesiam circumiri libere non possit, observentur, quae trademus in ritu de Dedicatione ecclesiae lib. VII. cap. 17.

12. Reversus ante portam ecclesiae Celebrans aspergillum restituet primo assistenti, et praesto erit clericus praebiturus Rituale Celebranti.

13. Completo a cantoribus cantu psalmi *Miserere* cum *Gloria Patri* etc. et repetita antiphona a cantoribus, Celebrans conversus ad portam ecclesiae cantabit *Oremus*, assistens a dexteris *Flectamus genua* (et omnes genuflectent uno genu, excepto Celebrante) alter assistens a sinistris cantabit *Levate*, et omnes assurgent, postea Celebrans subiunget orationem *Domine Deus, qui licet* etc. in qua Sanctus Patronus ecclesiae suo loco nominabitur.

14. Post orationem cantores duo intonabunt Litanias, ad quas respondebit Clerus in ecclesiam ingrediens ordine demonstrato ab initio.

15. Quum in ecclesiam introiverit Clerus consistent ante Altare primarium omnesque geniculabunt ante ipsum exceptis clericis sustinentibus Crucem et intorticia, qui consistent prope latus Evangelii. Hoc tempore clericus, cuius officium ferre vasculum aquae benedictae, alteram aliquantulam infundet, si necesse fuerit.

16. Post versiculum *Ut omnibus fidelibus* etc. Celebrans unus assurget ac benedicet ecclesiam, dicens *Ut hanc ecclesiam* etc. postea rursus genua submittet, et cantores resument ac complebunt Litanias.

17. Completo Litaniarum cantu, assurget Sacerdos et cantabit *Oremus* (assistentes *Flectamus genua* etc.) et orationem *Praeveniat nos* etc.

18. Post. orationem Celebrans geniculabit paullo longius ab Altari et cantabit *Deus, in adiutorium* etc. et cantores respondebunt *Domine, ad adiuvandum* etc. Celebrans assurget,

cantabit *Gloria Patri* etc. et chorus seu cantores respondebunt *Sicut erat* etc.

19. Celebrans cantabit *Oremus* (assistentes *Flectamus genua* etc.) et orationem *Omnipotens et misericors* etc.

20. Post orationem Celebrans intonabit antiphonam *Benedic, Domine*, quam cantores prosequentur cum psalmis *Ad Dominum cum tribularer: Levavi oculos meos in montes: Laetatus sum* et in fine uniuscuiusque psalmi cantabitur *Gloria Patri*.

21. Intonata antiphona, Celebrans accipiet aspergillum ab uno assistentium, et simul cum ipsis cumque clerico sustinente vasculum aquae sanctae circumibit interiorem ecclesiae ambitum, aspergens muros sursum et deorsum versus. Aspersionem inchoabit a latere Evangelii Altaris primarii et in ipso aspersionis actu recitabit versiculum *Asperges me, Domine* etc.

22. Peracta aspersione, Celebrans redibit ante Altare maximum et restituet aspergillum assistenti, et hic clerico, qui cum vasculo referet illud in sacristiam.

23. Completo psalmorum cantu et repetita a cantoribus antiphona, Celebrans cantabit *Oremus* (assistentes *Flectamus genua* etc.) et orationem *Deus, qui loca* etc.

24. Post orationem, praeeunte Cruce, ordine supradicto Clerus et Celebrans revertentur in sacristiam.

25. Admittetur populus in ecclesiam; Sacrista cum clericis ornabunt Altaria; cereos et lampades accendent; aqua benedicta infundetur in fontes lustrales ad fores ecclesiae et interea Celebrans in sacristia deposito pluviali, manipulum et planetam induet.

26. Rebus omnibus rite ordinatis, Celebrans exibit e sacrario et celebrabit Missam, quae erit de officio illius feriae, si inciderit in diem privilegiatum, vel de Sancto cuius nomini dicata ecclesia est.

27 Juvat adducere decisionem S. Rit. Congr.

Ad dub. 10. Potestne Episcopus vel per se ipsum, vel per alium sacerdotem benedicere oratorium monialium S. Augustini, quae, destituto earum conventu, vitam degunt in quadam domo, ut possint sacramenta Confessionis et sacrae Eucharistiae recipere, cum absque clausura vivant?

Resp. Negative, cum oratoria privata numquam benedicantur ritu praescripto in Rituali Romano pro publicis oratoriis. Die 11. martii 1820.

DE RECONCILIATIONE ECCLESIAE NONDUM CONSECRATAE CUM COEMETERIO EXSEQUENDA A SACERDOTE

CAPUT XV.

1. Ecclesia reconcilianda spoliari debet omni ornamento in suis Altaribus, et SS. Sacramentum iam amotum ab ipsa erit.

De rebus praeparandis.

2. In sacristia praeparabitur amictus, alba, cingulum, stola, pluviale albi coloris et biretum pro Celebrante; Crux hastilis cum binis intorticiis; superpellicea sufficienti numero pro Clero; vasculum aquae benedictae cum aspergillo ex hyssopo; altera quantitas aquae benedictae rursus infundenda in vasculum, quum opus erit, et ad implendos fontes lustrales ad fores ecclesiae; Rituale; ea omnia quae ad Missam celebrandam necessaria sunt, cum paramentis congruentibus colori officii; candelabra cum cereis, Cruces, tobaleae, tapeta et reliqua ornamenta Altarium; pixis cum particulis in Missa consecrandis, si in ecclesia custodiendum erit SS. Sacramentum nisi asservetur in aliquo sacello recondito in sacristia vel alibi; pontificale quo utantur cantores.

3. Functio haec peragenda est quicumque sit dies; matutino tamen tempore siquidem complenda erit cum celebratione Missae.

4. Curandum autem est, ut circumiri ecclesia libere possit.

In functione.

5. Hora determinata Clerus in sacristiam congregabitur et unusquisque supra vestem talarem sibi induet superpelliceum.

Celebrans, assistentibus duobus clericis, vel Sacerdotibus indutis superpelliceo, se vestiet amictu, alba, cingulo, stola et pluviali albi coloris ac bireto caput operiet. Praesto erit etiam sacrista cum clericis, ut suo tempore exornent Altaria. A clericis accendentur intorticia, quae Crucem comitabuntur.

6. Procedetur extra ecclesiam ordine sequenti: praeibit ante Crucem clericus cum vasculo aquae benedictae et aspergillo ex hyssopo; tum Crux a clerico gestata et a lateribus eius duo clerici cum intorticiis accensis; qui de Clero sunt, omnes bini, inter quos clericus ferens Rituale pro Celebrante; ultimo loco Celebrans pluviali indutus, medius inter suos assistentes. Cum Clero totus etiam populus de ecclesia exibit.

7. Crux egressa e porta ecclesiae subsistet a dextera ingressus; Celebrans ante portam primariam facie ad ipsam versa, et prope assistentem a dexteris aderit clericus cum vasculo aquae benedictae et aspergillo; clerus se in ordinem disponet apud Celebrantem, facie versa ad ecclesiam.

8. Celebrans deponet biretum et intonabit antiphonam *Asperges me*, quam prosequentur cantores cum toto psalmo *Miserere*.

9. Assistens tradet aspergillum Celebranti, qui infundet illud in aquam benedictam et asperget muros externos ecclesiae et solum Coemeterii, aspergens praesertim locum seu loca contaminata. Celebrans cum assistentibus et clerico ferente vasculum, circumibit ecclesiam, incipiens a dextris suis. Si Coemeterium aberit, non est locus aspersioni eius.

10. Reversus Celebrans post aspersionem externam ante portam ecclesiae, restituet aspergillum assistenti et hic clerico supradicto.

11. Cantato psalmo *Miserere* cum *Gloria Patri* et repetita antiphona, Celebrans conversus ad ecclesiam cantabit orationem *Oremus. Omnipotens et misericors* etc.

12. Post orationem Celebrans, vel duo cantores intonabunt Litanias, ad quas Clerus respondebit. Clerus cum Celebrante, servando ordinem superius innutum, introibit in ecclesiam et omnes congeniculabunt ante Altare maximum, exceptis clericis sustinentibus Crucem et intorticia.

13. Post versiculum *Ut omnibus fidelibus defunctis* etc. assurgent Celebrans unus et benedicet ecclesiam dicens *Ut hanc ecclesiam* etc. Si ecclesia carebit Coemeterio adnexo omittet in hoc versiculo dicere *ac Coemeterium*. Postea rursus genua flectet Celebrans et absolventur Litaniae.

14. Si opus fuerit, clericus qui custodiet vasculum rursus in ipsum infundet aquam benedictam.

15. Absolutis Litaniis, consurgent Celebrans et Clerus.

16. Celebrans ad Altare conversus, dicet *Oremus* (assistentes *Flectamus genua* etc.) et orationem *Praeveniat nos* etc.

17. Post orationem Celebrans ante Altare genua submittet et cantabit *Deus, in adiutorium* etc. et chorus respondebit *Domine, ad adiuvandum* etc. Celebrans assurget, cantabit *Gloria Patri* etc. et chorus respondebit *Sicut erat* etc.

18. Celebrans intonabit antiphonam *Exurgat Deus,* quam cantores prosequentur cum psalmo *In Ecclesiis benedicite* etc. et repetent canendo praedictam antiphonam post singulos versiculos, et in fine non cantabitur *Gloria Patri,* sed repetetur antiphona.

19. Quo tempore canentur psalmi et antiphonae praedictae, Celebrans accepto ab assistente aspergillo, circumibit internum ambitum ecclesiae et aqua benedicta asperget eius muros, incipiens aspersionem a latere Evangelii Altaris maioris Asperget etiam distincte locum, seu loca contaminata.

20. Celebrans post aspersionem praedictam reversus ante Altare, et cantato a cantoribus psalmo cum antiphonis, ad Altare conversus recitabit orationem *Deus, qui in omni loco* etc. non praemittens *Oremus*.

21. Hac oratione explicit actio reconciliationis.

22. Clerus et Celebrans ordine superius descripto redibunt in sacristiam; Celebrans autem se ad Missam celebrandam parabit.

23. Interea a Sacrista et clericis instruentur suis rebus Altaria, accendentur cerei et lampades, infundetur aqua sancta in fontes lustrales ecclesiae et admittetur populus.

24. Celebrabitur Missa de officio quod fit in die.

25. Quod si ecclesia erit consecrata, reconciliatio facienda erit ab Episcopo quo ordine tradetur cap. 24. lib. VII.

26. Si ex indulto Apostolico fieret ab aliquo Sacerdote, hic servabit ritum pro Episcopo praescriptum, et adhibenda erit aqua ab Episcopo in hanc rem consecrata.

DE BENEDICTIONE COEMETERII A SACERDOTE EX EPISCOPI MANDATO PERAGENDA

CAPUT XVI.

1. Quae requiruntur ad Coemeterium decenter aedificandum, docebimus cap. 23. lib. VII. Quamobrem hoc loco ea non referre censuimus.

2. Construetur Crux lignea ad altitudinem ordinariam hominis, quae pridie benedictionem erigetur in medio Coemeterio, curando ut ima pars Crucis insistat in ipso solo, quo sepelientur cadavera. In culmine Crucis et in extremitatibus brachiorum eius configentur tres cuspides ferreae, quibus possint infigi candelae in actu benedictionis. Ante Crucem in terra figetur paxillus tridens ligneus altus ad cubitum unum ut sustinere possit tres candelas, ut iubet Rituale.

De rebus praeparandis

3. Ante Crucem praedictam in tabula lignea seu paxillo posito ad pedem Crucis, ponentur tres candelae iam foratae in ima parte, ut deinceps possint infigi in summitate Crucis.

4. Item ante Crucem sternetur parvum tapetum, in quo geniculare Celebrans debebit.

5. Si nullus erit prope Coemeterium locus, qui praestet vicem sacristiae, ponetur in Coemeterio ipso abacus coopertus alba tobalea, in quo praeparabitur pluviale cum stola albi coloris, cingulum, alba, amictus pro Celebrante, vasculum aquae

sanctae et aspergillum ex hyssopo; thuribulum cum navicula; Rituale; lumen accensum in laterna et gossipium ceratum pro accendendis candelis, ut infra; et loco convenienti ignis ponendus in thuribulo.

6. Praeter Celebrantem, aderunt duo clerici aut Sacerdotes induti superpelliceo qui illi assistent, clerici pro sustinendo vasculo et thuribulo atque aliquot cantores.

7. Functio matutino tempore exequenda est.

In functione.

8. Hora determinata Celebrans et clerici convenient in sacristiam, sive in locum praestitutum, ut sibi induat vestes sacras. Clerici induentur superpellicio, et Celebrans, adiuvantibus suis assistentibus, induetur amictu, alba, cingulo, stola et pluviali albi coloris, et caput bireto cooperiet.

9. Procedente clerico cum vasculo aquae benedictae et aspergillo, deinde alii clerici bini, inter quos unus deferet laternam cum lumine et gossipio cerato, et alter Rituale, postremo loco Celebrans medius inter suos assistentes procedent ad Coemeterium et consistent ad Crucem ibi erectam.

10. Celebrans deponet biretum et reverebitur Crucem antedictam. Clerici etiam reverentiam ad Crucem conficient. Celebrans consistet contra Crucem, humeris versis ad ingressum Coemeterii, clerici eodem statu a lateribus Celebrantis.

11. Clericus, qui sustinebit laternam cum lumine, accendet tres illas candelas positas ad pedem Crucis, quibus accensis, Celebrans alta voce recitabit orationem *Oremus. Omnipotens Deus, qui es custos* etc.

12. Post orationem geniculabunt omnes ante Crucem, Celebrans autem super tapetum. A duobus cantoribus canentur Litaniae, ad quas respondebunt adstantes. Post cantatum versiculum *Ut omnibus fidelibus defunctis* etc. assurget Celebrans tantum et Coemeterium, ut in Rituali, benedicet, dicens *Ut hoc Coemeterium* etc. Postea rursus genua flectet et cantores prosequentur et complebunt Litanias.

13. Litaniis absolutis, assurget Celebrans et ceteri omnes cum eo. Clericus cum vasculo et aspergillo adstabit primo assistenti a dexteris, et hic accipiet aspergillum ac tradet Celebranti.

14. Celebrans, accepto aspergillo, intonabit antiphonam *Asperges me*, quam prosequentur cantores cum toto psalmo *Miserere.*

15. Celebrans statim asperget Crucem, deinde una cum assistentibus et clerico sustinente vasculum, asperget totum Coemeterium, initium ducens a dextera Crucis.

16. Inter haec thuriferarius praeparabit ignem in thuribulo et aderit prope Crucem, quum illuc redibit Celebrans.

17. Post, aspersionem redibit Celebrans ante Crucem, et cantato a cantoribus *Gloria Patri* ac repetita in cantu antiphona praedicta *Asperges me* etc. conversus ad Crucem, cantabit orationem *Oremus. Deus, qui es totius orbis* etc.

18. Absoluta oratione, Celebrans accipiet primam candelam eamque imponet summitati Crucis, tum alteram in summitate brachii dexteri, postea tertiam in summitate brachii sinistri.

19. Primus assistens ministrabit Celebranti incensum, quod ipse demittet in thuribulum cum benedictione *Ab illo benedicaris* etc. Primus assistens porriget deinde thuribulum Celebranti, qui facta ad Crucem reverentia, adolebit ipsam triplici ductu. Restituet thuribulum assistenti et hic thuriferario. Primus assistens accipiet aspergillum et tradet illud Celebranti, qui asperget Crucem et postea restituet aspergillum assistenti.

20. Demum ordine supra demonstrato Clerus et Celebrans redibunt ad paramenta deponenda quo loco sumpserint. Aequum autem esset, ut candelae supra Crucem positae arderent quoad consumantur.

DE RECONCILIATIONE COEMETERII PERAGENDA A SACERDOTE EX EPISCOPI MANDATO

CAPUT XVII.

1. Si violatum forte sit Coemeterium, non est violata ecclesia, quamvis ipsi esset contigua.

2. Reconciliatio Coemeterii poterit ab Episcopo demandari Sacerdoti.

De rebus praeparandis

3. In sacristia vel alio loco contiguo, sive etiam in Coemeterio ipso, si desit locus idoneus, praeparabitur seorsim abacus alba tobalea contectus, in quo ponetur biretum, pluviale cum stola albi coloris, cingulum, alba, amictus pro Celebrante; superpellicea, quae satis sint pro inservientibus; vasculum aquae sanctae; aspergillum ex hyssopo et Rituale.

4. Ante Crucem primariam Coemeterii, praeparabitur tapetum, in quo geniculabit Celebrans.

5. Functio peragi potest mane cuiuslibet diei.

In functione

6. Hora statuta convenient in sacristiam, vel in alium locum sacristiae substitutum, Celebrans et clerici.

7. Clerici sibi imponent superpelliceum, Celebrans a suis assistentibus induetur amictu, alba, cingulo, stola ac pluviali albi coloris et caput operiet bireto.

8. Praeibit clericus cum vasculo et aspergillo, ceteri clerici bini, quorum unus sustinebit Rituale, ac postremo Celebrans cum suis assistentibus.

9. Quum ventum erit ante Crucem primariam Celebrans nudabit caput, et facta ad Crucem reverentia, geniculabit su-

per tapeto, facie versa ad Crucem, humeris ad ingressum principalem. Hoc ipsum facient alii clerici.

10. Duo cantores immediate cantabunt Litanias, ad quas respondebunt adstantes. Post cantatum versiculum *Ut omnibus fidelibus defunctis* etc. assurget Celebrans et benedicet Coemeterium, dicens *Ut hoc Coemeterium* etc. Tum rursus geniculabit et cantores resument atque absolvent Litanias.

11. Completis Litaniis, assurgent omnes; Celebrans accepto a primo assistente aspergillo, intonabit antiphonam *Asperges me*, quam cantores prosequentur cum toto psalmo *Miserere* cuius in fine omittetur *Gloria Patri* et repetetur antiphona.

12, Celebrans, intonata antiphona, circumibit totum Coemeterium, incipiens a dextera Crucis, asperget illud aqua sancta, praesertim in loco seu locis contaminatis. Post aspersionem redibit ante Crucem, aspergillum assistenti restituet, ibique manebit donec complebitur cantus psalmi praedicti cum repetitione antiphonae.

13. Repetito antiphonae cantu, Celebrans cantabit *Oremus* (assistentes *Flectamus genua* etc.) et orationem *Domine pie, qui agrum figuli* etc.

14. Hac oratione explicit actus reconciliationis. Clerus cum Celebrante quo ordine processit ad Coemeterium, revertetur ad paramenta dimittenda quo loco sumpsit.

APPENDIX I.

EXCERPTA EX OPERE P. BARTH. GAVANTI

cui tit. Thesaurus Sac. Rituum. Tom. I. Part. II. pag. 365-368. Ed. in fol. Venetiis MDCCLXII. ex typographia Balleoniana.

DE MENSURIS PROPRIIS SACRAE SUPPELLECTILIS AD MISSAM CONGRUENTIORIBUS

Damus hoc loco formas, et modulos efformandae cuiusque sacrae Suppellectilis in ordine ad Missam sive sollemnem, sive privatam, *ex actis Mediol. Ecclesiae*, praesertim *ex libro primo, et secundo instruct. Fabricae et Suppellectilis Ecclesiasticae probatarum in Concilio Provinciali Mediol. tertio a sancta Sede Apostolica confirmato, et laudato*, in quibus singillatim tradendis ordo placuit alphabeticus, ut cujusque rei formam statim invenias.

Abacus, seu *Credentia*, sit e tabulis populeis, abiegnisve, longe patens circa cubitos tres, pro Ecclesiae magnitudine, Chorive, seu Presbyterii ratione; late cubitis duobus; alteque item extruatur, ut non ultra duos cubitos, et uncias duodecim elevetur a terra.

Acerra, sive *Navicula* incensi, ex argento, vel aurichalco, cum cochleari ejusdem materiae fieri debet, ita capax, ut capiat quantitatem thuris ultra quam sit necessarium in Missa.

Alba e tela linea sit, longe producta cubitos quatuor, late sexdecim, ac paulo amplius circumquaque pateat, manicas habeat longitudine sesquicubitali, hoc est cubito cum dimidio, latitudine ab humeris pene cubitali, quae usque ad manus sensim angustius ducantur; in summa veste, et in extremis manicis, aliquid dumtaxat sit acu paululum, ac tenuiter elaboratum, nimius enim labor in his ornandis vanitatem sapit, et levitatem.

Altare majus, eo loco constitui deberet, ut ab ipsius Altaris gradu infimo (tres autem gradus esse debent) usque ad cancellos

spatium saltem intersit cubitorum octo, vel ad minimum quatuor in Ecclesiis non Collegiatis; sit autem a scabelli solo altitudine cubitorum duorum, et unciarum octo, et ad summum decem; longitudine cubitorum quinque, ac plurium pro Ecclesiae magnitudine; altitudine vero cubitorum saltem duorum et unciarum duodecim; tres autem inter gradus pradella lignea numeretur, quae a fronte Altaris cubitos duos producta, uncias sexdecim late pateat; altitudo vero singulorum graduum sit unciis octo.

Altare minus elevetur cubitis duobus, et unciis octo, longe pateat cubitis quatuor, et dimidio, nec minus quatuor saltem cubitis, latum sit cubitis duobus, scabellum e tabulis ligneis, latitudine cubitorum duorum, altitudine unciarum octo, sed et longius pateat, quam Altare, non cubito longius, sed unciis circiter sexdecim. Nullum foramen, neque fenestella ibi sit, ubi quidquam asservari, recondive possit.

Amictus e tenui tela sit longitudine cubitorum circiter duorum, latitudine autem sesquicubitali, in duobus ejus angulis anterioribus assuantur funiculi commode longi, ut revocari ante pectus queant, et cum iis fieri nodus possit; in medio Crux acu pingatur, unciarum duarum, longe ab extremitate digitis duobus ex parte superiori, extremitates illius praeterquam ex ea parte quae collum ambit, aliquo modesto opere ornari possunt.

Ara, ex lapide longe pateat uncias viginti, late sexdecim praeter capsae dimensionem, cui inserta est, quae capsa e nucea omnino tabula sit, crassitudine unciarum circiter duarum, aut plurium pro lapidis crassitudine, non distet a fronte Altaris spatio longius unciarum octo, ita vero inserta sit, ut e mensae Altaris superficie paululum extet, quo Sacerdotis celebrantis tactu dignosci possit; tela denique cerata tegatur, claviculis praedictae capsae confixa.

Bursa Corporalium a fronte sit Cruce, vel alia sacra Imagine in medio intexta: a tergo etiam ex eadem materia, et colore; intrinsecus autem subserico, aut tela candida circumvestiatur; late vero undique pateat circiter dimidio cubito, vel paullo amplius, et forma quadrata.

Calix ita efformetur, ut Cuppa aliquantulum in fundo sit angusta, sensim usque ad summum labrum latior fiat, labrum nullo modo reflectatur, nodus ita ornatus, ut dum Calix capitur, non incommode capiatur, praesertim quando indices, et pollices disjungi non possunt; minorve ne sit totus Calix, amplitudine in orbem ducta, unciarum quatuordecim, altitudine duodecim.

Candelabra basim habeant vel rotundam, vel potius triangularem, et Crucis basi conformem; quae ab Acolythis portantur minora sint, quam ea, quae in Altari collocantur.

Cingulum ex candido lino, vel cannabe tenui conficiatur, longitudine cubitorum circiter septem, capita ejusdem globulis ejusdem materiae inserantur, filamentorum manipulis appensis, quos floccos dicunt. Non prohibetur e serico juxta varios colores paramentorum, more moderno, sed illud est antiquioris usus, et mysticae causae cogruentius, de qua *supra par. II. tit. I. lit. G.*

Non placet ea forma Cinguli (ut pro veritate loquar) quae Cingulo ipsi, ut hinc inde pendeant flocci a lateribus Sacerdotis duas addit lineas, quibus reipsa cingitur Alba, est enim ejusdem omnino formae cum Succintorio Papali, quod adhibetur (addito manipulo) ad cingendum Albam Papae, et nonnisi in ejusdem Missa Papali: ergo non debet esse communis haec forma cuicumque Celebranti.

Conopaeum Tabernaculi majoris Sanctissimae Eucharistiae, e materia nobiliori, vel alba semper, vel juxta colorem varium Festorum, a summa parte crispatum in fimbriis non anguste, sed longe latius respondeat, totum Tabernaculum tegat, in extremis oris habeat de more ornatum laciniarum decore contextarum.

Corporale e tela linea, et candida sit, ac simplex item, ab oris autem acus opere simplici, punctim, solum retortum sit, longe autem uncias triginta ad minus pateat late totidem; ita vero complicatum ut nulla ejus extremitas appareat, Crux acu pingi potest in anteriori parte.

Crux in Altari collocanda imaginem Crucifixi habeat, et praealta emineat candelabris, ut supra dictum est *prima parte tit. 20.*

Dalmatica non recisis manicis, sed ad manum usque protensis, iisdemque late patentibus conficiatur, longa esse potest cubitis duobus, et unciis sexdecim; late vero ab humeris cubito uno, et unciis circiter quatuor, ab extremis oris undique patens cubitis circiter quinque.

Gradus in Altari majori ne fiant, nisi duobus cubitis tantum, minusve a pariete posteriori illud distet, tuncque ejusmodi gradus unus, pluresve decenter adhiberi poterunt ita tamen, ut circuitus Altaris non impediatur, neque Candelabra super iis posita extra Altare videantur esse, quod esset contra Rubricam de Altaris incensatione; in Altari minori unus sit, isque ligneus ea longitudine, quae Altare aequet, latitudine unciarum octo, altitudine totidem, in quo Candelabra cum Cruce locanda erunt.

Hamulae, non ex argento, stamno, aurichalco, aliove metalli genere, sed e vitro seu crystallo pellucido, cum operculo decenti.

Manipulus tres Cruces habere debet, et cordulas ad ligandum solidiores; reliqua vide in Stola.

Manutergium pro Missa ex lino tenui contextum longitudine bicubitali, latitudine sesquicubitati constet, ornentur capita laciniis, et filamentis ejusdem materiae.

Mappae Altaris superiores e lino, seu cannabe, ea sint longitudine, ut ab utroque Altaris latere profundius circiter tribus digitis, quam planum pradellae, demissae sint; nullae ab ulla parte, bombacio caerulei alteriusque coloris elaboratae sint, latitudine vero totam Altaris mensam contegant, inferiores Mappae totam saltem mensam cooperiant.

Mappae pro Communione adhibendae, non supra scamna, seu cancellos, (horum enim longitudinem aequabunt) longe pateant cubitos tres, late circiter duos, capita earum exornari poterunt.

Missale nihil profani habeat, sed Crucis insigne, aliave Sancti Titularis Imago in corio depicta appareat, signaculum ejusdem constare convenit funiculis sericis duodenis, longe ita ductis, ut Missalis longitudinem vix quinque unciis excedant. Ejusdem integumentum ita longe deductum sit, ut ab ima parte

octo unciis superet coriaceum Missalis operimentum: a summa vero nihil omnino extet, lineae sericae circumdent extremitates, laciniae imam partem exornent, subvestiatur tela ejusdem coloris, quo est integumentum.

Pallium, quod ante Altare tenditur, paulo longius, quam Altare, patere debet, eoque altius, ut ab ima parte paullulum sub coronice scabelli, seu pradellae ejusdem Altaris occultetur. A superiori parte palmum a summo distante laciniis, quas frangias vocant, ornetur pro qualitate pallii, in exteriori parte Crux, aut Imago Sancti, cujus nomine dicatum est Altare, aut alia sacra effigies in medio assuatur, nam Zacharias Pontifex pallam auro intextam D. N. J. C. imagine ornatam Beati Petri Apostoli Altari obtulit: si fieri potest, telari ligneo affigatur extente, sed illa cautio adhibeatur in telaris asserculo superiore, ut ejus angulus inferior, cui pallium adhaeret, omnino recidatur, et deprimatur, ut nullo modo possit acumine laedere pallium. Velamentum quoque (si pallium pretiosum est) in superiori parte obtendi ei concinne poterit, Missarum tempore tantum, ne Sacerdos impediatur, vel adhaerendo laedat Paramenta, neque tamen ultra frangiam, demittatur velamentum.

Patena inaurata undique esse debet, vel si argentea sit, saltem in anteriori parte; labrum extremum circulare ita tenue admodum, ut adjumentum inde sit ad Sacrae Hostiae fragmenta facile colligenda, illam mediam concavitatem habeat, quae amplitudinem labri Calicis fere adaequet; minor Patena pateat ample in orbem uncias triginta duas.

Pelvicula hamularum piam speciem exprimat; fundo intrinsecus constet lato, et plano, neque ita elaborato, ut minus firme hamulae impositae haereant.

Pyxis, quae ad Sanctissimam Eucharistiam custodiendam adhibetur, ex argento puro saltem, eoque inaurato fieri debet, in interiori parte, cujus pes, ut manu facile firmiterque capi queat, altitudine sit sex unciarum, nodus in medio sit ejusmodi, quo monuimus de Calicis nodo, in fundo medio paullulum aliquid habeat, quod in orbem tenuiter emineat, ad facilius capiendas ultimas particulas; operculum respondeat Pyxidis formae, quod

in medio instar fere pyramidis extet; ab uno, et altero item latere parvulos, tenuesque uncinos habeat, quibus in circulo apte includatur, et fiat immobile; in summo Crux parvula emineat.

Planeta more Romano (nam Ambrosiano eam describunt Acta Mediolan. Ecclesiae) late pateat cubitos circiter duos, longe tres, Fascia, quae vel assui solet, vel distingui in ipsamet Planeta, ut Columnae speciem a tergo, et Crucis ante pectus effingat, late erit unciis octo ad minimum, funiculi addantur, seu lineae sericae in ea parte, quo pectus tegitur, ita oblonge, ut reduci possint ante pectus ad firmandam Planetam, ne defluat a tergo.

Pluviale ad imos usque talos protenditur, longitudine cubitorum trium, et unciarum circiter sex constans, et pro semicirculi ratione late patens, a parte anteriori a summo ad extremum, hinc et inde, auriphrygio decoratur, a posteriori parte caputium, ornatu auriphrygiato, qui anteriori respondeat, habet, laciniae vero, hoc est, frangiae, Romano Ritu; latiores esse debent circum caputium, breviores in oris Pluvialis extremis, fibula anteriori connecti debet Pluviale, additis binis, seu ternis uncinis majoribus, globuli laciniati pendentes a caputio non sunt amplius in usu Romani Cleri saecularis.

Pulvinar pro Missali plenum sit non pluma, neque lana concisa, sed lana solida, pilisve cervinis, longe pateat cubito, et paullo amplius; late unciis circiter decem et octo, ornetur in quatuor angulis laciniatis flocculis, et opere simplici consuatur.

Purificatorium e tela neque tenui, neque crassa nimis et simplici sit acus opere confectum: latitudine unciarum circiter octodecim ad minimum: longitudine totidem, nec vero minus, in medio Crux parvula acu pingatur.

Stola cum Planetae colore congruat, et materia, longe cubitis circiter sex, ut infra genua producatur: late autem unciis sex pateat, laciniae, seu frangiae unciarum trium sint: et praeterea Cruces tres de more annectantur eidem, in medio, et in extremis partibus, unaquaequae Crux sit formae quadratae,

quae ab omni parte unciis circiter tribus constet. Stolae Sacerdotali nihil appendatur: Diaconali vero ad utraque media ejus parte duo funiculi cum flocculis laciniatis ad illius recte connectendae usum.

Superpelliceum e tela potius tenui, manicis ita oblongis, ut crispatae usque ad digitos summos pertingant, quae esse possunt cubitis circiter duobus, vel circa, late autem patentibus in orbem circiter cubitis quatuor, in ipso ore potius forma sit rotunda, quam quadrata, a pectore nullo modo scissum, aut dissectum, longe ducatur infra genua, fere ad media crura *vide sup. p. II. tit. I. lit. a.* late pateat ab extremis oris in ambitum cubitis circiter tredecim, ab humeris circiter octo, e nulla parte neque nimis affectata artificiosi operis elegantia elaboratum, ab humeris praesertim non specioso artificii ornatu.

Tabella pacis gestatoria aliquo piae caelaturae ornatu sit insignis, puta, imagine Pietatis expressa; latitudineque constet unciarum octo, longitudine duodecim circiter: a tergo manubrium habeat ejusdem materiae.

Tabella Secretarum non quernea, non nucea, neque e ligno suboscuro sit, sed ex abiete, aliave id generis arbore albicanti, ne pagina agglutinata obscurescat, late aliquanto amplius pateat, quam longe, coronicibus decore ornata, pro Festis sollemnioribus speciosior esse debet, cum coronicibus auratis, et pagina majuscolis impressa literis, auroque splendentibus.

Tabernaculum SS. Eucharistiae polite elaboratum, piis mysteriorum Passionis Christi imaginibus exculptum esse debet: intrinsecus tabulis populeis circumamictum quibus ab humiditate SS. Eucharistia defendatur, forma vel octangula, seu sexangula, vel quadrata, vel rotunda, in summo adsit imago Christi resurgentis, vel sacra vulnera exhibentis, tum bene clave sit munitum, quae etiam auro liniri deberet, a fronte Altaris summa procul collocatum extet, non minus cubito uno, et unciis sexdecim, ita ut Corporale late expandi, et Pyxis, si casus accidat, commode in Altari poni possit, neque sub eo sit ullum armariolum, neque asservandis quidem libris, suppellective Ecclesiae sit locus. Panno serico albi coloris intus ab omni parte

vestiatur, ostiolum habeat, ab anteriori parte ornatum sacra imagine Christi Domini Crucifixi, aut resurgentis, aut vulneratum pectus exhibentis, aut alia pia effigies.

Tela stragula Altaris ad illud operiendum, finitis Missis, longitudine, ac latitudine, ut, quae totam illius mensam contegat undique, et paullo amplius; item laciniis brevioribus ab omni parte decore cincta, colore sit viridi.

Thuribulum cum quadruplici catenula, et operculo: catenularum autem longitudo sit cubitorum duorum, et unciarum circiter duodecim.

Tintinnabulum pro elevatione Sacramenti, si appendatur, parieti laterali affixum haereat, et appenso funiculo tam longo ut Minister genuflexus in cornu Epistolae commode illud pulsare possit.

Tunicella Subdiaconalis similis sit Dalmaticae Diaconali, de qua supra; excepto quod angustiores debet habere manicas, et longiores. *Caerem. Episc. lib. I cap. 10.*

Vas Hostiarum rotundum sit, et late pateat uncias quatuor, pluresve, ut Hostiae inde promi commode possint, utile quoque erit raminam plumbeam rotundam serico vestitam Hostiis ipsis superimponere, ut earum curvatura tollatur.

Vas pro abstergendis Calicibus et lavandis Corporalibus, aeneum paretur, instar pelvis, binis manubriis constans, atque ab uno labro ad aliud, cubito uno, et unciis octo, pluribusve pro ratione suppellectilis lavandae, oreque eminenti, per quod, quasi per canalem, aqua lotionis inde paullatim in Sacrarium effundi possit, quod vas huic usui tantum sit reservatum.

Velum Calicis ab omni parte cubito, et unciis duodecim late pateat; ab oris undique opere serico, auro, argentoque tenuiter ornatum.

Velum Pyxidis sit pretiosum, et quale saltem dedimus Calici.

Velum pro portanda SS. Eucharistia, in processionibus ejusdem, sit longum sex cubitis; latum, ut veli tela.

Velum Subdiaconale longum item cubitis sex, latum sit, quanta est veli propria latitudo.

Umbella, quae super Altare ponitur, undique late pateat, ita ut Altare ipsum, et Sacerdos ibi celebrans omnino contegantur, qua ille, et Altare a pulvere, omnique labenti sorde defendantur, ab Altari tamen decore elata, ut facile quoque purgari queat.

Umbella alia quae defertur super SS. Eucharistiam in processionibus, undique habere debet ornatum duplicium fasciarum quae duodecim circiter unciis longe pendeant, iisque fasciis consutae sint ab omni parte fimbriae cum filamentis satis prolixis, hastile inseratur inter utramque fasciam, quod recte extendat latera Umbellae, hastilia item picta paribus inter se spatiis disposita, quibus illa tolli, et gestari possit, quatuor plurave pro ejusdem Umbellae magnitudine supponantur; color autem albus convenit huic Umbellae; et haec de Suppellectili sacra, seu ministeriali ad communem Missam.

Quia vero supra meminimus Episcopalium indumentorum, occasione data in Missali; non erit abs re, si hoc loco addamus eorumdem indumentorum formam, et mensuram, ordine servato, quo eadem induit Episcopus.

Caligae ita longae debent esse, ut usque ad genua protensae ligulis in ea parte adstringantur.

Sandalia, seu *Calcei* e solea integra subtus constent, a parte autem superiori ornata, et ex serico panno leviori, quo et Caligae,

Tunicella, et *Dalmatica* amplioribus manicis, quam Diaconalis, et ex eadem materia qua Caligae constent, longae, et latae sint, ut de Dalmatica Diaconali diximus.

Chirothecae debent esse contextae, et circulo aureo insigniter in extrema parte ornatae.

Subbiretum mitrale formae rotundae sit non quadratae.


Mitra pretiosior e serico auro intexta, gemmis, et margaritis, acusque opere ornata. Altera auriphrygiata sine gemmis, sine laminis aureis, vel argenteis; sed vel aliquibus parvis margaritis composita, vel ex albo serico auro intermixto, vel ex tela aurea simplici sine laminis, vel margaritis. Tertia sine auro ex simplici serico damasceno, vel alio, aut etiam linea, ex tela

alba confecta, rubeis laciniis, seu frangiis, et vittis pendentibus; in Provincia Mediol. adhibetur simplex e tela lini purissimi, coloris albi; circulo aureo, quem esse notat *Innoc. III. lib. I Mist. Missae cap. 59.* circumamicta a parte, qua induitur caput; cornua item duo a summo praeseferens, duas etiam lineas in humeris pendulas habeat, quarum extremitates laciniis constent.

Annulus ex auro puro solide conflatus, palam habeat cum gemma, in qua nihil sculpti esse debet.

Gremiale longe constet cubitis circiter duobus, late cubito uno tantum, et unciis item circiter duodecim, undique cinctum laciniarum aureo, argenteove intextatum ornatu.

Baculus Pastoralis a parte ima acutus, a media totus rectus, a summa retortus esse debet, Orario, aut Sudario non ornatur, si Episcopalis est, longitudine recta est, cubitorum trium, et unciarum duodecim: pars vero retorta totidem unciis, aut paullo altius eminet, a summa rectitudinis parte est crassitudine orbiculari unciarum circiter septem, quae prope ad imam partem descendens paullatim diminutam unciis quinque constat, connectitur autem cum illa parte recta aliquo opere caelati argenti, quod sexanguli formam exhibens sacris ornatur imaginibus.



Cubiti, qui ex unciis 24 constat, tertia pars unciatim delineata haec est.

DE NITORE, ET MUNDITIA SACRAE SUPPELLECTILIS

AB EODEM GAVANTO.

Deprompsimus haec *ex Actis Ecclesiae Mediolanen.* Auctore, de quo supra, omissis iis, quae movere nos debent ad procurandam omnem munditiam in ministerio Missae, de quibus praeclare scripsit *Tobias noster par. I cap. 76.*

Igitur Altaria bis singulis annis, cum sudum est, a finitis Missis ad Vesperum spoliata sint, et suppedanea item amota, ut sicci aeris sentiant beneficium, quo tempore tum Altaria ipsa undequaque mundentur, tum suppedaneorum pars, quae subter est.

Cum Mappae mutantur, et Pallia, *Altaria* quoque ipsa mundentur, arundinea scopula, tela etiam cerata, quae sacro lapidi haeret, leviter purgata, sive lapis sit insertus sive totum Altare capiens; quod si aliquo casu accideret, ita tectum non esse, ob reverentiam sacri Chrismatis, ne purgetur tangaturve.

Icones cum ornamentis suis, Sanctissimae Eucharistiae *Tabernaculum*, et quaecumque huiusmodi picta, vel inaurata adiuncta sunt Altaribus, item *Umbellae* superimpendentes singulis mensibus mundentur, caudis vulpinis, aut arundinea scopa.

Suppedaneum Altaris quotidie mundetur arundinea scopa, si in eo sit facienda Missa.

Arcula ad sputum excipiendum, de qua *supra*, circumfricetur et purgetur octavo saltem quoque die, item fenestellae urceolorum eodem tempore bene purgentur.

Candelabra, *Cruces*, *Thuribula*, et reliqua supellex argentea, quantum fieri possit, manibus nudis ne contrectetur, sed adhibito panno, aut vero parte quae argentea non sit, capiatur antequam recondatur, excutiatur, si quid pulveris, cerae, aut macula accesserit, et extergatur leniter, adhibito lineo, et molli panno, condita autem sit unaquaequae res theca sua, ne quid sordium accipiat, cum aliquid tamen purgatione egere visum fuerit, palea combusta adhibita, panno lineo leniter mundabitur quod si quid valde sit denigratum, puta Thuribulum ignis causa

aut etiam multa cera adhaeserit, in lixivia, cui sal sit admixtum, ebulliente detergendum erit, adhibito penicillo ex setis suillis confecto, caveatur tamen ne, si quae pars inaurata sit, aurum vi salis deteratur; et consulantur periti. *Calices* bini, et *Patenae* binae, saltem ubi duodecim Sacerdotes Missam faciunt, quintodecimo quoque die levi manu aqua tepida laventur, sexto quoque mense, sapone molliori, tuncque post quartam horae partem, qua maneant in sole, calida lixivia bene abluantur; adhibendo penicillum aliquem ad saponem bene amovendum, praesertim ubi fuerit caelatura, poterit etiam id fieri furfure cocto, et tunc statim aqua mundabis, aut ter abluendi essent; praestetur vero ab eo, qui in sacris sit, et in vase, ei usui et lavandis Corporalibus, de quo supra, tantum destinato, quod ex ablutione superfuerit in sacrarium fundatur. Ubi vero minor sit numerus Sacerdotum, rarius id fieri poterit ex proportione numeri Sacerdotum, et dierum.

Supellex inaurata, aut inargentata, eadem cautione tractetur, qua argentea, si semper est exposita, octavo quoque die panno lineo tergatur molliter: si recondenda sit, tergatur, tunc poterunt etiam inaurata sapone, aut furfure purgari, ut dictum est de Calicibus.

Candelabra et caetera *ex aurichalco* tractentur, adhibito panno, vel ferrea summitate capiantur; si perpetuo usu adhibeantur, terno quoque die a pulvere et cera si forte defluxerit, mundentur; si reponenda sint, tunc etiam id fiat, Praeterea quarto quoque mense, nisi nunquam fuerint exposita, abstergantur diligenter pulvere pumiceo, aut eo, quem dicunt tripoli (quem aestivae muscae fugiunt) adhibito corio bubalino; aut si utrumque desit, latere in tenuissimum pulverem redacto, et loco corii, panno asperiore, quem dicunt saia, nullo vero modo, hac ratione adhibenda erit aqua, nitidiora fiunt (sed non diu durat nitor) si fricentur malo medico seu massilico, (vulgo arancio, o limone) et marmore trito, seu vice malorum uvis agrestibus vel herba acida, deinde aqua bene abluantur, tum siccentur, et soli exponantur, aceto, numquam abstergantur, recondita vero huiusmodi, tubulis crassioris chartae, aut saccis lineis amicta ha-

beantur, qui pulverem arceant, ut nitida, et lucida semper habeantur.

Lampades vitreae, quae sunt quotidiani usus quintodecimo quoque die furfure, et aqua calida abstergantur.

Urceoli, praeter id quod quotidie sit, singulis mensibus diligenter purgentur, adhibito ovorum cortice bene contrito cum ligneolo aliquo instrumento, ad sordiculas bene eluendas; aut vero alia ratione, si quae aptior inveniatur; opercula urceolorum quotidie cum reponuntur bene siccentur, si madeant.

Pelviculae eorumdem quotidie abstergantur, siccenturque, si stanneae fuerint, tertio quoque mense lixivia ferventi laventur, et avena, vel farre vestito, seu ovorum cortice contrito fricentur, post iterum aqua lotae in sole siccentur, et panno lineo mundo abstergantur.

Aenea vasa, pro ablutione Calicum, etc. antequam adhibeantur, et post bene abluantur, bis vero singulis annis, abstergantur accurate, si opus est, latere contrito, vel arena, et aqua; si stanno sint illita, adhibeantur furfur et aqua.

Instrumentum ad Hostias conficiendas, cum eo usus fuerit Sacrista, seu alius, oleo perfundat, et utramque partem charta interposita simul iungat, quae in exteriori parte fuligo haeserit, abradat, postea eamdem partem crassiore panno tergat, et in loco decenti reponat.

Linea omnia, Albae, Amictus, Superpellicea, Mappae, Panni, et si quid, aliud est divini cultus gratia paratum, separatim ab indumentis domesticis quibuscumque laventur, quae tamen habentur ad manus, faciemque lavandam, et ad nares purgandas, hoc numero ne censeantur.

Ternae *Altarium mappae*, superior quidem singulis mensibus; inferiores vero quater in anno mundae apponantur.

Bina *Corporalia* tertia quaque hebdomada. Binae Albae, decimoquinto quoque die; Cinguli alternis mensibus; manutergia Altarium, bini Amictus octo dierum spatio mutentur; et haec saltem, ubi duodecim Sacerdotes Missam faciant. Ubi autem pauciores sint Sacerdotes, ex defectione numeri Sacerdotum, poterit augeri pro rata parte numerus dierum; et e contra ubi plurimi Sacerdotes, minuendus quoque erit numerus dierum.

Purificatoria singulorum Sacerdotum (convenit enim cuique suum) spatio octo dierum, vel ad summum quindecim: *superpellicea,* quae usui vario Sacerdotalium, aut Clericalium ministeriorum destinata sunt ad eamdem fere rationem.

In suppedaneo armarii, seu mensae, ubi Sacerdos consistit, sacra indumenta sumens, perpetuo stratus sit crassior pannus, ne qua parte Alba foedetur.

Lintea Sacristiae ad manus extergendas singula hebdomada munda ponantur tum valde humido coelo quotidie siccentur admota igni.

Mappae ad sanctae communionis usum, contractiores quidem alternis hebdomadis, maiores vero alternis mensibus mutentur.

Quod autem haec mutationum intervalla praefiniantur, non id eo tamen extraordinarie quoque fieri non poterunt, si oporteat, puta, si ex labe, quae forte aspersa sit, aut alia de causa.

Praecipuis sollemnitatibus munda omnia adhibeantur, et pulchriora.

Mappae Altarium, Missis finitis, contegantur stragulis suis, prius vero leviter purissima scopula eius generis quod vestimentis domesticis adhibetur, proprie tamen ad eum usum destinata, purgentur: ipsa stragula singula hebdomada diligenti agitatione a pulvere mundentur, praeter id quod etiam quotidie mane eadem levius excuti debent, tum aeri tertio quoque mense exponantur.

Corporalia, et *Purificatoria,* cum removentur, ut alia adhibeantnr, ponantur in arcula, seu canistro ad eum tantum usum destinato; et antequam dentur foras ad lavandum, ab eo qui sit in sacris, laventur in proprio vase de quo supra, lixivia, et sapone adhibito, et mox bis aqua sola abluantur, quod ex lotione superest, in sacrarium fundatur.

Albae et *superpellicea* lavata, crispanda dentur, quoties reponuntur, apte saltem contorqueantur, si non crispentur.

Corporalia item dentur personis peritis, ut amylo inducto ea durescere faciant, et complicent praescripta ratione, tempus huic operi aptum erit a mense Maio ad Octobrem.

Recondantur autem haec linea omnia bene sicca, et complicata separatim locis suis, ut sint in promptu; apponanturque rosae siccae, et lavandula, aut similia, tum ad majorem munditiam et elegantiam, tum ut a tineis libera sint.

Nullus Sacerdos ad Missam faciendam accedat faedis calceis, aut crepidis, ideo semper habendae essent in sacristia crepidae ad hunc usum.

Habeatur etiam in sacristia *scopula*, qua Sacerdotes, et Clerici utantur ad vestimenta communia mundanda, antequam sacra induant.

Omnia indumenta distinctis propriis scriniis habeantur, et secundum coloris, pretiique varietatem, linea quoque pro genere, et pretio sint distincta, appositis schedulis.

Casulae recondantur ductilibus capsis, quae in armaria inseruntur, atque posita crassiore charta, quae fundum capsae contegat appositisque siccis rosarum foliis, et lavandula, aut similibus ponatur Casula cum Stola, et Manipulo suo; mox aliae ejusdem generis pro altitudine capsae, addantur bursae Corporalium, et integumenta, si adsint, Missalium; recondantur vero Casulae bene extensae sine ruga aut plicatura: eodem modo *Dalmaticae* et *Tunicellae*, supra omnia autem alia charta sit, ut res mundiores serventur: quae sunt ex aureo, vel argenteo panno, aut ornamenta habent auro, vel argento asperiora, habeant pannum inter utramque superficiem, ne confricata corrodantur.

Pluvialia, maxime si aurea, vel argentea sint, vel recondantur in amplo armario extensa, vel plicata recondantur, ita tamen ut nullo modo inflectatur, quae pars pensilis a tergo est, (vulgo caputium) et interponatur pannus, ut dictum est.

Quandocumque exthrauntur haec indumenta, substernatur eis mappa munda, immo et stragulum supersternatur, si aliquo spatio relinquenda sint.

Quae raro adhibentur, quandoque in sereno coelo explicata exponantur; ne forte mucescant vel male oleant sed non in sole, poterit id fieri mense Majo, et Septembri, et semel in hyeme pro opportunitate temporis.

Pallia Altarium semper habeantur, si fieri possit, suis telaribus extente affixa. ut supra diximus, poteruntque uni asserculorum structurae duo affigi diversi coloris, ut pro diei conditione necesse non sit, nisi vertere telaris faciem, ita in amplo armario erecta habeantur, dempta linea filamentorum (quam vocant frangiam) quae assuta non sit, interponatur autem pannus, sive inter duas palliorum facies in armario, sive inter pallii, et Altaris faciem, ad vitandam eam, quam supra diximus, confricationem: commodum vero erit, pannum adeo esse latum, ut utramque telaris faciem, et sic pallia ab utraque parte affixa contegat: et ita in media sui parte affixus telari, nunc quidem hinc inde extendatur, et ab omni latere ligaculis connectatur: nunc vero ad unam partem tantum, prout duas facies telaris aut unam contegere oportuerit, quod si plicanda fuerint, ita fiat, ut, si quae Crucis species aut imago affixa est, non inflectatur, cautioque adhibeatur, si oportet, interpositi panni.

Tapetia, crassioresque panni ad soli externendi usum, cum recondenda sunt, prius purgentur cera, et si quid aliud sordidum inhaeserit, aeri post exponantur, et diligenter exagitentur, ad excutiendum pulverem scopula bene mundentur, et ita complicata suis locis recondantur.

Sacristiae fenestrae saepe pateant, sereno siccoque coelo; cum capsulae ductiles paullum educantur, ut etiam, quae intus sunt, sentiant aeris beneficium.

Caeterum ea debet esse reverentia erga sacram Suppellectilem, tamquam divino servitio mancipatam, immo tamquam sanctimoniae participem, quae nimirum est sanctitatis instrumentum; unde et sancta ea vocatur saepe in scripturis sacris, Pontificiis legibus, Patrumque monimentis, ut nihil ejusdem non modo negligatur: verum etiam exquisita cura, et diligentia colatur, non enim, ut ait, *Sanctus Hieronymus epistola ad Theophil. Alexand.* inania ea sunt, quae quasi sensu carentia sanctimoniam non habere dicuntur; sed ex consortio Corporis, et Sanguinis Domini sublimi majestate sunt veneranda, lege, quaeso, quae *Tobias noster in hanc causam collegit cap. 77. de sa-*

cris templis parte prima ubi docet ideo prohiberi plurima circa eamdem: videlicet.

Primo non omnem suppellectilem tangi posse a quocumque.

Secundo, neque a quocumque quandocumque ablui posse, aquamque lotionis in sacrarium projiciendam esse.

Tertio, quae usui amplius esse non possunt, ea nequaquam in profanos usus detorquenda esse, sed ea comburenda esse; et cineres in sacrarium inferendos, quae nos etiam suis locis indicavimus supra.

Quarto nec alienari posse, vendi, oppignorarive, exceptis quibusdam casibus, de quibus *Sanctus Ambrosius lib. I. offic. cap. 41.* et habentur *in Breviario quarta die infra octavam S, Laurentii.* Vide ibi.

Addit ille exempla multa piorum hominum, et e converso indignationis Omnipotents Dei contra sacrilegos, impios, et desides in hoc genere; ad quem lectorem remittimus, ne instituti nostri metas transeamus.

APPENDIX II.


EXCERPTA EX LIBRO II. PARIDIS CRASSI APOSTOLICARUM CAEREMONIARUM MAGISTRI AC EPISCOPI PISAUREN.

De Caeremoniis Cardinalium et Episcoporum in eorum dioecesibus (pag. 113-127 Romae in Aedibus Populi Romani 1580).


DE TONIS, SIVE TENORIBUS ORATIONUM, ET ALIORUM OMNIUM, QUAE INTRA TOTUM ANNUM SOLEMNITER CANTANDA SUNT.

Non abs re fore videbitur, si etiam orationum omnium tenores addidero, quae in pubblicis officiis per totum annum eveniunt, quomodo scilicet eas secundum laudabilem usum cantari oporteat, prout etiam nostra capella Papalis observat. Licet autem planius, breviusque per notas, sive caracteres musicales figurari, quam per scripturam dictari possint: tamen ipse pro ingenioli qualitate melius quam potero explicabo. Et primo in ipsarum orationum decantatione duos tonos, sive tenores habemus, videlicet unum solemnem, et festivum, quo utimur in Missis, et Vesperis festivis solum, tam omnium solemnitatum totius anni, quam omnium Dominicarum de Adventu, et de Quadragesima, et Sabbati in albis, et in matutinis Natalitiis. Alium vero simplicem, et positivum habemus, quo utimur in ferialibus, et pro defunctis, et in benedictionibus, quae etiam veniunt in diebus, et pro actibus solemnibus, ut in candelis, cineribus, palmis, et aliis benedicendis. Itaque in diebus solemnibus, et festivis, primo cantaturi, *Dominus vobiscum* vel *Pax vobis*, ut Missae competit, vocem formabit, pariter, et firmabit sonoram, et hilarem magis, quam pressam, et moestam ratione solemnitatis, et quantum graviter poterit juxta organum, et bombum vocis suae, ac etiam secure, et fortiter, cum perseverantia in illo tono, quem capiet; capiet autem sub nota musicorum, quam appellant, *fa*, in qua nota, sive in quo tono, sicut a principio semel acceperit cantum, sic numquam declinabit vocem per modulos, quos falsettos;


neque per articulos, quos contrapunctos neque per circumflexiones, quas semitonos vocant; nec denique per aliquas vocis alterationes, sed omnino in solido et presso vocis tenore perseverabit, dicens, *Dominus vobiscum*: producendo vocem super prima syllaba utriusque dictionis tantum, quantum super duabus aliis faceret. Similiter etiam dicendo, *Pax vobis*, super qua syllaba dictionis vobis pausabit, ut supra: et idem facit in eodem tono vocis super dictione, *Oremus*. In qua super prima syllaba, et non in media semper pausabit.[1]




Deinde advertatur, an in prima clausula sit aliquod verbum, nec ne: quoniam uno modo terminatur prima clausula orationis habens verbum, et aliter non habens illud; et si plures erunt clausulae, semper finis unius clausulae alternatur ab alia, idest prima, tertia, et quinta, si tot erunt clausulae simili cantu terminabuntur: sed secunda, quarta, et sexta alio diverso a priori cantu terminabuntur. Et si plures erunt clausulae, idem modus servabitur in omnibus, ut prius. Itaque aequali cantu semper in eodem tono per *fa, fa,* sicut cantavit *Dominus vobiscum*, vel *Pax vobis*, et *Oremus*, cantabit omnia verba primae clausulae, usque ad finem ejus exclusive. Quia si in ipsa clausula aliquod verbum interfuit, ut in oratione huius diei Natalis Domini, videlicet, *Concede quaesumus Omnipotens Deus*, tunc propter verbum, videlicet, *concede* tertiam syllabam vergentem ad finem clausulae declinabit, videlicet, *do*, ad notam *mi* et aliam quartam syllabam videlicet, *tens*, ad notam, *re*, duas vero ultimas, videlicet, *Deus*, resumet ad *fa, fa,* ut prius. Et sicut prima clausula terminata est, ita etiam tertia, quinta, et septima, si tot erunt clausulae, excepta ultima, terminabuntur.




Tum facta aliquali pausula, continuabit secundam clausulam per eundem tonum, sive notam *fa, fa*, ut prius, numquam illam circumflectendo, usque penultimam syllabam extremi verbi clausulae secundae, sive illa clausula sit longa, sive brevis, etiam unius verbi, ut est, *quaesumus, praesta, concede*, sive plurium verborum; tuuc super penultima syllaba longa ultimi verbi pausabit, ac si illam syllabam geminaret, et ultimam deprimet ad notam, *mi*: sed si penultima esset brevis, tunc super antepenultima pausabitur, et duas ambas ultimas loco unius productae declinabit ad notas *mi, mi*, ut est in verbo ultimo secundae clausulae, videlicet, *liberet*, ubi super antepenultima, videlicet, *Li* pausabit, et duas syllabas, scilicet, *beret* declinabit ad *mi, mi*: qui modus servatur in quarta, ac sexta, et octava clausula decantanda, si tot erunt clausulae.






Quando vero prima clausula orationis solemnis non habet aliquod verbum, ut est in oratione omnium Sanctorum, videlicet. *Omnipotens sempiterne Deus, qui nos, etc.* tunc ipsa prima clausula non utique terminatur, sicut fuit terminata prima clausula orationis praedictae de die Natali, quae habet verbum, sed sicut secunda: et tunc secunda terminatur, sicut fuit terminata prima ejusdem orationis de die Natali: et sic alternantur. Itaque in oratione omnium Sanctorum in dictione ultima primae clausulae, videlicet, *Deus*, pausabit super syllaba *De*, ac si illam geminet, ut supra dixi, et Syllabam *us*, deprimet ad notam; *mi*, secundam vero clausulam orationis omnium Sanctorum terminabit alio modo, idest sicut fuit terminata prima clausula orationis diei Natalis habentis in verbum se, et sic alternatim cantabuntur omnes usque in finem orationis.




O-mni-po-tens sem-pi-ter-ne De-us.

Ultimam quoque clausulam eodem tono cantabit aequaliliter, usque ad finalem dictionem: ubi aut dictio illa est bissyllaba, aut plurisyllaba, quod si bissyllaba, sive longa sit, sive brevis; tunc in fine prioris dictionis omnino pausabit, in eodem tono illam producendo, quasi illam geminaret. Deinde ultimam dictionem bissyllabam, eodem modo similiter cantabit, prout est in hodierna oratione. In qua ultima clausula, videlicet, *quos sub peccati iugo vetusta servitus tenet,* quae bissiyllaba est, non pausabit, sed super ultima Syllaba praecedente, videlicet, *tus*, pausabit, et illam Syllabam, *tus*, ita producet, ac si geminaret, dicendo, *servi tuus tenet.*



Quos sub pec-ca-ti iu-go ve-tus-ta ser-vi-tus te-net.

Si vero finalis dictio sit trisyllaba cum penultima longa, tunc pausa fiet super antepenultima, ut in oratione post communionem hujus diei, videlicet, *Ita et immortalitatis sit ipse largitor*.





I - ta, et im-mor-ta-li-ta-tis sit i-pse lar-gi-tor.

Quod si ipsa finalis dictio sit trisyllaba cum penultima brevi, tunc pausa fiet super ea, quae praecedit dictionem trisyllabam, ut in oratione sancti Joannis post communionem, videlicet, *Eius muniamur, et precibus*, ubi super syllaba, *Et*, pausa fit. Et si ipsa dictio est plurisyllaba, tunc semper pausa fit super prima syllaba ipsius dictionis plurisyllabae, sive penultima ejus sit longa, ut in oratione primae Missae hujus noctis ibi, videlicet, *Ejus quoque gaudiis in coelo perfruamur*; sive brevis, ut in oratione post communionem ejusdem Missae, et noctis, ibi videlicet, *Ad ejus mereamur pervenire consortium*.

DE TENORE CONCLUSIONUM.


Caeterum conclusiones orationum praedictarum quae sunt, *Per Dominum nostrum, etc.* Et *qui vivis et regnas, etc.* quia diversae sunt etiam diversimode cantantur. Aut enim habent tres clausulas in totum computando, ultimam, ut sunt videlicet, *Per eundem, etc.* Et *per Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum*, quae est prima clausula, deinde. *Qui tecum vivit,* et *regnat in unitate Spiritus sancti Deus*, quae est secunda clausula. Et finaliter, *Per omnia secula seculorum,* quae est tertia, tunc ipsam conclusionem incipiendo, *Per eundem*, vel *Per Dominum*, cantabit per eandem notam scilicet, *fa, fa,* sine falsettis, et sine contrapunctis, sicut orationem, et in ultima dictione primae clausulae scilicet, *Tuum*, faciet pausam super prima syllaba, scilicet, *Tu*, et super ultima, videlicet, *um*, deprimet ad, *mi* sicut de secunda clausula orationis dixi.







Secundam vero clausulam cantabit per eundem tonum, in cujus finalibus dictionibus, videlicet, *Sancti Deus* super quarta

vergente ad finem, quae est *San* vocem deprimet ad *mi*, et aliam syllabam scilicet, *cti*, rursus deprimet ad, *re*, et alias duas syllabas scilicet *Deus*, attollet ad, *fa*, *fa*, sicut in omnibus de prima et tertia clausula orationis dixi.







Deinde etiam tertiam, idest ultimam clausulam, scilicet, *Per omnia secula seculorum*, similiter per eundem tonum, absque aliquo falsetto, sive contrapuncto cantabit per, *fa*, *fa*, sed in verbo, *seculorum*, super prima syllaba id est, *se*, pausabit, ac si illam geminet dicendo *seculorum*, cuius omnes quatuor syllabas cantabit per, *fa*, *fa*.



Aut conclusiones habent tantum duas clausulas, computando ultimam, ut sunt, *Qui vivis et regnas*, vel *Qui tecum vivit.* Tunc omnino primae clausulae finis, scilicet, *Sancti Deus*, cantabitur modo, quo supra cantata sunt etiam verba, *Sancti Deus*, in supradicta conclusione, et non sicut, *Filium tuum*, similiter, et ultimae clausulae finis, videlicet, *seculorum*, eodem modo quo supra dictum est, cantabitur.







De tono orationum, quae cantantur in Missis pro defunctis.


Tonus vero, sive tenor orationum pro defunctis diversus est a supradicto festivo: celebrans enim ibi hilari tono, et sonora voce usus fuit, hic vero moestiter, et depresse cantat, ac luctuose, ut sit conveniens luctibus ipse tenor. Et quoniam non est semper, et indistincte eodem tenore utitur in Missis, et Officiis pro defunctis. Ideo, ut omnis tenor, et modus habeatur in orationibus decantandis pro defunctis, sic distingui videtur. Quia, aut celebrans est in cantu orationum in Missa, aut in Vesperis, et Matutinis simul, aut extra illas. Primo casu can-

tabit suam orationem aequali tono, et sub eadem nota, scilicet, *fa*, *fa*, a principio ad finem, numquam vocem circumflectendo, nec eam in fine alicuius clausularum declinando, nec attollendo ipsum tonum, sicut facit, quo ad aequalitatem toni in oratione festiva, ut supra dictum est: sed solum pausabit super finalibus syllabis, hoc modo. Quia primo dicens, *Dominus vobiscum*, aequali tono cantabit, producens syllabam primam dictionis ultimae, videlicet, *vobiscum*, in qua syllaba. *vo*, ponet pausam: quasi duarum notarum, sive duarum syllabarum, et similiter cantando, *Oremus*, in prima, scilicet, *o*, pausabit, sicut dixi, et alias duas scilicet *remus*, aequali cantu in eodem tono finiet.




Tum orationem, quae verbi gratia cantatur in Missa exequiali pro aliquo Episcopo, seu presbytero Cardinali: quae est, videlicet, *Deus qui inter apostolicos, etc.* ubi primam clausulam aequali, et presso tono cantabit, usque ad dictionem ultimam ipsius clausulae, scilicet *vigere*, in qua dictione cum nulla penitus toni alteratione pausabit in syllaba penultima, videlicet, *ge*, per spatium unius notae, seu syllabae cum dimidio, et ultimam, scilicet, *re* eodem tono cantabit, quo alias priores cantavit, nihil eam producendo.






fa-mu-lum tu-um pon-ti-fi-ca-li fe-cis-ti di-gni-



ta-te vi-ge-re.


Similiter deinde cantabit secundam clausulam in ultima dictione, et in ejus penultima syllaba pausabit, nisi illa sit brevis, ut in dictione nostrae orationis, videlicet, ***Quaesumus***, quia tunc pausabit super penultima, ac si diceret, ***Quaeesumus***.




Prae-sta Quae-su-mus.

Similiter in omnibus, et per omnia faciet de reliquis clausulis, et syllabis, usque ad ultimam dictionem orationis, in qua oratione ultima sic finiet: nam si illa sit bisyllaba, ac etiam trisyllaba cum penultima brevi pausabit; non in prima syllaba dictionis bisyllabae aut trisyllabae, sed in ultima praecedentis dictionis, etiam si illa praecedens sit monosyllaba; ut in oratione pluralis Missae pro defunctis, quae incipit, ***Hostias quae-***

sumus etc in fine ibi, *Dones et praemium*; ubi pausa debet fieri super dictione etc. Item in alia oratione Missae pluralis pro defunctis, quae incipit, *Deus cui proprium est, etc* ibi *mereantur ad vitam*, ubi pausa fit super dictione praecedente, videlicet, *ad*, quae ita producitur ac si geminetur, aad vitam. Si autem dictio finalis sit trisyllaba, cum penultima longa, tunc pausabit super antepenultima, ita ut ipsam antepenultimam geminare videatur et reliquas duas, sine depressione finiet, ut si dicatur *Facias esse coonsortem*, ubi antepenultima scilicet, *con* producetur, ac si dicatur *coonsortem*. Si autem sit dictio plurisyllaba, tunc omnino pausabit in prima syllaba ultimae praedictae dictionis, sive habeat penultimam longam, sive brevem, ut in nostra oratione ibi, *consortio* ubi primam syllabam, videlicet *con*, producit, ac si de toto illa geminet, dicendo, *coonsortio*, et alias tres, videlicet, *sortio*, eodem tono continuabit, ut infra.






Et sic iste tonus servatur in omnibus orationibus, quae cantantur in Missis dumtaxat pro defunctis, non autem in Vesperis, aut Matutinis, ut infra in suis locis dicetur. Insuper hanc, et omnes orationes, quae in hujusmodi Missis cantantur, se-


quuntur suae integrae conclusiones, videlicet *Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum. etc*, vel *Per Dominum nostrum, etc*, vel *qui vivis et regnas, etc* aut *qui vivit, et regnat etc.* ubi prima syllaba ultimae dictionis, scilicet. *tuum*, aequaliter pausatur super, *tu*, et similiter in prima syllaba secundae clausulae, scilicet, *Deus*, aequaliter pausatur. Tum in dictione, *seculorum*, syllabam primam scilicet, *se*, ita producit, ac si geminet dicendo, *seeculorum*, quod etiam servatur in aliis Missarum orationibus, earumque conclusionibus: ut in Missa commemorationis omnium defunctorum, et in exequiis Cardinalium, et aliorum.

De tono versiculorum, et Orationum, quae cantantur, non in Missis, sed Vesperis, Matutinisque, et Officiis pro defunctis.

Si vero celebrans cantaturus est orationem in Vesperis, ac Matutinis pro defunctis, aut aliquibus officiis exequialibus, hoc modo cantabit. Et quoniam primo antequam cantet orationem in ipsis Vesperis, Matutinis, ac offiicis oportet praecantare infrascriptos versiculos, ideo bonum est, ut tonum eorum etiam intelligat. Ipsi versiculi sunt, videlicet, *Pater noster. Et ne nos inducas. etc. A porta inferi. Requiescant in pace. Domine exaudi orationem meam. Dominus vobiscum. Oremus.* Et demum oratio, quae licet sit in simili tono, ut in Missa pro defunctis, non tamen omnino eodem modo finienda, neque aliquis ipsorum versiculorum uno et eodem cantu intonatur, ut infra. Cantabit itaque, *Pater noster,* in voce, qua etiam cantabit orationem. Pro quo etiam sciat, quod verba hujus versiculi, scilicet, *Pater noster*, semper alte debet cantare, quotiens, et quando etiam in fine debet cantare versiculum, *et ne nos*: nam si, *et ne nos,* alte non sit cantaturus, etiam nec alte dicit, *Pater noster*, quod in omnibus officiis servatur, prout supra in suo capitulo particulari dixi plene. Cum itaque dicit, *Pater noster* pausabit aliquantulum super syllaba, *no,* et ultimam, scilicet, *ster*, deprimet a, *fa.* ad, *re*, similiter, et super alio


versiculo, *et ne nos inducas in tentationem,* ubi in penultima, scilicet, *o,* pausabit, et aliam deprimet, Item super dictione *inferi*, quia habet penultimam brevem, ideo non super penultima, sed super antepenultima pausabit. Idem faciet in alio, scilicet *Requiescant in pace.* Et similiter in alio. *Domine exaudi orationem meam*, sed non sic in versiculo, *Dominus vobiscum.* Nam ibi neque in penultima, neque in aliqua deprimet tonum, sed omnino aequaliter intonabit, producendo primam syllabam in verbo, *vobiscum*, scilicet *vo*, et alias, scilicet, *biscum*, similiter aequali cantu intonabit *Oremus,* tum orationem cantabit, ut supra in omnibus, sicut pro defunctis, excepto, quod non ita finiet aequali tono, sicut orationem, quae dicitur in Missa: ibi enim tota oratio cantatur, et finitur aequali tono; hic autem penultima syllaba primo producitur, et ultima deprimetur a *fa,* ad *re.* Et in hoc differunt. Similiter fiet de conclusionum cantu, quae incipiet, *qui vivis*, vel *qui tecum vivit*, ubi in verbo, *seculorum*, penultima producitur, et uliima deprimitur, licet in absolutionibus orationes concludantur per versiculum, *Per Christum dominum nostrum,* et tunc prima syllaba dictionis, *nostrum,* scilicet, *no,* producitur, et *strum* deprimitur. Et demum in alio versiculo, videlicet, *Requiem aeternam dona eis domine*, ubi non penultima, quia est brevis, sed antepenultima producitur. Et illae duae breves, quae sunt loco unius longae, deprimuntur a *fa*, ad *re,* ut dictum est.








DE TONO ORATIONUM IN MISSIS FERIALIBUS SOLUM, ET NON IN OFFICIIS.

Orationes, quae in Missis ferialibus cantantur, simili tenore, et modo in omnibus et per omnia cantantur sicut orationes in Missis pro defunctis, tono, et cantu aequalibus a principio usque, ad finem inclusive; et cum productione, sive pausa, quasi geminatione, sicut in orationibus, quae dicuntur in Missis pro defunctis; non autem in officiis, ut supra dixi. Verbi gratia in die Cinerum in Missa, orationes quinque dicuntur in tono feriali, idest in aequali cantu, et prima est de die, videlicet *Praesta, Domine, fidelibus tuis* ubi in illa dictione *tuis*, prima syllaba producitur, et similiter in dictione *suscipiant*, ubi syllaba, videlicet, *sci*, quae est antepenultima producitur, quia penultima est brevis, et demum in ultima dictione, scilicet *percurrant* prima syllaba, scilicet, *per*, pausatur, quasi geminetur, dicendo, *peercurrant*, et sic de aliis. Caeterum in istis ferialibus non cadit distinctio, sicut in orationibus pro defunctis, ubi aliter in Missis, aliter in Vesperis, et officiis cantatur, et aliter extra.









Et simili modo conclusio cantetur, et terminetur.


De tenore, et numero orationum solemnium, quae ferialiter cantantur in diversis officiis per totum annum

Cantantur etiam in feriali, idest aequali tono orationes multae, et diversae in multis, et diversis, non Missis, sed officiis intra annum, quae omnes eodem tono, et modo in omnibus, et per omnia, sicut orationes pro defunctis cantantur non tamen, ut infra, Missas, sed ut extra, idest ut in officiis anniversariis. et exequialibus, et absolutionibus defunctorum: et istae orationes cantatur cum pausa, quasi geminatione penultimae, nisi alias ipsa sit brevis, quoniam loco ejus pausatur in antepenultima syllaba in dictione ultima, et cum depressione ultimae syllabae ejus dictionis, verbigratia, in die Purificationis gloriosae Virginis Mariae, post distributionem candelarum, postquam celebrans lavit, et priusquam vadat ad confessionem cantat, ***Oremus***, scilicet, et per *fa*, et *re* per *re*, et *fa* simul et *mus*, per *fa*. Deinde respondentibus ministris assistentibus, ***Flectamus genua, et levate,*** Celebrans cantat aequali cantu orationem, quae est, videlicet, *Exaudi quaesumus*, *Domini plebem tuam*, *etc*. Et


in fine. *Per Christum Dominum nostrum*, in eo tono, quem supra dixi in anniversario, item in die cinerum similiter post dationem cinerum, cantat aequali cantu. *Dominus vobiscum*, et orationem, videlicet, *Concede quaesumus nobis Domine etc.* quae ex omnibus ultima licet aliae omnes ante cinerum dationem non cantentur per celebrantem, sed legantur plane per ipsum. Item in Palmarum benedictione post, illarum distributionem eodem modo et tono cantatur, *Dominus vobiscum Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, qui dominum nostrum Iesum Christum etc.* Et in fine, *Per eundem Christum Dominum nostrum.* Item in coena Domini post lotionem pedum pauperum, celebrans sub tono, quo cantantur versiculi in Vesperis et Matutinis pro defunctis, cantat versiculos, et orationem ibi notatam, videlicet, *Adesto quesumus Domine officio etc.* cujus conclusio est, videlicet, *quod ipse praestare digneris.* Et idem in officio Parasceve celebrans simili modo cantat orationem unam, videlicet, *Oremus. Deus a quo, et Iudas, etc.* quam etiam similiter concludit: aliae autem orationes numero XVIII cantantur per suum particularem, et propium cantum, ibi notatum. Ubi scias, quod secunda, quarta, sexta, octava, et nona orationes cantantur similiter in tono feriali, et non festivo, sicut in multis libris Missalibus male notatum vidi: qui in hoc omnino corrigendi sunt. Item, in tribus diebus tenebrarum oratio, videlicet, *Respice quaesumus Domine super hanc familiam tuam etc.* non sub aliquo tono cantatur, sed plana voce ac quasi flebili, et moestissima profertur, cum depressione tamen ultimae syllabae, a, *fa*, ad, *re*. Item in die Sabbati sancti, orationes, quae in officio, et ante Missam cantantur, incipiendo ab oratione, quae est post prophetiam primam videlicet, *Deus qui mirabiliter creasti*, etc. cantantur omnes aequali, et feriali cantu Orationes vero, quae eadam die pro ignis, et incensi novi benedictione ponuntur non utique cantantur, sed quidem intelligibili voce proferuntur. Quod bene nota, quia hujusmodi benedictiones ignis, et incensi sine cantu aliquo prolatae secum habent mysterium, ut supra dixi in officio Sabbati sancti.

De tonis, quibus cantantur Epistolae in capella Papae.


Addamus etiam supradictis, Epistolarum tonos, quibus capella nostra tamquam bonorum omnium rituum institutrix utitur. Et quidem sciendum est, quod unicus, idemque tonus servatur in omnibus Epistolis, quae per totum annum cantantur. sive in diebus solemnibus, sive simplicibus non solemnibus, ac ferialibus, etiam pro defunctis quod in solemnibus iucundius, et hilarius, et reverentius cantatur, quam in simplicibus, aut pro defunctis. Et licet in hujusmodi Epistolarum decantatione, sit magis quaedam gratia cum decore, quam ars musicalis cum regula servanda: tamen ut plenius habeatur ut ipsius decantationis ars seu modus, sic per notas figurabitur, videlicet:




Le-cti-o I-sa-i-ae pro-phe-tae. In di-e-bus il-lis.




Le-cti-o E-pi-sto-lae be-a-ti Pau-li A-po-sto-li



ad Co-rin-thi-os. Fra-tres *vel* Ca-ris-si-me.






Et sic in infinitum omnes clausulae similes cantantur modo, et tono praedictis.


De clausula monosyllaba.

Etsi clausula finiretur in dictione monosyllaba, tunc etiam ipsius dictionis monosyllabae cantatur tonus, ut supra, aequali cantu, sed tamen cum aliquali pausula, verbigratia in Epistola diei Innocentium est finis clausulae in verbo monosyllabo, ibi videlicet; *Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati virgines enim sunt.*




Quando clausula est interrogativa.

Quando autem clausula est sub sententia interrogativa, tunc alio modo finis ejus cantatur, ut est in Epistola feriae quartae quatuor temporum de Adventu; ibi videlicet: ***nunquid parum est vobis esse molestos hominibus, quia molesti estis et Deo meo?*** ut infra.



De fine Epistolae.


Finis autem omnium Epistolarum idem est, et eodem modo cantatur, ut est in Epistola nostra hodierna, videlicet:



De tono Evangelii.


Evangeliorum quoque unicus, atque idem tonus semper intra totum annum, et in quibuscumque Missis, et diebus occurrentium observatur: nisi ut supra de epistolarum ferialium

tonis dictum est. Igitur cantans Evangelium, per has notas intonabit, videlicet.




Do-mi-nus vo-bis-cum.

Deinde, *Initium vel Sequentia sancti Evangelii*, hoc modo.




Se-quen-ti-a san-cti E-van-ge-li-i.

Et si Evangelium est secundum Matthaeum, vel Ioannem quae dictiones sicut trisyllabae, intonatur sic, videlicet:




Se-cun-dum Mat-thae-um. *vel* Ioannem.


Si vero est secundum Lucam, vel Marcum, quae sunt dictiones bisyllabae, tunc intonatur sic, videlicet:




Deinde versus *in illo tempore,* sic cantantur, videlicet:




Hoc autem observari debet, quod depressio, vocis a *fa,* ad *re,* nunquam sit ante quintam syllabam vergentem ad finem clausulae; nec post tertiam; sed ipsa nota, *re,* sit aut in quinta, aut in quarta: et quando clausula esset nimis longa, et multorum verborum; tunc in quinta syllaba fit depressio: quando vero non est nimis longa; tunc fit in quarta: cantetur igitur hoc modo, videlicet.





Sa-lo-me e-me-runt a-ro-ma-ta ut ve-ni-en-tes




un-ge-rent Ie-sum. 

Et sic ista clausula terminatur; quia non est nimis longa; sed potius brevis, et paucorum verborum, maxime respective ad longiores: quod si clausula esset longa, et multorum verborum, tunc depressio vocis a, *fa,* ad *re,* fieret in anteriori syllaba, videlicet in quinta. Non enim regulariter unquam pauciores, quam tres; nec plures, quam quinque debent esse notae finales post notam, *re,* sed aut in quinta, aut in quarta; quod bene observetur.




INTERROGATIVUM.


Cum vero clausula est interrogativa, tunc sic cantatur, videlicet.




Quis re-vol-vet no-bis la-pi-dem ab o-sti-o



Si autem clausula fuerit in verbo monosyllabo, ut est tertia feria Paschae *ibi videte manus meas, et pedes meos, quia ego ipse sum*, tum sic cantatur, videlicet.




Quando clausula esset tantum trium syllabarum, aut etiam duarum, ut in Evangelio feriae tertiae post Pascha: ibi, *Pax vobis; Ego sum*, tunc sic cantari debet.




MONOSYLLABA.

Quod si unicae dumtaxat syllabae esset clausula, ut in Dominica tertia de Adventu, ibi *et respondit non,* tunc sic cantatur, videlicet.



FINIS EVANGELII.


Caeterum finis omnium. Evangeliorum, ita cantari solet, videlicet. *Ibi eum videbitis, sicut dixit vobis.*



QUOMODO CANTATUR VERSUS VIDELICET HUMILIATE CAPITA VESTRA DEO.


In die Cinerum in omnibus Ecclesiis, et locis, ubi Missa de feria in quadragesima cantatur; quinque orationibus post communionem cantatis, et ante orationem sextam, quae supra populum dicitur, Diaconus Evangelii ad ipsum populum adhuc in genuflexione manentem, cantat huuc versum, videlicet, *Humiliate capita vestra Deo.* Pro quo tamen illud scias, quod conclusio quintae orationis non est videlicet, *Per omnia saecula saeculorum,* ut multi ignoranter dicunt, sed debet tota longa dici, videlicet: *Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum qui tecum vivit, et regnat in unitate spiritus sancti Deus per omnia saecula seaculorum*: deinde post responsum *amen*,


Diaconus cantat versum sequentem videlicet, *Humiliate capita vestra Deo*, qui sic cantatur.



De tonis versuum, et lectionum in matutinis noctis natalis Domini nostri Iesu Christi


Hic est tonus, qui communiter observatur in capella Papali pro versibus, absolutionibus, et benedictionibus pro officio matutinarum noctis natalis Domini nostri Iesu Christi, tam per Papam, quam Cardinales, et alios omnes, excepto cantorum choro, decantandis, et primo:







De-us in a-diu-to-ri-um me-um in-ten - de.




Pa-ter nos-ter. Et ne nos in-du-cas in



ten-ta-ti-o-nem.


PRIMA ABSOLUTIO




E-xau-di Do-mi-ne Ie-su Chris-te pre-ces ser-




vo-rum tu-o-rum et mi-se-re-re no-bis, qui



cum pa-tre, et spi-ri-tu san-cto vi-vis, et




re-gnas in sae-cu-la sae-cu-lo-rum. *Resp.* A-men.




Iu-be Dom-ne be-ne-di-ce-re.

Prima benedictio




Be-ne-di-cti-o-ne per-pe-tu-a be-ne-di-cat



nos pa-ter ae-ter-nus.

Secunda benedictio




U-ni-ge-ni-tus De-i fi-li-us nos be-ne-




di-ce-re et ad-iu-va-re di-gne-tur.

TERTIA BENEDICTIO




Spi-ri-tus san-cti gra-ti-a il-lu-mi-net




sen-sus, et cor-da nos-tra. *Resp.* A-men.


SECUNDA ABSOLUTIO




Ip-si-us pi-e-tas, et mi-se-ri-cor-dia nos




a-diu-vet, qui cum pa-tre, et spi-ri-tu



QUARTA BENEDICTIO




QUINTA BENEDICTIO




Chris-tus per-pe-tu-ae det no-bis gau-di-a vi-tae.

SEXTA BENEDICTIO




I-gnem su-i a-mo-ris ac-cen-dat De-us in




cor-di-bus nos-tris.

TERTIA ABSOLUTIO




A vin-cu-lis pec-ca-to-rum nos-tro-rum, ab-sol-vat




nos om-ni-po-tens et mi-se-ri-cors Do-mi-nus.

SEPTIMA BENEDICTIO




E-van-ge-li-ca le-cti-o, sit no-bis sa-lus et




pro-te-cti-o.

OCTAVA BENEDICTIO




Per e-van-ge-li-ca di-cta de-le-an-tur nos-tra




de-li-cta.

NONA BENEDICTIO



Ver-ba san-cti E-van-ge-li-i do-ce-at nos




Chris-tus fi-li-us De-i.


DE TONO LECTIONUM, ET EVANGELIORUM, AC HOMILIARUM MATUTINALIUM

Lectionum, et Evangeliorum matutinalium, et Homiliarum, unus atque idem tenor, sive tonus est planus, et aequalis; non autem circumflexus, nec articularis, neque varius; sed omnino firmus, solidus, et continuatus iu una eademque nota, videlicet, *fa*, in qua nota semper teneri debet cantus, usque ad ultimum verbum in fine clausulae perfectae, ubi ipsius ultimi verbi syllaba penultima aliquantulum pausatur quasi geminetur: Et


ultima syllaba deprimitur ad notam alterius, *fa,* quae est quinta descendens: Et sic omnes clausulae lectionum, Evangeliorum hujusmodi, et Homiliarum, inchoantur, mediantur, et finiuntur, videlicet:

LECTIO






EVANGELIUM




HOMILIA



Ho-mi-lia san-cti Gre-go-ri-i Pa-pae.


Si autem penultima syllaba praedictae ultimae dictionis, esset brevis; tum non in ipsa brevi; sed in antecedenti fiat pausa; quasi geminata; hoc modo videlicet:



Trans Ior-da-nem Ga-li-le-ae gen-ti-um.

DE FINE CLAUSULAE IN DICTIONE MONOSYLLABA.


Si finis clausulae esset in dictione monosyllaba, tunc ultima syllaba antecedentis dictionis deprimetur ad notam, *re*, et ipsa monosyllaba, quae est finalis, tollitur ad eandem notam, *fa*, videlicet:



Quod os Do-mi-ni lo-quu-tum est.

De fine clausulae in dictione Hebraea


Quod si ultima clausulae dictio sit nomen Hebraicum; tunc ipsum nomen Hebraicum sic terminatur, ut de monosyllaba dictum est, videlicet:



Ter-ra Za-bu-lon, et ter-ra Neph-tha-lim.

De fine clausulae in sensu interrogativo.

Si finis clausulae sit in sensu interrogativo, tunc ipsa quidem tota clausula, intonatur per *fa, fa,* ut supra, sed ante syllabam finalem, tres aut quatuor syllabae deprimuntur a praedicto, *fa,* ad *mi,* et omnes per ipsam notam intonantur; ultima vero pausatur, quasi per duas notas: quarum una erit *mi, mi,* duplicata, et alia extolletur ad eandem notam, *fa,* videlicet.




Et nunc quid mi-hi est hic di-cit Do-mi-nus.

De fine lectionum, et Homiliarum

Finis lectionum, Evangeliorum et Homiliarum matutinalium, idem est in omnibus et per omnia, sicut in quolibet fine clau-

sularum praedictarum: sive illa clausula finiatur in dictione monosyllaba, sive in interrogativa, sive in Hebraea, ut supra dictum est, videlicet:



De conclusione lectionum, et Homiliarum

Omnium Lectionum, et Homiliarum conclusiones, id est, *Tu autem Domine miserere nostri*, vel *nobis*; uno atque eodem modo, et tenore finiuntur, ut infra; quamquam aliqui aliter sentiant; quod aequali modo intonetur; videlicet, sicut finis cujuslibet clausulae; non tamen monosyllabae, nec dictionis Hebraeae, nec sensus interrogativi, sed ego meo tempore realiter vidi, quod omnes, tam Papa et Cardinales, quam alii omnes docti officiales capellae hujusmodi lectiones cantantes, maxime magistris ipsis caeremoniarum demonstrantibus, sic intonarunt, ut infra, videlicet:



APPENDIX III.

INSTRUCTIO EDITA IUSSU SACRAE CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE PRO SIMPLICI SACERDOTE SACRAMENTUM CONFIRMATIONIS EX SEDIS APOSTOLICAE DELEGATIONE ADMINISTRANTE

DECRETUM

SACRAE CONGREGATIONIS GENERALIS DE PROPAGANDA FIDE.

Habitae die 21. Martii 1774.

Referente R. P. D. Stephano Borgia Secretario, nonnullos Missionum Superiores, aliosque, quibus ab Apostolica Sede extraordinaria Sacramentum Confirmationis administrandi facultas conceditur, in illius administratione usos quandoque esse vestibus, ac ornamentis Episcopalibus: Eminentissimi Patres declararunt, ac vigore praesentis Decreti declarant, nemini prorsus charactere Episcopali non insignito, vel cui alias usus Pontificalium ex vero, legitimoque privilegio non competit, licuisse, vel licere in collatione Chrismatis adhibere Rochettum, Mitram, Baculum Pastoralem, Annulum, vel Crucem pectoralem; statueruntque supplicandum esse Sanctissimo pro approbatione huius declarationis, necnon efformandam Instructionem pro simplicibus Sacerdotibus Confirmationem, ut supra, administrantibus.

Facta vero Sanctissimo Domino Nostro Clementi PP. XIV. per praefatum Dominum Secretarium in audientia diei 3. Aprilis currentis supradictae Sacrae Congregationis sententiae relatione, Sanctitas Sua illam benigne approbavit, et ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari mandavit.

Datum Romae ex Aedibus dictae Sac. Congregationis die 23. Aprilis 1774.

IOSEPH MARIA CARD. CASTELLI PRAEFECTUS.

Stephanus Borgia Secretarius.

INSTRUCTIO

PRO SIMPLICI SACERDOTE SACRAMENTUM CONFIRMATIONIS EX SEDIS APOSTOLICAE DELEGATIONE ADMINISTRANTE.

Etsi, iuxta Sacrosanti Tridentini Concilii Definitionem solus Episcopus sit Ordinarius huius Sacramenti Minister (*a*); solet tamen, quandoque iustis de caussis Sedes Apostolica simplici Sacerdoti, tamquam extraordinario Ministro, facultatem tribuere illud conferendi (*b*).

Sacerdos igitur, cui facultas haec fuerit concessa, in primis curet apud se habere Chrisma, per Catholicum Antistitem cum eadem S. Sede communionem habentem confectum, ac sciat, sibi numquam licere (*c*) sine eo Confirmationem administrare, vel illud ab Episcopis Haereticis, aut Schismaticis recipere.

Animadvertat insuper, num in facultate sibi ab Apostolica Sede impertita alia etiam facultas expressa legatur, utendi scilicet Chrismate ante annum benedicto; alias eo non utatur, nisi forte in casibus necessitatis (*d*), cum a Sacris Canonibus id prohibitum sit (*e*).

Licet omni tempore administrari valeat Confirmatio, congruum tamen est, ut praecipue in hebdomada Pentecostes, et circa horam tertiam, in qua Spiritus Sanctus illapsus est Apostolis, conferatur (*f*).

Quo ad aetatem Confirmandorum attinet, prae oculis habendum est Catechismi Romani (*g*) monitum in haec verba: *Illud observandum est, omnibus quidem post Baptismum Con-*

(*a*) Sess. 7. de Confirm. Can. 3.

(*b*) Eugen. IV. in Decret. pro Armenis.

(*c*) S. Thomas 3. par. q. 72. art. 3. in corp.

(*d*) Bened. XIV. Constit. *Anno vertente* Bull. Tom. 3. pag. 288.

(*e*) Can. *Litteris* de Consecr. dist. 3. et Can *Si quis de alio* de Consecr. dist. 4.

(*f*) Catech. Rom. de Sacram. Confirmat.

Sanctus Carolus in V. Synodo Mediolanen. cap. de Confirm.

(*g*) Loc. cit.

firmationis Sacramentum posse administrari, sed minus tamen expedite hoc fieri, antequam Pueri usum rationis habuerint: Quare si duodecimus annus non expectandus videatur, usque ad septimum certe hoc Sacramentum differre maxime convenit: Quod sane monitum in Pueris benevalentibus locum habet. Nam, si agatur de eo, qui gravi morbo laboret, ex quo decessurus praevideatur; non solum prohibitum non est illi ante septennium Sacrum Chrisma administrare, sed expedit, ut id fiat, unde ex hac vita demigrans maiorem gloriam, iuxta S. Thomae doctrinam (*a*), in Caelis consequatur. Aliae insuper, iuxta probatam plurium Theologorum sententiam (*b*) esse possunt legitimae caussae antevertendi septennium in collatione huius Sacramenti, et praesertim, cum praevidetur futura diutina absentia Episcopi, vel Presbyteri, cui, ut supra, facta sit facultas illud administrandi, vel alia urget necessitas.

Ut Confirmandi, qui usum rationis habent, digne hoc Sacramentum recipiant, debent esse in gratia, et ideo conveniens valde est, ut illius susceptioni praemittant Sacramentalem Confessionem (*c*). Si enim conscii alicuius peccati lethalis, quod absit, ad Confirmationem accederent, non solum huius Sacramenti gratiam non reciperent, sed gravissimo sacrilegio se illigarent.

Iuxta veterem Ecclesiae usum, Confirmandi deberent esse ieiuni (*d*), optandumque propterea esset, ut id ipsum in praesenti etiam servaretur.

Sacro Chrismate liniendi ante diligenter erudiendi sunt iuxta Doctrinas Catechismi Romani de natura, dignitate, effectibus, ac dispositionibus ad digne Sacramentum huiusmodi recipiendum praerequisitis. Item oportet, ut instruantur circa Fidei rudimenta, Decalogi, et Ecclesiae praecepta, Actus Virtutum Theologalium, ac Orationem Dominicam, et Apostolorum Symbolum memoria teneant.

(*a*) S. Thom. 3. part. q. 73. art. 8. ad 4.

(*b*) Bened. XIV. in lib. 7. cap. 10. n. 5. 6. et 7 de Synodo Dioeces.

(*c*) Instructio Eminentissimi Almae Urbis Vicarii pro iis, qui suscepturi sunt hoc Sacramentum an. 1773.

(*d*) Catech. Rom. de Confirm.

Ceterum Missionarii non omittant populos sibi creditos etiam hortari, un Confirmationem debito tempore recipiant, nec non ut Parentes filios suos confirmari curent; etsi enim hoc Sacramentum non sit de necessitate medii ad salutem, tamen sine gravis peccati reatu respui non potest, ac negligi (*a*), cum illud suscipiendi opportuna adest occasio. Porro haec doctrina, si pro omnibus, qui sunt undique, Christifidelibus vera est, multo magis locum habet in illis, qui in Terris degunt Haereticorum, vel Paganorum, in quibus, quandoque adversus Catholicos persecutiones ingruunt, unde opus est ut Septiformis Spiritus virtute roborentur, qua non solum corde credant ad iustitiam, sed etiam ore confessionem faciant ad salutem, seque paratos exhibeant pro Christo etiam sanguinem fundere.

Cum hoc Sacramentum indelebilem in anima characterem imprimat, reiterari non debet, et propterea qui est confirmatus ad illud recipiendum non audeat accedere, sicuti nec excommunicatus, interdictus, in Divinis communicans cum Haereticis, aut Schismaticis, vel qui ritus Idololatricos usurpat, sive alio modo publice peccat; item qui Praeceptum Paschale non adimpleverit.

Caveant Confirmandi ne sordida fronte (*b*), capillisque impexis ad hoc Sacramentum accedant, vestibus tamen sint induti, quemadmodum et Patrini, simplicibus, et ad modestiam compositis. Mulieres vero illud suscepturae, et quae Matrinarum officium exercebunt, non se in Ecclesia cum vanis ornamentis, aut fucata facie, sed cum omni modestia, et reverentia praesentent.

Si quis ex Confirmandis turpe nomen, vel Christiano homini non conveniens, haberet, aliud in Confirmatione assumat (*c*).

Quamquam de necessitate huius Sacramenti non sit, ut in eo recipiendo Patrinus, vel Matrina adhibeatur; id tamen lau-

(*a*) Bened. XIV. in Constit. *Etsi Pastoralis* §. 3. num. 1. Bull. Tom. I.

(*b*) Concil. Aquense an. 1585. Instructio supradicta.

(*c*) Concil. Aquense an. 1585. Concil. Tolosan. anni 1590. S. Carol. Borr. in V. Synodo Mediolanen.

dabilis Ecclesiae consuetudo suadet, sacrique Canones praescribunt (*a*).

Ab hoc vero munere excluduntur tum minores annis quatuordecim (*b*), tum qui Sacramentum Confirmationis nondum receperunt (*c*): Verum quia contingere potest, ut in locis Missionum nullus adsit, qui antea confirmatus fuerit, permittitur in hoc casu, ut aliqui sine Patrino confirmentur, qui postea Patrini ceterorum esse poteruut.

Ad Patrinos huiusmodi quod attinet, hae insuper regulae erunt observandae . 1.° Ut non plures (*d*), sed unus tantum, sive Vir, sive Mulier, in Patrinum, aut Matrinam adhibeatur. 2.° Ut nec feminis mares (*e*), nec maribus feminae Patrini officium praestent, sed suo quisque sexu Patrinus adhibeatur. 3.° Ut nisi necessitas cogat (*f*), idem non sit, sed diversus Confirmationis Patrinus a Patrino Baptismi. 4.° Ut a Patrini munere arceantur excommunicati (*g*), interdicti, publici peccatores, aut qui praeceptum Paschale omiserint.

Circa cognationem spiritualem, quae in hoc Sacramento contrahitur, haec statuit Tridentina Synodus (*h*): *Ea quoque cognatio, quae ex Confirmatione contrahitur, Confirmantem, et Confirmatum, illiusque Patrem, et Matrem, ac Tenentem non egrediatur, omnibus inter alias personas huius spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis.*

Quod quidem Concilii Decretum locum habet in iis, qui ad Tridentini statuta servanda adstringuntur. Ceteri vero disciplinae in suis regionibus vigenti hac in parte se conforment.

Cum tempus advenerit, quo Sacerdos utens facultate sibi ab Apostolica Sede, ut supra, tributa, administrare Confirmationem intendit, vestibus Sacerdotalibus, vel saltem Alba, et Stola indutus stans ante Altare versus ad Populum, hinc inde

(*a*) Sacramentar. S. Gregor. M. Ordo Romanus apud Hittorpium.
(*b*) Instructio praedicta.
(*c*) Canone *in Baptismate* 102. de Consecrat. dist. 4.
(*d*) Can. *Non plures* 101. dist. 4.
(*e*) Pontific. Rom.
(*f*) Can. *In Catechismo* 100. de Consecr. dist. 4.
(*g*) Pontif. Rom.
(*h*) Sess. 24. de Reform. Matrimonii cap. 2.

dispositum (masculis a dextris, feminis vero a sinistris) circumstantes summarie de praemissis admoneat, eisque praesertim denunciet, quod nullus alius nisi solus Episcopus Confirmationis ordinarius Minister est; se vero paratum esse illam conferre iure per S. Sedem delegato.

Mox Delegationis Decreto, sive Brevi Apostolico lingua vernacula alta, et intelligibili voce lecto, iterum moneat adstantes, quod nullus Confirmatus discedat, nisi Benedictione accepta, quam ipse post omnium Confirmationem daturus est: Item, quod Infantes, si quos in prima aetate iusta de caussa confirmandos existimaverit, per Patrinos teneantur in brachiis dexteris; et quod adulti ponant pedem suum super pedem dexterum Patrini sui.

Hac altera monitione completa (*a*) pariter stans, et versa facie ad Confirmandos, iunctis ante pectus manibus, Confirmandis vero genua flectentibus, et manus ante pectus iunctas tenentibus, dicit:

℣. *Spiritus Sanctus superveniat in vos, et Virtus Altissimi custodiat vos a peccatis.* ℟ *Amen.*

Deinde signans se manu dextera a fronte ad pectus signo Crucis dicit:

℣. *Adiutorium nostrum in nomine Domini.*

℟ *Qui fecit Caelum, et Terram.*

℣. *Domine exaudi orationem meam.*

℟ *Et clamor meus ad te veniat.*

℣. *Dominus vobiscum.*

℟ *Et cum Spiritu tuo.*

Tunc extensis versus Confirmandos manibus, dicit:

OREMUS

Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hos famulos tuos ex aqua, et Spiritu Sancto; quique dedisti eis remissionem omnium peccatorum; emitte in eos Septiformem Spiritum tuum Sanctum Paraclitum de Caelis. ℟ *Amen.*

(*a*) Pontific. Rom.

Spiritum Sapientiae, et Intellectus. ℟ *Amen.*

Spiritum Consilii, et Fortitudinis. ℟ *Amen.*

Spiritum Scientiae, et Pietatis. ℟ *Amen.*

Adimple eos Spiritu Timoris Tui, et consigna eos signo Cru✠cis Christi in vitam propitiatus aeternam. Per eumdem Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum: qui tecum vivit, et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. ℟ *Amen.*

Post haec Sacerdos confirmat per ordinem genuflexos, primo mares, secundo feminas. Uno ordine confirmato illi surgunt, et alii genuflectunt, et confirmantur, et sic usque in finem. Inquirit autem singillatim de nomine cuiuslibet Confirmandi sibi per Patrinum, vel Matrinam flexis genibus praesentati, et summitate pollicis dexterae manus Chrismate intincta dicit:

N. Signo te signo Cru✠cis: quod dum dicit producit pollice signum Crucis in frontem illius, deinde prosequitur: et *Confirmo te Chrismate Salutis. In Nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus✠Sancti.* ℟ *Amen.*

Deinde leviter in maxilla caedit, dicens: *Pax tecum.*

Ligandae essent vitta linea recens Confirmatorum frontes iuxta Pontificalis Romani praescriptum (*a*). Verum quoniam publica vittarum delatio apud Infideles ludibrio exponere posset Sacramentum, ideo, si praevideatur hoc scandalum eventurum, consultius erit, vittas huiusmodi non adhibere; sed in hoc casu opus erit, ut Sacerdos, postquam frontes Confirmandorum linierit Sacro Chrismate, eas gossypio, mox comburendo, diligenter abstergat, ac deinde lavet (*b*).

Omnibus Confirmatis tergit cum mica panis, et lavat pollicem, et manus super pelvim: deinde aqua lotionis cum pane fundatur in piscinam Sacrarii, in qua reponi debent etiam supradictorum gossypiorum cineres.

Dum lavat manus, si adsint Ministri, cantatur, vel legitur sequens Antiphona: alias post lotionem ab ipso Sacerdote dicatur: *Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis a Templo Sancto tuo, quod est in Ierusalem: Gloria Patri etc.*

(*a*) De Confirmandis.

(*b*) S. Carolus Borr. in dict. V. Synodo Mediolanen.

Et repetitur Antiphona tono 8° *Confirma hoc Deus*, qua repetita, conversus ad Altare iunctis ante pectus manibus dicit:

℣. *Ostende nobis Domine misericordiam tuam.*

℟. *Et salutare tuum da nobis.*

℣. *Domine exaudi Orationem meam.*

℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

℣. *Dominus vobiscum.*

℟. *Et cum spiritu tuo.*

Iunctis vero adhuc ante pectus manibus, et omnibus Confirmatis devote genuflectentibus, dicit:

OREMUS.

Deus, qui Apostolis tuis Sanctum dedisti Spiritum, et per eos, eorumque Successores ceteris fidelibus tradendum esse voluisti, respice propitius ad humilitatis nostrae famulatum, et praesta, ut eorum corda, quorum frontes sacro Chrismate delinivimus, et signo Sanctae Crucis signavimus, idem Spiritus Sanctus in eis superveniens, templum gloriae suae dignanter inhabitando perficiat: Qui cum Patre et eodem Spiritu Sancto vivis, et regnas Deus in saecula saeculorum. ℟. *Amen.*

Deinde dicit: *Ecce sic benedicetur omnis homo, qui timet Dominum:* et vertens se ad Confirmatos, ac faciens super eos signum Crucis pariter dicit:

Bene ✠ *dicat vos Dominus ex Sion, ut videatis bona Ierusalem omnibus diebus vitae vestrae, et habeatis vitam aeternam.* ℟. *Amen.*

Expedita hoc pacto Confirmatione, Sacerdos sedens, juxta memoratum Pontificale Romanum (*a*), Patrinos, et Matrinas monet, quod instruant filios suos bonis moribus, unde fugiant mala, et faciant bona, et si forte in infantili aetate essent confirmati, ut suo tempore doceant eos *Credo in Deum*, et *Pater noster*, et *Ave Maria*, quoniam ad hoc sunt obligati.

Hoc Sacramentum potest conferri minus solemniter, et praesertim tunc cum in privatis domibus, vel extra Ecclesiam, seu

(*a*) Loc. cit.

Oratorium, pueris aegrotantibus, de quibus supra, conferendum est, vel etiam adultis, qui ad Ecclesiam quacumque ex caussa, legitima tamen, accedere nequeunt: In iis casibus Sacerdos non omittat uti saltem Stola, si superpelliceum habere non possit; cavere etiam debet, ne coram Haereticis, aut Schismaticis, et multo minus eis ministrantibus, confirmet.

Quod si tandem per Sedem Apostolicam alicui fieri potestatem contingat Confirmationem administrandi in Regionibus, in quibus, praeter Latinos, degunt Orientales Catholici, uti Sedes Apostolica illam largiri solet P. Guardiano Terrae Sanctae (*a*); non modo opus erit, ut supradicta diligenter observet, sed curabit etiam priusquam Orientalibus ipsis hoc Sacramentum conferat, ab Apostolica Sede instructionem petere, quo pacto se gerere debeat erga Orientales uniuscuiusque ritus.

Ut autem congruum quantocyus responsum accipiat, de nonnullis S. Congregationem de Propaganda Fide singillatim certiorem reddat oportet. Et primo quidem cuius ritus sint Orientales huiusmodi; an fuerint a quoquam confirmati, et a quibus, videlicet an a suis Episcopis, vel a Presbyteris propriae Nationis; an sponte petant confirmari; an Confirmationem commode a suis Episcopis recipere valeant; ac tandem an Confirmatio administranda sit in Dioecesi, in qua actu resideat Episcopus Orientalis, qui sit Confirmandi Ordinarius.

Quam Sacrae Congregationis Instructionem Sanctissimo D N. Clementi XIV. per me infrascriptum Secretarium eiusdem S. Congregationis relatam in audientia habita die prima Maii anni currentis Sanctitas Sua illam benigne in omnibus adprobavit, et omnino servari mandavit.

Datum Romae ex Aedibus S. Congr. die 4. Maii MDCCLXXIV.

Stephanus Borgia Secretarius.

(*a*) Vid. Constitut. Benedicti XIV. quae incipit *Demandatam coelitus*, in qua monetur Guardianus Terrae Sanctae, quomodo se gerere debet in confirmandis Graecis degentibus in loco, ubi Episcopus Graecus Catholicus jure suo et in propria Dioecesi non resideat, qui a simplici Graeco Sacerdote confirmati sint, et ab eodem Guardiano spone confirmari petant.

INDEX.

				Errata.	Corrige.
Pag.	7	lin.	36	clerici	clericis
»	13	»	8	eum	cum
»	14	»	6	Sucundus	Secundus
»	16	»	11	acquae	aquae
»	40	»	3	*Cl.*	*Cel.*
»	43	»	11	possioni	passioni
»	43	»	23	dulces clavo	dulces clavos
»	91	»	15	feretum	feretrum
»	94	»	33	bapstismalis	baptismalis
»	115	»	32	*spirito tuo*	*spiritu tuo*
»	118	»	16	aliqantulo	aliquantulo
»	125	»	20	urces	urceus
»	128	»	4	Parocus	Parochus
»	134	»	25	manum	manuum
»	136	»	21	infundel	infundet
»	145	»	20	cla-	clau-
»	165	»	2	ad dextra	ad dexteram
»	202	»	20	raminam	laminam
»					

CON APPROVAZIONE DELL'AUTORITÀ ECCLESIASTICA.

SACRARUM CAEREMONIARUM
MANUALE

LIBER V.

DE ELECTIONE EPISCOPI.

CAPUT I.

1. Summi Pontificis solius est Episcopos eligere.

2. Si Electus Romae degeret, supervacaneum esset opportuna tradere documenta, quum accipere ea possit a respectivis officialibus Curiae et ab ipsis Caeremoniariis apostolicis.

3. Sin Roma abesset, observandum erit quod praescribitur a Caeremoniali Episcoporum lib. I. cap. I. videlicet: simul ac nuncium suae promotionis officialiter acceperit, tonsuram sibi fieri iubebit ampliorem qua utuntur ceteri ecclesiastici: induetur habitu praelatitio cum rocheto et mantelleto, si extra dioecesim morabitur, cuius electus est Episcopus; sin in sua dioecesi erit, induetur mozzeta super rocheto. Si addictus esset alicui ordini regulari, utetur habitu, quem innuemus capite sequenti, ac si erit in sua dioecesi, non utetur mantelleto, sed mozzeta super vestem praelatitiam.

4. Scribet deinceps literas pro gratiarum actione ad Summum Pontificem et ad S. Collegium Cardinalium, quemadmodum iubet idem Caeremoniale capite superius notato.

5. Vicarius capitularis, quum nuncium officialiter acceperit de electione Episcopi, in omnibus ecclesiis urbis imperabit festivum campanarum sonum, et edicet etiam in tota dioecesi, ut die quadam in ecclesiis principalibus cantetur *Te Deum* cum orationibus praescriptis in Rituali pro gratiis Domino agendis, quod suum illi Ecclesiae Pastorem concesserit.

Si vigeat ibi consuetudo, fiet etiam processio cum interventu Cleri secularis et regularis eamdem ob rem.

6. Electus, acceptis Literis Pontificiis, tradet Mandatum subscriptionis primae Dignitati Capituli, vel alii iuxta morem, ut verbis eius in possessionem veniat coram tabulario et testibus. Deinde die et hora praestituta congregabitur Capitulum Cathedralis in aulam capitularem, quo veniet praedictus Procurator cum tabulario ac testibus et exhibebit mandatum Literasque Pontificias.

7. Procurator sedebit loco sibi attributo et a tabulario legentur tum Literae Pontificiae, tum instrumentum eius destinationis seu muneris procuratorii.

8. His, ut supra, expletis, praedictus Procurator, genibus flexis super pulvinum, leget formulam professionis Fidei, quam iurabit verbis sui committentis: deinde duo seniores Capituli medium inter se accipient et ad ecclesiam comitabuntur Procuratorem Episcopi, qui cum ipsis procedet ad Altare primarium, brevi orabit in medio gradu infimo, ascendet ad Altare et in medio osculabitur illud. Postea deducent eum ad sedem seu thronum Episcopi, in quo paulisper sedebit; postremo iterum deducent eum in aulam capitularem ibique sedens loco Episcopi, allocutionem verbis eius ad Capitulum habebit, sensus ab eo sibi creditos exponens.

9. Transeuntes per ecclesiam, deducent eum ad Episcopium. Ibi aperiet claudetque portas et perfungetur omnibus actionibus praescriptis in Mandato procuratorio, qua super re a tabulario fiet coram testibus publicum instrumentum.

10. Hac actione completa, supra portam Cathedralis et in ceteris locis consuetis suspendetur stemma novi Episcopi.

11. Ipso possessionis actu desinunt facultates Vicarii capitularis, eaque de caussa Episcopus nominabit suum Vicarium generalem, qui dioecesim administret usque ad suum adventum; nominabit etiam reliquos Episcopalis Curiae officiales, si opus fuerit.

12. Quod ad consecrationem et traditionem etiam S. Pallii, si fuerit Archiepiscopus, servabuntur ea, quae tradentur capitibus 4. 5. et 8. libri. VII.

13. Episcopus autem indicabit diem sui adventus pro primo ingressu, ut docebitur cap. III. huiusce libri.

DE HABITU EPISCOPI

CAPUT II.

1. Habitus ordinarius Episcopi semper laneus esse debet, nunquam sericus; ita tamen, ut panni genus conveniat anni tempori.

2. Duo sunt colores qui in habitu Episcopali praecipiuntur, *violaceus* nempe ac *niger*. Hoc ultimo colore utitur in diebus luctuosis, ut deinceps tradetur.

3. Forma habitus est vestis talaris cum syrma, quae ope fibulae cum ocello firmatur in parte postica ad extremum dorsum, et solvitur in functionibus solemnibus, ut notabimus respectivis capitulis. Vestis talaris violacea habebit ocellos, et orbiculos sericeos, coloris rubini, quibus clauditur ex parte antica, et orae textus pariter sericos eiusdem coloris in extremitatibus: serici etiam et coloris rubini erunt paramanus in extremitatibus manicarum, qui medium ferme palmum romanum in longitudinem patebunt. Supra vestem talarem praecinget sibi lumbos fascia serica concolore vesti talari, videlicet aut violacea aut nigra, et binae eius extremitates defluentes super latus sinistrum ornabuntur duobus floccis sericis eiusdem coloris.

4. Formae eiusdem, ac supra, erit vestis talaris nigra, sed habebit orbiculos, ocellos, orae textus et paramanus e serico coloris violacei. Fascia erit sericea coloris item nigri cum floccis similibus (*a*).

(*a*) Demirabitur fortasse quispiam quae de habitu coloris nigri ab Episcopo utendo docuimus. Ea tamen praescribuntur a Caeremoniali Episcoporum lib. I. cap. 3. n. 2. « Episcopum decet uti vestibus laneis et

5. Supra vestem talarem Episcopus sibi induet rochetum exornatum textili pinnato convenienti, quod in extremis manicis ut melius custodiatur poterit contegi paramanu serico coloris respondentis vesti talari quam induet.

6. Supra rochetum induet mozzetam seu violaceam seu nigram, respondentem colori vestis talaris. Mozzeta violacea erit ex toto subsuta serico coloris rubini, quo modo erunt etiam fibulae, ocelli et orae textus. Nigra autem erit subsuta et ornata, ut supra, sed panno serico violaceo.

7. Etiamsi Caeremoniale non praescribat usum Crucis pectoralis, solent tamen Episcopi illa uti supra habitum ordinarium, ideoque Crux pectoralis deberet esse appensa chordulae sericeae viridis coloris auro intermixtae (*a*).

nigri coloris . . . » At enim dicet aliquis, hanc non esse praescriptionem, sed simplex consilium, eo quod Caeremoniale utitur verbo *decet.* Sane: sed in eodem Caeremoniali etiam alibi usurpatur verbum illud in rebus quoque strictim obligantibus. Quis enim neget, Episcopum obligari ad invigilandum bono spirituali sui gregis et oportere, ut bonis exemplis dux ei sit ac magister? Atqui hoc etiam loco Caeremoniale utitur verbo *decet*, ut videre est lib. II. cap. 38. n. 2. « Nam Episcopum decet, non solum verbo, sed etiam opere et exemplo usque ad extremum vitae spiritum alios docere et ad viam salutis dirigere ». Hanc igitur expressionem non simplex consilium, sed meram obligationem importare facile dignoscitur. Addendum, quod Caeremoniale conditum ad eum finem fuit, ut Episcopi et Ecclesiae ipsis subiectae modum et regulam habeant, quam sequantur in sacris functionibus peragendis, eaque de caussa haberi potest tamquam codex legum. Lex quidem non suadet, sed iubet. Usus autem vestium nigrarum in Episcopis cohaeret cum usu Emin. Cardinalium, qui diebus luctuosis dimittunt purpuram et habitu violaceo induuntur. Nec novum et inusitatum est Episcopum uti habitu nigro. P. Antonius Caracciolo, Clericus regularis in notis ad Constitutiones suae Congregationis parte II. cap. 2. antiquissimum esse demonstrat Episcoporum usum adhibendi habitum nigrum. Sisinnius Episcopus Novatiana haeresi infectus, usus est vestibus albis de more suae sectae, ut scribit Socrates lib. VI. cap. 20. quumque in domo Arsacii Episcopi Constantinopolitani obiurgaretur, quare eiusmodi vestes indueretur, respondit « Tu prius dic mihi ubi sit scriptum, Episcopum debere nigra veste uti », Quibus verbis obiicere volebat Arsacio ceterisque Episcopis catholicis, quod uterentur vestibus nigri coloris. Conf. Collectionem Conciliorum, ubi extant leges contra luxum et pompam habitus clericorum.

(*a*) Caeremoniale Episcoporum quo loco agit de habitu ordinario Epi-

8. Color caligarum et collaris respondebit colori vestis.

9. Haec est forma et hic color habitus ordinarii, quo uti debent Episcopi in sua dioecesi, quum in publicum prodeunt ad aliquam functionem peragendam, vel ad quamcumque aliam actionem, quae ad ipsos pertineat; eodem uti pariter debent in congregationibus, quas convocant apud se et in examinibus ordinandorum.

10. Extra suam dioecesim debent induere mantelletum simile vesti talari, et habebit reflexus sericeos et orae textus coloris rubini, si violaceum, et coloris violacei, si nigrum erit. Mantelleto utuntur Episcopi extra dioecesim ut cooperiatur rochetum, quoniam sola mozzeta imposita rocheto indicat iurisdictionem, qua gaudet Episcopus in sua dioecesi, qua di-

scopi (lib. 1. cap. I.) non praescribit utendam esse Crucem pectoralem supra mozzetam aut supra mantelletum. Extensor illius videtur, strictim loquendo, non considerasse Crucem hanc ut ornamentum pontificale. Et re sane vera ab antiquo Ordine Romano *qualiter Episcopus in Ecclesia Romana ordinetur*, inter ornamenta pontificalia non enumeratur. Praeterea vetustiores rerum sacrarum scriptores, videlicet Amalarius Fortunatus *de officiis ecclesiasticis*, Rabanus Maurus de *institutione clericorum*, Alfridius Strabo, Berno Abbas Augiensis, Micrologus, Ivo Carnutensis et Honorius Augustodunensis idem silentium servant de Cruce pectorali, eam nempe inter pontificalia ornamenta non recensent. Id tamen mirandum non est, siquidem Cruce pectorali utebantur quondam fideles omnes, qui Religionem christianam profitebantur. Ac silentio praeteritis, brevitatis gratia, auctoritatibus quas proferre possemus, iuvabit memorare tantum, quod in actis S. Ephisii Calaritani, qui passus est sub Diocletiano, narratur imperator ille poena capitis proposita vetuisse aurifices elaborare huiusmodi Cruces, quibus Christiani sine distinctione utebantur etiam crudescente persecutione. Fine deinde persecutionibus imposito et christiana Religione in universum propagata, hic mos paullatim obsolevit et ab Episcopis tantum retentus est. Usus autem ipsius an existimari debeat tamquam indicium iurisdictionis et idcirco abdenda intra vestem ab Episcopo sit, quum extra suam dioecesim moratur, contrariae sententiae sumus. Ratio, qua movemur, est quod, praecise loquendo, reputari non potest ut ornamentum episcopale absolutum, siquidem in functione consecrationis Episcopi, quum Electus in principio paratus est vestibus sacris, Crux imponitur ei a cappellano, qui praedictis vestibus ipsum induit; e converso, baculus, annulus, mitra et chirothecae cum praescriptis precibus et formulis imponuntur ei a Consecratore. Aequivocationem arbitramur ex eo provenisse, quod Crucem Archiepiscopalem, quae ante Archiepiscopum defertur, confuderint cum Cruce

stinctione non licet amplius uti, quum de sua dioecesi egreditur.

11. Quod ad biretum, erit nigri coloris sericum aut laneum; solent autem uti laneo in hieme, serico in aestate. Galerus usualis erit formae communis et instructus erit flocco seu fascia serica viridis coloris sine ullo ornamento aureo.

12. Si Cardinalis veniet in dioecesim Episcopi, hic coram illo utetur supra rochetum mantelleto cum mozzeta. Dimittet autem etiam mozzetam, quamvis esset in sua dioecesi, si Cardinalis esset Legatus a latere Summi Pontificis, dummodo Legatus praedictus esset intra limites suae legationis. Id ipsum factitabit Romae, et ubi resideat Summus Pontifex extra Urbem, si forte peregre abierit, vel alia de caussa Roma abesset (a).

pectorali. Illa iurisdictionem prae se fert, ideoque non licet Archiepiscopo eam adhibere extra suam provinciam, neque coram Praesule superiori. Nihilominus hanc nostram opinionem iudicio eorum, ad quos spectat subiicimus. Utile autem videtur referre partem ex ipso textu epistolae a Sum. Pont. Benedicto XIV. ad Praesulem Philippum Acciaioli Archiepiscopum Petrae Nuncium Apostolicum apud aulam Lusitanam. « Rapporto all'uso che » ci avvisa essersi costà introdotto, che i Vescovi ed il Nunzio non portino » nè in città, nè a Corte la Croce pettorale, dirò assolutamente che questo » è un vero abuso. Il distintivo della dignità vescovile è la Croce petto» rale, nè si trova nel corpo canonico legge, nè vi ha de' Pontefici nostri » predecessori costituzione veruna, per mezzo della quale venga proibita » la delazione della Croce pettorale ai Vescovi, che si trovano nelle dio» cesi de' Patriarchi, Arcivescovi e Primati. Cotesti maestri delle cerimo» nie avranno appreso una tal grazianata da questi nostri di Roma, impe» riti nelle leggi canoniche, i quali hanno proibito di portare la Croce ai » Vescovi. Noi abbiamo sempre accolto ogni Vescovo, che siasi presentato » a Noi colla Croce, com' è più volte succeduto agli oltramontani, che non » hanno dato orecchio alle insinuazioni di costoro. Ella intanto procuri di » comparire in città ed alla Corte, come ancora in occasione di far visita » al Cardinal Patriarca, e se le venisse detto che i suoi antecessori non » la portavano, risponda che questo fu un vero abuso, e che è mente no» stra che ella la porti, e ci renda intesi di ciò che avverrà. »

(a) Romae nunquam Episcopi utuntur mantelleto, sive habitu praelatitio nigri coloris, excepto tempore Sedis Apostolicae vacantis. De usu mozzetae Episcoporum coram Cardinalibus non Legatis extat decretum S. Congregationis Rituum, notatum num. 454. quo asseritur vigere in Italia morem, ut mozzeta ab Episcopis deponatur, si adsit quicumque Cardinalis.

13. Episcopi regulares colorem habitus suae religionis retinebunt in vestitu praelatitio et interdicitur eis usus cuiusvis ornamenti coloris violacei. Numquam utentur rocheto, et quum sacra paramenta induere debebunt, loco rocheti assument superpelliceum, quo induentur postquam dimiserint cappam aut mantelletum cum mozzeta ac priusquam lavent manus.

14. Clerici regulares eodem vestitu utuntur quo Episcopi assumpti de Clero seculari, et regula eadem servabitur ab Episcopis, qui deligentur ex ordine seu congregatione Canonicorum regularium, ex ordinibus militaribus, nempe S. Ioannis Hierosolymitani, S. Iacobi, S. Spiritus et reliquis.

15. Episcopi praeterea habebunt cappam, quae magna appellatur, quia ex parte anteriori debet pertingere usque ad terram, et ex parte posteriori habere debet longam syrmam. Cappa Episcoporum secularium erit semper lanea et coloris violacei: pannus autem erit plus minusve levis pro anni temporum diversitate: ante pectus et super humeros habebit caputium in hieme, videlicet ex primis Vesperis ante festum omnium Sanctorum usque ad Missam Sabbati sancti ornatum erit pellibus albis mustelae alpinae, et a Sabbato sancto usque ad praedictum festum omnium Sanctorum tela serica coloris rubini.

16. Episcopi regulares tam in cappa, quam in pellibus et in tela serica caputii utentur colore habitus suae familiae.

17. Quod ad Episcopos assumptos ex congregationibus clericorum regularium aut Canonicorum regularium, vel ex ordinibus militaribus, observentur ea quae superius num. 14. huius capituli tradita sunt.

18. Notandum autem, quod Episcopus uti cappa debet in sua tantum dioecesi, neque uti ea licet extra dioecesim, quamquam plures una convenirent Episcopi, quemadmodum usuvenit in provincialibus Conciliis. Romae ab Episcopis adhibetur reflexa seu contracta in Sacello Pontificio solummodo, quoniam ibi Collegium repraesentant, et quia cappa est indumentum omnibus Praelatis commune, qui functionibus Pontificiis interveniunt.

19. Debet etiam Episcopis suus esse galerus pontificalis,

qui forma et colore est communis omnibus tum secularibus, tum etiam regularibus. Forma galeri est orbicularis, coopertus panno laneo nigro ex parte superiori, et panno serico viridi ex inferiori, cum resticulis et floccis e serico viridi, quibus possit cohiberi in capite. Galerus iste, quo utentur in equitatibus solemnibus, appendetur ad pedes lecti funebris in obitu eorum et suspendetur sublime ad lacunar seu tabulatum ecclesiae supra ipsorum sepulturam.

20. Opus esset etiam habitu viatorio, iis coloribus quos superius respective indicavimus. Habitus viatorius est vestis talaris, quae ultra genu descendit, sine syrma, cui imponitur mantelum cum manicis sive alis, quae descendant aeque ac vestis: supra mantelum adesse deberet fascia serica nigri coloris circa collum, quae descendat ex parte anteriori et vulgo dicitur reflexus seu collare. Haec tamen forma vestitus non ita pridem obsolevit: item in diebus pluvialibus opus esset penula amplior ex panno colorum quos indicavimus. Quum autem nunc soleant Episcopi iter facere curru vecti, videretur non esse amplius habitu viatorio locus ac si forte peregrinentur, vestitu utentur convenienti personae, quam repraesentant.

21. Dies, quibus Episcopi uti debent habitu nigri coloris sunt sequentes:

22. Omnes dies esuriales, in quibus scilicet indictum est ieiunium, vel si ex indulto Apostolico ieiunium antiquatum est, celebratur officium aut commemoratio. Excipiuntur ex hac regula vigilia Pentecostes et quatuor tempora aestiva, quoniam indicunt in tempus paschale. Excipiuntur etiam vigiliae, quae occurrere possent intra octavas SS. Corporis Christi, Assumptionis B. Virginis, omnium sanctorum, Sancti titularis Cathedralis, Patroni civitatis, et Dedicationis Cathedralis.

23. In omnibus feriis sextis intra annum, in quibus celebraretur officium de ritu semiduplici aut simplici.

24. In Adventu et a Septuagesima usque ad Sabbatum Sanctum. In Quadragesima autem excipitur festum S. Iosephi Patroni Ecclesiae Catholicae, festum Annunciationis B. Virginis, in quo propter solemnem memoriam divinae Incarnationis

adhibebitur color violaceus. Si festa haec incident in Dominicam Palmarum et in maiorem hebdomadam adhibebitur color niger.

25. Color violaceus a primis Vesperis S. Natalis usque ad totam octavam Epiphaniae ac toto paschali tempore, in usu erit semper, quodcumque sit officium, quod incidat in diem.

26. Si in dies exceptos num. 22. 23. et 24. incideret anniversarius electionis aut consecrationis Episcopi, vel alia circumstantia publicae laetitiae, color violaceus adhibebitur.

27. Reliquis omnibus anni diebus non comprehensis in exceptionibus superius notatis num. 22. 23. et 24. adhibebitur semper color violaceus.

28. In officiis pro defunctis, videlicet in commemoratione omnium fidelium defunctorum, in anniversario ultimi Episcopi defuncti in sua sede, in anniversario omnium Episcoporum et in aliis funeribus sive anniversariis Episcopus utetur habitu nigri coloris.

29. In S. Visitatione dioecesis utetur diebus statutis habitu violaceo, etiamsi in ipsa visitatione obeunda absolutio pro defunctis facienda sit.

30. Quod ad colorem utendum in habitu praelatitio ab Episcopis regularibus, supervacuum non erit praxim in aula Pontificia servatam innuere, dum tamen non est animus privilegia concessa ordinibus regularibus imminuere, neque ipsos impellere ad nostra sequenda documenta, si forte obstarent cuidam ex privilegiis, quibus fruuntur.

31. Canonici regulares, Clerici regulares qui vulgo appellantur Theatini, et ceteri, nempe Barnabitae, Somaschi, Iesuitae, Minores, Ministri infirmorum, Matris Dei, scholarum piarum, insuper qui addicti sunt Congregationibus Oratorii, Doctrinariorum, Missionariorum, piorum Operariorum, Missionariorum Pretiosissimi Sanguinis: Passionistarum et SS. Redemptoris induunt eumdem habitum ac Presbyteri seculares, ut supra monuimus.

32. Monachi Basiliani utuntur veste talari cum syrma nigri coloris, cum ocellis, orbiculis, paramanibus et orae textu e serico nigro, item fascia sericea nigra cum flocculis simili-

bus, caligis et collario nigro, mantelleto et mozzeta simili vesti, cum panno subsuto, orbiculis, ocellis et orae textu e serico nigro. Cappa quoque est nigri coloris cum pelle nigra in caputio hiemis tempore et cum serico nigro in aestate.

33. Monachi Cassinenses idem habent indumentum ac Basiliani.

34. Monachi Camaldulenses utuntur collario et caligis albis, veste talari cum syrma lanea subtili cum orbiculis, ocellis, paramanibus et orae textibus e serico albo, fascia sericea alba cum flocculis similibus, mantelleto et mozzeta, ut veste, subsuta serico albi coloris cum orae textibus et orbiculis similibus. Cappa est coloris albi cum pelle pariter alba in caputio hiberno tempore et cum serico albo in aestate.

35. Monachi Vallumbrosani eodem quo Cassinenses induuntur habitu.

36. Camaldulenses Heremitae vestiuntur ut ceteri Camaldulenses, sed pannus eorum habitus est minus levis.

37. Cistercienses utuntur collario et caligis et veste albi coloris cum syrma, cum orbiculis, ocellis, paramanibus et orae textibus e serico albo, fascia sericea alba cum flocculis similibus, mantelleto et mozzeta nigra cum orae textibus, ocellis et panno subsuto e serico nigro. Cappa autem est lanea nigra cum serico albo in caputio aestivo et cum pelle albi coloris hiberno tempore.

38. Cistercienses reformati, qui et Trappenses dicuntur, eodem habitu utuntur, sed panno rudiori.

39. Olivetani, ut Camaldulenses itemque ceteri e Congregatione quae nuncupatur de Monte Virgine.

40. Silvestrini, ut Cassinenses, sed color vestium et cappae est caeruleus obscurus.

41. Hieronymiani, ut Cistercienses, sed loco coloris nigri utuntur colore pullo.

42. Carthusiani, ut Cistercienses reformati.

43. Dominicani induunt caligas et collarium albi coloris, vestem cum syrma albi coloris cum paramanibus, orbiculis ocellis et orae textibus e serico albo, fasciam sericam albam cum floccis similibus, mantelletum et mozzetam nigram, cum

panno subsuto, ocellis, orbiculis et orae textibus e serico albo, cappam nigram cum pelle alba in caputio hiemis tempore et cum serico albi coloris in aestate.

44. Minores Conventuales, Minores Observantes et eorum variae instaurationes ac tertius ordo S. Francisci utuntur collario et caligis coloris cineracei, veste talari cum syrma eiusdem coloris cum ocellis, orbiculis, paramanibus et orae textibus sericis coloris eiusdem, fascia sericea cum flocculis similibus coloris praedicti, mantelleto et mozzeta, ut veste talari, cappa coloris eiusdem cum pelle simili in caputio in hieme et cum serico in aestate.

45. Capuccini deberent easdem vestes adhibere ut Franciscani, sed non multis abhinc annis admiserunt colorem pullum tum in habitu cum in cappa; antiquitus sane induebantur ut Franciscani. Primus qui colorem in habitu mutavit, fuit Fr. Fridericus Bencivenga a Sum. Pont. Pio VII die 14 Aprilis 1817 electus ad sedes Brictinoriensem et Sarsinatensem simul coniunctas.

46. Augustiniani Heremitani, ut Monachi Cassinenses.

47. Carmelitani seu de antiqua observantia seu reformati induunt collarium et caligas pulli coloris, vestem talarem cum syrma eius coloris, cum paramanibus, ocellis, orbiculis et orae textibus e serico eiusdem coloris, fasciam sericeam cum flocculis similibus concolorem vesti talari, mantelletum et mozzetam albi coloris cum panno subsuto, orae textibus, ocellis, et orbiculis e serico albo, cappam coloris pulli in hieme cum pelle albi coloris in caputio et cum serico albo in aestate.

48. Servitae, ut Augustiniani.

49. Mercedarii, ut Camaldulenses; sed collo appensum chordula albi coloris supra vestem talarem ferunt stemma sive insignia eis concessa in Ordinis institutione a Iacobo I. Celtiberiae rege, quae insignia respondent in pectore sub mantelleto et mozzeta.

50. Trinitarii calceati et Trinitarii reformati, ut Camaldulenses; sed supra mozzetam in sinistra pectoris parte ferunt Crucem, rubri et caerulei coloris formae respectivae, qua ipsi utuntur. Pannus, quem adhibent Trinitarii reformati, est minus levis.

51. Minimi, ut Augustiniani.

52. Hieronymiani a B. Pietro Pisano, ut Capuccini.

53. Biretum erit aequale universis, nigri coloris, ut secularibus, et quod ad Regulares praedictos semper esse laneum deberet. Galerus autem usualis et alter pontificalis erit aequalis galero Episcoporum e Clero seculari, ut superius declaratum est.

54. Notandum praeterea, quod Dominus Noster Pius IX, quem Deus sospitet, recurrente solemni celebratione centenarii de martyrio SS. Apost. Petri et Pauli benigne omnibus Episcopis concessit usum pileoli violacei edito Brevi. *Ecclesiarum omnium* diei 17. Iunii 1867.

55. Monemus denique, quod quatuor Patriarchis tantummodo, Constantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno ac Hierosolymitano concessum fuit a Benedicto XIII. uti mozzeta supra mantelleto, prout ex literis Apostolicis *Romanus Pontifex* diei 30. Septemb. an. 1724. quodque his solis Patriarchis tributus fuit a S. Cong. Caeremoniali die 3. Novembris an. 1826. usus flocci viridis auro immixti in galero usuali.

DE INGRESSU SEU PRIMO ACCESSU EPISCOPI AD SUAM ECCLESIAM CATHEDRALEM

CAPUT III.

1. Postquam Episcopus consecrationem Episcopalem Romae vel alibi acceperit, iuxta dispositiones Pontificias, veniens in suam dioecesim, cum solemni pompa ingredietur in eam urbem, in qua statuta erit eius principalis residentia.

2. In Caeremoniali Episcoporum lib. I. cap. 2. describi-

tur ritus observandus in his rerum adiunctis, quem nos methodo in aliis functionibus servata, hoc capitulo exponemus.

3. Novus Episcopus a Summo Pontifice consequetur aliquam gratiam spiritualem et praesertim indulgentiam plenariam lucrandam a fidelibus, qui intererunt primae Missae pontificali ab eo celebrandae in Cathedrali.

4. Disponenda curabit ea omnia, quae opus sunt in itinere, insuper omne vestiarium supra dictum, paramenta sacra, cappam et galerum pontificalem pro primo ingressu, ornamenta et stragula equorum in eodem adhibenda etc.

5. Praemittet ad suam dioecesim literas pastorales affigendas et distribuendas, et altero edicto diem sui ingressus praefiniet.

6. Vicarius generalis literas et edictum mandabit evulgandum et affigendum, et operam dabit ut omnia parata et disposita sint pro illa pompa. Deinde ad hanc ipsam rem indicet processionem, cui debet obligatorie intervenire Clerus tantum secularis (*a*).

7. Ecclesia parabitur more festivo, ut in functionibus perquam solemnibus, ac si nondum appensum erit, appendetur stemma novi Episcopi in fronte ecclesiae, ut superius cap. I. huiusce libri monuimus.

8. Magistratus, seu qui civitatem repraesentant, invitabunt cives ad exornandos aulaeis ac tapetis externos domorum parietes in omnibus vicis, qua transibit processio.

9. Pariter urbis porta, qua ingredietur solemniter Episcopus, peristromatis exornabitur.

10. Emundandae ac verrendae sunt viae per quas transibit processio.

11. Praeparabitur extra praedictam urbis portam locus aliquis parum distans, in quo possit Episcopus aliquandiu conquiescere et indui vestibus praelatitiis.

12. Intra eamdem urbis portam praeparabitur Sacellum,

(*a*) Si forte erit in moribus patriis, ut processioni interveniant Confraternitates et Ordines regulares, servabitur quidem; est enim actus maioris obsequii, quod erga Superiorem ostenditur.

si quod erit; secus erigetur tentorium aliquod decens, ubi possit Episcopus sacris indui paramentis.

13. Praefinietur etiam a quibus deferendum sit baldachinum in itinere, quod si breve non esset, statuetur locus, ubi commutari delatores eius debebunt.

14. Adventus autem Episcopi nunciabitur campanis omnium ecclesiarum aliquanto temporis spatio sonantibus pridie vel diebus praecedentibus iuxta dispositiones, quae a Curia Episcopali emittentur.

De rebus praeparandis.
Quo loco subsistet Episcopus extra urbem

15. Praeparabitur habitus praelatitius pro Episcopo, videlicet vestis talaris cum fascia, rochetum, mozzeta et biretum. Si visitationes ibi erit excepturus Magistratus aliorumque virorum nobilium, curabitur ut locus sit decens.

16. Aderit etiam cappa pontificalis cum galero pontificali.

17. Vestiarium pro familiaribus Episcopi.

18. Si fieri soleat equitatus, parati erunt equi cum suis phaleris plus minus nobilibus et exornatis pro dignitate uniuscuiusque.

19. Aderunt etiam scabella lignea facile deportanda, in commodum eorum, qui conscendere equum debebunt, si forte vestis talaris esset eis incommodo aut impedimento, quominus facile conscenderent.

Ad portam urbis.

20. Porta paratibus, aulaeis et ornamentis, quae sint ad rem, exornabitur.

21. Praeparabitur tapetum cum pulvino extra portam sternendum, in quo geniculabit Episcopus, ut infra.

In sacello seu tentorio apud portam, in quo se parabit Episcopus.

22. Locus iste decenter ornabitur, ibique statuetur faldistorium cum tegumento albi coloris positum super tapeto.

23. Praeparabitur abacus maior coopertus mappa, in quo disponentur paramenta albi coloris pro Episcopo, videlicet mitra pretiosa cum vimpa seu velo induendo a Cappellano ipsius, formale pretiosum, pluviale cum stola albi coloris, Crux pectoralis, cingulum, alba et amictus. Paramenta haec albo velo cooperientur. Prope abacum aderit baculus pastoralis: super eodem, superpelliceum pro Caudatario, et alterum pro Crucifero, si fuerit Archiepiscopus et parva imago Crucifixi in lance argentea, albo velo contecta.

24. Extra sacellum seu tentorium praeparatum erit baldachinum albi coloris, sub quo incedet Episcopus.

25. Si Episcopus vectus erit equo, aderit scabellum ligneum et alter equus instructus phalera albi coloris cum stragulo nobili eiusdem coloris.

In ecclesia cathedrali.

26. In limine portae praeparabitur tapetum, super quo subsistet Episcopus.

27. Supra portam externam ecclesiae vel in fronte ipsius affigetur stemma gentilitium Episcopi.

In altari SS. Sacramenti.

28. In Altari ardebunt sex cerei toto functionis tempore. Conopoeum tabernaculi seu ciborii et pallium erunt coloris congruentis officio diei.

29. Ante Altare praeparabitur faldistorium cum pulvinis albi coloris, in quo geniculabit Episcopus.

In Altari maiore.

30. Instruetur sex candelabris nobilibus cum suis cereis, cum Cruce aequali candelabris: in fronte ipsius apponetur pallium albi coloris nobile et gradus nobili tapeto sternentur.

31. In Altari a latere Epistolae ponetur legile cum pon-

tificali (parte 3.) in quo inseretur oratio de Sancto Titulari recitanda ab Episcopo. Ante pedem Crucis ponetur Canon pontificalis pro benedictione ab Episcopo largienda. Aderit etiam scotula cum candela et tabella cum formula Indulgentiae.

32. Ante Altare statuetur faldistorium cum pulvinis albi coloris, in quo geniculabit Episcopus.

33. Thronus parabitur pannis sericeis albi coloris ac tapeto super gradibus. A lateribus Cathedrae eisdem item pannis ornatae aderunt duo scabella pro Diaconis assistentibus.

In Sacrario.

34. Praeparabitur pluviale albi coloris, quo induetur dignior Cleri, sed curabitur ut ornatu et qualitate sit inferius pluviali, quo utetur Episcopus.

35. Aderit etiam Crux processionalis, duo candelabra cum candelis pro Acolythis, vasculum aquae benedictae cum aspersorio ac thuribulum cum navicula.

36. Si fuerit Archiepiscopus non opus est Cruce processionali.

37. Pro cantoribus necesse est Pontificale, ex quo canentur antiphonae ibi notatae.

38. Statuetur etiam, qui psalmi quique hymni cantandi sint in itinere.

In functione.

39. Hora praestituta festivo Cathedralis campanarum sono functionis initium nunciabitur.

40. Clerus in Sacrarium Cathedralis congregabitur, discessurus inde in processionem versus portam urbis (a)

41. Dignior Cleri induetur pluviali albi coloris supra rochetum aut superpelliceum, et Acolythi accendent cereos in candelabris.

(a) Si processioni intervenient Confraternitates et Regulares, congregari debebunt in Cathedralem, ubi deinde cum Capitulo illius in processionem se ordinabunt.

42. Qui clerici destinati sunt ferendo vasculum aquae benedictae ac thuribulum, manebunt in Sacrario. Clericus alter custodiet habitum choralem dignioris Cleri, utendum ut infra.

43. Ante Clerum praeibit Crux cum Acolythis; quod si fuerit Archiepiscopus, Crux non deferetur. Qui de Clero sunt, incedent bini eodem ordine ac in processionibus, et dignior pluviali paratus Clerum in fine sequetur.

44. Ad urbis portam erit Magistratus et nobilium ordo, ut obsequium praestet et comitetur Episcopum.

45. Clerus extra portam urbis exibit. Crux cum Acolythis subsistet prope portam, ulterius cantores, tum Clerici Seminarii, Parochi, Collegiatae, Beneficiarii et Canonici Cathedralis.

46. Unus e clericis ad portam progressis accipiet Crucifixum albo velo contectum (quod iam praeparatum erit cum paramentis Episcopi) et se sistet in limine portae.

47. Qui clerici ministrare paramenta Episcopo debebunt, una cum cappellanis a baculo et a mitra ingredientur in Sacellum seu locum illum, in quo parandus erit Episcopus.

48. Ne diutius quam par est expectet Clerus ad portam urbis, neve ante tempus adveniat Episcopus, conveniet in antecessum inter utrumque de hora, ut Episcopus perveniat paullo post adventum Cleri.

49. Episcopus iam indutus vestibus praelatitiis, cappa et galero Pontificali, ex equo descendet, si equitabit, et subsistet quo loco aderunt ultimi seu digniores de Clero.

50. Proficiscetur Crux et sequetur Clerus, introeunte in urbem Episcopo.

51. Ut steterit il limine Episcopus dimittet galerum pontificalem, et capiti detracto caputio cappae, geniculabit in pulvino. Dignior Cleri accipiet a clerico Crucifixum, quem praebebit Episcopo, et hic genibus flexis osculabitur eum.

52. Cantores interea cantabunt antiphonam *Sacerdos et Pontifex* etc.

53. Episcopus assurget, caput rursus cooperiet caputio, introibit in urbem et recta perget ad locum in quo sacris paramentis induendus erit.

54. In eumdem locum intrabunt Canonici Cathedralis, si capax locus erit, sin minus, Diaconi assistentes tantum.

55. Clerus manebit in via, expectans tempus incedendi in processionem.

56. Si nobilium ordo et Magistratus in hac functione equitabunt, quo tempore se parabit Episcopus se in ordinem disponent ante Clerum.

57. Episcopus ingressus in sacellum seu locum praedictum sedebit in faldistorio et interea clericis distribuentur paramenta.

58. Caudatarius induet superpelliceum, itemque Crucifer, si fuerit Archiepiscopus. Hoc casu Acolythi candelabra gestantes, aderunt in sacello, ubi parabitur Episcopus.

59. Deinde Episcopus adiuvantibus Caeremoniario et Diaconis assistentibus, dimittet cappam et cubicularius expediet ei partem posteriorem vestis. Diaconi assistentes eum parabunt amictu, alba, cingulo, Cruce pectorali, stola et pluviali albi coloris, cui imponetur formale pretiosum. Postea primus Diaconus assistens imponet Episcopo mitram.

60. Interea ordine sequenti instruetur processio. Famuli Magistratus et Episcopi cum familiariis vestimentis nobilibus, cives equo vecti, familiares nobiles Episcopi equo vecti, Magistratus, Nobiles et principes equo vecti, tum clavigeri ecclesiae, siqui erunt, cum suis insignibus; Crux Cleri delata a Subdiacono vel a Clerico induto superpelliceo, inter Acolytos gestantes candelabra cum candelis; cantores induti superpelliceo, qui cantabunt psalmos et hymnos cum concentu alternatim cum Clero; alumni Seminarii bini bireto capiti imposito; Parochi induti suis insignibus, si quae habebunt, secus superpelliceo; Collegiatae cum suis vestibus distinctis, si utentur; Beneficiarii Cathedralis; Canonici ejusdem; postremo dignior Capituli indutus pluviali albi coloris. Si fuerit Archiepiscopus, Crux archiepiscopalis cum imagine Crucifixi, conversa ad Archiepiscopum inter Acolythos, incedet ante Canonicos tantum, non ante totum Clerum.

61. Episcopus sinistra accipiet baculum et medius inter Diaconos incedet sub baldachino sustento a Nobilibus et a

Magistratu, vel ab aliis, ad quos sive ex usu, sive ex privilegio spectabit deferre. Episcopum sequentur Caudatarius et Cappellani a mitra et a baculo.

62. Si Episcopus equo insidebit, postquam conscenderit equum, intrabit sub baldachinum. Diaconi assistentes incedent ante baldachinum, et ante Diaconos ibit Cappellanus a baculo, ferens ipsum elatum. Fraenum equi sustinebitur ab armigero veste formali induto.

63. Prope Episcopum equitabunt. Praelati ac togati, siqui aderunt.

64. Nisi Episcopus erit equo vectus, ne ceteri quidem equitabunt. Si mos erit, ut Clero seculari adiungatur regularis et Confraternitates laicorum, incedent eodem ordine quo in processione de SS. Corpore Christi, iique omnes qui in equis procedent ante Clerum secularem, ne processio equitatu abrumpatur, praeibunt Confraternitatibus initio processionis ipsius. Quod si pedibus ibunt, locum occupabunt Magistratui attributum a Caeremoniali, videlicet ante Clerum secularem.

65. Episcopus benedictionem populo dextera largietur.

66. Dum processio ad Cathedralem accedet, praesto erunt ad portam duo clerici cum thuribulo et cum vasculo, et aliquis ecclesiae inserviens ante portam ipsius explicabit tapetum.

67. Confraternitates et Clerus regularis, si aderit, disponetur in ordinem per ecclesiam.

68. Clerus saecularis subsistet in medio navis principalis; Crux cum Acolythis in capite Cleri, qui in duas alas dirimetur, singulis aliquantulum ad portam conversis.

69. Episcopus si equo insidebit, ex eo descendet ante gradationem templi, ubi in commodum praeparabitur scabellum gradatum: pastorale sinistra resumet ac medius inter duos Diaconos assistentes et sub baldachino ingredietur in ecclesiam, sed subsistet in limine, ubi deponet baculum.

70. Dignior Cleri acceptum aspersorium tradet cum osculis Episcopo, qui accipiet illud nec dimittens mitram, signabit seipsum, deinde in medio, a sinistris et a dextris suis asperget Clerum qui aderit in ecclesia, eodemque modo asperget

deinde populum extra ecclesiam manentem: aspersorium restituet digniori, qui cum osculis illud recipiet ac reddet clerico custodienti.

71. Thuriferarius tradet naviculam digniori; se sistet ante Episcopum et flexis genibus obiiciet ei thuribulum apertum. Dignior incensum cum osculis ministrabit Episcopo, qui cum usitata benedictione incensum demittet in thuribulum. Dignior restituet naviculam thuriferario et accepto ab eo thuribulo, se sistet ante Episcopum quinque aut sex passus procul ab ipso, et veneratus eum profunda inclinatione, adolebit illum triplici ductu; tum iterata reverentia ante eum, thuriferario restituet thuribulum. Thuriferarius a dexteris pluviale sustinebit dignioris. Episcopus postquam thurificationem acceperit, dextera benedicet digniorem, et baculum resumet.

72. Clerici cum aspersorio ac thuribulo in Sacristiam revertentur.

73. Thurificato Episcopo, statim cantores intonabunt *Te Deum*, et alternatim cum populo prosequentur ipsum cantare.

74. Crux cum Acolythis et Clerus procedet ad Sacellum sive Altare SS. Sacramenti, in cuius presbyterio, si capax erit, locum sument saltem Canonici Cathedralis.

75. Ubi Episcopus ante aditum Sacelli pervenerit, removebitur ac seorsim deponetur baldachinum. Episcopus ante faldistorium progressus, deponet baculum; a secundo Diacono assistente detrahetur ei de capite mitra et a primo pileolus. Deinde Episcopus uno genu faciet genuflexionem in pavimento, tum geniculabit super pulvino faldistorii et orabit: Diaconi assistentes genua flectent a lateribus eius et expandent supra faldistorium fimbrias pluvialis. Dignior Cleri cum pluviali geniculabit a sinistris Episcopi extra genuflexorium seu faldistorium: quocirca Diaconi assistentes advertent, ut a lateribus Episcopi genua submittant aliquantulum retro.

76. Cantores animum advertent ad canendum versiculum *Te ergo, quaesumus* etc. quum Episcopus genua flexerit ante Altare SS. Sacramenti, vel ante Altare maius.

77. Deinde Clerus eodem ordine proficiscetur ad Altare maius. Acolythi relinquent candelabra in abaco et Crucifer

pedem Crucis infiget basi praeparatae. Clerus occupabit locum, qui spectabit ad ipsum in choro; Parochis et Collegiatis attribuetur locus, qui poterit eis competere.

78. Episcopus quum discedet de Altari SS. Sacramenti, genuflexionem faciet in pavimento, non super pulvino, et primus Diaconus assistens rursus capiti eius imponet pileolum et mitram. Resumet sinistra pastorale et in exeundo e sacello praedicto in promptu erit baldachinum, quod comitabitur eum ad Altare maius, ubi ad ingressum presbyterii removebitur eiusque hastae colligentur a duobus clericis, qui ad locum suum illud reportabunt.

79. Quum ante Altare maius pervenerit Episcopus deponet baculum eique a secundo Diacono assistente detrahetur de capite mitra. Reverentiam faciet ad Crucem Altaris et geniculabit ad faldistorium; Diaconi assistentes extendent super faldistorium fimbrias pluvialis, tum geniculabunt a lateribus eius. Post Episcopum geniculabit Caudatarius, post caudatarium stabunt pedibus duo Cappellani a mitra et a baculo.

80. Dignior Cleri pluviali indutus, comitante Caeremoniario. perget in latus Epistolae Altaris, quo loco stare solet minister Missae privatae ministraturus ampullas Celebranti. Iam ibi aderit super legili praeparatum Pontificale (part. 3.). Completo cantu hymni *Te Deum*, dignior cantabit ℣. *Protector noster* etc. cum reliquis sequentibus et orationem *Deus omnium fidelium* etc.

81. Recitata praedicta oratione, dignior Cleri descendet de Altari, deponet pluviale apud abacum, resumet habitum choralem et in choro redibit ad stallum suum.

82. Episcopus assurget, reverentiam faciet ad Crucem, et a primo Diacono assistente rursus imponetur ei mitra: accipiet baculum sinistra et perget ad thronum: transiens per medium chorum, Clerum dextera benedicet.

83. Quum Episcopus venerit ad thronum, deponet baculum et sedebit in cathedra.

84. Clerus, incipiendo a Dignitatibus, Canonicis et ceteris quo ordine in processionem incedebant, alter post alterum procedet ad thronum, faciens prius reverentiam vel genufle-

xionem ad Crucem Altaris, deinde reverentiam, vel genuflexionem ante Episcopum priusquam ascendat ad thronum, et dexteram Episcopi osculabitur.

85. Interea sonabunt organa, vel aliqua a cantoribus latina sacra cantiuncula cantabitur.

86. Praebito hoc a Clero obsequii et subiectionis actu erga Episcopum, hic sumpto sinistra baculo assurget ac procedet ad Altare; transiens per chorum, signum benedicentis ad Clerum dextera faciet: Diaconi assistentes fimbrias eius sublevabunt: Caudatarius ēt duo Cappellani a mitra et a baculo sequentur eum.

87. Ante gradus Altaris ubi venerit Episcopus, deponet baculum et secundus Diaconus assistens detrahet ei de capite mitram.

88. Episcopus, facta ad Crucem reverentia, ad Altare ascendet medius inter Diaconos assistentes, qui fimbrias pluvialis eius attollent: Altare osculabitur in medio, deinde cum Diaconis ipsis transibit in cornu Epistolae quo loco Celebrans legit introitum. Cantores cantabunt antiphonam de Sancto Titulari ecclesiae, et post eam etiam versiculum. Episcopus tono feriali cantabit orationem de Sancto cum brevi conclusione. Advertatur, quod antiphona, versiculus et oratio non esse debet quae cantatur in festo, sed quae in suffragiis, excepto quod ingressus Episcopi incideret in festum sive in octavam de Sancto, quo casu antiphona, versiculus et oratio cantabitur de festo.

89. Interea ascendet ad Altare aut prima Dignitas, quae in Pontificalibus ministrare solet ut Presbyter assistens, aut Beneficiarius, vel alius quispiam de more cuiusque ecclesiae, qui publicet Indulgentiam, ut infra.

90. Completa oratione, Episcopus, imposita ipsi a primo Diacono mitra, redibit in medium Altare et benedictionem impertietur dicens *Sit nomen Domini* etc.

91. Si fuerit Archiepiscopus, non utetur mitra, et stabit conversus ad Crucem Archiepiscopalem, quae ante Altare sustinebitur a Beneficiario vel Cappellano genibus flexis.

92. Postea publicabuntur, ut supra, Indulgentiae, quibus

publicatis, Episcopus de Altari descendet medius inter Diaconos assistentes, reverebitur Crucem et redibit ad thronum, sequentibus clericis, qui recipient paramenta, et cubiculario ferente cappam. Si fuerit Archiepiscopus, post benedictionem a primo Diacono assistente rursus imponetur ei mitra. Transiens per chorum, dabit Clero benedictionem.

93. Ut redierit ad thronum, ab iisdem Diaconis exuetur paramentis, quae clerici recipient et super Altare deponent.

94. Interea ante Altare rursus collocabitur faldistorium.

95. Exuto paramentis Episcopo, rursus, adiuvantibus Diaconis, imponetur ei cappa a cubiculario, qui meminerit eius vestis extremitatem posteriorem illaqueare.

96. Episcopus de throno descendet, perget ad faldistorium, ubi flexis genibus brevi tempore orabit; tum ibit ad Altare SS. Sacramenti et ante ipsum quoque breves fundet preces: postremo, comitante universo Clero, Magistratu et reliquis, qui partes sustinent civitatis, ad suam residentiam deducetur.

97. Exeunte de ecclesia Episcopo, pulsabuntur organa et omnia simul aera campana.

DE ACCESSU EPISCOPI AD ECCLESIAM PRO SACRIS FUNCTIONIBUS PERSOLVENDIS.

CAPUT IV.

1. Quotiescumque Episcopus velit aut debeat ingredi in ecclesiam Cathedralem ad sacra officia peragenda, necesse est hac de re moneri Capitulum, ut omnia sint rite disposita.

2. De modo monendi Capitulum observabitur methodus iam recepta peculiariter in unaquaque ecclesia.

3. Si in ecclesia asservabitur SS. Sacramentum in Altari maiori vel in alio Altari apud quod celebrabitur officium, re-

movendum inde erit et in aliud Altare seu sacellum transferendum, quod absit a maiori vel ab alio Altari, ubi celebrabitur functio, ut in nimia populi frequentia vitentur irreverentiae, quae fere solent usuvenire.

4. Altare in quo custodietur vel reponetur SS. Sacramentum instruetur sex candelabris cum suis cereis, et ponetur conopoeum congrui coloris super tabernaculum: gradus autem Altaris sterni poterunt decenti tapeto.

5. Ante Altare convenienti intervallo statuetur genuflexorium, coopertum strato et binis pulvinis, uno videlicet ad brachia, altero ad genua Episcopi. Color strati, si Episcopus esset etiam Cardinalis, erit rubrus aut violaceus iuxta colorem, quo utetur in habitu Cardinalis-Episcopus. Sin esset Episcopus non Cardinalis, color erit viridis aut violaceus; videlicet viridis in quibus diebus utetur habitu praelatitio violaceo, et violaceus quum utetur habitu praelatitio nigro. Stratum et pulvini erunt e panno sericeo pro Cardinali et laneo pro Episcopo. Pulvini pro Cardinali Episcopo poterunt esse distincti praetextis aureis, idemque ornatus poterit esse in strato: pro Episcopo autem minime esset supervacaneum, si adhiberentur pulvini etiam sericei, praesertim in maioribus solemnitatibus, sed distincti praetexto sericeo eiusdem coloris.

6. Servari poterit usus, ubi vigeat, apponendi faldistorium loco genuflexorii, eoque casu sternetur parvum tapetum laneum, non sericeum, in pavimento et super ipso statuetur faldistorium, quod quum adhibeatur ad genuflectendum, erit dedita opera ita elaboratum, ut tegumento non sit opus, ut pulvinus ad brachia sit supra poma seu summitates faldistorii, utque infra pulvinum ad genua adsit parvum scabellum panno sericeo contectum aut variis coloribus gummi illitis depictum. Hoc casu pulvini erunt illius coloris, quem requirit officium, exceptis Missis funebribus et feria sexta maioris hebdomadae, in quibus pulvini adhibendi sunt e panno violaceo.

7. In Sacrario erit in promptu vasculum aquae benedictae cum aspersorio, et apud Altare in quo fit officium, praeparabitur thronus et illa omnia quae in relativis huius libri capitibus praescribentur.

8. Hora praestituta Beneficiarii seu Mansionarii cum Clericis Seminarii subsistent ad portam ecclesiae, et unus e clericis adstabit portae dextrorsum cum vasculo et aspersorio : Canonici habitu chorali induti proficiscentur ad Episcopium, ubi ab Episcopo induto veste talari, fascia, rocheto et mozzeta excipientur in limine cubiculi salutatorii. Canonicis officiose benigneque exceptis, dimittet mozzetam adiuvante cubiculario et induet cappam, quam in totum explicabit Caeremoniarius et Cappellanus caudatarius.

9. Si fuerit Archiepiscopus, in eodem cubiculo prope ingressum aderit Cappellanus crucifer qui sustinebit Crucem Archiepiscopalem.

10. Caudatarius et Crucifer induent et ipsi superpelliceum, quum Episcopus in ecclesia sacris paramentis erit induendus. Habitus hisce cappellanis ordinarius, est vestis talaris violacea supraque ipsam crocias e panno laneo subtili, pariter violacea.

11. Quod si Magistratus etiam intervenire deberet, dabitur opera ut ipse uno eodemque tempore cum Canonicis adsit in domo Episcopi, qui Magistratum, ut supra de Canonicis, excipiet.

12. In accessu autem ad ecclesiam sequens ordo servabitur :

13. Praeibit turba famularis Magistratus, si intererit, deinde Episcopi : tum familiares nobiles Magistratus et Episcopi : sequetur Magistratus immediate ante Episcopum: si fuerit Archiepiscopus, deferetur hoc loco Crux Archiepiscopalis, imagine Crucifixi versa ad Archiepiscopum, post quam incedet Episcopus sive Archiepiscopus cum cappa explicata, sustinente eius extremitatem posteriorem Cappellano caudatario. Sequentur Canonici bini, ita tamen, ut digniores sint propiores Episcopo (*a*).

(*a*) Neque Crux Cleri, neque candelabra Acolythorum in hac actione deferenda sunt, quum non sit processio, sed accessus. Ideo Archiepiscopo sua Crux praefertur, quia est insigne illius. Quum forte adessem olim in quadam Cathedrali, vidi in associatione Episcopi praeire Crucem cum candelabris, Seminarium, Beneficiarios, Canonicos et postremo loco ire Epi-

14. Si esset Archiepiscopus, in hoc intervallo, inter Crucem Archiepiscopalem et Archiepiscopum incedere nemo debet.

15. Sin residentia seu palatium Episcopi longe abesset ab ecclesia, tum Canonici tum Magistratus expectabunt Archiepiscopum sive Episcopum ad portam ecclesiae. Distantia loci, propter quam Canonici eximuntur a comitando Episcopum, a S. Rituum Congregatione definita fuit ad ducentos passus.

16. Quum Episcopus propius aberit ab ecclesia, dignior Cleri accelerabit modice gradum et praesto erit in limine ecclesiae, quo ut venerit Episcopus, accipiet aspersorium et capite nudato porriget illud Episcopo, osculans manum eius. Episcopus deponet prius biretum et accepto aspersorio, nihil dicens, asperget se ipsum, tum conversus ad Canonicos et populum, asperget eos in medio, a sinistris et a dextris suis, deinde versus ecclesiam asperget Magistratum et populum, ut supra. Aspersionem aquae benedictae Episcopo peragente, omnes geniculabunt, etiam Magistratus, Canonicis tantum exceptis.

17. Ingrediente in Ecclesiam Episcopo, festivo more sonabunt sacra aera, exceptis illis diebus, quibus celebrantur officia pro defunctis.

18. Organa pulsabuntur diebus solemnibus et quum liceat per functionem, quae celebratur ita ut quibusdam etiam solemnibus, sicut in Coena Domini, a pulsandis organis abstineatur.

19. Beneficiarii seu mansionarii, ingresso in ecclesiam Episcopo, sequentur Canonicos eodem ordine ac supra. Clerici autem Seminarii eodem ordine sequentur Beneficiarios seu mansionarios.

20. Episcopus in ecclesiam ingressus, procedet ad Altare, in quo asservatur SS. Sacramentum, ibique ante genuflexorium seu faldistorium deponet etiam pileolum, et facta in pavimen-

scopum. Quaesivi a Caeremoniario, quare servaretur ordo ille? Respondit, se ipsum invexisse; solemniorem sibi eum videri et ad genium Episcopi accommodatiorem.

to sine pulvino genuflexione, geniculabit in genuflexorio seu faldistorio et orabit; post orationem assurget, iterabit genuflexionem et reposito in capite pileolo, proficiscetur ad Altare maius vel ad Sacellum, ubi cantabitur Tertia, iuxta methodum, quae relativis capitibus describetur.

21. Quum Episcopus orabit ante SS. Sacramentum, familiares recedent seorsim, Magistratus subsistet extra cancellos seu balaustrium Sacelli, si faldistorium seu genuflexorium erit intra ambitum presbyterii; sin esset extra, subsistent a latere genuflexorii paullo post lineam, qua ipsum genuflexorium locatum est, seu dextrorsum seu sinistrorsum iuxta locum in quo situm erit Sacellum: namque si Sacellum sive Altare SS. Sacramenti situm esset a sinistra ingressus, Magistratus locum sumet a dextera; sin illud staret a dextera, hic consistet a sinistra, ut utroque casu possit statim praecedere Episcopum. Canonici autem genua flectent post Episcopum atque ita reliqui de Clero. Cappellanus deferens Crucem Archiepiscopalem geniculabit a sinistris genuflexorii.

22. Eadem methodus servabitur in Episcopi reditu ab ecclesia ad eius residentiam, eiusque officium erit gratias agere Canonicis et Magistratui quum ingressus erit vestibulum Palatii, eosque dimittere, si ei videbitur, ne cogantur scalas ascendere.

23. Ista officiosa acceptio debetur Episcopo dioecesano tantummodo, neque porrigenda est ad alium quemvis Episcopum extraneum. Si qua de caussa peculiari oporteret, ut aliquis Episcopus extraneus veniret in ecclesiam cathedralem ad peragendam functionem quamdam, quae requireret character episcopale et Episcopus ordinarius legitime impeditus cogeretur eam committere Episcopo extraneo, qua ratione hic excipiendus sit agemus Cap. I. lib. VIII.

CAPUT V.

1. Super Altari aderunt paramenta, videlicet in medio planeta, stola, Crux pectoralis, cingulum, alba, amictus, quae contegentur velo concolore ceteris paramentis. Versus cornu Evangelii praeparabitur manipulus et in cornu Epistolae Missale cum cussino coloris respondentis reliquis paramentis. In Altari sex saltem cerei ardebunt. Si Missa fuerit de requie, manipulus praeparabitur simul cum ceteris paramentis.

2. Super abaco praeparabitur calix cum purificatorio et super hoc patena cum hostia et palla, bursa cum corporali. Ampullae aquae et vini in pelvicula. Campanula et duo intorticia pro elevatione. Instrumentum pacis, si Episcopus alteri Missae intererit, sive adsit alter Praelatus. Urceus cum pelvi et manutergium in pelvicula.

3. Ante Altare statuetur genuflexorium cum strato et pulvinis, ac super genuflexorio ipso Canon pontificalis et scotula cum candela a latere.

4. Missa non differt a ritu descripto in Missali romano, praeter sequentes exceptiones.

5. Episcopus indutus veste talari praelatitia et fascia, rocheto et mozzeta, si morabitur in sua dioecesi, secus mantelleto et mozzeta, vel solo mantelleto, iuxta regulam traditam cap. II. num. 12. huius libri, quum venerit ad Altare, in quo Sacrum operaturus erit, reverentiam faciet ad Crucem et in genuflexorio praeparato geniculabit.

6. A lateribus assistent ei duo cappellani superpellicio induti, quorum unus sustinebit scotulam accensam, alter evolvet folia Canonis super pulvino genuflexorii positi, quem Cappellanus non debet elatum sustinere, ne tergum parum decenter vertat ad Altare.

7. Episcopus leget psalmos praeparationis cum precibus

semper flexis genibus et poterit etiam legere orationes pariter in Canone notatas ad vestes sacras pro Missa privata Episcopi, nisi memoria tenebit. Advertet etiam, ut psalmos et preces recitet secum ipse, non vero alternatim cum Cappellanis.

8. Completa precum recitatione, assurget, procedet ante infimum gradum Altaris, reverebitur Crucem et adiuvantibus Cappellanis, Crucem pectoralem dimittet cum mozzeta seu mantelleto. Capiti rursus sibi imponet biretum et conversus aliquantulum versus partem Epistolae, lavabit manus, eique lotionem ministrabunt sui familiares nobiles in habitu usitato. Defectum familiarium nobilium poterunt supplere ipsi Cappellani.

9. Lotis manibus, Episcopus deponet biretum et a Cappellanis induetur paramentis, videlicet amictu, alba, cingulo, Cruce pectorali, quam osculabitur priusquam imponatur ei, deinde stola, quam non decussabit super pectore, sed relinquet pendentem de collo et firmabit cingulo, ac postremo planeta. Si Missa fuerit de requie, accipiet manipulum post Crucem pectoralem.

10. Paratus Episcopus, reverentiam faciet ad Altare, inchoabit Missam. Postquam dixerit *Indulgentiam, absolutionem* etc. imponetur eius brachio sinistro manipulus, et advertet ne recitet orationem praescriptam pro manipulo, sed ut eam dicat priusquam incipiat Missam. Imposito manipulo, prosequetur Missam ritibus consuetis.

11. Si in Missa dicetur *Gloria in excelsis*, post hymnum istum pro *Dominus vobiscum* dicet *Pax vobis* et respondebitur *Et cum spiritu tuo*. Si omitti debeat hymnus *Gloria*, dicet *Dominus vobiscum*.

12. In principio Canonis loco verborum *Et Antistite nostro N.* dicet *et me indigno servo tuo*.

13. Si aderunt et alii Praelati, quibus sit donanda pax, post orationem *Domine Iesu Christe, qui dixisti* etc. osculabitur Altare, deinde Instrumentum pacis dicens *Pax tecum*. Si Missa esset de requie, ritus dandae pacis omittetur.

14. Si communionem administraturus erit, meminerit dexteram obiicere ori communicandi ut eam osculetur, deinde illi porriget S. Particulam.

15. Post ablutionem priusquam legat ℟ *Communio* subsistet in cornu Epistolae, latere sinistro verso ad Altare ibique denuo lavabit manus.

16. Sub finem Sacri triplicem benedictionem impertietur. Si fuerit Archiepiscopus, non utetur Cruce Archiepiscopali dum benedictionem impertietur, in Missis privatis.

17. Completo ultimo Evangelio, redibit ad medium Altaris, reverentiam faciet ad Crucem et se convertens super sinistram suam versus cornu Evangelii, descendet de Altari, se profunde inclinabit ad Crucem, dimittet manipulum et reliqua paramenta; tum rursus induetur mozzeta seu manteleto ac recepto bireto redibit ad genuflexorium ibique leget preces pro gratiarum actione.

18. Si alteri Missae intererit, advertet ut assurgat capite nudato dum legetur Evangelium et osculans Missale, quod ei porrigetur a Cappellano, imponet super illud manus et dicet *Per evangelica dicta* etc. Sic in osculando instrumento Pacis dicet *Et cum spiritu tuo*.

19. Episcopus in celebranda Missa privata debet induere habitum praelatitium et numquam epistogium, quod est habitus domesticus et familiaris, quo utuntur Praelati, idque saltem quum publice operantur in ecclesia. Dixi publice in ecclesia; siquidem solet adhiberi in sacellis privatis; neque audemus decernere, an id conveniat privatim.

DE OFFICIO CAPPELLANORUM MISSAE LECTAE AB EPISCOPO INSERVIENTIUM

CAPUT VI.

1. Cappellani, qui assistent Episcopo in Missa lecta, esse numero poterunt duo aut tres, sacro ordine constituti; hi supra vestem talarem induent superpelliceum, et antequam Epi-

scopus ad ecclesiam perveniat, praeparabunt vel praeparari iubebunt res notatas capite praecedenti num. 1. 2. et 3. tum accendent vel iubebunt accendi cereos Altaris et candelam scotulae: item eis erit curae apponere signacula in Missali ad Missam de festo vel feria occurrente, ad commemorationes et in Canone pontificali ad praeparationem, ad ordinem Missae, ad praefationem et ad canonem.

2. Advenienti ad ecclesiam Episcopo poterunt obviam occurrere ad portam ecclesiae vel sacristiae; ac si deerit Superior ecclesiae sive alter qui vice fungatur illius, senior cappellanorum aspersorium ei praesentabit cum osculo consueto manus.

3. Hoc loco monemus etiam in posterum, quod quum res aliqua porrigatur Episcopo, osculari debent prius rem, postea manum Episcopi; sin aliquid ab ipso accipient, prius manum eius deinde rem acceptam osculabuntur, exceptis Missis de requie, in quibus omittuntur oscula praedicta. Notandum etiam, quod facienda est ad Crucem altaris genuflexio quotiescumque transibunt ante illam, quamquam in illo Altari non asservetur SS. Sacramentum.

4. Quum Episcopus genua submiserit in genuflexorio, primus cappellanus accipiet scotulam accensam et subsistet a sinistris eius sustinens scotulam prope ipsum, alter autem stabit a dextris illius ut evolvat folia canonis. Tertius cappellanus, si aderit, stabit prope abacum.

5. Postquam Episcopus finem fecerit recitandi preces pro praeparatione, secundus cappellanus accipiet canonem et primus scotulam, reverentiam vel genuflexionem facient ante eum, ascendent ad Altare, genuflectent et primus ponet scotulam a dextera Missalis, alter ponet canonem apertum ad ordinem Missae in medio Altari, loco tabellae secretarum.

6. De Altari descendent, stabunt inter se divisi ante infimum gradum, et adveniente Episcopo, qui reverentiam faciet, illi eodem tempore ad Altare genuflectent.

7. Primus cappellanus detrahet Episcopo Crucem pectoralem, quam deponet super Altare, deinde mozzetam seu mantelletum, quod accipietur a cubiculario habitu nigri coloris induto, qui deponet illud super genuflexorio.

8. Si deerunt familiares nobiles, qui lotionem Episcopo ministrent, tertius cappellanus accipiet urceum cum pelvi et secundus mantile seu manutergium, vel si duo tantum fuerint cappellani, primus accipiet mantile, alter urceum cum pelvi venient ante Episcopum, qui si fuerit ordinarius, genu dexterum flectentes humi, manuum lotionem ei ministrabunt. Cappellanus primus porriget ei mantile cum osculis usitatis, idque faciet tum si aderunt familiares nobiles, tum si tres erunt cappellani. Idem cappellanus accipiet ab Episcopo biretum, quo se cooperire et detegere debet ipsemet, ac ponet illud super genuflexorio simul cum mozzeta seu mantelleto.

9. Postea secundus cappellanus ascendet ad Altare, et primo cappellano porriget paramenta, quibus ille induet Episcopum. Atque id notare necesse est, quod contra regulas Caeremonialis faciunt, qui capiti Episcopi imponunt biretum a parte posteriori, postquam induerit singula paramenta sacra; siquidem Episcopus postquam laverit manus, dimittet biretum, neque amplius resumet illud, quum nunquam cum paramentis sacris uti debeat bireto, sed mitra, quam tamen adhibere debet in functionibus tantum pontificalibus.

10. Cappellanus primus induet Episcopum praedictis paramentis et adiuvabitur etiam a secundo, si opus fuerit.

11. Parato Episcopo, secundus Cappellanus accipiet manipulum et accedet ad eum a sinistris; primus adstabit a dextris.

12. Quum Episcopus reverentiam faciet antequam incipiat Missam, Cappellani geniculabunt a lateribus eius super pavimento eique respondebunt ad confessionem.

13. Notandum hoc loco, contra regulam esse quod fieri solet in aliqua civitate, ut si duo Canonici Cathedralis fungantur officio assistendi Episcopo in Missa lecta, stent in pedes ad confessionem. Rubrica Missalis aperte praescribit, ut omnes adstantes genua flectant ad Missam lectam, idque etiam Caeremoniale Episcoporum praescribit ipsi Episcopo, quum Missae lectae assistit.

14. Praeterea si Canonici solerent Missae lectae Episcopi assistere publice, dimittere habitum choralem debent et superpellicium induere, ac si utuntur rocheto, induent ipsum infra superpellicium in ecclesia cathedrali.

15. Dum Episcopus dicet *Indulgentiam* etc. assurget secundus cappellanus, osculabitur manipulum in alterutra Cruce laterali, imponet illum brachio sinistro Episcopi, quod dum faciet, osculabitur manum ejus; postea rursus geniculabit.

16. Dicente Episcopo *Oremus*, consurgent duo cappellani et aliquantulum attollent extremitatem anteriorem vestium Episcopi, et cum ipso ad Altare simul ascendent, medium fere passum post eum subeuntes.

17. Quum Episcopus osculatus erit Altare, accedent ad latera eius duo cappellani in cornu Epistolae, et primus indicabit ei Missam, orationes et reliqua omnia quae legenda sunt et scotulam sustinebit: alter evolvet folia Missalis, quum evolvenda erunt.

18. Ad *Kyrie* Episcopus redibit ad medium Altare et cappellani assistent ei; praeterea primus sustinebit scotulam et evolvet folia canonis, quum tempus erit: poterit id fieri etiam a secundo, si commodius fuerit.

19. Ad illa verba *Pax vobis* aut *Dominus vobiscum*, solus Episcopus convertetur ad populum.

20. Quum Episcopus genuflectet ad Epistolam, ad Evangelium, ad verba *Et incarnatus* etc. et in Canone, primus cappellanus manu sustinens scotulam, nunquam genuflectet.

21. In orationibus, in Epistola et in graduali, cappellani eamdem rationem sequentur, ut in introitu.

22. Post graduale secundus cappellanus recedet aliquantum, ut libere possit transire Episcopus, qui veniet ad medium Altare dicturus *Munda cor meum* etc.

23. Tunc secundus cappellanus accipiet Missale cum cussino seu legili et se adiungens primo sustinenti scotulam descendet cum eo de Altari; facient simul genuflexionem ad Crucem, ascendent ad Altare in cornu Evangelii; secundus ibi deponet Missale, et primus cum scotula subsistet a sinistris Episcopi.

24. Quum Episcopus se signaverit ad verba *Sequentia sancti Evangelii* etc. secundus cappellanus transibit ad eius dexteram. Fine facto ab Episcopo legendi Evangelium, primus relinquet scotulam super Altari, et uterque simul attollent Missale aliquantulum, ut commode possit illud Episcopus osculari.

25. Deinde Episcopus dicet *Credo* aut *Dominus vobiscum* et duo cappellani adstabunt ei a lateribus; videlicet primus a sinistris sustinens scotulam et mostrans ipsi quae legenda erunt atque evolvens folia tum Missalis, tum canonis; secundus autem adstabit dexterae Episcopi, ut ipsi assistat in ceteris actionibus.

26. Postquam Episcopus legerit Evangelium, cappellanus secundus de Altari a latere descendet, perget ad abacum, accipiet calicem cum omni apparatu eius, redibit ad Altare et ponet illum in latere Epistolae: sumet bursam, extrahet corporale, bursam ponet versus cornu Evangelii, applicans eam gradui candelabrorum et corporale explicabit in medio.

27. Si aderit tertius cappellanus, afferet ad Altare ampullas vini et aquae in pelvicula, secus ad secundum spectabit eas accipere et ad Altare deferre.

28. Lecto ab Episcopo offertorii versiculo, secundus cappellanus amovebit pallam a patena et ponet super Altare; accipiet patenam cum hostia et porriget Episcopo, qui peraget oblationem illius. Interea calicem exterget purificatorio, accipiet ampullam vini et quum Episcopus supposuerit patenam corporali, vinum in calicem infundet, donec innuet Episcopus, ut desinat: relinquet ampullam vini in pelvicula, accipiet ampullam aquae, eaque oblata Episcopo, non genuflectens, dicet ei *Benedicite Reverendissime Pater.* Episcopus benedicet aquam dicens *Deus, qui humanae substantiae* etc. et cappellanus paucas aquae guttas infundet in calicem, rursus ponet ampullam in pelvicula, absterget purificatorio guttas in interna parte calicis, si adhaeserint, ponet purificatorium super patena, tradet calicem Episcopo et meminerit eum palla contegere postquam Episcopus eius oblationem peregerit. Nisi aderit tertius cappellanus, referet ampullas ad abacum et ad Altare redibit.

29. Si administranda erit Communio, deferetur ad Altare pixis cum calice, secundus cappellanus illam ponet retro post calicem.

30. Quum Episcopus dicet *Veni sanctificator* etc. secundus cappellanus tollet de medio Canonem et ponet ipsum in latere Epistolae apertum ad psalmum *Lavabo.*

31. Episcopus lavabit manus, sed in hac actione utendum non est ei bireto. Lotionem Episcopo ministrabunt familiares nobiles, si aderunt, secus cappellani, ut notatum est ab initio. Si cappellanus secundus non ministrabit lotionem, stans a latere in cornu Epistolae, elatum sustinebit canonem ante Episcopum, ut possit legere psalmum *Lavabo* etc.

32. Reverso ad medium Altare Episcopo ad dicendam orationem *Suscipe, Sancta Trinitas* etc. cappellanus secundus reponet canonem in medio, vel sustinebit super Altare a dextris Episcopi.

33. Dum Episcopus secretas recitabit, secundus cappellanus in promptu habebit canonem cum signaculo ad Praefationem: completa autem ab Episcopo recitatione secretarum, primus relinquet scotulam super Altari, Missale tollet de legili, claudet ac ponet ipsum super Altari, et secundus loco Missalis ponet canonem apertum ad praefationem: detrahet Episcopo pileolum, quem deponet in pelvicula, quam ei porriget tertius cappellanus, si aderit, secus perget ad abacum et pileolum ponet in pelvicula ibi praeparata.

34. Ad *Sanctus* duo clerici afferent intorticia, secus duo familiares Episcopi, iisque absentibus supplere poterunt secundus ac tertius cappellanus, quo casu primus vice fungetur secundi in iis actionibus, quae successive describentur (*a*).

35. Quum Episcopus dicet *Memento, Domine* etc. primus cappellanus relinquet scotulam in altari et simul cum secundo recedent paullulum retro, servantes tamen locum uterque suum: hoc ipsum exsequentur ad alterum *Memento* pro defunctis.

36. Completo *Memento*, primus cappellanus recipiet scotulam et prosequetur officium suum assistendi Episcopo.

37. Quum Episcopus dicet *Quam oblationem* etc. si aderit pixis cum particulis consecrandis, secundus cappellanus admovebit eam super corporale versus dexteram Episcopi ac deteget ipsam.

(*a*) Notandum, quod nullo prorsus modo convenit, ut intorticia ad *Sanctus* afferantur a duobus famulis veste familiari indutis.

38. Ad illa verba *Qui pridie* etc. primus cappellanus relinquet scotulam super Altari et simul cum secundo descendent in gradum superiorem ac dum se inclinabit Episcopus ut proferat verba consecrationis, geniculabunt in extremo suppedaneo.

39. Hostia consecrata, genuflectet Episcopus et cappellani se inclinabunt, ac post genuflexionem attollent ei partem posteriorem planetae, quam dimittent statim ac Episcopus Hostiam reposuerit super corporale. Reposita Hostia super corporale, genuflectet Episcopus, et assurgent duo cappellani post genuflexionem ab Episcopo peractam: primus evolvet folium, si opus fuerit, indicabit Episcopo verba *simili modo* etc. ac rursus geniculabit; secundus autem deteget Calicem et rursus genua flectet, ut supra.

40. Si aderit pixis, cappellanus secundus priusquam detegat calicem, cooperiet illam operculo et faciet, ut eam Episcopus ponat quo loco erat, deinde Calicem deteget et rursus geniculabit.

41. Ad elevationem Calicis attollent planetam, ut in elevatione Hostiae, ac dum Episcopus demittet Calicem super corporale, assurgent cappellani, secundus rursus cooperiet Calicem genuflectent una cum Episcopo, et primus recipiet scotulam ex Altari ac prosequetur assistere ad librum.

42. Secundus autem deteget iterumque cooperiet Calicem ante *Pater noster* et ante *Agnus Dei*, genuflectens quum genuflectet Episcopus, porriget ipsi patenam et dabit osculandum Instrumentum pacis. Pax datur Praelatis aequalibus et superioribus Episcopo, non vero inferioribus. Cappellanus Praelato, qui intererit Missae, osculandum dabit instrumentum praedictum dicens *Pax tecum*. Meminerit autem revereri eum postquam acceperit pacem.

43. Si communio adstantibus administrabitur, postquam Episcopus sumpserit Calicem et deposuerit illum super corporale a sinistris suis, secundus cappellanus palla cooperiet illum. Deinde Episcopus genuflectet, accipiet Pixidem, quam admovebit ad medium corporale, deteget ipsam et genuflectet.

44. Hoc tempore tertius cappellanus flexis genibus super

gradu infimo in latere Epistolae, vel loco eius secundus genuflexus in gradu superiori a latere eodem, curvans sese recitabit *Confiteor.* Primus relinquet scotulam super Altari, geniculabit in gradu superiori a latere Evangelii, donec Episcopus dixerit *Misereatur vestri* etc. et *Indulgentiam* etc.

45. Quum Episcopus ad Altare convertetur accepturus SS. Sacramentum, assurget primus cappellanus, qui accipiet patenam, non tamen utens purificatorio, multoque minus stola, et accedet ad dexteram Episcopi patenam supponens mento communicandorum. Scotula relinquetur in Altari, nec sustinenda est prope latus Episcopi Communionem administrantis.

46. Praeter duos clericos vel familiares cum intorticiis, qui manebunt flexis genibus ad totam Communionem, etiamsi non esset administranda adstantibus Eucharistia, duo clerici superpellicio induti tobaleam sustinebunt ante communicandos, nisi balaustrium illa iam instructum fuerit.

47. Post Communionem discedent familiares seu clerici cum intorticiis, et cappellanus secundus pileolum reponet in capite Episcopi.

48. Interea secundus idem purificationem et ablutionem Episcopo ministrabit, primus reponet canonem ante Altare et Missale super cussino seu legili.

49. Secundus aut tertius referet ampullas ad abacum; primus transferet in cornu Epistolae Missale cum cussino seu legili et scotulam.

50. Postquam Episcopus ablutionem sumpserit, lavabit manus in latere Epistolae et nobiles familiares, vel loco ipsorum cappellani lotionem ei ministrabunt.

51. Primus cappellanus remanebit a dextris Episcopi, ut ipsi indicet quae legenda erunt in Missali: secundus autem veniet ad Altare, absterget calicem, complicabit corporale, res omnes ad abacum referet et ad sinistram Celebrantis redibit.

52. Ad benedictionem, Cappellani geniculabunt in extremo suppedaneo, etiamsi essent Canonici ob rationem supra allatam num. 13. huiusce capitis.

53. Ad ultimum Evangelium secundus cappellanus sustinebit canonem a sinistra Episcopi, primus scotulam a dextra.

54. Completo ultimo Evangelio, secundus vel tertius canonem et scotulam referet ad genuflexorium.

55. Episcopus de altari descendet simul cum duobus cappellanis, qui exuent eum paramentis et haec deponent super Altare.

56. Postea cubicularius rursus imponet mozzetam humeris Episcopi et primus cappellanus Crucem pectoralem eique porriget biretum.

57. Redibit ad genuflexorium Episcopus et cappellani assistent ipsi, ut in praeparatione. Quum Episcopus preces recitare desierit, duo cappellani claudent canonem, recipient scotulam et canonem, reverentiam vel genuflexionem ad Episcopum conficient, et ad eius latera redibunt; quod si Episcopus alteri Missae intererit, geniculabunt a lateribus eius paullo retro.

58. Comitabuntur denique Episcopum ad portam ecclesiae vel sacrarii, quum de ecclesia proficiscetur.

DE MATUTINO SOLEMNI CUM LAUDIBUS CELEBRATO AB EPISCOPO (*a*).

CAPUT VII.

De rebus praeparandis apud Altare SS. Sacramenti.

1. Faldistorium vel genuflexorium cum strato et pulvinis, ut huius libri cap. IV. descriptum fuit.

(*a*) Matutinus cum Laudibus celebrari solet ab Episcopo in maioribus solemnitatibus, ideoque num. 3. praescripsimus usum Mitrae pretiosae. Si qua de caussa censeret Episcopus celebrandum Matutinum cum Laudibus quo die uti Mitra pretiosa non licet, neque praeparabitur ipsa neque adhibebitur, idque intelligi volumus etiam in processu functionis, quum innuimus, quibus temporibus assumenda sit.

2. Super Altari ornato prout festi ratio requirit, ardebunt sex cerei in candelabris maioribus, saltem in accessu et discessu Episcopi.

Apud Altare maius.

3. Altare istud exornabitur pallio, tobaleis et sex candelabris cum Cruce. Gradus sternentur tapeto nobili. Super Altare disponentur paramenta Episcopi, nempe pluviale et stola eiusdem coloris quem requirit officium, Crux pectoralis, cingulum, alba et amictus, quae omnia contegentur velo concolore paramentis, et prope ipsa ponetur etiam formale pretiosum in lance. In latere Evangelii praeparabitur mitra pretiosa cum velo seu vimpa pro Cappellano illius, et in latere Epistolae aderit mitra auriphrygiata. Prope latus Evangelii praeparabitur baculus pastoralis.

4. Si fuerit Metropolita, prope hoc ipsum latus Altaris praeparabitur etiam stylobata seu basis qua firmetur Crux Archiepiscopalis.

Quod autem ad dies spectat, quibus utenda sit mitra pretiosa, notantur in Caeremoniali Episcoporum lib. I. cap. 17. Deinceps etiam innuentur relativis capitibus.

Ritus, quem describimus pro Matutino et Laudibus, deductus est de dispositionibus Caeremonialis, nec mirandum, si num. 42. defendimus ad intonationem antiphonarum debere totum Clerum in choro assurgere, itemque si num. 84. dicimus aliquot Canonicos debere pluviale induere; uterque enim ritus perspicue a Caeremoniali praescribitur.

Eodem numero 84. de numero Canonicorum, qui debent pluviale induere, quum a Caeremoniali non sit statutum, esse poterunt quatuor, ut intonent quatuor antiphonas Laudum post Episcopum, vel etiam sex, servata regula ab eodem Caeremoniali tradita pro Vesperis lib. II. cap. 3. num. 16.

Porro hoc libro agendum esset prius de Vesperis pontificalibus, postea de Matutino. Visum est non sequendum hoc loco ordinem Caeremonialis, siquidem in matutino celebrato ab Episcopo nulla unquam occurrit variatio, excepta nocte Natalis Domini, ut declarabitur libro sequenti. Vesperae autem subiacent variationibus rituum; quando Episcopus in crastinum celebrat, vel assistit Missae solemni; ideoque in capitibus consecutivis describemus ritum, qui servari potest in Vesperis, prout circumstantiae requirunt.

5. Ante Altare statuetur faldistorium cum pulvinis eiusdem coloris ut in paramentis.

6. In medio choro (vel etiam a latere, si transitum impediet Episcopo) ponetur legile maioris formae ornatum panno serico concolore paramentis, cum Breviario seu Lectionario pro cantoribus lectionum.

7. Super abaco alba tobalea cooperto aderunt duo candelabra cum cereis pro Acolythis, thuribulum cum navicula, Breviarium aut Antiphonarium instructum tegumento concolore paramentis Episcopi, scotula et canon pontificalis adhibendus ad benedictionem in fine Laudum. In eodem abaco praeparabitur *Directorium chori*, ad usum Canonici illius, qui debebit praecinere antiphonas, ut inferius.

8. In promptu erunt quatuor aut sex pluvialia utenda a Canonicis seu dignitatibus, cum suis amictibus.

9. Prope abacum ponentur duo ampla canistra seu corbes, quibus deferentur indumenta Canonicorum, qui se parabunt.

10. Thronus exornabitur lodicibus eius coloris, quem requirit Officium. Apponentur tria scabella pro Assistentibus, pulvinus quo utetur Episcopus in genuflectendo, et gradus throni cooperientur tapeto.

11. Quo loco stabunt cantores, qui praeintonare antiphonas debebunt, praeparabuntur duo exemplaria Directorii chori ad rite exsequendas intonationes.

12. Ad cancellos presbyterii statuentur candelabra maiora cum intorticiis vel cereis numero non minore quatuor, nec sex maiore (*a*).

(*a*) In functionibus pontificalibus oporteret, ut intorticia ardentia ponerentur ad balaustrium, ut praescribit Caeremoniale Episcoporum lib I. cap. XII. num. 20. Eorum autem usus non levis est incommodi, ob ceram liquefactam, quae facile defluit super adstantes. In Sacello etiam Pontificio usque a die vigesima secunda Februarii an. 1818. antiquata fuerunt intorticia et surrogati cerei. In hisce nostris instructionibus visum est praescribere intorticia vel cereos, pro candelabris in ingressu presbyterii, idque relate ad omnes functiones pontificales.

13. Hora praestituta, praevio campanarum sono, signum campanula Sacristiae Canonicis et Clero dabitur proficiscendi ad associandum Episcopum, ut cap. IV. huiusce libri.

14. Ingrediente in ecclesiam Episcopo, pulsabuntur festivo more campanae et organa quoque, si licebit id fieri ratione ritus.

15. Post adorationem peractam ad Altare SS. Sacramenti, Episcopus procedet ad Altare maius, reverentiam faciet ad Crucem, geniculabit in faldistorio et recitabit orationem *Aperi Domine* etc.

16. Canonici et ceteri de Clero in chorum ibunt ad suum quisque locum et flexis genibus orationem praedictam recitabunt.

17. Cappellani, quorum alter a libro, alter a scotula, accipient Antiphonarium et scotulam ac sequentur Episcopum pergentem ad thronum.

18. Quum suo quisque loco stabunt, Caeremoniarius elevabit cappam Episcopi, quae explicata erit super faldistorium, et Episcopus assurget, iterabit reverentiam ad Crucem et solo Caeremoniario comitante ac sequente Caudatario sustinente cappae eius extremitatem, ad thronum procedet.

19. Transiens per chorum Episcopus benedicet Clerum.

20. Profecto Episcopo de faldistorio, clericus unus in medio choro ponet legile cum Breviario, si prius positum non fuerit, ne transitum Episcopo impediret. Duo clerici faldistorium e medio amovebunt et seorsim reponent.

21. Episcopus in throno sedebit brevi temporis spatio, nullo assistente Canonico; deinde nudabit caput, assurget ac recitabit *Pater noster*, *Ave Maria* et *Credo*.

22. Se sistent ante Episcopum Cappellani cum libro et cum scotula.

23. Episcopus se signabit pollice super labia cantans *Domine labia mea aperies*: chorus respondebit *Et os meum* etc. Postea producens Crucis signum a fronte ad pectus, cantabit *Deus, in adiutorium* etc.

24. Cappellani cum libro et scotula, quum Episcopus non

cantabit e libro, recedent a latere sinistro throni, extra gradum superiorem.

25. Cantato ℣. *Gloria Patri*, duo cantores, qui cantare debebunt Invitatorium, venient in medium chorum ante legile et facient genuflexionem ad Crucem, postea ad Episcopum.

26. Cantores praedicti si fuerint de Beneficiariorum seu Mansionariorum coetu, induti erunt habitu chorali, sin minus, utentur superpellicio. Sedebunt autem, si Beneficiarii, in suis stallis, sed curabitur ut sint proximi legili, et locus unius respondeat alterius ex adversa chori parte. Sin autem de coetu praedicto non fuerint, sedebunt loco quo solent Cappellani, vel etiam alio iuxta consuetudinem ecclesiae.

27. Cantato *Alleluia* vel *Laus tibi, Domine* etc. duo cantores cantabunt Invitatorium, ad quod respondebit chorus: simili modo cantabunt psalmum *Venite, exultemus* etc.

28. Ad illa verba *Venite adoremus et procidamus ante Deum* genuflectent omnes versus Altare, idque ipsum faciet Episcopus in throno, genuflectens super pulvino ab alterutro Cappellano posito super plano gradus Cathedrae.

29. Cantato ℣. *Gloria Patri* in Invitatorio, si Episcopus eodem mane cantabit Missam solemnem, Caeremoniarius vel alius hoc fungens officio, accipiet ex abaco Directorium chori, se sistet ante Canonicum ministraturum ut Subdiaconum in Missa, eumque invitabit inclinatione capitis. Canonicus respondebit ei simili salutatione, et descendens de stallo se illi adiunget. Procedent in medium chorum, reverentiam facient ad Altare, deinde ad Episcopum ante thronum. Canonicus librum accipiet a Caeremoniario sive ab alio cappellano.

30. Cantato ultimo versiculo Invitatorii post *Gloria Patri* et responso a choro, Canonicus praemissa inclinatione ad Episcopum, praecinet ipsi hymnum Matutini.

31. Se sistent ante Episcopum duo cappellani cum libro et cum scotula, et Episcopus intonabit hymnum, quem prosequentur cantores in choro.

32. Canonicus, restituto libro Caeremoniario seu Cappellano statim ut Episcopus intonaverit hymnum, reverentiam iterabit ad Episcopum et ad Altare, redibit ad locum suum ibique salutabit Caeremoniarium, a quo comitatus fuerit.

33. Sin autem Episcopus non cantabit Missam, ne hymnum quidem intonabit, eoque casu intonabunt illum cantores in choro.

34. Duo cantores, qui in medio choro cantaverint Invitatorium cum psalmo *Venite exultemus* etc. etiam si Episcopus non intonabit hymnum, statim ac suum officium compleverint, facta genuflexione ad Altare et ad Episcopum et mutua inter se reverentia, recedent ad stallum seu locum ipsis attributum.

35. Sub finem cantus hymni, redibunt in medium chorum et facta genuflexione ad Altare, deinde ad Episcopum, procedent ante primum Canonicum, seu primam Dignitatem, quae aderit in choro, et facta ad ipsum reverentia, primus ex eis, statim post hymnum, praecinet eidem Canonico primam antiphonam primi nocturni.

36. Primus Canonicus seu Dignitas intonabit antiphonam primi nocturni, et cantores statim postquam illam intonaverint, reverentia eum salutabunt, quibus ille respondebit, et cum debitis genuflexionibus in medium chorum redibunt.

37. Quum a choro praedicta antiphona cantu gregoriano cantata erit, cantores supradicti intonabunt primum psalmum primi nocturni, quo intonato se simul convertent versus illam partem chori, quae prosequi debebit cantum psalmi. Iteratis deinde genuflexionibus ad Altare et Episcopum, ac facta inter se mutua reverentia, ad stallum suum revertentur.

38. Notandum autem, quod quum cantores qui psalmos intonabunt in medio choro, se convertent ad salutandam illam chori partem, quae cantum psalmi erit prosecutura, illi qui sedebunt in eo latere, non debent ad salutationem illam nudare caput; siquidem ea non est reverentia, cui sit ad invicem respondendum, sed quaedam est indicatio prosequendi cantum; quod quidem fit ut vitetur confusio, quae inde oriri posset, si forte obliti essent ad quos spectet prosequi cantum.

39. Interim a choro alternatim cantabitur primus psalmus tono dato a cantoribus praedictis. Primo versiculo considebunt omnes et ipse Episcopus, ac bireto caput cooperient.

40. Post *Gloria Patri* primi psalmi, cantores supradicti discedent de loco suo et cum debitis genuflexionibus redibunt in medium chorum.

41. Repetetur hoc tempore antiphona cantata, vel legetur alta voce a cantore aliquo ad legile chori, et interea sonabitur organis.

42. Sub finem repetitionis primae antiphonae, duo praedicti cantores, qui iam processerunt in medium chorum, iterabunt genuflexiones et pergent ad chorum in latus oppositum primae dignitati seu Canonico, qui primam antiphonam intonavit.

43. Ibi reverentiam facient secundae Dignitati seu Canonico, qui primus erit in ordine sedendi. Canonicus seu Dignitas assurget, cumque eo consurget omnis chorus, videlicet tum illi qui sedent ex parte Canonici seu Dignitatis, quae intonabit secundam antiphonam, tum qui sedebunt ex parte opposita.

44. Repetita sive cantu sive organis prima antiphona, secundus praedictus cantor secundam antiphonam primi nocturni praecinet secundo Canonico, qui eamdem antiphonam intonabit.

45. Intonata praedicta antiphona duo cantores reverentiam facient ad Canonicum, qui intonaverit, et in medium chorum redibunt cum debitis genuflexionibus.

46. Cantabitur interea secunda antiphona, et chorus qui consurrexerat ad intonationem antiphonae, rursus considebit.

47. Cantata secunda antiphona, iidem cantores duo intonabunt secundum psalmum, et facta reverentia ad illam chori partem, quae prosequi debebit cantum, cum debitis genuflexionibus redibunt ad locum suum.

48. Cantabitur deinde psalmus secundus, ut superius innuimus, eoque absoluto, iidem cantores redibunt in medium chorum, ituri postea ad tertiam antiphonam praecinendam tertio Canonico, eademque ratione utentur in ceteris psalmis qui supersunt in reliquis nocturnis, observando tum vicissitudinem chori in praeintonationibus, tum ritum praescriptum in intonatione antiphonarum et psalmorum.

49. Sub finem repetitionis tertiae antiphonae primi psalmi, in medium chorum venient cantores praedicti et factis ad Altare et ad Episcopum genuflexionibus, quum absolutus erit cantus seu repetitio antiphonae, adiicient cantum versiculi iuxta tonum assignatum, eoque cantato, cum debitis genuflexionibus ad locum suum redibunt.

50. Interim ante Episcopum se sistent duo cappellani cum libro et scotula.

51. Statim post cantatum versiculum, Episcopus caput nudabit bireto, quod tradet Caeremoniario assistenti, assurget et cum eo chorus universus.

52. Episcopus subiunget verba *Pater noster* in cantu et prosequetur recitare secreto.

53. Caeremoniarius sive alius Cappellanus designatus se sistet ante Canonicum, qui cantare debebit primam lectionem. Notetur autem, quod lectiones canere ad sex digniores Canonicos spectat, et cantari incipient a minus digno seu iuniori, deinde a quinto, a quarto et sic successive de ceteris. Septima autem et octava cantandae sunt a duobus Diaconis, qui Episcopo assistent (*a*).

54. Itaque Canonicus, qui ad primam lectionem cantandam invitabitur, de suo stallo descendet, se addet Caeremoniario seu Cappellano, quocum vadet in medium chorum, ante legile praeparatum pro lectionibus. Reverentiam ad Altare, et ad Episcopum exsequetur, postea consistet ante legile, tradens biretum Cappellano seu Caeremoniario.

55. Episcopus, postquam secreto recitaverit *Pater noster*, subiunget in cantu ultimum versiculum *Et ne nos* etc. chorus autem respondebit *Sed libera nos* etc. Absolutionem deinde Episcopus prosequetur *Exaudi, Domine* etc. et a choro responso *Amen*, Canonicus qui canturus erit lectionem, iunctis manibus convertetur ad Episcopum et ab illo inclinatus petet benedictionem, dicens *Iube*, *Domne*, *benedicere*. Episcopus impertietur ei benedictionem, cantans *Benedictione perpetua* etc. et animadvertet, quod tum in ista, tum in ceteris benedictionibus nullum manu faciendum est signum Crucis.

56. Chorus ad benedictionem Episcopi respondebit *Amen* et Canonicus qui eam petiit, perstabit inclinatus versus Episcopum, donec chorus responderit *Amen* (*b*).

(*a*) Si legitima vigeat in locis consuetudo, diversa ab iis quam hac paragrapho tradimus, poterit sine ulla controversia servari.

(*b*) Si lectio caneretur a Mansionario vel Beneficiario, hic dum petet benedictionem, debet uno genu versus Episcopum genuflectere.

57. Tunc Canonicus rursus se convertet ad legile et super ipso vel super libro in extremitatibus lateralibus imponet manus, expectans nutum Caeremoniarii seu Cappellani, ut cantare lectionem incipiat.

58. Impertita ab Episcopo benedictione, recedent de throno Cappellani cum libro et scotula; Episcopus sedebit et caput cooperiet bireto, quod ei porriget Caeremoniarius. Chorus quoque considebit.

59. Quum Episcopus sederit, Canonicus cantare primam lectionem incipiet.

60. In fine lectionis ad verba *Tu autem, Domine* etc. reverentiam faciet ad Altare, deinde ad Episcopum ac recepto bireto redibit ad stallum suum, ibique antequam sedeat, reverentia salutabit Caeremoniarium, a quo comitatus fuerit (*a*).

61. Interea cantabitur primum Responsorium simplici concentu, ad cuius versiculum intermisceri poterit sonus organorum.

62. Sub finem praedicti responsorii se sistent ante Episcopum duo cappellani cum libro et scotula.

63. Caeremoniarius seu Cappellanus postquam comitatus erit Canonicum, qui cecinerit primam lectionem, subsistet prope alterum Canonicum, qui canturus erit secundam.

64. Quum prope finem erit cantus responsorii, invitabit illum ad descendendum in medium et exsequetur eadem omnia, quae descripta sunt pro prima lectione.

65. Episcopus autem benedictionem impertietur sedens caput tantum nudabit bireto; quocirca responso *Amen* a choro, Canonicus cui contigerit cantare lectionem, immediate ipsam incipiet.

66. Idipsum observabitur in reliquis lectionibus, videlicet Episcopus dabit benedictionem sedens ad secundam, tertiam, quintam, sextam et octavam. Primam autem, ut supra dictum est, et quartam benedictionem dabit stans. Quod vero ad septimam spectat et nonam, paullo inferius docebitur.

(*a*) Si cantor lectionis non fuerit Canonicus, quum dicet *Tu autem, Domine,* etc. genuflectere debebit.

67. Cantatis tribus lectionibus cum respectivis responsoriis primi nocturni, cantabitur secundum nocturnum ordine supradicto, et prima secundi nocturni antiphona intonabitur a quarto Canónico seu Dignitate, itemque septima, quae prima erit tertii nocturni intonabitur a Canonico, qui septimus in ordine chori sedebit.

68. Ad septimam autem benedictionem quod spectat, sequens ordo servabitur. Postquam Episcopus cecinerit formulam *Evangelica lectio* etc. stare perget et caput nudabit etiam pileolo.

69. Posteaquam Canonicus, qui cantabit lectionem, pronunciaverit verba *Et reliqua,* Episcopus rursus caput cooperiet pileolo et sedebit, cumque ipso considebit omnis chorus.

70. Tum Canonicus prosequetur cantare lectionem *Homilia* vel *De homilia* etc. Quam lectionem dum cantabit, meminerit manus imponere libro vel legili, idque etiam faciet ad verba Evangelii, quae dum dicet nec manus iunget, nec signabit librum aut seipsum.

71. Ad octavum responsorium duo Canonici seu Dignitates, quae debebunt Episcopo officio Diaconorum assistere, de suo stallo descendent, reverentiam ad Altare facient in medio choro, deinde venient ante thronum, ibique reverentiam facient ad Episcopum, tum locum commutantes, ut dignior stet dextrorsum, alter sinistrorsum, ad thronum ascendent et scabello considebunt uterque suo.

72. Post cantatum *Gloria Patri* octavi responsorii, se sistent ante Episcopum Cappellani cum libro et scotula

73. Absoluto responsorio, consurget universus chorus et cum ipso etiam Episcopus, qui tradet biretum primo Diacono assistenti.

74. Episcopus cantabit *Iube Domine,* (non vero *Domne*) *benedicere* et chorus ei respondebit *Amen.* Episcopus ad illa verba *Iube Domine*, *benedicere* inclinabitur versus Altare (*a*). Cantabit

(*a*) Notandum, quod Caeremoniale lib. II. cap. 5. num. 9. haec habet « Si adesset Legatus, aut aliquis alius Praelatus se maior, Episcopus versus ad illum peteret benedictionem; ille vero stans in loco suo responderet *Ad societatem* vel *Per evangelica dicta,* factis tamen prius mutuis reverentiis inter Episcopum et Legatnm, seu alium superiorem maiorem ».

deinde nonam lectionem, cuius tempore Caeremoniarius sive alius Cappellanus, sumpto ex abaco libro pro intonando *Te Deum*, invitabit Canonicum, qui officio Subdiaconi in Missa erit ministraturus, vel si Episcopus Missam non cantabit, invitabit alterum Canonicum, sive ad quem spectabit praecinere Episcopo antiphonas et hymnos, et facta simul ad Altare tum ad Episcopum ante thronum reverentia, ibi consistent. In fine lectionis ad verba *Tu autem Domine* Episcopus versus Altare profunde caput inclinabit.

75. Lectione ab Episcopo cantata, Canonicus praedictus, libro accepto a Caeremoniario seu Cappellano, praecinet Episcopo submissa voce *Te Deum*.

76. Episcopus intonabit *Te Deum*, quo intonato, Canonicus librum restituet Caeremoniario seu Cappellano et cum debitis reverentiis ad locum suum redibit.

77. Sic etiam duo cappellani cum libro et scotula de throno recedent.

78. Ad ℣. *Te ergo quaesumus* etc. omnes genuflectent. Episcopus autem genuflectet super pulvino posito in scabellulo Cathedrae. Ad versiculum eumdem, omnes caput nudabunt etiam pileolo, quod et ipse Episcopus faciet.

79. Post praedictum versiculum, Episcopi paramenta apud Altare distribuentur clericis, qui debebunt illa ad thronum deferre.

80. Item aderunt clerici delegati afferendis pluvialibus ad Canonicos, qui se parabunt una cum Episcopo, et alii qui recipient insignia seu vestes canonicales, quas illi deponent.

81. Absoluto hymno *Te Deum*, continuabitur sonare organis, donec paratus fuerit Episcopus. Interea clerici cum paramentis procedent ad thronum, quo veniet etiam Cubicularius, ut cappam Episcopi recipiat.

82. Ubi clerici ad thronum pervenerint, Diaconi assistentes Episcopo detrahent cappam, adiuvante Cubiculario, qui posteriorem vestis extremitatem expediet.

83. Post haec Diaconi assistentes induent eum amictu, alba, cingulo, Cruce pectorali, stola et pluviali, supra quo ponetur formale a primo Diacono assistente.

84. Interea clerici huic rei designati deferent pluvialia ad Canonicos, qui se parare debebunt et alii clerici recipient indumenta Canonicalia. Praedicti Canonici numero quatuor aut sex iuxta maiorem minoremve solemnitatem, supra rochetum, si utentur, secus supra superpelliceum induentur amictu et supra ipsum pluviali. Manebunt suo quisque loco: ac si Canonici hoc modo parati ordine inferiori essent quam alii, qui tempore matutini sedebunt primis locis, propter paramenta quibus sunt induti, sedebunt in primis chori subselliis, quae propiora erunt throno.

85. Episcopo parato imponetur a primo Diacono mitra pretiosa.

86. Episcopus brevi tempore sedebit ac secundns Diaconus detrahet eius capiti mitram.

87. Quam a Diacono accipiet Cappellanus a mitra et referet ad Altare; accipiet autem alteram auriphrygiatam et portabit ad thronum.

88. Ante Episcopum se sistent Cappellani a libro et a scotula.

89. Episcopus assurget, eique attollente fimbriam pluvialis primo Diacono assistente, se signabit et cantabit *Deus, in adiutorium* etc.

90. Dum cantabitur ℣. *Sicut erat* post *Gloria Patri*, Caeremoniarius sive alius Cappellanus, accepto ex abaco libro ad intonandas antiphonas, invitabit in choro Canonicum, qui officio Subdiaconi ministraturus erit in Missa, si Episcopus illo die Missam cantabit vel alter Canonicus iuxta consuetudinem ecclesiae, et cum debitis reverentiis eum comitabitur ad thronum.

91. Canonicus praedictus, postquam cantatum erit *Alleluia* vel *Laus tibi Domine* etc; reverentiam faciens ad Episcopum, primam antiphonam ei praecinet e libro, quem manu acceperit.

92. Episcopus e libro, quem ante ipsum sustinebit Cappellanus antedictus, intonabit primam antiphonam, quam cantores prosequentur in notis.

93. Intonata ab Episcopo antiphona, praedictus Canonicus discedet et cum debitis reverentiis ad stallum suum redibit.

94. Recedent etiam Cappellani cum libro et scotula, quae referri poterunt ad abacum.

95. Episcopus autem sedebit et capiti eius imponetur mitra auriphrygiata a primo Diacono assistente.

96. Duo cantores, qui praeintonaverint antiphonas in Matutino, quum cantabitur prima antiphona, procedent in medium chorum et factis ad Altare et ad Episcopum genuflexionibus, ibi consistent.

97. Cantata prima antiphona, duo praedicti cantores intonabunt primum psalmum, et inclinatione facta versus illam chori partem, quae cantum erit prosecutura, iterabunt genuflexionem ad Altare et Episcopum, et mutua se reverentia salutantes, redibunt ad locum in quo sedebunt.

98. Tum primus psalmus alternatim a choro cantabitur.

99. Ut intonatus erit psalmus, Presbyter assistens de suo loco descendet, et facta in medio choro reverentia ad Altare, deinde ante thronum ad Episcopum, ascendet ad thronum et sedebit in scabello, ut officio assistentis fungatur.

100. Quum cantabitur ℣. *Sicut erat* post *Gloria Patri*, iidem duo cantores venient in medium chorum et genuflexionem ad Altare et Episcopum conficient. Expectabunt ibi donec repetatur in notis vel ab organis antiphona prima, sub cuius finem iterata genuflexione ad Altare pergent ad chorum et progressi ante aut versus thronum, genuflexionem ad Episcopum exsequentur.

101. Se sistent ante primum Canonicum digniorem, qui erit indutus pluviali, ut superius traditum est.

102. Canonicus praedictus assurget et cum eo chorus universus.

103. Primus cantor praecinet ei secundam antiphonam, quae repetetur ab ipso in notis.

104. Deinde duo praedicti cantores reverentia eum salutabunt, quibus ipse respondebit ac sedebit et cum eo rursus considebit chorus.

105. Interea cantabitur secunda antiphona, ac duo praedicti cantores, iterata genuflexione ad Episcopum deinde ad Altare, subsistent in medio choro.

106. Completo antiphonae cantu, duo cantores iidem secundum psalmum intonabunt et facta reverentia versus chori partem, quae psalmum canendo erit prosecutura, iterabunt ad Altare et Episcopum genuflexionem. Se deinde mutua reverentia salutantes, ad locum suum ad chorum redibunt.

107. Hoc ipsum observabitur in intonatione tertii, quarti, et quinti psalmi, quorum antiphonas intonabunt Canonici supradicti induti pluviali, ritu eodem ac superius de secundo psalmo.

108. Repetita antiphona quinta et cessante organorum sono, omnis chorus consurget et ipse Episcopus. Unus cantorum qui praecinuerunt antiphonas, vel ebdomadarius sive alius ad quem spectet de more ecclesiae, cantabit Capitulum quo loco solet cantari, ea tamen animadversione, ut si cantandum sit eo loco quo canitur Epistola, faciat reverentiam vel genuflexionem ad Altare et Episcopum antequam cantet illud, et postquam cantaverit, rediens ad locum suum repetat eandem reverentiam seu genuflexionem.

109. Dum cantabitur Capitulum, Caeremoniarius vel alius quispiam huic rei delegatus, accepto ex abaco libro ad praeintonandum hymnum, invitabit Canonicum, qui debebit officio Subdiaconi ministrare in Missa Episcopi, vel etiam alium ad quem spectabit iuxta morem ecclesiae, et facta simul reverentia ad Altare, pergent ante thronum ibique reverentiam ad Episcopum conficient.

110. Cantato Capitulo et a choro responso *Deo gratias*, Canonicus praedictus accepto libro, praecinet Episcopo submissa voce principium hymni.

111. Episcopus, praeintonato a Canonico hymno, sedebit et secundus Diaconus assistens mitram detrahet capiti eius.

112. Ante Episcopum se sistent duo Cappellani cum libro et scotula.

113. Tunc Episcopus assurget et intonabit hymnum, qui cantabitur a choro.

114. Cappellani a libro et scotula recedent.

115. Canonicus praedictus, intonato ab Episcopo hymno, iterabit ante ipsum reverentiam et eodem ordine ac supra, redibit ad locum suum.

116. Interim a thuriferario in promptu habebitur thuribulum.

117. Sub finem hymni redibunt in medium chorum duo cantores ut cantent versiculum.

118. Item Cappellanus a mitra et alter a baculo accedent ad Altare et primus ibi relinquet mitram auriphrygiatam et accipiet alteram pretiosam; alter autem sumet baculum pastoralem et cum rebus iis ad thronum simul redibunt.

119. Redibit ante thronum Canonicus etiam praedictus, qui antiphonam ante *Benedictus* praecinere Episcopo debebit.

120. Absoluto hymni cantu, supradicti cantores in medio cantabunt versiculum post hymnum exsequentes genuflexiones, ut supra.

121. Cantato versiculo cum responsione chori, Canonicus idem, accepto libro, praecinet Episcopo antiphonam ante *Benedictus.*

122. Interea thuriferarius ad thronum accedet cum thuribulo.

123. Episcopus intonabit antiphonam, sedebit ac primus Diaconus assistens capiti eius imponet mitram pretiosam.

124. Recedent Canonicus, qui praeintonaverit antiphonam, et Cappellani a libro et scotula.

125. Ascendent ad thronum thuriferarius et ad Episcopum accedet Presbyter assistens, qui accepta a thuriferario navicula, ministrabit illi incensum.

126. Episcopus incensum demittet in thuribulum cum benedictione, deinde thuriferarius accedet ad Altare et subsistet prope suppedaneum in latere Epistolae.

127. Sub finem cantus antiphonae, duo cantores qui intonaverint antiphonam, redibunt in medium chorum, intonabunt *Benedictus*, postea cum debitis genuflexionibus ad locum suum revertentur.

128. Ad intonationem cantici *Benedictus* assurget Episcopus seque Crucis signo signabit. Diaconi assistentes attollent ei fimbrias pluvialis.

129. Episcopus baculum sinistra accipiet ac descendet de throno, praecedente eum Presbytero assistente, adstantibus a la-

teribus Diaconis assistentibus, sequente Caudatario sustinente extremitatem vestis et duobus Cappellanis a mitra et a baculo.

130. Episcopus transiens per chorum, signum benedicentis ad Clerum faciet.

131. Progressus ante Altare, deponet baculum, et secundus assistens mitram tollet eius de capite.

132. Presbyter assistens ad Altare ascendet per latus Epistolae.

133. Episcopus capite mitra nudato, reverebitur Crucem et ascendet ad Altare. Conscenso suppedaneo, osculabitur Altare in medio ac thuribulum accipiet a Presbytero assistente.

134. Quum Presbyter assistens tradiderit Episcopo thuribulum, recedet extra Altare subsistens tamen in gradibus a latere Epistolae.

135. Episcopus, accepto thuribulo, adolebit Crucem et Altare, recitans *Benedictus* simul cum Assistentibus (a).

136. Absoluta thurificatione, restituet thuribulum Presbytero assistenti, qui aderit in latere Epistolae.

137. Primus Diaconus assistens mitram pretiosam rursus imponet Episcopo, qui descendet de Altari et iterata ad Crucem reverentia, accipiet baculum sinistra et cum eodem comitatu redibit ad thronum, benedicens Clerum dum per chorum transibit.

138. Presbyter assistens ante thronum subsistet nec planum ipsius conscendet.

139. Thuriferarius sequetur Episcopum et quum ante thronum venerit, consistet a dextris Presbyteri assistentis.

140. Episcopus ut ascenderit in thronum, deponet baculum et stans accipiet thurificationem a Presbytero assistente, qui profunda inclinatione ante et post thurificationem honorabit eum.

141. Interim ante thronum procedet Beneficiarius seu Cap-

(a) In Laudibus ad *Benedictus* et in Vesperis ad *Magnificat* solet respectivum canticum recitari a Celebrante, dum peragit Altaris thurificationem. Haec recitatio a Caeremoniali non praescribitur et existimamus eam usu receptam esse, ut Celebrans recitare possit praedictum canticum, quod pars aliqua est Officii divini.

pellanus, ad quem iuxta morem ecclesiae, pertinebit adolere chorum.

142. Episcopus postquam thurificationem acceperit, benedicet Presbyterum assistentem et sedebit.

143. Secundus Diaconus assistens detrahet Episcopo mitram.

144. Episcopus assurget accipiet baculum, quem retinebit iunctis manibus, donec cantabitur *Benedictus*.

145. Presbyter assistens postquam Episcopum thurificaverit, tradet thuribulum illi, qui thurificaturus erit chorum, redibit ad scabellum suum et manu accepto bireto, accipiet thurificationem.

146. Deinceps primus et secundus Diaconus assistentes incensationem accipient, tum Canonici induti pluviali, postea reliqui Canonici et chorus ordine superius innuto Lib. I. cap. 5.

147. *Benedictus* cantabitur interpolate cum organis, quod fiet cum maiori minorive pausa, quum dependeat a chori incensatione, quae absoluta esse deberet ad *Gloria Patri*.

148. Cantato ℣. *Gloria Patri*, Presbyter assistens reverentiam faciet ad Episcopum et a latere descendens de throno redibit in chorum ad subsellium.

149. Post eumdem versiculum cantatum, Episcopus deponet baculum, sedebit ac primus Diaconus assistens cooperiet caput eius mitra pretiosa.

150. Hoc tempore Acolythi, acceptis ex abaco candelabris, procedent ante Altare ibique genuflexionem facient, pergent deinde ad thronum et genuflexionem ante Episcopum facient, subsistentes ad infimum gradum throni.

151. Completa antiphonae repetitione, se sistent ante Episcopum Cappellani cum libro et scotula.

152. Secundus Diaconus assistens mitram detrahet capiti Episcopi.

153. Assurget Episcopus et iunctis manibus conversus ad Altare cantabit *Dominus vobiscum*, deinde orationem respondentem Officio.

154. Huius orationis tempore redibunt in medium chorum duo cantores, qui praecinuerunt antiphonas, et cantabunt versiculos ceterarum commemorationum, vel *Benedicamus Domino*.

155. Post orationem officii, canentur iuxta rubricas reliquae commemorationes, si quae fuerint, quibus absolutis, Episcopus rursus subiiciet *Dominus vobiscum.*

156. Cantores praedicti subiungent canendo iuxta ritum officii, *Benedicamus Domino,* quo cantato, ad locum suum redibunt, factis genuflexionibus usitatis.

157. Acolythi cum candelabris discedent, et genuflexionibus ad Episcopum et ad Altare confectis, reponent ea super abaco.

158. Interea clericus quidam ad thronum deferet Canonem pro benedictione ab Episcopo largienda, eumque tradet Cappellano a libro, si opus fuerit, seu potius si in fine antiphonarii formula benedictionis desideretur.

159. Responso a choro, vel organorum sono *Deo gratias*, Episcopus non adiiciens ℣. *Fidelium animae* etc. sedebit ac primus Diaconus assistens rursus eius capiti imponet mitram pretiosam.

160. Se sistent ante Episcopum Cappellani cum libro et scotula et Episcopus assurgens benedictionem impertietur canendo *Sit nomen Domini* etc. Ante autem quam dicat *Pater* accipiet baculum sinistra et Cappellanus a libro, ne impediat ei populi conspectum, recedet ad sinistram, sustinens tamen adhuc librum apertum.

161. Si tamen fuerit Archiepiscopus, dum cantabitur *Benedicamus Domino*, procedet ante thronum Crucifer cum Cruce Archiepiscopali et genibus flexis in infimo throni gradu, sustinebit eam, imagine Crucifixi ad Archiepiscopum conversa.

162. Archiepiscopus benedictionem donabit non utens mitra, et antequam dicat *Pater,* reverentiam faciet ad Crucem, accipiet baculum et impertietur benedictionem et Crucifer de throno discedens Crucem rursus in basi collocabit.

163. Largita ab Episcopo benedictione, venient ad thronum clerici, qui paramenta Episcopi referre ad Altare debebunt et simul cum ipsis Cubicularius, qui referet cappam Episcopi.

164. Venient etiam in chorum alii clerici, qui recipient

pluvialia a Canonicis adhibita et alii, quoque cum indumentis illorum.

165. Quum ad thronum pervenerint clerici, Diaconi assistentes exuent Episcopo paramenta, quae reponentur super Altari et cooperientur velo, quo tegebantur a principio.

166. Eodem tempore exuentur Canonici, qui usi fuerint pluviali, resument sua quisque indumenta et ad subsellium suum redibunt.

167. Interea reponetur ante Altare faldistorium cum pulvinis in commodum Episcopi.

168. Exuto paramentis Episcopo, Diaconi assistentes iterum imponent ei cappam adiuvante Cubiculario, qui extremitatem posteriorem vestis Episcopi alligabit.

169. Episcopus resumpta cappa, recipiet biretum, de throno descendet, benedicet Clero et perget ad faldistorium ante Altare, in quo genibus flexis brevi orabit.

170. Comitante deinde Clero, visitabit SS. Sacramentum et ad suam residentiam revertetur.

DE VESPERIS PONTIFICALIBUS, QUAE MISSAM PONTIFICALEM POSTRIDIE CELEBRANDAM PRAECEDUNT.

CAPUT VIII.

De rebus praeparandis.
Apud Altare SS. Sacramenti.

1. Genuflexorium strato contectum et cum pulvinis, sive faldistorium ut cap. IV. huius libri.

2. Sex cerei in Altari, accendendi saltem quum in accessu ad ecclesiam et in discessu Episcopus ibi orabit.

3. Sex candelabra nobilia cum cereis albis et Cruce candelabris aequali (a).

4. Pallium nobile coloris illius quem requirit Officium.

5. Praeter tres tobaleas aderit et altera explicata seu velum explicatum super mensa, in cuius medio disponentur paramenta pro Episcopo, videlicet formalium in pelvicula, pluviale cum stola, Crux pectoralis, cingulum, alba, amictus, quae omnia contegentur amplo velo concolore paramentis.

6. In latere Evangelii mitra pretiosa et in latere Epistolae mitra auriphrygiata sive e serico auro contexto.

7. Prope Altare Pedum seu baculus pastoralis.

8. Si fuerit Archiepiscopus, ponetur etiam prope Altare basis lapidea seu lignea, in qua collocabitur Crux Archiepiscopalis.

9. Gradus altaris contegentur tapeto ex omni parte.

In abaco.

10. Abacus cooperietur albo mantili et super ipso ponentur duo candelabra cum candelis pro Acolythis; thuribulum et navicula cum thure et cochleari; scotula cum candela, antiphonarium cum tegumento concolore paramentis

(a) In sacris functionibus adhibendi cerei sunt e cera alba, exceptis officiis pro defunctis, matutinis tenebrarum et feria VI. in Parasceve, in quibus praescribitur usus candelarum e cera communi, seu non purgata. Hinc error est et abusio, praesertim in festis solemnibus alicuius ecclesiae, uti candelis coloribus depictis, cum ornamentis inauratis; siquidem huiusmodi ritus locum habet solummodo in Missa solemni a Summo Pontifice cantata. Peius autem esset, si adhiberentur candelae seu cerei lignei vel confecti e bractea variis coloribus depicta, et desuper imposita esset exigua pars albae cerae; videretur enim sordide factum neque conveniens cultui divino, in quo debent omnia esse magnifica et decentia. Hoc praecipue notare voluimus ad advertendam abusionem, quae sensim invehitur in quamdam etiam ecclesiam, ubi regulariter peraguntur officia, ut respectivos Superiores ad remedium huic rei afferendum cohortemur.

utendis ab Episcopo, Canon pontificalis si in antiphonario deesset formula benedictionis pontificalis impertiendae ab Episcopo, Directorium chori pro Subdiacono, qui praecinere antiphonas debebit.

11. Prope abacum aderunt duo pluresve canistri plani, cooperti panno decenti, in quibus ponentur insignia Canonicorum, quum iidem sacris vestibus induentur.

In medio Presbyterio.

12. Genuflexorium seu faldistorium cum pulvinis ad genuflectendum.

In choro.

13. Thronus Episcopi coopertus lodicibus coloris congruentis officio, cum baldachino.

14. Prope cathedram Episcopi pulvinus eiusdem coloris, si Episcopus genuflectere debebit ad intonationem hymni, ut fit in Pentecoste et in festis B. V.

15. Tapetum stratum super gradibus throni.

16. In plano throni tria scabella lignea sine paratu aut pulvinis pro Presbytero assistente et Diaconis assistentibus.

17. Super subselliis Canonicorum disponentur paramenta pro Canonicis, videlicet pluvialia pro Dignitatibus, planetae pro Canonicis ex ordine Presbyterali, dalmaticae pro Canonicis ex ordine Diaconali ac tunicellae pro Canonicis ex ordine Subdiaconali. Eodem in loco, seu respectivis stallis aderunt dalmaticae pro Diaconis assistentibus et pluviale pro Presbytero assistente. Super unoquoque paramento imponetur amictus.

In sacrario.

18. Quatuor pluvialia simpliciora ac diversa a paramentis Canonicorum pro quatuor Cappellanis a libro, a scotula, a mitra et a baculo pastorali.

19. Si esset Archiepiscopus, praeparabitur etiam amictus,

alba, cingulum ac tunicella pro Subdiacono, qui sustinere Cru-cem Archiepiscopalem debebit, ut inferius demonstrabitur.

20. Vasculum aquae benedictae cum aspersorio.

Apud balaustrium.

21. Candelabra maiora non amplius octo nec minus quatuor cum cereis aut intorticiis.

In functione.

22. Ante Vesperas solemnes festivo campanarum sono dabitur signum semel aut pluries, de more cuiusque loci. Etiam quum Episcopus accedet ad ecclesiam pulsabuntur campanae in laetitiae argumentum.

23. Hora praestituta sonabitur campanula Sacrarii et Canonici choralibus induti insignibus procedent ad associandum Episcopum, ut traditum est cap. 4 huius libri. Clericus superpellicio indutus accipiet vasculum aquae benedictae et consistet in limine portae principalis ecclesiae ex parte interna et curabitur, ut adsit qui portam aperiat et ingresso Episcopo statim claudat.

24. Quatuor cappellani a libro, a scotula, a mitra et a baculo, induentur pluviali in Sacristia, et Subdiaconus qui Crucem Archiepiscopalem gestaturus erit, se parabit tunicella, tum procedent ad Altare maius. Hic locum sumet ad Altare prope cornu Evangelii, illi se disponent ad lineam prope abacum in latere Epistolae.

25. Si ad ecclesiam Episcopus accederet per aliam portam, clericus antedictus cum vasculo aquae benedictae praesto esse ibi debebit. Beneficiarii et clerici Seminarii aderunt etiam prope portam, qua intrabit Episcopus, sed in interna parte ecclesiae.

26. In ingressu Episcopi sonabitur organis, dummodo id functio requirat, sed nulla a cantoribus sacra cantiuncula cantabitur. Episcopus adorabit SS. Sacramentum, ut cap. praedicto traditum est, postea procedet ad Altare maius, ubi genuflectet

ad faldistorium, super quo a Caeremoniario explicabitur eius cappae pars anterior. Permanebit ibi genibus flexis, donec monebitur ut assurgat.

27. Hoc tempore Dignitates et Canonici suis locis dimittent insignia choralia, videlicet cappam vel mantelletum, aut quodcumque aliud insigne, et supra rochetum vel superpellicium, nisi utentur rocheto, induent amictum et paramentum ordini suo conveniens. Curabitur, ut actio haec fiat expedite, et aderunt quatuor pluresve clerici huic rei delegati, quorum aliqui in canistris praeparatis reponent insignia superius nominata eaque collocabunt prope abacum, ut in promptu habeant in fine Vesperarum.

28. Duo Diaconi assistentes statim ac parati erunt, vadent ad thronum, non enim decet ut vestiantur in throno, ubi induitur Episcopus. Presbyter assistens, qui erit prima dignitas, stabit loco suo, qui erit in principio scamni canonicalis throno propioris.

29. Quum parati erunt Canonici et omnia disposita, Caeremoniarius tollet de faldistorio cappam Episcopi, quam ibi explicaverat, et innuet Episcopo ut assurgat. Episcopus assurget et facta ad Crucem profunda reverentia, procedet ad thronum ibique sedebit.

30. Episcopus transiens per chorum benedictionem dabit Clero.

31. Hoc tempore duo clerici amovebunt a medio presbyterio faldistorium cum pulvinis et seorsim in eodem presbyterio asportabunt.

32. Distribuentur clericis paramenta Episcopi, servando in genuflexionibus usum cuiusque loci, idque in accessu et recessu tam de Altare, quam de throno. Atque heic monendum videtur, quod in peragendis cum gravitate actionibus, vitandum est nimium studium, ideoque actiones multae, de quibus in Caeremoniali non agitur, peragendae erunt iuxta particularitates locorum et usum ecclesiarum. Quare clerici accipientes paramenta poterunt ad Altare ascendere ex parte Epistolae, et accepto paramento, descendere in medium et consistere aut ad lineam aut unus post alterum ante Altare,

ut coniunctim genuflexionem faciant ad Crucem ac deinde pergant ad thronum, quo quum venerint genuflexionem simul facient ad Episcopum, et postquam tradiderint paramentum, in plano throni iterabunt genuflexionem ad Episcopum et quisque eorum ad locum suum redibit. Tradetur etiam mitra pretiosa et baculus pastoralis duobus Cappellanis pluviali indutis, qui ad thronum accedent et subsistent in secundo gradu a parte throni sinistra.

33. Quum distribuentur clericis paramenta, vel etiam paullo ante, si thronus valde proximus Altari esset, Episcopus nudabit caput et assurget in pedes. Diaconi assistentes ei cappam detrahent, adiuvante Cubiculario, qui stans post secundum Diaconum assistentem, expediet taenias cappae, quibus adstricta erit in humeris Episcopi et cappam ipsam tollet de sede throni, advertens ut prius expediat extremitatem posteriorem vestis talaris Episcopi.

34. Priusquam ad thronum ascendat clericus ferens amictum, veniet in thronum a latere Presbyter assistens, qui manum et annulum osculatus detrahet digito Episcopi annulum, quem custodiet apud se, et discedens a latere throni ad locum suum recedet.

35. Clerici alter post alterum ascendent in planum throni et paramenta tradent Diaconis assistentibus. Episcopus assurget in pedes, osculabitur amictum in medio, quem porriget ei primus Diaconus et collo imponet, postquam ipso tetigerit caput eius. Episcopus extremo amictu totum collarium cooperiet, ac Diaconi taenias post humeros decussabunt et reducent ante pectus eius, ubi Diaconus primus easdem alligabit. Uterque Diaconus accipient albam, quam induent Episcopo, inducentes manicam prius brachio dextero, postea sinistro et primus aperturam in collo claudet. Episcopus accipiet cingulum, quod a tergo ei porrigetur ab iisdem Diaconis ita ut pars floccis instructa cohaereat dexterae, altera parte defluente, qua firmabitur stola. A Diaconis praedictis attolletur ex ima parte alba, si opus fuerit, ne ascendenti ad Altare Episcopo sit impedimento. Episcopus, ligato cingulo, osculabitur Crucem pectoralem, quam ipsi praebebit primus Diaconus. Osculata ab

Episcopo Cruce, Diaconus laxabit resticulam, ac si opus fuerit, adiuvante etiam secundo Diacono, imponet illam collo eius, animadvertens quod Crux stare debet in medio pectore, ideoque si necesse erit, contrahet resticulam super humeros. Accipiet deinde stolam, praebebit osculandam Episcopo Crucem, quae in medio sita est, et illam imponet collo eius, advertens ut eamdem reflectat super humeros ita tamen ut sit circa collum. Si adesset in medio taenia, qua deprimatur extremitas superior, a secundo Diacono cohibebitur cingulo, et in parte anteriori, sive ante pectus ab Episcopo ipso firmabitur binis cinguli extremitatibus, quae obvolventur a lateribus super cingulum ipsum. Diaconus secundus accipiet pluviale et imponet ipsum humeris Episcopi et ex parte pectoris recipietur a primo Diacono, qui ope hamuli cohibebit illud in pectore. Postea primus Diaconus accipiet formale et firmabit ipsum in hamulo pluvialis. Episcopus sedebit et primus Diaconus mitram pretiosam accipiet a Cappellano, illam custodiente, et capiti Episcopi imponet, secundo Diacono ipsum adiuvante in attollendis mitrae vittis.

36. Diaconi assistentes recedent ad sua scabella, quae aderunt a lateribus cathedrae Episcopalis, et Presbyter assistens perget ad thronum ex parte anteriori ipsius et facta reverentia ad Crucem Altaris deinde ad Episcopum, ascendet in planum throni, et annulum in digitum Episcopi imponet osculans prius annulum dein manum eius.

37. Duo cappellani a libro et a scotula, accipient haec et facta ad Altare genuflexione procedent ad thronum. In hac actione operam dabunt ut ad Altare et ad Episcopum genuflectant simul cum Presbytero assistente, quum reverentiam faciet, et sequantur ipsum. Cappellani praedicti locum sument prope secundum Diaconum in plano throni; et illorum alter qui sustinet librum, inseret digitum inter folia ad antiphonam cantandam, ut in promptu habeat signaculum, sicut infra.

38. Presbyter assistens, coniecto annulo in digitum Episcopi, recedet ad scabellum suum positum in plano throni a dextera Episcopi versus partem anteriorem graduum.

39. Secundus Diaconus assistens ante Episcopum se sistet

et facta ad ipsum profunda reverentia, ascendet in gradum sedis episcopalis, et Episcopo detrahet de capite mitram, cuius vittas attollet Diaconus primus, si opus fuerit. Cappellanus a mitra (qui quum imponenda aut detrahenda Episcopo erit mitra, aderit semper a dextris Diaconi hanc actionem peracturi, idque sit pro regula generali) accipiet mitram eamque cum debitis genuflexionibus afferet ad Altare et super mensa collocabit, tum accipiet alteram auriphrygiatam et ad thronum redibit.

40. Cessabit organorum sonus, Episcopus assurget ac recitabit secreto *Pater noster* et *Ave Maria*. Presbyter assistens accipiet librum e manu Cappellani, inserens digitum in folium ubi aperiendus erit, et ante Episcopum veniet eumque priusquam aperiat librum, profunda reverentia prosequetur. Episcopus, praesentato ipsi libro aperto, se signabit incipiens canere *Deus in adiutorium* etc. ac primus Diaconus assistens attollet fimbriam dexteram pluvialis eius.

41. Ubi Episcopus intonuerit *Deus in adiutorium* etc. Presbyter assistens librum claudet, reverentia honorabit Episcopum, redibit ad scabellum suum et librum restituet cappellano, a quo acceperit. Interim a choro cantabitur *Domine ad adiuvandum* etc. et Subdiaconus, qui debebit praecinere Episcopo antiphonam (ille autem erit, ad quem spectabit postridie in Missa pontificali ministrare ad Altare) de suo stallo canonicali descendet, comitante altero Caeremoniario, qui tradet ei directorium chori. Procedent simul in medium chorum, ibique curabunt ut adsint quo tempore canitur *Gloria Patri* etc. et facta deinde respective reverentia et genuflexione ad Crucem, procedent ante thronum, sed gradus non conscendent.

42. Cantato *Alleluia* vel *Laus tibi Domine*, pro temporis qualitate, Subdiaconus (a) facta ad Episcopum profunda reverentia, praecinet ei submissa voce antiphonam primi psalmi iuxta notas Directorii.

(a) Si propter usum in ecclesia vigentem non ad Subdiaconum spectaret antiphonas praecinere, invitabitur qui hoc iure gaudet. Id ipsum intelligi volumus num. 57 relate ad Capitulum et num 65 ad praeintonationem antiphonae praecedentis *Magnificat*.

43. Presbyter assistens librum a Cappellano resumet, et se sistens ante Episcopum cum reverentia, ut supra, aperiet librum et apertum sustinebit ante Episcopum donec intonuerit antiphonam, post cuius intonationem claudet librum, reverentiam iterabit, restituet librum Cappellano et ad scabellum suum redibit.

44. Subdiaconus et ipse cum debitis reverentiis et comitante Caeremoniario redibit ad locum suum.

45. Interea cantores prosequentur cantum antiphonae, ac si psalmi canentur alternatim a choro, duo cantorum superpellicio induti, discedent de legili et pergent in medium, genuflexionem ad Episcopum et ad Altare facientes, et intonabunt ante Altare primum psalmum, post cuius intonationem iterabunt genuflexiones et revertentur ad locum suum.

46. Statim post intonatum psalmum sedebit Episcopus, et primus Diaconus assistens, sumptam a Cappellano mitram auriphrygiatam imponet Episcopo, et uterque Diaconus assistens componet pluviale super genibus eius.

47. Quum sederit Episcopus, considebunt Assistentes et Clerus in choro, capite cooperto. Cappellani a libro et scotula de throno descendent et illa deponent super abaco: Cappellanus a baculo applicabit baculum prope thronum vel apud Altare, se adiunget Cappellano a mitra et simul subsistent stantes prope thronum, quo reversi reliqui duo Cappellani a libro et a scotula coibunt cum ipsis et una stantes ad lineam, genuflexionem facient ad Altare, deinde ad Episcopum, postea considebunt in gradibus throni ex parte anteriori, capite bireto non cooperto.

48. Clerici inservientes, qui stabunt prope abacum, aut una cum praedictis Cappellanis aut post ipsos facient simul genuflexionem ad Altare et ad Episcopum, postea sedebunt in gradibus Altaris a latere.

49. Quum cantabitur ℣ *Gloria Patri* sonabitur organis: Episcopus inclinabit caput versus Altare et ceteri in choro idem facient, sed caput bireto nudabunt.

50. Cantato ℣ *Sicut erat* etc. repetetur antiphona aut a cantoribus aut musico concentu, vel ab aliquo cantore intelligibili voce recitabitur sonantibus organis.

51. Interea Caeremoniarius invitabit Subdiaconum, qui de suo loco descendet, librum accipiet a Caeremoniario ipso pro antiphonis intonandis, et ambo factis ad Altare debitis reverentiis accedent ad thronum, et ante ipsum quum venerint, respectivas conficient ad Episcopum reverentias. Stans deinde cum Caeremoniario Subdiaconus idem paullulum a latere super dexteram suam, mediocri reverentia salutabit primum Diaconum assistentem, qui nudato capite assurget et cum ipso reliqui assistentes et ipsi capite nudato, videlicet secundus Diaconus assistens, Presbyter assistens et quatuor Cappellani sedentes in gradibus anterioribus throni. Subdiaconus praecinet secundam antiphonam, quae intonabitur a praedicto primo Diacono assistente. Antiphona intonata, sedebunt omnes illi qui assurrexerant, et Subdiaconus iterata ad Episcopum et Altare reverentia, redibit ad locum suum.

52. Duo cantores eodem ordine ac supra secundum psalmum intonabunt.

53. Repetita vel cantata secunda antiphona post secundum psalmum, Subdiaconus tertiam antiphonam Presbytero assistenti praecinet atque ita cantabitur tertius psalmus eodem ordine ac supra.

54. Antiphona quarta a Subdiacono praecinetur Canonico seniori, ideoque Subdiaconus facta ad Altare et ad Episcopum reverentia, procedet ante Canonicum in choro sedentem, qui assurget et cum eo ceteri omnes Canonici in utraque parte sedentes consurgent, exceptis tamen assistentibus throno, qui sedere pergent, et intonata a Canonico praedicto antiphona, Subdiaconus iterabit reverentiam ad Episcopum et ad Altare ac redibit ad locum suum; tum a cantoribus intonabitur quartus psalmus, qui si erit CXII. scilicet *Laudate pueri*, inclinabitur, ut supra, caput ad illa verba *Sit Nomen Domini benedictum.*

55. Antiphona quinta intonabitur a secundo Diacono assistente ideoque Subdiaconus in praeintonatione stabit conversus aliquantum super sinistram suam.

56. Cantato ℣. *Gloria Patri* quinti psalmi, consurgent Cappellani sedentes in gradibus throni et clerici sedentes in gra-

dibus a lateribus Altaris, qui coeuntes ad medium Altaris, genuflexionem simul conficient ad Altare, postea ad Episcopum et recedent ad abacum ibique stabunt. Pari modo Cappellani praedicti genuflectent ad Altare et ad Episcopum: reliqui duo a libro et a scotula pergent ad abacum ad accipiendas res illas et redibunt ad thronum ordine innuto ab initio, itemque alter a mitra praesto erit ut suo munere fungatur.

57. Dum repetetur quinta antiphona post psalmum, Subdiaconus comitatus a Caeremoniario de suo loco descendet ac facta ad Altare et ad Episcopum reverentia, accedet ad Altare quo loco cantari solet Epistola, ibique non convertens tergum Episcopo neque Altari, quum absolutus erit antiphonae cantus, accipiens librum a Caeremoniario, cantabit tono consueto Capitulum, ad quod assurget Episcopus et chorus. Episcopus mitram in capite retinebit, omnes autem qui utebantur bireto, dimittent ipsum.

58. Quum a choro respondebitur *Deo gratias*, Subdiaconus redibit ante Altare, reverebitur Crucem et ibit ante thronum, ibique facta ad Episcopum reverentia profunda, hymnum ipsi praecinet. Episcopus sedebit et a primo Diacono assistente detrahetur ei mitra. Presbyter assistens librum a Cappellano ipsius accipiet, se sistet ante Episcopum cum reverentia, ut supra, et ante eum sustinebit librum apertum. Episcopus e libro intonabit hymnum, qui continuabitur in cantu cum organis aut a cantoribus aut a musicis. Hymno ab Episcopo intonato, Presbyter assistens claudet librum, iterabit reverentiam, librum restituet Cappellano et ad scabellum suum revertetur.

59. Si Episcopus intonare debebit hymnum *Veni creator* etc. vel *Ave maris Stella*, ut eum intonuerit, genua flectet super pulvinum positum in gradu sedis throni, advertentibus Diaconis assistentibus, ut attollant eius fimbrias pluvialis, et sustentent eum dum geniculabit. Secundus Diaconus assistens detrahet ipsi pileolum. Adgeniculato Episcopo, in genua procumbent ceteri omnes et genibus flexis perstabunt ad totam primam stropham, qua absoluta, primus Diaconus assistens pileolum re-

ponet in capite Episcopi, qui assurget sustentatus ab eisdem Diaconis, et ceteri omnes consurgent, qui aderunt in choro.

60. Interea Cappellanus a mitra veniet ad Altare, reponet in eo mitram auriphrygiatam, accipiet pretiosam et ad thronum redibit.

61. Duo acolythi sub hymni finem, sed ante ultimum versiculum, facient simul in medio choro ad Episcopum, deinde ante Altare genuflexionem, et a latere ad Altare ascendent, mensam denudabunt tobalea seu panno, quo erit cooperta, et ad medietatem complicabunt; tum de Altari descendent, genuflexionem iterabunt ad Altare et ad Episcopum, et ad locum suum prope abacum redibunt. (*a*)

62. Thuriferarius accipiet ex abaco thuribulum et ignem in eo parabit.

63. Ad conclusionem hymni in invocatione SS. Trinitatis omnes inclinabunt caput versus Altare.

64. Sub hymni finem qui duo cantores intonaverint psalmos, procedent ante Altare cum debitis genuflexionibus et cantabunt versiculum, post quem redibunt ad locum suum.

65. Dum a choro cantabitur responsum versiculi, Subdiaconus de suo loco descendet, et accepto libro ad praecinendas antiphonas a Caeremoniario, simul cum illo factis debitis reverentiis ad Altare, perget ante Episcopum, eique facta reverentia profunda, praecinet antiphonam ante *Magnificat*.

66. Thuriferarius accepto thuribulo et navicula, cum debitis genuflexionibus sequetur Subdiaconum, idemque progressus ante thronum, genuflexionem faciet ad Episcopum et recedet ad sinistrum throni latus, expectans tempus illuc ascendendi, ut infra.

67. Presbyter assistens librum accipiet a Cappellano et methodo superius tradita praesentabit illum Episcopo, qui

(*a*) Advertatur expressio Caeremonialis lib. II. cap. 1. num. 13. « Interim duo Acolythi praecedunt ad Altare elevantes hinc inde anteriorem partem superioris tobaleae, seu veli super Altare positi, illamque conduplicant usque ad medium » Et num. 15 eiusdem capitis, completa thurificatione Altaris « duo Acolythi supradicti velum seu tobaleam paulo ante plicatam reducunt, prout erat super Altari ».

praedictam antiphonam intonabit. Subdiaconus iterabit reverentiam et redibit ad locum suum. Presbyter assistens librum restituet Cappellano et consistet a dextera Episcopi.

68. Episcopus sedebit et primus Diaconus assistens imponet ei mitram pretiosam. Cappellanus a baculo accipiet baculum et subsistet a sinistra throni, ut paratus sit ad exsequendum munus suum, ut infra. Quum sederit Episcopus, antiphona a cantoribus commode cantabitur, ut peragantur omnes actiones, quae praescribuntur; interea qui duo cantores intonaverint psalmos, procedent ante Altare ad intonandum *Magnificat*, nisi cantabitur a musicis.

69. Presbyter assistens accedet ad Episcopum et Diaconi assistentes sustollent ipsius fimbrias pluvialis. Ascendet ad thronum thuriferarius, naviculam apertam tradet Presbytero assistenti, et aperto thuribulo, geniculabit ante Episcopum eique thuribulum obiiciet. Presbyter assistens accipiet naviculam et extractum cochleare osculabitur, porriget Episcopo osculans manum eius et obiiciens ipsi naviculam, dicet *Benedicite, Reverendissime Pater*. Episcopus ter accipiet e navicula incensum, iniiciet illud in thuribulum, dicens *Ab illo benedicaris* etc. quumque in thuribulum demiserit ipsum, benedicet. Presbyter assistens recedet, thuriferarius assurget, claudet thuribulum et resumpta navicula vadet cum debitis genuflexionibus ad Altare, subsistens prope suppedaneum in latere Epistolae.

70. Cantores intonabunt *Magnificat*, Episcopus assurget ac totus chorus cum ipso. Cantores autem intonato cantico praedicto, ad locum suum redibunt. Episcopus signabit se et sinistra accipiet baculum pastoralem ipsi porrectum a Cappellano, qui dum ei tradet baculum, osculabitur manum eius.

71. Episcopus ad Altare accedet hoc ordine: Praeibit Presbyter assistens, tum Episcopus medius inter duos Diaconos assistentes, qui fimbrias pluvialis eius sustinebunt, sequetur Caudatarius extremitatem posteriorem eius vestis sustentans et Cappellani a baculo et a mitra.

72. De throno Episcopus quum descenderit, benedicet Canonicos Presbyteros, deinde Canonicos Diaconos; Beneficiarios etiam et clericos Seminarii deinceps benedicet, iuxta dispositionem Presbyterii.

73. Quum Episcopus perventurus erit ad Altare, Cappellanus a baculo anteibit aliquantum, ut praesto sit ad recipiendum baculum, ubi Episcopus perveniet ante infimum gradum Altaris. Presbyter assistens ad Altare statim ascendet, et accepto a thuriferario thuribulo, nempe sinistra thuribulo, dextera summitate catenularum, expectabit in suppedaneo a latere Epistolae, ut tradat illud Episcopo.

74. Episcopus ante gradus Altaris deponet baculum in manum Cappellani, et secundus Diaconus assistens detrahet ei mitram, quae a respectivo Cappellano recipietur; hic se adiunget alteri a baculo, et una consistent ante Altare, non tamen ascendentes ad ipsum.

75. Episcopus simul cum Diaconis assistentibus faciet reverentiam profundam ad Crucem, ascendet ad Altare, quod osculabitur in medio: accipiet a Presbytero assistente thuribulum et adolebit Altare. Presbyter assistens recedet ad latus Epistolae extra mensam Altaris. Episcopus dum peraget thurificationem, recitare poterit *Magnificat*. Sub finem thurificationis accedent ad Episcopum duo Cappellani a mitra et a baculo (a).

76. Thurificatione completa, Episcopus thuribulum restituet Presbytero assistenti et hic thuriferario. Episcopus, rursus capiti imposita a Diacono primo assistente mitra pretiosa, sinistra baculum a Cappellano recipiet.

77. Episcopus medius inter Diaconos assistentes, sustinentes eius fimbrias pluvialis, de Altari descendet, reverebitur Crucem, ad thronum redibit, praeeunte Presbytero assistente, medius inter praedictos Diaconos, sequentibus Cappellanis supra nominatis. In medio Presbyterio, vel antequam ascendat ad thronum, iuxta positionem presbyterii, benedicet Canonicos et reliquos de Clero, quemadmodum traditum est superius in descensu de throno ad Altare.

78. Presbyter assistens non ascendet ad thronum, sed stabit ante gradus illius, recedens aliquantum, ut locus sit transeundi Episcopo, cui ad thronum ascendenti faciet reverentiam

(a) Quod spectat ad *Magnificat* recitandum in thurificatione Altaris, inspiciatur adnotatio ad Laudes solemnes cap. VII. huiusce libri.

profundam. Secundus Caeremoniarius vel alter designatus, invitabit Subdiaconum, qui praecinuerit antiphonas et ante thronum deducet ipsum prope Presbyterum assistentem.

79. Episcopus ad thronum ascendet, ibique non sedens tradet baculum pastoralem Cappellano, mitram in capite gestans et iunctis manibus. Duo Diaconi assistentes fimbrias pluvialis eius sustollent. Presbyter assistens a thuriferario accipiet thuribulum et facta ad Episcopum reverentia profunda, stans adolebit ipsum triplici ductu, iterabit profundam reverentiam, et Episcopus post thurificationem dextera eum benedicet et sedebit.

80. Episcopo sedenti secundus Diaconus assistens detrahet de capite mitram. Episcopus assurget, accipiet baculum quem iunctis manibus continebit, eoque statu permanebit ad totum canticum praedictum.

81. Presbyter assistens tradet thuribulum Subdiacono, qui aderit a dextris eius, redibit ad scabellum suum, biretum resumens in manum, et convertetur versus Subdiaconum ipsum.

82. Subdiaconus conversus aliquantum super dexteram suam, duplici ductu adolebit Presbyterum assistentem, salutans eum reverentia non profunda, ante et post thurificationem. Eodem modo adolebit deinde primum Diaconum assistentem: postea reversus in medium ante thronum, faciet ad Episcopum reverentiam profundam, et conversus aliquantulum super sinistram suam, adolebit, ut supra, secundum Diaconum assistentem. Redibit in medium ante thronum, et iterata reverentia profunda ad Episcopum, perget ad chorum et adolebit Dignitates, Canonicos Presbyteros, Canonicos Diaconos et Canonicos Subdiaconos, inclinatus ad singulos ante et post thurificationem. Quicumque adolendus erit, antequam accipiat thurificationem, reverebitur suum Collegam, qui post ipsum sedebit.

83. Reverso ad thronum Episcopo, duo acolythi, qui mensam Altaris denudaverant, ad Altare redibunt eodem ordine ac supra, et rursus Altare cooperient tobalea seu panno, quo coopertum erat et revenient ad locum suum.

84. Subdiaconus thurificationem Canonicorum prosequetur et post ipsam restituet thuriferario thuribulum, redibit

ad locum suum et a thuriferario incensabitur. Deinceps thuriferarius prosequetur adolere chorum, ut cap. V. lib. I. et ultimo loco populum, advertentibus cantoribus, ut canent *Gloria Patri*, quum completa erit thurificatio.

85. Ad ℣. *Sicut erat* post *Gloria Patri*, Episcopus relinquet baculum in manum Cappellani, sedebit et a primo Diacono imponetur ei mitra. Cum Episcopo considebunt assistentes et chorus.

86. Duo Acolythi accipient ex abaco candelabra cum candelis accensis, et illa gestantes, ut praescribit Caeremoniale, appositis manibus ad nodum et ad pedem candelabri, procedent ante Altare, genuflexionem conficient et venient ante thronum, ubi facta genuflexione, consistent fere a lateribus throni, sed contra ipsum.

87. Quum repetitio antiphonae erit prope finem, Presbyter assistens assurget de scabello, super quo relinquet biretum et accepto a Cappellano libro, paratus erit ad praesentandum ipsum Episcopo. Secundus Diaconus assistens mitram detrahet Episcopo, qui assurget, et ante eum se sistet Presbyter assistens, qui librum apertum sustinebit. Cappellanus a scotula advertet ut ad librum admoveat candelam accensam, si opus fuerit. Episcopus ad Altare conversus cantabit *Dominus vobiscum* et orationem, semper iunctis manibus.

88. Si praeter orationem officii, alia quaedam esset commemoratio, succedet in sustinendo libro Cappellanus ipsius libri, qui recipietur a Presbytero assistente, quum Episcopus orationem cantabit pro commemoratione. Qui duo cantores intonuerint psalmos, procedent ante Altare dum Episcopus cantabit orationem, ad canendum *Benedicamus Domino*, vel etiam versiculos pro commemoratione.

89. Post orationem officii, vel post orationem commemorationis subiunget rursus Episcopus *Dominus vobiscum* in cantu et Presbyter assistens claudet librum ac recedet; cantores cantu praescripto iuxta officium, cantabunt *Benedicamus Domino*.

90. Acolythi cum candelabris redibunt ad abacum, ubi illa deponent, factis ad Episcopum et ad Altare debitis genuflexionibus.

91 Si in antiphonario benedictio pontificalis inserta non esset, curae erit clerico afferre ad thronum Canonem pontificalem, signaculo ad benedictionem posito, illumque tradere Cappellano a libro.

92. Cantato *Benedicamus Domino*, cui respondetur in cantu a choro, vel organorum sono, Episcopus sedebit ac mitra cooperietur.

93. Episcopus assurget et benedictionem donabit cantans *Sit nomen Domini* etc. Presbyter assistens sustinebit ei librum apertum et in benedictionis actu recedet ex una parte, retinens adhuc librum apertum ne conspectum populi impediat Episcopo. Diaconi assistentes elatas sustinebunt fimbrias pluvialis. Ad benedictionem omnes genuflectent, exceptis Canonicis paratis. Postquam Episcopus levaverit ac iunxerit manus et dixerit *Omnipotens Deus*, accipiet sinistra Pedum et benedictionem donabit.

94. Si fuerit Metropolita, quum cantores cantabunt *Benedicamus Domino*, accipietur Crux archiepiscopalis a Subdiacono parato, qui sine ulla genuflexione veniet ad thronum, ubi geniculabit in infimo gradu, et ita sustinebit Crucem, ut imago Crucifixi ad Archiepiscopum versa sit. Archiepiscopus autem non utetur mitra ad benedictionem et priusquam accipiat baculum sinistra, reverentiam faciet ad Crucem, quae a Subdiacono supradicto sustentabitur ante ipsum. Benedictione impertita, discedet Subdiaconus et Crucem reponet in basi qua firmabatur.

95. Donata ab Episcopo sive Archiepiscopo benedictione, clerici designati ad recipienda Episcopi paramenta, procedent coniunctim ad Altare, et ante hoc genuflexionem conficient, ac primus eorum afferet pelviculam ad accipiendum formale.

96. Venient deinde ad thronum, ascendent unus post alium, et ordinatim accipient paramenta Episcopi eaque referent ad Altare, super quo ponentur, ut in principio officii et rursus contegentur velo quo cooperta erant.

97. Sonabitur organis quum se spoliabit Episcopus et donec exierit de ecclesia. Tempore autem discessus eius pulsabuntur etiam aera campana festivo more.

98. Presbyter assistens petet subsellium suum, de throno a latere descendens.

99. Clerici delegati adiuvandis Canonicis, ibunt in chorum et deferent canistra cum indumentis canonicalibus. Statim ac Episcopus deposuerit pluviale, Canonici in suis stallis deponent respectivum paramentum cum amictu et resument indumentum canonicale. Paramenta plicata decenter poterunt eisdem canistris referri in Sacrarium.

100. Quatuor cappellani pluviali induti, postquam reliquerint mitram et baculum ad Altare et librum cum scotula in abaco, discedent ad pluviale deponendum in Sacrarium. Quod etiam faciet Cappellanus a Cruce archiepiscopali et redibit in chorum, ut adimpleat officium suum in discessu Episcopi.

101. Duo clerici ad hoc delegati, reponent faldistorium cum pulvinis in medium chorum et cubicularius Episcopi stans prope thronum in promptu habebit cappam, qua rursus induet Episcopum.

102. Episcopo omnibus paramentis exuto, cubicularius ad thronum ascendet et stans post secundum Diaconum assistentem, imponet rursus cappam Episcopo, adiuvantibus eum Diaconis praedictis, qui explicabunt illam in parte anteriori. Episcopus assurget, ut cubicularius possit erigere et firmare extremitatem posteriorem vestis talaris.

103. Discedent postea cum debitis reverentiis Diaconi assistentes, deponent paramenta in suis stallis, et indumenta canonicalia recipient ad associandum Episcopum.

104. Episcopus, manu sumpto bireto, de throno descendet, veniet ad faldistorium, reverentiam faciet ad Crucem Altaris, geniculabit, orabit brevi ac post orationem assurgens iterabit reverentiam ad Crucem et perget ad adorandum SS. Sacramentum.

105. Clerus Episcopum postea redeuntem ad suam residentiam associabit, ordine cap. IV. huius libri descripto.

DE MISSA PONTIFICALI
AB EPISCOPO IN SUA CATHEDRALI CELEBRANDA.

CAPUT IX.

De rebus praeparandis.
ad Altare SS. Sacramenti.

1. Genuflexorium cum strato et duobus pulvinis, uno nempe ad genua, altero ad brachia, vel faldistorium ut cap. IV. huius libri.

2. Sex cerei in candelabris accendendi saltem quum Episcopus ibi orabit.

In Secretario seu Sacello
in quo cantabitur Hora tertia (a).

3. Sex candelabra cum cereis et Crux aequalis super Altari.

4. Tapetum, quod gradus Altaris cooperiat.

5. Pallium eius coloris, quem requirit officium.

6. Super mensa Altaris paramenta Episcopi, videlicet planeta, chirothecae in lance, dalmatica et tunicella, formale in lance, pluviale, stola, Crux pectoralis, cingulum, alba et amictus, quae omnia contegentur velo concolore paramentis. Mitra pretiosa in latere Evangelii. altera auriphrygiata in latere Epistolae.

7. Si fuerit Metropolita, praeparabitur S. Pallium in pelvicula coopertum exiguo velo concolore ceteris paramentis,

(a) Pro Missa pontificali ab Episcopo celebranda statuimus, debere iuxta antiquam disciplinam extare *Secretarium*, ut inculcat Caeremoniale. Si qua in Cathedrali Secretarium deesset, designabitur in hanc rem ab Episcopo sacellum aliquod in ecclesia eadem, quod sit ex amplioribus.

ac tres spinulae aureae gemmatae in altera pelvicula, dummodo illa die uti liceat Pallio (*a*).

8. Prope Altare praeparabitur baculus pastoralis.

9. Et Crux processionalis, nisi fuerit Metropolita; hoc enim casu statuetur basis, qua fulciatur.

10. A latere Epistolae aderit subsellium coopertum tapeto vel duo scabella pro sacris Ministris.

11. In throno ponetur Cathedra cum lodice coloris analogi et cum baldachino, a lateribus autem duo scabella pro Diaconis assistentibus (*b*).

12. Statuentur etiam sedilia pro Canonicis et ceteris omnibus de Clero, iuxta locorum qualitates, cooperta distinctis tapetis, nisi in Sacello iam adessent sedilia, seu subsellia immota.

13. Ante Altare ponetur faldistorium cum pulvinis, super quo orabit Episcopus.

Super abaco.

14. Caligae cum sandaliis in lance, coopertae velo simplici et alterum velum quo cooperiantur quum ad Episcopum afferentur.

15. Evangeliarium vel Missale ornatum tegumento e panno serico simili paramentis, et intra librum aderit manipulus Episcopi: manipuli pro duobus Ministris: Breviarium maioris formae ad cantandum Capitulum Tertiae: duo candelabra cum candelis pro Acolythis: Canon pontificalis: scotula cum sua candela: antiphonarium cum tegumento, ut supra: urceus cum pelvi: duo mantilia in lance: velum humerale pro ma-

(*a*) In Pontificali Romano notatur, quibus diebus S. Pallio uti licet.

(*b*) Quod diximus de throno erigendo in Secretario, ut instructus sit baldachino, cohaeret cum Caeremoniali, ex cuius legibus sedes Episcopi habere debet baldachinum, ut cap. 13. lib. I. Quum igitur ab eodem Caeremoniali lib. II. cap. 8. num. 3. praescribatur, ut in Secretario adsit sedes pro Episcopo, nec fiat ibi exceptio ulla, perspicuum videtur ex principiis libro praedicto statutis, ut apponatur baldachinum, praesertim si super Altare etiam adesset.

gistratu, si lotionem Episcopo ministrabit: thuribulum et naviculа cum thure et cochleari: prope abacum autem aut seorsim aderit focus cum prunis.

16. In loco convenienti legile cum antiphonario pro cantoribus.

In Sacristia
vel in aliquo cubiculo proximo Secretario.

17. Paramenta pro Ministris, videlicet Dalmatica cum stola, tunicella, duo cingula, albae et amictus duo: paramenta pro Canonicis, nempe pluvialia pro Dignitatibus, planetae pro Canonicis ex ordine presbyterali, dalmaticae pro Diaconis ac tunicellae pro Subdiaconis, et inter ipsas aderunt dalmaticae et pluviale pro assistentibus throno. Amictus pro paramentis praedictis: quatuor pluvialia pro Cappellanis a libro, a scotula, a mitra et a baculo. Tunicella, cingulum, alba et amictus pro Subdiacono, qui Crucem erit gestaturus.

Apud Altare maius.

18. Crux cum candelabris septem, suis cereis instructis: de modo autem ea disponendi inspiciatur subiecta nota (*a*).

Super abaco.

19. Calix cum duobus purificatoriis, patena cum binis hostiis, palla et corporale intra bursam: ampullae vini et aquae in pelvicula: cochleare, si opus fuerit, ad fundendam aquam: campanula: binae paterae pro praegustatione: Epistolarium

(*a*) Quia Missa pontificalis Episcopi requirit, ut septimo candelabro Altare exornetur, advertatur quo modo ponendum sit, quod luculenter a Caeremoniali praescribitur lib. I, cap. 12. num. 12. « Celebrante vero Episcopo, candelabra septem super Altari ponantur, quo casu Crux non in medio illorum, sed ante altius candelabrum in medio cereorum positum locabitur ». Quare ponenda est Crux ante candelabra, nec septimum candelabrum ponendum est post Crucem. Peius autem esset, si affigeretur cereus post Crucem ipsam sine candelabro.

cum tegumento concolore paramentis: cussinus vel legile cum Missali: Canon pontificalis: gremiale concolor paramentis: scotula cum candela: velum humerale acu pictum pro Subdiacono: alterum simplex pro Magistratu, si lotionem erit ministraturus: urceus cum pelvi et duobus manutergiis in lance: formula indulgentiae: instrumentum Pacis: intorticia pro elevatione, numero sex, ad summum octo.

20. Si Communio administranda erit, Pixis cum particulis, mappa pro communicandis, vasa pro purificatione. Si Diaconus tantum ac Subdiaconus de sacra mensa participabunt, duae tantum particulae super patena cum hostiis praeparentur.

21. Si post Missam benedictio Papalis ab Episcopo impertietur, praeparabitur Pontificale (part. 4). vel liber cum ritu praescripto, et libelli cum Brevi latino et vulgari sermone, quod legetur ut cap. 24. lib. VI. docebitur.

22. Si fiet homilia aut sacra concio post Evangelium, necesse erit formula absolutionis ab Episcopo tribuenda.

Thronus.

23. Parabitur baldachino et lodice, ut in Vesperis. Aderunt tria scabella nuda pro assistentibus et pulvinus concolor paramentis pro Episcopo, quum genuflectet ad *Incarnatus* in *Credo*.

In latere Epistolae.

24. Scamnum pro Ministris, coopertum panno laneo et advertatur ut postergale seu fulcrum dorsuale careat ornamentis et sit depressum.

25. Seorsim praeparabitur legile maioris formae cum paratu concolore paramentis, si mos erit receptus ut ad cantum Evangelii Diaconus adhibeat legile praedictum.

26. Ad balaustrium seu cancellos Presbyterii candelabra cum intorticiis vel cereis, numero non maiore quam octo, nec minore quam quatuor.

In Sacristia.

27. In promptu erit vasculum aquae benedictae cum aspersorio.

In functione.

28. In choro recitabitur Matutinum cum Laudibus et Prima, post quam cessabit officium.

29. Festivus omnium campanarum sonus una aut pluribus vicibus Missae solemni praemittetur, iuxta morem cuiusque ecclesiae.

30. Hora praestituta sonabitur campanula Sacristiae et Canonici habitu chorali induti procedent ad Episcopium ut associent Episcopum, vel ipsum expectabunt in limine ecclesiae, ut superius cap. IV. traditum est.

31. Ministri sacri non associabunt Episcopum, sed induti paramentis, aderunt ad scamnum apud Altare Secretarii, quum adveniet Episcopus. Ibi quoque aderunt parati pluviali duo Cappellani pro mitra et baculo et alter Cappellanus indutus tunicella, Crucem tempore debito delaturus.

32. Quod si fuerit Archiepiscopus et Crux in functione deferretur a Cappellano Archiepiscopi Crucifero, hic deposita Cruce Archiepiscopali in Secretario, quando illuc advenerit Archiepiscopus, perget in Sacristiam, dimittet croceam, induet paramenta et in Secretarium revertetur. Duo Cappellani a libro et a scotula praesto erunt apud thronum vel etiam ad abacum.

33. Episcopus ecclesiam ingressus adorabit SS. Sacramentum, deinde transibit in Secretarium aut in Sacellum destinatum pro vestiario. Si transeundum sit ante Altare maius, reverentiam profundam faciet ad Crucem.

34. Secretarium ingressus salutabit Crucem et geniculabit in faldistorio, brevi tempore orans. Caeremoniarius expandet cappam Episcopi super faldistorium. Interim Canonici ibunt in Sacristiam vel in alium locum praeparatum, ubi vestes sacras induent sibi. Presbyter assistens et Diaconi assistentes remanebunt prope Episcopum, induti habitu chorali.

35. Episcopus de oratione assurget, et reverentia iterata

ad Crucem, procedet ad thronum, cumque ipso remanebunt duo Diaconi assistentes habitu chorali et Presbyter assistens, qui stabit in plano throni a dexteris Episcopi. Revertentes ceteri Canonici respectivis paramentis vestiti, reverentiam conficient ad Altare et ad Episcopum et sua loca occupabunt.

36. Duo Cappellani a libro et a scotula, sument res istas ex abaco et venient ad thronum; Episcopus autem biretum capiti detractum tradet primo Diacono assistenti, assurget in pedes, et conversus ad Altare dicet *Pater noster* et *Ave Maria* secreto.

37. Presbyter assistens librum e manu Cappellani acceptum praesentabit Episcopo, qui se signans cantabit *Deus in adiutorium* etc. Ad se autem signandum, dexteram educet de cappae apertura, quae sita est ante pectus infra caputium.

38. Intonato praedicto versiculo, Presbyter assistens librum restituet Cappellano et subsistet in plano throni a dextris Episcopi, ubi iam aderat ante praedictam intonationem. Duo Cappellani a libro et a scotula redibunt ad abacum, in quo reponent antiphonarium et accipient Canonem pro praeparatione ad Missam.

39. Hymnus *Nunc Sancte nobis* etc. intonabitur a cantore de loco suo itemque antiphona ante psalmos, quae tamen intonatio fiet a Beneficiario seu Mansionario, nunquam a Canonico, multo minus ab Episcopo. Psalmi intonabuntur in medio choro a duobus cantoribus superpellicio indutis, ut notatum est de Vesperis solemnibus, et animadvertendum quod cantari debent satis commode, ut decenter adimpleri possint omnes actiones, quas sumus descripturi.

40. Intonato primo psalmo, statim se sistent ante Episcopum duo Cappellani a libro et scotula. Episcopus sedebit et caput bireto cooperiet, atque incipiet legere antiphonam *Ne reminiscaris* etc. et psalmos *Quam dilecta* etc. quos recitabit alternatim cum Diaconis assistentibus et Presbytero assistente, qui stabunt pedibus. Ceteri omnes, qui aderunt in choro, suis locis sedebunt.

41. Subdiaconus, innuente Caeremoniario, surget de loco suo, ubi relinquet biretum, eique tradentur caligae et sanda-

lia Episcopi, quae deferet in pelvi cum velis duobus, quorum alterum cooperiet manus Subdiaconi, alterum sandalia cum caligis (*a*). A lateribus eius se disponent acolythi vel clerici sex, terni utrinque. Cubicularius Episcopi, habitu formali indutus sequetur Subdiaconum. Clerici cum Subdiacono procedent ante Altare et reverentiam vel genuflexionem respective conficient ad Crucem, tum venient simul ante Episcopum, cui quoque reverentiam facient vel genuflexionem. Cappellani a libro et scotula recedent a latere: Subdiaconus, cubicularius et clerici ascendent in planum throni. Subdiaconus et clerici geniculabunt circa Episcopum et eius cappae fimbrias attollent. Cubicularius genuflexus et aliquantum contectus a cappa Episcopi accedet versus primum Diaconum assistentem et pedi dextro Episcopi detrahet calceum usualem. Quo facto, Subdiaconus vestiet Episcopum caliga, deinde sandalio, ligans utrumque taeniis ne excurrant. Postea cubicularius excalceabit pedem Episcopi sinistrum et Subdiaconus cruri et pedi caligam et sandalium inducet. Cubicularius calceos usuales accipiet ac secum feret abditos intra pallium. Subdiaconus resumet pelvim seu lancem coopertam velis, et assurget cumque ipso consurgent etiam clerici et debitis reverentiis vel genuflexionibus ad Episcopum et ad Altare factis, redibunt ad abacum, ubi res supra nominatas deponent; Subdiaconus autem se rursus adiunget Diacono, sedens cum eo in scamno prope Altare.

42. Episcopus, repetita antiphona *Ne reminiscaris*, caput nudabit bireto, quod tradet primo Diacono assistenti, et assurget in pedes ut cum eisdem assistentibus recitet preces

(*a*) Solet a quisbusdam velum humerale imponi humeris Subdiaconi allaturi caligas cum sandaliis ad Episcopum. Nos autem secuti sumus Caeremonialis legem, qua excluditur huiusmodi velum, ac iubet duo adhiberi vela, quibus contegantur manus et brachia, non vero humeros. Eius verba sunt haec « Interim Subdiaconus cantaturus Epistolam . . . afferet » ex credentia super bacili sandalia et caligas, manibus velo coopertis, » alio velo cooperta, ambabus manibus elevata etc. Lib. II. cap. 8. num. 7. » Si velum humerale adhiberetur, nulla esset distinctio inter vasa sacra, quae immediate serviunt S. Sacrificio et vestimenta, quibus induitur Episcopus. Est autem Subdiaconi Episcopum induere caligis et sandalibus, quia sacra indumenta sunt. Inspiciatur idem Caeremoniale loco paullo ante citato.

Kyrie eleison etc. cum orationibus. Chorus autem non consurget. Episcopus rursus sedebit et orationes ad paramenta legere poterit (*a*).

43. Hoc tempore distribuentur clericis paramenta Episcopi, videlicet amictus, alba, cingulum, Crux pectoralis, stola, pluviale et formale. Cappellanus a mitra, dum Episcopus parabitur, mitram auriphrygiatam accipiet ut afferat ad thronum. Clerici praedicti remanebunt ante Altare; donec innuetur eis ut vadant ad thronum.

44. Eodem tempore, si lavatio ministrabitur a Magistratu, Caeremoniarius invitabit unum e Senioribus, sive alium ad quem spectabit, eumque ad abacum adducet ac velo humerali illius humeris imposito, iubebit paratum esse ad accipiendum urceum cum pelvi; aderit autem clericus, qui deferet lancem cum binis mantilibus (*b*).

45. Quando Episcopus desierit legere orationes ad paramenta, Cappellani cum libro et scotula redibunt ad abacum, in quo res illas deponent, et ibunt in Sacrarium ibique induto sibi pluviali, ad abacum redibunt.

46. Cubicularius, adiuvantibus Diaconis assistentibus, cappam detrahet Episcopo, ut in Vesperis traditum fuit, et extremitatem posteriorem vestis talaris eius expediet.

47. Diaconus cum Subdiacono accedent ad thronum, exsequentes reverentiam ad Crucem, dum transibunt ante Altare, et ad thronum progressi, reverentiam facient ad Episcopum et ascendent in planum throni: Diaconus consistet a dextera, Subdiaconus a sinistra Episcopi. Diaconi assistentes, ubi ad thronum venerint duo sacri Ministri, de throno descendent, sibi in-

(*a*) Caeremoniale praescribit, ut Episcopus orationes recitet singulis paramentis assignatas, dum illa sibi induit. Id facile poterit exsequi, si memoria illas tenebit; in praxi enim nimium difficile est ac pene dixerim impossibile, ut eodem tempore quo paramentis induitur, legere eas orationes possit. Idcirco diximus: *poterit legere* orationes ad paramenta, priusquam iis induatur.

(*b*) Magistratus interveniens sacris functionibus, induere debet habitum formalitatis, ut fruatur distinctionibus et privilegiis, quae ipsi conceduntur.

duent vestes sacras, deinde ad thronum redibunt, advertentes ne praedictis Ministris actiones impediant (a).

48. Ministri lotionis sequentur Diaconum et Subdiaconum. Si lavationem ministrabit Magistratus, poterit prius fieri praegustatio aquae apud abacum, et afferet pelvim cum urceo coopertam extremitate veli humeralis, quod cohibebit pollice manus dexterae, quae sustinet urceum, et sinistrae eius adstabit clericus afferens pelvim seu lancem cum duobus manutergiis.

49. Presbyter assistens annulum educet ex Episcopi digito: clericus alterum mantile tradet Presbytero assistenti, alterum Ministris, qui sustinebunt extensum in sinu Episcopi. Minister lotionis genua submittet ante Episcoporum, et detecto urceo cum pelvi a Caeremoniario, lotionem manuum Episcopo ministrabit. Canonici et Praelati, siqui aderunt, ad hanc actionem assurgent: ceteri omnes praesentes geniculabunt. Sin autem lotionem ministrarent familiares Episcopi, afferent urceum et pelvim minime coopertam velo humerali: de reliquo autem fient omnia quae praescripta sunt. Notandum, quod si familiares fuerint ecclesiastici, non debent uti superpelliceo, sed pallio: si vero essent laici, utentur habitu, quem dicunt urbanum: praeterea si gladii usu gauderent, debebunt illum propter hanc actionem deponere.

50. Episcopus lavabit manus et Presbyter assistens porriget ei mantile quo extergat illas, osculans manum eius dum illud porrigit: hac actione completa, redibit ad locum suum (b).

51. Qui clericus assistet lotioni, recipiet mantilia et cum ministro lotionis, redibunt ad abacum: si minister fuerit e Magistratu, reducetur ad scamnum suum.

52. Clerici a paramentis, dum discedent ministri lotionis,

(a) Probari non potest usus cuiusdam ecclesiae, in qua Diaconi assistentes, dum adsunt throno Diaconus et Subdiaconus ut induant Episcopum sacris paramentis, recedunt ad scamnum Ministrorum, situm in latere Epistolae, siquidem locus ille exclusive spectat ad Ministros Altaris, nec Caeremoniale id uspiam praescribit.

(b) Praescribitur a Caeremoniali, ut Diaconi assistentes extrahant annulos Episcopo, deinde rursus inducantur a Presbytero assistente. Id non videtur intelligendum esse de annulo pontificali, secus Caeremoniale pu-

facient simul genuflexionem ad Altare, deinde procedent ad thronum, ante quem etiam conficient genuflexionem; postea alter post alterum ascendent in planum, ut sacris Ministris tradant paramentum quod quisque affert, ac descendentes a latere de throno redibunt ad locum quisque suum apud abacum. Presbyter assistens discedet de throno, perget ad pluviale sibi induendum, deinde ad thronum revertetur. Canonici descendent in medium presbyterium et circulum conficient ante Episcopum sibi induentem sacras vestes. Caput bireto cooperient, quum a Caeremoniario, accepta ab Episcopo permissione, innuetur eis.

53. Episcopus induetur amictu, alba, cingulo, Cruce pectorali, stola et pluviali, super quo imponetur formale, postremo Diaconus capiti eius imponet mitram auriphrygiatam.

54. Diaconus et Subdiaconus, vestito Episcopo, descendent de throno, reverentiam conficient ad Episcopum et redibunt ad locum suum: Diaconi assistentes accedent rursus ad Episcopum ut suo assistentium officio fungantur. Canonici ad locum suum cum debitis reverentiis, redibunt.

55. His actionibus peractis, complebitur cantus Horae tertiae et antiphona cantabitur a cantoribus simplici canendi modo, sive ut aiunt, cantu firmo. Sub finem cantus antiphonae praedictae, secundus Caeremoniarius invitabit Subdiaconum, et cum debitis reverentiis perget ad locum in quo cantari Epistola solet. Subdiaconus recipiet breviarium et cantabit Capitulum Tertiae, advertens in hac actione, ne vertat humeros ad Altare, neque ad Episcopum. Interim Episcopus assurget retinens in capite mitram, cumque ipso consurget chorus universus, capite nudato, et duo cantores superpellicio induti prodibunt in medium chorum. Cantato Capitulo et responso a choro *Deo gratias,* cantores iidem cantabunt versiculos Responsorii brevis, et chorus respondebit.

56. Post ℣. *Gloria Patri* duo Acolythi ex abaco accipient candelabra cum candelis eaque deferent ante thronum et sub-

---

gnaret cum iis, quae tradit inferius. Quare existimamus intelligendum esse de aliis annulis, quibus utebantur antiquitus ad ornatum, ut videre est in tabulis pictis et imaginibus vetustis; qui usus obsolevit.

sistent ante gradus. Interea venient ad thronum Cappellani a libro et scotula, ferentes ea. Quum cantabitur versiculus post responsorium, Episcopus sedebit eique de capite tolletur mitra a secundo Diacono assistente. Tum assurget, et ex libro sibi obiecto a Presbytero assistente, cantabit *Dominus vobiscum* et orationem, post quam iterum subiunget *Dominus vobiscum*: discedent Acolythi et redibunt ad abacum, itemque Presbyter assistens deponet librum in manum Cappellani et suo loco manebit. Cantores duo, qui cantaverint Responsorium breve, cantabunt *Benedicamus Domino*, cui respondebit chorus, vel supplebit organorum sonus.

57. Dum Episcopus cantabit orationem, distribuentur clericis alia paramenta Episcopi, videlicet tunicella, dalmatica, chirothecae et planeta; aderunt duo alii clerici, qui praecedent antedictos, ad accipiendum pluviale et formale, quam ob rem primus eorum afferet pelviculam.

58. Post *Benedicamus Domino*, Episcopus non recitans ℣. *Fidelium animae* etc. (*a*) sedebit rursus et ad eum redibunt Diaconus et Subdiaconus, recedentibus aliquantum Diaconis assistentibus a lateribus Episcopi, sed non descendentibus de plano superiore throni.

59. Quando Ministri aderunt in plano throni, Diaconus consistet a dexteris, et Subdiaconus a sinistris Episcopi. Diaconus tollet ex eius pectore formale, quod tradet clerico super lance, deinde expediet ei pluviale, quod Subdiaconus extrahet e parte postergalis cathedrae throni et tradet clerico, ac tum formale, tum pluviale super Altare reponetur. Cappellanus a mitra ad Altare accedet et accipiet mitram pretiosam, itemque alter Cappellanus accipiet pastorale. Alteri autem clerico curae erit afferre mitram auriphrygiatam ad Altare maius, nisi iam altera praeparata adesset.

60. Post haec Ministri Episcopum induent tunicella, cuius manicam prius dexteram, deinde sinistram inducent. Uterque eorum a parte sua ligabit taenias in humeris Episcopi. Tum

(*a*) Sub finem Horae tertiae subiungi non debet ℣. *Fidelium animae* neque enim id Caeremoniale praescribit, eo quod immediate sequitur Missa. Hoc iam notatum fuit Lib. I. cap. 14. num. 30.

induent ei dalmaticam, advertentes ut alligent taenias et de manica dalmaticae extrahant manicam etiam tunicellae. Accipient chirothecas, quas osculabuntur in medio et manibus Episcopi imponent, osculantes prius manum eius. Diaconus chirothecam prius dexterae, Subdiaconus alteram postea sinistrae inducet. Postremo assument planetam et imponent ipsi advertentes ut ducant taenias ad renes infra tunicellam et reducant ante pectus; Diaconus autem alligabit, advertens etiam ut complanet dalmaticam et tunicellam, ne prodeant extra planetam in ipsius apertura superiori (*a*).

61. Hoc tempore thuriferarius in promptu habebit thuribulum cum igne et naviculam, duo clerici in promptu habebunt manipulos ministrorum, alter autem Evangeliarium, cum manipulo Episcopi, tradendum Subdiacono.

62. Si vero esset Archiepiscopus et uti deberet S. Pallio, ultimus Canonicus Subdiaconus iam indutus tunicella (ut supra dictum est) vadet ad Altare, accipiet S. Pallium et ad thronum deferet ipsum, adstante eius sinistrae clerico qui

(*a*) Paramentis sacris indui debet Episcopus eo ordine, quo indicatur a Caeremoniali Episcoporum et rubricis generalibus Missalis Romani. Episcopus stolam in pectore non decussat, ut praescribitur Presbyteris, eo quod utitur Cruce pectorali, quam debet induere ante stolam. Quocirca Crux pectoralis debet semper superstare albae. In adnotatione num. 7. subiecta cap. I. huius libri iam innuimus, quod iurisdictio Episcopi ordinarii nihil prorsus significatur Cruce pectorali. Si Episcopus deberet Crucem praedictam super planetam ponere, praeterquam quod hoc a rubricis praescriberetur, non solum deberet stolam in pectore decussare, sed induere Crucem post planetam ipsam. Summus Pontifex in celebrando Sacro tum privato, tum solemni, semper utitur Cruce pectorali, neque unquam eam extrahit et reponit super planetam, sed retinet super alba. Hinc infertur, quod contra regulas quidam Caeremoniarum Magistri docent Episcopos, ut ponant Crucem pectoralem super planetam, quia falso iudicio existimant esse iurisdictionis indicium. Atque ut magis dilucidemus quae in praedicta adnotatione asseruimus, adiiciemus, quod pro singulis paramentis pontificalibus, quae propria sunt Episcopi, videlicet caligis et sandaliis, chirothecis, mitra, annulo et baculo pastorali praescripta et statuta est specialis benedictio, qua caret Crux pectoralis; ideoque strictim loquendo, non potest ut exclusivum ornamentum episcopale existimari, sed simplex indicium dignitatis ipsius, quemadmodum affirmat Benedictus XIV. cuius auctoritatem in cit. adnotatione fideliter retulimus.

deferet pelviculam cum tribus aciculis. Diaconus accipiet S. Pallium, cuius partem duplicem accipere dextera meminerit. Osculandam dabit Archiepiscopo Crucem, quae sita est in medio Pallii a parte posteriori, et Pallium eius humeris imponet, Subdiacono ministrante partem, quae pendet super humeros, attollente. Postea Diaconus accipiet aciculam pretiosiorem eamque infiget Cruci, quae est in pectore, firmans istam tribus ocellis sericeis, qui sunt in ipsa Cruce, ac tali modo, ut extremitas aciculae sit versus dexteram Archiepiscopi et gemma ad sinistram: alteram deinde aciculam ponet supra Crucem, quae sita erit in humero sinistro, et gemma aderit versus humeros Archiepiscopi, extremitas aciculae versus pectus. Tertia acicula a Subdiacono ministrante imponetur Cruci quae respondebit mediis humeris Archiepiscopi, et extremitas aciculae spectabit humerum sinistrum, gemma autem humerum dextrum Archiepiscopi. Subdiaconus vero, qui attulit S. Pallium, tradet pelviculam cum velis clerico, qui sustinebat aciculas et ad locum suum redibit.

63. Postremo Diaconus imponet Episcopo mitram pretiosam.

64. Ministri supradicti recedent, Episcopum reverentes et ad subsellium redibunt, ubi a clericis praedictis imponetur eis manipulus brachio sinistro; accipient etiam biretum suum, et Subdiaconus recipiet cum manipulo Episcopi Evangeliarium, quod continebit utraque manu pectori applicita, advertens ut apertura libri versa sit ad sinistram suam.

65. Profectis a throno Ministris, accedent iterum ad locum suum Diaconi assistentes.

66. Presbyter assistens accedet ad Episcopi dexteram eiusque digito annulari dextero inducet annulum pontificalem.

67. Interim ad thronum accedet thuriferarius cum thuribulo, quem sequentur Acolythi candelabra gestantes cum candelis accensis, medium accipientes inter se Subdiaconum, qui Crucem processionalem sustentabit.

68. Presbyter assistens, ubi annulum Episcopi digito imposuerit, recedet ad dexteram eius et quum ascenderit thuriferarius cum thuribulo, accipiet ab ipso naviculam et prae-

sentabit Episcopo cochleare dicens ei *Benedicite Reverendissime Pater* et Episcopus incensum in thuribulum cum benedictione iniiciet (*a*).

69. Thure in thuribulum iniecto, assurget thuriferarius et cum thuribulo ac navicula descendet de throno et subsistet post Subdiaconum sustinentem Crucem. Cappellanus a baculo accedet ad Episcopum et illum ei tradet in sinistra. Episcopus assurgens salutabit Crucem processionalem, deinde rursus sedebit, expectans donec tempus erit descendendi de throno ut se adiungat processioni, Acolythi genuflectent ad Episcopum et initium processionis fiet, quae proficiscetur ad Altare maius. A Caeremoniario monebitur qui primas obtinet in Magistratu, ut praesto sit ad ingressum Secretarii, ut extremitatem vestis Episcopi sustentet in processione ad Altare.

70. Praeibunt familiares Episcopi habitu formali: Claviger ecclesiae seu Capituli, si aderit: thuriferarius cum thuribulo, ardente incenso: Subdiaconus tunicella paratus, qui Crucem processionalem sustentabit, versa ad populum, seu clarius loquendo, ad thuriferarium imagine Crucifixi. Clerici Seminarii deinde et Cappellani chorales et mansionarii seu Beneficiarii, omnes bini, sequentur. Tum Canonici ex ordine Subdiaconali suis paramentis induti, ac si fuerint dispari numero, terni incedent ultimi: Canonici ex ordine Diaconali, parati dalmaticis, pariter bini, ac si dispar numerus esset, ultimo loco terni: Canonici ex ordine Presbyterali vestiti planetis, incedentes bini, eadem exceptione in numero dispari: Dignitates, induti pluviali. Subdiaconus ministrans incedet solus librum Evangelii sustinens, ut supra. Post Subdiaconum erit Presbyter assistens pluviali paratus, cuius sinistrae adstabit Diaconus ministrans. Sequetur Episcopus, medius inter Diaconos assistentes, et dextera extensa benedictionem adstantibus

(*a*) Heic etiam in posterum monemus, quod si Episcopus esset etiam Cardinalis, in petenda ab eo thuris et aquae benedictione, dicendum erit *Benedicite, Eminentissime et Reverendissime Pater*. Contra regulam quidem est addere, ut quidam solent, alios titulos non ecclesiasticos, sed mere laicales, a Caeremoniali exclusos, cuiusmodi sunt *Illustrissime et Reverendissime* vel etiam *Excellentissime*, quibus Episcopos putant amplius honorare.

impertietur. Post ipsum, ille qui primas obtinet in Magistratu, elatam sustinens extremitatem posteriorem vestis talaris Episcopi. Prope illum aderit Caudatarius et post Caudatarium incedent duo Cappellani induti pluviali, qui mitrae et baculo inserviunt. Postea reliqui duo Cappellani a libro et scotula. Ultimo denique loco familiares nobiles Episcopi.

71. Si esset Metropolita, immediate ante Canonicos paratos deferetur Crux Archiepiscopalis et imago Crucifixi versa erit ad Metropolitam, ideoque servabitur ordo sequens: claviger, clerici Seminarii, Cappellani chorales, Beneficiarii, thuriferarius, Subdiaconus cum Cruce medius inter Acolythos, deinde Canonici ordine supradicto.

72. Continuabitur organorum sonus hoc toto tempore, iam inceptus statim post absolutum cantum Horae tertiae.

73. Quum processio pervenerit ad Altare maius, famuli et claviger subsistent extra balaustrium, thuriferarius prope gradus laterales in parte Epistolae; Subdiaconus infiget Crucem basi positae in latere Evangelii, ibique prope Crucem manebit, ut eam deferat post homiliam et ad benedictionem in exitu Missae, si fuerit Archiepiscopus; secus discedet ac sacras vestes dimittet, excepto casu quo redeundum esset ad deponenda paramenta in Secretarium, ut deinceps declarabitur. Clerici, Cappellani et Beneficiarii, facta ad Crucem genuflexione et mutua inter se reverentia, occupabunt sua subsellia, itemque Canonici, facta reverentia profunda ad Crucem, seque salutantes ad invicem, locum petent quisque suum. Subdiaconus procedet ante gradus Altaris et consistet versus cornu Evangelii ac tradet clerico Evangeliarium cum manipulo Episcopi; Diaconus autem et Presbyter assistens dirimentur, Diaconus ibit prope Subdiaconum et Presbyter assistens versus cornu Epistolae ante gradus Altaris, ita tamen ut possint adstare Episcopo. Episcopus autem ante gradus progressus, relinquet Diaconos assistentes et locum sumet inter Ministros ita ut dexterae eius adstet Presbyter assistens, sinistrae Diaconus, ac sinistrae Diaconi Subdiaconus. Diaconi assistentes stabunt post Episcopum; post praedictos Diaconos Cappellani a mitra et baculo ac prope eos reliqui duo a libro et scotula, qui post-

quam pervenerint ad Altare, facta genuflexione, accipient ex abaco Missale et scotulam. Familiares nobiles Episcopi consistent apud abacum, ut praescribit Caeremoniale. Syrma, sive extremitas posterior vestis Episcopalis, recipietur a Caudatario in aditu presbyterii.

74. Episcopus ante Altare quum venerit, baculum Cappellano tradet; a Diacono autem nudabitur mitra. Conficiet cum Ministris reverentiam profundam ad Crucem altaris et confessionem immediate exordietur. Chorus aut cantores incipient cantare introitum, postea *Kyrie* alternatim cum organorum sono. Ad illa verba *Vobis fratres* et *Vos fratres* in confessione, Episcopus se paullulum convertet ad Ministros, itemque Ministri versus eum, quando dicent *Tibi, Pater* ac *Te Pater*.

75. Dum Episcopus recitabit orationem *Indulgentiam* etc. Subdiaconus accipiet manipulum Episcopi et completa oratione praedicta, accedet ad eum, recedente Diacono aliquantum, et osculans primo manipulum in una ex Crucibus lateralibus, deinde Crucem in summitate sitam porrigens osculandam Episcopo, postremo osculans manum eius, imponet illum brachio sinistro Episcopi et ligabit taeniis.

76. Accepto manipulo, Episcopus prosequetur versiculos *Deus tu conversus* etc. ac dicto *Oremus*, ascendet ad Altare.

77. Presbyter assistens transibit ad sinistram Episcopi, Diaconus immediate ad dexteram, et Subdiaconus accepto Evangeliario ascendet cum Episcopo ad Altare, ideoque Episcopus animadvertet ad ascendendum commode, ut Presbyter assistens et Diaconus possint commutare locum.

78. Episcopus ad Altare quum ascenderit, osculabitur illud in medio, deinde osculabitur librum Evangelii, imponens super illum manus suas in textu proprio officii, quod celebratur; liber autem praesentabitur ei a Subdiacono, et a Presbytero assistenti monstrabitur Evangelium. Presbyter assistens de Altari descendet ac medius subsistet inter Diaconos assistentes, qui stabunt ante gradus Altaris. Subdiaconus tradet Evangeliarium clerico, qui afferet ipsum ad abacum.

79. Interim a latere ascendet ad Altare thuriferarius, qui naviculam tradet Diacono, postea flexis genibus sustinebit thu-

ribulum apertum ante Episcopum. Diaconus sumptum e navicula cochleare porriget Episcopo cum osculis usitatis, dicens *Benedicite, Reverendissime Pater* et Episcopus demittet incensum in thuribulum benedicens illud formula *Ab illo benedicaris* etc. Diaconus restituet naviculam thuriferario, qui assurgens tradet ei thuribulum clausum. Diaconus cum osculis porriget thuribulum Episcopo, qui adolebit Altare. Sub finem thurificationis ad Altare accedet primus Diaconus assistens et Cappellanus cum mitra.

80. Absoluta thurificatione, Diaconus in latere Epistolae recipiet thuribulum ab Episcopo, cui mitra pretiosa rursus imponetur a primo Diacono assistente, et interim ad Altare accedet etiam Diaconus assistens secundus et Cappellanus a baculo pastorali. Imposita Episcopo mitra, Diaconus ministrans, adstante a sinistra Subdiacono, adolebit Episcopum triplici ductu, profunda reverentia honorans eum ante et post thurificationem.

81. Episcopus, accepta thurificatione, benedicet Diaconum et baculo sinistra sumpto, convertetur ad Crucem, reverebitur eam et de Altari descendet medius inter Diaconos assistentes et adibit ad thronum. Transiens ante Altare, quum de gradibus descenderit, reverebitur Crucem: in transitu per chorum benedicet Clerum; postea ascendet ad thronum medius inter Diaconos antedictos, praeeunte Presbytero assistente, sequentibus autem caudatario syrmam eius vestis sustentante et Cappellanis a mitra, a baculo, a libro et scotula. Diaconus et Subdiaconus remanebunt prope Altare ad scamnum sibi praeparatam.

82. Episcopus ad thronum ubi venerit, sedebit ac deponet baculum. Diaconi assistentes locum mutabunt, videlicet primus ad dexteram, alter ad sinistram Episcopi transibit: Presbyter assistens ante suum scabellum consistet.

83. Sedenti Episcopo secundus Diaconus assistens detrahet de capite mitram. Se sistent ante Episcopum Cappellani a libro et scotula, ac post debitam genuflexionem alter a libro aperiet Missale ad signaculum officii, quod celebrabitur. Episcopus assurget ac leget introitum, se initio muniens signo Crucis. Cappellanus a mitra, receptam mitram pretiosam de-

ponet super Altare et accipiet mitram auriphrygiatam. Clericus, qui curam geret gremialis, accipiet ipsum ex abaco explicatum, versa ad pectus parte posteriore, et conficiens genuflexiones debitas, utraque manu illud afferet ad thronum, subsistens apud primum Diaconum assistentem. Itemque alter clericus Canonem pontificalem portabit substituendum Missali dummodo non putaretur commodius uti Missali ipso pro *Kyrie, Gloria, Munda cor meum* et *Credo*. Episcopus, lecto introitu, recitabit cum assistentibus *Kyrie eleison*, quod etiam a Choro recitabitur, ut assolet; Cappellanus a libro Canonem substituet Missali, prout paullo ante notavimus.

84. Si cantus *Kyrie* non brevis esset, poterit Episcopus sedere, ut inferius. Completo autem cantu *Kyrie*, Presbyter assistens obiiciet Missale aut Canonem Episcopo, qui intonabit *Gloria in excelsis*, manus aperiens ac iungens, ut in Caeremoniali. Intonato ab Episcopo hymno praedicto, Cappellanus a libro recipiet Missale a Presbytero assistente et prosequetur illud sustinere ante Episcopum ac Presbyter assistens redibit ad scabellum assistentiae. Canonici et Clerus in choro bini inter se recitabunt hymnum praedictum.

85. Recitato hymno ab Episcopo, recedent Cappellani a libro et scotula, et haec referent ad abacum et prope thronum redibunt. Episcopus sedebit ac primus Diaconus assistens imponet ei mitram, deinde super genua eius ponet gremiale, quod accipiet a clerico illud custodiente. Episcopus caput inclinabit et reliqui omnes de choro caput nudabunt et inclinabunt etiam ad verba *Adoramus te* etc. Sacri ministri sedebunt in scamno prope altare, assistentes in scabellis throni, Cappellani a libro, scotula, mitra et baculo in gradibus anterioribus throni; cappellanus autem a baculo priusquam sedeat, ipsum pastorale prope thronum applicabit: clerici considebunt in gradibus lateralibus Altaris, ceteri omnes de choro suo quisque loco.

86. Sub finem *Gloria* cantati consurgent clerici Altaris, quatuor Cappellani, ministri etiam ac totus chorus. Cappellani a libro et scotula Missale et scotulam ex abaco accipient et redibunt ad thronum. Secundus Diaconus assistens amove-

bit gremiale ab Episcopo et restituet clerico, qui curam eius habet, postea detrahet illi mitram. Presbyter assistens Missale a Cappellano porrigente accipiet ac praesentabit Episcopo.

87. Episcopus assurget et conversus ad populum, expandens manus dicet *Pax vobis*, cui respondebit chorus *Et cum spiritu tuo*. Adiiciet in cantu *Oremus* et orationem quam Missa reposcit, ut in Caeremoniali, ad Altare conversus.

88. Interea Subdiaconus librum Epistolarum a Caeremoniario accipiet et sub finem orationis procedet in medium ante Altare, reverentiam ibi ad Altare faciet, deinde ad Episcopum, et veniet ad locum, in quo cantatur Epistola, ibique consistet cum libro ante pectus clauso.

89. Completa oratione, Episcopus sedebit, eique rursus imponetur a primo Diacono assistente mitra, deinde gremiale. Sedebunt omnes, exceptis quatuor Cappellanis praedictis et clericis Altari assistentibus.

90. Subdiaconus, quando Episcopus coopertus erit mitra, aperiet librum et cantabit Epistolam. Si vero in ecclesia adessent ambones, cantabitur Epistola in ambone.

91. Absoluta Epistola, Subdiaconus librum claudet, ac reversus ante Altare, reverebitur Crucem et veniet ad thronum; ante ipsum faciet reverentiam ad Episcopum, deinde ascendet. Assistentes assurgent. Subdiaconus profunde inclinatus ante Episcopum, ponet librum super eius genua osculabitur dexteram ipsius Episcopi, imponentis eam libro, et benedictionem accipiet. Tum de throno descendet, reverebitur Episcopum et progressus ante Altare salutabit profunda inclinatione Crucem, tradet librum Caeremoniario comitanti, ac salutato Diacono, sedebit in loco quem occupabit prope Altare.

92. Interim a choro cantabitur Graduale et organis etiam sonabitur.

93. Profecto e throno Subdiacono, stantibus adhuc assistentibus capite nudato, se sistent ante Episcopum Cappellani a scotula et libro et hic genibus flexis sustinebit Missale apertum, ex quo Episcopus leget Epistolam, Graduale etc. *Munda cor meum* cum Evangelio, eique respondebunt Diaconi assistentes, qui advertent ut super genibus Episcopi sustineant

gremiale, quum ipse iunctis manibus et inclinatus recitabit *Munda cor meum* etc. Signabit Missale et seipsum ac leget pariter iunctis manibus Evangelium. Postea Cappellani a libro et scotula recedent et assistentes sedebunt capite cooperto. Thuriferarius hoc ipso tempore in promptu habebit thuribulum cum igne.

94. Circa finem cantus Gradualis, Diaconus innuente Caeremoniario, nudabit caput et assurget, utraque manu accipiet Evangeliarium ita ut apertura libri versa sit ad sinistram suam, veniet in medium, ubi facta ad Episcopum reverentia, se convertet ad Altare et ante infimum gradum reverebitur Crucem; ascendet in suppedaneum, et super Altare locabit librum. Reverentiam iterabit ad Crucem et perget ad thronum ibique ante infimum gradum reverebitur Episcopum, et assistentes consurgent, si sederant. Diaconus ad thronum ascendet et inclinatus osculabitur dexteram Episcopi; descendet de throno, reverentiam iterabit ad Episcopum, redibit ad Altare et genuflexus in infimo gradu ac parum inclinatus, recitabit *Munda cor meum* etc.

95. Thuriferarius sustinens thuribulum et naviculam sequetur Diaconum, et ascendet ad thronum postquam hinc descenderit Diaconus. Presbyter assistens, bireto relicto super scabello, accedet ad Episcopi dexteram, et sumptam naviculam quam ipsi tradet thuriferarius, praesentabit Episcopo cum osculo cochlearis et manus eius cumque formula usitata *Benedicite, Reverendissime Pater*. Episcopus incensum in thuribulum demittet, dicens *Ab illo* etc. ac benedicet illud. Thuriferarius assurget ac recepta navicula, de throno descendet, subsistens versus sinistram, ut se adiungat Diacono et aliis quando accedent ad thronum. Cappellanus a baculo pastorali accipiet eumdem et ad primum Diaconum assistentem appropinquabit.

96. Diacono dicente *Munda cor meum* etc. procedent ante Altare ibique subsistent, non facientes genuflexionem vel reverentiam, Subdiaconus et Acolythi cum candelabris. Diaconus, recitato *Munda cor meum* etc. ascendet ad Altare, accipiet librum, descendet et se addet Subdiacono. Diaconus et Subdiaconus reverentiam, Acolythi cum candelabris genuflexionem

conficient ad Crucem et simul venient ante thronum, advertente Subdiacono, ut adstet sinistrae Diaconi. Quum ventum erit ante infimum gradum, thuriferarius se sistet post Diaconum, acolythi a lateribus ministrorum et congeniculabunt: Diaconus profunde inclinatus ante Episcopum, benedictionem ab ipso petet dicens *Iube, Domne, benedicere* et Episcopus respondebit ei *Dominus sit* etc. Consurgent Acolythi ac thuriferarius, qui genuflectent ad Episcopum eodem tempore quo reverentiam facient ad eumdem Diaconus et Subdiaconus. Procedent deinde ad Evangelium cantandum quo ordine a Caeremoniali praescribitur, videlicet praeibit Caeremoniarius, mox thuriferarius cum thuribulo et navicula, tum Acolythi, quos sequetur Subdiaconus, ultimo loco Diaconus gestans librum, et consistent quo loco Evangelium cantari solet.

97. Si legile in ecclesia adhibebitur, quod cooperietur amplo panno sericeo concolore paramentis, Subdiaconus locum sumet post legile, manibus sustinens summitatem libri, in angulis legilis stabunt Acolythi. Sin autem aberit legile, Subdiaconus stabit inter Acolythos et librum apertum ante Diaconum sustinebit. Quod si adessent ambones lapidei, et soleret cantari Evangelium in ambone, qui hoc casu panno sericeo concolore officio in sponda exornabitur, Subdiaconus stabit prope Diaconum, cui thuribulum porriget ac folia libri evolvet, stantibus a lateribus ambonis Acolythis.

98. Diacono profecto, secundus Diaconus assistens tollet gremiale et mitram Episcopo, et Clerus in choro consurget.

99. Diaconus, libro aperto sive in legili, sive in manibus Subdiaconi aut in ambone, cantabit *Dominus vobiscum,* cui respondebit chorus *Et cum spiritu tuo.* Deinde pollice dextero, aperta versus librum manu, signans initium textus Evangelii, dicet *Sequentia* vel *Initium sancti Evangelii* etc. tum seipsum signabit in fronte, in ore et in pectore, manu pariter aperta, ac responso a choro *Gloria tibi, Domine,* thuribulum accipiet a thuriferario, vel a Subdiacono si aderit in ambone, et librum adolebit in medio, a sinistris et a dextris suis. Continuabit deinde cantare Evangelium usque ad finem, ac si genuflectendum esset in cantu Evangelii, Subdiaconus, qui su-

stinebit librum etiam in legili, et Acolythi non genuflectent. Ceteri omnes genuflectent simul cum Diacono.

100. Quum Diaconus dicet *Dominus vobiscum*, assurget Episcopus et stabit conversus ad Diaconum. Signabit se in fronte, in ore et in pectore, ut Diaconus (idipsum facient ceteri omnes qui aderunt) postea baculum accipiet quem iunctis manibus continebit toto cantu Evangelii.

101. Absoluto cantu Evangelii, Episcopus deponet baculum, Subdiaconus nullam faciens genuflexionem aut reverentiam, afferet librum apertum Episcopo, qui positis super eum manibus osculabitur illum, dicens *Per evangelica dicta* etc. Si liber positus erit super legili vel in ambone, Subdiaconus accipiet illum apertum a Diacono, et ad Episcopum afferet, ut supra. Thuriferarius deferens thuribulum sequetur Subdiaconum et consistet ante thronum. Diaconus cum Acolythis una redibunt ad loca sua, conficientes reverentiam vel genuflexionem ad Episcopum et ad Altare. Presbyter assistens, dum ascendet Subdiaconus cum libro, de throno descendet ad Episcopum thurificandum.

102. Subdiaconus, librum ab Episcopo osculatum claudet, reverebitur Episcopum, descendet a latere de throno et redibit ad locum suum, tradens librum Caeremoniario aut clerico, quum prope Altare pervenerit. Statim ac Subdiaconus de throno discesserit, Presbyter assistens thuribulum accipiet a thuriferario, qui adstans dextrorsum Presbytero assistenti attollet pluviale, dum ipse Episcopum triplici ductu adolebit, reverentia honorans eum ante et post thurificationem. Episcopus, accepta thurificatione, benedictionem eidem Presbytero assistenti largietur. Interea Cappellanus a libro in promptu habebit Missale vel Canonem, in intonatione *Credo* adhibendum.

103. Si post Evangelium fiet sacra concio sive homilia ab Episcopo, observabitur quod sequenti capite innuetur.

104. Postquam Presbyter assistens adoleverit Episcopum, rursus ascendet ad thronum, accipiet Missale a Cappellano, qui in promptu habebit, ac praesentabit illud Episcopo, qui intonabit *Credo* et chorus prosequetur. Presbyter assistens, ubi Episcopus intonuerit *Credo*, restituet librum apertum Cappel-

lano, qui continuabit illum sustinere ante Episcopum, donec ex toto recitaverit *Credo*. Ad *Incarnatus* Episcopus genuflectet in pulvino posito in plano cathedrae sive sedis throni, cumque ipso genuflectent ceteri omnes, exceptis Cappellanis a libro et scotula, qui stabunt. Diaconi assistentes advertant, ut Episcopum genuflectentem sustentent.

105. Recitato *Credo*, recedent Cappellani a libro et scotula, qui res istas ad abacum referent, et Episcopus sedebit. Primus Diaconus assistens imponet ei mitram auriphrygiatam et gremiale. Post Episcopum sedebunt ceteri omnes, ut traditum est ad *Gloria in excelsis*. Quum cantabitur versiculus *Et incarnatus* geniculabunt omnes, exceptis Episcopo, Canonicis et Praelatis siqui aderunt, qui tamen caput bireto nudabunt et inclinabunt (*a*).

106. Postquam cantatus erit versiculus supradictus, Diaconus assurget, Subdiacono etiam assurgente, et accipiet per se bursam cum corporali ex abaco eamque afferet ad Altare, sustinens elatam utraque manu ad altitudinem oculorum suorum; reverentiam faciet ad Episcopum, deinde ad Altare, quo ascendet, extrahet corporale de bursa, quam ponet in latere Evangelii, applicans ipsam candelabris, tum in media mensa explicabit corporale. Iterabit reverentiam ad Crucem, a latere descendet de Altari et rursus sedebit una cum Subdiacono. Hoc tempore poterit per clericum poni super Altari in latere Evangelii cussinus vel legile pro Missali. Dum haec actio a Diacono conficitur, licebit Subdiacono sedere.

107. Sub finem *Credo* consurgent Cappellani et clerici, ut in cantu *Gloria*, et completo a cantoribus cantu, secundus Diaconus tollet gremiale et mitram Episcopo. Cappellanus a libro in promptu habebit Missale tradendum Presbytero assistenti. Clericus gremiale a secundo Diacono assistente receptum ad abacum reportabit. Cappellanus a mitra, acceptam a secundo

(*a*) Ritus genuflexionis ad cantum versiculi *Et incarnatus* desumitur de Caeremoniali lib. II. cap. 8. num. 53. « Cum praedictus versiculus *Et incarnatus* etc. cantatur a choro, pariter Canonici sedentes detecto capite, et Episcopus cum mitra, profunde inclinant caput versus Altare, alii genuflectunt, donec perficiatur praedictus versiculus ».

Diacono mitram auriphrygiatam afferet ad Altare et sumet alteram pretiosam. Item Cappellanus a baculo in promptu habebit ipsum, ut suo tempore tradat Episcopo. Praesto erunt Ministri lotionis, quemadmodum superius notatum est, eisque praecedet clericus, qui sustinebit lancem, in qua ponantur chirothecae Episcopi.

108. Episcopus ergo, mitra detecto capite, assurget et ante eum se sistet Presbyter assistens, qui librum apertum sustinebit. Episcopus cantabit *Dominus vobiscum*, deinde *Oremus* et post haec stans leget versiculum Offertorii. Presbyter assistens ubi Episcopus cantaverit *Oremus*, librum relinquet Cappellano.

109. Episcopus, lecto offertorio, sedebit rursus et a Diacono primo assistente imponetur ei mitra pretiosa. Ascendet ad thronum clericus cum lance pro chirothecis. Presbyter assistens annulum Episcopi digito extrahet ac ponet in lance, quae a clerico praedicto sustinebitur (*a*); et primus Diaconus assistens chirothecam ipsi e dextera, secundus chirothecam e sinistra educet. Clericus, qui receperit annulum et chirothecas, recedet versus Diaconum primum assistentem.

110. Ascendent ad thronum ministri lotionis, Diaconi assistentes expandent mantile super genua Episcopi et alterum mantile accipietur a Presbytero assistente. Minister lotionis geniculabit ante Episcopum et super manus eius effundet aquam. Presbyter assistens porriget ei mantile osculans manum eius. Dum Episcopus lavabit manus, Canonici stabunt, ceteri omnes genua submittent. Episcopus reddet mantile Presbytero assistenti, amovebitur alterum mantile expansum super eius genibus, et ipse benedicet ministros lotionis. Presbyter assistens annulum, acceptum a clerico illum custodienti cum chirothecis, rursus inducet in digitum Episcopi, osculans annulum et Episcopi manum.

111. Postea idem Presbyter assistens Missale accipiet a

(*a*) Quamvis a Caeremoniali aperte non deducatur, ut Presbyter assistens extrahat annulum Episcopo, colligitur tamen ex iis quae explicat inferius, nempe « Episcopus lotis manibus reassumit annulum a Presbytero assistente porrectum ». Lib. II. Cap. 8. num. 59.

Cappellano libri, afferet illud ad Altare et aperiet super legili seu cussino, subsistens ibi, monstraturus Episcopo quid legendum aut cantandum erit. Cappellani a libro et scotula sequentur eum ut in hac actione adiumento sint ei. Clericus chirothecas ad abacum reportabit.

112. Ministri lotionis redibunt ad abacum priusquam Episcopus de throno discedat, ibi praesto erunt propter alteram lotionem post offertorium.

113. Hoc tempore Subdiaconus perget ad abacum, ubi imposito humeris eius a clerico velo humerali, expectabit donec ascendere ad Altare debeat cum Calice, dum perveniet Episcopus; ipsum sequentur Sacrista superpellicio indutus et Acolythus afferens ampullas vini et aquae in pelvicula atque etiam cochleare ad infundendam aquam in calicem, si opus fuerit, et pateram adhibendam in praegustatione.

114. Sic etiam thuriferarius in promptu habebit thuribulum cum igne. Diaconus autem procedet ante infimum gradum Altaris expectans adventum Episcopi.

115. Interim Episcopus, quum de throno discesserit Presbyter assistens, accipiet sinistra baculum pastoralem, assurget, descendet de throno, consurgentibus in choro universis, et medius inter Diaconos assistentes, sequentibus Cappellanis a mitra et baculo procedet ad Altare. De throno autem quum descenderit, benedicet Canonicos et reliquos de Clero a dextera et laeva, qui stabunt vel genua submittent transeunte Episcopo de throno ad Altare, deinde rursus considebunt.

116. Ubi ad Altare Episcopus pervenerit, recedent Diaconi assistentes; ipse autem deponet baculum et Diaconus ministrans, inclinatione facta, nudabit caput eius mitra. Diaconi assistentes manebunt ante Altare et post ipsos stabunt Cappellani a mitra et baculo.

117. Episcopus ad Altare ascendet, ipsumque osculabitur in medio imponens ibi manus apertas. Diaconus deteget calicem cum patena etc. quem attulerit Subdiaconus, et amota palla, accipiet utramque hostiam, quibus tanget patenam et calicem, fracta ipsarum altera, quam dabit edendam Sacristae,

tradet Episcopo alteram cum patena, quam ille offeret dicens *Suscipe, sancte Pater* etc. (*a*).

118. Diaconus infundet parum vini et aquae in pateram, quam hauriet Sacrista, deinde absterget calicem, in quem infundet vinum et Subdiaconus aquam sive ex ampulla, seu cochleari, servatis Missae solemnis ritibus consuetis. Post offertorium Calicis Subdiaconus, accepta patena eaque cooperta extremitate dextera veli humeralis, descendet in planum ante Altare et subsistet vel in infimo gradu vel etiam in plano, stans tamen ante Diaconos assistentes.

119. Recitata ab Episcopo oratione *In spiritu humilitatis* etc. ascendet ad Altare thuriferarius et naviculam obiiciet Diacono, qui dicens Episcopo *Benedicite Reverendissime Pater*, osculabitur cochleare et manum Episcopi, et hic in thuribulum sustentum a thuriferario genuflexo, demittet incensum, recitans formulam *Per intercessionem* etc. Thure benedicto, Diaconus accipiet thuribulum ac tradet ipsum cum osculis Episcopo, qui adolebit oblata et Altare dicens *Incensum istud* etc. Diaconus planetam eius ex parte posteriori attollet. Presbyter assistens librum cum cussino ab Altari amovebit et recedet seorsim ne impediat thurificationem, cuius in fine librum reponet in Altari. Quando Episcopus Diacono restituet thuribulum, dicet *Accendat* etc.

120. Dum Episcopus completurus erit thurificationem, accedet ad Altare primus Diaconus assistens cumque ipso etiam Cappellanus a mitra. Praesto erunt etiam ministri lotionis. Presbyter assistens, quum rursus imponetur Episcopo mitra, ad eius dexteram accedet.

121. Restituto ab Episcopo thuribulo, primus Diaconus assistens imponet Episcopo mitram pretiosam, deinde ad locum suum redibit, appropinquante tunc ad Altare secundo Diacono assistente. Episcopus incensabitur triplici ductu a Diacono ministrante, qui postea thurificabit Assistentes et chorum, ut infra innuetur.

(*a*) Ritum Missae, lib. I. cap. 18. expositum, hoc loco repetere existimamus inane.

122. Episcopus, postquam a Diacono thurificatus fuerit, benedicet ipsum. Recedet aliquantum Diaconus cum thuribulo et accedent ad Episcopum ministri lotionis. Episcopus lavabit manus et Presbyter assistens porriget ei mantile, quo reddito clerico custodienti, redibit ad Missale, ut ibi thurificationem accipiat. Diaconus secundus assistens tollet mitram Episcopo antequam ipse dicat *Gloria Patri* in fine psalmi *Lavabo*, et redibit ad locum suum. Episcopus autem Missam prosequetur.

123. Diaconus triplici ductu adolebit Presbyterum assistentem, deinde primum Diaconum assistentem, postea secundum Diaconum assistentem. Accedet ad chorum et incensabit Dignitates, Canonicos Presbyteros, Canonicos Diaconos et Canonicos Subdiaconos: transibit deinde ad adolendum Magistratum, si qui civitatis partes sustinent, aderunt in scamno distincto extra presbyterium, habitu formali induti: postea redibit ad Altare et Subdiaconum ministrantem thurificabit. Reddito thuriferario thuribulo, incensabitur ab eo duplici ductu, ac thuriferarius ipse peraget reliqui chori thurificationem, ut traditum cap. 5. lib. I.

124. Expedit, ut thurificatio peragatur ex toto; ideoque si Clerus in choro esset numerosus, non inchoabitur cantus Praefationis, nisi omnes saltem Canonici incensati fuerint. Diaconus post thurificationem se sistet post Episcopum, et ascendet ad eius dexteram, dicturus cum eo *Sanctus*.

125. Interim praesto erunt apud abacum clerici, qui sub finem Praefationis intorticia accendent. Intorticia vero nec infra numerum quatuor, nec supra octo esse debent.

126. Quando, innuente Caeremoniario, cessabit organorum sonus, Episcopus nudabitur pileolo, qui tradetur Cappellano a mitra, et cantare Praefationem incipiet. Completa praefatione, Episcopus recitabit *Sanctus* cum Diacono ministrante ac Presbytero assistente: Diaconi assistentes recitabunt idem trisagium loco suo et ita reliqui de choro. Id ipsum fiet relate ad *Agnus Dei*. Ad *Sanctus* non solum campanula sed omnes etiam ecclesiae campanae pulsabuntur,

127. Clerici cum intorticiis prodibunt in medium presby-

terium, genuflexionem ad altare, reverentias ad chorum exsequentur et geniculabunt ante Altare, Diaconus manebit a dextris Episcopi. Clerus in genua procumbet, exceptis Caeremoniario, thuriferario, Diaconis assistentibus, Presbytero assistente, Diacono et Subdiacono ac quatuor Cappellanis saepius nominatis.

128. Ad verba *Hanc igitur* thuriferarius praesentabit thuribulum Caeremoniario, qui demittet incensum in illud; postea thuriferarius ipse, vel Caeremoniarius flexis genibus in latere Epistolae super gradibus Altaris, SS. Sacramentum in elevatione Hostiae et Calicis thurificabit. Advertet autem, ut genua submittat, quum geniculabunt ceteri, qui Altare circumdant, ut infra.

129. Episcopus verba Consecrationis prolaturus inclinabitur; Presbyter assistens et Diaconus geniculabunt in extremo suppedaneo, ceteri autem qui stabant, genua flectent in locis suis. Ad elevationem Diaconus et Presbyter assistens attollent posteriorem partem planetae Episcopi: pulsabitur campanula et sonabunt sacra aera turris. Diaconus advertet ut Calicem detegat, postquam Episcopus Hostiam in corporali reposuerit ac genuflexerit. Presbyter assistens redibit ad Missale propter assistentiam, quando Episcopus dicet *Simili modo* etc. et ad verba etiam consecrationis Calicis, si opus fuerit; deinde rursus genuflectet.

130. Post elevationem discedent clerici cum intorticiis, dummodo non fiat Communio, et Clerus in choro consurget. Presbyter assistens nunquam genuflectet, quum genuflectet Episcopus cum Diacono.

131. Missa continuabitur ritu consueto.

132. Quum Episcopus cantare incipiet *Pater noster,* Diaconus vadet post Episcopum et redibit ad Altare cum Subdiacono, quando Episcopus cantabit *Et dimitte nobis.* Diaconus a Subdiacono accipiet patenam porrigendam Episcopo. Subdiaconus dimittet velum humerale, genuflectet ad Sacramentum, de Altari descendet, et ad locum suum redibit.

133. Subdiaconus ad dexteram Diaconi ascendet, ut recitet *Agnus Dei*, postea redibit ad locum suum.

134. Presbyter assistens et Diaconus, recitato *Agnus Dei*

cum Episcopo, genuflectent ad Sacramentum et locum mutabunt; videlicet Presbyter assistens transibit ad dexteram, et Diaconus ad sinistram Episcopi et supplebit ad librum loco Presbyteri assistentis. Interea Presbyter assistens geniculabit a latere dextro Episcopi, et quando hic desierit recitare orationem *Domine Iesu Christe, qui dixisti* etc. assurget et simul cum Episcopo Altare osculabitur. Episcopus manus imponet Altari dum osculabitur illud, non vero Presbyter assistens.

135. Idem Presbyter accipiet ab Episcopo pacem cum solita formula *Pax tecum*, cui respondebit *Et cum spiritu tuo*; iterata deinde genuflexione, pacem afferet ad chorum, nempe ad primam Dignitatem, ad primum Canonicum Presbyterum, ad primum Canonicum Diaconum et ad primum Canonicum Subdiaconum; postea ad Magistratum cum instrumento, observando quae tradita sunt de Diacono pro thurificatione: redibit ad Altare et pacem donabit Caeremoniario, qui prosequetur eam dare ceteris de choro, ut cap. 6. lib. I. Presbyter assistens ascendet rursus ad sinistram Episcopi, ut assistat ad librum, et Diaconus transibit ad dexteram Episcopi.

136. Postquam Presbyter assistens, pace accepta ab Episcopo, discesserit de Altari, ascendet primus Diaconus assistens et facta ad Sacramentum genuflexione, non osculans Altare, accipiet ab Episcopo pacem atque iterata genuflexione, ad locum suum redibit. Ascendet secundus Diaconus assistens et pacem accipiet, ut supra. Diaconus et Subdiaconus ministrantes, nisi de sacra mensa participent, pacem ab Episcopo successive accipient, ut de Diaconis assistentibus traditum est.

137. Subdiaconus remanebit in suppedaneo Altaris a dextris Episcopi, si Diaconus supplebit ad Missale; sin autem ibi aderit Diaconus, manebit a dextris Diaconi ad exsequendas actiones successivas. Manente Diacono ad librum, supplebit ipse in detegendo Calice, quum tempus erit.

138. Si Ministri sacri communicabunt, rursus cooperto post sumptionem Calice, geniculabunt in suppedaneo, semper in pedes adstante choro. Episcopus genuflectet, ponet in patena utramque particulam, se convertet ad Diaconum et Subdiaconum, quibus s. Eucharistiam administrabit, dicens cuique

Corpus Domini nostri etc. (*a*). Praedicti Ministri, priusquam ab Episcopo s. Eucharistiam accipiant, osculabuntur manum eius, consurgent et osculabuntur genam sinistram, dicente Episcopo in illo actu *Pax tecum*, ipsis respondentibus *Et cum spiritu tuo.* Si Clero administrabitur Communio, servanda erunt quae cap. XI. huius libri praescribentur.

139. Communicatis Ministris, reponetur pileolus in capite Episcopi, chorus considebit ac praedicti Ministri redibunt ad locum suum ad latus dexterum Episcopi, et ritu praescripto continuabitur Sacrum. Interim in promptu habebitur lavatio, invitando ad abacum qui ministraturus erit. In ablutione Diaconus vinum, Subdiaconus aquam fundet. Deinde Subdiaconus transibit ad dexteram Altaris, ut abstergat Calicem, complicet corporale et omnia referat ad abacum. Presbyter assistens transferet librum cum suo cussino vel legili ad latus sinistrum Altaris, postea subsistet in angulo primi gradus, ut mantile Episcopo ministret. Diaconus manebit a dextris Episcopi, et accedet ad Altare Cappellanus a mitra.

140. Episcopus, ablutione sumpta et ore purificatorio absterso, a Diacono ministrante cooperietur mitra pretiosa et accedet ad extremitatem suppedanei, ubi lavabit manus ministrante ei mantile Presbytero assistente. Totus chorus genuflectet, dum Episcopus manus lavabit, exceptis Canonicis, qui consurgent, et Praesules, siqui aderunt.

141. Hoc tempore Subdiaconus absterget calicem, reponet in eo purificatoria, patenam et pallam, complicabit corporale et reponet ipsum intra bursam, qua superposita calici, referet omnia ad abacum, ac reversus ad Altare stabit post Diaconum.

142. Quum Episcopus laverit manus, benedictionem largietur Ministris lotionis, qui discedent; deinde a Diacono mi-

(*a*) Quare Clerus genuflectere ad Communionem non debeat, docuimus in adnotatione cap. V. lib. II. num. 7. Quod autem Communioni Ministrorum non praemittatur *Confiteor, Misereatur* etc. perspicua est dispositio Caeremonialis, quod teneri voluit veterem disciplinam, ut observatur adhuc in Missa pontificali Summi Pontificis ad Communionem Diaconi et Subdiaconi.

nistrante de capite eius detrahetur mitra. Diaconus locum sumet post Episcopum euntem in medium et redeuntem ad Missale.

143. Episcopus convertetur ad Altare et leget ex Missali versiculum *Communio,* veniet in medium, osculabitur Altare et conversus ad populum cantabit *Dominus vobiscum.* Redibit deinde ad Missale, cantabit *Postcommunio* ac reversus in medium, et rursus osculatus Altare, iterum versus populum cantabit *Dominus vobiscum.* Diaconus convertetur ad populum et tono solemni cantabit *Ite missa est,* quo cantato tum Episcopus tum Diaconus ad Altare convertentur. Diaconus cum Subdiacono subsistent in gradu superiori a lateribus Episcopi, et interim Cappellani a mitra et a baculo appropinquabunt ad Altare.

144. Episcopus dicet orationem *Placeat tibi* etc. post quam Diaconus in suppedaneum ascendet et mitram pretiosam Episcopo imponet, Subdiacono attollente vittas, et ad locum suum postea redibunt. Episcopus benedictionem donabit solemnem, cantans *Sit nomen Domini* etc. et quo momento convertitur ad populum, antequam dicat *Pater,* accipiet sinistra baculum et benedictionem, ut supra, donabit, ad quam genuflectent omnes, exceptis Canonicis, qui accipient illam profunde inclinati, et Praelatis, si aderunt. Dum Episcopus dicet orationem *Placeat,* Presbyter assistens a Caeremoniario, vel a clerico accipiet libellum cum formula indulgentiae.

145. Sin autem esset Metropolita, Subdiaconus a Cruce afferet ad Altare Crucem archiepiscopalem et cantato *Ita Missa est,* geniculabit in infimo gradu Altaris, imagine Crucifixi conversa ad Archiepiscopum, qui benedictionem impertietur conversus ad Crucem archiepiscopalem et dimissa mitra, ac priusquam sinistra accipiat baculum, reverentiam profundam faciet ad Crucem praedictam. Quod si Altare versum esset ad orientem, neque oporteret ut Episcopus ad benedictionem donandam se converteret ad populum, Subdiaconus portabit Crucem in eam partem, versus quam Archiepiscopus dabit benedictionem, et subsistet genibus flexis ante Altare.

146. Benedictione donata, Episcopus stabit conversus ad populum, baculum sustinens sinistra, et consistet in hoc statu,

donec Presbyter assistens in latere Epistolae conversus ad populum, legerit totam formulam indulgentiarum.

147. Post lectionem formulae, prompte ordinabitur processio ad Secretarium, servando ordinem in accessu ad Altare maius descriptum, et hoc tempore sonabitur organis (*a*).

148. Si Archiepiscopus erit Celebrans, post indulgentiam publicatam deponet pastorale et convertetur ad Altare ibique a Diacono, adiuvante Subdiacono, extrahentur e s. Pallio tres spinulae, tum exuetur Pallio ipso, quod ponetur in lance, hanc ob causam allata a Clerico ad Altare, et cooperietur velo, quo a principio contegebatur.

149. Si vero erit Episcopus, deposito pastorali, dimittet mitram per Diaconum, et sive Archiepiscopus, sive Episcopus dicet *Dominus vobiscum*, signabit Altare ac seipsum dicens *Initium sancti Evangelii* etc. Tum immediate a Diacono mitra pretiosa cooperietur, et recepto pastorali, de Altari descendet, salutabit Crucem et ad Secretarium, ut supra dictum est, revertetur ad paramenta deponenda, recitans interea cum pausa Evangelium s. Ioannis, ut compleat ipsum in praedicto Secretarii sacello. Si loco Evangelii s. Ioannis dicendum esset Evangelium de Dominica, legetur ab Episcopo in Altari, ab Archiepiscopo autem postquam s. Pallium dimiserit. Subdiaconus in reditu ad sacellum illud non deferet librum Evangeliorum, itemque non aderit thuriferarius cum thuribulo ante Crucem. Cappellani a libro et a scotula portabunt Canonem pro gratiarum actione et scotulam praedictam.

150. Quum ventum erit in Secretarium, unusquisque locum occupabit sibi attributum, et prope thronum praesto erunt clerici, qui paramenta Episcopi recipient. Monebitur etiam Cubicularius ut in promptu ibi habeat Episcopi cappam et calceamenta.

(*a*) Secuti fideliter sumus Caeremonialis dispositionem, qua iubetur Episcopus deponere paramenta quo loco indutus iis fuerit. Eius verba haec sunt « Episcopus, deposita mitra, dicit versus cornu Evangelii *Dominus* » *vobiscum*, summissa voce, et facto Crucis signo super Altare, dicit » *Initium sancti Evangelii secundum Ioannem*, quod prosequitur sumpta mitra » et baculo, procedendo ad locum ubi a principio accepit paramenta » lib. II. cap. 8. num. 80.

151. Episcopus ingressus in Sacellum benedicet Clerum et salutata Cruce, ad thronum ascendet medius inter Diaconum et Subdiaconum. Dimittet mitram per Diaconum et genuflectens versus Altare dicet *Et Verbum caro* etc. complens Evangelium. Sedebit deinde in cathedra throni et baculum deponet.

152. Duo sacri Ministri dimittent manipulos, qui a clerico referentur ad abacum. Episcopo manipulus detrahetur a Subdiacono et a clerico referetur ad Altare, deinde a praedictis Ministris exuetur ceteris paramentis, quae reportata super Altare cooperientur velo, quo contegebantur a principio. Cappellani a libro et scotula statim exuent pluviale et redibunt prope thronum ut fungantur officio suo. Cappellani vero a baculo et a mitra deponent mitram super Altare, baculum prope Altare et in Sacristiam redibunt, ubi pluviale deponent.

153. Postquam Episcopus paramenta dimiserit, a duobus clericis iterum statuetur in medio presbyterio faldistorium cum pulvinis.

154. Quum Episcopus in thronum ascenderit et ultimum Evangelium absolverit, discedent Canonici, et cum ipsis assistentes ad deponenda paramenta, quibus erant induti et resumptis canonicalibus insignibus, redibunt ad locum suum: sic etiam Subdiaconus, qui gestaverit Crucem, se exuet paramentis.

155. Exuto sacris paramentis Episcopo, Ministri cum debitis reverentiis ad scamnum revertentur, quo sedebant ab initio apud Altare. Episcopus non lavabit manus, et a Cubiculario rursus imponetur ei cappa, adiuvantibus Diaconis assistentibus, qui habitu chorali induti redierint ad assistentiam. Cubicularius priusquam cappam reponat Episcopo, illaqueabit ipsi extremitatem posteriorem vestis talaris. Explicabitur Episcopo cappa, adiuvantibus Diaconis praedictis et Caeremoniario.

156. Reposita Episcopo cappa, ascendent ad thronum duo cappellani cum libro et scotula, et Episcopus recitabit preces gratiarum actionis, videlicet antiphonam *Trium puerorum* et canticum *Benedicite* cum psalmo sequente et versiculis.

157. Interea Subdiaconus, resumptis ex abaco velis et bacili, in quo detulit caligas et sandalia Episcopi, comitantibus sex clericis, ternis nempe a lateribus, cum debitis reverentiis ad thronum procedet, ubi iam aderit Episcopi cubicularius. Clerici genuflexi attollent extremitates cappae, qua cooperient Subdiaconum et cubicularium genuflexos. Subdiaconus e crure dextro, deinde e sinistro Episcopi educet sandalia et caligas. et cubicularius rursus inducet calceos usuales.

158. Subdiaconus, receptis caligis et sandaliis, simul cum clericis discedet de throno et ad abacum referet caligas, quibus depositis et resumpto bireto, coibit cum Diacono, et facta ad Altare et ad Episcopum reverentia, comitantibus duobus clericis pergent ad sacras vestes dimittendas.

159. Quum Episcopus compleverit preces gratiarum actionis, cappellani a libro et scotula, referent haec ad abacum, et cum ceteris de Clero associabunt Episcopum ex ecclesia discedentem.

160. Episcopus completa gratiarum actione, de throno descendet, et peracta ante Altare brevi oratione genibus flexis in faldistorio ibi praeparato, transibit ad SS. Sacramentum adorandum; postea associatus a Canonicis et Clero, ut cap. IV. huius libri innutum est, ad Episcopium revertetur. Exeunte de ecclesia Episcopo, omnia aera campana festivo more sonabunt.

161. Canonici, associato Episcopo, redibunt in chorum ad complendum Officium, recitando horas minores, Sextam et Nonam (a).

(a) Ad huius capituli complementum necesse quidem esset pauca verba facere de ritibus Missae pontificalis in diebus ferialibus, quae celebratur post Nonam. Episcopus non induitur sacris vestibus in Secretario: non est locus processioni ante Missam neque aliis huiusmodi praescriptionibus. Quia vero raro admodum contingit, ut Episcopus Missam pontificalem celebret die feriali, sic ad propositum nostrum satis erunt quae in hanc rem trademus lib. VII. cap. 3. *de ordinatione generali,* quo loco de ritibus etiam Missae pontificalis ferialis disseretur.

DE SACRA CONCIONE POST EVANGELIUM MISSAE SOLEMNIS, CELEBRANTE EPISCOPO, VEL CORAM IPSO AUT ETIAM ABSENTE.

CAPUT X.

1. In Dominicis et in Quadragesima deberet regulariter haberi Sermo in Missa solemni post Evangelium, et argumentum sermonis desumendum esset ex Evangelio, quod cantatum est in Missa.

2. Ritus observandus a sacro Oratore variabitur a circumstantiis, videlicet a praesentia proprii Episcopi ordinarii, vel ab absentia Episcopi.

3. Quum aderit Episcopus, Concionator si de Clero regulari fuerit, retinebit habitum ordinis sui, et Fratres mendicantes advertant ut dimittant mantelum; sin erit e Clero seculari, videtur debere uti superpellicio, siquidem quod praescribit Caeremoniale, ut concionator induatur insignibus canonicalibus, respicere non potest nisi Canonicos in sua ecclesia, et contra legum ecclesiasticarum principia se gereret qui secus faceret. Si Concionator fuerit Canonicus vel Beneficiarius et in sua ecclesia, eodem habitu utetur, quo in choro.

4. Extra Urbem mos est, ut concionator si Presbyter sit, stolam induat e collo pendentem, si Diaconus, utatur ipsa posita in humero sinistro et in latere dextro firmata.

5. Pulpitum locabitur in latere Epistolae aut Evangelii, iuxta situm throni Episcopi, atque ita locabitur, ut a presbyterio nec longius nec propius absit, quo tum ab Episcopo et Clero, tum a populo possit facile exaudiri. Erit etiam nudum ex toto, neque ullius generis apparatu exornabitur, quamvis occurrat celebritas insignis.

6. Aequum esset etiam, ut Concionator nequaquam sederet, praesertim si adesset proprius Episcopus: quod si gravi

illi esset incommodo, poterit adhiberi sedile eius altitudinis, ut vix appareat Oratorem sedere.

7. Quum cantabitur in Missa Graduale, Caeremoniarius vel etiam clericus superpellicio indutus invitabit Concionatorem eumque deducet in presbyterium prope abacum, ubi manebit iunctis manibus ac si fuerit secularis, biretum sustinebit manu ad cantum Evangelii, aliquantum conversus ad Diaconum.

8. Caeremoniarius vel clericus, qui comitabitur Concionatorem, meminerit secum ferre formulam Indulgentiarum.

9. Post cantum Evangelii, Episcopus osculabitur librum et accipiet thurificationem, si assistet paratus pluviali; si vero indutus erit cappa, incensabitur Celebrans, qui sedente Episcopo, descendet a latere de Altari cum Ministris, quibuscum ibit consessum ad scamnum.

10. Quum sederit Episcopus, sedebit etiam chorus, et Presbyter assistens Episcopo sedebit in suo stallo, seu thurificaverit seu non thurificaverit Episcopum, ut supra.

11. Concionator, postquam sederit Episcopus, proficiscetur cum clerico comitante et veniet ante Altare, ubi faciet genuflexionem, vel reverentiam si fuerit Canonicus et in sua ecclesia; deinde vadet ante thronum, reverentiam vel genuflexionem faciet ante Episcopum eadem regula ac supra, ad thronum ascendet, geniculabit in gradulo cathedrae, vel cum eadem regula stabit profunde inclinatus, osculabitur Episcopi dextram et benedictionem ab eo petet, dicens *Iube*, *Domne*, *benedicere*. Respondebit Episcopus: *Dominus sit in corde tuo et in labiis tuis, ut digne et fructuose annunties verba sancta sua. In nomine Patris* ✠ *et Filii et Spiritus Sancti, Amen*; signumque Crucis versus illum faciet ad illa verba *In nomine Patris* etc. Concionator adhuc flexis genibus vel profunde inclinatus, poscet Episcopum indulgentias dicens *Indulgentias, Pater reverendissime,* et Episcopus respondebit *consuetas,* vel *quadraginta dierum*. Si Episcopus erit Cardinalis, Concionator dicet *Indulgentias, Pater Eminentissime ac Reverendissime,* et Cardinalis Episcopus respondebit *consuetas* vel *centum dierum*.

12. Concionator assurget, nec dextram Episcopi osculabi-

tur iterum, de throno descendet, genuflexionem aut reverentiam iterabit, tum si ante Altare transibit, repetet genuflexionem aut reverentiam ad Altare et pulpitum conscendet.

13. In pulpito reverentiam vel genuflexionem ad Altare, deinceps ad Episcopum conficiet: se componet paramper et biretum capiti imponet, si utetur: postea nudabit caput, se muniet signo Crucis, geniculabit versus Altare et clara voce totam salutationem angelicam recitabit, quod faciet etiam tempore paschali, assurget, operiet caput, sacrumque sermonem exordietur.

14. Si in principio sermonis aut in progressu ipsius, orationem conversurus esset ad Episcopum, aperiet caput eumque reverebitur profunda reverentia, vel genuflexione.

15. Fine dicendi facto, caput nudabit et in pulpito ipso geniculabit aliquantum conversus ad Altare. Quod si fuerit Canonicus in sua ecclesia, adstabit in pedes et capite detecto.

16. Tunc Diaconus qui ministrabit ad Altare, nudato capite assurget, ac salutato Celebrante, vadet ante Altare, conficiet genuflexionem, vel reverentiam si fuerit Canonicus in sua ecclesia, convertetur deinde ad Episcopum, reverentiam ante ipsum faciet vel genuflexionem, tum loco manens eodem, sed conversus ad Episcopum, cantabit *Confiteor* iunctis manibus et profunde inclinatus.

17. Episcopus assurget capite mitra cooperto, si paratus pluviali fuerit, bireto autem, si cappa indutus erit, cumque ipso consurgent chorus, Celebrans, Subdiaconus et reliqui omnes.

18. Ad illa verba *Tibi Pater* et *Te Pater*, Diaconus cantans *Confiteor,* faciet genuflexionem, vel reverentiam profundiorem, si Canonicus erit.

19. Cantato *Confiteor*, Diaconus iterata genuflexione, vel reverentia ad Episcopum et ad Altare, redibit ad locum suum, et accedens ad scamnum salutabit Celebrantem.

20. Episcopus sedebit capite cooperto, stantibus ceteris omnibus. Concionator assurget et elata voce leget Indulgentiarum formulam, quam ipsi tradet Caeremoniarius sive clericus assistens, tum de pulpito descendet.

21. Indulgentiarum formula haec est.
» Reverendissimus in Christo Pater et Dominus, Dominus *N.*
» Dei et Apostolicae Sedis gratia huius sanctae Ecclesiae *N.*
» Episcopus (*vel* Archiepiscopus) dat et concedit omnibus hic
» praesentibus quadraginta dies de vera Indulgentia in forma
» Ecclesiae consueta; rogate Deum pro felici statu Sanctissi-
» mi Domini nostri *N.* divina providentia Papae *N.* Domina-
» tionis suae Reverendissimae et Sanctae Matris Ecclesiae ».

22. Si Episcopus erit Cardinalis, legetur quae sequitur.
» Eminentissimus ac Reverendissimus in Christo Pater et Do-
» minus, Dominus *N.* tituli Sancti *N.* Sanctae Romanae Ecclesiae
» Presbyter Cardinalis *N.* Dei et Apostolicae Sedis gratia huius
» sanctae Ecclesiae *N.* Episcopus (*vel* Archiepiscopus) dat et
» concedit omnibus hic praesentibus centum dies de vera
» Indulgentia in forma Ecclesiae consueta; rogate Deum pro
» felici statu Sanctissimi Domini nostri *N.* divina providen-
» tia Papae *N.* Dominationis suae Eminentissimae ac Reve-
» rendissimae et Sanctae Matris Ecclesiae ».

23. Notandum est illud, quod solum Cardinalibus suburbicariis convenit in titulo expressio illa *miseratione divina Episcopus N.* loco alterius. *Dei et Apostolicae Sedis gratia*, quia optant, ut dici solet, Episcopatum, videlicet illum petunt formaliter in Consistorio: ceteri uti debent titulo *Dei et Apostolicae Sedis gratia*, quoniam eis a S. Sede collatus est sine formali petitione Episcopatus.

24. Hoc tempore ad thronum approximabunt cappellani cum libro et scotula.

25. Publicata indulgentia, Diaconus secundus tollet mitram Episcopo, si paratus erit, vel Episcopus sibi tollet biretum et illud tradet primo Diacono assistenti. Postea Episcopus iunctis manibus surget et recitabit elata voce formulam absolutionis *Precibus et meritis* etc.

26. Si fuerit Archiepiscopus, Cappellanus accipiet Crucem archiepiscopalem quam deferet ad thronum dum publicantur indulgentiae, et genuflexus in infimo gradu throni sustinebit illam ante Archiepiscopum, imagine Crucifixi ad eum versa.

27. Quando Episcopus assurget, ut incipiat legere formu-

lam absolutionis, geniculabunt omnes, exceptis Praelatis, siqui aderunt, et Canonicis; geniculabunt etiam Ministri Celebrantis, nisi fuerint Canonici. Celebrans autem adstabit in pedes, etiamsi non sit Canonicus.

28. Post formulam *Precibus et meritis* etc. et orationem *Indulgentiam* etc. (a). Episcopus sedebit ac primus Diaconus assistens imponet ei mitram. Postea duo Diaconi attollent eius fimbrias pluvialis. Episcopus assurget et elevans oculos manusque, quas ante faciem suam iunget, accipiet sinistra baculum pastoralem ac trinam benedictionem donabit, dicens *Et benedictio Dei* etc. Quod si cappa erit indutus, ad benedictionem cooperiet caput bireto, neque utetur baculo pastorali.

29. Si fuerit Archiepiscopus et ante se habuerit Crucem, non resumet mitram, et postquam elevaverit oculos manusque, prius quam baculum sinistra accipiat, reverentiam faciet ad Crucem praedictam, tum sinistra accipiet baculum ac trinam benedictionem donabit dicens *Et benedictio Dei* etc.

30. Episcopus dimittet pastorale, et sedens detegetur mitra a secundo Diacono assistente, assurget cumque ipso consurget chorus, qui erat genuflexus.

31. Celebrans ad Altare a latere redibit et Missam prosequetur.

32. Si erit Archiepiscopus, non sedens deponet baculum et Missa continuabitur.

33. In Missis solemnibus pontificalibus ipse Episcopus Celebrans habere debet homiliam, seu sermonem post Evangelium. Quod ad ritum servandum in hac circumstantia, dependebit a

(a) In Caeremoniali Episcoporum lib. I. cap. 25. num. 2. post orationem *Precibus et meritis,* subiicitur immediate formula *Et benedictio Dei* etc. omissa altera oratione *Indulgentiam, absolutionem* etc. In antiquo Pontificali Romano, iussu Innocentii VIII. compilato ab Augustino Piccolomineo Pientiae Episcopo, qui postea et ipse ad Sedem Apostolicam evectus nomen Pii III. assumpsit, quique in Sacello pontificio Caeremoniarum Magister fuerat, titulo *De Missa pontificali, Pontifice solemniter celebrante,* extat etiam oratio *Indulgentiam, absolutionem* etc. (fol. 219. edit. 1561. Venetiis apud Iunctas). Porro ex codice illo duxit originem hodiernum Episcoporum Caeremoniale; et in Sacello pontificio oratio praedicta, recitata constanter est: videtur igitur non esse omittenda.

situ Altaris; namque si thronus ita situs erit, ut facile possit a populo exaudiri, faciet homiliam in throno sedens; sin minus, faciet ex Altari.

34. Quocirca si Episcopus homiliam seu sermonem habebit ex throno, postquam thurificatus erit a Presbytero assistente, sedebit, reponetur eius capiti mitra a primo Diacono assistente et gremiale, sedebunt etiam ceteri omnes. Si Presbyter assistens, sedendo a dexteris throni, aliquo modo conspectum Episcopi populo impediret, sedebit in throni plano a sinistris Episcopi.

35. Quando Episcopus sederit, non se signans neque recitans *Ave Maria*, exordietur homiliam, seu sermonem: quin etiam a quibusdam Episcopis solet homilia legi, non recitari memoriter.

36. Postquam Episcopus sacram concionem absolverit, a secundo Diacono assistente amovebitur gremiale.

37. Diaconus ministrans discedet de scamno, quo sedebat apud Altare, faciet ad Altare, dum praeteribit, reverentiam, procedet ante thronum, reverebitur Episcopum, ibique ad Episcopum conversus cantabit *Confiteor*, ut supra. Episcopus stabit, gestans in capite mitram. Postquam Diaconus cantaverit *Confiteor*, Presbyter assistens publicabit Indulgentias legens formulam superius relatam, quae dabitur ipsi a Caeremoniario vel a clerico. Ad absolutionem et benedictionem quod attinet, illa omnia fient, quae paullo ante praescripta sunt.

38. Quod si Episcopus pro habenda homilia opus esset ut accederet ad Altare, propterea quod nimis longe a populo thronus positus esset, curabitur ut in antecessum praeparetur prope abacum vel alio loco faldistorium cum tegumento respondente colori officii, et quinque scabella aequalia throni scabellis.

39. Dum Episcopus osculabitur textum Evangelii ac thurificabitur, duo tresve clerici ad hoc delegati advertent, ut solicite ponant in medio suppedaneo Altaris faldistorium pro Episcopo, et quinque scabella in suppedaneo ipso, tria nempe a latere dextro, duo a sinistro faldistorii.

40. Postquam Episcopus thurificatus erit, sedebit et a

primo Diacono assistente cooperietur mitra. Presbyter assistens manebit ante pedes throni, itemque Diaconus et Subdiaconus ad Altare ministrantes non sedebunt in scamno, sed expectabunt ante Altare.

41. Episcopus, quum coopertus erit mitra, baculum pastoralem sinistra accipiet ac descendet de throno. Quum de throno descenderit, vel transiens per chorum iturus ad Altare, iuxta positionem utriusque, dextera Clerum benedicet. Praecedetur a Presbytero assistente, a lateribus habebit Diaconos assistentes, sequentur eum Caudatarius, quatuor cappellani a mitra, baculo, libro et scotula, clericusque cum gremiali.

42. Quum venerit ante Altare, succedent in assistentia Diaconus et Subdiaconus ac recedent Diaconi assistentes. Ad vitandam confusionem in mutatione loci, animadvertendum ut Presbyter assistens recedat versus cornu Evangelii cum Diacono Altaris et cum primo Diacono assistente; Subdiaconus autem cum secundo Diacono assistente versus partem Epistolae.

43. Ante Altare Episcopus cum assistentibus et Ministris conficient reverentiam ad Crucem, cappellani autem praedicti genuflexionem. Episcopus cum Assistentibus et Ministris ascendent ad Altare et sedebunt hoc ordine: Episcopus in faldistorio posito in medio, Presbyter assistens a dextris Episcopi, sed paullo ante, quatenus patietur latitudo suppedanei et ferme in positione quam servare solet quum throno assistit; Diaconus ministrans sedebit a dextris pariter Episcopi, sed post Presbyterum assistentem; primus Diaconus assistens a dextra Diaconi ministrantis. Subdiaconus sedebit a sinistris Episcopi et secundus Diaconus assistens a sinistris Subdiaconi ministrantis.

44. Sedens Episcopus dimittet baculum, qui recipietur a respectivo Cappellano. Diaconus ministrans genibus eius imponet gremiale. Cappellani a mitra et baculo cum caudatario sedebunt a latere in gradibus Altaris ex parte Evangelii, reliqui duo a libro et scotula cum clerico a gremiali sedebunt eodem modo a latere Epistolae. Postquam sederit Episcopus, considebit chorus. Tunc Episcopus inchoabit homiliam non se signans nec recitans *Ave Maria*.

45. Peracta ab Episcopo homilia, chorus et ceteri omnes

consurgent. Diaconus ministrans de suppedaneo descendet, inclinabit se ad Episcopum et stans in gradu superiori a sinistris eius cantabit *Confiteor*, ut supra; tum Presbyter assistens publicabit Indulgentiam. Diaconus ministrans tollet, deinde imponet ei mitram pro absolutione et benedictione, et Presbyter assistens sustinebit ei librum ut supra; post benedictionem Episcopus de Altari descendet, redibit ad thronum eodem ordine ac supra, ibique deposita mitra, adstans in pedes intonabit *Credo* et prosequetur Missam solemnem pontificalem. Diaconus et Subdiaconus, profecto ex Altari Episcopo, revertentur ad scamnum suum.

46. Si Episcopus nolit ipse habere homiliam dum cantabit Missam, delegabit Canonicum aliquem, qui sermonem seu sacram concionem habeat post Evangelium: hic tamen debebit officio fungi Presbyteri assistentis, etiamsi non esset e digniorum et seniorum numero. Quapropter postquam thurificaverit Episcopum post Evangelium, et Episcopus sederit, ascendet et profunde inclinatus petet ab eo benedictionem et indulgentias, ut supra. Accedet deinde ad pulpitum et paratus pluviali exsequetur totum id quod superius praescriptum est Concionatori. Completo sermone, expectabit stans dum cantetur *Confiteor*, quo cantato publicabit indulgentias et de pulpito descendet. Hoc casu liber ante Episcopum pro absolutione et benedictione sustinebitur a cappellano respectivo, nisi Presbyter assistens ad thronum redierit.

47. Quando absente Episcopo ordinario, habebitur sacra concio post Evangelium Missae solemnis, Concionator aderit prope abacum ad cantum Evangelii, ut superius innutum est. Postquam Celebrans osculatus erit Evangelium, Concionator comitatus a clerico procedet in medium chorum ante Altare, reverentiam faciet vel genuflexionem ad Crucem, deinde reverentiam ad chorum, et quin petat benedictionem a Celebrante, quamvis esset Episcopus non ordinarius vel Abbas aut praeditus usu Pontificalium, ascendet in pulpitum et sacram peraget concionem, ut dictum est. Si Episcopus concesserit indulgentias, peracta concione, publicabuntur illae per formulam consuetam a Concionatore, qui stabit capite nudato.

48. Dimissa concione, Celebrans cum Ministris procedent ad Altare et Missa continuabitur. Concionator redibit in Sacristiam, quin prius vadat in chorum, excepto casu, quo nulla alia esset porta, qua intretur in Sacristiam, nisi ex parte chori. Tali casu reverentiam faciet ad chorum et ad Altare, quemadmodum quum discessit, iturus ad ambonem seu pulpitum.

DE S. COMMUNIONE DISTRIBUENDA IN MISSA PONTIFICALI EPISCOPI ORDINARII.

CAPUT XI.

1. Si inter Missam pontificalem Episcopi ordinarii distribuenda sit S. Communio Clero, ut fit fer. V. in Coena Domini, in celebratione synodi dioecesanae et in alia quacumque circumstantia, una cum ceteris rebus notatis in relativis capitulis, praeparabitur pixis cum operculo, in qua aderit particularum numerus communicandis sufficiens. Praeparabitur insuper mappa longa linea, ante communicandos extendenda, neque dedeceret si esset acu picta et exornata in suis oris (a): stolae sufficienti numero pro Presbyteris, qui de sacra mensa participabunt; plura vasa vitrea cum aqua et vino ac suis mappulis appensis pro purificatione communicatorum; libellus seu tabella, in qua extet scriptum *Confiteor* cum notis in commodum Diaconi, si necesse ei fuerit: liber cum formula *Misereatur* etc. *Indulgentiam* etc. pro Episcopo.

2. Subdiaconus, postquam Calicem ad Altare attulerit pro offertorio, redibit ad abacum, accipiet pixidem et coopertam velo deferet ad Altare, si tamen id non exsequatur Caeremoniarius vel Sacrista, quod quidem aequius videretur.

3. Diaconus, priusquam Episcopo tradat patenam cum hostia

(a) Velo humerali pro mappa linea uti in Communione non decet.

pro offertorio post praegustationis actum, dextera pixidem accipiet eamque ponet in corporali versus latus suum, non in medio, et sustinens eamdem sinistra in pede, dextera demet operculum, quod in latere eodem ponet extra corporale.

4. Idem deinde Diaconus accipiet patenam cum hostia, cumque osculis usitatis tradet illam Episcopo, tum dextera sumptam pixidem in pede elevabit ad altitudinem patenae, prope quam sustinebit ipsam donec ab Episcopo compleatur oblatio.

5. Quum Episcopus demittet patenam cum hostia, facturus per ipsam Crucis signum et depositurus hostiam super corporale, Diaconus demittet ac ponet pixidem in medio corporali ex parte posteriori ita ut sit post Calicem eamque teget operculo.

6. Postea Diaconus absterget calicem, et vinum in eum infundet ac prosequetur actiones quae sui muneris sunt, ut notatum est cap. IX. de Missa pontificali num. 118. et seqq.

7. Ad illa Canonis verba *Quam oblationem* etc. Diaconus accedet ad Episcopi dexteram, et manu dextera accipiet pixidem, admovebit ipsam prope dextram Episcopi, demet operculum et reponet illud extra corporale.

8. Episcopus consecrabit Hostiam et Particulas, elevationem peraget, reponet s. Hostiam super corporale et genuflexionem iterabit.

9. Genuflexione ab Episcopo iterata, assurget Diaconus, pixidem teget operculo et quo loco erat post calicem, reponet; pallam a calice amovebit et rursus geniculabit: ac reliquae praescriptae actiones peragentur.

10. Clerici cum intorticiis manebunt usque ad exitum Communionis.

11. Episcopus pacem dabit Presbytero assistenti ac duobus Diaconis assistentibus. Diacono autem et Subdiacono dabit post Communionem.

12. Paullo ante Communionem duo Cappellani superpellicio induti, qui sustinere mappam ante communicandos debebunt, pergent ad abacum et primus eorum accipiet mappam praedictam, genuflexionem in medio facient ante Altare et in extremitate graduum illius geniculabunt.

13. Item Canonicus ultimus, dummodo sacro ordine constitutus sit, accedet ad abacum, accipiet vas cum vino et aqua et mappulam et consistet in plano Altaris versus cornu Evangelii, ministraturus deinceps Canonicis et Magistratui purificationem: id ipsum exsequetur Beneficiarius unus pro Beneficiariis et reliquis de Clero.

14. Cappellanus a libro accipiet ex abaco librum pro absolutione et consistet in latere Evangelii ante gradus laterales Altaris.

15. Postquam Episcopus Calicem sumpserit, Diaconus calicem cooperiet palla et ponet super corporale prope latus Evangelii. Diaconus genuflectet, pixidem accipiet, ad medium Altaris admovebit ac deteget illam. Episcopus genuflexionem cum Diacono et Subdiacono conficiet, accipiet duas Particulas easque ponet super patenam et Diaconus pixidem iterum cooperiet.

16. Postea Diaconus et Subdiaconus venient in extremitatem suppedanei ibique geniculabunt in medio, Diaconus a dextris Subdiaconi. Episcopus genuflectet, sinistra patenam, dextra Particulam unam accipiet et convertetur ad Ministros: non dicens *Misereatur* etc. *Ecce Agnus Dei* etc. *Domine non sum dignus* etc. communicabit Diaconum, formans cum s. Particula signum Crucis et dicens tantum *Corpus Domini nostri* etc. Diaconus priusquam accipiat s. Particulam osculabitur Episcopi manum; deinde assurget et osculabitur Episcopum in gena sinistra, dicente Episcopo *Pax tecum* et ipse respondebit *Et cum spiritu tuo*. Hoc ipsum faciet Episcopus erga Subdiaconum et Subdiaconus erga Episcopum.

17. Convertetur Episcopus ad Altare et patenam reponet in corporali. Diaconus et Subdiaconus pergent ad accipiendam purificationem a Canonico, qui porriget eis vas cum mappula, ut superius traditum est, et curabunt, ut hanc actionem expedite exsequantur.

18. Interea communicandi de suis stallis descendent et in plures ordines divisi in medio presbyterio geniculabunt: quod si presbyterium eorum numerum non caperet, loco quisque suo geniculabunt.

19. Diaconus redibit ad Altare et subsistet in latere Epistolae versus angulum Altaris in gradu superiori, Subdiaconus pariter stabit contra illum in latere opposito et Episcopus, iterata ad Sacramentum genuflexione, convertetur ad communicandos, versus cornu Evangelii, ne tergum vertat ad SS. Sacramentum.

20. Presbyter assistens recedet de Altari, ut locum det Episcopo et Subdiacono, sed animum advertet libro, quem sustinebit cappellanus pro absolutione, ut deinceps declarabitur.

21. Diaconus inclinatus cantabit *Confiteor* et si opus ei fuerit libro, ut supra dictum est, illum porriget ei clericus, qui recipiet statim ac Diaconus cantarè *Confiteor* desierit, et reponet illum in abaco.

22. Sub finem *Confiteor* ascendent ad Episcopum Presbyter assistens et duo cappellani cum libro et scotula. Presbyter assistens monstrabit Episcopo *Misereatur* etc.

23. Postquam Diaconus cantaverit *Confiteor*, Episcopus recitabit elata voce *Misereatur* etc. et *Indulgentiam* etc. faciens dextera Crucis signum versus Communicandos, et recedent cappellani a libro et scotula, qui haec deponent super Altare in latere Evangelii: etiam Presbyter assistens recedet extra Altare, adstans in pedes, ut stabit in choro Clerus, qui non participabit de Sacra mensa. Sin Presbyter assistens et duo praedicti cappellani s. Eucharistiam sumpturi essent, geniculabunt simul cum aliis loco suo.

24. Episcopus se convertet ad Altare, Diaconus transibit ad eius sinistram in cornu Evangelii, Subdiaconus ad dexteram in cornu Epistolae et coniunctim facient genuflexionem.

25. Ascendent ad latera Altaris duo cappellani cum mappula, quam explicatam et extensam sustinebunt ante communicandos, nixi genibus in extremitatibus lateralibus suppedanei.

26. Post genuflexionem Diaconus pixidem deteget et accipiet utraque manu ponens dexteram infra cuppam, sinistram infra pedem: Subdiaconus dextera accipiet patenam sine purificatorio. Deinde Episcopus, Diaconus et Subdiaconus convertentur versus communicandos. Episcopus autem iunctis manibus

se convertet super dexteram suam, ne tergum vertat ad Sacramentum a Diacono sustentum. Et Diaconus advertet, ut pixidem sustineat ante Episcopum dum accipiet S. Particulas, et reducat ad pectus suum, cum communicati osculabuntur Episcopum in vultu. Subdiaconus vero meminerit patenam supponere mento communicandorum et retrahere illam, postquam divinam Eucharistiam acceperint.

27. Itaque ubi Episcopus cum Ministris conversus erit ad communicandos, ascendent ad Altare primi duo et in extremo suppedaneo geniculabunt.

28. Episcopus non dicens *Ecce Agnus Dei* etc. neque *Domine non sum dignus*, accipiet unam S. Particulam et faciens per ipsam Crucis signum ac dicens *Corpus Domini* etc. SS. Sacramentum ministrabit primo, qui priusquam accipiat Communionem osculabitur Episcopi manum, accepta autem osculabitur Episcopi genam sinistram. Idipsum deinceps exsequentur ceteri.

29. Clerus excepturus Communionem servabit ordinem praecedentiae, qui constitutus est pro candelis et palmis in respectivis diebus accipiendis.

30. Propter varietatem sacrarum vestium, quibus Dignitates et Canonici utuntur, siquo in coetu dispar esset numerus, terni ibunt ultimo loco in coetibus singulis.

31. In accessu et recessu ab Altari observabitur ordo innutus pro Communione Cleri in Missis solemnibus cap. V. Lib. II. num. 23.

32. Curabitur etiam, ut adsit qui suppleat Canonicum delegatum ad porrigendam communicatis purificationem, ut ipse quoque accedere ad Altare possit et s. Communionem excipere. Quod fiet etiam relate ad clericos intorticia substinentes, qui Communionis tempore stabunt a lateribus Altaris, ita tamen ut transitum communicandis non impediant.

33. Siquis aderit Praelatus (non vero Episcopus consecratus) qui velit de sacra mensa participare, si fuerit Presbyter aut Diaconus, paullo ante Communionem dimittet mantelletum apud abacum et supra rochetum induetur superpelliceo et stola e collo pendente vel firmata ab humero sinistro ad

latus dextrum: sin autem erit Subdiaconus aut clericus, procedet mantelleto indutus post Canonicos paratos, et Episcopi manum ac faciem osculabitur.

34. Omnes communicandi manum quidem Episcopi ante Communionem osculabuntur, sed faciem Canonici tantum parati et Praesules, si qui aderunt.

35. Si velit Episcopus populo quoque ministrare S. Communionem, descendet de Altari et veniet ad cancellos seu balaustrium presbyterii, super quo si praeparatae erunt tobaleae, qui duo cappellani sustinebant mappam ante communicandos, recedent; aliter simul cum Episcopo et ceteris Ministris descendent ad balaustrium: Diaconus continuabit sustinere pixidem, Subdiaconus patenam: clerici cum intorticiis pergent et ipsi ad balaustrium, locum sumentes a lateribus Episcopi et Ministrorum, ne tamen impediant actiones ab ipsis persolvendas. Reliqui omnes assistentes Episcopi prope Altare manebunt. Communionem Episcopus ministrabit ordine usitato; initium videlicet sumetur ab angulo ex latere Epistolae et procedetur ad alterum in partem Evangelii. Unusquisque communicandus osculabitur manum Episcopi, antequam s. Particulam accipiat.

36. Communione peracta, Episcopus et ceteri omnes redibunt ad Altare: Diaconus autem et Subdiaconus persistent quo loco erunt.

37. Ubi ad Altare venerint, Diaconus pixidem reponet in medio corporali, et Subdiaconus pariter super corporali patenam relinquet prope pixidem versus cornu Evangelii. Siqua superfuerit s. Particula, fiet ab omnibus genuflexio. Diaconus transibit ad Episcopi dextram, Subdiaconus a dextra Diaconi stabit. Presbyter assistens ad librum redibit fungens officio suo.

38. Siqua Particula, ut innuimus, superfuerit in pixide, consummabitur ab Episcopo, qui postea purificabit pixidem et patenam quoque, si opus fuerit.

39. Clerici cum intorticiis consurgent post Sacramenti consummationem, genuflexionem facient ad Altare, reverentiam ad chorum et pergent ad extinguenda ac deponenda intorticia.

40. Caeremoniarius vel Sacrista pixidem referet ad aba-

cum, postquam purificata fuerit ab Episcopo. Missa autem ritu praescripto peragetur.

41. Notandum tantum est, quod in Coena Domini nec Ministri neque Canonici debent Episcopum post Communionem in vultu osculari.

DE VESPERIS PONTIFICALIBUS EPISCOPI IN SUA DIOECESI, QUUM MISSAM POSTRIDIE NON CANTAT.

CAPUT XII.

Quae sint praeparanda.

Ad Altare SS. Sacramenti.

1. Ante Altare genuflexorium cum strato et pulvinis, vel faldistorium, ut cap. IV. huius libri.

2. Sex cerei super Altari accendendi saltem quum in accessu et recessu ab ecclesia Episcopus orabit.

In Altari maiore.

3. Sex candelabra cum cereis et Crux aequalis candelabris plus minus nobilibus, pro qualitate festi.

4. Pallium coloris congruentis officio.

5. Praeter tres tobaleas, praeparabitur altera seu velum explicatum, quod cooperiat mensam, super qua ponentur in medio paramenta pro Episcopo, videlicet formale in lance, pluviale cum stola, crux pectoralis, cingulum, alba, amictus, et haec omnia contegentur velo amplo concolore paramentis.

6. In latere Evangelii mitra pretiosa cum velo pro cappellano, qui gestaturus eam erit, et in latere Epistolae altera

auriphrygiata, sive auro intexta. Si pretiosa uti non licebit, praeparabitur solum auriphrygiata in latere Evangelii, cum vimpa, seu velo pro cappellano praedicto.

7. Prope abacum ponetur baculus pastoralis, ac si fuerit Archiepiscopus, praeparabitur etiam basis pro stabilienda Cruce archiepiscopali.

8. Gradus Altaris contegentur tapeto.

In abaco.

9. In abaco mantili cooperto praeparabuntur candelabra cum candelis pro Acolythis; thuribulum cum navicula; scotula cum candela; antiphonarium cum tegumento concolore paramentis; Canon pontificalis pro benedictione, nisi ad calcem antiphonarii inserta esset formula praedicta; Directorium chori adhibendum a cantore in praeintonatione antiphonarum.

Ante Altare.

10. Faldistorium cum pulvinis, in quo genuflectet Episcopus.

In choro.

11. Thronus Episcopi exornabitur lodicibus et baldachino concolore officio. In plano superiori aderunt tria scabella lignea, quae cooperta esse non debent panno serico vel pulvinis pro Presbytero assistente ac duobus Diaconis assistentibus. Prope cathedram aderit pulvinus utendus ab Episcopo, si intonandus erit hymnus *Veni creator*, aut *Ave Maris stella* vel alter cantandus de Cruce *O Crux*. Gradus autem throni sternentur tapeto.

12. In primis chori subselliis prope thronum ponentur quatuor vel sex pluvialia, prout qualitas festi requirit, pro Canonicis ad quos spectabit parari ex consuetudine ecclesiae. Si thronus situs erit e regione Altaris, pluvialia dividentur, dimidia pars ex utroque throni latere; sin autem locatus erit a latere Evangelii, praeparabuntur in scamno seu stallis choralibus, quae throno erunt propiora.

Ad balaustrium sive ingressum presbyterii.

13. Candelabra maiora quatuor vel sex numero cum intorticiis, aut cereis.

In functione.

14. Ante Vesperas festivo more sonabunt campanae semel aut pluries, ex usu cuiusque loci, et sonabunt etiam quum Episcopus ad ecclesiam perveniet.

15. Hora praestituta quum pulsabitur campanula Sacristiae, Canonici habitu chorali induti procedent ad associandum Episcopum, ut praecedenti cap. IV. Clericus superpellicio indutus praesto erit ad portam ecclesiae, qua Episcopus ingredietur. Aderit etiam qui fungatur officio aperiendi et claudendi portam, postquam Episcopus ingressus erit.

16. Clerici afferendis paramentis Episcopo designati et alii induendis pluviali quatuor aut sex Canonicis, poterunt adesse in choro antequam adveniat Episcopus.

17. Episcopus cappa indutus, associatus a Canonicis, aspersorium accipiet a digniore Capituli, quum erit in limine ecclesiae, et asperget adstantes: procedet ad adorandum SS. Sacramentum, postea accedet ad Altare primarium et facta ad Crucem reverentia, geniculabit in faldistorio, super quo extendetur cappa a Caeremoniario, ibique perstabit genuflexus usque ad nutum Caeremoniarii.

18. Dignitates et Canonici petent subsellia, ubi geniculabunt, itemque ceteri de Choro locum quisque suum occupabunt, ibique procumbent in genua.

19. Quatuor sive sex Canonici designati deponent habitum choralem et supra superpelliceum vel rochetum, si fruantur usu eius, induentur pluviali. Digniores ipsorum locum occupabunt prope thronum.

20. Dignitates et Canonici seniores cedent locum digniorem Canonicis praedictis, et consistent post illos propter paramenta, quibus induti sunt.

21. Diaconi assistentes pergent ad thronum et locum sument ad throni scabella a lateribus Cathedrae episcopalis.

22. Paratis praedictis Canonicis, ad nutum Caeremoniarii assurget Episcopus et facta ad Crucem reverentia, accedet ad thronum. Surgente de faldistorio Episcopo, consurgent etiam ceteri, qui genibus flexis innitebantur.

23. Episcopus in accessu ad thronum, transiens per chorum, benedictionem Clero donabit.

24. Ubi discesserit Episcopus de medio presbyterio, clerici duo ex illo loco tollent faldistorium cum pulvinis et seorsim illud locabunt.

25. Caeremoniarius distribuet paramenta clericis, qui facta deinde ad Crucem genuflexione, accedent ad thronum, ut Episcopus paramentis induatur.

26 Cappellanus a mitra ex Altari accipiet mitram pretiosam vel auriphrygiatam pro ratione temporum et velum collo impositum adhibebit ad sustinendam mitram.

27. Cubicularius habitu urbano vestitus sequetur Episcopum ad thronum vadentem.

28. Distributis clericis paramentis, Episcopus se ipse nudabit bireto, quod tradet primo Diacono assistenti, deinde a Diaconis assistentibus exuetur cappa, et adiumento iis erit Cubicularius, qui ad hunc finem se sistet post secundum Diaconum et advertet ut expediat extremitatem posteriorem vestis episcopalis; tum accepta cappa recedet a throno eamque deferet in Sacrarium, ubi complicabit illam, post Vesperas resumpturus.

29. Priusquam ad thronum ascendant clerici paramenta afferentes, ascendet a latere Presbyter assistens, qui facta inclinatione ante Episcopum, cum osculis e digito eius educet annulum, quem custodiet apud se, et redibit ad locum suum.

30. Clerici cum paramentis, alius post alium ascendent ad thronum, et porrigent illa Diaconis assistentibus, qui Episcopum induent, ut notatum est cap. IX. praecedenti num. 52.

31. Quum primus Diaconus assistens mitram imponet Episcopo, redibit a latere in thronum Presbyter assistens, qui cum osculis consuetis annulum inseret digito annulari Episcopi, et a latere de throno descendens redibit ad stallum suum.

32. Cappellani a libro et a scotula, quum a Diaconis im-

ponetur Episcopo stola, accedent ad abacum, accipient librum cum scotula et facta genuflexione ad Altare deinde ad Episcopum prope thronum, consistent iuxta secundum Diaconum assistentem in throni gradu secundo.

33. Inserto annulo Episcopi digito et profecto de throno Presbytero assistente, secundus Diaconus assistens se sistet ante Episcopum, reverentia profunda salutabit ipsum, et conscenso gradulo cathedrae, detrahet eius capiti mitram, quam tradet cappellano, descendet de gradulo atque iterata reverentia, recedet ad scabellum suum.

34. Si Episcopus utetur mitra pretiosa, Cappellanus a mitra vadet ad Altare, et deponet super mensa mitram pretiosam; accipiet auriphrygiatam et cum ipsa redibit ad thronum.

35. Episcopus nudatus mitra assurget ac totus chorus cum ipso; recitabit submissa voce *Pater noster* et *Ave Maria.* Deinde Diaconi assistentes attollent eius fimbrias pluvialis, et cappellani a scotula et libro se sistent ante illum, et facta genuflexione, praesentabunt ei librum apertum. Diaconi assistentes monstrabunt ei quae cantare debebit e libro. Episcopus se signans cantabit *Deus, in adiutorium* etc. et Clerus in choro respondebit *Domine, ad adiuvandum* etc. cum *Gloria Patri.*

36. Statim ac Episcopus cantaverit versiculum praedictum, cappellanus a libro claudet librum et una cum altero cappellano a scotula genuflectent ante Episcopum et recedent prope secundum Diaconum assistentem.

37. Caeremoniarius accipiet ex abaco librum pro antiphonis praecinendis et statim post cantatum *Gloria Patri*, invitabit Canonicum vel Beneficiarium aut alium, cuius munus erit praecinere antiphonas. Hic comes additus Caeremoniario faciet cum ipso in medio choro reverentiam vel genuflexionem ante Altare, tum accedent ad thronum et facta ad Episcopum reverentia vel genuflexione, ante thronum consistent.

38. Cantato a choro *Sicut erat* cum *Alleluia* vel cum *Laus tibi, Domine* etc. pro ratione temporis, Canonicus vel Beneficiarius supradictus accipiet a Caeremoniario librum et Episcopo praecinet submissa voce antiphonam primam.

39. Immediate se sistent ante Episcopum cappellani a libro

et a scotula, et Episcopus intonabit primam antiphonam, quam prosequetur cantorum chorus.

40. Cappellani antedicti, intonata ab Episcopo antiphona, recedent cum debitis genuflexionibus et scotulam librumque ad abacum referent.

41. Beneficiarius seu Canonicus librum restituet Caeremoniario; tum facta cum eodem genuflexione vel reverentia ad Episcopum, redibunt ante Altare, ubi reverentiam vel genuflexionem, ut supra, conficient et revertentur ad locum suum.

42. Sub finem cantus primae antiphonae, cantores duo superpellicio induti, discedent de loco suo, procedent ante Altare et genuflectent prius ad Crucem, postea ad Episcopum. Completo antiphonae cantu, e libro quem secum ferent, intonabunt primum psalmum, quo intonato, statim se convertent simplicem facientes inclinationem ad illam chori partem, quae cantum psalmi prosecutura erit. Iterata deinde ad Altare et ad Episcopum genuflexione ac mutua se salutantes reverentia, ad sua loca revertentur.

43. Ad intonationem psalmi sedebit Episcopus et a primo Diacono cooperietur mitra. Cum Episcopo sedebit chorus universus.

44. Psalmo intonato, Presbyter assistens de stallo discedet ac facta reverentia prius ad Altare, dein ad Episcopum ante thronum, ascendet in planum throni et sedebit in scabello assistentiae toto vesperarum tempore, cum exceptionibus, quae tradentur deinceps.

45. Postquam Presbyter assistens ad thronum ascenderit, quatuor cappellani a mitra ecc. facta ad Altare et ad Episcopum genuflexione, sedebunt in gradibus anterioribus throni.

46. Ceteri clerici sedebunt in gradibus Altaris.

47. Cantabitur psalmus, et ad versiculum *Sicut erat* in *Gloria Patri*, Caeremoniarius, sumpto ex abaco libro pro antiphonarum intonatione, accedet ad chorum et invitabit Canonicum vel Beneficiarium, qui primam antiphonam praecinuit Episcopo, sive alium ad quem spectabit.

48. Facient simul reverentiam vel genuflexionem ad Altare, dein ad Episcopum, et approximabunt ad chorum ac sub-

sistent ante digniorem, qui debet secundam antiphonam intonare.

49. Completo cantu seu repetitione primae antiphonae, praedictus Canonicus vel Beneficiarius salutabit eum, qui secundam debebit intonare, eique submissa voce praecinet ipsam. Dignitas seu Canonicus dignior, qui hanc secundam antiphonam intonaturus erit, nudabit caput, assurget ac totus chorus cum eo, capite pariter nudato, exceptis Assistentibus apud thronum sedentibus, qui cum Episcopo sedere prosequentur. Canonicus dignior secundam antiphonam intonabit, et salutatus ab illo qui intonuerit, rursus sedebit, cumque ipso considebunt omnes, qui ad hanc intonationem assurrexerunt. Canonicus vel Beneficiarius cum Caeremoniario exsequentes debitas reverentias, ut supra, ad locum suum redibunt.

50. Cantabitur a choro antiphona secunda, cuius sub finem duo cantores induti superpellicio procedent, ut supra, ante Altare et secundum psalmum intonabunt.

51. Idem ordo servabitur in reliquis antiphonis, quas intonabunt digniores chori, et in intonatione psalmorum ceterorum. Advertetur, ut ad verba *Sit nomen Domini benedictum* in psalmo CXII. *Laudate pueri*, Episcopus inclinet, non vero detegat caput; ceteri omnes caput detegant et inclinent.

52. Ad repetitionem quintae antiphonae, Cappellani a libro et a scotula consurgent et cum debitis reverentiis pergent ad abacum, accipient librum cum scotula et redibunt ad thronum, subsistentes prope secundum Diaconum assistentem.

53. Caeremoniarius resumpto ex abaco libro, accedet ad chorum et invitabit Beneficiarium seu Canonicum vel alium ad quem spectabit cantare Capitulum.

54. Hoc tempore Cappellani a mitra et baculo atque clerici sedentes in gradibus Altaris consurgent ac facta genuflexione ad Altare, dein ad Episcopum, hi consistet ante abacum, illi manebunt prope thronum.

55. Caeremoniarius cum Cantore capituli, ut supra, facient reverentiam vel genuflexionem ad Altare et ad Episcopum et consistent quo loco cantatur Epistola, caventes ne tergum ad Altare, neve ad Episcopum convertant.

56. Absoluto cantu seu repetitione quintae antiphonae post psalmum, assurget Episcopus retinens capite mitram, cumque eo totus chorus nudato capite.

57. Canonicus vel Beneficiarius stans loco indicato cantabit Capitulum. Dum respondetur canendo *Deo gratias*, idem Canonicus seu Beneficiarius librum claudet, ac facta reverentia vel genuflexione ad Altare, veniet cum Caeremoniario ante thronum, ibique reverentia aut genuflexione ad Episcopum exsequutus, stans ei praecinet hymnum.

58. Praeintonato hymno, sedebit Episcopus et a secundo Diacono assistente nudabitur mitra.

59. Se sistent ante Episcopum duo cappellani cum scotula et libro, exsequentes genuflexiones superius praescriptas.

60. Episcopus assurget et hymnum intonabit, quem prosequetur chorus canendo.

61. Post intonatum ab Episcopo hymnum, discedent duo praedicti cappellani et Canonicus vel Beneficiarius, qui praecinuerit hymnum et ad locum quisque suum revertentur.

62. Si intonandus erit hymnus *Ave maris stella* aut *Veni creator*, ponetur pulvinus a Caeremoniario in gradulo cathedrae sive sedis throni ibique genuflectet Episcopus, qui nudabitur etiam pileolo et assurget postquam cantata fuerit prima strophe, ut notatum est cap. VIII. praecedenti, num. 59.

63. Cappellanus a mitra, accepta a secundo Diacono mitra auriphrygiata, qua usus erit Episcopus, procedet ad Altare, ibique deposita mitra auriphrygiata, accipiet pretiosam et redibit ad thronum. Si mitrae pretiosae usus non esset, remanebit apud thronum cum mitra auriphrygiata.

64. Sub hymni finem duo Acolythi genuflexionem in medio choro versus Episcopum, deinde ante Altare conficient, ascendent illuc a latere et mensam denudabunt suprema tobalea, seu panno sericeo, quo cooperta erit, complicantes illum ad medietatem; tum de Altari descendent et iteratis eisdem genuflexionibus, ad abacum redibunt.

65. Advertet hoc tempore thuriferarius, ut praeparet ignem in thuribulo, et praesto sit quum in ipsum iniiciendum erit incensum.

66. Ad conclusionem hymni in invocatione SS. Trinitatis, omnes inclinabunt caput.

67. Quum versiculus a cantoribus cantabitur, cappellanus a baculo perget ad Altare, accipiet baculum pastoralem et redibit ad thronum.

68. Sub hymni finem, qui duo cantores intonuerint psalmos, cum genuflexionibus superius innutis ante Altare procedent, cantabunt versiculum et iteratis genuflexionibus revertentur ad locum suum.

69. Quum versiculo hymni pausatim respondebitur a choro, Caeremoniarius cum Canonico vel Beneficiario, qui praecinuerit primam antiphonam et hymnum Episcopo, prodibunt in medium chorum et conficient reverentiam vel genuflexionem. Canonicus vel Beneficiarius antedictus praecinet Episcopo antiphonam ante *Magnificat.*

70. Se sistent ante Episcopum duo cappellani cum libro et scotula. Tunc Episcopus intonabit antiphonam, quam cantorum chorus in cantu prosequetur.

71. Canonicus vel Beneficiarius, qui praecinuit antiphonam, cum reverentiis praedictis redibit ad locum suum.

72. Thuriferarius cum thuribulo, peractis ad Altare et ad Episcopum debitis genuflexionibus, ascendet a latere ad thronum, ibique consistet expectans donec incensum demittatur in thuribulum.

73. Episcopus, intonata antiphona, sedebit denuo, ac primus Diaconus imponet ei mitram pretiosam, si uti licebit, secus auriphrygiatam, quo facto recedet ad scabellum suum, advertens ut simul cum Diacono secundo attollat fimbrias pluvialis Episcopi.

74. Presbyter assistens, relicto bireto super scabello suo, ad Episcopi dexteram accedet.

75. Se sistet ante Episcopum thuriferarius, qui tradita Presbytero assistenti navicula, genuflexus in gradulo cathedrae, praesentabit ei thuribulum apertum.

76. Presbyter assistens cum osculis usitatis ministrabit Episcopo cochleare cum navicula.

77. Episcopus cum formula et benedictione consueta incensum iniiciet in thuribulum.

78. Presbyter assistens naviculam restituet thuriferario, qui clauso thuribulo vadet ad Altare cum debitis genuflexionibus et subsistet in latere Epistolae prope suppedaneum.

79. Cantores intonabunt *Magnificat*, consurget Clerus et Episcopus, qui se signabit.

80. Cantores iidem, intonato *Magnificat*, redibunt ad locum suum.

81. Episcopus accipiet sinistra baculum pastoralem, descendet de throno et praeeunte Presbytero assistente, procedet ad Altare, medius inter Diaconos assistentes, qui fimbrias pluvialis eius sustinebunt, sequentibus Caudatario, extremitatem posteriorem vestis sustinente, et cappellanis a mitra et baculo.

82. Transiens autem Episcopus per chorum, dextera benedicet Canonicos et reliquum Clerum.

83. Presbyter assistens accelerabit gradum vadens ad Altare et conscenso suppedaneo in latere Epistolae, accipiet a thuriferario thuribulum, mox traditurus Episcopo.

84. Progressus Episcopus ante gradus Altaris deponet baculum et a secundo Diacono assistente nudabitur mitra: deinde cum Diaconis assistentibus reverentia profunda salutabit Crucem, ascendet ad Altare, quod osculabitur in medio, accipiet a Presbytero assistente thuribulum, et Altare adolebit.

85. Presbyter assistens, tradito Episcopo thuribulo, recedet in latus Epistolae extra suppedaneum Altaris.

86. Poterit ab Episcopo cum Assistentibus recitari *Magnificat*, quum Altaris thurificatio peragetur.

87. Sub finem thurificationis accedent ad Episcopum cappellani a mitra et baculo, qui thurificationis tempore stabunt in plano ante Altare.

88. Thurificatione peracta, Episcopus thuribulum restituet Presbytero assistenti, hic thuriferario.

89. Episcopo mitra rursus imponetur a primo Diacono assistente, et sinistra recipiet baculum pastoralem.

90. Deinde medius inter Diaconos assistentes, qui fimbrias pluvialis eius sustollent, de Altari descendet, reverebitur Crucem et redibit ad thronum, praeeunte Presbytero assistente et sequentibus duobus praedictis cappellanis. Quum transibit per chorum, dextra benedicet Canonicos et reliquum Cleri.

91. Presbyter assistens non ascendet ad thronum, sed stabit ante gradus illius, recedens aliquantum, ut libere possit transire Episcopus, quem profunda reverentia salutabit, dum transibit iturus in thronum. Caeremoniarius invitabit Beneficiarium vel alium, ad quem spectabit adolere chorum eumque deducet ante thronum prope Presbyterum assistentem.

92. Episcopus ad thronum ascendet, sed non sedebit in sede seu cathedra, ac tradito baculo pastorali respectivo cappellano, adstabit in pedes mitram capite gestans et iunctis manibus. Presbyter assistens a thuriferario accipiet thuribulum, et Episcopum triplici ductu stans adolebit, profunda reverentia ipsum salutans ante et post thurificationem; Episcopus autem post thurificationem acceptam dextera benedicet eum, et sedebit.

93. Sedenti Episcopo secundus Diaconus assistens detrahet mitram. Tum Episcopus assurget, recipiet baculum pastoralem, quem iunctis manibus continebit, atque hoc statu usque ad finem cantici praedicti permanebit.

94. Presbyter assistens thuribulum tradet Beneficiario vel alii, cui continget adolere chorum, redibit ad scabellum suum, accipiet manu biretum seque convertet ad Beneficiarium praedictum.

95. Hic stans aliquantum super dexteram suam, duplici ductu adolebit Presbyterum assistentem, debita inclinatione eum salutans ante et post thurificationem, deinde incensabit Diaconos assistentes, Canonicos pluviali paratos, Dignitates, Canonicos et reliquos, quemadmodum descriptum fuit cap. V. Lib. I.

96. Thurificato in throno Episcopo, Acolythi illi duo qui mensam Altaris nudaverant supremo tegumento, redibunt ad Altare iterumque cooperient illud qua tobalea quove panno contectum antea erat et revertentur ad locum suum.

97. Cantato *Gloria Patri*, Episcopus deponet baculum, sedebit et a primo Diacono assistente rursus cooperietur mitra. Sedente Episcopo, Assistentes quoque et chorus considebit.

98. Presbyter assistens post *Gloria Patri* sedentem Episcopum reverebitur, descendet a latere de throno et redibit ad stallum suum, functus officio assistentiae.

99. Acolythi sument ex abaco candelabra cum candelis accensis, venient ante Altare ac genuflectent, deinde ante thronum, ibique pariter facta ad Episcopum genuflexione, dirimentur et consistent fere a lateribus throni sed e regione ipsius et versa facie ad Episcopum.

100. Cappellani a libro et a scotula, si haec reliquerint in abaco, recipient et subsistent prope secundum Diaconum assistentem.

101. Sub finem repetitionis antiphonae, secundus Diaconus assistens nudabit mitra Episcopum, qui assurget, et se sistent ante eum cappellani cum libro et scotula. Episcopus conversus ad Altare cantabit *Dominus vobiscum* et orationem iunctis manibus.

102. Siqua fiet commemoratio, antiphona cantabitur a choro, et qui duo cantores psalmos intonuerint et cantaverint versiculum, procedent ante Altare ad canendum versiculum commemorationis, postea *Benedicamus Domino.*

103. Post orationem, vel post commemorationem, Episcopus iterum cantabit *Dominus vobiscum*, et duo praedicti cantores *Benedicamus Domino*, tono praescripto in officio.

104. Acolythi, debitis genuflexionibus ad Episcopum et ad Altare factis, discedent a throno et candelabra super abacum reponent.

105. Si in antiphonario formula benedictionis pontificalis inserta non esset, curae erit clerico alicui ad thronum afferre canonem pontificalem et ipsum tradere cappellano a libro.

106. Cantato *Benedicamus Domino*, cui respondetur a choro canendo, vel sonantibus organis, Episcopus sedebit ac mitra rursus cooperietur.

107. Episcopus assurget, et cantans ℣. *Sit nomen Domini benedictum* etc. benedictionem donabit, geniculantibus omnibus, exceptis Canonicis et Praelatis, siqui aderunt. Cappellanus a libro, quem sustinebit apertum ante Episcopum, recedet aliquantulum ad sinistram Episcopi, ne cospectum eius impediat adstantibus. Diaconi assistentes elatas sustinebunt fimbrias pluvialis. Episcopus antequam dicat *Pater*, pastorale sinistra accipiet.

108. Si fuerit Archiepiscopus, Cappellanus crucifer super-

pellicio indutus sumet Crucem archiepiscopalem, et quum a cantoribus cantabitur *Benedicamus Domino*, veniet ad thronum, nec reverentiam neque genuflexionem faciens ad Altare sive ad Archiepiscopum: geniculabit in infimo throni gradu, Crucem sustinens imagine Crucifixi versa ad Archiepiscopum. Mitram in benedictione Archiepiscopus non adhibebit, ac priusquam sinistra accipiat baculum pastoralem, reverebitur Crucem, quae stabit in conspectu eius. Donata benedictione, recedet a throno Crucifer et rursus locabit Crucem in basi, qua erat stabilita.

109. Post Episcopi benedictionem, clerici delegati ad recipienda paramenta, accedent ad thronum, ut traditum est cap. VIII. huius libri num. 94. et seq.

110. Si qualitas officii patietur, sonabitur organis dum exuetur Episcopus.

111. Clerici delegati ad recipienda pluvialia a Canonicis paratis adhibita, reportabunt indumenta canonicalia in canistro; Canonici praedicti exuentur pluviali et resumpto habitu chorali, se recipient ad stallum suum.

112. Paramenta Episcopi referentur a clericis ad Altare ibique reponentur, quomodo initio functionis, et cooperientur velo. Hoc ipsum facient cappellani a mitra et baculo.

113. Clerici duo restituent ante Altare faldistorium cum pulvinis, et cubicularius perget ad thronum afferens cappam Episcopi, et consistet prope secundum Diaconum assistentem.

114. Exuto omnibus paramentis Episcopo imponetur cappa a cubiculario, adiuvantibus Diaconis assistentibus, qui cappam in parte anteriori explicabunt. Cubicularius autem extremitatem posteriorem vestis Episcopi alligabit.

115. Post haec Episcopus, manu sumpto bireto, de throno descendens accedet ad faldistorium, reverebitur Crucem Altaris, et flexis genibus brevi orabit; deinde assurget, reverentiam ad Crucem iterabit ac perget adoratum SS. Sacramentum.

116. Clerus associabit Episcopum redeuntem ad residentiam suam, ordine praescripto cap. IV. huius libri.

117. Discedente de ecclesia Episcopo, festivo more sonabunt omnia aera campana.

118. Idem ordo servabitur postridie, quum Episcopus pluviali paratus Missae intererit. Si Missae solemni assistet cappa indutus, non utetur paramentis ad Vesperas, sed servabit methodum praescriptam cap. XV. huius libri.

119. Quibus diebus assistit Missae solemni Episcopus indutus pluviali, cap. XXXIV. libri secundi Caeremonialis Episcoporum recensetur.

ASSISTENTIA EPISCOPI PLUVIALI PARATI IN MISSA SOLEMNI A CANONICO CELEBRATA

CAPUT XIII.

De rebus praeparandis.
Apud Altare SS. Sacramenti.

1. Praeparabitur faldistorium vel genuflexorium cum strato et pulvinis eius generis, quod superius cap. IV. declaratum fuit.

2. Altare exornabitur pro qualitate solemnitatis; aderunt in candelabris cerei saltem accendendi in accessu Episcopi et quum ipse de ecclesia discedet.

3. Si celebrabitur festum alicuius Sancti, proprium ecclesiae, ut adsit sacellum distinctum, vel corpus sive insignes illius reliquiae, quae sint expositae in Altari diverso a maiori, praeparabitur ante Altare illud genuflexorium, et Episcopus poterit ibi orare aut in accessu ad ecclesiam postquam adoraverit SS. Sacramentum, aut post Missam solemnem.

Apud Altare maius.

4. Thronus ornabitur paratibus eius coloris qui congruit festo, cum baldachino et lodice simili cathedrae: aderunt tria

scabella pro assistentibus, ac tapetum quod contegat gradus. Prope cathedram ponetur pulvinus in usum Episcopi, eritque concolor paramentis.

5. Presbyterii pavimentum sterni poterit amplo tapeto viridis coloris et ante Altare aderit faldistorium cum pulvinis, in quo geniculabit Episcopus.

6. Altare ornabitur pallio congruente, tobaleis ac tapeto, quod gradus omnes cooperiet. Super Altari sex candelabra erunt cum cereis et Crux in medio aequalis candelabris, quae plus minusve nobilia erunt iuxta qualitatem festi.

7. Super mensam Altaris disponentur paramenta pro Episcopo, videlicet pluviale cum stola, Crux pectoralis, cingulum, alba et amictus, quae omnia contegentur velo concolore paramentis. Prope paramenta ponetur formale seu pretiosum seu simplex in pelvicula. In latere Evangelii mitra pretiosa cum velo pro cappellano a mitra et in parte Epistolae auriphrygiata. Si mitra pretiosa uti non liceret, ponetur auriphrygiata cum velo in latere Evangelii. Baculus pastoralis apud Altare praeparabitur.

8. A latere Epistolae statuetur scamnum coopertum aulaeo laneo pro Celebrante et Ministris.

9. In latere eodem prope parietem erit abacus alba tobalea coopertus, in quo ponetur calix cum purificatorio, patena cum hostia et palla, bursa cum corporali, quae omnia contegentur velo calicis. Ampullae plenae vini et aquae in pelvicula: campanula: instrumentum pacis contectum velo, si Magistratus intererit officio: duo vel quatuor intorticia pro elevatione secundum dignitatem Celebrantis et usum ecclesiae: legile vel cussinus cum Missali instructo tegumento concolore paramentis pro Celebrante: epistolarium et evangeliarium eodem tegumento: Missale pariter eiusdem coloris et scotula pro Episcopo: Canon pontificalis pro benedictione: tabella seu libellus cum formula indulgentiae: thuribulum cum navicula: velum humerale pro Subdiacono.

10. Prope latus Evangelii ponetur basis pro firmanda Cruce archiepiscopali, si Dioecesanus assistens officio fuerit Metropolita.

11. Ad balaustrium presbyterii disponentur quatuor aut sex candelabra maiora cum cereis, aut intorticiis.

In Sacrario.

12. Paramenta pro Celebrante et Ministris, videlicet planeta, stola et manipulus pro Celebrante; dalmatica, stola et manipulus pro Diacono, tunicella et manipulus pro Subdiacono, tria cingula, tres albae tresque amictus.

13. Duo candelabra cum candelis pro Acolythis: superpellicia pro clericis inservientibus: vasculum aquae benedictae cum aspergillo, adhibendum in ingressu Episcopi.

In Functione

14. Interea dum cantabitur officium, sonabunt omnia aut aliqua aera campana pluries, vel una tantum vice, iuxta locorum consuetudinem, signum functionis.

15. Recitata in choro Hora tertia, sive alia Hora pro qualitate Missae, ut praescribunt generales Missalis rubricae tit. V. num. 2; cessabit officium, et sonitu campanulae Sacristiae signum dabitur Canonicis et Capitulo ad associandum Episcopum, ut cap. IV. huiusce libri.

16. Hoc tempore se parabunt in Sacristia Celebrans et Ministri, qui parati procedent ad Altare, praeeuntibus Acolythis cum candelabris ardentibus. Celebrans reverentiam faciet ad Crucem et ceteri omnes genuflexionem; si sacri Ministri essent Canonici ecclesiae illius, facient et ipsi reverentiam: pergent deinde ad scamnum sibi praeparatum et sedebunt expectantes adventum Episcopi. Acolythi deponent super abacum candelabra et consistent ante vel prope abacum ipsum.

17. Adveniente ad ecclesiam Episcopo, sonabunt festivo more campanae et organa quoque, si qualitas officii requiret.

18. Ingressus in ecclesiam Episcopus adorabit SS. Sacramentum, postea proficiscetur ad Altare maius.

19. Episcopo intrante in presbyterium, Celebrans cum sacris Ministris nudabunt caput et consurgent.

20. Quum Episcopus ante faldistorium pervenerit, antequam salutet Crucem, benedictionem dextera donabit Celebranti et Ministris, qui se inclinabunt profunde: Ministri, nisi fuerint Canonici, genuflectent hoc actu, deinde assurgent.

21. Episcopus reverebitur Crucem Altaris, geniculabit in faldistorio ac brevi tempore orabit.

22. Interim Canonici et reliqui de Clero, qui sequebantur Episcopum, facta reverentia vel genuflexione ad Crucem Altaris, occupabunt locum suum, exceptis duobus Diaconis assistentibus, qui consistent prope Episcopum.

23. Clerici allaturi ad thronum paramenta Episcopi geniculabunt apud Altarę.

24. Oratione peracta, Episcopus assurget, Crucem Altaris salutabit, benedicet Celebrantem cum Ministris, qui reverentiam facient, ut supra, et accedet ad thronum, benedicens Clerum dum per chorum transibit, vel prius quam ad thronum ascendat, iuxta dispositionem presbyterii.

25. Episcopum ad thronum euntem comitabuntur Diaconi assistentes, sequetur Caudatarius sustinens extremitatem posteriorem cappae, et Cubicularius.

26. Clerici duo faldistorium amovebunt a medio presbyterio statim ac discesserit Episcopus, et seorsim reponent illud prope abacum.

27. Interea paramenta Episcopi distribuentur clericis.

28. Episcopus in throno sedebit et accedentibus clericis cum paramentis, caput bireto nudabit, assurget ac Diaconi assistentes, adiuvante Cubiculario, eum exuent cappa.

29. Cubicularius expediet Episcopo extremitatem posteriorem vestis talaris et accepta cappa discedet a throno, eamque complicabit in Sacristia, resumpturus eamdem post Missam.

30. Dignitates et Canonici de suis stallis descendent, venient in medium chorum et circulum efficient circa Episcopum, qui per Caeremoniarium invitabit eos ad operiendum bireto caput.

31. Diaconi deinde assistentes Episcopum parabunt amictu, alba, cingulo, Cruce pectorali, stola et pluviali, cui firmabitur formale. Postea primus Diaconus assistens imponet ei

mitram pretiosam, si licebit uti, secus auriphrygiatam. Episcopus sinistra accipiet baculum pastoralem.

32. Quum Episcopus induetur pluviali, Celebrans cum Ministris ad Altare procedent, et facta respective reverentia vel genuflexione ad Crucem, consistent seorsim ante Altare in latere Evangelii.

33. Episcopus benedictionem donabit Canonicis, qui redibunt ad locum suum, assurget, de throno descendet, benedicet Clerum et procedet ad Altare medius inter Diaconos assistentes, qui fimbrias pluvialis eius sustinebunt, sequentibus Caudatario et Cappellanis a mitra et baculo.

34. Ante gradus Altaris Episcopus deponet baculum, et a secundo Diacono assistente nudabitur mitra.

35. Celebrans discedet a Ministris et se addet Episcopo a sinistris eius.

36. Diaconi assistentes adstabunt in pedes post Episcopum, et Ministri Celebrantis stabunt post Celebrantem ipsum, advertentes ut absint ab eo tres aut quatuor passus, ac nisi fuerint Canonici, geniculabunt. Reliqui cappellani Episcopi erunt genuflexi post Diaconos assistentes.

37. Episcopus simul cum Celebrante faciet reverentiam ad Altare et incboabit Missam, respondebit Celebrans et in *Confiteor* ad verba *Tibi Pater* et *Te pater*, convertetur aliquantulum ad Episcopum.

38. Diaconi assistentes recitabunt Confessionem inter se. Hoc ipsum facient Ministri Celebrantis, itemque Cappellani praedicti.

39. In choro alternatim recitabitur Confessio, ut in aliis Missis cantatis.

40. Celebrans postquam responderit *Amen* ad precem *Indulgentiam* etc. se inclinabit Episcopo, discedet ab eo et redibit ad Ministros suos, qui si erunt genuflexi, consurgent, medium accipient ipsum, qui cum eisdem prosequetur *Deus tu conversus* etc. (*a*).

(*a*) Episcopus recitare Confessionem debet cum Celebrante. Confessio autem completur oratione *Indulgentiam, absolutionem* etc. Quocirca tradidimus Celebrantem prosequi debere preces reliquas *Deus tu conversus* etc. cum Ministris, siquidem preces istae respiciunt specialiter Celebrantem in in-

41. Postquam Celebrans a latere sinistro Episcopi discesserit, succedent ad latera Episcopi Diaconi assistentes, quibuscum ipse prosequetur Missam ad ℣. *Deus tu conversus* etc.

42. Aderit interea promptus cum thuribulo et navicula thuriferarius. Cappellani a libro et scotula accipient Missale et scotulam, et haec deferent ad thronum.

43. Cum Episcopus dixerit *Oremus*, nullam adiungens aliam orationem, reverentiam faciet ad Crucem et a primo Diacono assistente imponetur ei mitra pretiosa aut auriphrygiata, ut supra. Accipiet sinistra baculum pastoralem et conversus ad Celebrantem benedicet ipsum, deinde Clerum et in thronum ascendet, comitatus et secutus a ministris supra dictis.

44. Celebrans, quando Episcopus accedet ad thronum, medius inter sacros Ministros ascendet ad Altare, dicens orationem *Aufer a nobis* etc. osculabitur Altare et expectabit, dum sibi tradatur thuribulum cum incenso.

45. Episcopus in throno sedebit ac deponet baculum, et Presbyter assistens ascendet a latere ad thronum, ibique consistet a dextris Episcopi.

46. Caeremoniarius vel thuriferarius afferet thuribulum ad thronum, naviculam tradet Presbytero assistenti ac genuflectens ante Episcopum, praesentabit ipsi thuribulum apertum. Episcopus incensum, ministrante cum osculis usitatis Presbytero assistente, iniiciet in thuribulum cum benedictione.

47. Thuriferarius recipiet naviculam, recedet a throno et ad Altare afferet thuribulum quod tradet Diacono et hic Celebranti, qui Altare adolebit.

48. Presbyter assistens a latere descendet de throno et redibit ad locum suum.

49. Caeremoniarius Celebrantis curabit, ut amoveatur ac deinde reponatur in latere Epistolae, Missale cum cussino vel legili.

---

troitu ad Altare. Hinc videretur regulariter cum Episcopum tum Clerum in choro non debere eas recitare. Quod si num. sequenti describimus Episcopum prosequentem praedictas preces cum Diaconis assistentibus, sequuti sumus consuetudinem quamdam vulgo receptam, quae utrum retinenda an tollenda sit, iudicium ad nos minime spectat proferre.

50. Celebrans, thurificato Altari, thuribulum restituet Diacono, a quo thurificabitur duplici ductu. Postea Celebrans leget Introitum, ut in aliis Missis solemnibus.

51. Thuriferarius vel Caeremoniarius, receptum thuribulum feret ad imum throni.

52. Eodem tempore Presbyter assistens discedet de loco suo et perget ante thronum, curans ut ibi praesto sit, quum adveniet thuriferarius.

53. Facta cum ipso ad Altare, deinde ad Episcopum reverentia et accepto a thuriferario thuribulo, adolebit Episcopum triplici ductu, salutans ipsum reverentia profunda ante et post quam thurificaverit eum.

54. Episcopus ad thurificationem suam assurget et postquam thurificatus fuerit, dextra benedicet Presbyterum assistentem, qui thuribulo tradito thuriferario et iterata reverentia ad Episcopum et ad Altare, ad locum suum reveniet in chorum; thuriferarius autem referet thuribulum ad abacum.

55. Episcopus sedebit et secundus Diaconus assistens tollet ei mitram.

56. Cappellanus a mitra accipiet mitram pretiosam, si Episcopus utebatur, eamque deferet ad Altare ibique deponet; tum sumet auriphrygiatam et cum ipsa prope thronum redibit.

57. Interea Dignitates et Canonici de suis stallis descendentes, circulum efficient circa Episcopum, observantes quod praescribitur in Caeremoniali Episcoporum cap. 21. lib. I. Et advertent ut simul ad circulum descendant, faciant reverentiam ad Altare et ad Episcopum atque ita congregentur, ut nulla fiat divisio inter Dignitates et Canonicos neque inter Canonicos ipsos, in quibus praebendae distinctae erunt ordine Presbyterali, Diaconali et Subdiaconali, excepto casu, quo Altare versum sit ad populum et thronus stet contra Altare; tunc enim, ne terga ad Altare vertantur, efficientur duo semicirculi.

58. Se sistent ante Episcopum duo cappellani cum Missali et scotula.

59. Episcopus assurget et leget e Missali introitum, quo lecto, recedent cappellani praedicti et Episcopus simul cum Canonicis recitabit *Kyrie*.

60. Si cantus *Kyrie* esset prolixus, Episcopus benedicet Canonicos, qui ad sua subsellia redibunt, sedebit et a primo Diacono assistente cooperietur mitra auriphrygiata.

61. Quod si completus erit cantus *Kyrie*, manebunt Canonici in circulo ut recitent *Gloria* et Episcopus non sedebit.

62. Celebrans procedet ad medium Altaris et post eum sui Ministri, quin ullam faciant ad Episcopum reverentiam.

63. Celebrans intonabit *Gloria in excelsis* et cantores prosequentur.

64. Episcopus hymnum hunc recitabit memoriter cum Canonicis, qui erunt in circulo, et hoc recitato benedicet eos: ipsi autem, reverentia ad Episcopum et ad Altare iterata, ad sua subsellia revertentur.

65. Sedenti Episcopo rursus imponetur mitra auriphrygiata a secundo Diacono assistente.

66. Presbyter assistens, recitato *Gloria* in circulo, non redibit ad stallum suum in chorum, sed veniet ad thronum et antequam conscendat gradus ipsius, reverentiam faciet ad Altare dein ad Episcopum, tum ascendet et sedebit in scabello assistentiae.

67. Cappellani a libro, scotula, mitra et baculo sedebunt in gradibus throni, et cappellanus a baculo relinquet prius baculum ipsum applicitum parieti prope thronum.

68. Celebrans, recitato *Gloria,* salutabit cum Ministris Crucem Altaris, et quin faciat reverentiam ad Episcopum, ibit cum ipsis sessum ad scamnum praeparatum in latere Epistolae, descendens a latere de Altari.

69. Celebrans caput nudabit ad verba *Adoramus te*, ad *Gratias agimus* etc. itemque Episcopus inclinabit caput, quemadmodum praescribunt rubricae.

70. Sub finem *Gloria* cantati, consurget Celebrans cum Ministris, qui relictis biretis in scamno, procedent ad Altare, quo priusquam perveniant et reverentiam faciant, salutabunt Episcopum, et Ministri nisi fuerint Canonici, genuflexionem exsequentur cum ad Episcopum, tum ad Altare.

71. Completo cantu *Gloria*, secundus Diaconus assistens nudabit Episcopum mitra.

72. Quum Celebrans cantabit *Dominus vobiscum*, assurget Episcopus et stabit donec orationes cantatae fuerint.

73. Sub finem ultimae orationis Subdiaconus recipiet librum Epistolarum, sed non discedet de loco suo.

74. Absolutis orationibus, Episcopus sedebit ac primus Diaconus assistens reponet capiti eius mitram auriphrygiatam.

75. Tunc Subdiaconus procedet ante Altare et reverentiam faciet vel genuflexionem ad Crucem. Deinde vadet aliquantum versus thronum et conficiet reverentiam vel genuflexionem ad Episcopum. Postremo veniet quo loco solet cantari Epistola, et sustinens ipse sibi librum, quamvis esset Canonicus, Epistolam cantabit.

76. Quo autem loco sit cantanda Epistola, consideretur situs Altaris: namque si Altare positum est e regione throni, Epistola cantatur in latere quod Epistolae nuncupatur, aliquantulum versus chorum, et Subdiaconus stabit facie versa ad cornu Evangelii, ne vertat humeros ad Altare et ad Episcopum. Sin Altare adhaeret muro et thronus situs est a latere Altaris, cantatur Epistola in principio Presbyterii in eodem Epistolae latere, et Subdiaconus stabit facie versa ad Altare.

77. Dum Subdiaconus procedet ad cantandam Epistolam Cappellani a libro et scotula si Missale cum scotula reportaverint ad abacum, recipient utramque rem et praesto erunt apud thronum prope secundum Diaconum assistentem.

78. Completo Epistolae cantu, Subdiaconus claudet librum, veniet in medium presbyterium, reverentiam vel genuflexionem faciet ad Altare, perget ad thronum, reverentiam vel genuflexionem ad Episcopum, antequam ascendat, conficiet; postquam autem ascenderit, osculabitur dexteram ab Episcopo impositam libro et benedictionem accipiet sive genuflexus, sive profunde inclinatus; tum de throno descendet, iterabit reverentias vel genuflexiones ad Episcopum et ad Altare, deponet librum in manum clerici, procedet ad Altare et in latus Evangelii deferet Missale Celebrantis cum cussino vel legili.

79. Quum Subdiaconus ascendet ad thronum, consur-

gent Diaconi assistentes et Presbyter assistens et adstabunt in pedes actionum sequentium causa.

80. Profecto de throno Subdiacono, se sistent ante Episcopum Cappellani cum libro et scotula, et Episcopus leget e Missali Epistolam, Graduale ac deinde iunctis manibus *Munda cor meum* etc. *Iube Domine* etc. et Evangelium. Si opus fuerit, Diaconi assistentes fimbrias pluvialis attollent.

81. Interim praesto erit thuriferarius cum thuribulo.

82. Quando Celebrans legere incipiet Evangelium, Diaconus accipiet librum Evangeliorum et comitatus a Caeremoniario vel a clerico, afferet illum ad Altare, exsequens reverentiam vel genuflexionem versus thronum ad Episcopum, deinde ad Altare: ascendet ad Altare, ponet in media mensa librum Evangeliorum, cuius apertura versa sit ad sinistram suam, ibique manebit donec innuetur ei, ut accedat ad thronum.

83. Celebrans postquam legerit Evangelium consistet apud Altare medius inter Diaconum et Subdiaconum.

84. Quando Episcopus Evangelium legerit, recedent Cappellani a libro et scotula.

85. Diaconus, signo dato a Caeremoniario, iunctis manibus reverentiam faciet vel genuflexionem ad Crucem, de Altari discedet, adibit ad thronum et reverentiam vel genuflexionem ante Episcopum conficiet: ad thronum ascendet, dexteram Episcopi osculabitur genuflexus, vel inclinatus si fuerit Canonicus: postea de throno descendet, iterabit ante Episcopum reverentiam vel genuflexionem, redibit ad Altare et flexis genibus in suppedaneo dicet orationem *Munda cor meum* etc.

86. Thuriferarius, quum ad thronum accedet Diaconus discedet de loco suo, genuflectet ante Altare et lento gradu sequetur Diaconum, cui deinde se addet quando de throno descendet, et cum ipso genuflexionem faciet ad Episcopum et ad thronum ascendet.

87. Presbyter assistens accedet ad dexteram Episcopi et primus Diaconus assistens attollet eius fimbriam pluvialis.

88. Thuriferarius tradet naviculam Presbytero assistenti qui cum osculis ministrabit incensum Episcopo, et ipse cum benedictione demittet illud in thuribulum a thuriferario genuflexo sustentum.

89. Hoc facto, Presbyter assistens naviculam thuriferario restituet et ad scabellum assistentiae redibit.

90. Thuriferarius de throno descendet ibique a latere expectabit donec veniant Diaconus et reliqui, ut se addat ipsis.

91. Quum redibit ad Altare Diaconus recitaturus *Munda cor meum*, Acolythi recipient ex abaco candelabra cum candelis accensis, et subsistent ante Altare.

92. Diaconus, recitato *Munda cor meum*, assurget, sumet ex Altari librum Evangeliorum et simul cum Subdiacono faciet reverentiam ad Celebrantem, descendet de Altari et se adiunget Acolythis; qui stabunt a lateribus Diaconi et Subdiaconi.

93. Acolythi genuflexionem, Diaconus cum Subdiacono reverentiam vel genuflexionem ad Altare conficient ac procedent ad thronum.

94. Subdiaconus advertet ut adstet sinistrae Diaconi.

95. Ad thronum quum pervenerint, thuriferarius consistet post Diaconum et Subdiaconum.

96. Assistentes throno consurgent.

97. Diaconus, si fuerit Canonicus, profunde inclinatus, sin minus, genuflexus petet ab Episcopo benedictionem dicens *Iube, Domne, benedicere*. Subdiaconus etiam stabit, si Canonicus, secus genua flectet. Acolythi autem cum thuriferario geniculabunt.

98. Episcopus respondebit Diacono *Dominus sit* etc. ac donans ei benedictionem, ad illa verba *In nomine Patris* ✠ *et Filii* ✠ *et Spiritus* ✠ *Sancti*, faciet triplex Crucis signum.

99. Consurgent omnes Ministri praedicti, et iterata respective genuflexione vel reverentia ad Episcopum, procedent ad Evangelium cantandum.

100. Praeibit Caeremoniarius, sequetur thuriferarius, tum duo Acolythi, postea Subdiaconus, postremo Diaconus gestans librum, cuius apertura curabit ut versa sit ad sinistram suam.

101. Quum ventum erit quo loco cantandum est Evangelium, Subdiaconus consistet inter Acolythos Diaconus aperiet librum, quem sustinebit Subdiaconus, licet sit Canonicus, et Caeremoniarius cum thuriferario locum sument a dextris Diaconi.

102. Notetur illud, quod si Altare adhaereat muro et Episcopi thronus stet a dextra Crucis Altaris, Ministri supradicti ita se debent disponere, ut neque ad Altare nec ad Episcopum humeros vertant.

103. Profectis de throno praedictis Ministris, secundus Diaconus assistens mitra nudabit Episcopum, qui assurget ac postquam se signaverit ad verba *Initium* vel *Sequentia Sancti Evangelii* etc. accipiet baculum, quem iunctis manibus continebit donec cantatum fuerit Evangelium.

104. Diaconus cantabit Evangelium et librum adolebit exsequens ea omnia, quae fiunt in aliis Missis solemnibus.

105. Celebrans apud Altare permanens, se convertet versus Diaconum, ut in omnibus Missis solemnibus.

106. Si dum cantatur Evangelium, genuflectendum esset, ut in celebritate Natalis Domini, Epiphaniae etc. Acolythi et Subdiaconus, librum sustinens, non genuflectent; Diaconus autem genuflectet versus librum, itemque Episcopus et ceteri suo quisque loco: pro Episcopo in gradulo cathedrae ponetur pulvinus ab uno ex ejus cappellanis.

107. Absoluto cantu Evangelii, Episcopus dimittet baculum, et Subdiaconus sine ulla genuflexione aut reverentia afferet ad thronum librum apertum et porriget osculandum Episcopo, qui manus apertas super illum imponens osculabitur, dicens *Per Evangelica dicta* etc.

108. Profecto Subdiacono cum libro, ut supra, Diaconus cum Acolythis a lateribus procedent in medium, conficient respective genuflexionem vel reverentiam ad Episcopum et progredientes versus Altare, genuflexionem aut reverentiam exsequentur ad Crucem ipsius. Diaconus accedet ad Celebrantem, et Acolythi redibunt ad abacum ibique candelabra deponent.

109. Thuriferarius sequetur Subdiaconum et subsistet ad pedem throni versus dexteram eius.

110. Presbyter assistens, dum ascendet ad thronum Subdiaconus cum libro, descendet et consistet ad pedem throni ante Episcopum.

111. Subdiaconus, textu Evangelii osculato ab Episcopo,

claudet librum, faciet reverentiam vel genuflexionem ad Episcopum, descendet a latere de throno, redibit ad Altare, faciet ad Crucem reverentiam vel genuflexionem, librum tradet clerico et consistet prope Diaconum.

112. Presbyter assistens descendens ante thronum, simul ac Subdiaconus clauserit librum, accipiet a thuriferario thuribulum, et stans adolebit Episcopum triplici ductu, reverentia salutans eum ante et post thurificationem.

113. Episcopus, accepta thurificatione, Presbyterum assistentem benedicet.

114. Si cantandus erit Symbolus, dum Presbyter assistens adolebit Episcopum, Canonici de suis stallis descendent et subsistent in medio choro facturi circulum, advertentes ut reverentiam ad Altare et ad Episcopum conficiant.

115. Presbyter assistens non redibit ad thronum, sed veniet in circulum cum reliquis Canonicis. Si circulus non fiet, ad assistentiam in thronum redibit.

116. Thuriferarius, recepto thuribulo a Presbytero assistente, cum debitis genuflexionibus revertetur ad abacum.

117. Celebrans convertetur ad Altare et intonabit *Credo* etc. reliqua cum Ministris suis. Episcopus etiam recitabit *Credo* cum assistentibus et Canonicis, non tamen utens libro.

118. Recitando *Incarnatus* genuflectent omnes, et pro Episcopo in gradulo cathedrae ab uno ex suis cappellanis ponetur pulvinus.

119. Absoluta recitatione Symboli, Episcopus benedictionem donabit Canonicis, qui reverentia ad Altare et ad Episcopum iterata, ad subsellia sua redibunt.

120. Presbyter assistens non petet stallum suum cum ceteris Canonicis, sed cum debitis reverentiis ad thronum revertetur et sedebit in scabello assistentiae.

121. Celebrans cum Ministris, facta ad Crucem reverentia, descendent de Altari a latere ac pergent sessum ad scamnum consuetum.

122. Episcopus sedebit et a primo Diacono assistente rursus cooperietur mitra.

123. Omnes Episcopi assistentes sedebunt, ut supra ad cantum *Gloria*.

124. Dum cantabitur ℣ *Et incarnatus* etc. Canonici, Celebrans et Ministri eius caput nudabunt et flectent; Episcopus non dimittet mitram, sed inclinabitur. Ceteri omnes de choro congeniculabunt.

125. Cantato praedicto versiculo, Diaconus assurget, et relicto bireto in scamno quo sedebat, perget ad abacum, accipiet bursam cum corporali, quam utraqne manu sustinebit elatam ferme ad altitudinem vultus sui, et reverentiam ad Celebrantem, dein ad Episcopum, postremo ad Altare exsecutus, ascendet in suppedaneum, bursam deponet in Altari, extrahet corporale, bursam ponet in latere Evangelii applicans candelabris, et corporale super Altare explicabit. Admovebit etiam, si opus fuerit, Missale cum cussino seu legili versus medium Altaris. Iterata deinde ad Crucem reverentia, de Altari a latere descendet et revertetur ad scamnum, in quo denuo sedebit.

126. Circa finem *Credo*, si Cappellani a libro et scotula reportaverint haec ad abacum, recipient eadem et consistent prope secundum Diaconum assistentem.

127. Dum ultima verba canentur, assurgent Celebrans cum Ministris, procedet versus Altare, reverebitur Episcopum, et ante Altare progressus salutabit Crucem, ascendet in suppedaneum et Altare in medio osculabitur, post ipsum stantibus Ministris.

128. Secundus Diaconus assistens, postquam Celebrans procedens ad Altare salutaverit Episcopum, mitram Episcopo de capite detrahet.

129. Absoluto Symboli cantu, assurget Episcopus cumque ipso totus chorus et Celebrans cantabit *Dominus vobiscum* et *Oremus.*

130. Episcopus sedebit denuo et primus Diaconus assistens mitram ei rursus imponet.

131. Interim praesto erit thuriferarius cum thuribulo.

132. Sedente Episcopo eique reposita mitra, se sistent ante ipsum Cappellani cum libro et scotula; ipse autem a Missali leget versiculum offertorii.

133. Cappellani recedent, referent ad abacum librum et scotulam, tum redibunt ad locum suum.

134. Cantato a' Celebrante *Oremus,* Diaconus ascendet in

suppedaneum et consistet a dextris eius. Subdiaconus, facta ad Crucem reverentia vel genuflexione, perget ad abacum, ubi induetur velo humerali, calicem accipiet et afferet ad Altare sequente Acolytho, qui deferet ampullas.

135. Interim Celebrans peraget oblationem Hostiae, ut in aliis Missis solemnibus, et Diaconus vinum in calicem infundet.

136. Quum Celebrans accedet ad Altare, thuriferarius appropinquabit ad thronum, et recedentibus Cappellanis a libro et scotula, ascendet ad illum et naviculam tradet Presbytero assistenti, qui Episcopo ministrabit incensum, et Episcopus recitans formulam *Per intercessionem* etc. incensum in thuribulum demittet ac benedicet.

137. Thuriferario de throno profecto, Subdiaconus dextera accepta ampulla aquae, conversus ad Episcopum genuflectet, vel si fuerit Canonicus, profunde inclinatus benedictionem petet, dicens *Benedicite Reverendissime Pater*, et Episcopus benedicet aquam, dicens *In nomine Patris* etc. Siquidem oratio *Deus, qui humanae substantiae,* quum connexa sit mysteriis divini Sacrificii, dicenda est a Celebrante.

138. Celebrans igitur subiunget orationem *Deus qui humanae substantiae* etc. nullum faciens Crucis signum super aquam, quam Subdiaconus in calicem infundet.

139. Post oblationem Calicis, Subdiaconus accepta patena, descendet ante Altare, ut in aliis Missis solemnibus.

140. Diaconus, tradita Subdiacono patena, accipiet a thuriferario vel a Caeremoniario thuribulum, in quo iam positum erit ab Episcopo incensum, ac tradet illud Celebranti, qui thurificabit oblata et Altare.

141. Celebrans, completa Altaris thurificatione, reddet thuribulum Diacono, a quo incensabitur duplici ductu.

142. Dum Diaconus thurificabit Celebrantem, Presbyter assistens relinquet biretum super scabello throni et descendet ac subsistet ante Episcopum.

143. Diaconus, postquam thurificaverit Celebrantem, accedet ad thronum cum debitis reverentiis ac thuribulum tradet Presbytero assistenti.

144. Episcopus assurget et iunctis manibus stabit.

145. Presbyter assistens Episcopum thurificabit triplici ductu, reverentiam ad ipsum peragens ante et post thurificationem.

146. Episcopus, thurificatione accepta, benedicet Presbyterum assistentem et sedebit.

147. Presbyter assistens thuribulum tradet Diacono et redibit ad scabellum suum in thronum, ibique stabit manu sustinens biretum.

148. Diaconus adolebit Presbyterum assistentem et primum Diaconum assistentem post ipsum: iterabit deinde reverentiam vel genuflexionem ad Episcopum, et secundum Diaconum assistentem adolebit.

149. Assistentes praedicti sedebunt, et Diaconus thurificabit Canonicos in choro, postea reliquos iuxta ordinem innutum cap. V. lib. I.

150. Cavebit Celebrans, ne canere incipiat Praefationem, nisi quum innuetur ei; namque quum thurificatio chori peragenda sit et Canonici descendere debeant ad circulum, in hisce ritibus exsequendis oriri posset perturbatio quaedam.

151. Sub finem thurificationis chori aut saltem Canonicorum, consurgent assistentes Episcopi et secundus Diaconus tollet ipsi mitram.

152. Episcopus assurget, ac Celebrans cantabit *Per omnia saecula saeculorum* ante Praefationem

153. Cappellanus a mitra afferet ad Altare mitram auriphrygiatam, tum accipiet pretiosam, si licebit uti, et prope thronum redibit.

154. Post verba *Gratias agamus* etc. dummodo peracta sit Canonicorum thurificatio, descendent ipsi de suis stallis in medium chorum ad efficiendum circulum, peragentes consuetam ad Altare et ad Episcopum reverentiam.

155. Interim a duobus clericis ante Altare statuetur faldistorium cum pulvinis pro Episcopo et praesto erunt duo vel quatuor clerici cum intorticiis, quae afferenda erunt ad *Sanctus*.

156. Cantato *Gratias agamus*, Presbyter assistens, facta ad

Episcopum reverentia, de throno descendet seque adiunget ceteris Canonicis in circulo.

157. Praefatione cantata Celebrans recitabit *Sanctus* cum Ministris, quod faciet etiam Episcopus una cum Canonicis.

158. Episcopus postquam recitaverit *Sanctus*, benedicet Canonicos, qui cum debitis reverentiis ad sua subsellia redibunt, sedebit et a primo Diacono assistente imponetur ei mitra pretiosa, si licebit uti, sin minus, auriphrygiata: tum sinistra accipiet baculum, de throno descendet et Clerum benedicet.

159. Procedens ad Altare, medius ibit inter Diaconos assistentes, qui attollent ei pluviale, sequetur Caudatarius, sustinens extremitatem posteriorem eius vestis et post ipsum duo cappellani a mitra et a baculo incedent.

160. Interea clerici, qui gestabunt intorticia, procedent ante Altare, genuflectent ad ipsum, dein ad Episcopum, postea ne tergum ad Episcopum convertant, consistent ante Altare, sed a latere, facie versa ad invicem, ibique simul in genua procumbent.

161. Progressus Episcopus ante faldistorium, deponet baculum: secundus Diaconus assistens tollet ei mitram pretiosam et pileolum: Episcopus geniculabit in faldistorio et super ipso fimbrias anteriores pluvialis expandent Diaconi assistentes.

162. Illi omnes qui aderunt cum Episcopo, geniculabunt, nempe Diaconi assistentes a lateribus eius, Caudatarius et cappellani praedicti post ipsum.

163. Genuflexo ante Altare Episcopo, advertet Subdiaconus ut aliquantum recedat versus latus Epistolae, ne directe ad Episcopum vertat tergum.

164. Peracta Hostiae et Calicis elevatione, assurget Episcopus et sublevantibus ei fimbrias pluvialis Diaconis assistentibus, genuflectet utroque genu ad SS. Sacramentum, quod aderit super Altari, idemque exsequentur Diaconi assistentes et Cappellani qui erunt cum ipso.

165. Diaconus primus assistens reponet pileolum et mitram seu pretiosam sive auriphygiatam Episcopo, qui baculo

sinistra recepto, revertetur ad thronum, nec benedicet Clerum, quod fecit pergens ad Altare.

166. Clerici duo faldistorium cum pulvinis de medio amovebunt et ponent seorsim.

167. Episcopus ad thronum reversus, sedebit, pastorale deponet et a secundo Diacono assistente nudabitur mitra cum pileolo.

168. Tunc assurget et stabit aliquantum conversus ad Altare.

169. Qui Clerici sustinebant intorticia ad elevationem, statim post discessum Episcopi de faldistorio, consurgent et coeuntes ante Altare genuflectent ad Sacramentum, redibunt ad abacum et intorticia extinguent.

170. Sub finem cantus *Pater noster* Canonici descendent ad circulum, et quum pervenerint in medium non conficient reverentiam ad Altare, sed genuflectent utroque genu ad Sacramentum, postea facient ad Episcopum reverentiam.

171. Episcopus recitabit *Agnus Dei* cum Canonicis, quos postea benedicet; ipsi autem iterata reverentia ad Episcopum et genuflexione utroque genu ad Sacramentum, ad sua subsellia revertentur.

172. Celebrans recitabit *Agnus Dei* cum Ministris suis, qui deinde genuflectent, et Diaconus accedet ad Missale propter assistentiam, Subdiaconus autem ibit in chorum et consistet prope locum Presbyteri assistentis.

173. Presbyter assistens, postquam in circulo recitaverit *Agnus Dei*, quin faciat genuflexionem ad Sacramentum, discedet a suis collegis et iunctis manibus ibit recta ad Altare. Ibi geniculabit in suppedaneo a dextris Celebrantis. Quando hic recitaverit orationem *Domine Iesu Christe qui dixisti* etc. assurget Presbyter assistens, et postquam ipse et Celebrans eodem tempore osculati erunt Altare, Celebrans Pacem donabit Presbytero assistenti, manus imponens humeris eius et dicens *Pax tecum*, cui ille respondebit *Et cum spiritu tuo.*

174. Presbyter assistens genuflectet ad Sacramentum, de Altari descendet ac nullam faciens reverentiam perget directe ad thronum et Pacem dabit Episcopo, dicens ei *Pax tecum*,

sed manus supponens brachiis, non imponens humeris illius. Diaconi assistentes fimbrias pluvialis Episcopi attollent.

175. Presbyter assistens, pace Episcopo donata, descendet de gradulo cathedrae, salutabit Episcopum reverentia profunda, descendet a latere de throno et in chorum redibit ad stallum suum.

176. Diaconus primus assistens iunctis manibus conscendet gradulum cathedrae, accipiet pacem ab Episcopo respondens ei *et cum spiritu tuo*, de gradulo descendet, Episcopum reverebitur et ad dexteram eius redibit. Hoc ipsum deinde faciet secundus Diaconus assistens et redibit ad sinistram.

177. Presbyter assistens, reversus in chorum ad stallum suum, donabit pacem Subdiacono, qui comitatus a Caeremoniario, illam praebebit primae Dignitati, sedenti supra locum Presbyteri assistentis, deinde Canonico assidenti post Presbyterum assistentem, atque ita deinceps quo ordine notatum est cap. VI. lib. I.

178. Interea Cappellani a libro et scotula recipient ex abaco scotulam et Missale pro Episcopo.

179. Quum Celebrans communicaverit et communicaverint etiam sacri Ministri, si talis usus vigebit, Episcopus sedebit et a primo Diacono assistente reponetur ei pileolus cum mitra pretiosa, si adhibebitur, secus auriphrygiata.

180. Se sistent ante Episcopum Cappellani cum Missali et scotula; Episcopus leget versiculum *Communio*, et illi recedent, ac si opus fuerit, accipient Canonem pro benedictione.

181. Quum Celebrans legerit *Communio*, secundus Diaconus, mitram tollet Episcopo, qui assurget.

182. Celebrans cantabit *Dominus vobiscum* cum orationibus et rursus cantato *Dominus vobiscum*, Diaconus cantabit *Ite Missa est*, vel *Benedicamus Domino*, iuxta ritum, et hoc tempore Celebrans recitabit orationem *Placeat* etc. ut promptus sit ad solemnem Episcopi benedictionem.

183. Interim praesto erunt ad thronum Cappellani cum Canone pontificali et scotula, itemque afferetur ad Altare libellus seu tabella cum formula Indulgentiae.

184. Responso a choro *Deo gratias* vel loco responsionis

pulsatis organis, primus Diaconus assistens reponet Episcopo mitram pretiosam, si licebit uti, secus auriphrygiatam.

185. Celebrans Altare osculabitur et recedet in latus Epistolae, se convertens ad Episcopum: Diaconus stabit eodem statu in gradu infra Celebrantem, et Subdiaconus eodem statú in infimo gradu vel in plano.

186. Episcopus, mitra coopertus a primo Diacono assistente, assurget ac pollice signans se in pectore, cantabit *Sit nomen Domini* etc. et a choro respondebitur *Ex hoc nunc* etc. Postea se signans a fronte ad pectus, cantabit *Adiutorium nostrum* etc. et respondebitur *Qui fecit Coelum* etc. Deinde manus expandens et oculos elevans ad coelum, cantabit *Benedicat vos omnipotens Deus*, accipiet sinistra baculum et signum benedicentis faciet a sinistris suis, dicens *Pater*, in medio, dicens *et Filius* et a dextris suis, dicens *et Spiritus Sanctus*. Chorus respondebit *Amen*

187. Diaconi assistentes fimbrias pluvialis Episcopi benedicentis attollent.

188. Cappellanus a libro, stans et sustinens librum apertum, recedet aliquantum ad Episcopi sinistram, ne populi conspectum ipsi impediat.

189. Canonici et Celebrans ad benedictionem Episcopi se profunde inclinabunt, ceteri omnes in genua procumbent.

190. Sin autem esset Archiepiscopus, dum cantabitur *Ite Missa est* vel *Benedicamus Domino*, Cappellanus crucifer accipiet Crucem archiepiscopalem et deferet ad thronum, ubi consistet genibus flexis in infimo gradu et imaginem Crucifixi convertet ad Archiepiscopum. Diaconus assistens mitram Archiepiscopo non reponet, siquidem Archiepiscopus benedictionem donat sine mitra. Priusquam dicat *Pater* salutabit Crucem archiepiscopalem, deinde accipiet baculum pastoralem et benedictionem impertietur.

191. Benedictione donata, Episcopus sedebit; Celebrans autem conversus ad populum, quocumque modo situm sit Altare, leget formulam Indulgentiae, dummodo non sit iam publicata a Concionatore, si sermo aut sacra concio habita fuerit post Evangelium. Dum Celebrans formulam Indulgentiae leget, Ministri adstabunt lateribus eius.

192. Indulgentia a Celebrante publicata, Episcopus dimittet baculum et a secundo Diacono assistente nudabitur mitra.

193. Si erit Archiepiscopus, non reponetur ei mitra post benedictionem, eo quod brevissimus sit actus Indulgentiarum publicationis.

194. Episcopus assurget, ac Celebrans ad Altare recitabit ultimum Evangelium, quod si fuerit S. Ioannis, ad illa verba *Et Verbum caro factum est*, Episcopus genuflectet in sua cathedra, ut ad *Incarnatus*.

195. Evangelio recitato, Episcopus sedebit ac rursus cooperietur mitra a primo Diacono assistente.

196. Celebrans cum Ministris descendet de Altari, ante quod aderunt etiam duo Acolythi cum candelabris.

197. Facient ad Crucem reverentiam et genuflexionem respective, deinde ad Episcopum conversi exsequentur reverentiam vel genuflexionem: Episcopus eos benedicet et ipsi revertentur in Sacristiam.

198. Profecto de choro Celebrante, accedent ad thronum clerici ad accipienda paramenta Episcopi, qui a Diaconis assistentibus exuetur illis.

199. Cubicularius ad thronum afferet cappam Episcopi.

200. Clerici referent ad Altare Episcopi paramenta, quae ibi a Caeremoniario, ut a principio, reponentur et cooperientur velo.

201. Interea clerici duo collocabunt ante Altare faldistorium cum pulvinis.

202. Exutus paramentis Episcopus rursus induetur cappa a Diaconis assistentibus, adiuvante Cubiculario, qui extremitatem posteriorem eius vestis talaris constringet: postea descendet de throno ad faldistorium, in quo genuflexus brevi tempore orabit.

203. Associatus deinde a Canonicis et Clero, adorabit SS. Sacramentum: post adorationem autem ad suam residentiam revertetur.

204. Episcopus pluviali paratus Missae solemni intererit solemnioribus diebus, ut ex. gr. in festo S. Stephani et S. Ioan-

nis, in secunda ac tertia feria Paschatis et Pentecostes, in festo B. V. ab Angelo salutatae, itemque in ceteris, quemadmodum notatur in Caeremoniali Episcoporum, ut supra innuimus.

205. Ceteris diebus minus solemnibus, Missae solemni assistet indutus cappa; quare observabitur quod sequentibus capitulis praescribetur.

ASSISTENTIA EPISCOPI ORDINARII PLUVIALI PARATI MISSAE SOLEMNI AB ALTERO EPISCOPO CELEBRATAE

CAPUT XIV.

De rebus praeparandis.
Apud Altare SS. Sacramenti.

1. Praeparabitur faldistorium cum pulvinis eius coloris, quem requirit officium, vel genuflexorium cum strato et pulvinis eiusdem generis ac superius cap. IV. descriptum est.

2. Altare plus minus exornabitur, pro qualitate festi, et in sex candelabris aderunt cerei accendendi saltem in accessu Episcopi et quum ipse de ecclesia discedet.

3. Si celebrabitur festum alicuius Sancti proprii ecclesiae, cuius corpus aut reliquiae insignes expositae sint in Altari a maiori diverso, vel adsit Sacellum ei sacrum, etiam ante Altare illud praeparabitur genuflexorium, ibique poterit orare Episcopus sive in accessu ad ecclesiam, postquam adoraverit SS. Sacramentum, seu post Missam solemnem.

Apud Altare maius.

4. Thronus parabitur colore qui conveniat officio, cum baldachino et lodice simili cathedrae: aderunt tria scabella pro Assistentibus et gradus cooperientur tapeto Prope cathe-

dram praeparabitur pulvinus in commodum Episcopi, ut inferius, eritque concolor paramentis.

5. Pavimentum presbyterii sterni poterit aulaeo consentaneo viridis coloris, et ante Altare aderit faldistorium cum pulvinis, in quo geniculabit Episcopus.

6. Altare instruetur pallio congruo, tobaleis ac tapeto, quod omnes gradus cooperiat. Super Altare ponentur sex candelabra cum cereis et Crux in medio, aequalis candelabris, quae plus minus erunt nobilia pro ratione festi.

7. Supra mensam Altaris disponentur paramenta Episcopi, videlicet pluviale cum stola, Crux pectoralis, cingulum, alba et amictus, quae contegentur velo concolore paramentis, et prope haec ponetur formale pretiosum aut simplex in lance. In latere Evangelii locabitur mitra pretiosa cum velo adhibendo a ministro, seu cappellano illius, et in latere Epistolae auriphrygiata. Nisi adhiberi posset mitra pretiosa, ponetur mitra auriphrygiata cum velo in latere Evangelii.

8. Prope Altare praeparabitur baculus pastoralis.

9. In latere Epistolae ante gradus Altaris collocabitur faldistorium cum tegumento respondenti in usum Celebrantis, et prope faldistorium, pulvinus concolor paramentis, ab eodem Celebrante adhibendus.

10. In eodem Epistolae latere aderit scamnum cum modico postergali et sine suppedaneo, coopertum aulaeo laneo plus minus distincto pro sacris Ministris.

11. Eadem ex parte prope parietem erit abacus alba tobalea coopertus, in quo disponentur quae subiicimus: nempe calix cum purificatorio, patena cum hostia, palla et bursa cum corporali: ampullae vini et aquae in pelvicula: campanula: gremiale aequale paramentis pro Episcopo celebrante: instrumentum pacis, si Magistratus intererit officio: quatuor, ad summum sex intorticia pro elevatione: urceus cum pelvi et mantile seu manutergium in lance argentea: mitra auriphrygiata Celebrantis, si pretiosa quoque licebit uti: cussinus seu legile Missalis: Missale cum tegumento et signaculis respondentibus colori officii pro Celebrante, et Evangeliarium cum tegumento eiusdem coloris et manipulo Celebrantis: Epistola-

rium cum tegumento, ut supra: alterum Missale cum tegumento, ut supra, pro Episcopo: canon pontificalis pro Celebrante: scotula et alter canon pontificalis pro Episcopo: tabella seu libellus cum formula indulgentiarum: thuribulum cum navicula: velum humerale pro Subdiacono.

12. Prope latus Evangelii ponetur basis pro Cruce archiepiscopali, si Archiepiscopus esset Dioecesanus, qui functioni assistet.

13. Ad balaustrium presbyterii candelabra maiora numero quatuor, ad summum sex, cum cereis aut intorticiis.

In Sacristia.

14. Disponentur super Altare paramenta Celebrantis, videlicet planeta, chirothecae in pelvicula, dalmatica, tunicella, stola, Crux pectoralis, cingulum, alba et amictus, quae cooperientur velo concolore eisdem paramentis. In latere Evangelii mitra pretiosa cum velo pro cappellano a mitra, si licebit adhiberi, sin minus ponetur auriphrygiata, quae hoc casu non praeparabitur in abaco Presbyterii. Ante Altare vel alio loco, ut commodius videbitur, locabitur sedes cameralis decenter ornata, cum exiguo tapeto sub ipsa sede. Poterunt etiam poni duo pulvini in aliquo ex genuflexoriis Sacristiae, si Episcopo celebranti placeret orare privatim ante vel post Missam.

15. In altera ex tabulis Sacristiae praeparentur paramenta pro Ministris, nempe pluviale pro Presbytero assistente, dalmatica et stola cum manipulo, tunicella cum manipulo, duo cingula, duae albae duoque amictus pro Diacono et Subdiacono, praeter tria bireta pro Ministris praedictis.

16. Caligae et sandalia Episcopi in lance: urceus cum pelvi et mantile in lance: canon pontificalis et scotula, qua poterit uti solus Celebrans in Sacristia, quum ibi non adsit Episcopus.

17. Duo candelabra cum candelis pro Acolythis: superpellicia sufficienti numero pro inservientibus: vasculum aquae benedictae et aspersorium pro ingressu Episcopi.

18. Officii tempore sonabunt omnia vel saltem aliqua aera campana semel aut pluries, iuxta consuetudinem cuiusque loci, ut significetur functionis initium.

19. Recitata in choro Hora tertia, sive altera Hora, pro qualitate Missae, ut praescribunt generales rubricae Missalis tit. V. num. 2. cessabitur ab officio, et sonitu campanulae Sacristiae signum dabitur Canonicis et Capitulo ad associandum Episcopum, ut Cap. IV. huius libri.

20. Episcopus celebrans tempore debito aderit in Sacristia, ut aderunt etiam tres Ministri et clerici inservientes.

21. Clerici induentur superpellicio, itemque Presbyter assistens, nisi utatur rocheto.

22. Caeremoniarius, qui assistet Celebranti, attribuet clericis suum cuique officium, nisi fuerit ipsis in antecessum attributum.

23. Invitabit Episcopum ut accedat ad sedem, et clericus unus praesentabit ei canonem, et alter sustinebit scotulam accensam. Episcopus psalmos et preces in praeparationem recitabit, legens in Canone.

24. Interim cubicularius, acceptis caligis et sandaliis praebitis a clerico, calceum usualem dextero pedi Episcopi detrahet, et cruri inseret caligam, quam supra genu ligabit, et sandalium pedi dextero: detrahet deinde calceum sinistrum et caligam ac sandalium inducet cruri et pedi sinistro. Idem calceos usuales Episcopi accipiet, cavens ne ponat super Altare aut inter sacra paramenta, sed secum eos custodiet.

25. Episcopus, recitatis psalmis et repetita antiphona, quae in principio illorum duplicabitur in festis de ritu duplici, nudabit bireto caput, assurget et convertetur ad Altare.

26. Clerici cum libro et scotula se sistent ante Episcopum, dantes operam ut commode possit e libro legere preces.

27. Episcopus recitabit preces et orationes, quibus absolutis, rursus sedebit et orationes praescriptas ad paramenta recitabit sedens, nisi memoria tenebit, siquidem in praxi nimium difficile est Episcopo legere e libro orationes, dum is a Ministris parabitur.

28. Hoc tempore sacri Ministri, adiuvantibus duobus clericis, induentur paramentis praedictis, excepto manipulo, quem inserent brachio, posteaquam paraverint Episcopum.

29. Acolythi accendent cereos in candelabris, quae ab ipsis gestanda erunt.

30. Quum Episcopus Celebrans finem fecerit recitandi preces praeparationis ad Missam, recedent ab ipso clerici cum libro et scotula: qui facta ad ipsum reverentia, reponent ubi erant a principio librum et scotulam, cuius candela extinguetur.

31. Ministri capite nudato discedent de loco, quo paraverint se; in media Sacristia salutabunt Altare vel imaginem principalem, venient ante Episcopum, reverentiam ad ipsum facient et consistent a lateribus illius, Diaconus nempe a dextris, Subdiaconus a sinistris.

32. Interim clericis distribuentur paramenta pro Celebrante, et praesto erunt etiam ministri lotionis.

33. Celebrans, adiuvantibus Ministris, dimittet mantelletum, ac si opus fuerit, etiam mozzetam, eaque recipientur a cubiculario.

34. Presbyter assistens aderit prope dexteram Celebrantis eique cum debitis osculis extrahet e digito annulum.

35. Cubicularius Celebrantis expediet ei posteriorem extremitatem vestis.

36. Se sistent ante Celebrantem familiares nobiles duo, vel iis absentibus, duo clerici cum urceo et pelvi cumque mantili ad lavandas manus.

37. Ministri acceptum mantile extendent ante Episcopum celebrantem, qui sedens et bireto cooperto capite, lavabit manus et absterget mantili, atque advertet ne benedicat quemquam post lotionem. Tradet biretum cuidam e suis familiaribus nobilibus (*a*) deinde a Diacono, adiuvante Subdiacono, parabitur amictu, alba, cingulo, Cruce pectorali, stola, tunicella, dalmatica, chirothecis et planeta. (*b*)

(*a*) Minime decet, ut quisquam ministrorum imponat aut tollat de capite Episcopi biretum: hoc enim debet ipsemet facere.

(*b*) Reponere biretum in capite Episcopi, dum sacris ipse indumentis induitur, est abusio ipsa quoque.

38. Presbyter assistens, quum parabitur Celebrans, adiuvante clerico, induet sibi pluviale.

39. Parato Celebranti Diaconus imponet mitram, et una cum Subdiacono, facta ad ipsum reverentia, discedent ab eo et redibunt quo loco induerunt sibi paramenta, ubi duo clerici manipulum eorum brachio inducent.

40. Profectis, ut supra, Ministris ad assumendum manipulum, se sistet ante Celebrantem Presbyter assistens, et facta reverentia, annulum inseret eius digito annulari dextero cum osculis usitatis; iterabit reverentiam et consistet a dextris eius.

41. Ministri redibunt ad Episcopum celebrantem, reverentiam ei conficient, et Diaconus consistet a sinistris eius, Subdiaconus a sinistris Diaconi.

42. Quum omnia disposita erunt ad proficiscendum ad Altare (quod fiet quando Episcopus perventurus erit ad ecclesiam) Caeremoniarius Celebrantis innuet Acolythis, ut accipiant candelabra accensis candelis, et bireta tradet Ministris sacris ac Presbytero assistenti.

43. Acolythi procedent ante Episcopum et apud ipsos clerici, exceptis iis duobus, quorum alter mitram, alter syrmam ipsius Episcopi sustentare destinatus est.

44. Episcopus, innuente Caeremoniario, assurget, convertetur ad Altare sive ad imaginem praecipuam Sacristiae et simul cum Ministris et clericis reverebitur ipsam, tum ad Altare maius procedetur.

45. Poterit praeire claviger unus ecclesiae, siquis erit, duo Acolythi cum candelabris, ceteri clerici inservientes bini, Subdiaconus, Episcopus cum Presbytero assistente dextrorsum et Diacono sinistrorsum, sequentibus duobus praedictis cappellanis et familiaribus nobilibus, siqui aderunt.

46. Advertet Episcopus celebrans ne quemquam benedicat, etiamsi quis in genua procumberet, dum ipse praetergreditur.

47. Si transeundum esset ante Altare SS. Sacramenti, genuflectetur ab omnibus, idque facient vel coniunctim ad lineam vel bini, prout capax erit locus. Celebrans autem genuflectet sine mitra et sine pileolo, in pavimento nudo, ut praescribit

Caeremoniale, idest nullo utens pulvino et una cum sacris Ministris.

48. Ubi Celebrans venerit ad Altare maius, Acolythi dirimentur et recedent ad latera ante infimum gradum, ceteri clerici dirimentur apud Acolythos unus post alium, ut liber detur transitus Celebranti et Ministris. Celebrans procedet cum Ministris ante Altare, Subdiacono appropinquante ad sinistram Diaconi. Ibi Celebrans et Ministri (si tamen hi fuerint Canonici) reverentiam ad Crucem conficient, clerici, non exceptis Acolythis, genuflexionem.

49. Tum Celebrans ibit sessum ad faldistorium et consistent a sinistris eius Presbyter assistens, Diaconus et Subdiaconus eodem statu, quo Celebrans, videlicet humeris versis ad Altare. Acolythi pergent ad abacum, in quo deponent candelabra, et una cum reliquis clericis ante abacum ipsum se ad lineam disponent.

50. Clericus delegatus sustentando extremitatem vestis Celebrantis animadvertat, quod officium suum desinit simul ac venerit ad Altare Episcopus ordinarius; ideoque syrmam Celebrantis praedictam recipiet, quum Sacro peracto, Celebrans discedet rediturus in Sacristiam.

51. In ingressu Episcopi ad ecclesiam sonabunt festivo more campanae et organa quoque, si id requiret qualitas officii.

52. Episcopus in ecclesiam ingressus adorabit SS. Sacramentum, deinde procedet ad Altare maius.

53. Ingredienti in presbyterium Episcopo assurget Celebrans.

54. Episcopus progressus ante faldistorium priusquam reverentiam faciat ad Crucem, salutabit Celebrantem, utpote Episcopum. Ministri sacri, si fuerint Canonici, se profunde inclinabunt ad Episcopum, sin minus, genuflectent ante ipsum.

55. Canonici et reliqui de Clero sequentes Episcopum, facta reverentia vel genuflexione ad Crucem Altaris, petent stallum suum, exceptis duobus Diaconis assistentibus, qui locum sument prope Episcopum.

56. Clerici, quorum officium ferre paramenta Episcopi ad thronum, geniculabunt prope Altare.

57. Quum Episcopus orabit, rursus sedebit Celebrans; assurget autem quum de oratione surget Episcopus.

58. Fine facto orandi, Episcopus surget, salutabit Crucem Altaris, deinde Celebrantem (qua in actione Ministri reverentiam ei vel genuflexionem, ut supra, exsequentur) perget ad thronum ac transiens per chorum vel priusquam asscendat ad thronum, benedicet clerum, iuxta positionem presbyterii.

59. Episcopum ad thronum euntem comitabuntur Diaconi assistentes, sequetur Caudatarius extremitatem posteriorem cappae sustentans et cubicularius.

60. Clerici duo faldistorium a medio presbyterio amovebunt statim ac discesserit Episcopus et seorsim illud ponent prope abacum.

61. Interim distribuentur clericis paramenta Episcòpi.

62. Episcopus conscenso throno, sedebit, et appropinquantibus clericis cum sacris vestimentis, nudabit bireto caput, assurget ac Diaconi assistentes, adiuvante cubiculario, tollent ei cappam.

63. Cubicularius expediet eius extremitatem posteriorem vestis talaris, et accepta cappa recedet de throno, illamque deferet in Sacristiam et complicabit, resumpturus post Missam.

64. Dignitates et Canonici de suis stallis descendent in medium chorum et circulo excipient Episcopum, qui per Caeremoniarium invitabit eos ad operiendum bireto caput.

65. Deinde Diaconi assistentes parabunt Episcopum amictu, alba, cingulo, Cruce pectorali, stola et pluviali, cui firmabitur formale. Postea primus Diaconus assistens imponet capiti eius mitram pretiosam, si licebit uti, secus auriphrygiatam.

66. Hoc tempore clericus accipiet ex abaco Evangeliarium cum manipulo Celebrantis et praesto erit ad coeundum cum Celebrante et Ministris, ut inferius.

67. Quum pluviali induetur Episcopus, Diaconus mitram tollet Celebranti, qui cum Diacono et Subdiacono procedet ad Altare, et facta respective reverentia vel genuflexione ad Crucem, subsistet cum ipsis seorsim ante Altare in latere Evangelii.

68. Clericus, qui sustinebit Evangeliarium cum manipulo Celebrantis, sequetur Ministros, adstans Subdiacono.

69. Presbyter assistens Episcopo Celebranti stabit in latere Epistolae post faldistorium Celebrantis.

70. Episcopus benedicet Canonicos, qui ad sua subsellia redibunt, assurget, accipiet sinistra baculum, de throno descendet, benedicet Clerum, procedet ad Altare cum Diaconis assistentibus a lateribus, qui fimbrias pluvialis sustentabunt sequentibus Caudatario et cappellanis a mitra et baculo.

71. Ante gradus Altaris Episcopus dimittet baculum et secundus Diaconus assistens tollet ei de capite mitram.

72. Celebrans discedet a Ministris et accedet ad Episcopum subsistens a sinistris eius.

73. Diaconi assistentes stabunt post Episcopum, et Ministri Celebrantis stabunt post Celebrantem, advertentes ut tres vel quatuor passus absint ab ipso, et nisi fuerint Canonici, geniculabunt. Clericus cum Evangeliario et manipulo accedens ad Ministros stabit a sinistris Subdiaconi. Reliqui cappellani Episcopi geniculabunt post Diaconos assistentes. Presbyter assistens Celebranti genua flectet loco superius innuto, nisi fuerit Canonicus, secus stabit, et a latere eius adstabit clericus genuflexus, qui ei respondebit in confessione.

74. Episcopus reverentiam simul cum Celebrante conficiet ad Altare, et inchoabit Missam, cui respondebit Celebrans et in *Confiteor* ad verba *Tibi Pater* ac *Te Pater* se convertet paullulum ad Episcopum.

75. Diaconi assistentes Confessionem recitabunt inter se. Idem facient Ministri Celebrantis: idem Cappellani Episcopi genuflexi post Diaconos assistentes.

76. In choro recitabitur Confessio, ut in aliis Missis cantatis.

77. Dum a Celebrante recitabitur *Confiteor*, clericus sustinens Evangeliarium cum manipulo, tradet Subdiacono manipulum Celebrantis et retinebit secum Evangeliarium, advertens ut signaculum indicet Evangelium officio respondens.

78. Celebrans, postquam responderit *Amen* ad preces *Indulgentiam* etc. (*a*) se inclinabit ad Episcopum, discedet ab eo

(*a*) Inspiciatur adnotatio num. 40. cap. praec. quae respicit etiam quod subiungitur in sequenti num. 81.

et redibit ad Ministros qui consurgent eumque medium inter se accipient.

79. Subdiaconus immediate osculabitur manipulum Celebrantis ex una parte, illumque inducet in eius brachium sinistrum osculans manum eius et ligabit taeniis.

80. Celebrans non recitans orationem *Merear, Domine* etc. ad manipulum (hanc enim iam recitaverit in Sacristia cum aliis orationibus in praeparatione) statim ac manipulum osculatus erit et in brachio habebit, prosequetur cum Ministris *Deus tu conversus* etc.

81. Quum Celebrans a latere Episcopi discesserit, succedent ad latera eius Diaconi assistentes, quibuscum Episcopus continuabit Missam ad ℣. *Deus tu conversus* etc.

82. Praesto erit interea thuriferarius cum thuribulo et navicula. Cappellani a libro et scotula, accipient Missale et scotulam pro Episcopo, eaque deferent ad thronum.

83. Quum Episcopus dixerit *Oremus*, nihil aliud adiiciens, reverebitur Crucem et a primo Diacono assistente cooperietur mitra pretiosa, vel auriphrygiata, ut supra. Tum sinistra accipiet baculum pastoralem, et conversus ad Celebrantem, salutabit ipsum, benedicet Canonicos et Clerum, ascendet ad thronum comitatus et secutus a Ministris antedictis

84. Celebrans respondebit inclinationi Episcopi, Ministri genuflexionem vel reverentiam profundam ad ipsum conficient et clericus sustinens Evangeliarium exsequetur genuflexionem. Quum vero in thronum ascendet Episcopus seu discesserit de Altari, Celebrans medius inter sacros Ministros ad Altare ascendet, dicens orationem *Aufer a nobis* etc. Clericus cum Evangeliario sequetur Subdiaconum, cui tradet librum apertum quando ascenderit ad Altare. Celebrans Altare osculabitur deinde Evangelium Missae respondens in libro sibi oblato a Subdiacono, qui librum claudet et tradet clerico, a quo acceperit. Idem clericus librum receptum, cum debitis genuflexionibus ad Altare et ad Episcopum, reportabit ad abacum. Celebrans in Altari expectabit dum sibi tradatur thuribulum cum incenso.

85. Episcopus, conscenso throno, sedebit ac dimittet ba-

culum pastoralem; Presbyter assistens e stallo suo ascendet a latere ad thronum et consistet a dextris Episcopi.

86. Caeremoniarius aut thuriferarius thuribulum afferet ad thronum, naviculam tradet Presbytero assistenti et genuflectens ante Episcopum, ipsi praesentabit thuribulum apertum. Episcopus, ministrante cum osculis consuetis Presbytero assistente, demittet incensum in turibulum cum benedictione usitata.

87. Thuriferarius recipiet naviculam, de throno descendet thuribulum afferet ad Altare et tradet Diacono, hic autem Celebranti, qui Altare thurificabit.

88. Presbyter assistens descendet a latere de throno et redibit ad stallum suum.

89. Clericus cum mitra Celebrantis aderit prope gradus Altaris.

90. Celebrans thurificato Altari, thuribulum restituet Diacono.

91. Caeremoniarius Celebrantis reponet ipsi mitram pretiosam, vel auriphrygiatam, si pretiosa non licebit uti.

92. Diaconus descendet de gradibus Altaris et, imposita mitra Celebranti, ipsum duplici ductu adolebit.

93. Caeremoniarius aut thuriferarius, thuribulum receptum reportabit ad pedem throni.

94. Eodem tempore Presbyter assistens discedet de stallo suo et procedet ante thronum curans ut ibi adsit quum adveniet thuriferarius.

95. Facta cum ipso reverentia ad Altare, dein ad Episcopum, accipiet ab illo thuribulum ac triplici ductu adolebit Episcopum, peragens ante ipsum reverentiam profundam ante et post thurificationem.

96. Episcopus assurget ut accipiat thurificationem et postquam thurificatus erit, dextera benedicet Presbyterum assistentem, qui thuribulo reddito thuriferario atque iterata reverentia ad Episcopum et ad Altare, redibit ad circulum, thuriferarius ad abacum thuribulum referet.

97. Episcopus sedebit et a secundo Diacono assistente nudabitur mitra.

98. Cappellanus a mitra accipiet mitram pretiosam, si ea utetur Episcopus, afferet ad Altare ibique deponet ipsam: sumet auriphrygiatam cumque ipsa redibit apud thronum.

99. Interim Celebrans, postquam thurificatus fuerit a Diacono, cui nullum faciet Crucis signum, stans loco suo convertetur ad Crucem, qua salutata, medius inter Diaconum et Subdiaconum descendet a latere de Altari et veniet ad faldistorium.

100. Presbyter assistens Celebranti, in hisce actionibus nunquam recedet de loco in quo erit, et admonebit clericum, ut in promptu habeat Missale pro Celebrante.

101. Celebrans sedebit in faldistorio et Caeremoniarius advertet, ut attollat ei planetam, dalmaticam ac tunicellam, ne ipsis insideat.

102. Diaconus et Subdiaconus venient simul ante Celebrantem, et Diaconus tollet ei mitram, quae si fuerit pretiosa, referetur ad abacum a clerico custodiente et ab eodem recipietur auriphrygiata.

103. Presbyter assistens aderit a dextra faldistorii, et clericus cum libro stabit post Celebrantem.

104. Celebrans, dimissa per Diaconum mitra, assurget et super sinistram suam convertetur ad Altare, stantibus dextrorsum Diacono, sinistrorsum Subdiacono. Presbyter assistens adstabit propius dexterae Celebrantis, ut ei monstret quid legendum sit. Clericus priusquam aperiat ac postquam clauserit Missale, reverebitur Celebrantem, idque faciet etiam deinceps.

105. Celebrans se muniet signo Crucis, leget e Missali introitum, deinde cum Ministris suis recitabit *Kyrie*, ibique manebit usque ad intonationem hymni *Gloria in excelsis*, si cantandum sit.

106. Thurificato a Presbytero assistente mitraque nudato Episcopo, Dignitates et Canonici de suis stallis descendent et circulum efficient ante Episcopum, observantes quae tradita sunt capite praecedenti num 57.

107. Se sistent ante Episcopum duo Cappellani cum Missali et scotula.

108. Episcopus assurget ac leget e Missali introitum, quo

lecto, recedent Cappellani praedicti, et Episcopus una cum Canonicis recitabit *Kyrie*.

109. Si cantus *Kyrie* protrahetur, Episcopus benedicet Canonicos, qui ad sua subsellia redibunt, sedebit et a primo Diacono assistente cooperietur mitra auriphrygiata.

110. Celebrans etiam, se convertens super sinistram suam sedebit in faldistorio, et a Diacono cooperietur mitra auriphrygiata et ab eodem accipiet gremiale super genibus. Ministri Episcopi, facta ei reverentia, pergent sessum ad scamnum sibi praeparatum et caput bireto cooperient. In ordine autem sedendi advertent, quod Presbyter assistens adstare propius Celebranti debet, Diaconus in medio et Subdiaconus post Diaconum sive a dextris, sive a sinistris ipsius iuxta dispositionem scamni.

111. Absoluto *Kyrie* cantu, Ministri caput aperient, consurgent, redibunt ante Celebrantem, salutabunt eum et Diaconus tollet ei gremiale et mitram.

112. Praesto erit clericus cum libro pro Celebrante, ut antea, et Presbyter assistens transibit ad dexteram Celebrantis, ut ipsi indicet intonationem hymni *Gloria in excelsis*.

113. Quum consurgent Ministri Celebrantis, redibunt Canonici ad circulum pro *Gloria in excelsis*.

114. Celebrans assurget, se convertet a sinistris ad Altare et intonabit *Gloria*, aperiens et elevans manus, ut in aliis Missis.

115. Diaconus stabit post Celebrantem et Subdiaconus post Diaconum in hac intonatione, postea accedent ad latera eius, ut recitent *Gloria*.

116. Consurgent Diaconi assistentes et secundus Diaconus tollet mitram Episcopo.

117. Ad intonationem hymni *Gloria* assurget Episcopus, qui recitabit illum una cum Canonicis in circulo.

118. Cantorum chorus prosequetur cantum hymni praedicti statim ac illum intonuerit Episcopus.

119. Completa recitatione eiusdem *Gloria*, Episcopus benedicet Canonicos in circulo et sedebit. Sedenti Episcopo primus Diaconus assistens reponet mitram auriphrygiatam.

120. Canonici iterata ad Episcopum et ad Altare reverentia, ad sua subsellia redibunt.

121. Presbyter assistens Episcopi, recitato *Gloria* in circulo, ad thronum accedet, ac priusquam conscendat gradus illius, reverentiam faciet ante Altare, dein ad Episcopum prope thronum, et conscensis gradibus, sedebit in scabello assistentiae.

122. Cappellani a libro, scotula, mitra et baculo sedebunt in gradibus throni, factis genuflexionibus debitis et cappellanus a baculo prius deponet baculum apud thronum, applicans ipsum parieti.

123. Recitato a Celebrante *Gloria*, recedet clericus qui sustinebat ei librum, et aderunt prope faldistorium alteri duo clerici cum mitra et gremiali.

124. Celebrans, recitato *Gloria*, conversus a sinistris suis sedebit in faldistorio, et ante ipsum stabunt ad lineam tres Ministri, nempe Diaconus in medio, Subdiaconus a sinistris eius, Presbyter assistens a dextris. Diaconus imponet Celebranti mitram auriphrygiatam, deinde super genibus eius ponet gremiale. Tum iidem tres Ministri, facta ad Celebrantem reverentia, redibunt sessum ad scamnum suum, qua methodo superius traditum est.

125. Caput inclinabunt Episcopus et Celebrans, reliqui nudabunt bireto ad verba *Adoramus te*: *Gratias agimus* etc. ut praescribunt rubricae.

126. Sub finem *Gloria* cantati, caput nudabunt et assurgent Ministri, venient ante Celebrantem, salutabunt ipsum et Diaconus tollet ei gremiale et mitram.

127. Aderunt hoc tempore apud faldistorium clericus a mitra, alter a gremiali, tertius cum Missali, qui consistet post Celebrantem.

128. Ante Celebrantem mitra nudatum se sistet Diaconus, Subdiaconus post Diaconum et Presbyter assistens a dextra faldistorii, ut possit indicare Celebranti quid ipse cantare debeat.

129. Quum Ministri surgent de scamno, consurgent etiam quatuor cappellani qui sedebant in gradibus throni, et redibunt ad locum suum.

130. Eodem tempore consurgent chorus et assistentes Episcopi, cui Diaconus secundus tollet mitram. Assurgente Celebrante, surget etiam Episcopus.

131. Completo cantu hymni *Gloria*, assurget Celebrans disiunctisque manibus salutabit populum dicens *Pax vobis*; nisi cantatum erit *Gloria in excelsis*, dicet *Dominus vobiscum* loco *Pax vobis* chorus respondebit *Et cum spiritu tuo*. Si Altare versum esset ad Orientem, Celebrans priusquam salutet populum, se convertet a dextris suis, et post salutationem cantabit orationem.

132. Post *Pax vobis* aut *Dominus vobiscum*, Celebrans a sinistris suis se convertet ad Altare et manibus expansis cantabit orationem sive orationes, quas in Missali indicabit ei Presbyter assistens.

133. Sub finem ultimae orationis, Subdiaconus accipiet Epistolarium a Caeremoniario vel a clerico, sed non discedet de loco suo.

134. Cantatis orationibus, sedebit Episcopus et primus Diaconus assistens reponet ei mitram.

135. Sedebit etiam Celebrans, et Diaconus reponet ipsi mitram et gremiale.

136. Clericus, qui Missale sustinebit ante Celebrantem, claudet librum et recedet aliquantum prope faldistorium, pro actionibus quae sequuntur.

137. Presbyter assistens et Diaconus salutabunt Celebrantem et sessum redibunt ad scamnum.

138. Quum sederit Celebrans, Subdiaconus comitante Caeremoniario, sustinens librum ante pectus reverebitur eum, procedet ante Altare et reverentiam vel genuflexionem faciet ad Crucem; accedet aliquantum versus thronum et peraget genuflexionem aut reverentiam ante Episcopum, deinde veniet eo, ubi cantanda erit Epistola, aperiet librum et Epistolam cantabit, librum sibi ipse sustinens, licet esset Canonicus.

139. Advertenda tamen est Altaris positio; namque si Altare est ad Orientem versum ac thronus situs est e regione altaris, Epistola cantabitur in latere quod Epistolae appellatur, aliquantum versus chorum, et Subdiaconus spectabit latus Evangelii, ne tergum vertat ad Altare et Episcopum: sin autem

Altare adhaeret muro ac thronus positus est ex eadem Altaris parte, cantabitur Epistola in principio presbyterii in ipso Epistolae latere, et Subdiaconus stabit versa facie ad Altare.

140. Dum Subdiaconus procedet ad Epistolam cantandam, cappellani Episcopi a libro et scotula, si retulerint haec ad abacum, resument eadem et praesto erunt cum ipsis prope thronum in latere sinistro, seu prope secundum Diaconum assistentem.

141. Completo Epistolae cantu, Subdiaconns librum claudet, veniet in medium presbyterium comitatus a Caeremoniario, faciet genuflexionem aut reverentiam ad Altare, accedet ad thronum, genuflexionem pariter aut reverentiam conficiet ante Episcopum, priusquam ascendat; conscenso deinde throno, osculabitur Episcopi manum quam ille imponet libro et benedictionem accipiet aut genuflexus aut profunde inclinatus: descendet de throno, iterabit genuflexionem aut reverentiam ad Episcopum, dein ad Altare, perget ante Celebrantem, quem reverebitur, tradet Epistolarium Caeremoniario vel clerico comitanti, accipiet a clerico Missale Celebrantis et ante ipsum sustinebit illud apertum, dum leget Epistolam etc.

142. Descendente de throno Subdiacono, caput nudabit et assurget de suo loco Presbyter assistens Celebrantis et ad sinistram ipsius accedet, ut assistat ei quum leget Epistolam, Graduale et iunctis manibus *Munda cor meum* etc. *Iube Domine* etc. et Evangelium.

143. Cantata Epistola, Celebrans leget Epistolam etc. ut superius.

144. Quum ad thronum ascendet Subdiaconus, consurgent Diaconi assistentes et Presbyter assistens, et stabunt dum Episcopus leget, dum manum osculandam dabit Diacono, dum incensum in thribulum iniiciet ac benedicet Diaconum.

145. Profecto de throno Subdiacono, se sistent ante Episcopum cappellani cum libro et scotula: Episcopus e Missali leget Epistolam, Graduale, deinde iunctis manibus *Munda cor meum* etc. *Iube Domne benedicere* etc. et Evangelium. Si opus fuerit, Diaconi assistentes sustinebunt eius fimbrias pluvialis.

146. Praesto erit interea thuriferarius cum thuribulo.

147. Quum Celebrans legere incipiet Evangelium, nudabit caput et assurget de scamno Diaconus, Evangeliarium sumet et comitatus a Caeremoniario vel clerico illud afferet ad Altare: accedens autem illuc reverebitur prius Celebrantem, tum reverentiam faciet vel genuflexionem versus thronum ad Episcopum, dein ad Altare: ascendet ad Altare, ponet super mensam in medio librum Evangeliorum, cuius apertura versa erit ad sinistram eius ibique manebit donec innuetur ei ut vadat ad thronum.

148. Postquam Celebrans legerit Evangelium, Subdiaconus restituet Missale clerico, a quo acceperit, et subsistet contra Celebrantem. Presbyter assistens adstabit Celebranti sinistrorsum.

149. Lecto ab Episcopo Evangelio, recedent cappellani a libro et scotula.

150. Diaconus, ad nutum Caeremoniarii, iunctis manibus faciet reverentiam aut genuflexionem ad Crucem, discedet de Altari, perget ad thronum et reverentiam aut genuflexionem faciet ante Episcopum: ascendet, osculabitur Episcopi manum aut genuflexus aut profunde inclinatus: de throno descendet, iterabit ante Episcopum genuflexionem aut reverentiam, redibit ad Altare et genibus flexis in suppedaneo, dicet orationem *Munda cor meum* etc.

151. Thuriferarius, vadente ad thronum Diacono, discedet de loco suo, genuflectet ad Altare et lento gradu sequetur Diaconum. Quum autem de throno descendet Diaconus, aderit prope ipsum, quocum faciet simul genuflexionem ante Episcopum, deinde ad thronum ascendet.

152. Presbyter assistens accedet ad Episcopi dextram et primus Diaconus assistens attollet fimbriam pluvialis eius.

153. Thuriferarius naviculam tradet Presbytero assistenti, qui cum osculis consuetis ministrabit incensum Episcopo: hic autem cum usitata benedictione incensum demittet in thuribulum a thuriferario genuflexo sustentum.

154. Demisso et benedicto incenso, Presbyter assistens restituet naviculam thuriferario et redibit ad scabellum assistentiae.

155. Thuriferarius de throno descendet ibique a latere expectabit Diaconum et reliquos, quibus se adiungat.

156. Quam ad Altare redibit Diaconus recitaturus *Munda cor meum*, Acolythi accipient ex abaco candelabra, et consistent ante Celebrantem, medium inter se accipientes Subdiaconum.

157. Diaconus, recitato *Munda cor meum*, assurget, accipiet ex Altari librum Evangeliorum, reverentiam faciet vel genuflexionem ad Crucem, descendet a latere de Altari, veniet ante Celebrantem, seque addet Subdiacono a dextris ipsius et inter Acolythos.

158. Diaconus, Subdiaconus et Acolythi reverentiam conficient ad Celebrantem et procedent ante Altare: Acolythi genuflexionem, Ministri reverentiam aut genuflexionem ad Crucem facient: deinde vadent ante thronum: ibi se illis adiunget thuriferarius sed post Ministros: Acolythi ac thuriferarius geniculabunt; Ministri autem aut genua flectent aut stabunt profunde inclinati.

159. Assistentes throno consurgent.

160. Diaconus aut genuflexus aut profunde inclinatus petet ab Episcopo benedictionem, dicens *Iube, Domne, benedicere.* Episcopus iunctis manibus dicet *Dominus sit* etc. eique benedictionem donabit tribus Crucis signis, dicens *In nomine Patris* etc.

161. Consurgent Ministri praedicti et iterata reverentia vel genuflexione ad Episcopum, pergent ad cantandum Evangelium. Praeibit Caeremoniarius, post eum thuriferarius, deinde duo Acolythi, sequetur Subdiaconus et ultimo loco Diaconus gestans librum, versa apertura eius ad sinistram suam.

162. Quum ventum erit eo, ubi cantari debeat Evangelium, Subdiaconus consistet medius inter Acolythos, Diaconus aperiet librum; quem ei sustinebit Subdiaconus, licet sit Canonicus, et Caeremoniarius cum thuriferario a sinistris Diaconi.

163. Si Altare adhaerebit muro et Episcopi thronus aderit a dextra Altaris, advertent Ministri se ita disponere, ut neque ad Altare neque ad Episcopum humeros convertant.

164. Quum de throno discedent praedicti Ministri, ituri ad cantandum Evangelium, Caeremoniarius Celebrantis tollet ipsi gremiale et mitram, tradens utrumque clericis, qui aderunt apud Celebrantem ipsum. Presbyter assistens veniet ad sinistram Celebrantis.

165. Profectis de throno antedictis Ministris, secundus Diaconus assistens mitram tollet Episcopo, qui assurget ac se signabit ad verba *Initium* vel *Sequentia Sancti Evangelii* etc. deinde accipiet baculum, quem iunctis manibus continebit quando cantabitur Evangelium.

166. Diaconus cantabit Evangelium et adolebit librum exsequens omnia ea, quae in aliis Missis solemnibus peraguntur.

167. Celebrans assurget, assurgente Episcopo, et convertetur ad Diaconum, adstante a sinistris eius Presbytero assistente.

168. Si genuflectendum erit, dum cantabitur Evangelium, ut fit in celebritate Natalis Domini, Epiphaniae etc. Acolythi et Subdiaconus librum sustinens, non genuflectent, sed Diaconus genuflectet versus librum itemque Episcopus, Celebrans et reliqui omnes suo quisque loco: pro Episcopo ponetur in gradulo cathedrae pulvinus ab uno ex eius cappellanis, itemque ponetur alter ante Celebrantem eamdem ob rem a clerico aliquo.

169. Fine facto canendi Evangelium, Episcopus deponet baculum; Subdiaconus sustinens librum apertum, sine ulla genuflexione aut reverentia, afferet illum ad thronum et Episcopus osculabitur, imponens eidem manus apertas et dicet *Per Evangelica dicta* etc.

170. Profecto, ut supra, Subdiacono, Diaconus cum Acolythis a lateribus eius venient in medium, genuflexionem aut reverentiam ad Episcopum respective conficient, et procedentes versus Altare genuflexionem aut reverentiam facient ante Crucem ipsius. Diaconus accedet ad Celebrantem, quem prius reverebitur, et Acolythi redibunt ad abacum ibique deponent candelabra, reverentes Celebrantem, si ante ipsum transibunt.

171. Thuriferarius sequetur Subdiaconum et ante thronum consistet versus dexteram illius.

172. Presbyter assistens, quum ad thronum ascendet Subdiaconus cum libro, descendet et ad pedem throni ante Episcopum subsistet.

173. Quum Episcopus osculatus erit Evangelii textum, Subdiaconus librum claudet, reverentiam aut genuflexionem faciet ad Episcopum, de throno descendet a latere, ad Altare redibit, reverentiam aut genuflexionem exsequetur ad Crucem, librum tradet clerico, salutabit Celebrantem et consistet prope Diaconum.

174. Presbyter assistens quum descenderit ante thronum, statim ac Subdiaconus librum clauserit, accipiet a thuriferario thuribulum et stans adolebit Episcopum triplici ductu, reverentia eum salutans ante et post thurificationem.

175. Episcopus accepta thurificatione, benedicet Presbyterum assistentem.

176. Si fiet sermo seu sacra concio, peragentur ea quae notata sunt cap. X.

177. Si cantandum erit *Credo*, quum Presbyter assistens adolebit Episcopum, Canonici de suis stallis descendent, et cum reverentiis consuetis circulum in medio choro seu presbyterio efficient.

178. Presbyter assistens non redibit ad thronum, sed veniet in circulum cum ceteris Canonicis. Si habebitur sermo, redibit ad stallum suum in chorum. Si nec circulus fiet nec sermo, redibit ad thronum propter assistentiam.

179. Thuriferarius, recepto a Presbytero assistente thuribulo, cum debitis genuflexionibus revertetur ad abacum.

180. Quum incensabitur Episcopus, accedet ad faldistorium clericus cum libro seu Missali Celebrantis, nisi fiat sacra concio.

181. Celebrans quum intonandum erit *Credo*, convertetur a dextris suis ad Altare et intonabit *Credo*, quod recitabit cum Ministris. In intonatione Diaconus stabit post Celebrantem, Subdiaconus post Diaconum; Presbyter assistens a dextris Celebrantis. Intonato autem *Credo*, Ministri ad latera Celebrantis accedent.

182. Episcopus recitabit *Credo* cum Assistentibus et Ca-

nonicis, non utens libro. Dum recitabitur *Et Incarnatus* genuflectent omnes: pro Episcopo autem ponetur pulvinus in gradulo cathedrae ab uno ex Cappellanis, sicut ponetur etiam pro Celebrante ante faldistorium.

183. Recitato *Credo*, Episcopus benedicet Canonicos, qui reverentia iterata ad Altare et ad Episcopum, redibunt ad subsellia.

184. Presbyter assistens non petet stallum suum cum ceteris Canonicis, sed reverentiis peractis ad Altare et ad Episcopum, rursus ad thronum ascendet et in scabello assistentiae sedebit.

185. Celebrans se convertens super sinistram suam sedebit in faldistorio, et Diaconus ei reponet mitram et gremiale. Tres eius Ministri salutabunt eum, pergent sessum ad scamnum et caput cooperient bireto.

186. Episcopus etiam sedebit, et a primo Diacono assistente mitra ei reponetur.

187. Assistentes Episcopi sedebunt, ut ad *Gloria*.

188. Ad cantum versiculi *Et incarnatus* etc. omnes Canonici et Praelati nudabunt et inclinabunt caput; Episcopus et Celebrans caput inclinabunt quin mitram dimittant: ceteri omnes nudabunt caput et geniculabunt.

189. Cantato praedicto versiculo, Diaconus assurget ac bireto relicto super scamno, perget ad abacum, accipiet bursam cum corporali, quam sustinebit utraque manu elatam ferme ad oculos suos, et facta reverentia ad duos Ministros sedentes in scamno, qui respondebunt ei nudando caput, dein ad Celebrantem transiens ante ipsum, et genuflexione vel reverentia ad Episcopum praeteriens thronum, postremo ad Altare quum pervenerit ante infimum gradum, ascendet in suppedaneum, bursam ponet in Altari, extrahet corporale, collocabit bursam a latere Evangelii, applicans eamdem candelabris et corporale explicabit super Altari. Deinde iterata ad Crucem reverentia aut genuflexione, de Altari a latere descendet, redibit ad scamnum, salutabit Ministros et rursus sedebit.

190. Si Cappellani Episcopi a libro et scotula retulerint res istas ad abacum, consurgent circa finem *Credo* et cum de-

bitis genuflexionibus recipient eas, tum redibunt ad thronum et consistent prope secundum Diaconum assistentem.

191. Sub finem cantus eiusdem *Credo* consurgent Ministri, venient ante Celebrantem et salutabunt ipsum. Diaconus tollet ei mitram et gremiale, quae tradet clericis ad haec delegatis.

192. Si Celebranti licebit uti mitra pretiosa, clericus acceptam a Diacono mitram auriphrygiatam reponet super abaco, sumet alteram pretiosam et redibit prope faldistorium. Clericus alter a Diacono receptum reponet super abaco gremiale, quo amplius in Missa opus non est.

193. Aderit etiam prope faldistorium alter clericus cum Missali Celebrantis.

194. Apud abacum autem praesto erunt clericus cum lance pro reponendis chirothecis Celebrantis, et familiares nobiles vel clerici duo pro manuum lotione Celebrantis eiusdem.

195. Item thuriferarius advertet, ut in promptu habeat thuribulum cum igne et naviculam.

196. Quum Diaconus tollet mitram Celebranti, secundus Diaconus assistens mitram tollet Episcopo.

197. Absoluto Symboli cantu, assurget Episcopus et chorus omnis cum eo.

198. Celebrans assurget, cantabit *Dominus vobiscum* et, se convertens ad Altare a sinistris, *Oremus* ac deinde e Missali leget versiculum offertorii.

199. Diaconus stabit post Celebrantem, Subdiaconus post Diaconum, quum Celebrans cantabit *Dominus vobiscum* et *Oremus*: legenti autem versiculum adstabunt a lateribus. Presbyter assistens manebit apud faldistorium a dextra, ut indicet Celebranti quae legenda sint.

200. Cantato a Celebrante *Oremus*, Episcopus rursus et sedebit et mitra cooperietur a primo Diacono assistente.

201. Sedenti Episcopo et mitra cooperto se sistent Cappellani cum libro et scotula; ille autem e Missali leget versiculum Offertorii.

202. Cappellani de throno recedent, Missale et scotulam referent ad abacum et ad locum suum versus thronum redibunt.

203. Lecto Offertorii versiculo, Celebrans conversus super sinistram suam, sedebit rursus in faldistorio, et Diaconus eum cooperiet mitra pretiosa, si licebit uti in illo officio, secus auriphrygiata. Tum Diaconus accedet ad dextram, Subdiaconus ad sinistram Celebrantis, versis humeris ad Altare.

204. Clericus, qui Missale ante Celebrantem sustinebat, referet illud ad abacum et clausum imponet super legili seu cussino et addet etiam Canonem pontificalem.

205. Celebrante sedente, Presbyter assistens utraque manu ex abaco accipiet cussinum cum Missali et Canone, conteget haec fimbriis pluvialis et afferet ad Altare. Transiens ante Celebrantem reverebitur eum, faciet dein genuflexionem aut reverentiam ad Episcopum praeteriens thronum, et genuflexionem aut reverentiam ad Crucem Altaris ante gradus; ascendet in suppedaneum; ponet legile seu cussinum super Altare in latere Evangelii, aperiet Missale quo loco extat Missa celebranda ac supra Missale aperiet Canonem ad Offertorium et ibi expectabit Celebrantem.

206. Presbyterum assistentem euntem, ut supra, ad Altare sequetur clericus qui deferet lancem pro chirothecis Celebrantis, et clericum hunc sequentur duo familiares nobiles, vel alii duo clerici, quorum alter portabit urceum cum pelvi, alter mantile in pelvicula.

207. Clericus cum pelvicula pro chirothecis progressus ante Celebrantem, reverebitur eum, subsistet ante ipsum et sustinebit pelviculam. Diaconus cum osculis extrahet annulum e digito Celebrantis, deinde pariter cum osculis tollet ei chirothecam dexteram et Subdiaconus sinistram eodem modo ac Diaconus: annulus et chirothecae ponentur in pelvicula sustenta a clerico praedicto, qui receptis illis, rursus reverebitur Celebrantem et recedet prope Diaconum.

208. Succedent duo familiares aut clerici lotionem afferentes, qui reverentiam ad Celebrantem conficient: Ministri accipient mantile quod extendent in gremio Celebrantis: familiaris urceum sustinens, effundet aquam super manus Celebrantis, supponens pelvim: familiares haec peragent stantes, non genuflexi, respectu Episcopi ordinarii qui adest. Celebrans

manus absterget mantili a Ministris sustento. Postea familiares vel clerici iterabunt reverentiam ad Celebrantem et revertentur ad abacum, super quo res supra indicatas deponent.

209. Diaconus a clerico, qui sustinebit lancem cum chirothecis, accipiet annulum Celebrantis et ipsi rursus inseret in digitum. Clericus ille, tradito annulo, transibit post faldistorium et lancem cum chirothecis in abaco deponet.

210. Lotis a Celebrante manibus, Subdiaconus, post familiares nobiles, ibit ad abacum: imponetur ei super humeros velum humerale; calicem cum purificatorio, patena, hostia et palla accipiet ac deferet ad Altare, curans ut ibi adsit quo tempore adveniet Celebrans.

211. Acolythus unus sumet ex abaco ampullas cum pelvicula, sequetur Subdiaconum euntem ad Altare, easque ponet super Altari et subsistet in angulo a latere Epistolae, postquam Subdiaconus calicem in Altari posuerit.

212. Celebrans, rursus in digitum eius inserto annulo, assurget de faldistorio et procedet ad Altare, adstantibus Diacono dextrorsum et sinistrorsum Caeremoniario, sequente cappellano a mitra. Priusquam perveniat ad medium Altaris, reverebitur Episcopum, qui nullum faciet benedicentis signum, sed salutationi respondebit assurgens de sede aliquantum et inclinationem faciens. Diaconus reverentiam aut genuflexionem ante Episcopum exsequetur et clericus a mitra genuflexionem. Assistentes Episcopo consurgent et Presbyter assistens ad Episcopi dexteram accedet.

213. Celebranti ante Altare progresso Diaconus mitram tollet. Ille reverentiam, hic genuflexionem aut reverentiam ad Crucem faciet. Ascendent ad Altare, quod Celebrans osculabitur in medio; aderit ibi Subdiaconus cum calice, et Celebrans peraget oblationem Hostiae, ut in aliis Missis. Presbyter assistens indicabit ei quae facienda quaeque dicenda sint, sustinens Canonem super Altare. Diaconus vinum in calicem, ut in aliis Missis, infundet.

214. Thuriferarius Celebrantem euntem ad Altare sequetur, et cum debitis genuflexionibus accedet ad thronum. Conscenso throno, tradet naviculam Presbytero assistenti, qui ad-

stabit dexterae Episcopi, thuribulum aperiet ac genibus flexis illud Episcopo praesentabit. Presbyter assistens cum osculis usitatis ministrabit incensum, quod Episcopus in thuribulum demittet, recitans formulam *Per intercessionem* etc. et benedicet.

215. Profecto de throno thuriferario, Subdiaconus, dextera sumpta ampulla aquae, se convertet ad Episcopum, genuflectet vel cum profunda reverentia ostendet illam Episcopo et petet benedictionem, dicens *Benedicite, Reverendissime Pater.* Episcopus benedicet aquam, dicens *In nomine Patris* etc. Oratio enim *Deus qui humanae substantiae* etc. eo quod respiciat essentiam sacrificii, ut alio loco notavimus, a solo Celebrante recitanda est.

216. Celebrans subiunget orationem *Deus, qui humanae* etc. quin faciat Crucis signum super aquam, quam Subdiaconus in calicem infundet.

217. Calix a Celebrante et Diacono offeretur, et Subdiaconus recepta patena, descendet ante Altare, ut in aliis Missis solemnibus.

218. Diaconus, tradita Subdiacono patena, accipiet a Caeremoniario vel a thuriferario thuribulum, in quo iam positum erit incensum ab Episcopo, et tradet Celebranti, qui oblata et Altare thurificabit.

219. Presbyter assistens Celebranti amovebit ab Altari Missale et Canonem cum cussino seu legili, dum incensabitur latus Altaris, in quo erit.

220. Interim prope Altare aderit clericus cum mitra pretiosa Celebrantis si adhibebitur, secus cum auriphrygiata. Praesto erunt etiam familiares nobiles, vel iis absentibus, duo clerici cum apparatu lotionis manuum pro Celebrante.

221. Celebrans, completa Altaris thurificatione, thuribulum tradet Diacono.

222. Idem a suo Caeremoniario mitra rursus cooperietur, et a Diacono duplici ductu incensabitur.

223. Celebrante a Diacono thurificato, procedent clerici vel familiares afferentes manuum lotionis instrumenta: Celebrans ablutas manus absterget mantili, quod ipsi praebebit unus ex clericis aut familiaribus praedictis, quos tamen non

benedicet ob rationem superius allatam: abstersis manibus, restituet mantile, et familiares aut clerici redibunt ad abacum, ubi deponent urceum, pelvim et mantile. Priusquam Celebrans dicat *Gloria Patri* in fine psalmi *Lavabo*, Caeremoniarius tollet ei mitram, quae a clerico custode ipsius super abacum deponetur.

224. Dum Diaconus thurificabit Celebrantem, Presbyter assistens Episcopo relinquet biretum in scabello, descendet de throno et ante Episcopum subsistet.

225. Diaconus, thurificato Celebrante, accedet ad thronum cum debitis reverentiis et Presbytero assistenti tradet thuribulum.

226. Episcopus assurget ac iunget manus.

227. Presbyter assistens adolebit Episcopum triplici ductu, salutans eum ante et post thurificationem.

228. Episcopus, thurificatione accepta, benedicet Presbyterum assistentem et sedebit.

229. Presbyter assistens thuribulum reddet Diacono et redibit ad thronum, consistet ante scabellum et biretum manu sustinebit.

230. Diaconus adolebit Presbyterum assistentem, deinde primum Diaconum assistentem: iterabit reverentiam vel genuflexionem ante Episcopum, et secundum Diaconum assistentem adolebit.

231. Assistentes, accepta thurificatione, sedebunt, et Diaconus adolebit Canonicos et Clerum quo ordine traditum est cap. V. lib. I.

232. Presbyter assistens Celebranti advertet ut Canonem amoveat a cussino seu legili, quando Celebrans recitaturus erit orationes secretas e Missali, et reponat illum pro reliqua Missa.

233. Celebrans praefationem cantare non incipiet, nisi quum nunciabitur ei, ut peragi possit totius chori thurificatio.

234. Sub finem thurificationis chori, assistentes Episcopo consurgent, et secundus Diaconus mitram Episcopo tollet.

235. Assurget Episcopus, et Celebrans cantabit *Per omnia saecula* etc. ante praefationem.

236. Cappellanus a mitra afferet ad Altare mitram auriphrygiatam, accipiet pretiosam, si licebit uti et redibit prope thronum.

237. Post verba *Gratias agamus* etc. quia iam completa erit Canonicorum thurificatio, descendent ipsi de stallis suis in medium chorum ut efficiant circulum, advertentes ut consuetas reverentias exsequentur ad Altare et ad Episcopum.

238. Interea a duobus clericis statuetur ante Altare pro Episcopo faldistorium cum pulvinis et praesto erunt quatuor aut sex clerici cum intorticiis, quae deferenda erunt ad *Sanctus*.

239. Cantato a Celebrante *Gratias agamus* etc. Presbyter assistens reverebitur Episcopum, descendet de throno seque adiunget ceteris Canonicis in circulo.

240. Praefatione cantata, Celebrans recitabit *Sanctus* cum Ministris, quod faciet etiam Episcopus cum Canonicis.

241. Episcopus postquam recitaverit *Sanctus*, benedicet Canonicos, qui cum debitis reverentiis ad sua subsellia redibunt; sedebit et a primo Diacono assistente imponetur ei mitra pretiosa, si licebit uti, secus auriphrygiata: accipiet deinde baculum sinistra, de throno descendet ac benedicet Clerum.

242. Episcopo ad Altare procedenti adstabunt a lateribus Diaconi assistentes, qui fimbrias pluvialis eius sustinebunt, sequetur Caudatarius sustentans extremitatem posteriorem vestis illius, post Caudatarium incedent duo cappellani a mitra et baculo.

243. Interim clerici gestantes intorticia procedent ante Altare, genuflectent ad Altare, dein ad Episcopum, ac ne tergum ad ipsum vertant, subsistent ante Altare, sed a latere, facie ad invicem versa, ibique geniculabunt. Thuriferarius in promptu habebit thuribulum pro elevatione.

244. Episcopus ante faldistorium progressus, dimittet baculum et a secundo Diacono assistente nudabitur mitra et pileolo, tum geniculabit in faldistorio, super quo Diaconi assistentes fimbrias pluvialis extendent.

245. Omnes ii, qui aderunt cum Episcopo, geniculabunt, videlicet Diaconi assistentes a lateribus eius, Caudatarius et Cappellani praedicti post eum.

246. Episcopo genuflexo ante Altare, advertet Subdiaconus, ut recedat aliquantulum versus partem Epistolae, ne directe ad Episcopum convertat humeros.

247. Peracta Hostiae et Calicis elevatione, assurget Episcopus et attollentibus fimbrias pluvialis Diaconis assistentibus, genuflectet utroque genu ad SS. Sacramentum, quod aderit in Altari et idipsum facient Diaconi assistentes et Cappellani, qui aderunt cum eo.

248. Diaconus primus assistens pileolum et mitram seu pretiosam sive auriphrygiatam reponet Episcopo, qui recepto sinistra baculo, ad thronum redibit, nec benedicet Clerum, ut fecit in accessu ad Altare.

249. Clerici duo faldistorium cum pulvinis amovebunt a medio presbyterio et ponent seorsim.

250. Reversus ad thronum Episcopus sedebit, dimittet baculum et a secundo Diacono assistente nudabitur mitra et pileolo.

251. Episcopus assurget et stabit paullulum conversus ad Altare.

252. Clerici qui ad elevationem sustinuerunt intorticia, statim ac de faldistorio discesserit Episcopus, consurgent et coeuntes ante Altare, genua flectent ad Sacramentum, redibunt ad abacum aut in Sacristiam et extinguent intorticia.

253. Sub finem cantus orationis *Pater noster*, Canonici descendent ad circulum et quum venerint in medium, genuflectent ad Sacramentum, utroque genu, deinde salutabunt Episcopum.

254. Episcopus recitabit *Agnus Dei* cum Canonicis quos postea benedicet, iique iterata ad Episcopum reverentia et ad Sacramentum genuflexione duplici, ad subsellia sua revertentur.

255. Celebrans cum Ministris suis recitabit *Agnus Dei*. Presbyter assistens adstabit ei sinistrorsum ad Missale, Diaconus a dextera Celebrantis et Subdiaconus a dextera Diaconi. Recitato *Agnus Dei*, tres praedicti Ministri genuflectent, Presbyter assistens discedet de Altari et cum debita genuflexione aut reverentia ad Episcopum quando praeteribit ante thronum, veniet in chorum et consistet ante locum Presbyteri assistentis

Episcopo. Diaconus transibit ad sinistram Celebrantis, ut assistat ad librum, et Subdiaconus manebit loco suo.

256. Presbyter assistens Episcopo, postquam in circulo recitaverit *Agnus Dei*, non genuflectens ad SS. Sacramentum, discedet a suis collegis et iunctis manibus recta ibit ad Altare, ubi geniculabit in suppedaneo a dextris Celebrantis. Quum hic recitaverit orationem *Domine Iesu Christe qui dixisti* etc. assurget Presbyter assistens, et eodem tempore cum ipso Celebrans osculatus Altare donabit Pacem Presbytero assistenti Episcopo, imponens manus humeris eius et dicens *Pax tecum*, cui Presbyter assistens respondebit *Et cum spiritu tuo*.

257. Idem Presbyter assistens genuflectet ad Sacramentum, descendet de Altari et sine ulla reverentia ascendet directe ad thronum, et Pacem praebebit Episcopo dicens ei *Pax tecum*, manus autem non imponens humeris eius sed supponens brachiis. Diaconi assistentes fimbrias pluvialis Episcopi sustollent.

258. Presbyter assistens postquam pacem dederit Episcopo, descendet de gradulo cathedrae, reverentia profunda salutabit Episcopum, descendet a latere de throno et redibit in chorum ad stallum suum.

259. Diaconus primus assistens, iunctis manibus ascendet in gradulum cathedrae, pacem ab Episcopo accipiet, respondens illi *Et cum spiritu tuo*, descendet de gradulo, reverebitur Episcopum et ad eius dexteram redibit. Hoc ipsum deinde faciet secundus Diaconus assistens et redibit ad sinistram.

260. Presbyter assistens Episcopo, reversus in chorum ad locum suum, donabit Pacem Presbytero assistenti Celebranti, qui comitante Caeremoniario, donabit illam primae Dignitati, quae supra Presbyterum assistentem sedebit, deinde Canonico, qui assidebit post Presbyterum assistentem, atque ita de ceteris, ordine declarato cap. VI. lib. I.

261. Interim Cappellani a libro et scotula recipient ex abaco Missale et scotulam pro Episcopo.

262. Quum Celebrans communicaverit et Communionem etiam acceperint sacri Ministri, si vigebit usus, Episcopus sedebit et a primo Diacono assistente reponetur ei pileolus cum mitra pretiosa, si adhibebitur, secus auriphrygiata.

263. Clericus recipiet mitram Celebrantis et consistet prope gradus Altaris. Praesto erunt etiam familiares aut clerici cum instrumentis lotionis pro Celebrante.

264. Dum Celebrans sumet ablutionem, Presbyter eius assistens apponet Canonem pedi Crucis, et Missale super cussino seu legili.

265. Sedenti, ut supra, Episcopo se sistent Cappellani cum scotula et Missali, ex quo ipse leget versiculum *Communio*, postea rursus recedent, accipientes Canonem, si opus fuerit.

266. Celebrans, mitra coopertus a Diacono, lavabit manus: tum mitram dimittet et leget ℣. *Communio*.

267. Lecto a Celebrante ℣. *Communio*, secundus Diaconus assistens tollet mitram Episcopo, qui assurget.

268. Celebrans cantabit *Dominus vobiscum*, cum orationibus, et rursus cantato *Dominus vobiscum*, cantabitur a Diacono *Ite, Missa est*, vel *Benedicamus Domino*, iuxta ritum et hoc ipso tempore Celebrans recitabit orationem *Placeat tibi* etc. ut paratus sit ad benedictionem solemnem Episcopi.

269. Interim praesto erunt apud thronum Cappellani cum Canone pontificali et scotula, itemque afferetur ad Altare libellus seu tabella cum formula Indulgentiae.

270. Responso a choro *Deo gratias*, vel sonantibus organis primus Diaconus assistens reponet Episcopo mitram pretiosam aut nisi licebit uti, auriphrygiatam.

271. Celebrans osculabitur Altare et recedet in latus Epistolae se convertens ad Episcopum: Presbyter assistens eodem statu in gradu infra Celebrantem, Diaconus in altero gradu infra Presbyterum assistentem et eodem statu, Subdiaconus in infimo gradu vel in plano et statu eodem.

272. Episcopus, mitra coopertus a primo Diacono assistente, assurget seque pollice signans in pectore, cantabit *Sit nomen Domini* etc. chorus autem respondebit *Ex hoc nunc* etc. Deinde se signans a fronte ad pectus, cantabit *Adiutorium nostrum* etc. et respondebitur *Qui fecit* etc. Postea manus expandens et oculos elevans ad Coelum, cantabit *Benedicat vos omnipotens Deus*, accipiet sinistra baculum, et benedicet versus sinistram suam, dicens *Pater*, in medio dicens *et Filius* et a dextris suis dicens *et Spiritus Sanctus*. Chorus respondebit *Amen*.

273. Diaconi assistentes fimbrias pluvialis Episcopi in hac actione sustollent.

274. Cappellanus a libro, adstans in pedes et sustinens adhuc librum apertum, recedet paullulum ad sinistram Episcopi, ne conspectum adstantium ipsi impediat.

275. Celebrans et Canonici ad benedictionem Episcopi se profunde inclinabunt, ceteri omnes procumbent in genua.

276. Sin autem esset Archiepiscopus, dum cantabitur *Ite Missa est* vel *Benedicamus Domino*, Cappellanus crucifer accipiet Crucem archiepiscopalem eamque deferet ad thronum, subsistens genibus flexis in infimo gradu et imagine Crucifixi versa ad Archiepiscopum, qui benedictionem donabit sine mitra, et priusquam dicat *Pater*, se inclinabit ad Crucem archiepiscopalem, tum accipiet baculum pastoralem et benedictionem impertietur.

277. Benedictione largita, Episcopus sedebit: Celebrans autem conversus ad populum, quicumque sit Altaris situs, leget formulam Indulgentiae, dummodo locus non fuerit sermoni seu sacrae concioni, quo casu iam publicaverit illam Concionator: si igitur formulam leget Celebrans, Diaconus et Subdiaconus adstabunt a lateribus eique, si opus fuerit, sustinebunt librum formulae praedictae.

278. Publicata a Celebrante indulgentia, Episcopus dimittet baculum et a secundo Diacono assistente nudabitur mitra. Si fuerit Archiepiscopus, non reponetur ei mitra, quum brevis sit actus publicationis Indulgentiae.

279. Episcopus assurget, et Celebrans ad Altare recitabit ultimum Evangelium, quod si fuerit S. Ioannis, ad verba *Et Verbum caro factum est*, Episcopus genuflectet in sua cathedra, ut ad *Incarnatus*.

280. Praesto erit apud Altare clericus cum mitra Celebrantis pretiosa, si licebit adhibere, secus auriphrygiata. Aderit alter clericus, qui sustentet extremitatem posteriorem vestis eius, quum exibit e presbyterio. Aderunt etiam ante Altare Acòlythi cum candelabris et ceteri qui comitati fuerunt ipsum in accessu ad Altare.

281. Recitato Evangelio, sedebit Episcopus et a primo Diacono assistente rursus cooperietur mitra.

282. Celebranti quoque, postquam recitaverit ultimum Evangelium, reponetur mitra a Diacono. Postea medius inter Ministros descendet de Altari, se convertet ad ipsum et reverentia profunda salutabit Crucem. Ministri facient reverentiam aut genuflexionem cum Celebrante et recipient bireta, quibus caput cooperient extra presbyterium: Acolythi et ceteri clerici ante Altare genuflectent.

283. Post haec Celebrans cum Ministris et clericis respective conficient reverentiam vel genuflexionem ad Episcopum, qui abstinebit a benedicendo Celebranti, sed aliquantum assurgens, se illi inclinabit.

284. Celebrans cum Ministris et clericis redibunt in Sacristiam, observantes ordinem superius innutum in accessu ad Altare.

285. Profecto de choro cum Ministris Celebrante, accedent ad thronum clerici ad recipienda paramenta Episcopi, qui exuetur illis a Diaconis assistentibus.

286. Cubicularius etiam veniet ad thronum afferens cappam Episcopi.

287. Clerici referent paramenta Episcopi ad Altare, quae ibi ut a principio reponentur a Caeremoniario, et contegentur velo.

288. Interim duo clerici collocabunt faldistorium cum pulvinis ante Altare.

289. Episcopo, paramentis exuto, reponetur cappa a Diaconis assistentibus, adiuvante cubiculario, qui alligabit extremitatem posteriorem eius vestis talaris: deinde Episcopus descendet de throno et accedet ad faldistorium, in quo genibus flexis brevi orabit.

290. Postea associatus a Canonicis et Clero adorabit SS. Sacramentum et ad suam residentiam redibit.

291. Celebrans reversus in Sacristiam, reverebitur Crucem vel imaginem praecipuam illius et sedebit in sede ibi praeparata.

292. Presbyter assistens dimittet statim pluviale, functus officio suo.

293. Interim accendetur scotula utenda in recitandis precibus gratiarum actionis.

294. Diaconus et Subdiaconus consistent a lateribus Episcopi celebrantis, et adiuvantibus clericis, dimittent manipulos, qui ab eisdem clericis referentur ad tabulam, ubi Ministri iidem se paraverunt. Clerici stabunt unus apud alium ante Celebrantem, ut recipiant paramenta.

295. Diaconus tollet Episcopo mitram, Subdiaconus deinde tollet ei manipulum: tum exuent eum planeta, dalmatica, tunicella, stola, Cruce pectorali, cingulo, alba et amictu.

296. Clerici paramenta reportabunt in Sacristiam, in cuius Altari reponentur illa quo ordine disposita fuerant.

297. Cubicularius aderit prope Episcopum cum mantelleto et mozzeta, quibus rursus induet ipsum, adiuvantibus Ministris, postquam sacra indumenta dimiserit.

298. Vestibus ordinariis rursus induto Episcopo, Ministri discedent facta reverentia, et comitati a duobus clericis redibunt apud tabulam, ubi sacras vestes acceperant, ibique eas dimittent.

299. Profectis Ministris, duo clerici cum Canone et scotula se sistent Episcopo, qui leget preces pro gratiarum actione.

300. Cubicularius recipiet calceos usuales, redibit ad Episcopum, tollet ei caligas et sandalia prius de pede et crure dextro, postea de sinistro et rursus inducet ei calceos usuales: caligae autem et sandalia accipientur a clerico in lance et cum aliis paramentis reponentur.

301. Completa gratiarum actione, clerici reverentiam conficient ad Episcopum, et deponent librum et scotulam extinguent.

302. Rebus ita peractis, Episcopus de Sacristia discedet.

303. Ritus praesenti capite descripti servabuntur in circumstantiis a Caeremoniali Episcoporum praevisis, videlicet quando Missa celebrabitur ab Episcopo, qui subiectus aut dependens erit ab Episcopo dioecesano, ut fit si Episcopus habeat suffraganeum in sua Dioecesi, adiumenti caussa, in exercitio ministerii Ordinis, vel Canonicum aliquem charactere episcopali insignitum; demum in Conciliis provincialibus, quum sessionibus praemittitur Missa ab Episcopo provinciali at

suffraganeo solemniter celebrata; siquidem in illa ipsa circumstantia Metropolitanus iurisdictionem quamdam exercet super Episcopos suffraganeos provinciae suae.

304. Quando autem eveniet ut Episcopus extraneus Missam solemnem celebret ante Episcopum dioecesanum, observabuntur quae sequentibus capitulis tradentur.

305. Perpendantur ea, quae a Caeremoniali lib. II. cap. IX. num. 5. 6. 7. praescribuntur.

DE VESPERIS AB EBDOMADARIO PARATO CANTATIS ASSISTENTE EPISCOPO CAPPA INDUTO QUUM POSTRIDIE INDUTUS CAPPA MISSAE SOLEMNI INTERERIT

CAPUT XV.

De rebus praeparandis.

Apud Altare SS. Sacramenti.

1. Genuflexorium cum strato et pulvinis, vel faldistorium ut cap. IV. huius libri.

2. Cerei sex ardebunt in Altari, saltem quando Episcopus ibi orabit in accessu ad ecclesiam et in discessu ab eadem.

Apud Altare maius.

3. Sex candelabra cum cereis et Crux aequalis candelabris, quae plus minusve nobilia erunt pro qualitate officii: pallium coloris respondentis officio: gradus Altaris cooperientur tapeto.

4. A latere Epistolae scamnum apparatum pro Celebrante, nec tamen praeparabitur legile cum Breviario.

5. In medio choro ante Altare praeparabuntur duo scamna sine postergali, contecta panno viridis coloris pro pluvialistis.

6. Ante Altare aderit faldistorium cum pulvinis pro Episcopo.

In abaco.

7. Abacus cooperietur albo mantili et super ipso ponetur antiphonarium instructum tegumento concolore paramentis pro Celebrante, Canon pontificalis et scotula pro Episcopo; Directorium chori adhibendum in praeintonatione antiphonarum, thuribulum cum navicula.

In choro.

8. Thronus Episcopi ornabitur lodice et baldachino coloris respondentis officio. Gradus cooperientur tapeto et in plano aderunt tria scabella pro Assistentibus.

Ad cancellos, sive ingressum Presbyterii.

9. Candelabra maiora cum cereis numero quatuor, ad summum sex.

In Sacrario.

10. Candelabra cum candelis pro Acolythis. Pluviale distinctum cum amictu pro Celebrante: alia pluvialia, duo vel quatuor vel sex numero pro pluvialistis, iuxta qualitatem festi aut ritus, ut notatum fuit cap. 2. lib. II. Vasculum aquae benedictae cum aspergillo, adhibendum pro ingressu Episcopi in ecclesiam.

In functione.

11. Hora praestituta sonabitur campanis: deinde dato signo campanula Sacristiae, proficiscentur Canonici ad associandum Episcopum, ut cap. IV. libri huiusce.

12. Dum Canonici pergent ad Episcopum associandum, Celebrans in Sacristia, adiuvante Caeremoniario, induet sibi

amictum super rocheto aut superpellicio, et pluviale. Ceteri pluvialistae supra superpellicium induent sibi pluviale sine amictu. Acolythi cereos in candelabris accendent.

13. Procedent deinde ad Altare, praeeuntibus Acolythis cum candelabris accensis pluvialistae bini, ultimo loco Celebrans medius inter pluvialistas digniores, qui fimbrias pluvialis eius sustinebunt. Quum ventum erit ad Altare maius, pluvialistae et Celebrans caput nudabunt bireto et, facta ad Crucem reverentia, geniculabunt in infimo gradu.

14. Acolythi, facta genuflexione, recedent ad abacum et in illo candelabra deponent.

15. Celebrans cum pluvialistis, facta brevi oratione, consurgent et reverentia ad Crucem iterata, suum quisque locum occupabunt. Celebrans accedet ad scamnum in latus Epistolae, ibi medius stabit inter pluvialistas digniores, et reliqui pluvialistae consistent ad lineam prope scamnum unusquisque ex parte sua vel a dextris vel a sinistris Celebrantis.

16. Hoc tempore ad ecclesiam accedet Episcopus cappa indutus et in limine asperget adstantes, adorabit SS. Sacramentum in quo Altari asservabitur, ut cap. IV. libri huius.

17. Procedet inde ad Altare maius, et Celebrans si forte sedebit, ingredienti in presbyterium Episcopo assurget.

18. Episcopus benedicet Celebrantem et pluvialistas; hi genuflectent ad benedictionem Episcopi, Celebrans autem se profunde inclinabit.

19. Episcopus, facta ad Crucem reverentia, geniculabit in faldistorio, super quo Caeremoniarius cappam eius extendet.

20. Canonici sua subsellia petent ubi geniculabunt, idque faciet reliquum Cleri. Diaconi assistentes geniculabunt prope Episcopum.

21. Clericus quispiam ex abaco accipiet antiphonarium et consistet apud Celebrantem post pluvialistas.

22. Episcopus, innuente Caeremoniario, assurget, reverebitur Crucem, deinde benedicet Celebrantem et pluvialistas. Transiens autem per chorum benedicet dextera Canonicos et reliquum Cleri.

23. Episcopus, adstantibus a lateribus eius Diaconis as-

sistentibus, ascendet ad thronum, sedebit paulisper et caput ipse suum bireto cooperiet. Cum ipso sedebit omnis chorus et Celebrans etiam paratus.

24. Postquam Episcopus brevi tempore sederit, caput nudabit bireto, quod tradet primo Diacono assistenti, et hic recipiet cum osculis; assurget et submissa voce recitabit *Pater noster* et *Ave Maria.*

25. Surget etiam Celebrans et chorus, ac recitabitur *Pater noster* et *Ave Maria*, ut supra.

26. Clericus cum libro accedet ad Celebrantem, reverebitur ipsum, aperiet librum et apertum sustinebit ante Celebrantem.

27. Celebrans recitato, ut supra, *Pater* et *Ave*, se inclinabit ad Episcopum, deinde signans se, cantabit ℣. *Deus in adiutorium meum intende*, cui respondebit chorus cum *Gloria Patri* cumque *Alleluia* vel *Laus tibi Domine*, pro temporis qualitate. Quum Celebrans signabit se, primus pluvialista attollet eius fimbriam dexteram pluvialis.

28. Quum Celebrans intonuerit ℣. *Deus in adiutorium*, clericus librum claudet, reverebitur Celebrantem et recedet a latere.

29. Interim primus ex ultimis pluvialistis, vel alius, ad quem ex usu cuiusque ecclesiae spectabit in Vesperis praecinere antiphonas, accipiet a Caeremoniario vel a clerico Directorium chori, seu libellum in quo notatae sunt antiphonae, et cantato *Alleluia* vel *Laus tibi Domine*, accedet ad Celebrantem et submissa voce praecinet ei primam antiphonam.

30. Clericus cum libro redibit ante Celebrantem, reverebitur ipsum, aperiet librum et apertum sustinebit ante illum. Pluvialista primus illi indicabit antiphonam. Celebrans primam antiphonam intonabit.

31. Antiphona intonata, clericus praedictus librum claudet, reverebitur Celebrantem, librum referet ad abacum et redibit ad locum suum.

32. Chorus antiphonam canendo prosequetur.

33. Primi duo pluvialistae manebunt a lateribus Celebrantis, quia cum ipso sedebunt in eodem scamno.

34. Ceteri pluvialistae procedent in medium, genuflectent ad Altare et ad Episcopum et venient ad scamnum ipsis in presbyterio praeparatum. Primi pluvialistae, nisi cum Celebrante sederint, coibunt cum ceteris, et facta ad Altare et ad Episcopum genuflexione, accedent ad scamnum, ut supra.

35. Sub finem cantus antiphonae cantores duo superpellicio induti procedent ante Altare et facta genuflexione ad Altare et ad Episcopum, finito antiphonae cantu, intonabunt primum psalmum. Quo intonato, duo praedicti cantores cum mediocri inclinatione se convertent ad illam chori partem, quae prosecutura erit cantum, deinde facta ad Altare et ad Episcopum genuflexione et mutua inter se reverentia, redibunt ad locum suum.

36. Psalmo, ut supra, intonato considebunt omnes et cooperient caput. Episcopo biretum tradet cum osculis primus Diaconus assistens, et Celebranti pluvialista primus qui dexterae eius assidebit, aut si pluvialistae non considebunt cum Celebrante, tradet ei biretum Caeremoniarius.

37. Sedente post intonationem psalmi Episcopo, Presbyter assistens de suo stallo discedet, et facta ad Altare dein ad Episcopum ante thronum reverentia, ascendet in planum throni et in scabello ibi praeparato sedebit.

38. Ad *Sicut erat* in *Gloria Patri* ultimus pluvialista, si plures erunt quam duo, secus Beneficiarius vel alius qui ex usu ecclesiae debebit antiphonas intonare, librum ferens secum intonationum, discedet de loco suo et cum debitis reverentiis aut genuflexionibus accedet ad chorum et subsistet ante digniorem, qui debebit secundam antiphonam intonare.

39. Quum sive organorum sono, sive a cantoribus antiphona prima repetita erit, Beneficiarius praedictus reverebitur eum, qui secundam antiphonam intonare debebit. Hic assurget, cumque ipso Clerus omnis ex utraque parte consurget. Beneficiarius aut pluvialista vel alius quispiam submissa voce praecinet ei secundam antiphonam, quae ab illo alta voce intonabitur, ac tum qui intonavit tum qui praeintonavit antiphonam, iterabunt reverentiam ad invicem, deinde qui intonavit sedebit et cum ipso universus chorus.

40. Quando intonabuntur in choro quatuor psalmorum antiphonae, Episcopus cum suis assistentibus sedebit et Celebrans cum pluvialistis. Hi tamen eunte ultimo pluvialista ad praecinendam antiphonam, et redeunte, caput bireto nudabunt salutandi gratia.

41. Pluvialista vel Beneficiarius qui praecinuit antiphonam, cum debitis reverentiis aut genuflexionibus ad locum suum reveniet.

42. Sub finem cantus antiphonae secundae, duo supradicti cantores superpellicio induti redibunt ante Altare, et psalmum secundum intonabunt, ut supra.

43. Eadem methodus servabitur in intonatione antiphonarum et psalmorum sequentium.

44. Sub finem repetitionis quintae antiphonae consurgent pluvialistae sedentes in presbyterio, genuflectent ante Altare deinde ad Episcopum et venient ante Celebrantem, quem salutabunt.

45. Interim Caeremoniarius invitabit Beneficiarium vel alium, ad quem attinebit cantare Capitulum eumque, tradito ipsi libro, adducet cum debitis reverentiis ad locum, quo cantatur Epistola, ea tamen animadversione, ut neque ad Altare, neque ad Episcopum humeros convertant.

46. Completa quintae antiphonae repetitione, caput nudabunt Episcopus et Celebrans, qui biretum tradent ille primo Diacono, hic primo pluvialistae: item caput aperiet et consurget Clerus in choro.

47. Cantabitur Capitulum a Beneficiario vel alio, ut supra, qui post cantum illius ad locum suum redibit cum eisdem reverentiis aut genuflexionibus.

48. Interea praesto erit clericus cum libro, qui se sistet Celebranti in actu intonationis, ut superius innutum est.

49. Responso a choro *Deo gratias* in fine Capituli, pluvialista qui Celebranti praecinuerit antiphonam primam, accedet ad eum et submissa voce ipsi praecinet hymnum.

50. Celebrans e libro sibi obiecto a clerico intonabit hymnum, quem in cantu prosequetur chorus.

51. Clericus cum libro recedet ad abacum, et pluvialistae, facta ad Celebrantem reverentia, revenient ante Altare,

genuflectent ad Altare et ad Episcopum, tum redibunt ad scamnum suum, ubi stabunt.

52. Sub hymni finem curae erit thuriferario praeparare ignem in thuribulo et in promptu illud habere, ut deinceps.

53. Item sub hymni finem, duo cantores induti superpelliceo, qui psalmos intonuerint, vel ultimi duo pluvialistae, si plures erunt quam duo, procedent ante Altare et cantabunt Versiculum.

54. Dum a choro respondebitur Versiculo, pluvialistae facta ad Altare et ad Episcopum genuflexione, redibunt ante Celebrantem.

55. Praesto erit clericus cum libro pro Celebrante.

56. Unus e primis Pluvialistis submissa voce praecinet Celebranti antiphonam ante *Magnificat*.

57. Celebrans e libro, ut supra, obiecto a clerico intonabit antiphonam praedictam, qua intonata, sedebit et caput bireto cooperiet.

58. Clericus cum libro recedet apud abacum.

59. Pluvialistae adstabunt in pedes prope Celebrantem.

60. Thuriferarius ad thronum accedet, genuflectens prius ad Altare, postea ad Episcopum, antequam ad thronum ascendat.

61. Intonata a Celebrante antiphona, Episcopus sedebit et caput coperiet bireto.

62. Presbyter assistens accedet ad dexteram Episcopi, Diaconi assistentes stabunt.

63. Chorus dum cantabitur antiphona praedicta, sedebit,

64. Thuriferarius, conscenso throno, naviculam tradet Presbytero assistenti et genuflexus in gradulo cathedrae apertum Episcopo thuribulum praesentabit.

65. Episcopus, ministrante Presbytero assistente, incensum in thuribulum iniiciet cum usitata formula et benedictione.

66. Thuriferarius assurget, claudet thuribulum et recepta navicula, cum debitis genuflexionibus procedet ad Altare et consistet in latere Epistolae.

67. Circa finem cantus antiphonae duo cantores induti superpellicio procedent ante Altare et absoluto cantu antiphonae intonabunt *Magnificat*.

68. Ad hanc intonationem Episcopus, Celebrans et chorus nudabunt caput bireto omnesque consurgent.

69. Cantores intonato Cantico praedicto, factis ut supra genuflexionibus revertentur ad locum suum.

70. Celebrans medius inter pluvialistas de scamno discedet, ac priusquam perveniant ante Altare, Celebrans reverentiam ad Episcopum, pluvialistae genuflexionem conficient. Sic ante Altare, Celebrans reverentiam ad Crucem faciet, pluviastiae genuflexionem. Ascendet ad Altare Celebrans cum duobus pluvialistis dignioribus et reliqui, si aderunt, subsistent ante Altare. Celebrans Altare in medio osculabitur et pluvialista primus acceptum a thuriferario thuribulum cum osculis tradet Celebranti, qui Altare adolebit.

71. Celebrans, thurificato Altari, thuribulum tradet primo pluvialistae, qui recepto thuribulo cum osculis, descendet a latere de gradibus Altaris.

72. Celebrans subsistet in latere Epistolae eodem modo, quo stat Celebrans post introitum in Missis solemnibus, et pluvialista praedictus duplici ductu Celebrantem adolebit.

73. Pluvialista, thurificato Celebrante, thuribulum restituet thuriferario qui cum debitis genuflexionibus ad thronum redibit.

74. Pluvialistae primus et secundus, qui simul erant in thurificatione Celebrantis, ascendent ad Celebrantem rursus, cum eo de Altari descendent, se addent ceteris pluvialistis, si aderunt, et reverentia aut genuflexione respective iterata ad Altare, deinde ad Episcopum, ad scamnum Celebrantis redibunt.

75. Ibi Celebrans consistet: pluvialistae autem, facta ad ipsum reverentia, revenient ante Altare et genuflectent, deinde genuflectent ad Episcopum et redibunt ad locum suum, quo sedebant.

76. Approximante ad thronum thuriferario, descendet de throno Presbyter assistens, qui accepto a thuriferario thuribulo, stans thurificabit Episcopum triplici ductu.

77. Episcopus, accepta thurificatione, benedicet Presbyterum assistentem.

78. Caeremoniarius eodem tempore deducet ante thronum Beneficiarium, seu qui debebit thurificationem peragere.

79. Presbyter assistens, post thurificatum Episcopum, thuribulum tradet illi, qui debebit adolere chorum et ad scabellum suum in thronum redibit.

80. Beneficiarius vel alius, ut supra, adolebit Presbyterum assistentem, primum et secundum Diaconum assistentem, deinde Dignitates et Canonicos, tum pluvialistas, postremo reliquos de choro.

81. Cantores, sive chorus, advertent ne cantent *Gloria Patri* post *Magnificat*, nisi quum completa erit thurificatio.

82. Ad *Sicut erat* in *Gloria Patri*, sedebit Episcopus, Celebrans et chorus.

83. Presbyter assistens reverebitur Episcopum, et descendens a latere de throno redibit in chorum ad locum suum.

84. Acolythi ex abaco accipient candelabra cum candelis accensis, procedent ante Altare et genuflectent, deinde conversi ad Episcopum genuflectent ad ipsum, tum venient ante Celebrantem, salutabunt eum et consistent a lateribus eius, facie ad invicem conversa.

85. Pluvialistae de scabellis, in quibus sedebant, consurgent et facta cum Acolythis ad Altare et ad Episcopum genuflexione, consistent ante Celebrantem.

86. Clericus a libro accipiet ex abaco librum et veniet ante Celebrantem, cui facta reverentia, sustinebit librum apertum.

87. Absoluta sive a choro, sive organorum sono repetitione antiphonae, assurget Episcopus, Celebrans et chorus.

88. Celebrans stans, iunctis manibus et paullulum conversus ad Altare, cantabit *Dominus vobiscum*, deinde orationem.

89. Hoc tempore Cappellani a libro et scotula pro Episcopo discedent de stallis suis, accipient ex abaco canonem cum scotula et consistent ad thronum prope secundum Diaconum assistentem.

90. Duo cantores superpellicio induti, qui psalmos intonuerint, procedent ante Altare ad cantandum versiculum alius commemorationis, si fiet, et *Benedicamus Domino*.

91. Si qua fiet commemoratio, cantabitur antiphona a choro, versiculus a cantoribus, oratio a Celebrante.

92. Post orationem Celebrans cantabit *Dominus vobiscum.* Clericus cum libro recedet ad abacum, et Acolythi methodo superius tradita referent ad abacum candelabra. Pluvialistae a lateribus Celebrantis non discedent.

93. Duo supra dicti cantores cantabunt *Benedicamus Domino* et dum a choro vel organorum sono respondebitur *Deo gratias*, redibunt ad locum suum.

94. Interim primus Diaconus assistens caputium cappae imponet capiti Episcopi, vel tradet ei biretum, quo caput cooperiet.

95. Se sistent Episcopo duo Cappellani a libro et scotula, qui ne conspectum adstantium illi impediant, consistent aliquantum a latere.

96. Post responsionem ad *Benedicamus Domino*, Episcopus benedictionem donabit cum solita formula *Sit nomen Domini* etc.

97. Sin autem esset Archiepiscopus, benedictionem impertietur capite nudato, non cooperto caputio cappae, nec bireto. Cappellanus a Cruce pro hac actione deferet ante thronum Crucem archiepiscopalem, et Archiepiscopus priusquam dicat *Pater*, reverentiam faciet ad Crucem Archiepiscopalem.

98. Ad benedictionem Episcopi geniculabunt omnes, exceptis Celebrante, Canonicis et Praesulibus, si qui aderunt.

99. Benedictione ab Episcopo donata, recedent Cappellani a libro et scotula, referentes haec ad abacum.

100. Clerici duo statim reponent ante Altare faldistorium pro Episcopo.

101. Episcopus, impertita benedictione, de capite sibi detrahet biretum, vel tolletur caputium cappae a secundo Diacono assistente. Ad nutum Caeremoniarii de throno descendet ad faldistorium, in quo geniculabit ac brevi tempore orabit.

102. Celebrans cum pluvialistis stabunt; ceteri omnes qui aderunt in choro, procumbent in genua simul cum Episcopo.

103. Postea Episcopus assurget, reverebitur Crucem Altaris et benedicet Celebrantem ac pluvialistas. Celebrans se inclinabit versus Episcopum et pluvialistae geniculabunt.

104. Cum Episcopo consurgent Canonici et ceteri qui sequentur et associabunt ipsum.

105. Episcopus adorabit SS. Sacramentum, deinde ad suam residentiam redibit.

106. In discessu Episcopi de ecclesia sonabunt campanae et organa, si haec sonuerint ad Vesperas.

107. Profecto de Altari Episcopo, Celebrans cum pluvialistis, praeeuntibus Acolythis cum candelabris, revertentur in Sacristiam, servando ordinem innutum in accessu ad Altare, et pluvialia deponent.

108. Episcopus assistet Vesperis indutus cappa, quum postridie assistet etiam Missae, cappa non pluviali vestitus.

ASSISTENTIA EPISCOPI ORDINARII CAPPA INDUTI IN VESPERIS SOLEMNIBUS AB EPISCOPO EXTRANEO CELEBRATIS.

CAPUT XVI.

1. Si Episcopus velit postridie Missae solemni assistere pluviali paratus, necesse est, ut ipsemet in primis Vesperis sacra paramenta induat, ac Vesperas intonet celebretque. Sin autem et Missae solemni assistet indutus cappa, ac si Vesperas celebrabit Episcopus extraneus, servabitur ordo, quem heic subiicimus.

De rebus praeparandis.
Apud Altare SS. Sacramenti.

2. Praeparabitur ante Altare faldistorium cum pulvinis, vel genuflexorium cum strato et pulvinis, ut cap. IV. libri huius.

3. Altare plus minusve ornabitur pro qualitate festi: ta-

petum super gradus sternetur: pallium erit respondens officio, et in Altari ardebunt sex cerei, saltem quando Episcopus ibi orabit in accessu ad ecclesiam et in discessu ex eadem.

Ad Altare maius.

4. Thronus instruetur lodicibus et baldachino coloris respondentis officio: aderunt tria scabella pro Assistentibus et gradus tapeto cooperientur.

5. Altare plus minusve exornabitur, prout requiret qualitas festi et officii, sex candelabris cum cereis albis et Cruce simili candelabris, quae erunt vel argento, vel auro colorata: super mensa ponentur tres tobaleae consuetae: apponetur pallium et super gradibus tapetum. Poterit etiam tapetis sterni pavimentum Presbyterii. In medio infimo Altaris gradu ponetur pro Celebrante pulvinus aequalis paramentis: et in latere Epistolae ante gradus faldistorium cum tegumento respondente

6. In latere eodem aderit abacus albo mantili contectus, in quo praeparabitur antiphonarium instructum tegumento simili paramentis, thuribulum cum navicula, Canon pontificalis et mitra auriphrygiata sive auro intexta, nisi licebit uti pretiosa.

7. In Presbyterio scamna sine postergali, contecta panno viridi pro Pluvialistis: super ipsis aderit libellus pro antiphonis praeintonandis, qui dicitur Directorium chori.

8. In medio presbyterio ante Altare statuetur faldistorium cum pulvinis pro Episcopo dum ibi orare debebit.

9. Si Dioecesanus erit Archiepiscopus, in latere Evangelii praeparabitur basis ad stabiliendam Crucem archiepiscopalem.

10. Ad balaustrium seu cancellos disponentur sex candelabra maiora cum intorticiis aut cereis.

In Sacristia.

11. Super altari disponentur paramenta Celebrantis, videlicet pluviale cum stola, Crux pectoralis, cingulum, alba et amictus, quae contegentur velo eiusdem coloris ac reliqua

paramenta. In latere Evangelii ponetur mitra pretiosa cum vimpa seu velo pro clerico illam gestaturo. Nisi licebit uti mitra pretiosa, loco huius ponetur altera auriphrygiata.

12. Ante Altare vel in alia parte Sacristiae non procul ab Altari, ut commodius videbitur, praeparabitur sedes cameralis pro Celebrante super exiguo tapeto.

13. Super usitatis tabulis Sacristiae disponentur quatuor aut sex pluvialia induenda a pluvialistis, et eorum numerus dependet a qualitate festi, ut cap. 2. lib. II. num. 68. et 69. Praeparabuntur etiam duo candelabra cum cereis albis gestanda ab Acolythis, superpellicia cum biretis pro eisdem pluvialistis et superpellicia pro clericis inservientibus. Vasculum aquae benedictae cum aspersorio adhibendum in accessu Episcopi ad ecclesiam.

In Functione.

14. Hora praestituta sonabitur campanis festivo more et Clerus in Sacristiam congregabitur. Aderit etiam Episcopus celebrans, qui sedebit in sede ad hanc rem praeparata.

15. Unusquisque de Clero induet superpelliceum vel aliud insigne legitime adhibitum. Clerici inservientes et pluvialistae induentur superpellicio. Acolythi, sibi induto superpellicio accendent cereos in candelabris, quae in officio gestanda erunt.

16. Innuente Caeremoniario, duo pluvialistae assistentes Celebranti, adiuvantibus clericis, induent pluviale, procedent ante Celebrantem, salutabunt ipsum, deinde venient ad latera eiusdem, primus videlicet ad dexteram, alter ad sinistram.

17. Distribuentur clericis paramenta Celebrantis, quibus acceptis, unus post alium vadent ante illum ad suppeditanda eadem paramenta.

18. Interea sonabitur campanula Sacristiae et Canonici cum Clero proficiscentur ad associandum Episcopum quo ordine notatum fuit cap. IV. huiusce libri.

19. Advenientibus clericis cum paramentis, Celebrans caput nudabit bireto, quod tradet primo pluvialistae et hic transmittet Cappellano, vel Cubiculario illius. Deinde idem pluvialista primus, adiuvante secundo, tollet ei Crucem pe-

ctoralem, mozzetam aut mantelletum, quod recipietur a Cubiculario, et hic advertet etiam ut expediat eius posteriorem extremitatem vestis.

20. Idem primus pluvialista, adiuvante pariter secundo, Celebrantem induet amictu, alba, cingulo, Cruce pectorali, stola et pluviali.

21 Quum parabitur Celebrans, reliqui duo aut quatuor pluvialistae, induent, adiuvantibus clericis, pluviale supra superpellicium et manu sustinebunt biretum.

22. Postquam pluvialista primus pluviali induerit Celebrantem, veniet ante eum et reverebitur, mitram eius capiti imponet, ac reverentia iterata, redibit ad dexteram illius. Duo pluvialistae assistentes recipient biretum et manu sustinebunt.

23. Ad nutum Caeremoniarii, Acolythi accipient candelabra cum cereis accensis, sequentur ceteri clerici inservientes et pluvialistae, qui coeuntes in medium Sacristiae, salutabunt Celebrantem.

24 Assurget Celebrans, se convertet ad Altare et una cum suis Assistentibus reverebitur Crucem vel imaginem praecipuam Sacrarii et ad Altare ordine sequenti procedetur:

25. Praeibit claviger ecclesiae, si aderit, tum duo Acolythi cum candelabris, sequentibus binis clericis inservientibus: post ipsos incedent pluvialistae duo primi cantores, iunctis manibus et bireto capiti imposito, deinde reliqui duo pluvialistae, si aderunt, ut supra diximus, postremo Celebrans medius inter pluvialistas assistentes, qui fimbrias pluvialis eius sustentabunt, quos sequetur clericus a mitra et caudatarius, qui extremitatem posteriorem eius vestis talaris sublevabit.

26. Ad fores Sacristiae recipiet vel sumet unusquisque aquam benedictam, ac si transeundum erit ante Altare SS. Sacramenti, id observabitur quod cap. IV. lib. II. num. 21. descriptum fuit.

27. Acolythi pervenientes ad Altare, dirimentur et subsistent in extremitatibus graduum Altaris: clerici inservientes post Acolythos unus post alium ad lineam: pluvialistae cum Celebrante procedent ante Altare, et duo pluvialistae assistentes biretum tradent Caeremoniario vel clerico.

28. Celebrans ante Altare a primo Assistente nudabitur mitra; tum simul cum pluvialistis reverentiam ad Crucem, clerici genuflexionem conficient. Celebrans, pluvialistae et clerici, exceptis Acolythis, geniculabunt et orabunt brevi (recitare autem possent orationem *Aperi Domine* etc).

29. Post orationem assurget Celebrans cum pluvialistis et clericis, ac respective iterabitur reverentia vel genuflexio ad Altare. Pluvialista primus reponet mitram Celebranti.

30. Postea Celebrans cum duobus Assistentibus accedet ad faldistorium ibique sedebit: Assistentes adstabunt in pedes a lateribus eius. Ceteri pluvialistae petent scabella seu scamna sibi praeparata in presbyterio et sedebunt capite cooperto. Acolythi pergent ad abacum in quo deponent candelabra: ceteri clerici ad lineam prope abacum stabunt.

31. Quod ad accessum Episcopi ad ecclesiam et ad SS. Sacramenti adorationem, observabitur quod praecedenti capite IV. praescriptum est.

32. Quum Episcopus venerit in aditum presbyterii, assurget Celebrans, retinens in capite mitram. Pluvialistae cantores nudabunt caput ac consurgent.

33. Episcopus ante faldistorium progressus, se inclinabit Celebranti, qui reverentia respondebit ei, deinde geniculabit in faldistorio et brevi orabit.

34. Diaconi duo assistentes consistent a lateribus Episcopi: ceteri Canonici cum Clero subsellia petent ibique geniculabunt.

35. Celebrans in faldistorio sedebit, dum Episcopus orabit, et consurget dum Episcopus assurget de oratione.

36. Episcopus de oratione assurgens, reverebitur Crucem, salutabit Celebrantem, qui reverentia respondebit ei et ascendet ad thronum Priusquam ascendat eo, dextera benedicet Clerum in choro praesentem.

37. Duo pluvialistae Celebranti assistentes, quum Episcopus se inclinabit Celebranti ante et post brevem orationem, genuflectent versus eum.

38. Episcopus conscenso throno, sedebit paulisper et cum ipso sedebit Celebrans et chorus.

39. Interim clerici duo faldistorium cum pulvinis amovebunt a medio presbyterio, et clericus a mitra et alter cum antiphonario praesto erunt prope faldistorium Celebrantis.

40. Ad nutum Caeremoniarii pluvialistae cantores sive duo sive quatuor de suis scamnis discedent, pergent in medium presbyterium, genuflectent ad Altare, deinde ad Episcopum. Procedent postea ante Celebrantem et medios inter eos se addent reliqui duo pluvialistae assistentes et coniunctim reverentiam exsequentur ad Celebrantem. Illorum primus deferet secum Directorium chori pro antiphonarum praeintonatione.

41. Pluvialista primus assistens tollet mitram Celebranti, qui assurget ac se convertet ad Altare super sinistram suam. Pluvialistae duo assistentes adstabunt Episcopo celebranti a lateribus, ceteri stabunt post ipsum.

42. Cum Celebrante consurget Episcopus et ceteri omnes in choro.

43. Celebrans et reliqui recitabunt *Pater noster* et *Ave Maria* secreto. Pluvialista primus attollet fimbriam dexteram pluvialis Celebrantis, qui signans se, ex antiphonario sustento a clerico intonabit *Deus in adiutorium meum intende* et a choro subiicietur *Domine ad adiuvandum* etc. Ad *Gloria Patri* caput ab omnibus versus Crucem Altaris inclinabitur.

44. Quum cantabitur ℣. *Sicut erat* etc. primus e pluvialistis cantoribus accedet ad dexteram Celebrantis.

45. Cantato a choro *Alleluia* aut ℣. *Laus tibi Domine* etc. primus e pluvialistis cantoribus reverebitur Celebrantem et submissa voce praecinet ei primi psalmi antiphonam. Celebrans antiphonam hanc intonabit elata voce.

46. Cantorum chorus immediate prosequetur antiphonae cantum. Pluvialistae praedicti duo vel quatuor, genuflectent ad Altare et ad Episcopum et locum sument in scamnis sibi praeparatis in presbyterio, ut supra dictum est.

47. Sub finem cantus antiphonae, cantores duo superpellicio induti prodibunt in medium presbyterium et primum versiculum primi psalmi intonabunt, quod statim ac fecerint, se convertent versus illam chori partem, quae prosequi cantum debebit, atque iteratis ad Altare et ad Episcopum genuflexionibus, ad suum stallum redibunt.

48. Primo psalmo intonato, Episcopus sedebit et caput cooperiet bireto, quod ipsi porrigetur a primo Diacono assistente.

49. Celebrans, psalmo ut supra intonato, conversus a sinistris suis sedebit in faldistorio et a primo pluvialista assistente imponetur ei mitra auriphrygiata.

50. Duo pluvialistae assistentes, imposita Celebranti mitra, reverentia ipsum honorabunt, procedent ante Altare, genuflectent ad Crucem et sedebunt in medio graduum anteriorum Altaris eiusdem: primus sedebit propius Celebrantem, secundus a dextris primi. Poterunt etiam sedere in scamno, quo utuntur Celebrans et Ministri in Missis solemnibus, si talis in ecclesia vigeret usus.

51. Presbyter assistens Episcopo, post intonationem, ut supra, primi psalmi discedet de stallo suo, procedet ante Altare, et reverebitur Crucem; tum veniet ante thronum, reverentiam faciet ad Episcopum, conscendet thronum et sedebit in scabello assistentiae.

52. Chorus et ceteri omnes sedebunt et caput bireto cooperient, exceptis clericis inservientibus, qui non utuntur bireto.

53. Reliquae antiphonae non praecinentur Assistentibus Episcopo, sed dignioribus de choro, initium sumendo a parte throni, videlicet secunda paeciuetur Canonico, sive Dignitati, quae sedebit proxime throno, tertia Canonico ex parte adversa, quarta illi qui sedebit in secundo stallo ex parte throni, et quinta Canonico in secundo stallo sedenti ex parte adversa; ac si thronus situs esset sub absida e regione Altaris, incipietur a dextera throni, tum a sinistra, et sic de reliquis.

54. Quum surget qui cantare antiphonam debebit, consurget chorus universus, exceptis Celebrante et Episcopo cum eorum Assistentibus, qui pergent sedere.

55. Dum repetetur psalmi cantati antiphona, pluvialista ultimus nudabit caput, assurget, veniet in medium presbyterium, genuflexionem faciet ad Altare, deinde ad Episcopum, et reverentiam quoque ad Celebrantem, si transiturus erit ante ipsum, et se sistet ante Canonicum, cui praecinet antiphonam, qua intonata, eodem ordine ad stallum suum revertetur.

56. Duo praedicti cantores superpellicio induti intonabunt psalmos sequentes, ut de primo traditum est.

57. Completo cantu psalmi quinti, consurgent pluvialistae, qui sedebunt in choro, et ceteri qui sedebant in gradibus Altaris aut in scamno a latere Epistolae: conficient simul genuflexionem ad Crucem, deinde ad Episcopum; venient ante Celebrantem et reverentia eum salutabunt.

58. Celebrans assurget et a sinistris se convertet ad Altare.

59. Assurget etiam Episcopus, qui biretum tradet primo Diacono assistenti, et cum Episcopo consurgent ceteri omnes.

60. Unus ex pluvialistis cantoribus cantabit Capitulum tono praestituto et post illud respondetur a choro *Deo gratias.*

61. Interea prope faldistorium Celebrantis aderunt clericus a mitra et alter cum antiphonario.

62. Cantato Capitulo, primus pluvialistarum cantorum accedet ad Celebrantem eique praecinet hymnum submissa voce. Pluvialista primus assistens mitram tollet Celebranti, qui hymnum intonabit ex antiphonario sustento a clerico: hic autem post intonationem librum claudet, reverebitur Celebrantem et recedet prope faldistorium.

63. Clericus a mitra deponet super abacum mitram auriphrygiatam, quam receperit, et accipiet pretiosam, si adhibenda erit.

64. Duo sive quatuor pluvialistae cantores, hymno a Celebrante intonato, procedent ante Altare, genuflexionem ad Crucem, deinde ad Episcopum conficient et ad subsellia sua revertentur.

65. Sub hymni finem praesto erit prope abacum thuriferarius cum thuribulo.

66. In fine ultimae strophae, pluvialistae cantores discedent de loco suo, redibunt ante Altare, genuflectent, ut supra, et cantabunt versiculum qui praecedit antiphonam cantici *Magnificat.*

67. Cantato versiculo, dum respondebitur a choro, praedicti pluvialistae cantores, iterata genuflexione ad Altare tantum, redibunt ad Celebrantem.

68. Post cantum versiculi, primus pluvialista cantor ac-

cedet ad Celebrantem eique submissa voce praecinet antiphonam ante *Magnificat.*

69. Celebrans intonabit antiphonam, qua intonata, se convertens super sinistram suam immediate sedebit.

70. Pluvialistae cantores redibunt ad medium Altaris sive presbyterii et cum debitis genuflexionibus ad locum suum reversi sedebunt.

71. Episcopus cum Assistentibus sedebit, cumque ipso sedebit omnis chorus.

72. Celebranti sedenti pluvialista primus assistens imponet mitram pretiosam, aut auriphrygiatam, ut superius innutum est.

73. Pluvialistae assistentes locum mutabunt, videlicet primus ad dexteram, secundus ad sinistram Celebrantis transibit.

74. Thuriferarius se sistet Celebranti et naviculam tradet primo pluvialistae, qui ministrabit incensum Celebranti, et hic incensum cum benedictione demittet in thuribulum sustentum a thuriferario, qui adstabit in pedes quoniam aderit Episcopus ordinarius.

75. Incenso in thuribulum demisso a Celebrante et completo cantu antiphonae, cantores induti superpellicio intonabunt canticum *Magnificat* in medio presbyterio.

76. Intonato praedicto cantico, assurget Celebrans cumque ipso ceteri omnes et ipse Episcopus, qui initio eiusdem cantici se signabunt.

77. Celebrans medius inter duos assistentes pluvialistas, qui fimbrias pluvialis eius sustentabunt, sequente clerico a mitra, procedet ad Altare, et transiens prope thronum reverebitur Episcopum, qui respondebit se inclinando. Pluvialistae genuflexionem facient itemque clericus a mitra.

78. Celebranti ante Altare progresso pluvialista primus assistens tollet mitram: ipse reverentiam, genuflexionem pluvialistae conficient ad Crucem, et ascendet cum eis ad Altare. Celebrans Altare in medio osculabitur et a primo pluvialista accipiet thuribulum, quo Altare adolebit ritu usitato.

79. Postquam thurificaverit Altare, thuribulum restituet primo pluvialistae et consistet in latere Epistolae. Pluviali-

sta secundus assistens mitram reponet capiti eius: primus autem quum descenderit in planum a latere Epistolae, adolebit Celebrantem duplici ductu, postea thuribulum restituet thuriferario, ascendet ad Altare seque adiunget Celebranti. Tunc Celebrans una cum pluvialistis salutabunt Crucem in suppedaneo, descendent de Altari, et cum supra dictis reverentiis Celebrans medius inter pluvialistas redibit ad faldistorium.

80. Celebrans in faldistorio sedebit et a primo pluvialista nudabitur mitra. Assurget ac super sinistram suam se convertet ad Altare. Pluvialistae assistentes permanebunt a lateribus eius.

81. Postquam Celebrans thurificatus erit, thuriferarius recepto thuribulo a primo pluvialista assistente, accedet ad primum pluvialistam cantorem sive ad alium, cuius erit officium adolere chorum, tradet ei thuribulum et cum illo ibit ante thronum.

82. Presbyter assistens Episcopo, bireto deposito super scabello, descendet de throno et subsistens ante primum gradum illius contra Episcopum, thuribulum accipiet a pluvialista praedicto vel ab alio, et adolebit Episcopum triplici ductu, reverentiam faciens ante et post thurificationem. Episcopus stans accipiet thurificationem et benedicet Presbyterum assistentem a quo thurificatus erit.

83. Presbyter assistens thuribulum illi restituet, a quo acceperit, redibit ad scabellum suum in thronum et incensabitur. Post eum accipient thurificationem duo Diaconi assistentes Episcopo. Thurificatio autem chori peragetur ordine demonstrato cap. V. lib. I.

84. Curabitur ut cantus *Magnificat* protrahatur; debet enim hoc tempore compleri thurificatio totius chori et Magistratus etiam eorumque qui publici partes repraesentant, si qui aderunt.

85. Post cantatum *Gloria Patri* sedebit Episcopus cum Assistentibus itemque Celebrans, cui reponetur mitra a primo pluvialista.

86. Sedebit etiam chorus, si thurificatio erit absoluta, vel

saltem illa chori pars sedere poterit, quae thurificationem acceperit.

87. Eodem tempore Presbyter assistens Episcopo, facta ad ipsum reverentia, de throno a latere descendet et ad stallum suum redibit in chorum, iam functus officio suo.

88. Interim in promptu erit prope faldistorium clericus cum antiphonario et duo Acolythi cum candelabris.

89. Dum repetetur a cantoribus antiphona cantici praedicti, duo sive quatuor pluvialistae consurgent, procedent ante Altare, genuflectent ad Crucem deinde ad Episcopum, postea venient ante Celebrantem, et medios inter eos se adiungent duo pluvialistae assistentes: omnes ii reverentia salutabunt Celebrantem, cui primus pluvialista mitram tollet.

90. Celebrans assurget ac super sinistram suam se convertet ad Altare. Duo pluvialistae assistentes accedent ad latera Celebrantis et reliqui pluvialistae persistent quo loco erunt.

91. Celebranti ad Altare converso se sistet clericus cum antiphonario medius inter Acolythos cum candelabris, qui facta reverentia consistent ante eum. Clericus antiphonarium aperiet ac sustinebit apertum ante Celebrantem.

92. Episcopus assurget et nudabit caput cumque ipso consurgent ceteri omnes qui aderunt in choro.

93. Celebrans iunctis manibus cantabit *Dominus vobiscum* et iunctis adhuc manibus cantabit orationem, post quam, si fiet alia commemoratio, cantorum chorus cantabit antiphonam, et pluvialistae cantores procedent ad medium Altaris et versiculum cantabunt. Celebrans subiiciet orationem canendo, ut primam et sic de ceteris.

94. Post ultimam orationem Celebrans iunctis manibus subiunget *Dominus vobiscum*, et cantores pluvialistae cantabunt tono praestituto ℣. *Benedicamus Domino.*

95. Dum a cantoribus cantabitur *Benedicamus Domino*, clerici duo reponent faldistorium cum pulvinis pro Episcopo in medium presbyterii. Clericus alter ponet super Altari ad pedem Crucis Canonem apertum pro benedictione.

96. Cantato a Celebrante *Dominus vobiscum* post orationem,

clericus claudet librum, quem sustinebat apertum ante Celebrantem, et simul cum Acolythis, facta ad ipsum reverentia, redibunt ad abacum, in quo candelabra et librum deponent.

97. Pluvialistae cantores post cantatum *Benedicamus Domino*, cum debitis genuflexionibus redibunt ad locum suum.

98. Celebrans conversus super sinistram suam, sedebit in faldistorio et a primo pluvialista assistente reponetur ei mitra pretiosa, vel auriphrygiata, si pretiosa uti non licebit. Postea medius inter duos pluvialistas assistentes, qui fimbrias pluvialis eius sustentabunt, procedet ad Altare et priusquam veniat ante ipsum, reverentiam faciet ad Episcopum, qui se illi aliquantum inclinabit. Perveniens autem ante Altare, Crucem reverebitur. Pluvialistae praedicti genuflexionem tum ad Episcopum conficient, tum ad Altare.

99. Celebrans ad Altare ascendet et osculabitur illud in medio: benedictionem ritu consueto impertietur, et id tantum advertet, ut inclinationem versus Episcopum faciat priusquam dicat *Pater*. Pluvialistae in benedictionis actu geniculabunt in gradu superiori, et Celebrantis fimbrias pluvialis attollent.

100. Post benedictionem Celebrans cum pluvialistis de Altari descendet, et facta ad Altare et ad Episcopum reverentia, redibit ad faldistorium et sedebit.

101. Episcopus de throno descendet ad faldistorium ibique orabit brevi.

102. Idem priusquam flectat genua et quum discedet, se inclinabit Celebranti, qui assurget eique respondebit, ut principio notatum est.

103. Episcopus associatus a Capitulo de ecclesia discedet quo ordine descriptum est cap. IV. libri huius.

104. Profecto de presbyterio Episcopo, Celebrans cum pluvialistis redibit in Sacristiam, praecedentibus Acolythis ordine supradicto, ibique sacra indumenta deponet.

105. Sin autem Vesperarum hymnus esset *Veni creator* vel *Ave maris stella*, circa finem ultimi psalmi a duobus clericis in medium presbyterium reportabitur faldistorium cum pulvinis pro Episcopo.

106. Descendet de throno Episcopus, dum cantabitur *Deo gratias* post Capitulum.

107. Celebrans non intonabit hymnum, nisi quum pervenerit Episcopus ad faldistorium suum.

108. Ad intonationem hymni genuflectent et nixi genibus perstabunt dum prima strophe cantabitur.

109. Clericus cum antiphonario statim ac intonitus erit hymnus, librum claudet et versus Altare geniculabit.

110. Celebrans ubi intonuerit hymnum, geniculabit ante faldistorium suum super pulvino, qui ad hoc ponetur a clerico.

111. Post cantum primae strophae, profecto de medio presbyterio Episcopo, amovebitur a duobus clericis faldistorium in quo genua flexit.

112. Hoc ipsum observabitur debita proportione in festis S. Crucis ad strophem *O Crux, ave spes unica.*

ASSISTENTIA PRAESTANDA AB EPISCOPO CAPPA INDUTO MISSAE SOLEMNI, QUAE CANTABITUR A CANONICO.

CAPUT XVII.

De rebus praeparandis Apud Altare SS. Sacramenti.

1. Praeparabitur faldistorium vel genuflexorium cum strato et pulvinis, ut cap. IV. huius libri notatum.

2. Altare plus minusve exornabitur, pro qualitate festi et officii, aderunt cerei in candelabris maioribus accendendi saltem in Episcopi accessu ad ecclesiam et in recessu ab eadem.

3. In choro situs erit thronus paratus colore respondente officio, cum baldachino et lodice simili in cathedra et cum tapeto omnes gradus contegente. Ponentur tria scabella pro assistentibus et pulvinus unus utendus ab Episopo in genuflexionibus ad *Credo*, ad ultimum Evangelium etc. Pavimentum Presbyterii contegi poterit tapeto viridis coloris et ante Altare statuetur faldistorium cum pulvinis coloris respondentis officio, in quo geniculabit Episcopus.

4. Altare ornabitur pallio eiusdem, ac supra, coloris cum tobaleis et tapeto. Aderunt sex candelabra cum cereis et Crux similis. Candelabra erunt plus minus nobilia pro qualitate festi.

5. In latere Epistolae aderit scamnum coopertum panno laneo pro Celebrante et Ministris.

6. In eodem latere situs erit abacus albo mantili coopertus, in quo ponetur calix cum purificatorio, patena cum hostia et palla, bursa cum corporali, calix autem cum ceteris rebus praedictis contegetur velo suo. Ampullae vini et aquae plenae in pelvicula. Campanula. Instrumentum pacis velo contectum, si Magistratus interveniet officio. Duo vel quatuor intorticia pro elevatione, iuxta morem et qualitatem festi. Legile vel cussinus cum Missali quod instruetur tegumento aequali paramentis pro Celebrante. Epistolarium et Evangeliarium, utrumque cum tegumento, ut supra. Missale cum tegumento respondente, in usum Episcopi. Scotula pro Episcopo. Canon pontificalis pro benedictione in exitu Missae. Tabella seu libellus cum formula indulgentiae. Thuribulum cum navicula. Velum humerale pro Subdiacono. Quod si Ministri sacri uterentur planeta plicata, praeparabitur etiam stola latior pro Diacono.

7. Prope latus Evangelii statuetur basis pro firmanda Cruce archiepiscopali, si Dioecesanus, qui Missae assistet, esset Archiepiscopus.

8. Aderunt etiam candelabra maiora in presbyterio, non minus quatuor nec plus sex cum suis cereis vel intorticiis.

In Sacristia.

9. Paramenta pro Celebrante et Ministris; videlicet planeta, stola et manipulus pro Celebrante; dalmatica, stola et manipulus pro Diacono; tunicella cum manipulo pro Subdiacono; tria cingula, tres albae, tresque amictus. Si adhiberentur planetae plicatae, substituentur istae loco dalmaticae ac tunicellae. Duo candelabra cum candelis pro Acolythis. Superpellicia pro clericis. Vasculum aquae sanctae cum aspergillo, utendum pro ingressu Episcopi in ecclesiam.

De functione.

10. Campanarum sono, semel aut pluries, iuxta morem uniuscuiusque ecclesiae signum dabitur functionis.

11. Completo in choro officio, seu recitata Hora, quae Missam debet praecedere, ut ex rubricis generalibus Missalis tit. XV. num. 2; sonabitur campanula Sacristiae, quo sonitu dabitur Canonicis et Clero signum ad associandum Episcopum, ut praecedenti cap. IV.

12. Se parabunt in Sacristia Celebrans cum Ministris, qui postquam parati erunt, praeeuntibus Acolythis cum candelabris ardentibus ad Altare procedent. Ibi Celebrans reverentiam, ceteri omnes genuflexionem ad Crucem conficient, excepto casu quo Canonici ipsi ministrarent in sua ecclesia, qui reverentiam et ipsi facient ad Crucem, ut Celebrans. Ministri cum Celebrante sedebunt in scamno sibi praeparato et Episcopi adventum expectabunt. Acolythi candelabra reponent super abacum, ibique consistent.

13. Ingrediente in ecclesiam Episcopo sonabitur campanis festivo more, et organis quoque, si licebit id in Missa, secus organis pulsandis abstinebitur.

14. Postquam Episcopus adoraverit SS. Sacramentum, procedet ad Altare maius.

15. Intrante in Presbyterium Episcopo, Celebrans cum Ministros nudabunt caput et assurgent.

16. Episcopus ante faldistorium quum venerit, priusquam se inclinet ad Crucem Altaris, benedicet Celebrantem et Ministros, qui se profunde inclinabunt; Ministri autem, nisi fue-

rint Canonici, genuflectent ad benedictionem istam, deinde assurgent et stabunt.

17. Episcopus reverebitur Crucem Altaris, geniculabit in faldistorio ac brevi tempore orabit.

18. Interea Canonici et reliquum Cleri petent sua subsellia, exceptis duobus Diaconis assistentibus, qui adstabunt Episcopo a lateribus, Caudatario et duobus Cappellanis a libro et scotula, qui prope Episcopum adstabunt.

19. Quum suum quisque locum occupaverint, Celebrans cum Ministris de suo scamno discedent, ac transeuntes post Episcopum, consistent Celebrans a sinistris eius, Ministri autem post Celebrantem aliquo passu longe ab ipso, ac nisi fuerint Canonici, geniculabunt ut recitent ad invicem confessionem.

20. Episcopus assurget de oratione et clerici duo faldistorium cum pulvinis amovebunt.

21. Episcopus, adstante a sinistris eius Celebrante, accedet ad Altare ac sine alia reverentia profunda ad Crucem inchoabit Missam, cui respondebit Celebrans, et ad verba illa *Tibi Pater* ac *Te Pater* se convertet ad Episcopum: itemque Episcopus se illi aliquantulum convertet quum dicet *Vobis fratres* et *Vos fratres.*

22. Diaconi assistentes adstabunt in pedes post Episcopum et inter se recitabunt Confessionem. Idipsum facient Ministri Celebrantis, qui vel geniculabunt, vel stabunt, ut superius notatum est, et Confessionem ipsi quoque inter se recitabunt. Idem dicendum de cappellanis a libro et scotula, qui adstabunt nixi genibus. Clerus in choro servabit methodum ad hoc traditam lib. I. cap. 3.

23. Recitata ab Episcopo oratione *Indulgentiam* etc. ac responso *Amen* a Celebrante, succedent Diaconi assistentes in assistentiam Episcopi, quibuscum prosequetur ℣ *Deus, tu conversus* et sequentes (*a*).

24. Celebrans autem, facta ad Episcopum inclinatione, discedet a latere eius seque adiunget Ministris, qui consurgent, et cum ipsis prosequetur ℣ *Deus tu conversus* etc.

(*a*) Inspiciatur adnotatio num. 40. cap. XIII. huius libri subiecta.

25. Hoc tempore Cappellani a libro et scotula accipient ex abaco Missale et scotulam pro Episcopo et redibunt prope ipsum. In promptu etiam erit thuriferarius cum thuribulo et navicula.

26. Episcopus postquam dixerit *Oremus*, nullam adiiciens orationem, reverebitur Crucem Altaris, se convertet ad Celebrantem eique signum benedicentis faciet, tum accedet ad thronum, adstantibus a lateribus eius Diaconis assistentibus et sequente Caudatario, qui cappae extremitatem posteriorem ei sustentabit, ac duobus cappellanis a libro et scotula. Transiens autem per chorum, meminerit benedicere Clerum.

27. Celebrans, accepta ab Episcopo benedictione, ad quam ipse se inclinabit et Ministri genuflectent, nisi fuerint Canonici, ascendet ad Altare recitans orationem *Aufer a nobis* etc. Altare osculabitur ibique thuribulum expectabit, quo illud adoleat.

28. Thuriferarius, vel Caeremoniarius deferens thuribulum cum navicula sequetur Episcopum, quum perget ad thronum.

29. Episcopus conscenso throno sedebit, biretum accipiet a primo Diacono assistente et caput cooperiet.

30. Presbyter assistens ascendet ad thronum a latere et consistet a dextris Episcopi sedentis in throno.

31. Thuriferarius ad thronum ascendet cum debitis genuflexionibus, et Presbyter assistens accipiet ab eo naviculam et ritu consueto incensum cum praescripta benedictione demittet in thuribulum sibi sustentum a thuriferario genuflexo.

32. Thure ab Episcopo benedicto, Presbyter assistens reverebitur Episcopum, naviculam reddet thuriferario et a latere de throno descendens ad locum suum se recipiet.

33. Thuriferarius de throno discedet et cum debitis genuflexionibus, ut supra, referet ad Altare thuribulum, quod tradet Diacono et hic Celebranti, atque Altaris thurificatio persolvetur.

34. Celebrans postquam thurificaverit Altare, reddet thuribulum Diacono, a quo incensabitur duplici ductu.

35. Thuriferarius receptum a Diacono thuribulum reportabit ad abacum vel in Sacristiam.

36. Celebrans continuabit Missam ritu in Missis solemnibus praescripto.

37. Episcopus quum incensatus fuerit Celebrans, caput nudabit bireto, quod tradet primo Diacono assistenti, et assurget dum ei se sistent Cappellani cum Missali et scotula atque Introitum leget e Missali.

38. Interim Canonici de suis stallis descendent et circulum efficient ante Episcopum.

39. Lecto ab Episcopo introitu, Celebrans cum Ministris recitabit *Kyrie*, quod faciet etiam Episcopus cum Canonicis.

40. Episcopus benedictionem donabit Canonicis, qui reverentia ad Altare et ad Episcopum iterata, revertentur ad subsellia.

41. Sin autem intonabitur statim *Gloria in excelsis*, permanebunt in circulo, et Episcopus non dimittet eos benedictionem dando.

42. Episcopus denuo sedebit et bireto cooperiet caput, expectans dum intonetur *Gloria*.

43. Quum Celebrans veniet ad medium Altaris intonaturus *Gloria*, Canonici descendent ad circulum, Episcopus nudabit caput et assurget; Celebrans autem intonabit *Gloria* et prosequetur recitare cum Ministris suis. Episcopus praedictum hymnum recitabit cum Canonicis in circulo.

44. Recitato *Gloria*, Celebrans cum Ministris reverentia facta ad Crucem, descendent a latere de Altari et sessum pergent ad scamnum.

45. Episcopus benedicet Canonicos, qui praemissa reverentia ad Altare et ad Episcopum, revertentur ad subsellia.

46. Episcopus sedebit, recipiet a primo Diacono assistente biretum et caput cooperiet.

47. Presbyter assistens non redibit ad stallum suum, sed discedens a ceteris Canonicis quando redibunt ad subsellia post circulum, reverentiam faciet ad Altare, deinde ad Episcopum: ascendet ad thronum et in scabello assistentiae sedebit.

48. Duo Cappellani a libro et scotula, qui haec reposuerint super abaco, postquam Episcopus legerit introitum, sedere poterint in gradibus lateralibus Altaris, quando iam sederit Episcopus cum Assistentibus.

49. Ad illa verba *Adoramus te*, *Gratias agimus* etc. ab omnibus nudabitur caput et inclinabitur, non excepto Episcopo.

50. Sub finem cantus hymni praedicti consurget Celebrans cum Ministris, qui relicto in scamno bireto, procedent versus Altare et reverentiam ad Episcopum conficient, tum venientes ante Altare salutabunt Crucem. Notandum autem, quod Ministri genuflexionem faciant ad Episcopum et ad Altare, nisi fuerint Canonici.

51. Absoluto *Gloria* cantato, Episcopus nudabit caput et assurget, quod faciet cum eo chorus universus.

52. Celebrans cantabit *Dominus vobiscum* et orationes.

53. Circa finem ultimae orationis, Subdiaconus recipiet Epistolarum librum, quem ante pectus sustinebit utraque manu, vadet ante Altare et peraget genuflexionem aut reverentiam, deinde se convertet versus Episcopum, cui pariter faciet genuflexionem aut reverentiam, postea veniet illuc, ubi solet cantari Epistola, cum animadversione innuta superius capitis XIV. praecedentis num. 139.

54. Cantatis a Celebrante orationibus ac sedente Episcopo, Subdiaconus cantabit Epistolam.

55. Hoc tempore Cappellani a libro et scotula resument ex abaco Missale cum scotula et consistent stantes prope secundum Diaconum assistentem.

56. Subdiaconus, cantata Epistola, librum claudet, vadet in medium presbyterii et reverentiam aut genuflexionem ante Altare faciet, tum accedet ad thronum et genuflexionem aut reverentiam exsequetur ad Episcopum, ascendet ad thronum, osculabitur Episcopi manum, quam ille imponet libro, et benedictionem accipiet aut genuflexus aut profunde inclinatus: postea descendet de throno, iterabit reverentiam vel genuflexionem ante Episcopum, redibit ante Altare, ubi reverentiam aut genuflexionem faciet ad Crucem, librum deponet in manum clerici, ascendet ad Altare et in cornu Evangelii afferet cum cussino Missale Celebrantis.

57. Ascendente ad thronum Subdiacono, consurgent Diaconi assistentes ac Presbyter assistens, et stabunt propter actiones, quae sequentur.

58. Profecto Subdiacono, se sistent Episcopo cappellani a libro et scotula: Episcopus leget e Missali Epistolam et Graduale. postea iunctis manibus *Munda cor meum* etc. *Iube, Domne* etc. *Dominus sit* etc. et Evangelium.

59. Praesto erit thuriferarius cum thuribulo.

60. Quum Celebrans legere Evangelium inceperit, Diaconus accipiet Evangeliarium et deferet ad Altare, faciens reverentiam aut genuflexionem ad Episcopum et ad Crucem: deinde ad Altare ascendet, librum super mensa deponet, versa ad sinistram suam apertura libri, ibique remanebit, donec monebitur ut accedat ad thronum.

61. Celebrans consistet in medio Altaris, postquam legerit Evangelium, adstantibus Diacono a dextris, Subdiacono a sinistris.

62. Postquam Episcopus legerit Evangelium, recedent cappellani a libro et scotula.

63. Diaconus, quum innuetur ei, de Altari descendet iunctis manibus, reverentiam peraget aut genuflexionem ad Altare, accedet ad thronum et faciet ante Episcopum reverentiam vel genuflexionem. Conscendet thronum et manum Episcopi osculabitur aut genuflexus, aut profunde inclinatus, si fuerit Canonicus. Postea de throno descendet, genuflexionem aut reverentiam ad Episcopum iterabit, redibit ad Altare et flexis genibus in suppedaneo dicet orationem *Munda cor meum* etc.

64. Thuriferarius, quando Diaconus adibit ad thronum, discedet de loco suo, genuflectet ad Altare et lento gradu sequetur Diaconum.

65. Descendente autem de throno Diacono, praesto ibi erit thuriferarius, et simul facient genuflexionem ad Episcopum; thuriferarius autem ad thronum ascendet.

66. Presbyter assistens appropinquabit ad Episcopum et naviculam accipiet a thuriferario. Episcopus incensum, ministrante Presbytero assistente, iniiciet in thuribulum a thuriferario genuflexo sustentum.

67. Presbyter assistens naviculam restituet thuriferario et ad scabellum suum redibit.

68. Thuriferarius de throno descendet ibique a latere

expectabit, donec eo veniat Diaconus cum ceteris, quibus se adiungat.

69. Quum Diaconus redibit ad Altare recitaturus *Munda cor meum*, Acolythi sument ex abaco candelabra et consistent ante Altare.

70. Diaconus, recitato *Munda cor meum*, assurget, sumet ex Altari librum Evangeliorum et simul cum Subdiacono, facta ad Celebrantem reverentia, descendent de Altari seque aggregabunt Acolythis, qui adstabunt lateribus Diaconi et Subdiaconi.

71. Acolythi genuflectent, Diaconus et Subdiaconus vel reverentiam vel genuflexionem simul ad Altare conficient et accedent ad thronum, advertente Subdiacono ut a sinistris incedat Diaconi.

72. Quum ad thronum pervenerint, thuriferarius post ipsos se sistet.

73. Diaconus, si fuerit Canonicus, profunde inclinatus, secus genuflexus petet ab Episcopo benedictionem dicens *Iube, Domne, benedicere.* Subdiaconus etiam stabit, si Canonicus, secus genibus nitetur. Acolythi autem ac thuriferarius geniculabunt.

74. Episcopus respondebit *Dominus sit* etc. ac benedicens eum, ad illa verba *In nomine Patris* ✠ *et Filii* ✠ *et Spiritus* ✠ *Sancti*, tria Crucis signa conficiet.

75. Consurgent omnes praedicti Ministri atque iterata genuflexione aut reverentia ad Episcopum, procedent ad Evangelium cantandum. Praeibit Caeremoniarius, tum solus thuriferarius, post eum duo Acolythi, sequetur Subdiaconus, ultimo loco Diaconus, qui deferet librum.

76. Quum ventum erit quo loco cantandum erit Evangelium iuxta regulam traditam cap. praeced. XIV. num. 161. et seq. Subdiaconus medium se sistet inter Acolythos, Diaconus aperiet librum, quem ei sustinebit Subdiaconus, et Caeremoniarius cum thuriferario consistent a dextris Diaconi.

77. Diaconus cantabit Evangelium et librum adolebit, exsequens ea quae praescribuntur in aliis Missis solemnibus.

78. Celebrans stans in suppedaneo se convertet ad Diaconum, ut in aliis Missis solemnibus.

79. Episcopus nudabit caput, biretum tradens primo Diacono assistenti et dimittet etiam pileolum, quem bireto imponet.

80. Si genuflectendum erit in cantu Evangelii, observabitur quod traditum est num. 168. capitis XIV. praecedentis.

81. Fine facto canendi Evangelium, Subdiaconus sustinens librum apertum sine ulla genuflexione aut reverentia, ad thronum afferet et dabit osculandum Episcopo, qui superponens illi manus, dicet *Per Evangelica dicta* etc.

82. Profecto Diacono, Acolythi discedent de loco quo erant, et in medio presbyterio genuflectent ad Episcopum, deinde ad Altare et redibunt ad deponenda in abacum candelabra.

83. Diaconus accedet ad Altare simul cum thurifera-rio, et accepto ab eo thuribulo, duplici ductu adolebit Celebrantem, deinde procedet ad Altare et sequetur thuriferarius, qui thuribulum referet ad abacum.

84. Episcopus, textum Evangelii osculatus, pileolum capiti reponet. Subdiaconus, libro clauso, de throno descendet, reverentiam faciet vel genuflexionem ad Episcopum, redibit ad Altare, librum tradet clerico, et facta reverentia vel genuflexione ad Altare, consistet prope Diaconum.

85. Si fiet sermo seu sacra concio post Evangelium, peragentur ea quae cap. X. huius libri tradita sunt.

86. Si cantandum erit *Credo*, Presbyter assistens descendet de throno eodemque tempore cum eo Canonici de suis stallis descendent ad circulum in medium chorum, exsequentes ad Altare et ad Episcopum reverentiam.

87. Nisi cantabitur *Credo*, nec descendet Presbyter assistens, neque Canonici efficient circulum.

88. Celebrans se convertet ad Altare et innuente Caeremoniario, intonabit *Credo*, quod recitabit cum Ministris. Episcopus recitabit *Credo* cum Canonicis in circulo.

89. Ad verba *Et incarnatus* etc. genuflectent omnes et Episcopus genuflectet versus Altare super pulvino ad hanc rem posito in gradulo cathedrae.

90. Fine facto recitandi *Credo*, Episcopus cum benedi-

ctione dimittet Canonicos, qui reverentia ad Altare et ad Episcopum iterata, ad sua subsellia se recipient.

91. Presbyter assistens cum debitis reverentiis redibit ad thronum, non ad stallum suum, et sedebit in scabello assistentiae.

92. Celebrans cum Ministris, facta ad Crucem reverentia, de Altari descendent a latere et sedebunt in scamno.

93. Episcopus sedebit et caput bireto cooperiet, omnesque eius assistentes sedebunt.

94. Ad cantum versiculi *Et incarnatus,* Canonici et Praesules, siqui aderunt, capite detecto se inclinabunt: ceteri omnes genua flectent.

95. Cantato versiculo praedicto, assurget Diaconus et bireto relicto super scamno, veniet ad abacum, bursam accipiet cum corporali, eamque sustinebit utraque manu elatam ferme ad oculos suos, et facta ad Celebrantem reverentia, deinde genuflexione aut reverentia ad Episcopum, postremo ad Altare, conscendet suppedaneum, bursam super Altari deponet, extrahet inde corporale, ponet bursam in latere Evangelii, applicans eam candelabris et corporale super Altari explicabit. Admovebit etiam Missale cum cussino seu legili versus medium Altaris, si opus fuerit. Deinde iterata ad Crucem reverentia vel genuflexione, descendet de Altari a latere et redibit ad scamnum, in quo rursus sedebit.

96. Circa finem Symboli cantati, si Cappellani a libro et scotula retulerint haec ad abacum, recipient eadem et consistent prope secundum Diaconum assistentem.

97. Quando canentur ultima verba Symboli, Celebrans et Ministri simul consurgent, procedent versus Altare, reverentiam facient ad Episcopum, et progressi ante Altare salutabunt Crucem. Celebrans ascendet in suppedaneum et Altare in medio osculabitur; Ministri autem locum sument post Celebrantem super gradibus, ut in aliis Missis solemnibus.

98. Absoluto cantu Symboli, Episcopus nudabit caput, assurget, et cum ipso totus chorus; Celebrans autem cantabit *Dominus vobiscum,* et *Oremus.*

99. Episcopus denuo sedebit et caput cooperiet.

100. Sedenti Episcopo se sistent cappellani cum Missali et scotula; ipse leget versiculum Offertorii.

101. Cappellani praedicti cum debitis genuflexionibus reportabunt ad abacum Missale et scotulam; tum redibunt ad locum suum.

102. Dicto a Celebrante *Oremus*, Diaconus ascendet ad dexteram Celebrantis.

103. Subdiaconus, facta reverentia aut genuflexione ad Altare, accedet ad abacum eique imponetur super humeros velum humerale: accipiet calicem, quem velo praedicto cooperiet et afferet ad Altare, sequente Acolytho, qui deferet ampullas vini et aquae in pelvicula.

104. Interim Celebrans peraget oblationem Hostiae, ut in aliis Missis solemnibus, et Diaconus vinum in calicem infundet.

105. Quum Celebrans ibit ad Altare, thuriferarius accedet ad thronum ac recedentibus cappellanis a libro et scotula, ascendet illuc et naviculam tradet Presbytero assistenti, qui ministrabit Episcopo incensum. Episcopus incensum in thuribulum dimittet ac benedicet, recitans formulam *Per intercessionem* etc.

106. Profecto de throno thuriferario postquam Episcopus benedixerit incensum, Subdiaconus, ampulla sumpta manu dextera, se convertet ad Episcopum, et genuflectens vel profunde inclinatus petet benedictionem, dicens *Benedicite, Reverendissime Pater*, et Episcopus benedicet aquam, dicens *In nomine Patris* etc. siquidem oratio *Deus qui humanae substantiae* pertinens ad mysteria Sacrificii, recitanda est a Celebrante solummodo, ut alias notatum est.

107. Celebrans igitur subiunget orationem *Deus qui humanae substantiae* non faciens Crucis signum super aquam et Subdiaconus aquam infundet in calicem, deinde accepta patena, descendet ante Altare, ut in aliis Missis solemnibus.

108. Diaconus, tradita Subdiacono patena, accipiet a thuriferario vel a Caeremoniario thuribulum, in quo iam positum erit incensum ab Episcopo, ac tradet ipsum Celebranti, qui thurificabit oblatas et Altare.

109. Celebrans, peracta Altaris thurificatione, thuribulum tradet Diacono, a quo incensabitur duplici ductu.

110. Quum Diaconus incensabit Celebrantem, Presbyter assistens relinquet biretum super scabello throni et de throno descendet, subsistens ante Episcopum.

111. Diaconus, postquam adoleverit Celebrantem, perget ad thronum cum debitis reverentiis vel genuflexionibus et Presbytero assistenti tradet thuribulum.

112. Episcopus nudabit caput, assurget et manu biretum substinebit.

113. Presbyter assistens adolebit Episcopum triplici ductu, reverentia eum honorans ante et post incensationem.

114. Episcopus, accepta thurificatione, benedicet Presbyterum assistentem, sedebit rursus et caput bireto cooperiet.

115. Presbyter assistens thuribulum thuriferario restituet, redibit ad thronum et stabit apud scabellum sustinens manu biretum.

116. Diaconus adolebit Presbyterum assistentem, deinde primum Diaconum assistentem; iterabit reverentiam vel genuflexionem ante Episcopum, et secundum Diaconum assistentem incensabit.

117. Assistentes praedicti sedebunt: Diaconus autem, facta ad Episcopum reverentia, descendet in chorum et Canonicos ceterosque adolebit, iuxta ordinem traditum cap. V. lib. I.

118. Celebrans non incipiet cantum Praefationis, nisi quum nunciabitur ei: siquidem quum incensari chorus, et descendere ad circulum Canonici debeant, incompleta superesset actio ista, nisi absoluta esset saltem omnium Canonicorum thurificatio.

119. Sub finem incensationis Canonicorum, Episcopus nudabit caput, biretum tradet primo Diacono assistenti et assurget.

120. Celebrans incipiet cantare *Per omnia saecula* etc. ante Praefationem.

121. Post verba *gratias agamus* etc. quia completa erit Canonicorum incensatio, descendent iidem de suis stallis in medium chorum et circulum efficient, exsequentes consuetam ad Altare et ad Episcopum reverentiam.

122. Hoc tempore a duobus clericis ante Altare statuetur faldistorium cum pulvinis pro Episcopo, et in promptu

erunt prope abacum quatuor aut duo clerici delaturi intorticia ad *Sanctus*.

123. Cantato a Celebrante ℣ *Gratias agamus* etc. Presbyter assistens, facta ad Episcopum reverentia, de throno descendet et ceteris Canonicis in circulo coibit.

124. Praefatione cantata Celebrans recitabit *Sanctus* cum Ministris, Episcopus recitabit cum Canonicis in circulo.

125. Post recitatum *Sanctus*, Episcopus benedicet Canonicos qui reverentia ad Altare et ad Episcopum peractà, ad subsellia redibunt.

126. Episcopus medius inter Diaconos assistentes, sequentibus caudatario et Cappellanis a libro et scotula, de throno descendet, benedicet Clerum, veniet ante Altare et genuflectet in faldistorio, super quo cappa eius expandetur a Diaconis assistentibus et Caeremoniario.

127. Ad *Sanctus* clerici deferent intorticia ante Altare, et genuflexionem facient ad ipsum deinde ad Episcopum: postea dirimentur et geniculabunt hinc inde a lateribus Altaris, facie ad invicem conversa, ne humeros ad Episcopum vertant, ibique manebunt donec discesserit Episcopus post elevationem.

128. Episcopus genuflexus in faldistorio, sibi detrahet de capite pileolum, qui reponetur in bireto.

129. Diaconi assistentes genuflexi adstabunt lateribus eius, itemque Caudatarius et reliqui duo cappellani geniculabunt prope ipsum.

130. Advertet Subdiaconus ut recedat aliquantum versus latus Epistolae, quum ad faldistorium descenderit Episcopus, ne tergum ei vertat directe.

131. Post elevationem Hostiae et Calicis, assurget Episcopus, sublevantibus Diaconis assistentibus eius cappam, quae explicata fuerat super faldistorio.

132. Episcopus cum Assistentibus et Cappellanis genuflexionem utroque genu faciet ad Altare, quoniam adest SS. Sacramentum et ad thronum redibit, advertens ne benedicat Clerum, dum per chorum transibit.

133. Reversus ad thronum consistet stans ante cathedram conversus ad Altare.

134. Clerici duo amovebunt de medio presbyterio faldistorium cum pulvinis, quod ponent seorsim.

135. Clerici cum intorticiis, profecto Episcopo, surgent, eoibunt ante Altare, genuflectent ad Sacramentum et redibunt ad abacum vel in Sacristiam, ubi intorticia deponent.

136. In fine *Pater noster*, Canonici de subselliis descendent ad circulum et genuflexionem utroque genu peragent ad Sacramentum, quod adest in Altari, deinde reverentiam ad Episcopum conficient.

137. Episcopus cum Canonicis recitabit *Agnus Dei*, deinde benedictionem eis donabit, qui iterata reverentia ad Episcopum et genuflexione utroque genu ad SS. Sacramentum, ad subsellia sua se recipient.

138. Celebrans recitabit *Agnus Dei* cum Ministris suis, qui postea genuflectent, et Diaconus accedet ad Missale propter assistentiam, Subdiaconus autem veniet in chorum et subsistet ante stallum Presbyteri assistentis.

139. Presbyter assistens, postquam in circulo recitaverit *Agnus Dei*, non genuflectet ad Sacramentum et discedens a collegis suis, recta procedet ad Altare iunctis manibus, ibique geniculabit in suppedaneo a dextris Celebrantis.

140. Quum Celebrans recitaverit orationem *Domine Iesu Christe qui dixisti* etc. assurget Presbyter assistens, et osculato Altari a Celebrante eodem tempore et ab ipso, Celebrans Pacem praebebit Presbytero assistenti, manus imponens humeris eius et dicens *Pax tecum*, cui Presbyter assistens respondebit *Et cum spiritu tuo*.

141. Presbyter assistens genuflectet ad Sacramentum, descendet de Altari et sine ulla reverentia perget directe ad thronum et Pacem praebebit Episcopo, advertens ut dicat *Pax tecum* et manus imponat non super humeros, sed infra cubitos.

142. Presbyter assistens, postquam Pacem dederit Episcopo, descendet de gradulo cathedrae, faciet ad Episcopum reverentiam profundam, de throno descendet a latere et redibit in chorum ad stallum suum.

143. Diaconus primus assistens iunctis manibus ascendet

in gradulum cathedrae, accipiet ab Episcopo Pacem, cui respondebit *Et cum spiritu tuo*, descendet de gradulo, reverentiam faciet ad Episcopum et redibit ad locum suum a dextris eius. Hoc ipsum exsequetur secundus Diaconus assistens, qui redibit ad sinistram eius.

144. Presbyter assistens, reversus ad locum suum in chorum, Pacem dabit Subdiacono qui comitante Caeremoniario, dabit eam primae Dignitati, sedenti supra Presbyterum assistentem, deinde Canonico qui sedebit post Presbyterum assistentem, itemque ceteris ordine declarato cap. VI. lib. I.

145. Interim Cappellani a libro et scotula venient ad abacum et resument Missale cum scotula pro Episcopo et manebunt prope secundum Diaconum assistentem.

146. Quum Celebrans communicaverit et communicaverint etiam sacri Ministri, si talis usus vigebit, Episcopus sedebit, caput cooperiet pileolo et a primo Diacono assistente accipiet biretum, quo caput cooperiet.

147. Se sistent ante Episcopum Cappellani cum libro et scotula et Episcopus leget ℣. *Communio*, deinde illi denuo recedent et si opus fuerit, accipient Canonem pro benedictione.

148. Quando Celebrans legerit ℣. *Communio* Episcopus nudabit caput et biretum tradet primo Diacono assistenti.

149. Celebrans cantabit *Dominus vobiscum* cum orationibus ac denuo cantato *Dominus vobiscum*, Diaconus cantabit *Ite Missa est* vel *Benedicamus Domino*; Celebrans autem hoc tempore orationem recitabit *Placeat* etc. ut sit in promptu ad solemnem Episcopi benedictionem.

150. Aderunt apud thronum Cappellani cum scotula et Canone aut Missali, itemque afferetur ad Altare tabella seu libellus formulae Indulgentiarum.

151. Pulsatis organis, vel responso a choro *Deo gratias* in cantu, primus Diaconus assistens imponet capiti Episcopi caputium cappae, vel porriget ei biretum, quo caput cooperiet.

152. Celebrans Altare osculabitur et recedet in latus Epistolae se convertens ad Episcopum: Diaconus eodem statu manebit in gradu infra Celebrantem, et Subdiaconus, ut supra, in infimo gradu, vel in plano.

153. Episcopus benedictionem solemnem largietur eodem modo ac superius num. 272. et seqq. cap. XIV. huius libri, ac si fuerit Archiepiscopus, stabit capite nudato eique afferetur ante thronum Crux Archiepiscopalis.

154. Cappellanus a libro adstans in pedes et sustinens adhuc librum apertum, recedet aliquantum, quum Episcopus dicet *Benedicat vos* etc.

155. Celebrans, Praelati, si aderunt, et Canonici se profunde inclinabunt ad benedictionem Episcopi, ceteri omnes in genua procumbent.

156. Benedictione largita, Episcopus denuo sedebit., et Celebrans conversus ad populum publicabit Indulgentiam, legens formulam praescriptam, nisi post Evangelium habita fuerit sacra concio, quo in casu publicata iam erit a sacro Concionatore.

157. Publicata indulgentia, Episcopus sibi detrahet biretum, si capite retinebat, vel primus Diaconus assistens tollet ei de capite caputium cappae, assurget et Celebrans leget ultimum Evangelium, quod si fuerit S. Ioannis, genuflectet Episcopus in cathedra ad verba *Et Verbum caro factum est.*

158. Absoluto ultimo Evangelio, sedebit Episcopus et caput rursus operiet bireto, quod ei porriget primus Diaconus assistens.

159. Celebrans cum Ministris descendet de Altari, ante quod aderunt Acolythi cum candelabris, et respective conficient ad Altare reverentiam vel genuflexionem.

160. Se convertent deinde ad Episcopum et reverentiam vel genuflexionem facient atque in Sacristiam revertentur.

161. Clerici duo statim ponent faldistorium cum pulvinis ante Altare.

162. Episcopus, bireto de capite detracto, descendet de throno et transiens per chorum benedicet Clerum.

163. Procedet ad faldistorium, brevi tempore orabit, et associatus a Canonicis et Clero adorabit SS. Sacramentum, demum ad suam residentiam se recipiet.

ASSISTENTIA EPISCOPI
CAPPA INDUTI
MISSAE SOLEMNI CELEBRATAE
AB EPISCOPO EXTRANEO.

CAPUT XVIII.

De rebus praeparandis.
Apud Altare SS. Sacramenti.

1. Faldistorium cum pulvinis colori officii respondentibus, vel genuflexorium cum strato et pulvinis, ut superius cap. IV.

2. Altare exornabitur pro qualitate festi, quod celebratur, et accendentur saltem sex cerei in candelabris maioribus dum Episcopus ad ecclesiam accedet, et post functionem inde discedet.

3. Si celebrabitur festum alicuius Sancti in Altari minore distincto, inspiciatur quod superius traditum est cap. XIII. num. 3.

Apud Altare maius.

4. Thronus apparabitur colore officio respondente, cum baldachino et lodice simili cathedrae: aderunt tria scabella pro Assistentibus et gradus sternentur tapeto. Prope cathedram praeparabitur pulvinus concolor paramentis pro Episcopo, ut docebitur inferius.

5. Pavimentum presbyterii contegi poterit tapetis viridis coloris: ante Altare collocabitur faldistorium cum pulvinis, in quo geniculabit Episcopus.

6. Altare instruetur pallio respondente, tobaleis ac tapeto super gradibus strato. Super Altare ponentur sex candelabra cum cereis et Crux aequalis in medio ipsorum. Candelabra erunt plus minusve nobilia pro qualitate festi.

7. In latere Epistolae ante gradus Altaris praeparabitur

faldistorium cum tegumento respondente in usum Celebrantis et prope illud ponetur pulvinus concolor paramentis, utendus pariter a Celebrante, ut inferius.

8. In eodem latere aderit scamnum cum modico postergali et sine suppedaneo, coopertum aulaeo plus minus distincto pro sacris Ministris.

9. Ex eadem parte aderit abacus maior albo mantili contectus, super quo disponentur quae sequuntur: calix cum purificatorio, patena, hostia, palla et bursa, quae continebit corporale: ampullae vini et aquae in pelvicula: campanula: gremiale aequale paramentis ipro Celebrante: instrumentum Pacis, si aderit Magistratus: quatuor, ad summum sex intorticia pro elevatione: urceus cum pelvi et mantile seu manutergium in lance argentea: mitra auriphrygiata Celebrantis, si licebit uti etiam pretiosa: cussinus aut legile pro Missali; Missale cum tegumento et signaculis respondentibus pro Celebrante: Evangeliarium cum tegumento, ut supra, et cum manipulo Celebrantis: Epistolarium cum tegumento, ut supra; alterum Missale pro Episcopo; scotula cum candela pro Episcopo: Canon pontificalis pro Celebrante: libellus seu tabella cum formula Indulgentiae; velum humerale pro Subdiacono, thuribulum cum navicula.

10. Prope latus Evangelii statuetur basis pro Cruce Archiepiscopali, si Dioecesanus, qui assistet officio, erit Metropolita.

11. In presbyterio sive ad cancellos ardebunt sex intorticia vel cerei in candelabris maioribus.

In Sacristia.

12. Disponentur super Altari paramenta Celebrantis, videlicet planeta, chirothecae in lance, dalmatica, tunicella, stola, Crux pectoralis, cingulum, alba et amictus, quae contegentur velo concolore eisdem paramentis. In latere Evangelii mitra pretiosa cum velo pro Cappellano a mitra, si licebit uti, secus ponetur auriphrygiata, quae hoc in casu non praeparabitur super abaco apud Altare maius. Ante Altare vel

alio loco, ut commodius videbitur, collocabitur sedes cameralis decenter ornata cum exiguo tapeto sub ipsa sede. Poterunt etiam statui pulvini duo in aliquo ex genuflexoriis Sacristiae, si Episcopus celebrans vellet orare ante aut post Missam.

13. In aliqua e tabulis Sacristiae disponentur paramenta pro Ministris, videlicet pluviale pro Presbytero assistente, dalmatica et stola cum manipulo, tunicella cum manipulo, duo cingula, duae albae et amictus duo pro Diacono et Subdiacono, praeter tria bireta pro Ministris praedictis. Caligae, et sandalia Episcopi celebrantis in lance. Urceus, pelvis et mantile in lance. Canon pontificalis et scotula cum candela. Duo candelabra pro Acolythis. Superpellicia pro inservientibus. Vasculum aquae sanctae et aspersorium, quae adhibenda erunt in ingressu Episcopi.

De Functione.

14. Tempore officii sonabunt omnes aut aliquae ex campanis festivo more semel aut pluries iuxta usum cuiusque loci ad functionem annunciandam.

15. Recitata in choro tertia Hora, vel alia pro qualitate Missae, ut praescribunt generales Missalis rubricae tit. XV. num. 2. cessabitur ab officio, et sono campanulae Sacrarii, dabitur Canonicis et Capitulo signum associandi Episcopum, ut praecedenti cap. IV.

16. Quod ad modum parandi Episcopum celebrantem, ad accessum eiusdem ad Altare, ad ingressum Episcopi in ecclesiam et ad Altare SS. Sacramenti, quum nulla intercedat variatio, servabuntur ea, quae tradita sunt cap. XIV. huius libri a num. 20. usque ad num. 50.

17. Post adorationem SS. Sacramenti procedet Episcopus ad Altare primarium, atque in presbyterium ingredienti assurget Celebrans, mitram in capite retinens.

18. Ante faldistorium Episcopus salutabit Celebrantem utpote Episcopum, se deinde inclinabit ad Crucem, genicolabit in faldistorio et brevi tempore orabit.

19. Celebrans, quum Episcopus orabit, rursus sedebit in faldistorio suo.

20. Ministri sacri advenienti ad Altare Episcopo et Celebrantem salutanti genuflectent ac si fuerint Canonici, profundam reverentiam conficient.

21. Canonici et ceteri de Clero, Episcopum sequentes, facta respective reverentia vel genuflexione ad Altare, petent subsellia sua et geniculabunt, exceptis duobus Diaconis assistentibus, qui accedent ad Episcopum ut fungantur officio suo.

22. Completa oratione, Episcopus assurget, salutabit Crucem Altaris, deinde Celebrantem, qui assurget et salutationi respondebit, accedet ad thronum, quo priusquam ascendat, benedicet Clerum, vel benedicet transiens per chorum, prout dispositio presbyterii requiret.

23. Ministri Celebrantis, quum Episcopus de Altari discedet iturus ad thronum, facient reverentiam vel genuflexionem, ut supra dictum est.

24. Episcopum ad thronum euntem comitabuntur Diaconi assistentes sequente Caudatario, qui cappae extremitatem posteriorem sustinebit.

25. Clerici duo immediate de medio presbyterio amovebunt faldistorium in quo genuflexerat Episcopus.

26. Episcopus conscenso throno, sedebit brevi tempore, tum detracto de capite bireto, quod tradet primo Diacono assistenti, assurget.

27. Assurget etiam Celebrans, qui de suo faldistorio procedet ad Altare, cuius ad medium priusquam veniat, reverentiam profundam faciet versus Episcopum, qui respondebit ipsi salutatione. Ministri ad Episcopum reverentiam vel genuflexionem conficient.

28. Celebranti ad Altare procedenti adstabit a dextris Presbyter asssistens, a sinistris Diaconus et a sinistris Diaconi incedet Subdiaconus. Clericus aliquis accipiet ex abaco Evangeliarium cum manipulo Celebrantis et afferet ad Altare, sequens Episcopum, quem sequetur etiam clericus a mitra.

29. Celebrans ante Altare progressus mitram, tollente

Diacono, dimittet. Ipse reverentiam, Ministri vel genuflexionem vel reverentiam ad Altare conficient cum eo, et stabunt ante Altare eodem ordine ac superius. Clericus cum Evangeliario geniculabit a sinistris Subdiaconi: alter a mitra stabit post Episcopum.

30. Celebrans inchoabit Missam et Ministri respondebunt.

31. Idem fiet ab Episcopo, stante in throno, cum Diaconis assistentibus, et a ceteris Canonicis, Beneficiariis seu Mansionariis in choro.

32. Quum Celebrans dicet *Indulgentiam* etc. clericus sustinens Evangeliarium, accipiet manipulum Celebrantis et tradet Subdiacono.

33. Interim praesto erit prope Altare thuriferarius cum thuribulo.

34. Recitato a Celebrante *Indulgentiam* etc. Diaconus recedet aliquantum retro, et Subdiaconus manipulum osculabitur ex una parte, accedet ad Celebrantem, porriget ei manipulum osculandum, deinde illum inducet in eius brachium sinistrum, osculabitur manum eius, manipulum ligabit taeniis et redibit ad locum suum.

35. Celebrans prosequetur Missam ad ℣. *Deus tu conversus* etc. et dicto *Oremus* ascendet ad Altare.

36. Quum Celebrans ascendet ad Altare, recedet Presbyter assistens prope faldistorium, Diaconus transibit ad dexteram Celebrantis et Subdiaconus accedet ad sinistram ipsius, et uterque aliquantum attollent extremitatem anteriorem vestis eius. Ad Altare ascendet etiam prope Subdiaconum clericus cum Evangeliario.

37. Celebrans Altare osculabitur in medio, deinde osculabitur textum Evangelii in libro ei praesentato a Subdiacono, qui illum acceperit a clerico, ut superius traditum est.

38. Evangelio a Celebrante osculato, Subdiaconus librum clausum restituet clerico, qui descendens de Altari cum debitis genuflexionibus illum in abacum reportabit.

39. Ascendet ad Altare thuriferarius, qui tradita Diacono navicula, praesentabit thuribulum apertum Celebranti adstans in pedes (aderit enim Episcopus ordinarius). Diaconus

incensum cum osculis ministrabit Celebranti, qui cum benedictione consueta illud in thuribulum demittet.

40. Tum Celebrans ritu solito adolebit Altare.

41. Interim Cappellani a libro et scotula accipient ex abaco scotulam et Missale pro Episcopo, procedent ad thronum et locum sument prope secundum Diaconum assistentem.

42. In promptu stabunt prope faldistorium Celebrantis Clerici cum Missali atque alter etiam cum gremiali. Clericus cum mitra ad gradus Altaris accedet.

43. Celebrans incensato Altari, thuribulum restituet Diacono, qui accepto thuribulo, descendet in planum lateris Epistolae simul cum Subdiacono.

44. Caeremoniarius Celebrantis mitram pretiosam ipsi imponet, si licebit uti, secus alteram auriphrygiatam.

45. Deinde Diaconus thurificabit Celebrantem duplici ductu, profunda reverentia honorans ipsum ante et post incensationem, ac thuribulum restituet thuriferario, qui referet illud ad abacum vel in Sacristiam, Celebrans cavebit, ne benedictionem donet Diacono, sed respondebit ei modica inclinatione.

46. Celebrans thurificatione accepta, quin redeat ad medium Altaris, se convertet ad Crucem, quam reverebitur, et medius inter Ministros descendet a latere ad faldistorium ibique sedebit. Caeremoniarius advertet, ut ipsi attollat planetam, dalmaticam ac tunicellam, ne his insideat.

47. Diaconus mitram tollet Celebranti, qui assurget seque convertet ad Altare super sinistram suam. Se sistent ante eum clericus cum libro, et ille leget introitum. Diaconus a dextris, Subdiaconus a sinistris adstabunt ei; Presbyter assistens adstabit Celebranti dextrorsum ante Diaconum, ut monstrare illi possit quid legere e Missali debeat.

48. Se sistent Episcopo duo Cappellani cum scotula et cum libro, ex quo et ipse, deposito bireto, stans leget introitum, deinde recedent praedicti Cappellani et librum cum scotula in abaco deponent.

49. Clericus a mitra deponet in abaco mitram pretiosam et sumet auriphrygiatam.

50. Intera Canonici descendent ad circulum in medium

chorum seu presbyterium cum solitis reverentiis ad Altare et ad Episcopum.

51. Deinde Episcopus cum Canonicis et Celebrans cum Ministris recitabunt *Kyrie.*

52. Si protrahetur cantus *Kyrie*, Episcopus benedicet Canonicos, qui redibunt ad subsellia, sedebit et caput bireto cooperiet.

53. Celebrans etiam, se convertens super sinistram suam sedebit, cooperietur mitra auriphrygiata a Diacono et ab eodem recipiet gremiale super genibus. Ministri sedebunt in suo scamno observantes ordinem cap. XIV huius libri num. 110. notatum.

54. Clericus cum libro pro Celebrante poterit remanere prope faldistorium a latere extra gradus Altaris.

55. Completo cantu *Kyrie*, Ministri nudabunt caput, consurgent, redibunt ante Celebrantem, reverentia eum honorabunt et Diaconus tollet ei gremiale et mitram.

56. Quum assurgent Ministri Celebrantis, redibunt ad circulum Canonici ad recitandum *Gloria in excelsis.*

57. Celebrans assurget, se convertet super sinistram suam et intonabit *Gloria in excelsis*, ritu in Missali praescripto.

58. Ad intonationem hymni praedicti, Diaconus se sistet post Celebrantem, Subdiaconus post Diaconum: post intonationem autem accedent ad latera eius ut cum ipso recitent *Gloria.* Presbyter assistens adstabit semper prope dexteram Celebrantis, ut ei assistat ad librum.

59. Episcopus nudabit caput, biretum tradet primo Diacono assistenti, assurget ad intonationem hymni supradicti cumque ipso consurgent etiam Diaconi assistentes. Intonato, ut supra, hymno, recitabit illum cum Canonicis, in circulo, quo recitato, benedicet Canonićos, qui redibunt ad subsellia, peractis reverentiis usitatis.

60. Episcopus sedebit et caput cooperiet bireto, quod ei porriget cum osculis primus Diaconus assistens.

61. Presbyter assistens Episcopo, recitato *Gloria* in circulo, non redibit in chorum ad stallum suum, sed ascendet ad thronum et priusquam eius gradus conscendat, reverentiam faciet ante Altare, deinde ad Episcopum ante thronum: tum conscendet thronum et sedebit in scabello assistentiae.

62. Cappellani a scotula et libro Episcopi sedebunt in gradibus throni cum Caudatario Episcopi eiusdem.

63. Postquam Celebrans recitaverit *Gloria* cum Ministris, recedet clericus cum libro et praesto erunt alteri duo cum mitra et gremiali.

64. Celebrans conversus super sinistram suam, sedebit in faldistorio, ante quod aderunt tres Ministri, videlicet Diaconus in medio, Subdiaconus a sinistris Diaconi et Presbyter assistens a dextris Diaconi. Reponetur ei mitra auriphrygiata et gremiale a Diacono. Post haec Ministri, facta ad Celebrantem reverentia, sessum ibunt ad scamnum sibi praeparatum.

65. Caput inclinabitur a Celebrante et nudabitur respective ab Episcopo et ceteris omnibus de Clero ad verba *Adoramus te, Gratias agimus* etc. ut praescribitur a rubricis.

66. Sub finem cantus hymni eiusdem, caput aperient et consurgent Ministri, qui venient ante Celebrantem, reverentia eum honorabunt et Diaconus tollet ei gremiale et mitram.

67. In promptu iam erunt prope faldistorium clericus a mitra et alter a gremiali, ac tertius cum libro seu Missali.

68. Diaconus se sistet ante Celebrantem, quando hic detegerit caput, Subdiaconus post Diaconum et Presbyter assistens a dextris faldistorii ut Celebranti indicare possit quae cantanda sint.

69. Detecto a Celebrante capite, consurgent chorus, Diaconi assistentes ac praedicti Cappellani Episcopi, qui sedebant in gradibus throni.

70. Completo *Gloria*, caput nudabit Episcopus, et bireto tradito primo Diacono, assurget.

71. Assurget Celebrans et salutabit populum dicens *Pax vobis* vel *Dominus vobiscum*, nisi cantatum fuerit *Gloria in excelsis*. Chorus respondebit *Et cum spiritu tuo*. Si Altare erit orientale, seu versum ad populum, Celebrans se ad populum convertet super dexteram suam et orationem cantabit post salutationem.

72. Post *Pax vobis* sive *Dominus vobiscum*, Celebrans super sinistram suam se convertet ad Altare et expansis manibus cantabit orationem sive orationes, quas ipsi in Missali indicabit Presbyter assistens.

73. Sub finem ultimae orationis, Subdiaconus accipiet Epistolarium a Caeremoniario, vel a clerico, sed non discedet de loco suo.

74. Cantatis orationibus, sedebit Episcopus, accipiet biretum a primo Diacono assistente et cooperiet caput.

75. Sedebit etiam Celebrans, cui Diaconus reponet mitram et gremiale. Clericus qui eidem Celebranti sustinuerit librum apertum, facta ad ipsum reverentia, recedet prope faldistorium, ut paratus sit ad sequentes actiones.

76. Presbyter assistens et Diaconus reverentiam conficient ad Celebrantem et sessum ibunt ad scamnum suum.

77. Quum sederit Celebrans, Subdiaconus, comitante Caeremoniario, sustinens librum ante pectus, reverebitur illum, veniet ante Altare et faciet reverentiam aut genuflexionem ad Crucem; procedet aliquantum versus thronum et reverentiam aut genuflexionem conficiet ad Episcopum; deinde eo veniet, ubi cantanda erit Epistola, aperiet librum, quem sibi ipse sustinens, licet esset Canonicus, cantabit Epistolam.

78. Quod ad modum locumque cantandi Epistolam, advertenda est Altaris positio; qua de re tradita sunt documenta praeced. cap. XIV. num. 139.

79. Dum Subdiaconus ad cantandam Epistolam procedet, Cappellani Episcopo inservientes a libro et scotula, recipient haec et aderunt apud thronum a latere sinistro prope secundum Diaconum assistentem.

80. Completo Epistolae cantu, Subdiaconus librum claudet, et comitante Caeremoniario perget in medium presbyterii, reverentiam vel genuflexionum ad Altare conficiet, se convertet versus thronum et reverentiam vel genuflexionem faciet ad Episcopum, veniet ante Celebrantem et manum, quam ille imponet libro, osculabitur et flexis genibus aut profunde inclinatus benedictionem ab ipso accipiet: deinde Epistolarium clerico tradet et ab altero clerico, qui Celebranti inserviet a libro, accipiet Missale, quod apertum sustinebit ante Celebrantem, donec leget, ut infra.

81. Quum Subdiaconus compleverit cantum Epistolae, nudabit caput et assurget Presbyter assistens Celebranti et ac-

cedet ad Celebrantis sinistram ut ipsi indicet quae legere debeat.

82. Duo Cappellani a libro et scotula se sistent cum Missali et scotula ante Episcopum, qui leget Epistolam statim ac legere incipiet Celebrans.

83. Presbyter assistens cum Diaconis assistentibus consurgent, quum Episcopus leget.

84. Celebrans et Episcopus legent Epistolam, *Munda cor meum* etc. *Iube Domine* etc. et Evangelium.

85. Interim praesto erit apud abacum thuriferarius cum thuribulo.

86. Diaconus, ad nutum Caeremoniarii, idest quum Celebrans legere incipiet Evangelium, caput aperiet, assurget et accedet ad abacum, ubi recipiet Evangeliarium, quod utraque manu gestabit ante pectus: reverentiam faciet quum transibit ante Celebrantem, deinde reverentiam vel genuflexionem versus Episcopum, quum procedet ad Altare, cuius ante gradus quum pervenerit, conficiet reverentiam aut genuflexionem ad Crucem: ascendet ad Altare: ponet Evangeliarium in media mensa: iterabit reverentiam vel genuflexionem, descendet a latere de Altari et veniet ad dexteram Celebrantis.

87. Postquam Celebrans legerit Evangelium, Subdiaconus Missale claudet ac restituet clerico, qui custodiet, et consistet contra Celebrantem.

88. Evangelio ab Episcopo lecto, duo Cappellani a libro et scotula se recipient ad locum suum. Presbyter assistens cum Diaconis assistentibus sedebunt.

89. Thuriferarius se sistet Celebranti et naviculam tradet Diacono; aperiet deinde thuribulum et stans illud obiiciet Celebranti, qui Diacono ministrante, incensum demittet in thuribulum cum benedictione consueta.

90. Diaconus restituet naviculam thuriferario, qui illa recepta, se sistet post Subdiaconum. Diaconus idem ascendet a latere ad Altare et genibus flexis in suppedaneo recitabit *Munda cor meum*.

91. Hoc tempore duo Acolythi accipient ex abaco candelabra cum candelis accensis et venient ante Celebrantem, sub-

sistentes a lateribus Subdiaconi. Acolythus qui stabit a dextera advertet ut locum relinquat Diacono.

92. Diaconus assurget, librum ex Altari accipiet, reverentiam vel genuflexionem conficiet ad Crucem, a latere de Altari descendet, se sistet Celebranti, a quo genuflexus aut profunde inclinatus petet benedictionem, dicens *Iube Domne benedicere* Celebrans respondebit *Dominus sit* etc. benedictionem illi et manum osculandam dabit.

93. Diaconus se addet Subdiacono et simul cum Acolythis ac thuriferario reverentiam conficient ad Celebrantem: procedent coniunctim ante Altare et respective conficient reverentiam aut genuflexionem ad Crucem, hoc ipsum deinde facient versus Episcopum et venient eo, ubi cantabitur Evangelium.

94. Quum de Altari discedent Ministri cum Acolythis et aliis, Caeremoniarius Celebrantis tollet ipsi Celebranti gremiale et mitram.

95. Episcopus, postquam ipsi reverentiam aut genuflexionem, ut supra, confecerint, nudabit caput et biretum tradet primo Diacono assistenti.

96. Subdiaconus cum Acolythis in loco quo solet cantari Evangelium, advertent ita se disponere ut neque ad Altare, neque ad Episcopum humeros convertant.

97. Diaconus cantabit Evangelium, se signabit et librum adolebit. ut in aliis Missis solemnibus.

98. Statim ac Diaconus cantabit *Dominus vobiscum* consurgent Celebrans, Episcopus et ceteri omnes. Episcopus et Celebrans paullulum conversi stabunt versus Diaconum.

99. Si genuflectendum sit dum cantatur Evangelium, ut in festo Natalis Domini, Epiphaniae etc. Acolythi et Subdiaconus non genuflectent; tamen genuflectent omnes adstantes et pro Episcopo ponetur pulvinus in gradulo cathedrae, pro Celebrante alter ponetur ante ipsum.

100. Absoluto cantu Evangelii, Subdiaconus librum afferet osculandum Episcopo, nullam omnino faciens reverentiam aut genuflexionem: tantum, quando Episcopus osculatus erit librum, Subdiaconus, libro clauso, de throno descendet, reve-

rentiam aut genuflexionem peraget ad Episcopum, deinde ad Altare, postremo ad Celebrantem quum ante ipsum pervenerit, et librum tradet clerico, qui super abaco reponet.

101. Acolythi discedent a Diacono, genuflectent ad Episcopum, deinde ad Altare, tum reverentiam conficient ad Celebrantem et pergent ad abacum ibique candelabra deponent.

102. Diaconus se convertet versus Celebrantem, accipiet a thuriferario thuribulum, adolebit Celebrantem duplici ductu, atque iterata reverentia aut genuflexione ad Episcopum et ad Altare, redibit ad Celebrantem.

103. Dum a Diacono incensabitur Celebrans, Canonici ad circulum descendent. Eodem tempore Presbyter assistens Episcopo, facta ad ipsum reverentia, de throno descendet seque reliquis Canonicis adiunget in circulo.

104. Si fiet sermo seu sacra concio, observabitur quod notatum est cap. X. libri huiusce.

105. Nisi cantandum sit *Credo*, neque Canonici nec Presbyter assistens ad circulum descendent.

106. Thurificatus Celebrans se convertet ad Altare super dexteram suam et e libro sustento a clerico, intonabit *Credo*. In hac intonatione Ministri stabunt eodem ordine ac in intonatione hymni *Gloria*, itemque in recitatione Symboli.

107. Episcopus recitabit *Credo* cum assistentibus et Canonicis in circulo, non utens libro.

108. Dum recitabitur ℣. *Et incarnatus* etc. genuflectent omnes, excepto clerico sustinente librum ante Celebrantem. Pro Episcopo ponetur pulvinus in gradulo cathedrae, pro Celebrante, ponetur ante faldistorium.

109. Fine facto recitandi *Credo*, Episcopus benedicet Canonicos, qui cum reverentiis superius indicatis, ad subsellia redibunt.

110. Presbyter assistens Episcopo, non redibit ad stallum suum cum ceteris Canonicis, sed conficiens reverentiam ad Altare, deinde ad Episcopum, rursus ascendet ad thronum et in scabello assistentiae sedebit.

111. Episcopus sedebit et a primo Diacono assistente accipiet biretum, quo caput cooperiet.

112. Celebrans se convertens super sinistram suam sedebit in faldistorio et Diaconus ei reponet mitram et gremiale. Ministri reverentia eum honorabunt et sessum ibunt ad scamnum suum.

113. Assistentes Celebranti sedebunt, ut ad *Gloria.*

114. Ad cantum ℣. *Et incarnatus* etc. Episcopus, Canonici et Praelati caput nudabunt bireto et inclinabunt; Celebrans caput inclinabit, quin deponat mitram; ceteri omnes, capite nudato, geniculabunt.

115. Cantato praedicto versiculo, Diaconus assurget, et relicto bireto super scamno, accedet ad abacum, bursam cum corporali accipiet eamque utraque manu sustinebit elatam ferme ad altitudinem vultus sui, et facta reverentia ad Ministros in scamno sedentes, qui respondebunt ei nudando caput, deinde ad Celebrantem praeteriens ante ipsum, et genuflexionem aut reverentiam ad Episcopum transiens ante thronum, itemque ad Altare, conscendet suppedaneum, bursam ponet in medio Altari, extrahet inde corporale, bursam collocabit versus cornu Evangelii, applicans eam candelabris, et corporale explicabit in media mensa. Iterata postea reverentia aut genuflexione ad Crucem, se recipiet ad scamnum, salutabit Ministros et rursus sedebit.

116. Si Cappellani Episcopo inservientes a libro et scotula, reposuerint haec super abaco, consurgent circa finem *Credo* et cum debitis genuflexionibus recipient illa et redibunt ad thronum, prope secundum Diaconum assistentem.

117. Dum ultima verba Symboli canentur, consurgent Ministri, venient ante Celebrantem et reverentia eum honorabunt. Diaconus tollet ei mitram et gremiale, quae tradet clericis respectivis.

118. Si Celebranti licebit uti mitra pretiosa, clericus receptam a Diacono mitram auriphrygiatam reponet super abaco, accipiet pretiosam et redibit prope faldistorium. Alter clericus receptum a Diacono gremiale reponet super abaco, neque illo in Missa opus est amplius.

119. Aderit etiam prope faldistorium clericus cum Missali pro Celebrante.

120. Praesto erit clericus cum lance pro chirothecis et familiares nobiles vel duo clerici pro lotione manuum Celebrantis.

121. Completo Symboli cantu, caput nudabit Episcopus, biretum tradet primo Diacono assistenti et assurget. Tunc assistentes consurgent et chorus.

122. Celebrans surget, cantabit *Dominus vobiscum* et a sinistris suis conversus ad Altare, cantabit *Oremus* et leget versiculum Offertorii.

123. Diaconus et Subdiaconus stabunt post Celebrantem, quum cantabit *Dominus vobiscum* et *Oremus*, quando autem leget versiculum Offertorii adstabunt ei a lateribus. Presbyter assistens stabit semper a dextris faldistorii, ut indicet Celebranti quae legenda sint.

124. Cantato a Celebrante *Oremus*, denuo sedebit Episcopus et caput bireto cooperiet quod ei porrigetur a primo Diacono assistente. Se sistent ante ipsum Cappellani cum libro et scotula, et ipse leget versiculum Offertorii. Cappellani referent ad abacum librum et scotulam.

125. Lecto offertorii versiculo, Celebrans conversus super sinistram suam, rursus sedebit in faldistorio et a Diacono cooperietur mitra pretiosa, si licebit uti, secus mitra auriphrygiata. Tum Diaconus locum sumet a dextris Celebrantis, Subdiaconus a sinistris.

126. Clericus, qui Celebrantis sustinebit Missale, referet ipsum ad abacum, et clausum ponet super legili vel cussino, addens Canonem pontificalem.

127. Sedente Celebrante, Presbyter assistens perget ad abacum et utraque manu accipiet cussinum cum Missali, et cum Canone; cooperiet haec fimbriis Pluvialis et afferet ad Altare. Transiens ante Celebrantem, reverebitur eum, reverentiam deinde aut genuflexionem ad Episcopum faciet quum transibit prope thronum, et reverentiam aut genuflexionem ad Crucem Altaris quum venerit ante gradus; conscendet suppedaneum, ponet legile seu cussinum super mensa in latere Evangelii, aperiet Missale ad Missam, quae celebratur, et supra Missale aperiet Canonem ad offertorium, ibique Celebrantem expectabit.

128. Presbyterum assistentem euntem ad Altare sequetur clericus, qui deferet lancem pro reponendis chirothecis, ipsumque clericum sequentur duo familiares nobiles, vel duo clerici, quorum unus urceum cum pelvi portabit, alter mantile in lance.

129. Clericus cum lance pro chirothecis veniens ante Celebrantem, reverebitur eum, et consistet ante ipsum sustinens lancem. Diaconus cum osculis tollet annulum Celebranti, deinde pariter cum osculis tollet ei chirothecam dexteram; Subdiaconus chirothecam sinistram, eodem modo ac Diaconus: annulus et chirothecae ponentur in lance sustenta a clerico praedicto, qui, receptis illis, rursus se inclinabit Episcopo et recedet apud Diaconum.

130. Se sistent duo familiares supradicti vel clerici cum lotionis instrumentis et reverentiam facient ad Celebrantem: Ministri accipient mantile seu manutergium, quod expandent in sinu Celebrantis; familiaris qui sustinebit urceum, effundet aquam super manus Celebrantis, supponens pelvim: familiares actionem hanc peragent stantes, non genuflexi, respectu Episcopi ordinarii qui aderit. Celebrans manus absterget mantili, quod sustinebunt Ministri. Postea familiares seu clerici reverentiam ad Celebrantem iterabunt et ad abacum redibunt ubi praedicta instrumenta deponent.

131. A clerico, qui sustinebit lancem cum chirothecis, accipiet Diaconus annulum et cum osculis inseret digito Celebrantis. Tradito annulo, clericus cum lance transibit post faldistorium et lancem cum chirothecis in abaco deponet.

132. Lotis a Celebrante manibus, Subdiaconus perget post familiares nobiles ad abacum: imponetur humeris eius velum humerale, accipiet calicem cum purificatorio, patena, hostia et palla, afferet haec ad Altare et curabit adesse ibi quum adveniet Celebrans.

133. Acolythus unus ampullas ex abaco accipiet, sequetur Subdiaconum quum ibit ad Altare easque ponet super Altari consistens in angulo a latere Epistolae postquam Subdiaconus ibi calicem posuerit.

134. Celebrans postquam annulum receperit, surget de

faldistorio et ad Altare procedet, adstantibus a dextra Diacono, a laeva Caeremoniario, sequente clerico a mitra. Priusquam veniat ad medium Altaris, reverebitur Episcopum, qui non benedicet eum, sed salutationi respondebit nudando caput et aliquantum assurgendo, ut se illi inclinet. Diaconus reverentiam vel genuflexionem ad Episcopum faciet, clericus a mitra genuflectet. Assistentes Episcopo ad hanc actionem consurgent.

135. Celebranti ante Altare pervenienti Diaconus tollet mitram. Celebrans ad Crucem reverentiam, Diaconus genuflexionem aut reverentiam conficiet. Ascendent ad Altare et Celebrans peraget oblationem Hostiae, ut in aliis Missis. Presbyter assistens monstrabit ei quae dicere quaeve facere debeat, sustinens Canonem. Diaconus vinum in Calicem infundet, deinde Subdiaconus ampullam aquae praesentabit Celebranti, dicens *Benedicite Reverendissime Pater* ac Celebrans eam benedicet et recitabit orationem *Deus qui humanae substantiae* etc.

136. Post oblationem Calicis et postquam Subdiaconus, accepta patena, descenderit in planum ante Altare, Celebrans incensum in thuribulum demittet dicens formulam *Per intercessionem* etc. Diaconus cum osculis incensum ministrabit Celebranti. Thuriferarius quo momento praesentabit ei thuribulum. non erit genuflexus.

137. Celebrans adolebit Oblata et Altare solito ritu.

138. Presbyter assistens amovebit ab Altari Missale et Canonem cum cussino seu legili, dum incensabitur latus Altaris, in quo situm erit.

139. Praesto erit prope gradus Altaris clericus cum mitra pretiosa Celebrantis, si uti licebit, secus cum auriphrygiata. In promptu etiam erunt familiares nobiles Celebrantis, aut clerici duo pro lotione manuum eiusdem.

140. Celebrans, peracta Altaris thurificatione, thuribulum Diacono restituet.

141. Mitra reponetur Celebranti a Caeremoniario suo, ac Diaconus tunc eum adolebit duplici ductu. Incensato autem a Diacono Celebranti se sistent clerici aut familiares, qui lotionem manibus eius ministrabunt, et is absterget mantili, quod

ispi porriget unus e clericis aut familiaribus praedictis, quibus benedictionem non dabit. Celebrans, abstersis manibus, restituet mantile, et familiares sive clerici redibunt ad abacum ibique urceum, pelvim et mantile deponent. Priusquam Celebrans dicat *Gloria Patri* psalmi *Lavabo*, Caeremoniarius tollet ei mitram, quae reponetur super abaco a clerico illius custode.

142. Dum Diaconus incensabit Celebrantem, Presbyter assistens Episcopo, relicto bireto super scabello, descendet de throno et consistet ante Episcopum.

143. Diaconus postquam incensaverit Celebrantem, perget ad thronum cum debitis reverentiis, et Presbytero assistenti tradet thuribulum.

144. Episcopus caput nudabit bireto, quod primo Diacono assistenti dabit, assurget et stabit iunctis manibus.

145. Presbyter assistens adolebit Episcopum triplici ductu, reverentia eum honorans ante ac post thurificationem.

146. Episcopus, accepta thurificatione, benedicet Presbyterum assistentem, sedebit denuo et caput operiet bireto.

147. Presbyter assistens thuribulum restituet Diacono, redibit ad thronum, consistet ante scabellum et biretum manu sustinebit.

148. Diaconus Presbyterum assistentem adolebit, deinde primum Diaconum assistentem, iterabit reverentiam aut genuflexionem ad Episcopum et secundum Diaconum assistentem incensabit.

149. Assistentes postquam thurificationem acceperint, sedebunt et Diaconus adolebit Canonicos et Chorum, quo ordine declaratum fuit cap. V. lib. I.

150. Presbyter assistens Celebranti animadvertet ad removendum Canonem de cussino seu legili, quum Celebrans recitaturus erit orationes secretas et ad reponendum pro reliqua Missa.

151. Monebitur Celebrans ne cantare incipiat praefationem, nisi quum innuetur ei, ut tempus detur Diacono peragendi totius Chori incensationem. Priusquam incipiat cantum Praefationis, pileolo nudabitur a Caeremoniario.

152. Praefationis initio, Episcopus sibi de capite detra-

het biretum, quod tradet primo Diacono assistenti et assurget. Cum ipso consurgent Assistentes et Chorus.

153. Post verba *Gratias agamus* etc. quoniam completa erit Canonicorum thurificatio, descendent ipsi ad circulum cum reverentiis consuetis.

154. Presbyter assistens Episcopo, cantatis praedictis verbis, reverentiam faciet ad Episcopum, de throno descendet et cum reliquis Canonicis coibit in circulo.

155. Interim a duobus clericis ponetur ante Altare faldistorium cum pulvinis pro Episcopo et in promptu erunt clerici sex cum intorticiis, quae afferenda erunt ad Sanctus.

156. Praefatione cantata, Celebrans recitabit *Sanctus* cum Ministris, itemque Episcopus cum Canonicis.

157. Episcopus benedicet Canonicos, qui cum praescriptis reverentiis ad sua subsellia redibunt. Postea medius inter Diaconos assistentes et sequente Caudatario, cappae sustinente posteriorem extremitatem, descendet de throno, benedicet Clerum et veniet ad faldistorium ante Altare locatum, ubi geniculabit.

158. Interea clerici gestantes intorticia ad elevationem, procedent ante Altare, genuflexionem ad Altare conficient deinde ad Episcopum, tum subsistent hinc inde a lateribus Altaris facie ad invicem conversa ibique in genua procumbent, ne tergum vertant Episcopo.

159. Episcopus in faldistorio geniculabit, sibi detrahet pileolum, quem tradere poterit Caudatario et pars anterior cappae extendetur super faldistorio a Caeremoniario. Diaconi assistentes a lateribus eius geniculabunt.

160. Subdiaconus, adveniente ad faldistorium Episcopo, advertet ut recedat aliquantum versus partem Epistolae, ne tergum directe ei vertat.

161. Post elevationem Hostiae et Calicis assurget Episcopus, genuflexionem utroque genu faciet ad SS. Sacramentum, quod adest in Altari, idemque facient Diaconi assistentes et Cappellani, qui cum ipso erunt. Reversus in thronum, stabit, aliquantum conversus ad Altare.

162. A duobus clericis amovebitur faldistorium, quod ante Altare locatum fuerat pro Episcopo.

163. Clerici cum intorticiis, profecto Episcopo de faldistorio, coibunt ante Altare, genuflexionem facient ad Sacramentum, revertentur ad abacum vel in Sacristiam et intorticia extinguent.

164. Sub finem cantus *Pater noster*, Canonici ad circulum descendent, et loco reverentiae ad Altare, genuflexionem ad Sacramentum utroque genu conficient, deinde reverentiam facient ad Episcopum.

165. Episcopus recitabit *Agnus Dei* cum Canonicis, quos postea benedicet; iique reverentia ad Episcopum et genuflexione utroque genu iterata ad SS. Sacramentum, se recipient ad subsellia.

166. Celebrans cum Ministris suis recitabit *Agnus Dei*. Presbyter assistens adstabit ei sinistrorsum, Diaconus dextrorsum et Subdiaconus a dextra Diaconi. Recitato *Agnus Dei*, genuflectent tres praedicti Ministri, Presbyter assistens de Altari discedet et cum reverentia vel genuflexione ad Episcopum, quum transibit ante thronum, veniet in chorum et consistet prope locum Presbyteri assistentis Episcopo. Diaconus transibit ad sinistram Celebrantis, ut assistat ad librum et Subdiaconus remanebit quo loco erit.

167. Presbyter assistens Episcopo, postquam in circulo recitaverit *Agnus Dei*, quin genuflectat ad Sacramentum, discedet a suis collegis et iunctis manibus recta ibit ad Altare. Ibi geniculabit in suppedaneo a dextra Celebrantis; quum autem hic recitaverit orationem *Domine Iesu Christe qui dixisti* etc. assurget Presbyter assistens, osculabitur Altare eodem tempore cum Celebrante, et Celebrans eidem assistenti Episcopo donabit Pacem, imponens manus humeris eius et dicens *Pax tecum*., cui respondebit Presbyter assistens *Et cum spiritu tuo*.

168. Presbyter assistens praedictus genuflectet ad Sacramentum, de Altari descendet et sine ulla reverentia directe perget ad thronum, Pacem praebebit Episcopo, advertens ut manus non super humeros eius sed infra cubitos supponat, eique dicet *Pax tecum*.

169. Idem Presbyter assistens, postquam Pacem dederit Episcopo, descendet de gradulo cathedrae, reverentiam pro-

fundam faciet ad Episcopum, de throno a latere descendet et in chorum redibit ad stallum suum.

170. Diaconus primus assistens iunctis manibus conscendet gradulum cathedrae, Pacem accipiet ab Episcopo, respondens ei *Et cum spiritu tuo*, descendet de gradulo, reverebitur Episcopum et ad eius dexteram revertetur. Hoc ipsum deinde faciet secundus Diaconus assistens, qui redibit ad sinistram.

171. Presbyter assistens Episcopo, reversus in chorum ad locum suum, Pacem dabit Presbytero assistenti Celebranti, qui comitatus a Caeremoniario, illam dabit primae Dignitati, quae sedebit supra Presbyterum assistentem, atque ita de ceteris ordine notato cap. VI lib. I.

172. Interea Cappellani a libro et scotula recipient ex abaco Missale et scotulam pro Episcopo.

173. Quum Celebrans communicaverit et Communionem exceperint etiam sacri Ministri, si talis usus vigebit, Episcopus sedebit, caput pileolo cooperiet ac bireto, quod ei porriget primus Diaconus assistens.

174. Clericus recipiet mitram Celebrantis et consistet prope gradus Altaris.

175. Presbyter assistens Celebranti dum hic accipiet ablutionem, ponet Canonem apertum ad pedem Crucis et Missale super cussino seu legili.

176. Praesto erunt familiares aut clerici cum apparatu lotionis manuum pro Celebrante.

177. Sedenti, ut supra, Episcopo se sistent Cappellani cum scotula et Missali, ex quo leget versiculum *Communio*, deinde discedent et librum cum scotula ad abacum reportabunt.

178. Celebrans, coopertus mitra lavabit manus, deponet mitram et leget *Communio*.

179. Quum Celebrans legerit *Communio*, ut supra, et veniet ad medium Altaris, Episcopus nudabit caput, biretum dabit primo Diacono assistenti et asssurget.

180. Celebrans cantabit *Dominus vobiscum* cum orationibus et cantato rursus *Dominus vobiscum*, cantabitur a Diacono *Ite Missa est* vel *Benedicamus Domino*. Responso a choro *Deo gratias* vel supplente organorum sono, Celebrans conversus ad Altare

recitabit orationem *Placeat* etc. Altare deinde osculabitur et rursus mitra coopertus a Diacono, benedictionem solemnem, ut in aliis Missis, largietur, excepto quod antequam dicat *Pater*, se convertet et inclinabit ad Episcopum, eique Episcopus respondebit pari inclinatione.

181. Nisi habitus sit sermo, ipse Celebrans data benedictione, publicabit Indulgentiam nomine Episcopi. Se deinde ad Altare convertet, mitram dimittet per Diaconum et ultimum Evangelium recitabit.

182. Interim procedent ante Altare duo Acolythi cum candelabris, clerici qui comitabuntur Celebrantem ad Altare, et alter gestans mitram et alter qui sustinebit eius extremitatem vestis, quum exibit de presbyterio.

183. Completa recitatione ultimi Evangelii, Celebrans mitra cooperietur a Diacono: de Altari descendet medius inter Ministros, se convertet ad Altare, salutabit Crucem reverentia profunda: Ministri autem reverentiam facient aut genuflexionem et recipient biretum suum, quod manu sustinebunt et cooperient caput statim ac de presbyterio exierint; Acolythi ceterique clerici genuflexionem ad Altare conficient.

184. Postea Celebrans cum Ministris et clericis conficient reverentiam vel genuflexionem ad Episcopum, qui Celebrantem non benedicet, sed salutabit inclinans caput.

185. Celebrans cum Ministris et clericis redibunt in Sacristiam, servantes ordinem superius indicatum.

186. Statim post Celebrantis de Altari discessum, clerici duo faldistorium cum pulvinis pro Episcopo reponent ante Altare. Episcopus de throno descendet, accedet ad faldistorium, genua submittet ac brevi orabit.

187. Postremo associatus a Canonicis et Clero adorabit SS. Sacramentum et ad suam residentiam revertetur.

188. Relate ad Celebrantem, quum pervenerit in Sacristiam, observabitur quod traditum est cap. XIV. num. 289. et seqq. libri huius.

DE ASPERSIONE AQUAE BENEDICTAE IN DOMINICIS, PRAESENTE EPISCOPO IN SUA DIOECESI.

CAPUT XIX.

1. Si in Dominica, in quam incidat aliqua solemnitas, cantabitur Missa pontificalis ab Episcopo, omittetur aspersio aquae benedictae. Sin autem in Dominica, quaecumque ea sit, Episcopus Missae solemni intererit, aspersio praedicta peragetur a Celebrante modo sequenti.

2. Dum Capitulum associabit Episcopum, exibit e Sacrario Celebrans pluviali indutus et medius inter Ministros, praecedentibus Acolythis cum candelabris et clerico, qui gestabit vasculum aquae benedictae cum aspergillo.

3. Quum ad Altare ventum erit, Celebrans reverentiam, Ministri nisi fuerint Canonici, genuflexionem conficient cum ceteris inservientibus.

4. Celebrans cum Ministris venient ad scamnum sibi praeparatum ibique sedebunt, caput bireto cooperientes; Acolythi candelabra deponent super abaco, ubi consistent, et prope Diaconum stabit clericus cum vasculo aquae benedictae.

5. Veniente in presbyterium Episcopo, caput nudabunt et assurgent Celebrans et Ministri. Celebrans reverentiam, Ministri nisi fuerint Canonici, genuflexionem ad Episcopum conficient, qui dextera eos benedicet; clerici omnes genuflectent.

6. Episcopus orabit genuflexus in faldistorio; post orationem assurget atque iterata reverentia ad Altare et benedictione versus Celebrantem et Ministros, qui ei respondebunt ut supra, ascendet in thronum et sedebit.

7. Si parandus erit, cappam dimittet ac paramentis induetur a Diaconis assistentibus. Sin paramentis abstinebit, sedebit et caput cooperiet bireto.

8. Quum omnia disposita erunt ad incipiendum officium, Celebrans innuente Caeremoniario, discedet de scamno cum

Ministris et clerico, qui deferet vasculum aquae sanctae cum aspergillo, procedet ad Altare, factis prius respectivis ad Episcopum reverentiis.

9. Quum ventum erit ante Altare, Celebrans reverentiam, Ministri genuflexionem aut reverentiam conficient et in medio gradu infimo geniculabunt.

10. Genuflexo Celebrante, Episcopus et ceteri omnes de Choro consurgent capite nudato.

11. Diaconus cum solitis osculis accipiet aspersorium ac tradet Celebranti, qui intonabit antiphonam *Asperges me*, vel alteram *Vidi aquam* tempore paschali, quam prosequetur in cantu chorus cantorum.

12. Celebrans asperget Altare in medio, a sinistris et a dextris suis: assurget, reverebitur Altare, et comitante Caeremoniario sublevante fimbriam pluvialis, et clerico deferente vasculum, perget ad thronum.

13. Quum venerit ante thronum, ipse reverentiam, ceteri genuflexionem ad Episcopum conficient et ad thronum ascendent. Episcopus a Celebrante accipiet aspersorium, quod ille porriget ei cum osculo manus, asperget prius se ipsum, tum Celebrantem, postea Diaconos assistentes et reliquos inservientes qui adstabunt throno. Celebrans et ceteri aspersionem accipient profunde inclinati.

14. Celebrans aspersorium ab Episcopo recipiet osculans manum eius, de throno descendet cum Caeremoniario et clerico gestante vasculum, iterabit reverentiam ad Episcopum ac reversus ad Altare asperget Diaconum et Subdiaconum, qui post aspersionem consurgent et stabunt ante Altare.

15. Postea Celebrans comitatus, ut supra, veniet in chorum et asperget Canonicos, Beneficiarios, clericos ceterosque omnes in choro praesentes, ultimo loco populum, et aspersorium restituet Caeremoniario, hic autem clerico, qui cum vasculo illud super abaco reponet.

16. Clericus aliquis in promptu habebit Missale pro oratione.

17. Celebrans meminerit debitam reverentiam ad Altare et ad Episcopum peragere, quum ante alterutrum transibit.

18. Aspersione absoluta, Celebrans medius redibit inter Diaconum et Subdiaconum et ante Altare cantabit versiculos et orationem e Missali, quod ei sustinebunt Ministri praedicti.

19. Deinde Celebrans et Ministri, facta ad Altare deinde ad Episcopum reverentia, recedent ad scamnum, ubi Ministri sibi induent manipulum; Celebrans autem, dimisso pluviali, induet manipulum et planetam. Post haec Missae initium fiet ritu praescripto in respectivis praecedentibus capitulis.

VARIATIONES QUAE OCCURRUNT IN ASSISTENTIA SOLEMNI AB EPISCOPO CAPPA INDUTO PRAESTATA MISSIS FERIALIBUS.

CAPUT XX.

1. Quidquid opus est ad rem, praeparabitur methodo tradita cap. XVII. libri huius.

2. Officium procedet eodem ordine usque ad *Kyrie* Missae, quo tempore a clericis duobus reponetur faldistorium cum pulvinis ante Altare.

3. Quum Episcopus recitaverit *Kyrie* et a circulo dimiserit Canonicos cum benedictione; de throno descendet medius inter Diaconos assistentes, sequente Caudatario et post ipsum Cappellanis a libro et scotula. Episcopus transiens per chorum, benedicet Clerum.

4. Presbyter assistens, recitato *Kyrie* in circulo, non redibit ad thronum, sed cum ceteris Canonicis recedet ad stallum suum.

5. Episcopus ad faldistorium quum venerit, stabit: Celebrans convertetur ad populum et cantabit *Dominus vobiscum.* Monebitur tamen Celebrans ne cantet praedictam salutationem, nisi quando ad faldistorium pervenerit Episcopus.

6. Postea geniculabit Episcopus et a Celebrante canentur orationes praescriptae.

7. Orationibus cantatis, assurget Episcopus, reverebitur Crucem Altaris, transiens per chorum benedicet Clerum et redibit in thronum, ubi sedebit et caput bireto cooperiet.

8. Post ascensum Episcopi in thronum, Presbyter assistens de stallo suo descendet, et facta ad Altare, dein ad Episcopum reverentia, ascendet ad thronum et sedebit in scabello assistentiae.

9. Item postquam Episcopus conscenderit thronum, Subdiaconus sustinens librum Epistolarum ante pectus, procedet ante Altare, ibi faciet reverentiam etc. cantabit Epistolam et reliqua peragentur ritu superius descripto usque ad *Sanctus*.

10. Quibusdam Quadragesimae diebus praescribitur cantus ℣. *Adiuva nos Deus* etc. Quocirca advertent cantores ut Tractum cantent commode et cunctanter, ut Episcopus legere possit Epistolam, Graduale, Tractum, *Munda cor meum* et Evangelium.

11. Dum ab Episcopo legetur Epistola etc. a clericis duobus reportabitur faldistorium cum pulvinis in medium presbyterium ante Altare.

12. Statim ac Diaconus osculatus erit manum Episcopi, Presbyter assistens reverebitur Episcopum et a latere de throno discedet, revertens ad stallum suum.

13. Episcopus descendet de throno medius inter Diaconos assistentes, sequente suo caudatario, qui posteriorem extremitatem cappae sustentabit, et Cappellanis a libro et scotula.

14. Transiens per chorum benedicet Clerum, tum in accessu ad faldistorium, tum in reditu ad thronum.

15. Episcopus quum venerit ad faldistorium, geniculabit, cumque ipso geniculabunt omnis Clerus in choro et Celebrans cum Ministris apud Altare, loco unusquisque suo.

16. Genibus ab Episcopo in faldistorio submissis, immediate cantores duo cantabunt cum pausa praedictum versiculum.

17. Post cantum eiusdem versiculi Episcopus assurget, redibit in thronum et sedebit.

18. Clerici duo statim amovebunt faldistorium de medio.

19. Redibit a latere ad thronum Presbyter assistens, eodemque tempore ascendet thuriferarius cum thuribulo.

20. Episcopus incensum, ministrante Presbytero assistente, in thuribulum demittet ac peragetur Sacrum ritibus descriptis usque ad *Sanctus*.

21. Episcopus recitato Trisagio, procedet ad Altare, geniculabit in faldistorio, ibique genibus flexis permanebit etiam post elevationem usque dum cantatum fuerit a Celebrante *Pax Domini sit semper* etc.

22. Clerici cum intorticiis genibus flexis insistent usque ad finem consummationis eodemque statu manebunt etiam ad *Agnus Dei*, quum de Altari Episcopus discedet.

23. Cantatis supradictis verbis, Episcopus assurget, cum omnibus assistentibus suis genuflexionem utroque genu faciet ad Sacramentum et redibit ad thronum, quin benedicat Clerum transiens per chorum.

24. Dum Episcopus conscendet gradus throni, Canonici ad circulum descendent.

25. Episcopus in throno recitabit *Agnus Dei* cum Canonicis, qui postea ab ipso dimissi cum benedictione, iterata genuflexione utroque genu ad Sacramentum dein ad Episcopum, ad subsellia se recipient.

26. Celebrans recitare *Agnus Dei* cum Ministris suis non debet, nisi quum ad thronum pervenerit Episcopus.

27. Pax dabitur ordine superius notato.

28. Quum Celebrans communicaverit, clerici sustinentes intorticia, consurgent, coibunt ante Altare et genuflectent, deinde convertentur ad Episcopum et genuflexionem facient postea recedent ad abacum vel in Sacristiam, ubi extinguent et deponent intorticia.

29. Paulo ante quam Celebrans legat versiculum *Communio*, Episcopus assurget, de throno descendet, benedicet Clerum dum transibit per chorum et ante faldistorium consistet.

30. Celebrans lecto *Communio*, convertetur ad populum et cantabit *Dominus vobiscum*.

31. Tunc Episcopus geniculabit eoque statu manebit ad omnes orationes, non excepta oratione *super populum*, si quadragesimale tempus erit.

32. Cantatis orationibus, assurget, reverebitur Crucem,

redibit ad thronum, benedicens ut antea Clerum dum per chorum transibit.

33. In throno adstabit in pedes, et Celebrans convertetur ad populum et cantabit *Dominus vobiscum*, quo cantato, subiungetur a Diacono in cantu *Benedicamus Domino.*

34. In reliqua functione omnia peragentur ordine superius tradito.

35. Notandum postremo, quod in Missis ferialibus, in quibus Diaconus et Subdiaconus utentur planetis plicatis, servare debent respectivas rubricas, illas scilicet dimittendi, sumendi stolam latiorem etc. ut in aliis Missis solemnibus.

36. Si qua de causa extraordinaria Episcopus Missae feriali assistet pluviali paratus, inspiciantur quae subiiciemus lib. VI cap. IX. in quo trademus regulam servandam in Feria IV Cinerum in capite ieiunii.

VESPERAE, MATUTINUM ET LAUDES PRO DEFUNCTIS PRAESENTE IN SUA CATHEDRALI EPISCOPO.

CAPUT XXI.

1. Die prima Novembris post secundas Vesperas omnium Sanctorum, immediate cantandae sunt Vesperae defunctorum pro eorum generali commemoratione; hinc recitato Completorio, cantandum erit Matutinum et Laudes pro fidelibus defunctis. Ita praescribit Caeremoniale Episcoporum lib. II. cap. X. § 1. Ex eiusdem Caeremonialis verbis liquet diversitas ornatus, qui requiritur pro utroque officio, quia quum unum alteri succedere immediate debeat, fieri non potest ut evadat decorus et conveniens, praesertim si Episcopus cantaret secundas Vesperas omnium Sanctorum, postea primas Vesperas pro defunctis. Hanc difficultatem videtur percepisse ipse Caeremonia-

lis compilator, siquidem loco citato asserit quod binae Vesperae praedictae *simul et iunctim in multis ecclesiis recitari solent.* Videntur igitur seiungi posse; ideoque licebit sequi usum Sacelli pontificii, in quo cantantur Vesperae pro defunctis et immediate sequitur Matutinum et Laudes eiusdem officii. Possent igitur, si placeret, cantari Vesperae secundae omnium Sanctorum cum Completorio in choro minori vel in Secretario, ubi parari solet Episcopus pro Missis pontificalibus, ut Altare primarium cum presbyterio in totum esset dispositum pro officio defunctorum, atque Episcopus ad ecclesiam accederet pro Vesperis, Matutino et Laudibus defunctorum, praesertim si postridie Missam solemnem esset celebraturus.

De rebus praeparandis
Apud Altare SS. Sacramenti.

2. Ante Altare praeparabitur genuflexorium cum strato et pulvinis, ut praecedenti cap. IV. Pallium erit albi coloris et super Altari accendentur candelae e cera alba, saltem quando ibi orabit Episcopus.

Apud Altare maius.

3. Super Altari ponentur sex candelabra cum Cruce: candelabra ex aurichalco aute aere, nec argento neque auro colorata: in candelabris insistent candelae ex cera communi seu lutea, idest non purgata. Altare cooperietur tobaleis quarum superior a lateribus defluet usque ad terram: apponetur pallium nigri coloris et gradus Altaris sternentur tapeto coloris violacei.

4. Abacus contegetur mantili et super ipso ponentur candelabra cum candelis e cera communi.

5. In presbyterio ad cancellos seu balaustrium statuentur candelabra cum intorticiis, aut candelis e cera communi seu lutea. Presbyterium omni ornatu destitutum itemque pavimentum nudum erit. Thronus Episcopi parabitur lodice, baldachino et indumento cathedrae e lana coloris violacei, itemque super gradibus throni sternetur tapetum e panno violaceo.

6. Ante Altare aderit faldistorium cum pulvinis violacei coloris e panno aut serico sine ullo ornamento.

7. Praeparabitur etiam legile nudum cum Breviario ponendum in medio choro ad lectiones cantandas.

8. Si Episcopus non in throno sed in primo chori subsellio sedebit, praeparabitur pulvinus violaceus in subsellio et alter in genuflexorio, si aderit. Super abaco praeparabitur etiam liber cum scotula.

De Officio

9. Postquam cantatae fuerint Vesperae secundae omnium Sanctorum et recitatum seu cantatum erit Completorium, sonabitur campanula Sacrarii, ut Canonicis et Clero signum detur associandi Episcopum.

10. Ingrediente in ecclesiam Episcopo, neque campanae festivo more, neque organa sonabunt. Dignior Capituli sine osculis praesentabit Episcopo aspersorium, quo hic signabit seipsum et asperget adstantes, ut assolet. Si fuerit Archiepiscopus, praeferetur ante eum Crux archiepiscopalis, ut in aliis functionibus.

11. Postquam oraverit ante Altare SS. Sacramenti, procedet ad Altare maius et brevi tempore orabit in faldistorio. Interea Canonici et reliqui de Clero occupabunt subsellia sua et genuflectent. Manebunt apud Episcopum propter assistentiam, praeter Caeremoniarium, cappellani a libro et scotula, et Caudatarius.

12. Episcopus de oratione surget, salutabit Crucem et perget ad thronum, vel ad primum chori subsellium. Transiens autem ante Clerum non dabit benedictionem.

13. Conscenso throno, brevi tempore sedebit; non aderunt tamen Diaconi assistentes nec Presbyter assistens.

14. Quum Episcopus paulisper sederit, ut supra, caput nudabit et biretum tradet Caeremoniario, qui permissione accepta ab Episcopo, innuet cantoribus ut incipiant antiphonam *Placebo Domino*, quae ab ipsis cantabitur ex toto.

15. Cantores duo superpellicio induti, quando cantabitur

antiphona, procedent ante Altare, genuflectent ad Crucem et ad Episcopum: completo antiphonae cantu, intonabunt psalmum, convertentur ad illam chori partem, quae prosequi cantum psalmi debebit, deinde iterata genuflexione ad Altare et ad Episcopum, ad locum suum revertentur.

16. Antiphonas omnes intonabunt et prosequentur cantores, qui adstabunt legili chorali, nunquam Episcopus, Canonici aut alii intonabunt eas.

17. Intonito primo psalmo Vesperarum, sedebit Episcopus et caput cooperiet bireto, quod ei porrigetur a Caeremoniario: si sedebit in throno, Cappellani a libro et scotula sedebunt in gradibus illius, ceteri omnes sedebunt suis locis.

18. Completo cantu primi psalmi, cantores repetent in cantu antiphonam, qua repetita, immediate cantabunt antiphonam secundam.

19. Dum cantabitur antiphona secunda, duo cantores induti superpellicio redibunt ante Altare et cum debitis genuflexionibus, ut supra, intonabunt psalmum secundum, et eamdem methodum servabunt in reliquis Vesperarum psalmis.

20. Post quintum psalmum Vesperarum repetetur a cantoribus antiphona post psalmum.

21. Hoc tempore duo cantores, quorum officium intonare psalmos, procedent ante Altare et completo cantu antiphonae, cantabunt versiculum. Dum versiculus cantabitur, nec Episcopus neque Canonici nec ceteri de choro assurgent.

22. Cantato versiculo, cantores intonabunt et prosequentur antiphonam ante *Magnificat*.

23. Qui cantores intonabunt psalmos, postquam cantaverint versiculum, expectabunt ante Altare, deinde cantata antiphona, intonabunt *Magnificat*.

24. Ad intonationem *Magnificat* Episcopus nudabit caput et assurget cumque ipso ceteri omnes de choro, et cantabitur praedictum canticum, cuius initio se signabunt Episcopus et reliqui omnes.

25. Sub finem cantici duo Cappellani accipient ex abaco librum et scotulam et consistent prope faldistorium; vel si aderit genuflexorium apud stallum chori, accedent ad Episcopum.

26. Absoluto *Magnificat* cum versiculo *Requiem aeternam* etc. *Et lux perpetua* etc, si Episcopus erit in throno, descendet et veniet ante Altare et consistet ante faldistorium.

27. Antiphona repetita, geniculabit Episcopus in faldistorio et Cappellani praedicti stantes sustinebunt ei librum apertum et scotulam. Episcopus genibus flexis cantabit *Pater noster* et reliquos versiculos: ad orationem *Fidelium* assurget, eamque recitabit cum longa conclusione, idest *Qui vivis et regnas cum Deo Patre* etc.

28. Post orationem cantabit alterum versiculum *Requiem aeternam* etc. postea duo cantores, qui psalmos intonabunt, prope Altare a latere cantabunt ℣. *Requiescant in pace*, a choro respondebitur *Amen* ac tali modo finis Vesperarum fiet.

29. Quod si Episcopus sederet in primo chori stallo et ante stallum adesset genuflexorium, non descendet ad faldistorium in medium presbyterium, sed manebit loco suo. Quando autem repetetur antiphona post *Magnificat*, sedebit et cum ipso sedebunt etiam Canonici et reliquum Cleri.

30. Interim in repetitione antiphonae praedictae, duo Acolythi accipient ex abaco candelabra cum cereis et facta ad Altare genuflexione venient ante Episcopum, cui genuflectent et consistent ante eum stantes. Eodem tempore Cappellani a libro et scotula, accepto ex abaco libro et scotula, se sistent ante Episcopum et facta genuflexione, unus ipsorum sustinebit librum apertum, alter scotulam ante ipsum; vel etiam cappellanus a libro ponet librum apertum super pulvino posito in genuflexorio. Hoc dependebit a forma et altitudine subselliorum choralium.

31. Completo antiphonae cantu, caput nudabit Episcopus, assurget, deinde geniculabit in genuflexorio posito ante stallum et cantabit versiculos atque orationem, ut supra. Clerus in choro genuflectet una cum Episcopo, exceptis duobus Acolythis et cappellanis a libro et scotula, qui adstabunt in pedes.

32. Vesperis absolutis, si Episcopus utetur faldistorio, assurget, salutabit Crucem et redibit ad thronum, ubi rursus sedebit. Sin autem genuflexus erit in genuflexorio chorali, assurget et brevi tempore denuo sedebit.

33. Interea statuetur in medio presbyterio legile cum Breviario ad lectiones cantandas et ab eodem loco amovebitur faldistorium, si necesse fuerit.

34. Postquam Episcopus brevi tempore sedebit, Caeremoniarius signum dabit duobus cantoribus, qui psalmos intonabant, et illi procedent ante Altare, ac facta genuflexione ad Altare et ad Episcopum, incipient et prosequentur cantare invitatorium *Regem cui omnia vivunt* etc. et chorus respondebit versiculis invitatorii.

35. Cantato invitatorio praedicto, duo cantores qui illud cantaverint, permanebunt ante Altare, et cantores qui aderunt ad legile, cantabunt primi nocturni primam antiphonam.

36. Cantata antiphona prima, duo praedicti cantores, stantes ante Altare intonabunt psalmum primum, convertentur ad illam chori partem, quae prosecutura erit cantum ac repetita genuflexione ad Altare et ad Episcopum, et facta inter se mutua inclinatione, se recipient ad locum suum.

37. Absoluto cantu primi psalmi primi nocturni, a cantorum choro repetetur in cantu prima antiphona, deinde cantabitur antiphona secunda, siquidem in hoc officio antiphonae nec praecinuntur neque intonantur ab ullo.

38. Dum antiphona secunda cantabitur, duo cantores qui psalmos intonabunt, procedent ante Altare et eadem exsequentur quae in primo psalmo: idipsum facient in reliquis omnibus psalmis, non exceptis Laudibus.

39. Quum repetetur in cantu post tertium psalmum tertia antiphona, duo cantores qui psalmos intonuerint, venient ante Altare peragentes debitas genuflexiones, cantabunt versiculum tono notato, postea iteratis, ut supra, genuflexionibus, redibunt ad locum suum.

40. Statim post versiculum cantatum, Episcopus nudabit caput, biretum tradet Caeremoniario, assurget et recitabit secreto *Pater noster*, ne principium quidem innuens alta voce.

41. Dum recitabitur *Pater noster*, a Caeremoniario invitabitur qui cantare primam lectionem debebit; hic autem de stallo suo discedens coibit cum Caeremoniario et procedet ante Altare, conficiens reverentiam si fuerit Canonicus, genufle-

xionem autem, si Beneficiarius ad Episcopum et ad Altare, vel prius ad Altare postea ad Episcopum, iuxta Altaris situm, et ante legile consistet.

42. Quum Episcopus recitaverit *Pater noster*, sedebit et bireto cooperiet caput. Cum Episcopo sedebunt etiam omnes in choro praesentes.

43. Sedente Episcopo et choro, Canonicus vel alius qui stabit ante legile in medio presbyterio, cantabit lectionem primam.

44. Qua prima lectione cantata, chorus cantorum cantabit primum responsorium.

45. Canonicus vel alius, qui primam lectionem cantaverit, reverentiam faciet aut genuflexionem, ut supra, ad Altare et ad Episcopum, redibit comitante Caeremoniario, ad stallum suum; ubi priusquam sedeat, se inclinabit Caeremoniario, a quo comitatus fuerit, deinde sedebit.

46. Caeremoniarius manebit prope stallum, in quo aderit Canonicus secundus vel alius, qui debebit secundam lectionem cantare, et quando cantores completuri erunt cantum primi responsorii, invitabit ut supra illum cui continget cantare lectionem secundam, deducet eum ad legile et peragentur omnia ea, quae notata sunt ad cantum lectionis primae.

47. Hoc ipsum fiet ad lectionem tertiam, notando tantum, quod quum Caeremoniarius comitatus ad stallum fuerit eum, qui cantaverit tertiam lectionem, redibit ad locum suum.

48. Cantato tertio responsorio primi nocturni, cantores iidem subiicient in cantu antiphonam primam secundi nocturni, et qui duo cantores intonabunt psalmos, procedent ante Altare ad intonandum primum psalmum nocturni secundi.

49. Eadem methodus servabitur in reliquo officio, tam in intonatione psalmorum, quam in cantandis antiphonis, versiculis, responsoriis et lectionibus.

50. Quod ad ordinem cantandi lectiones spectat, dummodo nullus in ecclesia vigeat peculiaris usus, eas cantabunt Canonici, initium sumendo a minus antiquis.

51. Dum cantabitur responsorium nonum, a clerico tolletur de medio choro, seu presbyterio legile cum Breviario adhibitum in cantandis lectionibus.

52. Post cantatum nonum responsorium, cantorum chorus incipiet immediate antiphonam primam ad Laudes, deinde duo cantores intonabunt primum psalmum Laudum, atque ita psalmos reliquos. Initio Laudum sedere pergent Episcopus et Clerus in choro: itemque sedebit Episcopus ad versiculum et antiphonam cantici *Benedictus*.

53. Si de medio choro remotum prius fuerit faldistorium, reponetur illic a duobus clericis, dum cantabitur praedicta antiphona.

54. Ad intonationem cantici *Benedictus*, Episcopus nudabit caput et assurget. Assurget etiam Clerus in choro. Episcopus ad intonationem cantici antedicti se signabit, idemque facient ceteri omnes.

55. Quod ad preces et orationem post *Benedictus*, observabitur quod superius notatum est ad Vesperas.

56. Completis laudibus, Episcopus assurget, eodemque ordine quo ad ecclesiam accessit, revertetur ad residentiam suam.

MISSA DE REQUIE
AB EPISCPO IN SUA DIOECESI PONTIFICATA.

CAPUT XXII.

De rebus praeparandis.
Apud Altare maius.

1. Altare instruetur sex candelabris cum Cruce. Candelae erunt e cera communi seu lutea, et candelabra ex aurichalco aut ex aere, non vero argentea. Inter candelabra nullum ponetur ornamentum, quod indicet solemnitatem, ut vasa cum floribus, reliquiaria etc. Praeter tres tobaleas, quarum superior debet contegere latera Altaris, apponetur pallium nigri co-

loris. Gradus Altaris cooperientur tapeto e panno violaceo (*a*). Pavimentum presbyterii nudum erit.

2. Super mensa Altaris disponentur paramenta Episcopi, nigri coloris videlicet manipulus, planeta, dalmatica, tunicella, stola, Crux pectoralis, cingulum, alba et amictus, quae contegentur velo eiusdem coloris. In latere Evangelii praeparabitur mitra simplex, idest aut damascena alba aut e tela alba cum laciniis rubeis in vittis (*b*).

3. Abacus cooperietur albo mantili, super quo ponentur sacra vasa opportuna, quae tamen esse debent ex argento simplici, non auro colorata, videlicet candelabra duo cum candelis e cera lutea seu communi pro Acolythis; calix cum duplici purificatorio, patena cum binis hostiis, palla et corporale intra bursam; ampullae plenae vino et aqua in pelvicula, cum patera pro praegustatione; campanula; intorticia quatuor e cera lutea; urceus cum pelvi et mantilia seu manutergia in lance; velum humerale simplex coloris violacei, si lotio ministrabitur a Magistratu: vasculum aquae sanctae cum aspergillo; thuribulum cum navicula; Canon Pontificalis; scotula cum candela e cera alba; epistolarium et evangeliarium cum tegumentis et signaculo nigri coloris, ut paramenta; Missale pro Episcopo cum tegumento et signaculo nigri coloris; gremiale pro Episcopo, quod erit pariter coloris nigri, ut reliqua paramenta; manipuli nigri coloris pro Ministris; cussinus niger vel legile pro Missali. Praeparabitur etiam lodix funebris extendenda super pavimento post Missam, si fiet absolutio, nisi adsit tu-

(*a*) De tobalea Altaris vide adnotationem subiectam num. 2 cap. X. lib. II.

(*b*) In Caeremoniali Episcoporum lib. I. cap. 17. indicatur qua materia confici et quibus ornamentis instrui debeant mitrae ab Episcopo utendae. Quod ad materiam mitrae simplicis haec habet: *Tertia, quae simplex vocatur, sine auro, ex simplici serico damasceno vel alio, aut etiam linea, ex tela alba confecta rubeis laciniis, seu frangiis e vittis pendentibus*. Quod autem ad usum, notat quod *Simplici mitra utitur Episcopus feria sexta in Parasceve et in officio et Missis defunctorum*. Consequitur inde, quod usus mitrae argenteae, loco damascenae aut lineae, non multo ante hoc tempus invectus ob inscitiam fortasse phrygionis alicuius, est abusivus ideoque prorsus reiiciendus.

mulus aut castrum doloris in media ecclesia, de quo sermo erit deinceps; pluviale nigrum pro Episcopo cum formali simplici in lance.

4. Si Celebrans non fuerit Archiepiscopus, et absolutio fiet ad tumulum, stabilietur Crux processionalis in basi prope latus dexterum Altaris, ac si fuerit Archiepiscopus, praeparabitur tantum stylobata seu basis pro Cruce Archiepiscopali.

5. Scamnum Ministrorum parabitur tapeto e panno violaceo.

6. Thronus Episcopi ornabitur tum in baldachino, tum in postergali et cathedra, lodicibus laneis violaceis, quarum laciniae deberent esse coloris eiusdem. Gradus throni contegentur tapeto simili. Aderunt tria scabella nuda pro Diaconis assistentibus et Presbytero assistente.

7. Si cerae fiet distributio, candelae erunt ponderis proportionalis, quod relationem habeat cum iis, quibus distribuuntur: pro Episcopo autem praeparabitur intorticium. Cera distribuenda erit albi coloris.

8. In medio presbyterio aderit faldistorium in usum Episcopi in accessu ad ecclesiam, et erunt in ipso duo pulvini e serico violaceo simplici sine opere textili, sub faldistorio sternetur parvum tapetum e panno violaceo.

9. In scamnis seu subselliis Canonicorum ponentur paramenta nigri coloris, videlicet pluvialia pro Dignitatibus, planetae pro Canonicis Presbyteris, dalmaticae pro Canonicis Diaconis, tunicellae pro Canonicis Subdiaconis et amictus singulis paramentis.

10. In presbyterio vel prope absidem ardebunt consueta candelabra maiora cum intorticiis aut candelis e cera lutea.

11. Si laudatio funebris defuncti fieret, praeparabitur pulpitum convestitum panno nigro simplici sine ullo ornamento.

Apud Altare SS. Sacramenti.

12. Praeparabitur genuflexorium cum strato et pulvinis eiusdem generis ac superius descriptum fuit cap. IV. libri huius.

13. In Altari ardebunt sex cerei saltem quando Episco-

pus genuflexus adorabit SS. Sacramentum in accessu et discessu de ecclesia.

In Sacristia.

14. Paramenta nigri coloris pro Ministris, nempe dalmatica et stola pro Diacono, tunicella pro Subdiacono, bina cingula, binae albae binique amictus.

15. Pluvialia nigra tria pro Cappellanis a mitra, a libro et a scotula.

16. Pro Subdiacono Crucifero non opus est paramentis.

17. Si fiet absolutio solemnis, disponentur quatuor pluvialia nigra cum stolis similibus et quatuor amictus. Aderunt insuper mitrae e tela alba si absolventes erunt Episcopi; superpellicia pro Cappellanis, qui illis assistent et intorticia albae cerae pro iisdem Episcopis sive absolventibus.

De functione.

18. Recitata in choro Hora nona et cantata Missa de officio currenti post Tertiam, ut praescribunt generales rubricae Missalis, associabitur Episcopus a Canonicis et Clero, ut praecedenti capite IV.

19. Ingrediente in ecclesiam Episcopo, nullus fiet festivus campanarum sonus.

20. Priusquam Episcopus ad ecclesiam perveniat, accendentur cerei in Altari, in presbyterio, in abaco et in tumulo quoque seu castro doloris, si aderit. Se parabunt sacri Ministri et cappellanus a mitra, et praesto erunt ad Altare, quando illuc adveniet Episcopus.

21. Episcopus in limine ecclesiae aspersorium accipiet a digniore Cleri et asperget se ipsum et adstantes. Monemus quod organorum sono abstinendum est.

22. Adorabit SS. Sacramentum, deinde accedet ad Altare maius, ubi geniculabit in faldistorio et orabit genuflexus, donec monebitur ut ad thronum ascendat. Adstabunt ei Presbyter assistens et duo Canonici Diaconi assistentes.

23. Canonici subito in suis stallis parabuntur paramentis

.que ordini convenientibus, et aderant clerici, a quibus ve- ientur et canonicalia insignia recipientur ab eis dimissa, quae ,ustodientur in canistris, resumenda autem, absoluta functione.

24. In promptu erunt Cappellani a libro et scotula cum Canone et scotula prope thronum, itemque praesto erunt clerici, qui debebunt paramenta Episcopi ad thronum afferre.

25. Quando parati erunt Canonici, Caeremoniarius monebit Episcopum, qui assurget atque iterata ante Crucem reverentia, accedet ad thronum comitatus a Presbytero assistente, a Diaconis assistentibus et Caudatario, qui sustinebit posteriorem eius cappae extremitatem.

26. Clerici duo removebunt de medio presbyterio faldistorium cum pulvinis, in quo Episcopus oraverit.

27. In functionibus mortuariis, utpote luctuosis, Episcopus neminem benedicet; ideoque in accessu de throno ad Altare et de Altari ad thronum, et quando incensatur, omittit benedictionem consuetam. Clerus tamen transeunti per chorum Episcopo debet genuflectere, ut in aliis functionibus.

28. Episcopus, conscenso throno, sedebit eique se sistent duo Cappellani a libro et scotula, et ipse e Canone recitabit orationes pro paramentis, omittens psalmos cum precibus consuetis et orationes pro sandaliis et chirothecis, quae in hac functione non adhibentur.

29. Distribuentur statim paramenta clericis, et manipulus Episcopi tradetur uni clerico, qui cum ceteris incedens, sequetur illum qui deferet planetam: praesto etiam erunt ministri lotionis.

30. Recitatis ab Episcopo orationibus antedictis, recedent Cappellani cum libro et cum scotula, qui haec deponent in abaco, et in Sacristia induto sibi pluviali, immediate prope thronum redibunt. Eodem tempore Cubicularius Episcopi ad thronum accedet, ut cappam eius recipiat.

31. Discedent ex abaco ministri lotionis et venient ad thronum.

32. Episcopus, adiuvantibus Diaconis assistentibus et Cubiculario, qui stabit post secundum Diaconum assistentem, dimittet cappam, et Cubicularius expediet eius vestis extremitatem posteriorem.

33. Presbyter assistens accedet ad Episcopum et annulum de digito eius educet.

34. In hac functione lugubri nemo unquam osculabitur manum Episcopi neque rem, quam ei tradet aut recipiet.

35. Ascendent ad thronum ministri lotionis, Diaconi assistentes extendent mantile super genibus Episcopi, et Presbyter assistens porriget ei alterum mantile pro abstergendis manibus.

36. Dum Episcopus lavabit manus, geniculabunt omnes adstantes, exceptis Canonicis, qui stabunt.

37. Quando de throno discedent ministri lotionis, Diaconus et Subdiaconus ascendent ad thronum, sequentibus clericis, qui deferent paramenta Episcopi. Presbyter assistens et Diaconi assistentes discedent de throno, se parabunt respectivis paramentis in stallis suis et ad thronum revertentur.

38. Praedicti sacri Ministri, conscenso throno, vestient Episcopum amictu, alba, cingulo, Cruce pectorali, stola, tunicella, dalmatica et planeta; Subdiaconus manipulum eius brachio sinistro inducet, ac postremo Diaconus capiti imponet mitram.

39. Si Celebrans erit Archiepiscopus, in hac functione non utetur S. Pallio.

40. Hoc tempore clerici duo deferent ad thronum manipulos Ministrorum.

41. Episcopo parato, Presbyter assistens inseret annulum in eius digitum dextrum annularem et Ministri praedicti, recedentes aliquantum a latere Episcopi, accipient in brachio sinistro manipulum, quem eis imponent clerici antedicti.

42. Quum Episcopus paratus fuerit, descendet de throno et procedet ad Altare. Praeibit Subdiaconus iunctis manibus, non deferens librum Evangeliorum: sequetur Diaconus a sinistris Presbyteri assistentis: post hunc Episcopus iunctis manibus (non enim adhibetur baculus pastoralis) medius inter Diaconos assistentes. Sequetur eum Caudatarius sustinens eius extremitatem vestis, deinde tres cappellani a libro, a mitra et scotula.

43. Quum ventum erit ante Altare, aliquantum recedent

coni assistentes, et circa Episcopum remanebunt reliqui Ministri, videlicet Presbyter assistens a dextra cum Diacono a sinistra, et Subdiaconus adstabit sinistrae Diaconi.

44. Episcopus per Diaconum dimittet mitram et facta ad Crucem reverentia, Missam inchoabit eique Ministri respondebunt.

45. Eodem modo qui aderunt in choro, recitabunt confessionem inter se, observantes totum id, quod fieri solet in aliis Missis.

46. In hac Missa nullo prorsus modo sonabitur organis (*a*)

47. Post *Indulgentiam* etc. prosequetur immediate Episcopus reliquos versiculos *Deus tu conversus*, etc. nam a principio manipulum habebit.

48. Hoc tempore Cappellani a libro et scotula accipient ex abaco Missale et scotulam pro Episcopo. Clericus a gremiali praesto erit cum ipso ad sequendum Episcopum.

49. Dicto ab Episcopo *Oremus*, Diaconus transibit ad dexteram eius, Subdiaconus accedet ad sinistram, et Presbyter assistens recedet a latere.

50. Ascendet ad Altare Episcopus dicens orationem *Aufer* etc. medius inter Ministros et Altare osculabitur, quando dicet *quorum Reliquiae* etc. sed non osculabitur textum Evangelii.

51. Episcopo, osculato Altari, Diaconus reponet mitram, et facta ad Crucem reverentia, medius inter sacros Ministros Episcopus de Altari descendet.

52. In fine graduum aderunt Diaconi assistentes, qui rursus consistent a lateribus Episcopi et Ministri sacri recedent ad scamnum sibi praeparatum loco solito prope latus Epistolae.

(*a*) Illud inculcatur respectivis ecclesiarum praesidibus, ut tollant abusionem sonandi organis in Missis de requie, qui malus usus in suum a Musicis commodum invectus est tantummodo. Caeremoniale Episcoporum lib. 1. c. 28 num. 13. » In Missis et officiis defunctorum nec organo, nec musica, quam figuratam vocant, utimur sed cantu firmo ». Serio etiam id vetat Concilium Rom. tit. XV. cap. VI. habitum a S. P. Benedicto XIII. Confer etiam Commentarium Petri Pompilii Rodotà in epistolam encyclicam Benedicti XIV. in qua agitur de anno Iubilaei, de cultu templorum, de cantu et musica ecclesiastica.

53. Episcopus redibit ad thronum, praecedente Presbytero assistente; adstabunt lateribus eius Diaconi assistentes; sequetur, ut supra, Caudatarius et Cappellani a mitra, a libro et scotula. Ultimo loco incedet clericus deferens gremiale.

54. Clerus in choro stabit semper; transeunti vero Episcopo Canonici reverentiam profundam, ceteri genuflexionem facient.

55. Episcopus, conscenso throno, sedebit et a secundo Diacono assistente discooperietur mitra.

56. Se sistent Episcopo Cappellani cum Missali et scotula.

57. Episcopus assurget, ac faciens Crucis signum versus librum incipiet Introitum dicens *Requiem aeternam* etc. et successive recitabit *Kyrie* cum Assistentibus.

58. Deinde, si nondum completus erit cantus *Kyrie*, rursus sedebit et primus Diaconus assistens imponet eius capiti mitram et gremiale genibus.

59. Absoluto *Kyrie* cantu, secundus Diaconus assistens tollet ei gremiale et mitram.

60. Presbyter assistens e manu Cappellani a libro accipiet Missale et obiiciet Episcopo.

61. Episcopus assurget et cantabit *Dominus vobiscum*, deinde orationem tono feriali.

62. Ad cantum orationis omnes geniculabunt, exceptis Presbytero assistente, Diaconis assistentibus, Cappellano sustinente scotulam, et Diacono cum Subdiacono.

63. Sub finem orationis, clericus unus librum Epistolarum tradet Subdiacono, qui sustinens illum ante pectus accedet ad Altare, reverentiam faciet ad Crucem, deinde ad Episcopum et consistet quo loco solet cantari Epistola.

64. Oratione cantata, consurget Clerus in choro: Presbyter assistens committet Missale Cappellano a libro et secedet ad scabellum suum.

65. Cappellani a libro et scotula recedent prope secundum Diaconum assistentem.

66. Episcopus sedebit, et a primo Diacono assistente reponetur ei mitra et gremiale. Sedebunt etiam Assistentes et Clerus in choro.

67. Subdiaconus cantabit Epistolam, quo cantu absoluto, librum claudens redibit in medium, reverentiam faciet ad Episcopum, deinde ad Altare; postea tradito libro clerico aut Caeremoniario, qui assistet ei, redibit sessum ad locum suum a latere Diaconi.

68. Cantata Epistola, cantabitur a cantoribus Graduale, Tractus ac tota Sequentia.

69. Cappellani a libro et scotula se sistent ante Episcopum.

70. Diaconi assistentes et Presbyter assistens consurgent.

71. Episcopus e libro leget Graduale, Tractum, Sequentiam, *Munda cor meum* et Evangelium. Post *Munda cor meum* non dicet *Iube Domine* etc. nec benedictionem *Dominus sit in corde meo* etc.

72. Postea recedent Cappellani a libro et scotula et Assistentes denuo sedebunt.

73. Si distributio candelarum facienda sit, poterunt distribui ad mediam partem Prosae seu Sequentiae, vel circa tempus illud, iuxta numerum eorum, quibus erunt distribuendae.

74. Itaque Sacrista, vel alius delegatus curandae distributioni candelarum, principio Sequentiae praesto erit quo loco eadem cera posita erit.

75. Duo, quatuor pluresve clerici super brachiis recipient cereos pro Canonicis pro Beneficiariis seu Mansionariis et ceteris. Tum comitante Caeremoniario, procedent ante Altare et genuflectent ad Crucem; deinde iunctim convertentur ad Episcopum eique etiam facient genuflexionem.

76. Caeremoniarius intorticium tradet Episcopi Cappellano, qui veste talari et pallio indutus stabit prope abacum cum ceteris familiaribus nobilibus.

77. Clerici autem dirimentur per chorum ita, ut qui ceram deferent pro Canonicis, consistant in capite ordinis Canonicalis ex parte dextra aut sinistra, in qua erunt, itemque ceteri.

78. Caeremoniarius, tradito intorticio Episcopi, candelas distribuet Canonicis, initium sumens a digniori et descendens ad reliquos iuxta ordinem dignitatis et antiquitatis, atque ita distributione ex una parte absoluta, incipiet ex altera.

79. Hoc ipsum fiet relate ad Beneficiarios seu Mansionarios et ad reliquos.

80. Notandum autem, quod neque Assistentibus nec Ministris Altaris neque Cappellanis Episcopi donanda est candela, quia non possent eam sustinere accensam, occupati in officio suo.

81. Quum peracta erit distributio, redibunt clerici cum Caeremoniario ante Altare et genuflexiones conficient, ut in accessu.

82. Clerici supradicti vel alii, sibi comparabunt subtilem candelam, qua debito tempore accendent candelas, idque fiet ad ultimos ferme versus Sequentiae. Ad accendendas autem candelas servabunt methodum eamdem ac supra; videlicet, accensa candelula, procedent ante Altare, genuflectent ad Crucem et ad Episcopum, deinde dirimentur per chorum et incipient candelas accendere, servantes ordinem, qui adhibitus fuit in distribuendis.

83. Cappellanus autem Episcopi, qui habebit intorticium accensum, cum debitis genuflexionibus, ad thronum accedet et consistet in latere dextro ad infimum gradum.

84. Ad penultimum aut ad ultimum Sequentiae versum assurget Diaconus et Evangeliarium recipiet. Hoc deferet ad Altare, faciens primo reverentiam ad Episcopum, deinde ad Altare: conscendet suppedaneum; ponet librum in medio Altari, et genuflexus in extremitate suppedanei recitabit *Munda cor meum* etc.

85. Quum genuflectet Diaconus in suppedaneo, procedent ante Altare Subdiaconus cum Acolythis: hi vero non gestabunt candelabra, sed incedent iunctis manibus. subsistent ante infimum gradum, expectantes Diaconum.

86. Postquam Diaconus recitaverit *Munda cor meum*, assurget et accepto libro Evangeliorum, descendet de Altari et consistet ante ipsum a dextris Subdiaconi.

87. Quum ultima verba ultimi versus canentur Sequentiae, Ministri reverentiam ad Crucem, Acolythi genuflexionem conficient.

88. Accedent deinde ad Episcopum et ante infimum throni gradum conficient reverentiam aut genuflexionem, ut ad Altare, postea procedent ad Evangelium cantandum, quo loco assolet.

89. Subdiaconus sustinebit librum (neque enim adhibetur legile) et Acolythi iunctis manibus adstabunt lateribus Subdiaconi.

90. Profectis de throno Diacono, Subdiacono et Acolythis secundus Diaconus assistens tollet gremiale et mitram Episcopo, qui deinde assurget, quando Diaconus incipiet Evangelium cantare.

91. Evangelio cantato, Diaconus librum claudet, et facta reverentia aut genuflexione, ut ante, ad Episcopum et ad Altare, redibunt ad suum quisque locum: Subdiaconus autem librum tradet Acolytho alicui.

92. Extinguentur candelae, quae accensae fuerant.

93. Presbyter assistens ante Episcopum sustinebit Missale apertum, et Episcopus cantabit *Dominus vobiscum* et *Oremus*.

94. Cappellanus a libro recipiet Missale a Presbytero assistente, et sustinebit illud ante Episcopum, qui leget Offertorium *Domine Iesu Christe* etc.

95. Interim praesto erunt Ministri lotionis.

96. Hoc etiam tempore a quodam clerico ponetur legile vel cussinus super Altari a latere Evangelii pro Missali Episcopi.

97. Episcopus, lecto Offertorio, sedebit et primus Diaconus assistens rursus ei mitram imponet.

98. Presbyter assistens annulum Episcopi digito detrahet.

99. Cappellani a scotula et libro ascendent ad Altare et Missale apertum ponent super cussino, ibique remanebunt a latere Altaris, tamen extra suppedaneum.

100. Ascendent ad thronum Ministri lotionis et Episcopus lavabit manus. Presbyter assistens mantile porriget Episcopo et annulum rursus inseret eius digito.

101. Abluente manus Episcopo, genuflectent omnes adstantes, exceptis Canonicis et Praelatis, siqui aderunt, qui assurgent ac sedebunt rursus quum Episcopus adiverit ad Altare.

102. Discedent Ministri lotionis, qui manebunt prope abacum usque ad Offertorium propter alteram lotionem.

103. Interea thuriferarius comparabit ignem in thuribulo et Sacrista aderit prope abacum.

104. Diaconus veniet ante Altare, ut expectet Episcopum.

105. Subdiaconus accedet ad abacum et recipiet calicem cum patena, hostiis etc. ac bursam cum corporali, quae erit super patena, et adesse debebit in Altari quando perveniet Episcopus.

106. Acolythus ille, qui deferet ampullas vini et aquae cum patera praegustationis in pelvicula, sequetur Subdiaconum.

107. Sacrista quoque Subdiaconum sequetur ad Altare.

108. Profectis de throno Ministris lotionis, Episcopus assurget et ad Altare procedet. Praeibit Presbyter assistens, sequetur Episcopus medius inter Diaconos assistentes et post eum incedent Caudatarius et Cappellanus a mitra, siquidem reliqui duo Cappellani a libro et scotula aderunt ad Altare.

109. Quando Episcopus venerit ante Altare, recedent Diaconi assistentes, Diaconus autem tollet ei mitram et Presbyter assistens ad eius sinistram accedet. Facient iunctim reverentiam ad Crucem et ascendent ad Altare, quod Episcopus osculabitur in medio.

110. Subdiaconus ad Altare veniet a latere, quum ascendet Episcopus, et calicem tradet Diacono.

111. Diaconus accipiet bursam, extrahet corporale, bursam ponet versus cornu Evangelii applicans ipsam candelabris et corporale in medio explicabit.

112. Postea pallam amovebit a patena et facta probatione hostiarum atque una ex illis tradita Sacristae, qui eam comedet, dabit alteram cum patena Episcopo, qui offeret illam dicens *Suscipe* etc.

113. Idem Diaconus absterget calicem et facta probatione vini et aquae, nempe praegustatis illis a Sacrista, infundet vinum in calicem et Subdiaconus infundet aquae guttas non petens benedictionem ab Episcopo, qui recitabit orationem *Deus qui humanae substantiae* etc. omittens aquae benedictionem.

114. Subdiaconus non accipiens patenam de Altari descendet et consistet ante infimum gradum im media parte ipsius.

115. Peracta ab Episcopo una cum Diacono oblatione Calicis et recitata oratione *In spiritu humilitatis* etc. thurifera-rius ascendet ad Altare et praesentabit Episcopo thuribulum apertum.

116. Episcopus incensum, ministrante Diacono, in thuribulum demittet cum formula *Per intercessionem* etc. postea benedicet illud, ut in aliis Missis.

117. Quando Episcopus incensum benedicet, Presbyter assistens amovebit ab Altari librum et recedet de suppedaneo.

118. Subdiaconus ascendet in suppedaneum ad sinistram Episcopi, ut attollat eius planetam tempore thurificationis.

119. In promptu erunt Ministri lotionis.

120. Episcopus ritu consueto incensabit Altare, ipse deinde a Diacono thurificabitur triplici ductu, ideoque primus Diaconus assistens meminerit ascendere ad Altare, ut mitram Episcopo reponat.

121. Presbyter assistens, dum complebitur thurificatio, reponet librum super Altari et accedet ad dexteram Episcopi.

122. Thurificato Episcopo, Diaconus relinquet thuribulum et consistet apud Presbyterum assistentem; Subdiaconus prope Diaconum stabit.

123. Dum incensabitur Episcopus, consurget chorus: advertatur autem quod, quum Episcopus lavabit manus, Canonici quidem stent, ceteri genuflectant.

124. Episcopo incensato, ascendent ad Altare ministri lotionis; Episcopus lavabit manus; Presbyter assistens porriget ei mantile, quo recepto ab Episcopo et restituto clerico, qui sustinebat illud, redibit ad Missale.

125. Episcopus ad Altare conversus recitabit psalmum *Lavabo* et Diaconus accedet ad dexteram eius.

126. Episcopus, recitato psalmo praedicto, mitram per Diaconum dimittet et redibit ad medium Altaris, sequente Diacono post eum in gradu primo et Subdiacono post Diaconum in infimo gradu, ubi stabunt usque ad *Sanctus*.

127. In Missa procedetur ut in aliis; interea tamen clerici delegati accendendis candelis venient in chorum ordine supradicto et accendent candelas Cleri, omittentes genuflexionem ante thronum, quoniam abest Episcopus.

128. Praefatio ab Episcopo cantabitur tono feriali.

129. In fine praefationis, clerici quatuor afferent intorticia e cera lutea ante Altare pro elevatione ibique manebunt usque ad consummationem inclusive.

130. Circa finem praefationis Diaconus ascendet ad Altare subsistens a dextris Episcopi, et Subdiaconus etiam ad Altare ascendet ad dexteram Diaconi recitaturus *Sanctus*: quo recitato Diaconus remanebit prope Episcopum, Subdiaconus redibit ad locum suum.

131. Dicente Episcopo orationem *Hanc igitur oblationem* etc. Caeremoniarius vel alius incensum in thuribulum demittet.

132. Subdiaconus transibit in latus Epistolae et accepto a thuriferario thuribulo, consistet ibi, deinde genuflectet et in elevatione thurificabit SS. Sacramentum.

133. Post elevationem persistent omnes genibus flexis, exceptis Presbytero assistente, Diaconis assistentibus, Diacono et Subdiacono, qui redibit ad locum suum, cappellanis a libro et a scotula, altero a mitra et Caeremoniario.

134. Ad orationem *Pater noster*, quae cantabitur ab Episcopo tono feriali, Diaconus descendet post Episcopum: ad verba *Dimitte nobis* etc. Diaconus tantum ascendet ad Altare, daturus patenam Episcopo.

135. Cantato ab Episcopo *Pax Domini* etc. consurget chorus, et Subdiaconus cum debitis genuflexionibus ascendet ad dexteram Diaconi, recitaturus *Agnus Dei* ibique postea manebit.

136. In hac Missa Pax non donatur.

137. Post consummationem extinguentur candelae, sedebit Clerus in choro, et discedent clerici cum intorticiis, quae reportabunt ad abacum vel in Sacristiam.

138. Episcopus lavabit manus post ablutionem, et complebitur Missa observaudo quae tradita sunt cap. 10. lib. II. in fine autem Episcopus conversus ad Altare post ultimum *Dominus vobiscum* dicet *Requiescant in pace*, quod cantabitur a Diacono ad Altare converso.

139. Episcopus dicet orationem *Placeat* etc. qua finita, osculabitur Altare omittet benedictionem, signabit Altare et seipsum et incipiet Evangelium S. Ioannis, quo incepto, Diaconus ei reponet mitram.

140. Episcopus de Altari descendet medius inter Ministros, salutabit Crucem et perget ad thronum, recitans Evangelium S. Ioannis, quod in throno complebit.

141. Post Missam fiet Absolutio, nunquam enim solemniter celebrari solet quin officium compleatur absolutione, de cuius ritu sermo erit in capitulo sequenti.

142. Si qua de caussa extraordinaria omittenda erit absolutio et deberet Episcopus paramenta dimittere, euntem ad thronum sequentur clerici, qui illa recipient, et Cubicularius qui deferet cappam.

143. Episcopus in throno mitra a Diacono nudabitur ob genuflexionem faciendam ad verba illa *Et Verbum caro* etc.

144. Postea sedebit Episcopus et Ministri deponent manipulos.

145. Diaconi assistentes recedent ad stallum suum, ubi dimissis paramentis, resument habitus chorales et revertentur ad thronum, ut assistant Episcopo.

146. Item, statim ac incipiet Episcopus paramenta dimittere, Canonici in suis stallis sacras vestes deponent et resument insignia choralia.

147. Cappellani a libro et scotula concedent ad pluvialia dimittenda in Sacristiam, et induti superpellicio redibunt immediate ad Altare, ut Episcopo inserviant pro gratiarum actione.

148. Ministri autem, dimisso manipulo, exuent Episcopum prius manipulo, deinde successive ceteris paramentis, quae a clericis referentur in Altare et contegentur velo, quo cooperta fuerant.

149. Exuto Episcopo, discedent et in Sacristia paramenta deponent.

150. Diaconi assistentes cappam reponent Episcopo adiuvante eius Cubiculario, qui posteriorem extremitatem vestis ipsius constringet.

151. Se sistent Episcopo Cappellani cum Canone et scotula, et ipse leget preces gratiarum actionis.

152. Statuetur interim in medio presbyterio faldistorium cum pulvinis a duobus clericis.

153. Absoluta gratiarum actione, Episcopus de throno descendet, brevi orabit genuflexus in faldistorio et postquam adoraverit SS. Sacramentum, associatus a Canonicis discedet de ecclesia et ad suam residentiam revertetur.

CAPUT XXIII.

1. Duplici modo absolutio pro defunctis ritu pontificali peragi potest, videlicet cum tumulo sumptuoso in media ecclesia erecto, quod in Caeremoniali Episcoporum vocatur *castrum doloris*, vel cum lectica portatili, aut panno seu lodice nigra, quae ponitur in presbyterio ante thronum Episcopi, quum absoluta erit Missa pro defunctis.

2. Distingui igitur hi duo ritus poterunt in solemnem et minus solemnem, ideoque tradetur methodus servanda in primo et in secundo, quam dividemus in duplicem paragraphum, quarum in prima agetur de primo ritu, in altera de secundo.

§. 1.

3. Pro absolutione solemni praeparabitur in media ecclesia castrum doloris, vel tumulus formae grandioris, multis cereis ornatus; summitas autem castri doloris cooperietur lodice nigra, opere magnifico, cum pulvino pariter nigri coloris, super quo ponentur insignia, quae defunctum decorabant. Circa tumulum ardebunt multi cerei vel intorticia e cera communi seu lutea; numerus autem luminum statui poterit ex usu loci et pro qualitate defuncti, in cuius suffragium funus celebratur.

4. Circa tumulum eundem, si quinque absolutiones faciendae erunt, ponentur in quatuor eius angulis quatuor scabella nuda, aequalia illis, quae adhibentur in throno, et ad caput tumuli, idest versus Altare maius statuetur faldistorium ornatum tegumento nigro pro Episcopo, super parvo tapeto coloris nigri aut violacei, ac si quatuor absolventes essent Episcopi, ponetur tapetum exiguum coloris eiusdem sub praedictis

scabellis: quod si Celebrans qui cantavit Missam, esset sive Cardinalis sive Metropolitanus, faldistorio supponetur suppedaneum, quod cooperietur antedicto tapeto. A lateribus faldistorii ponentur duo scabella pro Diaconis assistentibus, et scabellum alterum pro Presbytero assistente, ut deinceps declarabitur.

5. A lateribus tumuli secundum ecclesiam disponentur scamna cum postergali, sed sine suppedali, cooperta pannis violaceis aut nigris pro Canonicis, ea tamen dispositione ut aliquanto absint a scabellis quatuor absolventium.

6. Sin autem adesset Cadaver, faldistorium ponetur ad pedes cadaveris.

7. Notandum, quod quinque absolutiones peragendae sunt tantummodo in funere, quod celebrabitur in obitu Summi Pontificis, proprii Principis, Cardinalium et Episcoporum. Pro aliis, cuiuscumque sint conditionis, una tantum fiet absolutio. In anniversario autem vel alio funere, etiam pro Summo Pontifice, pro Principe, pro Cardinalibus et Episcopis fiet semper unica absolutio.

8. Itaque, si Episcopus cantaverit Missam, eaque de caussa peragere absolutionem debebit, tradetur duobus clericis pluviale nigrum et formale simplex adhibendum ab Episcopo.

9. Clerici praedicti sequentur alios clericos, qui post Episcopum incedent, recepturi paramenta, ut superius dictum est.

10. Episcopus, conscenso throno et completa recitatione ultimi Evangelii, a sacris Ministris exuetur manipulo, planeta, dalmatica ac tunicella, et induetur pluviali nigro, super quo Diaconus ponet formale simplex. Idem Diaconus reponet eius capiti mitram.

11. Si fiet oratio funebris in laudem defuncti, quando Episcopus indutus erit pluviali, prodibit in medium Orator veste talari et pallio indutus, vel alio habitu, qui ei conveniat, dummodo non sit superpelliceum, et facta reverentia aut genuflexione ad Crucem et ad Episcopum, conscendet pulpitum, et quin recitet *Ave Maria,* initium statim faciet orationis, qua peracta, de pulpito descendet neque Indulgentiam publicabit.

12. Circa finem laudationis funebris se parabunt in Sa-

cristia quatuor Canonici digniores, ad quos spectabit absolutiones persolvere, et supra rochetum, si utentur eo, vel supra superpellicium induent sibi amictum, stolam et pluviale nigrum ac bireto caput cooperient. Accipient postea candelam, quam dextera aut sinistra sustinebunt, prout docebitur inferius.

13. Sin autem erunt Episcopi, supra rochetum vel si erunt regulares, supra superpellicium induent amictum, stolam et pluviale nigrum sine formali et caput cooperient mitra simplici ex tela alba. Adstabunt eis duo cappellani superpellicio induti, quorum alter inserviet mitrae, alterum deferet intorticium accensum.

14. Absoluta funebri laudatione vel si laudatio non fiet, dum Episcopus dimittet paramenta Missae et induet pluviale, accendentur candelae omnibus illis, quibus distributae fuerint tempore Missae.

15. Quatuor absolventes exibunt e Sacristia; praeibunt duo iuniores, sequentur duo seniores. Si fuerint Canonici, qui duo incedent dextrorsum, cereum sustinebunt dextera, qui sinistrorsum, sinistra. Sin autem essent Episcopi, incedent eodem ordine ac supra, et habebunt a latere binos cappellanos praedictos, quorum unus gestabit intorticium a latere Episcopi vel dextero vel sinistro iuxta regulam superius traditam.

16. In Presbyterium ingressi se disponent ad lineam, videlicet dignior eorum a dextris habebit tertium absolventem, a sinistris secundum et sinistrae secundi adstabit quartus absolvens.

17. In presbyterio nudabunt caput et salutabunt Episcopum, deinde procedent ante Altare, ubi expectabunt Episcopum celebrantem, ideoque inter primum et secundum absolventem relinquetur locus pro Episcopo.

18. Hoc tempore praesto erunt clericus cum vasculo aquae sanctae et aspergillo, thuriferarius cum thuribulo et navicula, duo Acolythi cum candelabris et clericus unus cum Pontificali adhibendo in absolutionibus supradictis. Subdiaconus accipiet Crucem processionalem vel Archiepiscopalem, si Celebrans fuerit Archiepiscopus, et medium se locabit inter Acolythos.

19. Descendet de throno Episcopus medius inter Diaconos assistentes, qui sublevabunt eius fimbrias pluvialis, sequente Caudatario eius et tribus Cappellanis a libro, a mitra et a scotula et hic deferet scotulam et alter a libro accipiet Pontificale a clerico praedicto, qui manebit prope ipsum pro actionibus peragendis.

20. Diaconus ministrans aderit prope Altare, ut deinde se adiungat ceteris Ministris absolutionis.

21. Episcopus progressus ante Altare, aggregabitur ceteris praedictis absolventibus, qui omnes coniunctim reverentiam ad Altare conficient, deinde procedent ad tumulum, servantes ordinem sequentem.

22. Incedent clavigeri, sive claviger ecclesiae: clericus cum vasculo aquae sanctae a dextris thuriferarii cum thuribulo: Subdiaconus gestans Crucem medius inter Acolythos, ac si Celebrans erit Archiepiscopus, ad eum convertetur imago Crucifixi: sequentur deinde Canonici parati, bini, servantes regulam, ut si fuerint numero dispari, terni incedant ultimo loco in unoquoque ordine: quartus absolvens a sinistris tertii, ac si fuerint Episcopi, quartus habebit cappellanos suos a latere sinistro, tertius a latere dextro: sequentur primus absolvens et secundus a sinistris primi eodem ordine, quo tertius et quartus, ut supra: post quatuor absolventes incedet Diaconus cum Presbytero assistente a dextris, postremo Episcopus medius inter Diaconos assistentes, quem sequetur Caudatarius et tres Cappellani a mitra, a libro et a scotula. Cappellanus Episcopi, qui gestabit intorticium accensum, incedet a dextris primi Diaconi assistentis.

23. In exitu de presbyterio si Absolventes erunt Canonici, bireto cooperient caput; sin autem Episcopi, sibi mitram imponent ante Altare.

24. Quum ventum erit ad castrum doloris seu tumulum, thuriferarius cum clerico deferente vasculum aquae sanctae, circumibunt tumulum, deinde consistent a dextera faldistorii Episcopi. Crux cum Acolythis ad pedem tumuli, vel si aderit cadaver, ad caput cadaveris subsistet.

25. Canonici parati accedent ad scamna ibi praeparata,

advertentes ut locum occupent ordine praestituto, videlicet Dignitates versus faldistorium a dextera ipsius et post eos Canonici Presbyteri: Canonici autem Diaconi a sinistra versus faldistorium contra Dignitates, et post Canonicos Diaconos stabunt Canonici Subdiaconi.

26. Quatuor absolventes sequentur Crucem hoc ordine, nempe quum venerint ad scabellum, quod aderit a dextera faldistorii, absolvens primus salutabit collegam suum, discedet ab eo et locum illum occupabit. Si fuerint Canonici, dum se invicem salutabunt, caput nudabunt bireto, si Episcopi, non dimittent mitram. Ex cappellanis autem alter cum intorticio subsistet a latere dextero Episcopi, alter a mitra, sinistrorsum.

27. Secundus absolvens transibit medius inter tertium et quartum absolventem et veniet ad scabellum quod aderit in angulo tumuli respondente sinistrae Crucis a Subdiacono sustentae, ibique facta sibi mutua inclinatione, ad hoc scabellum accedet quartus absolvens.

28. Tum tertius absolvens transibit ad sinistram secundi et procedentes ulterius ac transeuntes ante Crucem a Subdiacono sustentam, conficient versus ipsam profundam inclinationem. Ad tertium scabellum ubi venerint, quod erit in angulo tumuli respondente dexterae Crucis, praevia mutua inclinatione, locum ibi sumet absolvens secundus.

29. Tertius absolvens procedens ulterius veniet ad scabellum, quod respondebit sinistrae faldistorii Episcopi.

30. Episcopus autem accedet ad faldistorium positum in capite tumuli, vel ad pedes cadaveris, adstantibus a lateribus eius Diaconis assistentibus, a dextra primi Diaconi Cappellano cum intorticio et aliquanto propius Presbytero assistente; sinistrae autem secundi Diaconi assistentis adstabunt Diaconus ministrans, Cappellani a libro et scotula, clericus qui recipere pontificale debebit, clerici cum thuribulo et cum vasculo aquae benedictae et ante ipsos Diaconus.

31. Unusquisque loco suo, brevi momento sedebit, deinde secundus Diaconus assistens tollet Episcopo mitram.

32. Omnes nudato capite consurgent, ac si quatuor ab-

solventes fuerint Episcopi, mitram sibi ipsi detrahent, quemadmodum facient etiam in posterum, quod heic notamus, ne repetamus alio loco.

33. Se sistet Episcopo Presbyter assistens eique sustinebit Pontificale apertum, ex quo Episcopus tono feriali cantabit orationem *Non intres in iudicium* etc. non praemittens *Oremus* neque ullam faciens variationem, quamquam celebraretur funus pro defuncta aut pro pluribus defunctis, ut fieri solet in Concilio Provinciali, in quo celebratur funus pro omnibus Episcopis provinciae vita functis.

34. Cantata praedicta oratione, sedebit Episcopus et cum eo ceteri omnes.

35. Cantores incipient cantum Responsorii *Subvenite Sancti Dei* etc.

36. Diaconus primus assistens mitram Episcopo reponet.

37. Si absolventes erunt Episcopi, Presbyter assistens, tradito pontificali Cappellano a libro, ibit sessum inter Canonicos loco suo, secus sedebit in scabello praeparato prope dexteram Episcopi, eodem modo quo sedet apud thronum.

38. Cappellanus a libro tradet Pontificale alteri clerico, qui adstabit, ut inserviat ceteris absolventibus.

39. Statim ac sederit Episcopus, duo clerici cum vasculo ac thuribulo, Diaconus et clericus cum libro accedent ad primum Episcopum absolventem.

40. Quod si primus absolvens non esset Episcopus, thuriferarius manebit prope Episcopum et interea procedent ceteri, quos supra nominavimus.

41. Discedentes conficient respective ad Episcopum reverentiam aut genuflexionem.

42. Ante primum absolventem quum venerint, facient reverentiam et Diaconus subsistet a dextris illius. Dexterae Diaconi adstabit thuriferarius et dexterae thuriferarii clericus cum vasculo aquae benedictae. Clericus cum libro et Caeremoniarius consistent a sinistris illius.

43. Nisi esset Episcopus, thuriferarius procedet deinceps, ut infra.

44. Quum cantores cantaverint *Requiem aeternam* etc. et re-

petent ℣ *Subvenite*, Cappellanus assistens Episcopo primo absolventi, attollet eius fimbriam dexteram pluvialis et ei se sistet thuriferarius, qui stans praesentabit ipsi thuribulum. Diaconus ministrabit incensum sine osculis, quod praedictus Episcopus demittet in thuribulum cum benedictione consueta.

45. Quod nisi esset Episcopus, id faciet Episcopus celebrans, ministrante incensum Presbytero assistente; thuriferarius autem accedet ad primum absolventem cum thuribulo, quum Episcopus demiserit ac benedixerit incensum.

46. Responsorio a cantoribus cantato, secundus Diaconus assistens mitram tollet Episcopo.

47. Diaconus tollet mitram primo Episcopo absolventi, vel nisi erit Episcopus, caput ipse nudabit bireto, quod cum cereo tradet Diacono, hic autem clerico aut Caeremoniario.

48. Ceteri absolventes pariter nudabunt caput, ut supra.

49. Consurgent omnes et cantores cantabunt *Kyrie eleison* etc.

50. Diaconus attollet fimbriam dexteram pluvialis primi absolventis et absoluto cantu *Kyrie*, hic dicet alta voce *Pater noster* et continuabitur secreto.

51. Diaconus a clerico vasculum sustinente accipiet aspersorium et sine osculis tradet illud primo absolventi, qui de suo loco discedens cum Diacono, incedens a dextris suis asperget castrum doloris in lateribus, videlicet versus locum suum, in medio, deinde versus locum quarti absolventis; quando transibit ante ipsum, reverentiam faciet: tum procedet ulterius et salutabit Crucem a Subdiacono sustentam: deinde salutabit secundum absolventem: asperget autem castrum doloris versus absolventem istum, versus medium et versus tertium absolventem, qui aderit in angulo: faciet reverentiam ad eumdem, postea ad Episcopum, quando transibit ante ipsum.

52. Reversus ad scabellum suum tradet aspersorium Diacono, a quo accipiet thuribulum et adolebit castrum doloris, servans ordinem traditum in aspersione.

53. Thurificatione peracta, et restituto thuribulo Diacono consistet apud scabellum suum et stabit: Diaconus ei praesentabit librum, ex quo cantabit versiculum *Et ne nos inducas* cum reliquis et orationem *Deus, cui omnia vivunt etc.* Ad *Oremus* ante orationem salutabit Crucem, quae aderit ad pedem tumuli.

54. Orationes recitabuntur singulari aut plurali numero pro circumstantiis: si usurpabitur numerus singularis, exprimetur etiam nomen et dignitas defuncti, ut verbi gratia *N. Summi Pontificis* vel *N. Pontificis nostri* etc.

55. Absoluta oratione, sedebunt omnes, et cantores incipient cantum Responsorii secundi *Qui Lazarum resuscitasti.* etc.

56. Primus Diaconus assistens reponet Episcopo mitram.

57. Diaconus autem mitram reponet Episcopo primo assistenti, vel si Episcopus non erit, tradet ei biretum et cereum, ac facta reverentia, procedet cum ceteris supra nominatis ad secundum absolventem, qui aderit in angulo respondente dexterae Subdiaconi sustinentis Crucem.

58. Euntes illuc procedent dextrorsum, ideoque reverentiam conficient quando transibunt ante quartum absolventem et ante Crucem.

59. Thuriferarius, nisi absolventes fuerint Episcopi, discedet ab aliis et redibit ad Episcopum. qui tempore debito demittet incensum in thuribulum, idque fiet etiam in reliquis absolutionibus.

60. Quum illuc venerint, exsequetur illa omnia quae praescripta fuerunt pro primo absolvente, ea tantum differentia, ut secundus absolvens in aspergendo et incensando tumulo, incipiat a suo latere dextro, ideoque in transitu salutabit tertium absolventem. Episcopum, primum absolventem, quartum absolventem et Crucem.

61. Post aspersionem ac thurificationem recitabit, ut supra, versiculos et orationem *Fac, quaesumus, Domine* etc.

62. Post orationem fiet totum id, quod superius praescriptum est, et cantores cantabunt Responsorium *Domine, quando veneris* etc.

63. Diaconus cum ceteris procedet ad tertium absolventem, neque salutabit Crucem, neque Episcopum nec reliquos absolventes, quum sit in eodem latere.

64. Absolvens tertius exsequetur idem quod ceteri, et in aspergendo ac thurificando, procedens a dextris suis salutabit Episcopum, deinde primum absolventem, et incipiet aspergere vel thurificare, salutabit quartum absolventem, Crucem, secun-

dum absolventem et prosequetur aspersionem vel thurificationem in altero latere.

65. Reversus autem ad scabellum suum, cantabit ut supra, versiculos cum oratione *Inclina, Domine* etc.

66. Post orationem tertiam, cantores subiungent in cantu Responsorium *Ne recorderis* etc. et Diaconus cum ceteris procedent ad quartum absolventem, sed transeuntes salutabunt Episcopum, deinde absolventem primum.

67. In aspergendo ac thurificando, quum debeat quartus absolvens initium sumere a dextris suis, postquam dixerit *Pater noster,* procedet et salutabit Crucem, tum secundum absolventem; incipiet aspergere vel thurificare, salutabit tertium absolventem, deinde Episcopum, postea primum absolventem et peraget aspersionem vel thurificationem.

68. Recitabit modo praescripto pro ceteris, orationem *Absolve . . . . ut in resurrectionis* etc.

69. Postea cantores cantabunt Responsorium *Libera me, Domine de morte* etc. et Diaconus cum ceteris, facta ad quartum absolventem reverentia, redibunt ad Episcopum et transeuntes per dexteram suam, salutabunt Crucem, absolventem secundum et tertium.

70. Quum ante Episcopum venerint, conficient reverentiam, Diaconus recedet versus secundum Diaconum assistentem et ex parte adversa consistent clerici cum vasculo ac thuribulo. Clericus autem librum deferens, tradet illum Cappellano a libro.

71. Post *Requiem aeternam* Presbyter assistens ministrabit incensum Episcopo, qui cum benedictione demittet illud in thuribulum sustentum a thuriferario genuflexo.

72. Sub finem responsorii secundus Diaconus assistens mitram tollet Episcopo, qui ad *Kyrie eleison* assurget et cum ipso ceteri omnes.

73. Cantato *Pater noster*, Episcopus descendet de suppedaneo faldistorii et accipiet aspersorium a Presbytero assistente, qui eo loco manebit, nec praecedens nec sequens Episcopum.

74. Episcopus medius inter Diaconos, assistentes qui fim-

brias pluvialis attollent, sequente Caudatario sustinente extremitatem vestis talaris, asperget castrum doloris a dextris suis, incipiens in latere ubi aderit primus absolvens.

75. Transiens ante Crucem, reverentiam faciet, ac si ceteri absolventes erunt Episcopi, reverebitur ipsos, non vero si fuerint Canonici.

76. Presbyter assistens adstabit fere ante faldistorium, ut recipiat aspersorium ab Episcopo, eique tradat thuribulum.

77. Episcopus adolebit castrum doloris eodem modo quo asperserit, ac Presbytero assistenti reddet thuribulum.

78. Redibit deinde ad faldistorium, et e libro sustento a Presbytero assistente recitabit versiculos et orationem *Absolve . . . . ut defunctus* etc.

79. Presbyter assistens, sustinens adhuc librum apertum ante Episcopum, recedet aliquantum ad sinistram eius, qui recitata oratione, elevabit dexteram versus castrum doloris et subiungens *Requiem aeternam* etc. signum faciet Crucis. Primus Diaconus assistens attollet fimbriam pluvialis Episcopi.

80. Cantores immediate subiungent *Requiescat in pace*, vel *Requiescant in pace* et chorus respondebit *Amen*.

81. Episcopus nullum aliud faciet signum Crucis, nec dicet versiculum *Anima eius* aut *Animae eorum* etc. Quum autem sedebit, reponetur ei mitra a primo Diacono assistente, et sedere continuabit, donec monebitur, ut se addat processioni.

82. Cantato a cantoribus *Requiescat in pace*, proficiscetur Subdiaconus, gestans Crucem, cum Acolythis, ante quos locum sument clerici cum thuribulo et vasculo, eodemque ordine ac supra, redibunt in chorum, ubi clerici vasculum et thuribulum ponent in abaco et Acolythi pariter candelabra; Subdiaconus autem firmata Cruce in sua basi, redibit ad Altare et consistet versus cornu Evangelii.

83. Interim praesto erunt apud thronum clerici ad recipienda paramenta Episcopi et Cubicularius cum cappa eius.

84. Canonici salutabunt Crucem Altaris et recedent ad subsellia sua.

85. Quatuor absolventes procedent ante Altare ibique se disponent ordine supradicto.

86. Subdiaconus dexterae locum occupabit post eos itemque Diaconus et Presbyter assistens.

87. Episcopus cum Diaconis assistentibus medium se locabit inter ipsos, reverentiam faciet ad Crucem, ac si absolventes erunt Episcopi, salutabit eos, qui respondebunt pari inclinatione, non dimittentes mitram.

88. Episcopus procedet ad thronum, adstantibus Diacono et Subdiacono: assistentes venient ad stallum suum et paramenta ibi deponent.

89. Quatuor absolventes ordine supradicto redibunt in Sacrarium.

90. Canonici et ceteri de choro extinguent candelas et ubi incipiet Episcopus sacra paramenta dimittere, se illis exuent etiam Canonici.

91. Venient etiam in Sacrarium Cappellani a libro et scotula ad pluvialia dimittenda et redibunt in chorum, ut inserviant Episcopo in gratiarum actione post Missam.

92. Episcopus, conscenso throno, sedebit et a sacris Ministris exuetur paramentis, quae a clericis deferentur ad Altare

93. Redibunt interim ad thronum Diaconi assistentes induti habitu chorali.

94. Ministri sacri, exuto Episcopo, de throno descendent et sacra paramenta dimittent.

95. A Diaconis assistentibus, adiuvante Cubiculario, Episcopo reponetur cappa: Cubicularius firmabit extremitatem posteriorem vestis episcopalis.

96. Se sistent Episcopo Cappellani a libro et scotula; Episcopus autem leget preces pro Missae gratiarum actione.

97. Clerici duo reponent faldistorium cum pulvinis ante Altare.

98. Completa gratiarum actione, descendet de throno Episcopus, brevi orabit genibus flexis in faldistorio, et associatus a Canonicis adorabit SS. Sacramentum, postea se recipiet ad aedes suas.

99. Hic ordo servabitur, ut superius innutum est, in funeribus celebratis prima vice in obitu Summi Pontificis, proprii Principis, Cardinalium et Episcopi ordinarii. In aliis fu-

neribus celebrandis in anniversario aut diebus septimo, tricesimo, qui distinguentur a primo, si castrum doloris erigetur in media ecclesia, una fiet ab Episcopo absolutio, ceteris quatuor omissis.

100. Quocirca si Episcopus cantabit Missam et post Missam peraget absolutionem, servabitur methodus superius tradita, exceptis praescriptionibus illis, quae statutae sunt pro ceteris quatuor absolventibus, quae ob rationem allatam, locum hic non habent.

101. Sin Episcopus non cantabit Missam, sed tantum intererit Missae, et cupiet deinde peragere absolutionem super tumulum, servabitur ordo sequens.

102. Ante castrum doloris ornatum ut supra, praeparabitur faldistorium instructum tegumento nigro, et sub ipso suppedaneum contectum tapeto violaceo. Neque scamnis neque scabellis opus est pro Canonicis et Assistentibus.

103. Super abaco aderit vasculum aquae sanctae cum navicula utendum ab Episcopo, formale simplex in lance, pluviale cum stola nigra, amictus et mitra simplex aut damascena alba aut linea sive e tela alba cum velo seu vimpa pro ministro. Praeparabitur etiam Pontificale (parte 3.) et scotula cum candela, praeter candelabra cum cereis pro Acolythis.

104. Loco solito prope latus Evangelii firmabitur in basi Crux processionalis, vel Archiepiscopalis, pro qualitate Celebrantis.

105. Sacro peracto, et profecto Celebrante cum Ministris, paramenta supradicta Episcopi distribuentur clericis qui ea deferent ad thronum, sequente Cappellano a mitra, qui sibi imponet collo velum, quo mitram sustineat. Ascendet etiam ad thronum cubicularius ut Episcopo cappam detrahat.

106. Pervenientibus clericis cum paramentis ante thronum, Episcopus cappam dimittet, adiuvantibus Diaconis assistentibus et cubiculario, qui extremitatem posteriorem eius vestis expediet.

107. Deinde ab eisdem Diaconis assistentibus induetur amictu, stola et pluviali nigro, super quo primus Diaconus assistens imponet formale. Tum Diaconus idem imponet capiti eius mitram simplicem.

108. Interea praesto erunt clerici cum vasculo ac thuribulo apud Altare: Crucifer indutus superpellicio accipiet Crucem, prope quam sument locum Acolythi cum candelabris ac duo Cappellani a libro et scotula, qui ex abaco acceperint Ponticale et scotulam.

109. Descendet de throno Episcopus et transiens ante Canonicos, qui aderunt in choro, non dabit eis benedictionem et facta ad Altare reverentia, procedetur ad tumulum seu castrum doloris ordine sequenti:

110. Praeibit claviger seu clavigeri ecclesiae: duo clerici cum vasculo aquae sanctae ac thuribulo, et hic ferens thuribulum adstabit sinistrae alterius: Crucifer cum Cruce medius inter Acolythos, ac si Celebrans fuerit Archiepiscopus, vertetur ad eum imago Crucifixi: Episcopus medius inter Diaconos assistentes indutos habitu chorali: caudatarius, qui sustentabit eius vestis extremitatem posteriorem: postremo três Cappellani a mitra, libro et scotula.

111. Quum ventum erit ad castrum doloris, clerici cum vasculo et thuribulo procedent prope faldistorium ibique subsistent versus partem dexteram. Crucifer cum Cruce et Acolythi cum candelabris venient ad pedem tumuli versus portam ecclesiae. Episcopus petet faldistorium, in quo sedebit, adstantibus Diaconis assistentibus, Caudatarius et cappellanus a mitra stabunt a sinistra prope secundum Diaconum assistentem.

112. Sedenti Episcopo secundus Diaconus assistens tollet mitram et se sistent Cappellani a libro et scotula.

113. Episcopus surget ac tono feriali cantabit orationem *Non intres in iudicium* etc.

114. Responso *Amen* a choro, Episcopus sedebit in faldistorio et primus Diaconus assistens reponet ei mitram.

115. Cantores immediate cantabunt Responsorium *Libera me, Domine* etc.

116. Circa dimidium responsorii Presbyter assistens discedet de loco, quem occupabit in choro et facta ad Crucem reverentia, accedet ad Episcopum, ante quem faciet reverentiam et consistet a dextris eius.

117. Cantato a Cantoribus ℣. *Requiem aeternam*, se sistet Episcopo thuriferarius: Diaconi assistentes attollent eius fimbrias pluvialis: Presbyter assistens ministrabit incensum, quod Episcopus cum benedictione usitata iniiciet in thuribulum a thuriferario genuflexo sustentum

118. Demisso in thuribulum incenso, quando parum aberit ut cantus responsorii finiatur, secundus Diaconus assistens mitram tollet Episcopo.

119. Ubi cantores incipient *Kyrie eleison*, Episcopus assurget.

120. Cantato *Kyrie*, Episcopus alta voce dicet *Pater noster*, quod continuabitur secreto, discedet de faldistorio, et Presbyter assistens praesentabit ei aspersorium.

121. Episcopus circumibit tumulum, aspergens ut supra.

122. Aspersione peracta, aspergillum restituet Presbytero assistenti, a quo accipiet thuribulum, quod pariter ei post thurificationem reddet ac revertetur ad faldistorium.

123. Presbyter assistens thuribulum, ab Episcopo redditum, restituet thuriferario et in chorum ad locum suum redibit.

124. Episcopus in faldistorio adstans in pedes recitabit e pontificali, a Cappellano sustento, versiculos cum una ex orationibus statutis pro quinque absolutionibus.

125. Post orationem recedet ex una parte Cappellanus a libro, non claudens pontificale, et Episcopus elevans dexteram versus tumulum, signum Crucis faciet, dicens *Requiem aeternam* etc. ac responso *Et lux perpetua* etc. cantores subiicient in cantu *Requiescat in pace*. ℟. *Amen*.

126. Episcopus nullam adiungens aliam precem aut versiculum, sedebit et a secundo Diacono assistente reponetur ei mitra; tum ordine notato in accessu redibitur in chorum ubi Episcopus apud thronum dimittet sacra paramenta, et facta oratione ad Altare, deinde ad SS. Sacramentum, associatus a Canonicis et Clero revertetur ad residentiam suam.

§. II.

127. Absolutio minus solemnis, quando aberit castrum doloris a media ecclesia, peragetur sequenti modo

128. Praeparabuntur in abaco candelabra pro Acolythis, vasculum aquae sanctae cum aspergillo; thuribulum, rituale aut Missale in quo extet adiunctus absolutionis ritus, et coopertum erit tegumento nigro; scotula cum candela, mitra simplex damascena vel linea alba cum velo, amictus, stola cum pluviali nigro et formale simplex in lance. Aderit iam paratus seu lodix nigra, sternenda ante thronum Episcopi, vel lectica aut parvus tumulus coopertus lodice nigra, ponendus, ut supra, ante thronum.

129. Statim post peractum Sacrum, distribuentur clericis paramenta Episcopi, quae deferent ad thronum ubi de choro discesserit Celebrans cum Ministris.

130. Diaconi assistentes, adiuvante Cubiculario, tollent cappam Episcopo, cui deinde induent amictum, stolam et pluviale nigrum, super quo ponetur formale, et primus Diaconus assistens capiti imponet mitram.

131. Dum parabitur Episcopus, clerici duo ponent ante thronum lecticam, aut extendent lodicem nigram.

132. Sedente Episcopo, sedebit chorus, et cantores cantabunt Responsorium *Libera me, Domine* etc.

133. Aderunt apud abacum duo clerici cum vasculo ac thuribulo.

134. Item aderunt prope secundum Diaconum assistentem duo Cappellani cum Missali, aut Rituali et cum scotula.

135. Quando a cantoribus cantabitur ℣. *Requiem aeternam*, cum debitis genuflexionibus ad Altare et ad Episcopum ascendent ad thronum clerici cum vasculo ac thuribulo.

136. Presbyter assistens a latere ascendet ad thronum et consistet a dextris Episcopi.

137. Cantato praedicto versiculo, Presbyter assistens incensum ministrabit Episcopo, qui cum benedictione consueta imponet illud in thuribulum sustentum a thuriferario genuflexo: Diaconi assistentes attollent eius fimbrias pluvialis.

138. Sub finem cantus Responsorii duo Acolythi accipient candelabra et cum debitis genuflexionibus accedent ad thronum et consistent ante ipsum, sed aliquantum inter se dirempti, ne aspersionem et thurificationem impediant.

139. In fine cantus praedicti secundus Diaconus tollet mitram Episcopo, qui assurget statim ac cantores incipient cantare *Kyrie eleison.*

140. Episcopus subiunget *Pater noster*, quod continuabitur secreto, et a Presbytero assistente accepto aspersorio, asperget versus lecticam vel pannum nigrum in medio, a sinistris et a dextris suis.

141. Restituet aspersorium Presbytero assistenti et accepto thuribulo ab eodem, adolebit eodem modo, quo asperserit.

142. Presbyter assistens receptum ab Episcopo thuribulum restituet thuriferario et descendens a latere de throno redibit ad locum suum.

143. Clerici pariter cum thuribulo et vasculo descendent de throno et cum debitis genuflexionibus ad abacum redibunt ubi illa deponent.

144. Cappellani a libro et scotula se sistent Episcopo, qui cantabit versiculos *Et ne nos* etc. atque orationem recitatam in Missa: postea subiunget *Requiem aeternam* etc. nullum faciens Crucis signum. Cantato deinde ℣ *Requiescat in pace* cum *Amen* a cantoribus, Episcopus nullum addens verbum, Crucis signum faciet versus lecticam vel pannum nigrum et sedebit.

145. Discedent Acolythi cum candelabris, quae reportabunt ad abacum.

146. Tolletur de medio lectica seu pannus niger.

147. Episcopus dimittet sacras vestes et cappam resumet, eodemque tempore reponetur in medio ante Altare faldistorium cum pulvinis pro Episcopo.

148. Episcopus de throno descendet ac brevi orabit genuflexus in faldistorio; associabitur a Canonicis, adorabit SS. Sacramentum et se recipiet ad residentiam suam.

ASSISTENTIA AB EPISCOPO PLUVIALI PARATO PRAESTANDA MISSAE SOLEMNI DE REQUIE A CANONICO CELEBRATAE

CAPUT XXIV.

De rebus praeparandis.

1. Altare maius ornabitur sex candelabris et Cruce simili. Cerei erunt e cera lutea seu communi, candelabra ex aurichalco vel ex aere, non argento neque auro colorata. Nullus inter candelabra ponetur ornatus. qui festum indicet aut solemnia. Praeter tres tobaleas, quarum superior debet latera Altaris contegere, ornabitur pallio nigo. Super Altari disponentur paramenta Episcopi, videlicet pluviale cum stola nigra. Crux pectoralis, cingulum, alba et amictus, quae cooperientur velo nigro: prope paramenta aderit formale simplex in lance, et in latere Evangelii, mitra simplex aut damascena aut e tela alba cum vimpa seu velo pro cappellano, qui gestabit ipsam. Altaris gradus sternentur tapeto coloris violacei.

2. Pavimentum presbyterii nullo cooperietur tapeto.

3. Abacus contegetur albo mantili et super ipso disponentur quae ad Missam opus sunt, scilicet calix cum purificatorio, patena cum hostia et palla, bursa cum corporali, quae contegentur velo nigro calicis. Aderunt ampullae vini et aquae in pelvicula: mappula: campanula: duo aut quatuor intorticia pariter e cera communi pro elevatione: thuribulum cum navicula: vasculum aquae sanctae cum aspersorio: scotula cum candela e cera alba: Missale instructum veste et signaculis nigri coloris pro Episcopo: alterum simile cum eadem veste ut supra, pro Celebrante: pulvinus niger aequalis paramentis vel legile pro Missali Celebrantis: Epistolarium et Evangeliarium cum tegumento, ut supra. Prope abacum praeparabitur lodix nigra sternenda ante gradus throni pro absolutione, vel lectica cooperta lodice nigra.

4. Prope Altare in latere Evangelii, si Ordinarius erit Metropolitanus, statuetur basis pro stabilienda Cruce Archiepiscopali.

5. In latere autem Epistolae praeparabitur scamnum consuetum pro Celebrante et Ministris contectum panno seu tapeto violaceo.

6. Thronus Episcopi in baldachino, in cathedra et in postergali, ornabitur lodicibus panni violacei, quae erunt et ipsae instructae praetextis sericeis coloris eiusdem. Aderunt tria scabella pro Assistentibus, et gradus throni sternentur tapeto violaceo. Aderit etiam pulvinus niger aequalis paramentis, quo utetur Episcopus in genuflexione ad ultimum Evangelium.

7. In medio presbyterio prope Altare disponentur pro Episcopo faldistorium cum pulvinis violaceis, nullo textili opere ex auro aut argento distinctis, et faldistorio supponetur parvum tapetum laneum coloris violacei.

8. Ponentur in presbyterio candelabra maiora cum intorticiis aut cereis e cera communi, numero non minore quatuor, nec sex maiore.

Apud Altare SS. Sacramenti.

9. Praeparabitur faldistorium vel genuflexorium cum strato et pulvinis, ut descriptum est cap. IV. libri huius.

10. Accendentur cerei in sex candelabris, quando Episcopus adorabit SS. Sacramentum in accessu ad ecclesiam et in discessu ab eadem.

In Sacristia.

11. Disponentur paramenta nigri coloris pro Celebrante et Ministris, videlicet planeta, stola et manipulus pro Celebrante; dalmatica, stola et manipulus pro Diacono; tunicella et manipulus pro Subdiacono; tria cingula, tres albae tresque amictus. Praeterea duo candelabra cum candelis e cera communi pro Acolythis et superpellicia quae satis sint pro inservientibus.

12. Sub finem Officii, si vigebit usus, signum functionis dabitur campanis luctuose pulsandis.

13. Officio absoluto, sonabitur campanula Sacrarii, qua nunciabitur Canonicis et Clero, ut associent Episcopum.

14. Induentur interim in Sacrario vestibus sacris Celebrans et Ministri, qui praecedentibus Acolythis cum candelabris accensis, procedent ad Altare.

15. Quum ad Altare ventum erit, Celebrans reverentiam, ceteri omnes genuflexionem ad Crucem conficient, excepto casu, quo etiam sacri Ministri essent Canonici, qui tunc non genuflexionem, sed reverentiam ad Crucem facient.

16. Acolythi, depositis in abaco candelabris, ibi consistent. Celebrans cum Ministris recedent ad scamnum sibi praeparatum ibique sedebunt. Si supererunt alii clerici adstabunt in pedes prope abacum.

17. Ingrediente in ecclesiam Episcopo, non pulsabuntur festivo more campanae neque sonabitur organis.

18. Episcopus, adorato SS. Sacramento, procedet ad Altare maius.

19. Quum intrabit in presbyterium, Celebrans et Ministri caput aperient et assurgent: Celebrans reverebitur eum profunda inclinatione, Ministri genuflexione, qui si fuerint Canonici, salutabunt eum eodem modo ac Celebrans.

20. Episcopus salutabit Crucem et geniculabit in faldistorio, non donans benedictionem Celebranti nec Ministris.

21. Canonici et ceteri de Clero occupabunt locum quisque suum in choro, exceptis Canonicis Diaconis assistentibus.

22. Clerici, quorum officium afferre ad thronum paramenta Episcopi, una cum Cappellano a mitra, geniculabunt apud Altare.

23. Diaconi assistentes medium inter se accipient Episcopum et prope ipsum stabunt Caudatarius et Cappellani a libro et scotula.

24. Assurget Episcopus, atque iterata ad Crucem reverentia, ad thronum accedet, adstantibus a lateribus eius Dia-

conis assistentibus et sequentibus Caudatario, sustentante extremitatem posteriorem cappae, Cappellanis a libro et scotula, ac Cubiculario, qui cappam recepturus erit.

25. Episcopus transiens per chorum dum procedet ad thronum, abstinebit a benedicendo Clero. Hic tamen in transitu Episcopi genua submittet, ut in aliis functionibus.

26. Profecto de Altari Episcopo, tolletur de medio a duobus clericis faldistorium cum pulvinis, et immediate paramenta Episcopi distribuentur clericis destinatis, qui coniunctim ea deferent ad thronum.

27. Dignitates et Canonici circulum non efficient, quando se parabit Episcopus, nec facient ad *Kyrie*, ad *Sanctus* et ad *Agnus Dei*.

28. Pervenientibus clericis cum paramentis ad thronum, Episcopus assurget et cappam dimittet, adiuvantibus Diaconis assistentibus et Cubiculario, qui subsistet prope secundum Diaconum assistentem. Cubicularius expediet Episcopo extremitatem posteriorem vestis talaris et secum feret cappam, quam complicabit, relaturus in fine officii.

29. Diaconi assistentes induent Episcopum amictu, alba, cingulo, Cruce pectorali, stola et pluviali nigro, super quo firmabitur formale simplex. Sedenti deinde Episcopo primus Diaconus assistens imponet mitram.

30. Interea Celebrans cum Ministris de scamno discedent et cum debitis reverentiis consistent ante Altare versus cornu Evangelii.

31. Episcopus de throno descendet medius inter Diaconos assistentes, sequente Caudatario sustentante extremitatem vestis eius, et Cappellano a mitra.

32. Episcopus transiens per chorum, non benedicet Clerum. Adstanti deinde ante Altare secundus Diaconus assistens tollet mitram. Celebrans autem accedet ad Episcopum et adstabit lateri eius sinistro.

33. Episcopus incipiet Missae introitum et Celebrans respondebit.

34. Diaconi assistentes recedent post Episcopum et stantes recitabunt Confessionem inter se.

35. Ministri Celebrantis recedent post ipsum, stantes versus latus Evangelii si erunt Canonici, secus genuflexi, et Confessionem inter se recitabunt.

36. Ceteri geniculabunt, itemque Clerus in choro, exceptis Canonicis et Praelatis, si qui aderunt.

37. Quum Episcopus recitaverit *Indulgentiam*, *absolutionem* etc. Celebrans respondebit *Amen*, reverebitur eum et recedet.

38. Ministri assurgent et Celebrans medius consistet inter eos, quibuscum prosequetur recitare reliquos ℣ *Deus tu conversus* etc.

39. Diaconi assistentes, profecto Celebrante, approximabunt ad Episcopum, qui cum eis prosequetur reliquos versiculos usque ad *Oremus* (a).

40. Cappellani a libro et scotula, accipient ex abaco Missale et scotulam pro Episcopo, et praesto erunt prope thronum.

41. Episcopus, dicto *Oremus* et facta ad Altare reverentia, a primo Diacono assistente cooperietur mitra et quin donet benedictionem Celebranti et Clero, perget ad thronum, Ministris praedictis aliis comitantibus, sequentibus aliis.

42. Profecto de Altari Episcopo, Celebrans cum Ministris ad Altare ascendet, dicens orationem *Aufer a nobis* etc. Deinde Altare osculabitur et transibit ad Missale, ibi positum a clerico in principio Missae, leget Introitum, et recitabit *Kyrie* alternatim cum Ministris.

43. Clerici duo reponent faldistorium cum pulvinis ante Altare.

44. Episcopus, conscenso throno, sedebit et a secundo Diacono assistente nudabitur mitra.

45. Ante eum se sistent Cappellani cum scotula et Missali; ipse assurgens et signum Crucis faciens versus librum, leget introitum, post quem recitabit *Kyrie* alternatim cum Assistentibus. Canonici *Kyrie* recitabunt ad invicem stantes in choro, non descendentes ad circulum, idemque facient ceteri de choro.

46. Dicto *Kyrie*, Episcopus sedebit et primus Diaconus assistens imponet ei mitram.

(a) Inspiciatur adnotatio subiecta num. 40. cap. XIII. huiusce libri.

47. Descendet de throno Episcopus et procedet ad Altare consistens in faldistorio.

48. Diaconus secundus tollet ei mitram et cessabit cantus *Kyrie*.

49. Celebrans veniet in medium Altaris, quo osculato, convertetur ad populum, cantabit *Dominus vobiscum* ac responso *Et cum spiritu tuo*, Episcopus geniculabit in faldistorio, super quo fimbriae pluvialis extendentur ab Assistentibus.

50. Celebrans reversus ad Missale cantabit tono feriali orationem respondentem, ad quam omnes geniculabunt, exceptis Diacono, Subdiacono et Caeremoniario qui assistet Celebranti.

51. Completa oratione, assurget Episcopus et facta reverentia ad Crucem, cooperietur mitra a primo Diacono assistente, redibit ad thronum et sedebit.

52. Sedebunt etiam Assistentes et chorus.

53. Presbyter assistens, ubi thronum conscenderit Episcopus, de suo stallo descendet, prodibit in medium presbyterium, salutabit Altare, deinde Episcopum ante thronum, ascendet ad thronum et sedebit in scamno assistentiae.

54. Subdiaconus, quum in thronum ascenderit Episcopus, recipiet librum Epistolarum, procedet ante Altare et genuflexionem faciet aut reverentiam ad Crucem, deinde reverentiam aut genuflexionem ad Episcopum et perget ad cantandam Epistolam eodem ordine ac superius cap. XIII. num. 137.

55. Celebrans interea leget Epistolam, Graduale et Sequentiam.

56. Subdiaconus, cantata Epistola, claudet librum, redibit in medium presbyterium, iterabit ad Episcopum reverentiam aut genuflexionem, idemque deinde faciet ad pedem Altaris et libro tradito Caeremoniario vel clerico alicui, redibit ad Celebrantem et consistet a dextris Diaconi.

57. Cantata Epistola, se sistent Episcopo Cappellani cum Missali et scotula. Episcopus leget Epistolam, Graduale, Sequentiam, postea iunctis manibus *Munda cor meum* etc. et Evangelium.

58. Quando Episcopus leget Epistolam et reliqua, Assistentes adstabunt in pedes et sedebunt rursus, quum legere desierit ac recesserint Cappellani cum libro et scotula.

59. Celebrans, lecta Sequentia, dicet *Munda cor meum* in medio Altari, deinde leget Evangelium in altero Altaris latere, ubi Subdiaconus posuerit Missale.

60. Postea Celebrans cum Ministris, peracta ad Crucem reverentia, descendent a latere de Altari et considebunt in scamno.

61. Sub finem Sequentiae, surget Diaconus, accipiet librum Evangeliorum, reverebitur Celebrantem; progressus ferme ante Altare faciet reverentiam vel genuflexionem ad Episcopum; veniet ante Altare, faciet reverentiam vel genuflexionem ad Crucem; ascendet ad Altare, ponet in media mensa librum Evangeliorum, et genuflexus in extremo suppedaneo, iunctis manibus recitabit *Munda cor meum* etc.

62. Subdiaconus cum Acolythis, iunctis manibus, quia candelabra non gestant, peracta ad Celebrantem tantum reverentia, procedent recta ad pedem Altaris, ibique subsistent, stantibus Acolythis a lateribus Ministrorum.

63. Diaconus recitato *Munda cor meum* etc. assurget, librum Evangeliorum accipiet, de Altari descendet et a dexris Subdiaconi consistet.

64. Iunctim conficient reverentiam aut genuflexionem ad Altare, convertentur deinde versus Episcopum, Subdiacono adstante a sinistris Diaconi, peragent genuflexionem aut reverentiam ad Episcopum et procedent ad Evangelium cantandum ordine superius innuto cap. XIII. num 161.

65. Episcopus, dimissa mitra per secundum Diaconum assistentem, assurget et ad cantum Evangelii stabit iunctis manibus.

66. Celebrans, profectis Ministris antedictis, ascendet a latere ad Altare et consistet in latere Epistolae conversus ad Diaconum, qui cantabit Evangelium.

67. Cantato Evangelio, Diaconus claudet librum, quem apud se retinebit Subdiaconus.

68. Ministri cum Acolythis, ordine supradicto facient genuflexionem aut reverentiam ad Episcopum et procedent ante Altare, ubi peracta respective reverentia vel genuflexione, Subdiaconus librum tradet cuidam Acolytorum.

69. Ministri se disponent post Celebrantem et Acolythi ad abacum redibunt.

70. Celebrans cantabit *Dominus vobiscum* et *Oremus*, deinde leget Offertorium.

71. Episcopus, dicto a Celebrante *Oremus*, sedebit, cooperietur mitra a primo Diacono assistente, tum venientibus Cappellanis cum libro et scotula, leget Offertorium.

72. Diaconus transibit ad dexteram Celebrantis et Subdiaconus, facta reverentia vel genuflexione ad Crucem Altaris, perget ad abacum, accipiet calicem, in quo aderit bursa cum corporali et eum afferet ad Altare.

73. Praesto erit interea thuriferarius cum thuribulo.

74. Diaconus corporale explicabit in media mensa, porriget deinde patenam cum hostia Celebranti, qui peraget oblationem Hostiae et Missam prosequetur ritu tradito pro aliis Missis cantatis.

75. Thuriferarius vel Caeremoniarius afferet ad thronum thuribulum et statim post discessum utriusque Cappellani cum libro et scotula, qui haec referent ad abacum, ascendet cum debitis genuflexionibus et naviculam tradet Presbytero assistenti, qui consistet a dextris Episcopi.

76. Episcopus incensum in thuribulum demittet recitans orationem *Per intercessionem* etc. ac benedicet.

77. Thuriferarius thuribulum reportabit ad Altare, tradet ipsum Diacono, hic autem Celebranti, qui thurificabit Oblata et Altare ritu consueto.

78. Diaconus adolebit Celebrantem duplici ductu ac thuribulum restituet thuriferario, qui deferet illud ad pedem throni.

79. Presbyter assistens, manu sustinens biretum, de throno descendet, tradet biretum thuriferario, et accepto ab eo thuribulo, reverentiam faciens ante et post thurificationem, triplici ductu incensabit Episcopum, qui hoc actu assurget ac totus chorus cum eo.

80. Episcopus post thurificationem sedebit denuo, cumque ipso chorus et Assistentes.

81. Presbyter assistens, thuribulo restituto thuriferario, recipiet ab eo biretum, iterabit reverentiam ad Episcopum et ad Altare, postea redibit ad stallum suum in chorum.

82. Ad *Per omnia saecula* ante Praefationem, secundus

Diaconus assistens mitram tollet Episcopo, qui non discedet de throno sed adstabit in pedes, recitaturus deinde *Sanctus* una cum Assistentibus.

83. Praesto erunt interea clerici cum intorticiis e cera lutea pro elevatione.

84. Sic etiam clerici duo reponent ante Altare faldistorium cum pulvinis pro Episcopo.

85. Recitato *Sanctus*, Episcopus sedebit et primus Diaconus assistens reponet eius capiti mitram.

86. Clerici cum intorticiis procedent ante Altare, genuflectent ad Crucem, deinde convertentur et genuflectent ad Episcopum: postea dirimentur et geniculabunt a lateribus Altaris, facie ad invicem versa; eoque statu manebunt usque ad exitum Consummationis.

87. Episcopus resumpta mitra, descendet de throno et veniet ad faldistorium ante Altare. Ibi secundus Diaconus assistens ei tollet mitram, primus pileolum, deinde geniculabit in faldistorio, eoque statu manebit donec cantatum erit *Pax Domini* ante *Agnus Dei*.

88. Diaconi assistentes extendent fimbrias pluvialis super faldistorio, postea geniculabunt a lateribus Episcopi.

89. Subdiaconus recedet aliquantum versus partem Epistolae, ne tergum directe vertat ad Episcopum.

90. Subdiaconus idem in elevatione thurificabit SS. Sacramentum et hanc ob causam recipiet thuribulum, in quo positum iam erit incensum a thuriferario vel a Caeremoniario.

91. Cantato a Celebrante *Pax Domini* et responso a choro *Et cum spiritu tuo*, assurget Episcopus et genuflexionem ad SS. Sacramentum faciet utroque genu, et eius Assistentes hoc ipsum exsequentur. Primus Diaconus assistens reponet eius capiti pileolum et mitram.

92. Episcopus redibit in thronum ibique sedebit. Diaconus secundus assistens tollet ei mitram, primus pileolum; assurget, et Chorus tunc incipiet cantare *Agnus Dei*.

92. Celebrans cum Ministris, Episcopus cum Asssistentibus et Clerus in choro recitabunt *Agnus Dei*.

94. Interea Cappellani a libro et scotula resument ex

abaco Missale et scotulam et redibunt prope secundam Diaconum assistentem.

95. Quum Celebrans consummaverit Calicem, Episcopus sedebit et a primo Diacono assistente reponetur ei pileolus et mitra.

96. Clerici cum intorticiis consurgent, coibunt ante Altare, genuflexionem conficient ad Crucem, deinde ad Episcopum, postea pergent ad abacum vel in Sacristiam, ubi extinguent ac deponent intorticia.

97. Cappellani cum libro et scotula se sistent Episcopo, qui leget ℣. *Communio*, postea recedent et meminerint ex abaco sumere librum alterum pro absolutione, nisi ritus illius insertus sit in fine Missalis.

98. Quando Celebrans transibit in latus Epistolae ad legendum *Communio*, Episcopus assurget, de throno descendet ad faldistorium, quo quum venerit, mitra nudabitur a secundo Diacono assistente.

99. Episcopus ibi adstabit in pedes, expectans quoad Celebrans cantet *Dominus vobiscum*.

100. Responso a choro *Et cum spiritu tuo* geniculabit Episcopus, et Diaconi assistentes extendent pluviale illius super faldistorio.

101. Ad orationem geniculabunt omnes, ut ad alteram ante Epistolam.

102. Cantato *postcommunio*, Episcopus assurget, reverentiam faciet ad Crucem et a primo Diacono assistente reponetur ei mitra.

103. Episcopus redibit in thronum, ibique sedebit; a secundo Diacono assistente nudabitur mitra, deinde rursus assurget.

104. Tunc Celebrans cantabit *Dominus vobiscum*, et Diaconus *Requiescant in pace*.

105. Celebrans recitata oratione *Placeat* etc. leget ultimum Evangelium, in cuius fine genuflectet etiam Episcopus stans in throno.

106. Postea Episcopus sedebit ac rursus cooperietur mitra a primo Diacono assistente.

107. Discedent de Altari Celebrans cum Ministris et redibunt in Sacrarium ad sacra indumenta dimittenda.

108. Postremo peragetur absolutio, ordine declarato capite praecedenti.

ASSISTENTIA EPISCOPI CAPPA INDUTI
MISSAE SOLEMNI DE REQUIE A CANONICO CELEBRATAE,
ET DE ABSOLUTIONE PERAGENDA A CELEBRANTE,
PRAESENTE EPISCOPO.

CAPUT XXV.

De rebus praeparandis.
Apud Altare maius.

1. Altare instruetur sex candelabris ex aurichalco aut ex aere, non argento neque auro coloratis et Cruce simili candelabris. Cerei sunto e cera lutea seu communi, neque ullum ornamentum inter candelabra ponetur, quod festum indicet aut solemnia. Praeter tres tobaleas, superior quarum cooperiet latera Altaris, apponetur pallium nigri coloris. Super mensa praeparabitur Missale cum veste nigra et signaculis similibus pro Celebrante positum in cussino aequali paramentis, vel super legili. Gradus Altaris cooperientur tapeto coloris violacei.

2. Pavimentum presbyterii nudum erit.

3. Abacus contegetur alba tobalea et super ipso ponentur quae opus sunt ad Missam, videlicet calix cum purificatorio, patena cum hostia et palla, bursa cum corporali, quae omnia cooperientur velo calicis nigro. Aderunt insuper ampullae plenae vini et aquae in pelvicula; mappula; campanula; duo vel quatuor intorticia e cera lutea pro elevatione; thuribulum cum navicula; vasculum aquae benedictae cum aspergillo; pluviale nigrum pro Celebrante absolutionem peracturo; Epistolarium et Evangeliarium, utrumque cum veste

nigra et signaculis similibus; Missale cum eodem tegumento utendum ab Episcopo et scotula cum candela e cera alba. Praeparabitur etiam prope abacum lodix funerea extendenda ante Altare pro absolutione, aut lectica cum lodice nigra.

4. Prope latus Evangelii statuetur basis, si opus fuerit, pro Cruce archiepiscopali.

5. Scamnum Celebrantis et Ministrorum collocabitur in latere Epistolae et convestietur panno coloris violacei.

6. Thronus Episcopi instruetur tegumento violaceo, ac tum ornatus baldachini, tum lodix et vestis cathedrae esse debent laneae, ornatae praetextis et laciniis e serico violaceo. Gradus throni sternentur tapeto violaceo. Aderunt in throno tria scabella pro Assistentibus, et pulvinus e panno violaceo in usum Episcopi ad genuflectendum in ultimo Evangelio.

7. In medio presbyterii ponetur faldistorium cum pulvinis e serico violaceo sine ullo opere textili, et faldistorio supponetur parvum tapetum laneum coloris eiusdem.

8. In principio presbyterii disponentur candelabra maiora cum intorticiis aut candelis e cera communi, numero non maiore sex, nec minore quatuor.

Apud Altare SS. Sacramenti.

9. Praeparabitur faldistorium vel genuflexorium cum strato et pulvinis ut notatum est cap. IV. huius libri.

10. Accendentur sex consueti cerei in Altari, quando Episcopus adorabit SS. Sacramentum in accessu ad ecclesiam et in discessu ex eadem.

In Sacristia

11. Praeparabuntur paramenta nigri coloris pro Celebrante et Ministris, videlicet planeta, stola et manipulus pro Celebrante, dalmatica, stola et manipulus pro Diacono, tunicella et manipulus pro Subdiacono, tria cingula, tres albae tresque amictus et superpellicia pro inservientibus.

12. Aderunt etiam candelabra cum candelis e cera lutea pro Acolythis.

13. Sub finem officii, signum functionis dabitur campanis luctuose pulsandis, si talis fuerit loci consuetudo.

14. Completo officio, sonabitur campanula Sacrarii, quod signum erit Canonicis et Clero associandi Episcopum, ut cap. IV. praecedenti.

15. In Sacristia sacra paramenta sibi induent Celebrans et Ministri; qui postea praecedentibus Acolythis gestantibus candelabra cum cereis accensis, proficiscentur ad Altare.

16. Quo quum venerint, Celebrans reverentiam, ceteri omnes genuflexionem ad Crucem conficient. Si tamen Ministri fuerint Canonici, facient et ipsi, ut Celebrans, reverentiam. Deinde Celebrans cum Ministris sedebunt in scamno praeparato, et Acolythi depositis in abaco candelabris, ibi consistent expectantes adventum Episcopi.

17. Ingrediente in ecclesiam Episcopo non sonabunt festivo more campanae, multo minus sonabitur organis.

18. Postquam Episcopus adoraverit SS. Sacramentum, procedet ad Altare maius.

19. Quando autem intrabit in presbyterium, Celebrans et Ministri caput aperient et assurgent; Celebrans salutabit eum profunda reverentia, Ministri vero genuflexione, nisi fuerint Canonici.

20. Episcopus reverebitur Crucem et geniculabit in faldistorio, non benedicens Celebrantem nec Ministros.

21. Canonici et ceteri de Clero occupabunt locum quisque sibi in choro attributum.

22. Diaconi assistentes locum sument a lateribus Episcopi, ac prope ipsum adstabunt Caudatarius et Cappellani a libro et scotula.

23. Quum omnes occupaverint locum suum, Celebrans cum Ministris discedent de scamno et transeuntes post Episcopum, Celebrans approximabit ad sinistram eius, et Ministri locum sument post Celebrantem, aliquem passum stantes longe ab ipso, ac nisi fuerint Canonici, geniculabunt, ut infra.

24. Episcopus assurget et clerici duo faldistorium cum pulvinis amovebunt.

25. Episcopus, adstante sinistrae eius Celebrante, accedet ad Altare et sine alia profunda reverentia ad Crucem, inchoabit Missam, in qua respondebit Celebrans, et ad verba *Tibi Pater* ac *Te Pater*, convertetur ad Episcopum, quemadmodum Episcopus convertetur aliquantum ad eum, quando dicet *Vobis fratres* et *Vos fratres*.

26. Diaconi assistentes stabunt post Episcopum et inter se recitabunt Confessionem. Idem facient Ministri stantes aut genuflexi, ut supra docuimus. Cappellani a libro et scotula genibus flexis ipsi quoque recitabunt Confessionem. Hoc ipsum faciet Clerus, iuxta rubricam citatam superius.

27. Quum Episcopus recitaverit *Indulgentiam* etc. et Celebrans responderit *Amen*, Diaconi assistentes redibunt ad latera Episcopi, qui cum eis prosequetur reliquas preces *Deus tu conversus* (*a*).

28. Celebrans se inclinabit Episcopo, discedet a latere eius, medius accipietur a Ministris, qui si genuflexerant, assurgent et cum eis prosequetur reliquos versiculos *Deus tu conversus* etc.

29. Cappellani a libro et scotula accipient ex abaco Missale cum scotula pro Episcopo et redibunt prope eundem.

30. Episcopus, dicto *Oremus*, non subiungens aliam orationem, reverebitur Crucem Altaris, deinde procedet ad thronum, assistentibus ei suis Diaconis, et sequentibus Caudatario, sustinente eius extremitatem cappae et cappellanis a libro et scotula. Episcopus ex Altari discedens non benedicet Celebrantem, nec transiens per chorum, benedicet Clerum.

31. Celebrans cum Ministris, reverentia aut genuflexione respective facta ad Episcopum euntem ad thronum, quamquam benedictionem non dederit, ascendent ad Altare, Celebrans recitabit orationem *Aufer a nobis* etc. osculabitur Altare, accedet ad Missale et leget introitum, stantibus a dextris eius Ministris, ut in aliis Missis solemnibus.

32. Episcopus, conscenso throno, brevi tempore sedebit, donec se sistentibus ei Cappellanis cum libro et scotula, assurget ac faciens Crucis signum versus Missale, leget introitum.

(*a*) Vide adnotationem subiectam num. 40. cap. XIII. libri huiusce.

33. Interea clerici duo reponent ante Altare faldistorium cum pulvinis pro Episcopo.

34. Lecto ab Episcopo introitu, recedent Cappellani a libro et scotula et Episcopus recitabit *Kyrie* cum Diaconis assistentibus. Hoc ipsum facient ad invicem Canonici in choro; nunquam enim in Missis pro defunctis descendent ad circulum. Celebrans etiam recitabit *Kyrie* cum Ministris suis.

35. Episcopus de throno descendet et cum Diaconis assistentibus procedet ad Altare et stans consistet in faldistorio.

36. Cantores absolvent cantum *Kyrie*.

37. Celebrans veniet ante Altare et conversus ad populum cantabit *Dominus vobiscum*, chorus respondebit *Et cum spiritu tuo.*

38. Episcopus geniculabit in faldistorio, cumque ipso geniculabunt ceteri omnes, exceptis Diacono, Subdiacono et Caeremoniario qui assistet Celebranti.

39. Celebrans tono feriali cantabit orationem respondentem Missae, quae celebratur.

40. Oratione cantata, assurget Episcopus et ceteri omnes cum eo.

41. Episcopus redibit in thronum, sedebit et caput operiet bireto, quod ei porriget primus Diaconus assistens.

42. Presbyter assistens, statim ac Episcopus thronum conscenderit, de suo stallo descendet, reverentiam ad Altare faciet, reverebitur Episcopum, ad thronum ascendet et sedebit in scabello assistentiae.

43. Profecto de Altari Episcopo, clerici duo e medio tollent faldistorium cum pulvinis et deponent seorsim.

44. Subdiaconus recipiet librum Epistolarum et ubi Episcopus sederit in throno, procedet ante Altare, reverentiam aut genuflexionem efficiet ad Crucem, deinde ad Episcopum, et perget ad cantandam Epistolam loco solito, cum animadversione superius innuta cap. XIII num. 147.

45. Cantata Epistola, Subdiaconus librum claudet, redibit in medium chorum, reverentiam aut genuflexionem ad Episcopum faciet itemque ad Crucem quum venerit ante Altare, librum tradet Clerico et redibit prope Celebrantem ad dexteram Diaconi.

46. Celebrans leget Epistolam, Graduale et Sequentiam dum cantabitur Epistola, deinde in medio Altaris recitabit solam orationem *Munda cor meum* etc. ac translato a Subdiacono in latus Evangelii Missali, leget ibi Evangelium (*a*).

47. Cantata Epistola, se sistent Episcopo Cappellani cum libro et scotula, et Episcopus leget Epistolam, Graduale, Sequentiam, postea iunctis manibus *Munda cor meum* et Evangelium.

48. Assistentes, non excepto Presbytero assistente, adstabunt in pedes, quando Episcopus leget quae superius notata sunt.

49. Celebrans, lecto Evangelio, redibit ad medium Altaris et Ministri consistent a lateribus eius. Reverentiam conficient ad Crucem, descendent a latere de Altari, venient ad scamnum, ubi sedebunt et caput bireto cooperient.

50. Lecta ab Episcopo Epistola etc. recedent Cappellani a libro et scotula, rursusque sedebunt Assistentes.

51. Interim a cantoribus cantabitur Prosa, seu Sequentia.

52. Ad ultimam Sequentiae stropham assurget Diaconus, biretum relinquet in scamno et accepto Evangeliorum libro, salutabit Celebrantem et procedet ad Altare. Priusquam tamen ante Altare perveniat, reverentiam faciet vel genuflexionem ad Episcopum, tum perget et reverentiam aut genuflexionem efficiet ad Crucem, conscendet suppedaneum et super Altari ponet librum Evangeliorum. Postea geniculabit in suppedaneo et recitabit *Munda cor meum*.

53. Quando Diaconus genuflectet et dicet *Munda cor meum*, assurget Subdiaconus, quem sequentur duo Acolythi iunctis manibus, quia candelabra non gestabunt, et facta reverentia ad Celebrantem, pergent directe ante Altare ibique consistent expectantes Diaconum. Acolythi consistent a lateribus Ministrorum.

54. Diaconus recitato *Munda cor meum*, assurget, librum accipiet, de Altari descendet et coibit cum Subdiacono et Acolythis, consistens a dextris Subdiaconi.

(*a*) Licebit Celebranti, quum redibit ad Altare, legere Evangelium sub finem cantus Sequentiae. Aliter tamen insinuavimus, ut Celebrans eodem tempore legat quae leget Episcopus.

55. Quum absolutus erit cantus Sequentiae, Acolythi genuflexionem ad Altare conficient, Ministri autem reverentiam, si fuerint Canonici, secus et ipsi genuflexionem.

56. Convertentur deinde versus Episcopum, cui reverentiam vel genuflexionem, ut supra, exsequentur et procedent ad Evangelium cantandum, notando tamen quod superius traditum fuit cap. XIII. num 161.

57. Celebrans, quando Ministri praedicti de Altari discedent, surget, biretum relinquet in scamno, ad Altare ascendet a latere et veniens in cornu Epistolae, convertetur ad Diaconum, qui cantabit Evangelium.

58. Episcopus caput nudabit bireto et detracto sibi de capite etiam pileolo, assurget.

59. Diaconus cantabit Evangelium.

60. Cantato Evangelio, Diaconus claudet librum, quem Subdiaconus tradet Acolytho, iterabunt reverentiam aut genuflexionem ad Episcopum, venient deinde ante Altare. et reverentia aut genuflexione ibi quoque peracta, Acolythi redibunt ad abacum, Ministri consistent post Celebrantem, Celebrans autem conversus ad populum cantabit *Dominus vobiscum*. Postea conversus ad Altare, cantabit *Oremus* et leget Offertorium.

61. Episcopus, cantato Evangelio, sibi pileolum in capite reponet.

62. Thuriferarius interim in promptu erit cum thuribulo.

63. Cantato a Celebrante *Oremus*, Episcopus sedebit rursusque caput operiet bireto.

64. Cappellani cum Missali et scotula se sistent Episcopo, qui leget Offertorium.

65. Diaconus ascendet ad dexteram Celebrantis et Subdiaconus veniet ad abacum, accipiet calicem et afferet ipsum ad Altare simul cum bursa corporalis posita super calice.

66. Interea thuriferarius thuribulum afferet ad thronum et lecto ab Episcopo offertorio, ascendet illuc et tradet naviculam Presbytero assistenti, qui accedet ad Episcopum eique ministrabit incensum sine osculis. Episcopus incensum ingeret in thuribulum, recitans formulam *Per intercessionem* etc. et benedicet illud.

67. Post Altaris thurificationem, solus Celebrans incensabitur a Diacono duplici ductu.

68. Statuetur interea faldistorium cum pulvinis ante Altare.

69. In promptu etiam stabunt clerici cum intorticiis pro elevatione.

70. Ad *Per omnia saecula* ante Praefationem, Presbyter assistens, facta reverentia ad Episcopum, redibit ad locum suum.

71. Episcopus assurget ad cantum praedictum et recitato *Sanctus* cum Assistentibus, descendet de throno.

72. Veniet ad faldistorium, ubi sibi detrahet pileolum et geniculabit, insistens genibus usque ad *Pax Domini* ante *Agnus Dei*.

73. Absoluta praefatione, procedent ante Altare clerici cum intorticiis, conficientes genuflexionem ad Altare, deinde ad Episcopum; tum dirimentur et geniculabunt a lateribus Altaris, facie ad invicem versa.

74. Subdiaconus thurificabit SS. Sacramentum in elevatione, eique a thuriferario dabitur thuribulum in quo ponetur incensum ab altero clerico, non a Subdiacono.

75. Cantato *Pax Domini* et responso a choro *Et cum spiritu tuo*, assurget Episcopus et facta cum Assistentibus genuflexione utroque genu ad Sacramentum, redibit in thronum.

76. Ibi recitabit *Agnus Dei* cum Assistentibus, idemque faciet Celebrans cum Ministris suis, et Chorus. Cantores incipient cantare *Agnus Dei* non ante hoc tempus.

77. Quum Celebrans communicaverit, Episcopus sedebit et caput bireto cooperiet. Se sistent ei Cappellani cum libro et scotula; ipse leget versiculum *Communio*.

78. Clerici cum intorticiis consurgent et iunctim facient genuflexionem ad Altare, dein ad Episcopum, et recedent ad abacum vel in Sacristiam, ubi extinguent et deponent intorticia.

79. Quando Celebrans ad Missale accedet lecturus *Communio*, Episcopus de throno descendet ad faldistorium.

80. Episcopus adstabit in pedes ante faldistorium, et Celebrans conversus ad populum cantabit *Dominus vobiscum*.

81. Tunc Episcopus geniculabit cumque ipso ceteri omnes, ut supra, et Celebrans cantabit orationem.

82. Oratione absoluta, Episcopus assurget, reverebitur Crucem et redibit in thronum.

83. Reverso in thronum Episcopo, Celebrans conversus ad populum cantabit *Dominus vobiscum*, et Diaconus postea cantabit ℣. *Requiescant in Pace.*

84. Celebrans osculabitur Altare et recitabit Evangelium S. Ioannis, in quo Episcopus et ceteri omnes genuflectent, ut supra dictum est, ad illa verba *Et Verbum caro factum est.*

85. Interea de medio Presbyterio tolletur faldistorium Episcopi: ante Altare autem extendetur lodix nigra a duobus clericis, vel ponetur lectica mortuaria, ne tamen impediat transitum Celebranti ei Ministris.

86. Absoluto Evangelio, sedebit Episcopus et Clerus in choro. Celebrans cum Ministris facta ad Crucem reverentia, descendet a latere de Altari et veniet prope scamnum.

87. Ibi iam aderit pluviale Celebrantis, allatum ab uno ex Acolythis. Ministri dimittent manipulum; deinde planetam et manipulum tollent Celebranti, quem induent pluviali.

88. Cantores statim intonabunt Responsorium *Libera me Domine* etc.

89. Celebrans cum Ministris revertentur ad Altare et consistent in latere Epistolae, ut in introitu Missae.

90. Thuriferarius interea in promptu habebit thuribulum, et clericus aliquis accipiet vasculum aquae sanctae, expectans dum tempus erit coeundi eum thuriferario.

91. Quando a cantoribus cantabitur ℣. *Requiem aeternam,* Presbyter assistens a latere ad thronum redibit et consistet a dextris Episcopi.

92. Eodem tempore ad thronum accedet Caeremoniarius vel thuriferarius cum thuribulo, et accepta navicula a Presbytero assistente, qui Episcopo ministrabit incensum, Episcopus in thuribulum demittet incensum, proferens formulam *Ab illo benedicaris* etc. et benedicet illud.

93. Presbyter assistens, facta ad Episcopum reverentia, redibit in chorum ad locum suum.

94. Caeremoniarius reversus ad Altare, thuribulum tradet thuriferario, qui se addens alteri clerico sustinenti vasculum aquae sanctae veniet cum eo ad Altare, et consistent non longe a suppedaneo in latere Evangelii.

95. Principio *Kyrie eleison*, Episcopus nudabit caput et assurget; item assurget Chorus.

96. Completo *Kyrie*, Celebrans stans in eodem Epistolae latere, cantabit *Pater noster* et prosequetur secreto. Transibit deinde ad medium Altaris, et Diaconus advertet, ut adsit in latere Evangelii. Tum faciet cum Ministris reverentiam ad Crucem, et conversus ad lodicem nigram seu lecticam, accipiet aspersorium a Diacono et asperget in medio, a sinistris et a dextris suis: restituet aspersorium Diacono, a quo accipiet thuribulum, et adolebit eodem modo ac supra. Reddito Diacono thuribulo, rursus convertentur ad Crucem, conficient reverentiam et redibunt ad Missale positum in cornu Epistolae, ubi Celebrans dicet ℣. *Et ne nos* cum iis qui sequuntur, et orationem. Postremo dicet versiculum *Requiem aeternam* etc. et cantato a cantoribus altero ℣ *Requiescat in pace, Amen*, nihil subiiciens, de Altari cum Ministris descendet.

97. Aderunt ad pedem Altaris Acolythi cum candelabris, qui coibunt cum Celebrante et Ministris, fiet iunctim ab omnibus reverentia aut genuflexio, ut praescriptum fuit, ad Altare, postea ad Episcopum, discedent de choro et redibunt in Sacrarium ad sacra indumenta dimittenda.

98. Immediate a duobus clericis amovebitur lodix funerea vel lectica, qua opus fuit in absolutione et reponetur faldistorium cum pulvinis pro Episcopo.

99. Profecto Celebrante cum Ministris et restituto ante Altare faldistorio, Episcopus de throno descendet ad faldistorium ibique brevi orabit.

100. Assurgens de oratione, iterabit reverentiam ad Crucem et associatus a Clero, adorabit SS. Sacramentum; postremo ad aedes suas se recipiet.

ASSISTENTIA AB EPISCOPO ORDINARIO PLUVIALI PARATO PRAESTANDA MISSAE SOLEMNI DE REQUIE CELEBRATAE AB ALTERO EPISCOPO, EIDEM ORDINARIO SUBIECTO.

CAPUT XXVI.

De rebus praeparandis.
Ad Altare SS. Sacramenti.

1. Praeparabitur faldistorium cum pulvinis violaceis, vel genuflexorium cum strato et pulvinis eiusdem generis ac superius cap. IV.

2. Altari applicabitur pallium coloris respondentis officio eiusdemque coloris erit conopoeum, quo tegetur tabernaculum: ardebunt cerei sex e cera alba in candelabris maioribus, saltem in accessu Episcopi ad ecclesiam et in discessu eius ex eadem.

Ad Altare maius.

3. Thronus parabitur lodicibus et baldachino coloris violacei, ut capite praecedenti: aderunt scabella pro tribus Assistentibus: gradus sternentur tapeto ex panno violaceo. Prope thronum ponetur pulvinus e serico nigro in usum Episcopi.

4. Pavimentum presbyterii erit omni tapeto destitutum. Ante Altare statuetur faldistorium cum pulvinis violaceis, in quo geniculabit Episcopus.

5. Altare instruetur pallio nigri coloris, cum tobaleis, quarum superior cooperiet latera usque ad imum, et super gradus tapeto violaceo. In Altari aderunt candelabra ex aurichalco aut ex aere, non argento neque auro colorata, sex numero, cum Cruce simili; cerei autem sunto e cera lutea seu communi. Quaecumque alia ornamenta ab Altari excluduntur.

6. Super Altaris mensa disponentur paramenta nigri coloris pro Episcopo, videlicet pluviale cum stola, Crux pecto-

ralis, cingulum, alba et amictus, quae contegentur velo sericeo nigri coloris. Prope paramenta ponetur formale simplex in lance. In latere Evangelii mitra damascena aut ex tela alba, cum velo pro cappellano.

7. In latere Epistolae ante gradus Altaris statuetur pro Celebrante faldistorium convestitum indumento aequali paramentis. Faldistorio autem supponetur parvum tapetum violaceum.

8. In eodem latere aderit scamnum cum brevi postergali, sine suppedaneo, coopertum panno coloris violacei, quo utentur sacri Ministri.

9. Ex eadem parte prope murum situs erit abacus contectus alba tobalea, in quo disponentur quae sequuntur; videlicet calix cum purificatorio, patena cum hostia et palla, bursa cum corporali: ampullae vini et aquae in pelvicula: campanula: gremiale aequale paramentis pro Episcopo celebrante: numero quatuor intorticia e cera lutea pro elevatione: urceus cum pelvi et mantile in lance: cussinus aut legile pro Missale cum veste aequali paramentis pro Celebrante: Evangeliarium cum veste, ut supra, itemque Epistolarium: alterum Missale cum veste simili pro Episcopo: scotula cum candela e cera alba pro Episcopo: canon pontificalis pro Celebrante, alter pro Episcopo: thuribulum cum navicula: candelae e cera alba distribuendae Clero: intorticium distinctum pro Episcopo, alterum pro Celebrante: ad absolutionem peragendam post Missam praeparabitur vasculum aquae sanctae cum aspersorio et Rituale formae grandioris instructum tegumento aequali paramentis.

10. Si absolutio peragetur apud castrum doloris praeparatum in media ecclesia, vel super cadaver, praeparabitur faldistorium cum indumento nigro super parvo tapeto nigro aut violaceo ad caput castri doloris, vel cadaveris; sin fiet super tumulum aut super pannum sternendum ante Altare, praeparabitur seorsim tumulus sive lodix nigra collocanda ante Altare post Missam.

11. Prope latus Evangelii ponetur basis pro firmanda Cruce archiepiscopali, si ordinarius officio assistens, erit Metropolita.

12. Si Archiepiscopus non erit ac si fiet absolutio ad castrum doloris vel super cadaver, praeparabitur Crux bastilis apud abacum.

13. In Presbyterio sive ad balaustrium disponentur sex candelabra maiora cum cereis aut intorticiis e cera lutea.

In Sacristia.

14. Disponentur super altari paramenta nigri coloris pro Celebrante, nempe manipulus, planeta, dalmatica, tunicella, stola, Crux pectoralis, cingulum, alba, amictus, quae contegentur velo concolore paramentis ipsis. In latere Evangelii ponetur mitra e tela alba cum vimpa seu velo pro Cappellano eam gestaturo.

15. Poterunt etiam poni duo pulvini e panno violaceo in uno ex genuflexoriis Sacristiae, si Episcopo celebranti placeret vacare peculiari orationi ante et post Missam.

16. Ante Altare vel alio loco, ut commodius videbitur, praeparabitur sedes cameralis super exiguo tapeto.

17. In una ex tabulis Sacristiae disponentur paramenta nigri coloris pro Ministris, videlicet pluviale pro Presbytero assistente; pro Diacono autem et Subdiacono bini manipuli, dalmatica cum stola, tunicella, bina cingula, binae albae, bini amictus ac tria bireta. Urceus cum pelvi et mantile in lance. Canon Pontificalis et scotula, quae adhibebitur a Celebrante in Sacristia tantummodo. Duo candelabra cum candelis e cera lutea pro Acolythis. Superpellicea sufficienti numero pro clericis inservientibus. Vasculum aquae sanctae cum aspersorio pro accessu Episcopi ad ecclesiam.

De functione.

18. In antecessum functionis dabitur signum campanis paulisper sonantibus, secundum cuiusque loci consuetudinem.

19. Missa solemnis celebrabitur postquam completum erit Officium matutinum ita ut, si incideret in Quadragesimam, recitandae erunt Vesperae post Missam de requie.

20. Sono campanulae Sacristiae signum dabitur Capitulo et Canonicis adesse tempus associandi Episcopum, ut cap. IV. praecedenti. Notabitur tantum, quod non sonanda sunt organa in ingressu Episcopi, neque campanae festivo more.

21. Episcopus celebrans aderit in Sacristia circa horam praestitutam, itemque aderunt Ministri et clerici inservientes.

22. Presbyter assistens induet superpelliceum idque etiam facient clerici inservientes, quibus a Caeremoniario attribuetur officium cuique suum, nisi praecedenter fuisset eisdem indicatum.

23. Episcopus celebrans, monente Caeremoniario, sedebit in sede et ex Canone, quem ei sustinebit clericus una cum altero sustinente scotulam ardentem, leget orationes praescriptas pro paramentis, omittens reliquas pro caligis et chirothecis, quae in Missis de requie non adhibentur.

24. Hoc tempore, adiuvantibus clericis duobus, induentur sacri Ministri praedictis paramentis, excepto manipulo, quem assument postquam paraverint Episcopum.

25. Acolythi accendent cereos in candelabris, quae gestabunt euntes ad Altare.

26. Lectis ab Episcopo celebrante orationibus antedictis, discedent duo clerici cum canone et scotula, quae reponent quo loco fuerunt praeparata.

27. Diaconus et Subdiaconus, capite aperto, discedent de loco, quo paramenta induerint, reverentiam in media Sacristia conficient ad Altare sive ad imaginem principalem, venient ante Episcopum celebrantem, et facta ante ipsum reverentia, consistent a lateribus eius, Diaconus nempe a dextris, Subdiaconus a sinistris.

28. Interea clericis distribuentur paramenta Celebrantis et in promptu erunt etiam Ministri lotionis.

29. Celebrans, adiuvantibus Ministris, dimittet mantelletum, ac si utetur, etiam mozzetam, quae recipietur ab eius Cubiculario.

30. Presbyter assistens aderit prope dexteram Celebrantis, eiusque digito educet annulum sine osculis usitatis.

31. Cubicularius Celebrantis advertet ut vestis eius expediat extremitatem posteriorem.

32. Se sistent Episcopo duo nobiles eius familiares, vel iis absentibus, duo clerici cum urceo et pelvi, ac mantili pro manuum lotione.

33. Ministri accipient mantile, quod sustinebunt extensum ante Episcopum celebrantem, qui sedens capite operto bireto, manus lavabit et mantili absterget, sed nemini dabit benedictionem post ablutionem. Biretum tradet alicui familiarium nobilium, deinde a Diacono, adiuvante Subdiacono, parabitur amictu, alba, cingulo, Cruce pectorali, stola, tunicella, dalmatica et planeta. Subdiaconus advertet, ut eius brachio sinistro manipulum imponat, postquam indutus fuerit planeta.

34. Presbyter assistens, quando parabitur Celebrans, induet pluviale, adiuvante clerico.

35. Parato Celebranti Diaconus imponet mitram, et simul cum Subdiacono facta ad eum reverentia, discedentes ab ipso redibunt quo loco induerunt paramenta, et brachio sinistro excipient manipulum, namque ibi praesto erunt clerici duo ad hoc officium delecti.

36. Profectis Ministris ad sumendos manipulos, ut supra, Presbyter assistens se sistet Celebranti et facta ante eum reverentia, eius digito annulari dextro annulum inseret, deinde iterata reverentia, consistet a dextris eius.

37. Ministri postquam manipulum brachio induerint, redibunt ad Episcopum celebrantem, reverentiam conficient, et Diaconus consistet a sinistris eius, Subdiaconus a sinistris Subdiaconi.

38. Quum Episcopus perventurus erit ad Ecclesiam, Caeremoniarius Celebrantis innuet Acolythis, ut accipiant candelabra cum cereis ardentibus et bireta porriget sacris Ministris et Presbytero assistenti.

39. Acolythi procedent ante Episcopum et apud ipsos ceteri clerici, exceptis duobus delegatis altero ad gestandam Episcopi mitram, altero ad sustentandam extremitatem posteriorem vestis.

40. Episcopus celebrans, innuente Caeremoniario, assurget, convertetur ad Altare sive ad imaginem praecipuam Sacrarii et una cum Ministris atque clericis salutabit illam et procedetur ad Altare maius.

41. Praecedere poterit unus claviger ecclesiae, si aderit, deinde duo Acolythi cum candelabris, ardentibus cereis, ceteri clerici inservientes, Subdiaconus, Celebrans cum Presbytero assistente a dextris et Diacono a sinistris, sequentibus duobus praedictis clericis, seu Cappellanis et familiaribus nobilibus, siquibus utetur.

42. Advertet Celebrans, ne quem benedicat, etiamsi quis ei transeunti genicularet.

43. Si transeundum erit ante Altare SS. Sacramenti, genuflectetur ab omnibus, et genuflexio fiet vel iunctim ad lineam, vel a binis iuxta capacitatem loci. Episcopus dimittet mitram et pileolum ac genuflectet super pavimento nudo, ut praescribit Caeremoniale, idest nullo utens pulvino et simul cum sacris Ministris.

44. Ubi Celebrans pervenerit ad Altare maius, dirimentur Acolythi et secedent ad latera ante infimum gradum, ceteri clerici dividentur prope Acolythos alter post alterum, ut liber detur transitus Celebranti et Ministris. Celebrans procedet cum Ministris ante Altare, transeunte Subdiacono ad sinistram Diaconi. Ibi Celebrans reverentiam, Ministri et clerici, comprehensis Acolythis, genuflexionem ad Crucem conficient. Si tamen Ministri fuerint Canonici in propria ecclesia utentur reverentia.

45. Postea Celebrans veniet ad faldistorium et sedebit, adstantibus sinistrae eius Presbytero assistente, Diacono et Subdiacono, qui servabunt eundem statum quem Celebrans, videlicet humeris ad Altare conversis. Acolythi pergent ad abacum, in quo deponent candelabra, et una cum ceteris clericis se ordinabunt ad lineam ante abacum ipsum.

46. Monendus est clericus delegatus sustinendo extremitatem vestis Celebrantis, quod cessabit officium eius statim ac perveniet ad Altare Episcopus dioecesanus; recipiet extremitatem vestis praedictae tunc solum, quum Sacro peracto, Celebrans discedet de Altari, in Sacrarium rediturus.

47. Ingrediente in ecclesiam Episcopo, neque organa sonabunt, neque campanae festivo more ut supra est praemonitum.

48. Episcopus in ecclesiam ingressus adorabit SS. Sacramentum, deinde procedet ad Altare maius.

49. Quando Episcopus intrabit in presbyterium, assurget Celebrans.

50. Progressus ante faldistorium Episcopus priusquam revereatur Crucem, salutabit Celebrantem utpote Episcopum. Ministri sacri se profunde inclinabunt ad Episcopum, si fuerint Canonici, sin minus genuflectent.

51. Canonici et ceteri de Clero, qui sequebantur Episcopum, facta reverentia aut genuflexione ad Crucem Altaris, recedent ad subsellia sua, exceptis duobus Diaconis assistentibus, qui locum sument prope Episcopum.

52. Clerici, quorum officium afferre ad thronum paramenta Episcopi, geniculabunt.

53. Orante Episcopo, Celebrans sedebit, assurgente autem de oratione, assurget.

54. Fine orandi facto, Episcopus assurget, salutabit Crucem altaris, deinde Celebrantem (in quo actu Ministri reverentiam vel genuflexionem, ut supra, ad eum conficient) ad thronum accedet ac transiens per chorum, vel priusquam conscendat thronum, non benedicet Clerum.

55. Episcopum ad thronum euntem comitabuntur duo Diaconi assistentes, sequentur autem Caudatarius, sustinens posteriorem cappae extremitatem, et Cubicularius.

56. Clerici duo faldistorium de medio presbyterio removebunt statim ac discesserit Episcopus, et reponent illud seorsim prope abacum.

57. Hoc tempore distribuentur clericis paramenta Episcopi.

58. Episcopus, conscenso throno, sedebit; appropinquantibus autem clericis cum paramentis, sibi detrahet biretum, assurget ac Diaconi assistentes, adiuvante Cubiculario, tollent ei cappam.

59. Cubicularius expediet Episcopi extremitatem posteriorem vestis talaris, et recepta eius cappa, discedet de throno et recedet in Sacristiam, ubi illam complicabit, relaturus post Missam ad Episcopum.

60. Dignitates et Canonici non efficient circulum, quando parabitur Episcopus.

61. Diaconi assistentes Episcopum parabunt amictu, alba, cingulo, Cruce pectorali, stola et pluviali, super quo ponetur formale. Postea Diaconus primus assistens imponet eius capiti mitram.

62. Quando Episcopus induetur pluviali, Diaconus mitram tollet Celebranti, qui cum Diacono et Subdiacono procedet ad Altare, et facta ibi ad Crucem reverentia a Celebrante et genuflexione aut reverentia a Ministris, recedet cum eis seorsim ante Altare in latus Evangelii.

63. Presbyter assistens Celebranti, manebit in latere Epistolae post faldistorium Celebrantis ipsius.

64. Episcopus assurget, descendet de throno et non benedicens Clerum, procedet ad Altare, adstantibus eius lateribus Diaconis assistentibus, qui attollent eius fimbrias pluvialis, sequente Caudatario et Cappellano a mitra.

65. Ante gradus Altaris Episcopo adstanti tolletur mitra a secundo Diacono assistente.

66. Celebrans discedet a Ministris et aggregabitur Episcopo a sinitris eius.

67. Diaconi assistentes adstabunt in pedes post Episcopum, et Ministri Celebrantis post Celebrantem ipsum, advertentes ut absint ab eodem tres aut quatuor passus, et nisi fuerint Canonici, procumbent in genua. Ceteri Cappellani Episcopi geniculabunt post Diaconos assistentes. Presbyter assistens Celebranti, geniculabit loco supra indicato, nisi fuerit Canonicus, secus adstabit in pedes, clerico a latere eius genuflexo, qui respondebit ei in Confessione.

68. Episcopus, reverentiam ad Altare simul cum Celebrante exsequutus, inchoabit Missam, eique respondebit Celebrans, qui in *Confiteor* ad verba *Tibi Pater* ac *Te Pater* convertetur aliquantulum ad Episcopum.

69. Diaconi assistentes Confessionem recitabunt inter se. Idem facient Ministri Celebrantis. Presbyter assistens Celebranti recitabit eam cum clerico supradicto. Cappellani Episcopi idem facient inter se.

70. In choro recitabitur Confessio, ut in aliis Missis cantatis.

71. Celebrans, postquam responderit *Amen* ad *Indulgentiam* etc. salutabit Episcopum, discedet ab eo et redibit ad Ministros suos, qui si genuflexerant, consurgent et se collocabunt a lateribus eius, qui prosequetur cum illis recitare versiculos *Deus tu conversus* etc.

72. Profecto a latere Celebrantis Episcopo, iterum accedent ad eius latera Diaconi assistentes, quibuscum prosequetur ℣. *Deus tu conversus* etc.

73. Cappellani a libro et scotula accipient ex abaco scotulam et Missale pro Episcopo et redibunt prope eum, secuturi deinde ad thronum.

74. Episcopus, dicto *Oremus* nihil aliud adiiciet; reverebitur Crucem et a primo Diacono assistente reponetur ei mitra. Postea nullam reverentiam faciens nec benedicens Clerum, ad thronum ascendet comitatus et secutus a Ministris praedictis, ibique sedebit.

75. Quando Episcopus ad thronum ascendet, Celebrans medius inter sacros Ministros ad Altare ascendet, recitans orationem *Aufer a nobis* etc. et altare tantum osculabitur; deinde a Diacono mitra ei reponetur. Celebrans, facta reverentia ad Crucem et Ministri genuflexione aut reverentia, descendent a latere de Altari et venient ad faldistorium, in quo Celebrans sedebit.

76. Aderit prope faldistorium Celebrantis clericus cum Missali, itemque prope thronum aderunt cappellani cum libro et scotula pro Episcopo, ut superius innutum est.

77. Celebranti in faldistorio sedenti Diaconus tollet mitram: Celebrans assurget et a sinistris suis convertetur ad Altare.

78. Quum a Diacono mitra nudatus fuerit Celebrans, secundus Diaconus assistens mitram tollet Episcopo, qui assurget.

79. Hoc ipso tempore a clericis duobus reponetur in medio presbyterio cum pulvinis faldistorium, in quo geniculabit Episcopus.

80. Celebrans et Episcopus legent e Missali introitum et

ad prima verba facient Crucis signum versus librum dextera, sinistram pectori applicantes.

81. Diaconus et Subdiaconus adstabunt a lateribus Celebrantis aliquantulum retro et Presbyter assistens a dextris eius et quid legere e Missali debeat, ipsi indicabit.

82. Postquam Celebrans et Episcopus legerint introitum, recitabunt uterque cum Assistentibus et cum Ministris alternatim *Kyrie*, itemque Clerus in choro.

83. Episcopus postquam recitaverit *Kyrie*, sedebit et a primo Diacono assistente reponetur ei mitra: deinde assurget atque eodem, ac supra, comitatu descendet de throno, nullam donans benedictionem Clero, ad faldistorium sibi praeparatum, ibique secundus Diaconus assistens mitram ei tollet et cantores immediate cessabunt a cantu *Kyrie*.

84 Episcopo ante Altare progresso, Diaconus et Subdiaconus locum sument post Celebrantem, qui conversus super sinistram suam cantabit versus populum *Dominus vobiscum*. Idem Celebrans super sinistram suam convertetur ad Altare ac tono feriali cantabit orationem respondentem.

85. Ad cantum orationis omnes geniculabunt, exceptis Celebrante et Ministris eius, qui stabunt, videlicet Presbytero assistente, Diacono, Subdiacono et Caeremoniario, qui eidem Celebranti assistet. Quando Episcopus geniculabit in faldistorio, advertent Diaconi assistentes, ut in faldistorio extendant fimbrias pluvialis eius.

86. Completa oratione, assurget Episcopus cumque ipso ceteri omnes, qui genuflexerant, reverebitur Crucem altaris, reponetur ei mitra a primo Diacono assistente, et associatus, ut supra, ascendet in tronum ibique sedebit.

87. Sedente Episcopo, sedebunt etiam Clerus in choro et Assistentes.

88. Celebrans postquam cantaverit orationem, convertetur super sinistram suam, sedebit in faldistorio, cooperietur mitra a Diacono et ab ipso recipiet gremiale super genibus.

89. Interim a clerico vel a Caeremoniario tradetur Epistolarium Subdiacono.

90. Presbyter assistens Episcopo, ubi in thronum ascen-

derit Episcopus, descendet de stallo suo, prodibit in medium presbyterium, reverebitur Crucem, deinde Episcopum ante thronum, conscendet thronum, et sedebit in scabello assistentiae.

91. Subdiaconus, post ascensum Episcopi in thronum, accepto Epistolario, ut supra, reverebitur Celebrantem, procedet ante Altare, faciet reverentiam aut genuflexionem ad Crucem, deinde ad Episcopum, et perget ad Epistolam cantandam quo ordine declaratum est cap. XIII. num. 137. libri huius.

92. Diaconus cum Presbytero assistente, quando discedet Subdiaconus ad cantandam Epistolam, salutabunt Celebrantem et recedent ad scamnum sibi praeparatum, ubi sedebunt ea tamen animadversione, quae superius tradita est, ut Presbyter assistens sedeat propius Episcopum, iuxta situm scamni praedicti.

93. Duo Cappellani, qui inservient a libro et scotula, sub finem Epistolae in promptu erunt prope secundum Diaconum assistentem, librum et scotulam sustinentes.

94. Item aderit prope Celebrantem clericus cum Missali, quo Celebrans utetur.

95. Cantata Epistola, Subdiaconus claudet librum. redibit in medium presbyterium, conficiet genuflexionem aut reverentiam ad Episcopum, dein ad Altare, veniet ante Celebrantem, reverebitur ipsum, tradet Epistolarium Caeremoniario vel clerico, a quo comitatus fuerit et acceptum a clerico Missale Celebrantis sustinebit apertum ante Celebrantem legentem.

96. Quum Subdiaconus compleverit cantum Epistolae, Presbyter assistens Celebranti nudabit caput, assurget, biretum relinquet suo loco in scamno et ad sinistram Celebrantis accedet, ut assistat ipsi in lectione Epistolae, Gradualis, Sequentiae, *Munda cor meum* et Evangelii.

97. Cantata Epistola, se sistent Episcopo Cappellani cum Missali et scotula: Episcopus leget Epistolam, Graduale, Sequentiam et iunctis manibus *Munda cor meum* atque Evangelium.

98. Quando Episcopus leget Epistolam et reliqua, ut supra, Assistentes stabunt; sedebunt autem quum compleverit lectionem praedictam et discesserint Cappellani cum libro et scotula.

99. Cantata Epistola, ut supra, Celebrans leget Epistolam etc. post lectionem autem praedictam, Subdiaconus restituet Missale clerico, a quo acceperit, et una cum Presbytero assistente, facta reverentia ad Celebrantem, venient ad scamnum et sedebunt ordine superius innuto, et caput bireto cooperient.

100. Item postquam Episcopus legerit Epistolam cum reliquis supra enumeratis, recedent de throno duo Cappellani cum libro et scotula, et Assistentes sedebunt.

101. Sub finem cantus Sequentiae, caput aperiet Diaconus, assurget, Evangeliarium accipiet, transiens autem ante Celebrantem, reverebitur eum, deinde procedens ferme ad medium Altaris, genuflexionem ad Episcopum aut reverentiam conficiet; progressus ante Altare genuflexionem aut reverentiam ad Crucem. Ascendet ad Altare ponet in media mensa librum Evangeliorum et genibus flexis in extremo suppedaneo, recitabit iunctis manibus *Munda cor meum* etc.

102. Dum Diaconus assurget recepturus librum Evangeliorum, nudabunt caput Presbyter assistens et Subdiaconus, qui se sistent Celebranti et reverentiam conficient. Presbyter assistens consistet a sinistris Celebrantis; Subdiaconus contra ipsum. Acolythi iunctis manibus sequentur Subdiaconum et a lateribus eius subsistent.

103. Diaconus, recitato *Munda cor meum* etc. assurget, accipiet Evangeliarium, genuflexionem faciet aut reverentiam, descendet de Altari et recta perget ad Celebrantem. Diaconus aggregabit se a sinistris Subdiaconi et Acolythis, qui omnes reverentiam ad Celebrantem conficient. Procedent deinde iunctim ante Altare et peragent respective reverentiam vel genuflexionem: venient ante thronum et conficient reverentiam aut genuflexionem ad Episcopum, tum pergent ad cantandum Evangelium, ordine tradito cap. XIII num 161. libri huius.

104. Profectis de throno Ministris, Diaconus secundus assistens mitram tollet Episcopo, qui assurget et stabit iunctis manibus dum cantabitur Evangelium.

105. Quando praedicti Ministri discedent de throno, tolletur Celebranti gremiale et mitra a suo Caeremoniario. Celebrans ad cantum Evangelii assurget.

106. Cantato Evangelio, Diaconus claudet librum, quem apud se retinebit Subdiaconus.

107. Interim prope thronum aderunt duo Cappellani cum libro et scotula; prope Celebrantem clericus cum Missali.

108. Ministri et Acolythi ordine supra demonstrato genuflexionem aut reverentiam ad Episcopum conficient, dein procedent ante Altare, ubi genuflexionem pariter facient aut reverentiam et Subdiaconus tradet librum Acolytho cuidam: venient postea ante Celebrantem et reverentia eum honorabunt.

109. Acolythi redibunt ad abacum et Ministri unus post alium consistent ante Celebrantem, qui cantabit *Dominus vobiscum* et conversus ad Altare super sinistram suam cantabit *Oremus* et e Missali leget Offertorium.

110. Cantato a Celebrante *Oremus*, Diaconus et Subdiaconus accedent ad eius latera, ut ad Introitum.

111. Cantato, ut supra, *Oremus* a Celebrante, Episcopus sedebit et a primo Diacono assistente reponetur ei mitra. Se sistent ante ipsum Cappellani cum scotula et libro, ex quo leget versiculum Offertorii, quo lecto, recedent Cappellani et scotulam librumque deponent.

112. Praesto erunt familiares nobiles cum instrumentis lotionis ac thuriferarius cum thuribulo.

113. Lecto Offertorii versiculo Celebrans conversus super sinistram suam sedebit in faldistorio ac Diaconus reponet ei mitram. Postea Diaconus consistet a dextris, Subdiaconus a sinistris Celebrantis, humeris ad Altare conversis.

114. Qui clericus Missale sustinebat ante Celebrantem, reportabit illud ad abacum, clausum ponet super cussino vel legili et adiunget etiam Canonem pontificalem.

115. Sedente Celebrante, Presbyter assistens ex abaco accipiet utraque manu cussinum cum Missali et canone, cooperiet haec fimbriis pluvialis et afferet ad Altare. Transiens ante Celebrantem reverebitur eum, genuflexionem deinde aut reverentiam conficiet ad Episcopum praeteriens thronum et reverentiam vel genuflexionem ad Crucem altaris ante gradus; conscendet suppedaneum, ponet cussinum seu legile super mensa in latere Evangelii, Missale aperiet ad Missam, quae ce-

lebrabitur, et supra Missale aperiet Canonem ad Offertorium, ibique Celebrantem expectabit.

116. Euntem, ut supra, ad Altare Presbyterum assistentem sequentur duo familiares nobiles Celebrantis, vel duo clerici quorum alter deferet urceum cum pelvi, alter lancem cum mantili.

117. Postquam Presbyter assistens transierit ante Celebrantem, Diaconus e Celebrantis digito educet annulum quem retinebit apud se. Familiares nobiles aut clerici cum instrumentis lotionis se sistent Celebranti cum debitis reverentiis: Ministri accipient mantile et in gremio Celebrantis extendent: familiaris ille, qui sustinebit urceum, effundet aquam super manus Celebrantis, supponens pelvim: haec familiares peragent stantes, non genuflexi, respectu Episcopi ordinarii, qui aderit. Celebrans manus absterget mantili, quod sustinebunt Ministri.

118. Familiares nobiles, seu clerici reverentiam ante Celebrantem iterabunt et redibunt ad abacum, in quo reponent instrumenta praedicta.

119. Diaconus annulum reponet digito dextro annulari Celebrantis.

120. Lotis a Celebrante manibus, Subdiaconus perget ad abacum, accipiet calicem cum purificatorio, patena, hostia, palla et bursa cum corporali et afferet ad Altare, ubi curabit adesse quo momento perveniet illuc Celebrans.

121. Acolythus unus accipiet ampullas cum pelvicula ex abaco, sequetur Subdiaconum euntem ad Altare, eas ponet in mensa et consistet in angulo Altaris a latere Epistolae, postquam Subdiaconus calicem super mensam posuerit.

122. Celebrans, postquam ei repositus erit annulus, surget de faldistorio et procedet ad Altare, adstantibus a dextris eius Diacono, a sinistris Caeremoniario suo, sequente clerico a mitra. Priusquam perveniat ad medium Altaris, reverebitur Episcopum, qui nequaquam benedicet eum, sed respondebit salutationi assurgens aliquantulum et caput inclinans. Diaconus reverentiam aut genuflexionem, clericus a mitra genuflexionem conficiet ad Episcopum. Assistentes Episcopo consurgent et Presbyter assistens ad Episcopi dexteram accedet.

123. Ubi Celebrans ante Altare venerit, Diaconus tollet ei mitram. Celebrans reverebitur Crucem et Diaconus genuflexionem conficiet aut reverentiam. Ascendent ad Altare, quod Celebrans osculabitur in medio. Ibi aderit Subdiaconus cum calice. Diaconus corporale educet de bursa, quam ponet loco solito, explicabit corporale in media mensa, deinde Celebrans peraget oblationem Hostiae, ut in aliis Missis. Presbyter assistens indicabit ei quae legenda quaeve facienda sint, Canonem sustinens super Altari. Diaconus vinum in calicem infundet, Subdiaconus aquam, non petens benedictionem ab Episcopo aut a Celebrante. Hic autem nullum efficiens Crucis signum super aquam, recitabit orationem *Deus qui humanae substantiae.*

124. Quando Celebrans ad Altare procedet, thuriferarius sequetur eum et cum debitis genuflexionibus perget ad thronum. Conscenso autem throno, tradet naviculam Presbytero assistenti, qui adstabit Episcopo dextrorsum, et apertum thuribulum genibus flexis, Episcopo praesentabit. Presbyter assistens incensum sine osculis ministrabit Episcopo, qui demittet illud in thuribulum, recitans formulam *Per intersessionem* etc. et cum benedictione.

125. Subdiaconus, postquam in Calicem infuderit aquam, de Altari descendet, conficiet genuflexionem aut reverentiam in medio et conscendet suppedaneum ad sinistram Celebrantis, ut planetam eius attollat in thurificatione Altaris.

126. Thuriferarius thuribulum referet ad Altare et tradet Diacono, hic autem Celebranti, qui Oblata et Altare adolebit ritu usitato.

127. Presbyter assistens Celebranti amovebit ab Altari cussinum seu legile cum Missali et Canone, quando incensabitur Altare in latere Evangelii.

128. Aderit interea prope Altare clericus cum mitra Celebrantis, et familiares nobiles, vel duo clerici cum apparatu lotionis.

129. Celebrans, thurificatione peracta, reddet Diacono thuribulum.

130. Caeremoniarius Celebrantis reponet eius capiti mi-

tram, qua imposita, Diaconus duplici ductu adolebit Celebrantem.

131. Postquam Diaconus thurificaverit Celebrantem, thuribulum restituet thuriferario. Diaconus cum Subdiacono ascendent in gradum superiorem ad latera Celebrantis et extensum ante ipsum sustinebunt mantile. Unus ex eius familiaribus aut clericis ministrabit ei lotionem. Quum absterserit manus, tolletur ei mitra a Diacono, qui postea cum Subdiacono sequentur eum ad medium Altaris, stantes unus post alterum.

132. Dum Diaconus adolebit Celebrantem, Presbyter assistens Episcopo, manu sustinens biretum, descendet ante thronum. Veniet illuc etiam thuriferarius, qui recipiet ab eo biretum et tradet thuribulum, quo ipse Presbyter assistens thurificabit Episcopum triplici ductu, reverentiam peragens ante ac post thurificationem eius.

133. Episcopus assurget iunctisque manibus excipiet incensationem; postquam thurificatus erit, sedebit rursus. Advertet, ne benedicat Presbyterum assistentem post incensationem.

134. Presbyter assistens reddet thuribulum thuriferario et ab ipso resumet biretum suum: tum se recipiet ad locum suum in chorum, functus iam officio assistentiae. Thuriferarius autem reportabit thuribulum ad abacum vel in Sacrarium.

135. In thurificatione Episcopi consurgent Assistentes et Chorus, sedente autem Episcopo, considebunt omnes, ut ante.

136. Presbyter assistens Celebranti advertat, ut amoveat Canonem a cussino seu legili, quando Celebrans recitaturus erit orationem secretam e Missali, et reponat deinde pro reliqua Missa.

137. Paullo ante quam incipiatur Praefatio, secundus Diaconus assistens mitram tollet Episcopo, qui assurget ad *Per omnia saecula* ante Praefationem ac deinde recitabit *Sanctus* cum Assistentibus suis, quod fiet etiam a Clero.

138. Sub finem Praefationis in promptu erunt clerici cum intorticiis e cera lutea pro elevatione.

139. Clerici duo reponent ante Altare faldistorium cum pulvinis pro Episcopo.

140. Recitato *Sanctus*, Episcopus sedebit et secundus Diaconus assistens mitram eius capiti reponet.

141. Clerici cum intorticiis procedent ante Altare, genuflectent ad Crucem et ad Episcopum, dirimentur et geniculabunt a lateribus Altaris, facie ad invicem conversa, et genuflexi manebunt usque ad totam Communionem.

142. Episcopus assurget, de throno descendet et non benedicens Clerum, veniet ad faldistorium ante Altare. Ibi a secundo Diacono assistente nudabitur mitra, et pileolo a primo, dein geniculabit in faldistorio eoque statu manebit donec cantatum erit *Pax Domini* ante *Agnus Dei*. Diaconi assistentes extendent super faldistorio fimbrias pluvialis, postea geniculabunt a lateribus eius.

143. Advertat Subdiaconus, ut recedat aliquantulum versus partem Epistolae ne tergum directe vertat ad Episcopum.

144. Idem Subdiaconus in elevatione thurificabit SS. Sacramentum, et accipiet thuribulum, in quo positum iam sit incensum a thuriferario, vel a Caeremoniario.

145. Cantato a Celebrante *Pax Domini* etc. ac responso a Choro *Et cum spiritu tuo*, Episcopus assurget, genuflexionem faciet utroque genu ad SS. Sacramentum, idemque facient Assistentes eius. Diaconus primus assistens reponet ei pileolum et mitram.

146. Redibit ad thronum Episcopus ibique sedebit. Secundus Diaconus assistens tollet ei mitram, primus pileolum, assurget ac tum incipiet Chorus cantare *Agnus Dei* etc.

147. Celebrans cum Ministris, Episcopus cum Assistentibus et Clerus in choro recitabunt *Agnus Dei*.

148. Cappellani a libro et scotula recipient ex abaco Missale et scotulam et redibunt prope secundum Diaconum assistentem.

149. Quum Celebrans consummaverit Calicem, Episcopus sedebit eique a Diacono primo assistente reponetur pileolus et mitra.

150. Clerici cum intorticiis consurgent, coibunt ante Altare, genuflectent ad Crucem, deinde ad Episcopum et redibunt ad abacum vel in Sacrarium, ubi extinguent ac deponent intorticia.

151. Se sistent Cappellani cum libro et scotula ante Episcopum, qui leget ℣. *Communio*, postea recedent, advertentes ut sumant ex abaco librum alterum pro Absolutione, nisi ritus iste insertus sit ad calcem Missalis.

152. Clericus recipiet mitram Celebrantis et aderit prope gradus Altaris.

153. Presbyter assistens Celebranti, dum ab ipso Celebrante accipietur ablutio, ponet Canonem apertum ad pedem Crucis et Missale super cussino seu legili.

154. In promptu etiam erunt familiares nobiles, vel clerici cum instrumentis lotionis pro Celebrante.

155. Celebrans coopertus mitra lavabit manus, dein mitram dimittet et leget *Communio.*

156. Quando Celebrans leget ut supra, *Communio*, Episcopus assurget, de throno descendet ac veniet ad faldistorium ante Altare, ubi secundus Diaconus assistens tollet ei mitram.

157. Episcopus stabit, expectans donec Celebrans cantet *Dominus vobiscum.*

158. Responso a choro *Et cum spiritu tuo*, geniculabit Episcopus et Diaconi assistentes extendent super faldistorio fimbrias eius pluvialis.

159. Ad orationem geniculabunt omnes ut ad primam ante Epistolam.

160. Cantato *Postcommunio*, Episcopus assurget , salutabit Crucem Altaris et primus Diaconus assistens reponet ei mitram.

161. Episcopus redibit ad thronum et sedebit : secundus Diaconus assistens tollet ei mitram ; deinde rursus assurget.

162. Tunc Celebrans cantabit *Dominus vobiscum*, et Diaconus *Requiescant in pace.*

163. Celebrans subiunget orationem *Placeat* etc. post quam osculabitur Altare, dein versus cornu Evangelii recitabit Evangelium S. Ioannis.

164. Ad verba illa *Et Verbum caro factum est*, Episcopus genuflectet uno genu in cathedra sua, ideoque poterit supponi pulvinus.

165. In promptu erit prope Altare clericus cum mitra

Celebrantis, clericus alter qui sustineat extremitatem posteriorem eius vestis, aliique clerici quatuor, qui eum comitentur ad Sacrarium , siquidem Acolythi manebunt in Presbyterio, ut Episcopo in absolutione inserviant.

166. Recitato Evangelio, sedebit Episcopus ac rursus operietur mitra a primo Diacono assistente.

167. Celebranti, absoluta recitatione Evangelii, reponetur mitra a Diacono. Medius inter ministros descendet de Altari, convertetur ad ipsum et reverentiam profundam ad Crucem faciet, dum Ministri genuflexionem aut reverentiam conficient, qui receptis biretis caput operient in aditu presbyterii: clerici, qui comitabuntur aut praecedent Celebrantem, conficient genuflexionem.

168. Deinde Celebrans cum Ministris et clericis peragent respective reverentiam vel genuflexionem ad Episcopum, qui assurget aliquantum et reverentiae Celebrantis respondebit se inclinans.

169. Celebrans cum Ministris et Clericis redibit in Sacrarium ordine in principio declarato, ubi paramenta dimittet, ut praeced. cap. XIV. num. 289.

170. Episcopus absolutionem peraget super tumulum sive super castrum doloris vel super cadaver, eodem ordine ac superius cap. XXIII. huiusce libri.

171. Relate ad assistentiam heic descriptam, observetur animadversio innuta circa finem cap. XIV. num. 301. quae valet etiam pro capite praesenti.

ASSISTENTIA AB EPISCOPO CAPPA INDUTO PRAESTANDA MISSAE SOLEMNI DE REQUIE, AB EPISCOPO EXTRANEO CELEBRATAE.

CAPUT XXVII.

De rebus praeparandis.

1. Ante Altare SS. Sacramenti praeparabitur genuflexorium ornatum strato et pulvinis, ut praecedenti cap. IV. vel faldistorium cum pulvinis violaceis.

2. Altari applicabitur pallium respondens colori officii currentis, eiusdemque coloris erit conopoeum, quod ornabit tabernaculum, ubi conditum erit SS. Sacramentum. In candelabris maioribus aderunt cerei ex alba cera; qui ardebunt saltem quo tempore Episcopus adorabit SS. Sacramentum ut in accessu ad ecclesiam, ita in discessu ex eadem.

Apud Altare maius.

3. Thronus parabitur lodicibus et baldachino coloris violacei ut cap. XXV. praecedenti; aderunt tria scabella pro Assistentibus: gradus sternentur tapeto coloris violacei. Prope thronum ponetur pulvinus e panno violaceo utendus ab Episcopo.

4. Pavimento presbyterii nullo cooperietur tapeto. Ante Altare praeparabitur faldistorium cum pulvinis violaceis in usum Episcopi, quando geniculabit.

5. Altare instruetur pallio nigro, tobaleis, quarum superior latera prorsus cooperiet ac tapeto violaceo super gradibus. Aderunt sex candelabra ex aurichalco aut ex aere non argento neque auro colorata, cum Cruce simili, neque ipsis aliud interponetur ornamentum. Cerei sunto ex cera lutea seu communi.

6. In latere Epistolae ante gradus Altaris locabitur pro Celebrante faldistorium ornatum veste aequali paramentis. Faldistorio supponetur exiguum tapetum e panno violaceo.

7. In eodem Epistolae latere aderit scamnum sine suppedali, instructum brevi postergali, et contectum panno laneo violaceo pro sacris Ministris.

8. Ex eadem parte prope parietem ponetur abacus alba tobalea coopertus, in quo disponentur quae opus sunt ad functionem, nempe calix cum purificatorio, patena cum hostia et palla, bursa cum corporali: ampullae vini et aquae in pelvicula: campanula: gremiale aequale paramentis pro Episcopo celebrante: intorticia ex cera lutea pro Elevatione, quatuor numero: urceus cum pelvi et mantile in lance: cussinus aut legile pro Missali cum veste aequali paramentis pro Celebrante, Evangeliarium et Epistolarium cum veste, ut supra: alterum Missale cum veste simili pro Episcopo: scotula cum candela e cera alba pro Episcopo: Canon pontificalis pro Celebrante: alter similis pro Episcopo: thuribulum cum navicula: candelae ex cera alba distribuendae Clero et intorticium distinctum pro Episcopo, alterum pro Celebrante: ad absolutionem peragendam post Missam praeparabitur vasculum aquae sanctae cum aspergillo: pluviale pro Celebrante et Rituale formae grandioris instructum veste simili paramentis.

9. Si absolutio peragetur ad castrum doloris praeparatum in media ecclesia, vel super cadaver, praeparabitur faldistorium cum tegumento nigro super exiguo tapeto nigro aut violaceo ad caput cadaveris vel castri doloris; sin autem fiet super tumulum aut super pannum nigrum, ponendum ante Altare, tumulus ipse seu pannus niger collocandus ante Altare post Missam, praeparabitur seorsim.

10. Prope latus Evangelii statuetur basis pro firmanda Cruce Archiepiscopali, si Ordinarius, qui assistet officio, fuerit Metropolitanus.

11. Quod si nec erit Archiepiscopus, et absolutio peragetur super cadaver vel super castrum doloris, praeparabitur Crux hastilis prope abacum; quae praeparabitur etiam si ades-

set Crux Archiepiscopalis, quando absolutionem exsequetur Celebrans. Ad cancellos seu balaustrium aderunt sex candelabra maiora cum intorticiis aut candelis e cera lutea.

In Sacristia.

12. Disponentur super altari paramenta nigri coloris pro Celebrante, videlicet manipulus, planeta, dalmatica, tunicella, stola, Crux pectoralis, cingulum, alba et amictus, quae contegentur velo concolore eisdem paramentis. In latere Evangelii ponetur mitra linea alba, cum vimpa seu velo pro Cappellano, mitram gestante.

13. Ante Altare vel alio loco, ut commodius videbitur, praeparabitur sedes cameralis super exiguo tapeto. Poterunt praeparari duo pulvini e panno violaceo in uno ex genuflexoriis Sacristiae, si Episcopus Celebrans vellet peculiariter orare ante et post Missam.

14. In una ex mensis Sacristiae disponentur paramenta nigri coloris pro Ministris, nempe pluviale pro Presbytero assistente, pro Diacono autem et Subdiacono bini manipuli, dalmatica cum stola, tunicella, bina cingula, binae albae binique amictus; insuper tria bireta pro Ministris praedictis. Urceus cum pelvi et mantile in lance; canon pontificalis et scotula pro Celebrante. Duo candelabra cum candelis e cera lutea pro Acolythis. Superpellicia quae satis sint pro numero clericorum inservientium. Vasculum aquae sanctae cum aspergillo adhibendum in Episcopi ad ecclesiam accessu.

De functione.

15. Ante functionem signum dabitur campanis brevi tempore luctuose pulsandis, pro consuetudine cuiusque loci.

16. Missa solemnis celebrabitur post officium matutinum, seu post Nonam et post Missam feriae aut vigiliae, si forte incideret.

17. Sono campanulae Sacristiae signum dabitur Canonicis et Capitulo associandi Episcopum, ut cap. IV. libri huius.

18. De modo parandi Episcopum Celebrantem, de accessu eiusdem ad Altare, de accessu Episcopi ad Ecclesiam et ad Altare SS. Sacramenti, quia nulla occurrit variatio, servabitur quod traditum est praecedentibus capitulis XVIII et XXVI.

19. Ad ingressum Episcopi in ecclesiam non sonabitur festivo more campanis, organa autem silebunt, ut loco cit. notatum fuit.

20. Postquam adoraverit SS. Sacramentum, Episcopus procedet ad Altare maius, quando autem intrabit in presbyterium, Celebrans assurget, mitram in capite retinens.

21. Episcopus progressus ante faldistorium, salutabit Celebrantem, utpote Episcopum, reverebitur deinde Crucem, geniculabit in faldistorio et brevi orabit.

22. Celebrans, orante Episcopo, rursus sedebit in faldistorio.

23. Ministri, pervenienti ad Altare Episcopo et Celebrantem salutanti genuflectent, sin essent Canonici, reverentiam conficient.

24. Canonici et ceteri de Clero, qui sequentur Episcopum, facta respective reverentia aut genuflexione ad Altare, recedent ad stallum quisque suum et geniculabunt, exceptis Diaconis assistentibus, qui consistent prope Episcopum, ut fungantur officio suo.

25. Oratione peracta, Episcopus assurget, salutabit Crucem Altaris, deinde Celebrantem qui assurget ac salutationi respondebit, accedet ad thronum nec benedicet Clerum priusquam illuc ascendat.

26. Ministri Celebrantis, quando discedet Episcopus, respondebunt salutationi, ut supra.

27. Episcopum ad thronum euntem comitabuntur duo Diaconi assistentes et sequetur Caudatarius, qui cappae extremitatem posteriorem sustinebit.

28. Clerici duo amovebunt de medio presbyterio faldistorium, in quo genuflexit Episcopus, et ponent illud seorsim.

29. Episcopus, conscenso throno, brevi tempore sedebit; deinde capite nudato bireto, quod tradet primo Diacono assistenti, assurget.

30. Surget etiam Celebrans, qui discedens de faldistorio suo, procedet ad Altare et priusquam veniat ad medium illius, reverebitur Episcopum, qui respondebit ei salutans. Ministri conficient ad Episcopum genuflexionem aut reverentiam.

31. Celebrans procedens ad Altare habebit a dextris Presbyterum assistentem, a sinistris Diaconum; Subdiaconus incedet a sinistris Diaconi; sequetur clericus a mitra.

32. Celebranti, ante Altare quum ventum erit, Diaconus tollet mitram. Celebrans reverentiam, Ministri genuflexionem aut, si fuerint Canonici, reverentiam conficient et consistent ante Altare ordine supra demonstrato.

33. Celebrans Missam exordietur et respondebunt Ministri. Clericus cum mitra stabit post Celebrantem.

34. Episcopus stans in throno, recitabit, ut Celebrans, confessionem cum Diaconis assistentibus. Hoc ipsum faciet Clerus in choro.

35. Dicto *Oremus*, Celebrans ascendet ad Altare; Presbyter assistens Celebranti recedet prope faldistorium; Diaconus transibit ad dexteram, Subdiaconus ad sinistram Celebrantis, et uterque attollent aliquantulum eius vestium extremitatem anteriorem.

36. Episcopus hoc tempore sedebit cum Assistentibus suis.

37. Celebrans quum ascenderit ad Altare, osculabitur ipsum in medio et Diaconus reponet ei mitram.

38. Interea praesto erunt prope thronum duo Cappellani cum Missali et scotula pro Episcopo: item aderit prope faldistorium clericus cum Missali, pro Celebrante.

39. Celebrans recepta mitra, reverentiam faciet ad Crucem, Ministri genuflexionem aut reverentiam. Deinde conversus super sinistram suam, a latere cum Ministris descendet ad faldistorium, in quo sedebit. Ministri cum Presbytero assistente se sistent ante eum et reverentiam conficient. Diaconus ei tollet mitram.

40. Celebrans assurget et super sinistram suam convertetur versus Altare. Presbyter assistens adstabit eius dextrae, Diaconus et Subdiaconus a lateribus paullo retro. Se sistet ei clericus cum Missali, ex quo Celebrans leget Introitum, mon-

strante ei Presbytero assistente quae legere debeat. Celebrans incipiens introitum non signabit se; manu tamen sinistra pectori applicita, dextera Crucis signum faciet versus librum.

41. Eodem tempore se sistent Episcopo Cappellani, alter cum scotula, alter cum libro. Episcopus nudabit caput, biretum tradet primo Diacono assistenti, assurget leget introitum, Crucis signum faciens versus librum.

42. Interim a clericis duobus reponetur in medio presbyterio faldistorium cum pulvinis pro Episcopo.

43. Postquam. Episcopus legerit introitum recedent duo praedicti Cappellani et referent ad abacum scotulam et librum.

44. Tum ab Episcopo cum Assistentibus, a Celebrante cum Ministris et a Clero in choro alternatim recitabitur *Kyrie*.

45. In missa de requie nunquam a Canonicis fient circuli ante Episcopum.

46. Post *Kyrie* Episcopus descendet de throno ad faldistorium in medium presbyterium, ibique adstabit in pedes.

47. Ubi Episcopus ad faldistorium descenderit, Diaconus locum sumet post Celebrantem et Subdiaconus post Diaconum. Celebrans conversus ad populum super sinistram suam, cantabit *Dominus vobiscum*, deinde rursus convertetur ad Altare.

48. Responso a choro *Et cum spiritu tuo*, Episcopus, Assistentes et Clerus geniculabunt, exceptis Presbytero assistente et Ministris qui stabunt cum Celebrante, et clerico qui sustinebit Missale eidem Celebranti.

49. Celebrans tono feriali cantabit orationem praescriptam.

50. Oratione cantata sedebit Celebrans, eique a Diacono reponetur mitra et gremiale.

51. Episcopus post orationem assurget, reverentiam faciet ad Altare, et non benedicens Clerum, redibit in thronum, ubi sedebit et caput bireto cooperiet.

52. Statim ac de Altari discesserit Episcopus, clerici duo removebunt de medio faldistorium, quo usus erit Episcopus, et reponent illud seorsim.

53. Sedente in throno Episcopo, Subdiaconus recipiet Epistolarium et facta ad Celebrantem reverentia, procedet ante Altare, faciet genuflexionem aut reverentiam ad Crucem, dein-

de conversus ad Episcopum faciet genuflexionem et perget ad cantandam Epistolam ritu superius descripto cap. XIII. num. 137.

54. Diaconus et Presbyter assistens Celebranti, statim ac de Altari discesserit Episcopus, praemissa ad Celebrantem reverentia, pergent ad scamnum sibi praeparatum ibique sedebunt, servantes ordinem supra demonstratum, et caput bireto cooperient.

55. Postquam Episcopus ad thronum pervenerit, Presbyter assistens Episcopo, descendet de stallo, quod occupabat in choro, prodibit in medium presbyterium ante Altare et salutabit Crucem; procedet deinde ante thronum, reverebitur Episcopum, ascendet in thronum et sedebit in scabello ad assistentiam praestandam.

56. Sedente Episcopo considebit etiam Clerus in choro.

57. Sub finem cantus Epistolae, clericus in promptu habebit Missale Celebrantis prope faldistorium; praesto etiam erunt apud thronum duo Cappellani cum Missali et scotula pro Episcopo.

58. Absoluto Epistolae cantu, Subdiaconus librum claudet, redibit ante Altare, genuflexionem aut reverentiam faciet ad Crucem, convertetur versus thronum et exsequetur genuflexionem aut reverentiam ad Episcopum, ibit ante Celebrantem, reverebitur eum et relinquet Epistolarium. Accipiet Missale et apertum sustinebit ante Celebrantem, ex quo ipse leget Epistolam, Graduale, Sequentiam, *Munda cor meum* et Evangelium.

59. Presbyter assistens Celebranti, finito Epistolae cantu, assurget atque accedet ad sinistram Celebrantis, ut assistat ipsi supradicta legenti.

60. Duo Cappellani se sistent Episcopo cum libro et scotula, quando completus erit cantus Epistolae, et ille Epistolam leget ac reliqua, ut supra.

61. Assistentes throno consurgent quando Episcopus leget, ut supra.

62. Postquam Celebrans legerit Evangelium, Subdiaconus Missale claudet ac tradet clerico, qui referet illud ad abacum.

Postea Subdiaconus cum Presbytero assistente, reverentiam conficient ad Celebrantem, recedent sessum ad scamnum suum et caput cooperient.

63. Quando Episcopus legere desierit, ut supra, recedent duo Cappellani cum libro et scotula, Assistentes autem sedebunt.

64. Sub finem cantus *Dies irae*, caput nudabit Diaconus, assurget et recipiet Evangeliarium, quod afferet ad Altare, ideoque reverentiam exsequetur prius ad Celebrantem, deinde reverentiam aut genuflexionem versus Episcopum, priusquam perveniat ad medium Altaris, postremo ad Crucem ante Altare; conscendet suppedaneum, librum deponet in Altari, geniculabit in extremitate suppedanei et recitabit *Munda cor meum*. Assurget, librum accipiet, iterabit genuflexionem aut reverentiam ad Crucem in suppedaneo, et a latere ante Celebrantem descendet.

65. Dum Diaconus assurget ut recipiat Evangeliarium, Presbyter assistens et Subdiaconus caput nudabunt bireto et Acolythi iunctis manibus sequentur eos et iunctim venient ante Celebrantem.

66. Diaconus redibit ante Celebrantem et coibit cum Subdiacono et Acolythis; conficient reverentiam ad Celebrantem et procedent ante Altare; peragent respective reverentiam vel genuflexionem ad Crucem, deinde venient ante thronum et peragent genuflexionem aut reverentiam ad Episcopum: demum procedent ad Evangelium cantandum, quo ordine descripsimus num. 161. ejusdem capituli XIII.

67. Presbyter assistens Celebranti consistet a sinistris eius.

68. Quando Diaconus in eo erit, ut cantet Evangelium, tolletur Celebranti gremiale et mitra a Caeremoniario suo; Celebrans autem assurget et convertetur versus Diaconum, qui cantabit Evangelium.

69. Episcopus et ipse caput aperiet bireto, quod tradet primo Diacono assistenti et assurget.

70. Sub finem Evangelii cantati, advertent in promptu esse Cappellani cum libro et scotula prope thronum, et clericus cum Missali Celebrantis apud faldistorium.

71. Completo cantu Evangelii, Diaconus claudet librum,

quem sustinebit Subdiaconus, et una cum Acolythis conficient genuflexionem aut reverentiam ad Episcopum, deinde ante Altare: tum venient ante Celebrantem et reverentiam conficient. Subdiaconus librum tradet alteri ex Acolythis. Diaconus locum sumet post Celebrantem et Subdiaconus post Diaconum.

72. Celebrans convertetur ad populum, cantabit *Dominus vobiscum* et super sinistram suam conversus ad Altare cantabit *Oremus*, postea leget versiculum Offertorii. Cantato a Celebrante *Oremus*, Ministri accedent ad latera eius.

73. Interea praesto erunt familiares nobiles vel clerici duo pro manuum ablutione Celebrantis: in promptu etiam erit thuriferarius cum thuribulo apud Altare in plano lateris Epistolae.

74. Quum Celebrans cantaverit *Oremus*, Episcopus sedebit, operiet caput bireto et e libro, quem ei praesentabunt Cappellani praedicti, leget Offertorium. Assistentes adstabunt in pedes donec Episcopus Offertorium leget, deinde sedebunt. Iidem cappellani postquam Episcopus legerit offertorium, referent ad abacum librum et scotulam.

75. Sedente Episcopo, sedebit Clerus in choro.

76. Celebrans, lecto Offertorio, conversus super sinistram suam, sedebit in faldistorio et a Diacono reponetur ei mitra: Diaconus locum sumet a dextris, Subdiaconus a sinistris eiusdem Celebrantis.

77. Qui clericus sustinebat missale Celebranti, referet illud ad abacum et ponet cum Canone super cussino seu legili.

78. Sedente Celebrante, Presbyter assistens perget ad abacum, utraque manu accipiet cussinum cum Missali, et Canone, haec fimbriis pluvialis cooperiet et afferet ad Altare. Transiens ante Celebrantem, reverebitur eum; genuflexionem deinde aut reverentiam faciet ad Episcopum, transiens versus thronum, et genuflexionem aut reverentiam ad Crucem Altaris ante gradus; tum ascendet in suppedaneum, cussinum vel legile ponet super mensa in latere Evangelii, aperiet Missale ad Missam, quae celebrabitur, ac super Missale aperiet Canonem ad Offertorium, ibique expectabit Celebrantem.

79. Euntem ad altare Presbyterum assistentem sequentur

familiares nobiles, aut clerici, qui deferent urceum cum pelvi et mantile pro Celebrante, ante quem consistent. Diaconus annulum e Celebrantis digito educet. Deinde Diaconus et Subdiaconus accipient mantile et extensum sustinebunt in gremio Celebrantis, cuius super manus aquam stans effundet familiaris aut clericus. Celebrans manus absterget mantili, quod sustinebunt Ministri. Post manuum ablutionem familiares, sive clerici, iterabunt reverentiam ad Celebrantem et redibunt ad abacum, in quo reponent res supra indicatas. Diaconus annulum rursus inseret Celebrantis digito annulari.

80. Lotis a Celebrante manibus, Subdiaconus perget ad abacum et calicem accipiet cum purificatorio, hostia, palla, bursa cum corporali et afferet ad Altare, curans ut adsit illic quo momento perveniet Celebrans.

81. Acolythus unus accipiet ampullas cum pelvicula ex abaco, sequetur Subdiaconum ad Altare procedentem, easque ponet in mensa, consistens in angulo a latere Epistolae postquam Subdiaconus calicem ibi posuerit.

82. Celebrans, postquam annulum resumpserit, surget de faldistorio et procedet ad Altare, adstantibus Diacono a dextris et Caeremoniario a sinistris eius; sequetur clericus a mitra. Priusquam perveniat ad medium Altaris, reverebitur Episcopum, qui salutationi respondebit nudando caput bireto et assurgendo aliquantum de sede ut se illi inclinet. Diaconus faciet genuflexionem aut reverentiam ad Episcopum, clericus a mitra genuflexionem. Assistentes Episcopo ad hanc actionem assurgent.

83. Celebrans ante Altare progressus, mitra nudabitur a Diacono. Reverentiam ipse, et Diaconus genuflexionem aut reverentiam ad Crucem conficient. Ascendent ad Altare, et mensam Celebrans in medio osculabitur. Aderit ibi Subdiaconus cum calice, ut supra, et Celebrans peraget oblationem Hostiae, ut in aliis Missis. Presbyter assistens indicabit ei quae dicenda quaeve facienda sint, sustinens Canonem, Diaconus vinum in calicem infundet, Subdiaconus aquam, benedictionem non petens ab Episcopo neque a Celebrante. Celebrans tamen dicet orationem *Deus qui humanae substantiae* etc.

84. Post oblationem Calicis, Subdiaconus descendet de Altari, peraget genuflexionem aut reverentiam ad Crucem, ascendet ad sinistram Celebrantis, ut incensationis tempore attollat eius planetam.

85. Celebrans incensum demittet in thuribulum sibi praesentatum a thuriferario non genuflexo, recitans formulam *Per intercessionem* etc. et cum benedictione. Postea Celebrans ipse thurificabit Oblata et Altare solito ritu.

86. Presbyter assistens ab altari amovebit Missale cum Canone in cussino seu legili, dum latus Evangelii eiusdem Altaris incensabitur.

87. Adstabit prope gradus Altaris clericus cum mitra et in promptu erunt etiam familiares nobiles, vel clerici duo pro manuum ablutione Celebrantis.

88. Celebrans, peracta Altaris thurificatione, tradet Diacono thuribulum.

89. Caeremoniarius Celebrantis reponet ipsi mitram, et Diaconus eum duplici ductu adolebit, postea thuribulum restituet thuriferario, qui referet illud ad abacum vel in Sacristiam.

90. Thurificato Celebrante, Diaconus cum Subdiacono ascendent in gradum superiorem ad latera Celebrantis, accipient mantile, quod extensum ante Celebrantem sustinebunt et unus familiarium eius, vel clericus effundet aquam super manus ipsius. Celebrans manus absterget ac mantile restituet Diacono, hic reddet familiari nobili vel clerico, qui una cum socio redibunt ad abacum et res in lotione adhibitas deponent. Sub finem psalmi *Lavabo*, Diaconus tollet Celebranti mitram, quae a clerico referetur ad abacum.

91. Celebrans ad medium Altaris redibit, sequentibus Diacono et Subdiacono, post eum stantibus uno post alium, et prosequetur Missam.

92. Priusquam Celebrans incipiat cantum Praefationis, clerici duo reponent ante Altare faldistorium cum pulvinis in usum Episcopi, quando geniculabit.

93. Praefationis initio caput Episcopus nudabit bireto, quod tradet primo Diacono assistenti, et assurget. Cum ipso consurgent Assistentes et Clerus in choro.

94. Post illa verba *Gratias agamus* etc. Presbyter assistens Episcopo, reverebitur ipsum, discedet a latere de throno et ad stallum suum in chorum redibit.

95. In promptu erunt clerici cum intorticiis e cera lutea ad *Sanctus*.

96. Cantata Praefatione, Celebrans recitabit *Sanctus* cum Ministris, Episcopus cum Assistentibus et Clerus in choro alternatim.

97. Interim clerici, gestantes intorticia, procedent ante Altare, genuflexionem conficient ad ipsum, deinde ad Episcopum, dirimentur et geniculabunt a lateribus Altaris, facie versa ad invicem, ne tergum ad Episcopum convertant, eoque statu manebunt usque ad totam Communionem.

98. Episcopus, recitato *Sanctus*, de throno descendet medius inter Diaconos assistentes, sequente Caudatario, qui posteriorem extremitatem eius cappae sustinebit. Clerum non benedicet. Veniet ad faldistorium ibique geniculabit et sibi tollet de capite pileolum. Diaconi assistentes extendent super faldistorio partem anteriorem cappae et in genua procumbent a lateribus eius.

99. Subdiaconus, ubi Episcopus descenderit ad faldistorium, advertet ut recedat aliquantum versus cornu Epistolae, ne tergum Episcopo directe convertat.

100. Idem Subdiaconus thurificabit SS. Sacramentum in elevatione, eamque ob causam recipiet thuribulum, in quo praeventive positum sit incensum a Caeremoniario vel a thuriferario.

101. Cantato a Celebrante *Pax Domini* etc. et responso a choro *Et cum spiritu tuo*, assurget Episcopus, genuflexionem utroque genu conficiet ad SS. Sacramentum, quod aderit in Altari, itemque Diaconi assistentes, caudatarius et cappellani qui aderunt apud eum.

102. Episcopus redibit in thronum capite nudato, ibique adstabit in pedes.

103. Cantorum chorus incipiet cantare *Agnus Dei*, quum Episcopus in thronum redierit.

104. Celebrans etiam cum Ministris, Episcopus cum As-

sistentibus et Clerus in choro recitabunt *Agnus Dei*, quum ipse Episcopus reversus erit in thronum.

105. Cappellani a libro et scotula advertent ut haec resumant et praesto sint non longe a throno.

106. Quum Celebrans sumpserit Calicem, Episcopus sedebit, caput operiet pileolo et bireto, quod ei porrigetur a primo Diacono assistente.

107. Clerici sustinentes intorticia, consurgent, coibunt ante Altare, genuflexionem conficient ad Crucem, dein ad Episcopum et revertentur ad abacum vel in Sacristiam, ubi intorticia extinguent ac deponent.

108. Se sistent Episcopo duo Cappellani cum scotula et libro, ex quo leget ℣. *Communio*: tum Cappellani praedicti recedent et super abaco res indicatas reponent.

109. Interea clericus recipiet mitram Celebrantis et praesto erit prope gradus Altaris: in promptu etiam erunt familiares nobiles, vel clerici pro manuum lotione Celebrantis eiusdem.

110. Dum Celebrans accipiet ablutionem, Presbyter assistens ponet Canonem ad pedem Crucis; et positum Missale super cussino seu legili transferet in latus Epistolae.

111. Celebrans, coopertus mitra, lavabit manus, mitram dimittet ac leget ℣. *Communio*.

112. Quando Celebrans leget, ut supra, *Communio*, Episcopus nudabit caput, biretum tradet primo Diacono assistenti, assurget, descendet de throno et veniet ad faldistorium ante Altare.

113. Episcopus ibi stabit, expectans dum Celebrans cantet *Dominus vobiscum*.

114. Responso a choro *Et cum spiritu tuo*, geniculabit Episcopus et cum ipso ceteri omnes, quemadmodum dictum est de oratione ante Epistolam.

115. Cantato *Postcommunio*, Episcopus assurget, salutabit Altare, redibit in thronum ibique adstabit in pedes.

116. Tunc Celebrans cantabit *Dominus vobiscum*, et Diaconus *Requiescant in pace*.

117. Celebrans subiunget orationem *Placeat* etc. post quam

osculabitur Altare et in latere Evangelii recitabit Evangelium S. Joannis.

118. Ad verba illa *Et Verbum caro factum est*, Episcopus genuflectet uno tantum genu versus Altare in sua cathedra et ad hanc rem poterit ipsi apponi pulvinus.

119. In promptu erit prope Altare clericus cum mitra Celebrantis.

120. Sacro peracto, Celebrans a Diacono mitra cooperietur, reverentiam ipse ad Crucem, Ministri genuflexionem aut reverentiam conficient, et de Altari cum Ministris ad faldistorium a latere descendet.

121. Celebrans absolutionem peraget super tumulum sive castrum doloris, vel super cadaver, in qua observabitur ordo descriptus cap. XXIII libri huiusce et cap. VII. lib. VIII.

122. Illud tantum notandum est, quod si Celebrans accedet ad castrum doloris sive ad cadaver, accedet cum Ministris suis tantummodo et Episcopus cum Clero in choro remanebit. Celebrans proficiscens ad peragendam absolutionem, reverebitur Episcopum, qui respondebit ei nudando caput bireto et assurgendo aliquantulum. Episcopus et Clerus in choro, in stando et in sedendo tempore absolutionis, congruent cum ipso Celebrante.

123. Expleto absolutionis ritu, Celebrans cum suis Ministris ad Sacrarium se recipiet sacra paramenta dimissurus.

124. Reponetur a duobus clericis ante Altare faldistorium cum pulvinis pro Episcopo, amota prius lodice funerea vel lectica, si ibi pro absolutione apposita fuit.

125. Profecto Celebrante cum Ministris, et reposito ante Altare faldistorio, Episcopus de throno descendet ad faldistorium, ibique brevi orabit.

126. Post orationem assurget, iterabit reverentiam, ad Crucem, et a Clero associatus SS. Sacramentum adorabit, et postmodum ad suas aedes revertetur.

FINIS

LIBRI QUINTI

INDEX

LIBRI V.

ERRATA			CORRIGE
Pag. 10	Linea 28.	indicunt	incidunt
» 17	» 13.	velo contecta	velo serico contecta
» 21	» 9.	equitabunt, Praelati	equitabunt Praelati
» 22	» 28.	Diaconi assistentes genua flectent a lateribus eius et expandent supra faldistorium fimbrias pluvialis.	Diaconi assistentes expandent super faldistorium fimbrias pluvialis et genua flectent a lateribus eius.
» 28	» 25.	Sicut in Coena Domini	sicut feria V in Coena Domini.
» 44	» 9.	proximi legili . . .	proximi legili, quod est in medio choro.
» 47	» 36.	(*a*)	(*b*)
» 87	» 24.	cap. I. huius libri	cap. II. huius libri.
» 89	» 17.	tunicella paratus, qui . . .	tunicella paratus, medius inter Acolythos, qui
» 111	» 18.	Episcopo sedebit	Episcopo redibit ad chorum et sedebit.
» 113	» 29.	vel Episcopus	vel si non paratus Episcopus
» 121	» 12.	libro, ut supra	tabella seu libello, ut supra.
» 139	» 16.	tit. V.	tit. XV.
» 161	» 7.	tit. V.	tit. XV.
» 170	» 9.	Episcopi, facta	Celebrantis, facta
» 173	penult.	*Iube Domne*	*Iube Domine*
» 215	» 33.	Ministros	Ministris
» 220	» 3.	*Iube Domne*	*Iube Domine*
» 235	» 26.	se sistent	se sistet
» 257	» 21.	aute aere	aut ex aere.
» 263	» 20.	ab Episcpo	ab Episcopo.
» 289	» 17.	cum navicula	cum aspersorio.
» 290	» 5.	Ponticale	Pontificale
» 308	» 11.	ante Altare	ad medium Altaris
» 322	» 7.	a latere Celebrantis Episcopo	a latere Episcopi Celebrante
» 330	» 1.	secundus Diaconus	primus Diaconus

VENIA SUPERIORUM

SACRARUM CAEREMONIARUM
MANUALE

LIBER VI.

DE ADVENTU.

CAPUT I.

1. Quoniam Adventus tempus est luctus et moestitiae, adhibendus est color violaceus, et quicumque ex Altari et choro removendus ornatus, qui laetitiam et festivitatem praeseferat.

2. Thronus Episcopi parabitur lodicibus sericeis coloris violacei et gradus illius cōoperientur tapeto e panno violaceo. In faldistorio, quo utetur Episcopus orandi caussa, apponentur pulvini e serico violaceo. Altare ornabitur pallio violaceo, tapeto simili super gradibus, et inter candelabra non interponentur signa aut busta Sanctorum nec Reliquiaria cum S. Reliquiis, nec vasa cum floribus.

3. Ornatus autem throni Episcopalis servari poterit diebus etiam ferialibus, quibus occurrat aliud officium de ritu duplici aut semiduplici, dummodo nullum incideret festorum solemnium, in quibus celebret Episcopus, aut assistat Missae solemni, ut fit in celebritate de Immaculata B. Virginis Conceptione. Hoc enim casu variandus erit etiam throni apparatus.

4. Methodus superius innuta pro ornatu Altaris, throni, chori etc. observabitur in 1. 2. et 4. Dominica Adventus, in quibus Ministri sacri induentur planeta ante pectus plicata nec sonabitur organis. In hisce Dominicis si Episcopus assistet Missis solemnibus, utetur cappa.

5. In tertia Dominica, quae dicitur *Gaudete*, ad Missam solemnem tantum, ut praescribit Caeremoniale Episcoporum lib. II. cap. XIII. num 11. adhibebitur color rosaceus. Ministri sacri utentur dalmatica et tunicella, sonabitur organis (Caerem. Episc. lib. I. cap. XXVIII. num. 2.) et licebit interponere candelabris vasa cum floribus. Thronus tamen Episcopi servabitur paratus, ut in aliis Dominicis, itemque chorus, excepto Altari, ut supra dictum est, in Missa tantum solemni. Si hac in Dominica Episcopus assistet Missae indutus pluviali, utetur pluviali coloris rosacei et mitra pretiosa. Hoc uno casu in faldistorio, quo geniculabit Episcopus paratus, licebit pulvinos duos rosacei coloris apponere.

6. Quod ad antiphonas maiores, observabitur quod traditum fuit lib. II. cap. XII. num. 6. et 7.

IN VIGILIA NATIVITATIS DOMINI.

CAPUT II.

Observabitur quod praescriptum est lib. II. cap. XIII. de cantu Martyrologii et de Missa solemni. Martyrologium cantabitur a Canonico, vel ab uno ex Mansionariis seu Beneficiariis pro consuetudine cuiusque ecclesiae.

DE DIE NATALI D. N. I. C.

CAPUT III.

1. Ecclesia ornabitur nobiliter, ut assolet in festis principalibus, excepta porticu et fronte, quemadmodum praescribit Caeremoniale Episcoporum lib. I. cap. XII. num. 3.

2. In hac solemnitate Episcopus cantabit Missam solemnem; quapropter cantare debebit primas Vesperas ritu descripto cap. VIII. libri V.

3. Ad multam noctem cantabitur Matutinum, prima Missa et Laudes; aequum autem esset, ut Cathedralis, quod ad horam Officii, praecederet ceteras omnes urbis ecclesias.

4. Post Vesperas disponentur ea omnia, quae ad functionem nocturnam poterunt opus esse.

5. In presbyterio et in choro aderunt sufficienti numero candelabra cum intorticiis, quibus illustrari possit chorus. Caeremoniale praescribit « sex vel octo funalia cerae albae, « vel quot erunt necessaria pro consuetudine et dispositione loci ». Non videtur idcirco fore abs re, si pro intorticiis adhiberentur candelabra, cum pluribus luminibus cerae in singulis, quae valerent ad ornatum simulque ad usum illustrandi chorum. Hoc ipsum fiet per ecclesiam, quae usquequaque illustranda erit luminibus, praesertim si extarent in ea latibula aut recessus.

6. Designabitur unus vel plures custodes, qui bono ordini advigilent in ecclesia, ut vitentur mala, quae favore noctis occurrere possunt.

7. Si Episcopus cantabit Missam, praeparabitur, praeter consuetos, alter abacus contectus albo mantili, in quo disponentur omnia paramenta ad Sacrum peragendum et pluviale quoque cum formali, quo induetur Episcopus in fine Matutini. Sin Missam non celebrabit, sed intererit illi, praeparabuntur in abaco supradicto paramenta, quae praescribuntur pro assistentia.

8. Quando Missa cantetur ab Episcopo, Canonici quum tempus erit se parabunt in choro ipso, ideoque prospicietur, ut paramenta quae opus sunt, ordinatim contineantur canistris in Sacristia, ut debito tempore in chorum transferantur.

9. Item relate ad ornamentum Altaris, observabitur quod traditum est respectivis capitulis libri V. tum pro Matutino, tum pro Missa ab Episcopo cantata, aut ipso assistente, celebrata.

10. Curabitur, ut super abaco praeparatae sint plures

candelae subtiles in usum Episcopi et Canonicorum, qui cantare lectiones debebunt. In altero abaco, ubi disponentur sacra vasa, praeparabitur etiam vasculum argenteum, operculo clausum, aquae plenum cum purificatorio pro digitorum Episcopi purificatione.

11. Hora praestituta sonabunt in laetitiae argumentum omnia aera campana, accendentur in ecclesia lumina et aperientur eius portae.

12. Deinde signo dato, ut assolet, campanula Sacrarii, proficiscentur Canonici ad associandum Episcopum, qui ecclesiam ingressus orabit apud Altare SS. Sacramenti, postea ad Altare maius et ascendet in thronum. Tunc incipietur Matutinum solemne ritu descripto cap. VII. libri V.

13. Nocte ista servabitur ritus, qui proprius est, ab Episcopo si Missam cantabit, videlicet ad intonationem hymni *Iesu Redemptor omnium* attollet iungetque manus et inclinabit caput versus Altare ob reverentiam Divinae Incarnationis.

14. Ad cantum sexti responsorii post lectionem sextam, Caeremoniarius ducet ad abacum quatuor Acolythos ac duos familiares Episcopi, veste talari indutos, et uni ipsorum tradet caligas et sandalia, cooperta duplici velo consueto. Advertet etiam, ut Cappellanus a libro accipiat Canonem pontificalem et adsit prope thronum simul cum altero cappellano scotulam ferente.

15. Statim ac intonabitur antiphona prima *Ipse invocabit me* tertii nocturni, duo Canonici Diaconi assistentes consurgent, de suo stallo descendent, in medio choro conficient reverentiam ad Altare, venient ante thronum et reverentiam facient ad Episcopum, ascendent ad thronum et consistent in loco assistentiae.

16. Ad intonationem primi psalmi tertii nocturni *Misericordias Domini* etc. se sistent Episcopo duo Cappellani cum libro et scotula. Episcopus recitabit alternatim cum Diaconis assistentibus psalmos *Quam dilecta* et reliquos pro praeparatione ad Missam, ritu praescripto pro Missa solemni cap. IX. libri V.

17. Eodem tempore de abaco discedet Caeremoniarius,

dein quatuor Acolythi, postremo duo familiares nobiles Episcopi, qui facta ad Altare in medio choro seu presbyterio genuflexione, tum ad Episcopum ante thronum, ascendent in throni planum. Acolythi geniculabunt a lateribus Episcopi, bini in singulis lateribus, et eius cappae fimbrias hinc inde attollent: duo familiares tollent Episcopo calceos usuales eique reponent caligas et sandalia. Acolythi fimbriis cappae cooperient praedictos familiares, dum caligas et sandalia Episcopo, ut supra, inducent. Postea eodem ordine, quo accesserunt ad thronum, discedent ab ipso et exsequentes debitas genuflexiones redibunt ad abacum, ubi familiares deponent vela, quibus tegebantur caligae et sandalia. Acolythi se recipient ad locum suum.

18. Postquam Episcopus legerit psalmos et preces, de throno recedent Cappellani cum libro et scotula et Diaconi assistentes ordine supra dicto redibunt ad stallum suum.

19. Sub finem psalmi tertii eiusdem nocturni, Diaconus et Subdiaconus, qui debebunt Missae solemni inservire, discedent de choro et ibunt in sacristiam, comitantibus duobus Acolythis, vel clericis, ibique eisdem adiuvantibus, induent respectiva sacra paramenta.

20. Dum cantabitur octavum responsorium, Caeremoniarius invitabit clericos ad abacum, eisque distribuet sacra paramenta Episcopi, videlicet amictum, albam, cingulum, Crucem pectoralem, stolam, pluviale, formale pretiosum, mitram pretiosam et baculum pastoralem.

21. In promptu etiam apud abacum aderunt ministri pro lotione manuum Episcopi.

22. Ad cantum eiusdem responsorii redibunt ad Altare, comitantibus supradictis clericis, Diaconus et Subdiaconus parati, qui locum sument in scamno sibi assignato prope Altare.

23. Diaconi assistentes redibunt, ut supra, ad assistentiam Episcopi.

24. Accedent etiam ad thronum duo Acolythi cum candelabris pro cantu nonae lectionis.

25. Cubicularius Episcopi ascendet ad thronum, ut ipsi

tollat cappam, et consistet prope secundum Diaconum assistentem.

26. Praesto etiam erunt clerici cum paramentis Canonicorum in canistris et alii cum canistris ad recipienda indumenta choralia, quae Canonici ipsi dimittent.

27. Completo cantu octavi responsorii, assurget Episcopus cumque ipso ceteri omnes, et nonam lectionem cantabit.

28. Sub finem lectionis nonae ad thronum accedet Subdiaconus, consistet inter Acolythos et submissa voce praecinet Episcopo *Te Deum*.

29. Episcopus intonabit *Te Deum* et discedent a throno Acolythi cum candelabris, Subdiaconus et Cappellani a libro et scotula.

30. Ad cantum hymni praedicti sonabunt festivo more omnes campanae, chorus autem cantorum advertet, ut hymnum cantet commode, intercalando organorum sonum, ut graviter et accurate peragantur omnes sequentes actiones.

31. Episcopus, intonato *Te Deum*, descendet de cathedra in planum throni et adiuvantibus Diaconis assistentibus, cappam dimittet. Cubicularius cappam recipiet, expediet extremitatem posteriorem vestis, de throno discedet, referet cappam in Sacristiam et ibi complicabit ipsam, siquidem utenda est iterum ab Episcopo, completo officio.

32. Presbyter assistens ascendet a latere in planum throni, recepturus annulum Episcopi et mantile ipsi ministraturus in lotione manuum.

33. Statim ac descendet Episcopus in planum throni, discedent ex abaco ministri lotionis, qui accedent ad thronum, ministraturi lotionem Episcopi manibus. Episcopus adstans in pedes, manus lavabit. Presbyter assistens mantile porriget ei cum osculis consuetis; tum discedet de throno et se recipiet ad locum suum. Item a throno abeuntes cum debitis genuflexionibus ad abacum recedent ministri lotionis.

34. Postquam ad thronum pervenerint ministri lotionis, proficiscentur de loco suo Diaconus et Subdiaconus, sequentibus clericis, qui deferent praedicta paramenta Episcopi. Ministri sacri et clerici cum paramentis operam dabunt, ut adsint ad pedem throni, statim atque Episcopus manus abluerit.

35. Ascendent in planum throni Diaconus et Subdiaconus et successive clerici cum paramentis. Diaconus adiuvante Subdiacono, paramentis praedictis induet Episcopum.

36. Diaconi assistentes, ubi ascenderint ad thronum sacri Ministri, de throno ipsi discedent et ad subsellia sua redibunt, ibique dimittent indumenta choralia seque parabunt amictu et dalmatica.

37. Ubi Diaconus incipiet parare Episcopum, intrabunt in chorum clerici cum paramentis pro Canonicis et unusquisque ipsorum in proprio stallo dimittet indumentum chorale et induet amictum ac paramentum, quod ei conveniet in ordine suo. Clerici referent e choro in Sacristiam canistros et indumenta Canonicorum.

38. Item prope abacum induent sibi pluviale quatuor Cappellani a baculo, a mitra, a libro et a scotula. Si Celebrans fuerit Metropolitanus, Subdiaconus qui gestabit Crucem Archiepiscopalem, se parabit in Sacristia, et paratus redibit ad Altare.

39. Diaconi assistentes, postquam induerint dalmaticam, redibunt ad thronum, ut officio assistentiae fungantur.

40. Diaconus igitur induet Episcopum amictu, alba, cingulo, Cruce pectorali, stola, pluviali et formali; postremo autem imponet ei mitram pretiosam et Episcopus recipiet sinistra baculum pastoralem. Presbyter assistens imponet annulum Episcopi digito.

41. Postea Diaconus cum Subdiacono reverentia facta ad Episcopum, descendent de throno et redibunt ad scamnum suum prope Altare.

42. Episcopus paratus ascendet in cathedram, sedebit, baculum deponet, a secundo Diacono assistente nudabitur mitra, deinde assurget in pedes eoque statu remanebit usque ad totum cantum hymni praedicti.

43. Quando Episcopus rediverit in cathedram et ceteri omnes iam parati aderunt suo quisque loco, cantabitur a cantoribus ℣. *Te ergo quaesumus* etc. in quo geniculabit Episcopus super pulvino posito in gradulo cathedrae, ceteri autem omnes genua submittent unusquisque loco suo.

44. Post cantum huius versiculi, ascendet ad thronum Presbyter assistens et consistet apud suum assistentiae scabellum.

45. Sub finem cantus eiusdem hymni, Caeremoniarius distribuet clericis reliqua paramenta Episcopi, videlicet tunicellam, dalmaticam, chirothecas et planetam et iubebit accendi septimum candelabrum iam praeparatum in Altari pro Missa solemni.

46. Sub hymni finem discedent ex abaco et procedent ad thronum duo Cappellani cum libro et scotula, deinde duo Acolythi cum candelabris propter orationem, quam cantabit Episcopus.

47. Completo cantu hymni praedicti, Episcopus cantabit *Dominus vobiscum* versus populum et iunctis manibus, deinde versus Altare *Oremus* et orationem *Concede, quaesumus* etc. Presbyter assistens librum sustinebit Episcopo in cantu huius orationis, post quam rursus subiunget *Dominus vobiscum*, ac responso a choro *Et cum spiritu tuo*, cantabitur commode a choro cum organis ℣ *Benedicamus Domino* cum *Deo gratias.*

48. Acolythi cum candelabris redibunt ad abacum post cantum orationis. Diaconus cum Subdiacono, sequentibus clericis, qui deferent paramenta Episcopi, redibunt ad thronum. Diaconus exuet Episcopum formali ac pluviali et adiuvante Subdiacono, induet illi tunicellam, dalmaticam, chirothecas et planetam, postea imponet ei mitram pretiosam. Priusquam autem Diaconus exuat Episcopum formali et pluviali, Presbyter assistens accedet ad Episcopum et ex eius digito educet annulum, quem custodiet apud se.

49. Interea dum Diaconus induet Episcopum, ut supra, Canonici descendent in presbyterium et circulum efficient; duo Acolythi accipient manipulos Diaconi et Subdiaconi, et Caeremoniarius, vel clericus alter Evangeliarium accipiet cum manipulo Episcopi et appropinquabunt ad thronum.

50. Postquam Diaconus cum Subdiacono paraverint Episcopum, recedent aliquantulum versus latera throni eisque ponetur manipulus ab Acolythis et Subdiaconus accipiet etiam Evangeliarium cum manipulo Episcopi.

51. Hoc tempore Presbyter assistens annulum digito Episcopi inducet cum osculis consuetis et Episcopus accipiet baculum sinistra. Benedictionem dabit Canonicis, qui ad subsellia redibunt.

52. Rebus omnibus rite dispositis, Episcopus ad Altare procedet. Praeibit Subdiaconus, qui ante pectus gestabit Evangeliarium cum manipulo; sequetur Presbyter assistens adstante ei a sinistris Diacono; deinde Episcopus medius inter Diaconos assistentes: caudatarius sequetur Episcopum eiusque extremitatem posteriorem vestis sustentabit; postremo duo Cappellani a mitra et baculo.

53. Episcopus postquam descenderit de throno, benedicet Clerum et progressus ante Altare, incboabit Missam, quae cantabitur ritu praescripto cap. IX. lib. V.

54. Notandum quod in cantu ℣. *Et incarnatus est* etc. genuflectendum ab omnibus est; Episcopus genuflectet mitram in capite retinens, ceteri omnes capite nudato, suo quisque loco.

55. Praegustatio hostiarum et vini fiet a clerico aliquo, vel a cubiculario Episcopi, ne impediatur Sacristäe celebratio Missae.

56. Ad Communionem Episcopi, Caeremoniarius ad Altare afferet vasculum argenteum aquae plenum cum purificatorio et ponet in Altari versus cornu Epistolae. Unus ex Acolythis afferet in latus idem calicis velum.

57. Post sumptionem Calicis, Episcopus relinquet calicem super corporali et iunctis manibus recitabit orationem *Quod ore sumpsimus* etc. Diaconus aut Subdiaconus, si nondum reversus erit ad Altare Presbyter assistens, calicem palla cooperiet. Diaconus item aut Subdiaconus vasculum praedictum extra corporale porriget Episcopo, qui recitans orationem *Corpus tuum Domine* etc. digitos purificabit et absterget purificatorio. Diaconus, relicto in Altari calici superponet patenam et velo ipsum cooperiet, ponens etiam purificatorium sub velo in latere corporalis.

58. Presbyter assistens deferet Missale cum cussino in cornu Epistolae, Subdiaconus descendet in planum et Diaconus reponet mitram Episcopo, qui lavabit manus ritu usitato et prosequetur atque complebit Missam, in qua non concedet Indulgentiam, quam largietur in tertia Missa.

59. Sacro peracto, Episcopus redibit in thronum, eum-

que sequentur etiam quatuor clerici recepturi paramenta missalia, et alteri duo, qui pluviale et formale reportabunt.

60. Episcopus in thronum reversus sedebit, deponet baculum et Ministri manipulos dimittent. Diaconus tollet mitram Episcopo et Subdiaconus manipulum. Postea Diaconus, adiuvante Subdiacono, exuent eum planeta, dalmatica ac tunicella eique reponent pluviale cum formali, Diaconus autem ei rursus imponet mitram.

61. Diaconus cum Subdiacono ad Altare revertentur. Diaconus veniet ad scamnum, Subdiaconus ad abacum, unde acceptis velis et comitatus a quatuor clericis, a Caeremoniario et a cubiculario Episcopi, redibit ad thronum. Ibi sandalia et caligae tollentur Episcopo eique reponentur calceamenta usualia.

62. Deinde Diaconus et Subdiaconus redibunt in Sacrarium, dimittent paramenta adhibita in Missa et super amictum imposito sibi paramento, quod eis conveniet, revertentur in chorum.

63. Canonici paramenta retinebunt ad Laudes, quae canentur ritu praescripto pro Vesperis primis, quando Episcopus pontificat Missam postridie et antiphonae praecinentur a Canonico, qui mane sequenti in tertia Missa ministrabit officio Subdiaconi, vel ab alio, pro consuetudine ecclesiae, ut monuimus cap. VIII. lib. V.

64. Sin Episcopus intonabit Matutinum et assistet Missae solemni, post *Te Deum* cantabit orationem ut supra, quo tempore Celebrans cum Ministris aderit apud Altare, observando quae tradita sunt respectivis capitulis libri V. nempe VII. de Matutino solemni et XIV. de assistentia Missae solemnis.

65. In hac Missa Episcopus geniculabit in cathedra, mitram capite retinens, ad cantum ℣. *Et incarnatus* et in fine Missae non concedet Indulgentias.

66. Sacro peracto, discedet Celebrans cum Ministris; Episcopus autem intonabit Laudes, quae canentur ritu praescripto cap. XII. eiusdem lib. V.

67. Post Laudes Episcopus associabitur ad residentiam

suam et claudentur portae ecclesiae, quae mundabitur, ac tollentur inde aut candelabra cum cereis eaque omnia quae nocte adhibita sunt, et praeparabitur totum id quod postridie mane opus est.

68. Si Episcopus velit secundam Missam ad auroram cantare, praeparentur in Altari maiore omnia ea, quae ad Missam opus sunt, non exceptis paramentis, quae disponenda essent in Secretario seu sacello in quo cantatur Tertia, siquidem Missa cum praecedenti hora Prima cantanda est apud Altare maius.

69. In accessu Episcopi ad ecclesiam observabitur ritus praescriptus: post brevem orationem ante SS. Sacramentum et apud Altare maius, ascendet in thronum et intonabit horam Primam. Sub finem psalmorum parabitur pluviali (quum iam sint parati Canonici). Subdiaconus cantabit Capitulum Primae, ut in aliis Missis pontificalibus. Episcopus cantabit orationem *Domine Deus omnipotens* etc. post quam, profectis Acolythis, sedebit cum mitra dum cantabitur Martyrologium. Prosequetur deinde Episcopus officium Primae in reliquis precibus, quo completo se parabit pro secunda Missa solemni.

70. In ipsa geniculabit Episcopus et ceteri omnes cum eo dum cantabitur ℣. *Et incarnatus*, ut in prima Missa. Si Calix aderit super Altare, Subdiaconus praesto erit cum Diacono ante Altare, quando adveniet Episcopus propter Offertorium, et conscendet suppedaneum a dextris et una cum Diacono. Tum Diaconus tollet velum de Calice, quem amovebit a medio et ponet versus latus suum super eodem corporali: accipiet hostias, iubebit fieri praegustationem earum, et unam ponet super patenam, quam tradet Episcopo propter oblationem. Postea iubebit fieri praegustationem vini et aquae; amovebit a Calice pallam, Calicem ipsum accipiet atque ita eum sustinens, ut mensam non contingat, infundet vinum et Subdiaconus aquam ritu praescripto. Diaconus non absterget purificatorio Calicem, sed ad colligendas guttas adhaerentes partibus internis, si opus erit, Calicem excutiet, ut guttae a vino colligantur: postea Calicem porriget Episcopo et cum ipso peraget oblationem. Interim unus ex Acolythis velum humerale ad Altare afferet et imponet humeris Subdiaconi, qui accipiet pate-

nam et observabit quae tradita sunt pro aliis Missis pontificalibus.

71. Si fiet Communio Cleri, videlicet clericorum Seminarii et aliorum qui Choro quidem addicti, sed non insigniti ordine presbyterali sunt, stabitur praescriptionibus notatis Cap. XI. libri V. Caveatur tamen, ne supersint aliae sacrae particulae in pixide, quae purificabitur ab Episcopo vel in hac Missa vel in tertia.

72. Relate ad purificationem et ablutionem, observabitur quod superius ad Missam primam num. 57. notatum est.

73. In fine Missae benedictionem donabit Episcopus, non vero Indulgentias, quas concedet in tertia.

74. Sin Episcopus vellet secundae Missae praedictae assistere, sive cappa sive pluviali indutus, cantabitur in choro Prima hora, qua completa, associabitur Episcopus et fiet quidquid praescribitur respectivis capitulis libri V. Etiam in hac secunda Missa, Episcopus, si paratus, genuflectet mitram retinens ad cantum ℣. *Et incarnatus* etc.

75. Quod ad offertorium et ad purificationem, servabuntur quae tradita sunt cap. XIV. libri II.

76. Missa tertia solemnis cantabitur ab Episcopo simul cum cantu horae Tertiae. Quod ad ritus sequendos observetur cap. IX. eiusdem libri V. Quod ad offertorium, si Episcopus celebraverit cum Pontificali Missam primam, fiet quod superius descriptum est num. 70. libri huius. Episcopus autem genuflectet uno genu ad cantum verborum *Et Verbum caro factum est* in Evangelio; genuflectet utroque genu ad cantum ℣. *Et incarnatus* etc. et in fine Missae concedet indulgentias consuetas.

77. Poterit autem secundas Vesperas cantare eadem solemnitate, quae observatur in primis, quando postridie celebraturus est Missam pontificalem. (Caerem. Episc. lib. 2. cap. 1. num. 3).

DE FESTIS DIEBUS
QUI NATALEM D. N. I. C. SEQUUNTUR.

CAPUT IV.

1. In festis Nativitatem Redemptoris sequentibus, nempe S. Stephani, S. Ioannis ac sanctorum Innocentium, ornatus altarium et ecclesiae erit paullo inferior, quam Natalis Domini, tamen distinguetur ab aliis festis et Dominicis communibus. Hisce diebus Episcopus pluviali paratus Missae solemni assistet.

2. Extremo anni die celebratur festum S. Silvestri Papae inter dies festos recensitum. Vespertiuo eiusdem diei tempore occurrunt primae Vesperae Circumcisionis, quas posset intonare Episcopus indutus pluviali et postridie mane assistere Missae solemni, pluviali pariter indutus.

DE FESTO EPIPHANIAE.

CAPUT V.

1. Festum Epiphaniae a Caeremoniali ponitur inter perquam solemnia, in quibus cantare Missam debet Episcopus. Quare in primis Vesperis et in Missa solemni servandi sunt ritus capitulis respectivis libri V. praescripti.

2. In Missa pontificali post Evangelium publicabuntur festa mobilia a Canonico aut ab alio, iuxta consuetudinem ecclesiae. Ne frustra eadem repetamus, inspiciantur quae notata sunt cap. XVI. libri II. Id tantum animadvertendum, quod in antedicta publicatione annuncianda est Synodus Dioecesa-

na vel etiam Concilium provinciale: indicetur et dies, si iam praefinita esset, secus dicetur *Post Pascha habebitur* etc. In Evangelio autem, ut alias quoque monuimus, genuflectetur ab omnibus versus Diaconum ad cantum verborum *Et procidentes* etc. Praeterea si Episcopus officiabit Matutinum, adstabit in pedes et capite detecto ad cantum antiphonae et psalmi *Venite exultemus* in principio tertii nocturni.

DE DOMINICIS POST EPIPHANIAM.

CAP. VI.

1. In hisce Dominicis nihil est quod peculiariter animadvertatur. Episcopus si velit Missae solemni assistere, induet cappam; ornatus autem Altaris, paramentorum et throni respondebit qualitati officii et colori quem officium requirit.

2. Si Episcopus intererit Missae solemni, fiet prius aspersio aquae benedictae ritu praescripto cap. XIX. libri V.

DE DOMINICIS SEPTUAGESIMAE, SEXAGESIMAE ET QUINQUAGESIMAE.

CAPUT VII.

1. A Dominica Septuagesimae initium ducit tempus luctuosum in praeparationem Paschatis, ideoque omittitur *Alleluia.* In hisce Dominicis usque ad Pascha et in officio feriali color adhibendus est violaceus, quapropter hic erit color in pa-

ramentis Ministrorum, in ornatu Altaris et in throno Episcopi. In Missa solemni sonabitur organis, et sacri Ministri induent dalmaticam ac tunicellam. Altare ornabitur simpliciter, sine vasis florum, sine Reliquiariis ac signis Sanctorum. In vesperis etiam, si fuerint de Dominica, sonabitur organis.

2. Si Episcopus assistet Missae solemni, induet cappam, et ante Missam fiet aspersio aquae benedictae, ut cap. XIX. libri V.

DE FESTO PURIFICATIONIS B. M. V.

CAP. VIII.

De rebus praeparandis.
Ad Altare SS. Sacramenti.

1. Genuflexorium cum strato et pulvinis, vel faldistorium, ut cap. IV. libri V.

2. Sex cerei in candelabris maioribus, accendendi saltem quando ab Episcopo adorabitur SS. Sacramentum.

In Sacristia.

3. Paramenta albi coloris pro Celebrante et Ministris, videlicet planeta cum stola et manipulo, dalmatica cum stola et manipulo, tunicella cum manipulo, tria cingula, tres albae tresque amictus. Si festum Purificationis B. V. inciderit in unam ex Dominicis secundae classis, praeparabuntur eadem paramenta, sed coloris violacei.

4. Vasculum aquae sanctae cum aspersorio adhibendum in ingressu Episcopi.

5. Disponentur quatuor pluvialia violacea pro Cappellanis a libro, a scotula, mitra et baculo; item planeta plicata cum cingulo, alba et amictu pro Subdiacono, qui Crucem debebit in processionem gestare.

Ad Altare maius.

6. Altare exornabitur sex candelabris nobilibus cum cereis et Cruce, ac praeter tobaleas et tapetum, quod cooperiet totaliter gradus Altaris, apponetur duplex pallium, videlicet album, et violacem albo superpositum, amovendum processionis tempore. Sin festum occurret in unam ex Dominicis Septuagesimae, Sexagesimae aut Quinquagesimae, applicabitur solum pallium violaceum. Quando celebrabitur officium festi, detur opera, ut ponatur pallium violaceum postquam officii recitatio completa erit, idest quando Canonici et Clerus procedent ad Episcopum associandum.

7. Super mensam Altaris disponentur paramenta Episcopi, videlicet formale simplex, pluviale violaceum cum stola simili, Crux pectoralis, cingulum, alba et amictus. Quae paramenta contegentur amplo velo coloris violacei. In latere Evangelii collocabitur mitra auriphrygiata.

8. Prope Altare ponetur baculus pastoralis.

9. Loco solito aderit scamnum pro Celebrante et Ministris coopertum stragulo laneo decenti.

10. In medio Presbyterio ante Altare statuetur faldistorium cum pulvinis violaceis. Seorsim praeparabitur faldistorium alterum cum veste alba, in quo sedebit Episcopus post processionem, ut deinceps tradetur.

11. In latere Evangelii ponetur Crux processionalis firmata in basi, ac si qui functionem peragit, esset Metropolita, statuetur basis tantum pro Cruce Archiepiscopali.

In abaco.

12. Super abacum, qui contegetur albo mantili, ponentur candelabra cum cereis pro Acolythis. Thuribulum cum navicula plena thuris cum cochleari. Vasculum aquae sanctae cum aspergillo. Urceus et pelvis. Duo mantilia seu manutergia in lance. Velum humerale violaceum pro Magistratu, si ministrabit lotionem. Tobalea oblonga, acu picta, vel circumdata textili pinnato, extendenda super gremium Episcopi, dum cande-

las distribuet. Missale cum veste violacea in usum Episcopi pro benedictione candelarum. Scotula cum candela. Missale alterum cum tegumento albi coloris, utendum ab Episcopo in assistentia praestanda Missae solemni. Canon pontificalis. Pagella cum formula Indulgentiae. Paramanus albi coloris cum taeniis alligandus Episcopi cereo, ne manum eius offendat cera liquescens. Pluviale album cum stola alba, formale pretiosum et mitra pretiosa Episcopi pro assistentia praedicta. Duo pulvini albi coloris ponendi in faldistorio post functionem et pulvinus albus in throno, adhibendus quando Episcopus genuflectit ad *Incarnatus*. Calix cum purificatorio, patena cum hostia et palla, bursa cum corporali et velum Calicis. Ampullae vini et aquae in pelvicula cum mappula seu manutergio. Campanula. Intorticia pro elevatione. Missale cum cussino seu legili pro Celebrante. Epistolarium et Evangeliarium cum tegumentis albi coloris. Velum humerale album pro Subdiacono. Haec sacra supellex tota cooperietur velo violaceo, tempore processionis amovendo.

13. Si tamen occurreret una ex Dominicis privilegiatis, ut supra, non opus erit paramentis nec reliqua supellectile albi coloris sed violacei (*a*).

14. Prope thronum a sinistris praeparabitur alter abacus coopertus albo mantili, ne tamen impediat ordinem caeremoniarum; in quo ponentur candelae benedicendae ac distribuendae. Erunt e cera alba et pondere distincto pro Canonicis, pro Beneficiariis, pro Seminario proque Magistratu. Aderit etiam non parva candelularum copia, quae distribuantur populo expetenti. Erit autem pro Episcopo cereus, non tam pondere, quam specie insignis, ornatibus aureis, floribus pictis et his similibus distinctus. Candelae praedictae velo violaceo cooperientur.

15. Thronus cum cathedra instruetur lodice alba, superposita violacea, quae facile amoveri possit. Baldachinum ta-

(*a*) Id intelligitur quando officium Purificationis, sive non sit ecclesiae titulus sive alia de causa, non gaudeat ritu primae classis, hoc enim casu praestat ritus Dominicae, iuxta Breviarii et Missalis rubricas.

men erit album; neque enim tolli facile posset ob temporis angustias. Sin ob rationem allatam adhiberetur in Missa color violaceus, non opus erit lodicibus albis, eoque casu etiam baldachinum erit violaceum. Prope thronum disponentur tria scabella, et gradus eius sternentur tapeto. Planum etiam presbyterii tapeto contegetur.

16. In stallis seu sedilibus Canonicorum praeparabuntur paramenta violacea, ab ipsis induenda pro functione, videlicet pluvialia pro Dignitatibus, planetae pro Canonicis ordinis Presbyteralis et planetae plicatae (*a*) pro Canonicis ex ordine Diaconali et Subdiaconali. Super singulis praedictis paramentis aderit amictus. Pluviale pro Presbytero assistente et planetae plicatae pro Diaconis assistentibus disponentur in choro locis respectivis, ubi iis induentur: deinde ad thronum accedent ad assistentiam praestandam. Ad reponenda autem indumenta canonicalia in promptu erunt duo pluresve canistri plani stragulo cooperti.

17. Provideatur etiam ut adsint, quemadmodum praescribit Caeremoniale, *custodes, qui populum arceant, si forte tumultuose irrueret, ne indecenter Episcopum opprimat.*

18. Postremo ad balaustrium sive ad exitum presbyterii ponentur candelabra maiora cum cereis vel intorticiis, numero non minore quatuor, nec sex maiore.

De Functione

19. Recitatio officii ita dirigetur, ut hora Tertia compleatur ante horam praestitutam pro functione. Semel aut pluries pulsabuntur festivo more campanae, ut functionis initium significetur, iuxta consuetudines cuiusque loci. Completo officio, Canonici signo dato campanulae Sacrarii, procedent ad associandum Episcopum, ut cap. IV. lib. V.

20. Ingrediente in ecclesiam Episcopo, pulsabuntur festivo more campanae, sed non sonabitur organis, siquidem functio est ferialis et luctuosa.

(*a*) Patet rubrica Missalis et textus Caeremonialis, ut nempe in hac aliisque functionibus, in quibus locus non est dalmaticae nec tunicellae, planetae sint plicatae ante pectus. Quapropter probari non potest usus, in quasdam ecclesias invectus, utendi planetis nequaquam plicatis, sed recisis.

21. Dum Canonici procedent ad associandum Episcopum, se in Sacrario parabunt pluviali quatuor Cappellani a mitra, a baculo, a scotula et a libro, locumque sument in presbyterio. Item se parabit amictu, alba, cingulo et planeta plicata Subdiaconus Crucem gestaturus.

22. Postquam Episcopus oraverit ante SS. Sacramentum, procedet ad Altare primarium, et ubi venerit ad faldistorium, facta ad Crucem Altaris reverentia geniculabit eoque statu manebit, donec monebitur, ut assurgat. Canonici ad subsellia se recipient ac dimittent insignia canonicalia videlicet cappam aut mozzetam et supra rochetum aut superpellicium induent amictum et paramentum respondens ordini ad quem spectant. Aderunt quatuor aut sex clerici, delecti induendis Canonicis et recipiendis choralibus insignibus, quae illi dimittent.

23. In promptu etiam erunt prope Altare clerici, paramenta ad Episcopum allaturi.

24. Diaconi assistentes, postquam induerint planetam plicatam, procedent ad thronum et locum occupabunt apud scabella a lateribus cathedrae Episcopalis.

25. Post haec Episcopus, Caeremoniario attollente partem anteriorem cappae, quae erit super faldistorium extensa, assurget atque iterata ad Crucem altaris reverentia, accedet ad thronum et benedicet Clerum antequam illuc ascendat: sequentur Caudatarius sustentans eius extremitatem cappae et Cubicularius habitu formali indutus, cappam ipsam recepturus.

26. Profecto Episcopo, faldistorium amovebitur a duobus clericis, qui collocabunt illud seorsim et distribuentur clericis paramenta Episcopi, itemque successive cappellanus a mitra accipiet ex Altari mitram auriphrygiatam et sequetur clericos paramenta ferentes; reliqui duo Cappellani a libro et scotula, accipient scotulam et Missale veste violacea convestitum, ut praesto sint benedictionis tempore.

27. Episcopus, conscenso throno, brevi tempore sedebit; deinde assurgens, cappam dimittet, adiuvantibus Diaconis assistentibus et Cubiculario, qui adstans post secundum Diaconum assistentem, cappam recipiet, et expediet etiam extremitatem posteriorem vestis talaris Episcopalis. Episcopus non lavans manus, a Diaconis assistentibus induetur amictu, alba, cin-

gulo, Cruce pectorali, stola et pluviali, cui apponetur a primo Diacono formale simplex, postea Diaconus idem imponet ei mitram.

28. Interim in promptu erunt Cappellani a libro et scotula, ut supra, et praeterea thuribulum praeparabitur a thuriferario. Presbyter assistens remanebit in choro loco suo.

29. Quum paratus erit Episcopus, detegentur a Sacrista candelae benedicendae, positae, ut paullo ante innuimus, in abaco de industria locato inter thronum et Altare. A secundo Diacono mitra tolletur Episcopo, cui se sistent duo Cappellani cum libro et scotula.

30. Episcopus assurget, ac voce elata et tono feriali dicet *Dominus vobiscum*, deinde subiiciet quinque orationes, quae extant in Missali. Quando facturus erit Crucis signum versus candelas, primus Diaconus assistens attollet eius fimbriam dexteram pluvialis.

31. Sub finem quartae orationis, Presbyter assistens ascendet a latere ad thronum et se sistet prope primum Diaconum assistentem.

32. Eodem tempore discedent ex abaco clerici duo, quorum alter feret vasculum aquae sanctae cum aspersorio, alter thuribulum cum navicula; qui cum debitis genuflexionibus accedent ad thronum et consistent prope Presbyterum assistentem.

33. Hoc tempore ascendet ad thronum Canonicus Camerarius, seu Thesaurarius, sive Sacrario praefectus et consistet iuxta secundum Diaconum assistentem.

34. Postquam Episcopus quintam orationem recitaverit, sedebit et in thuribulum sibi obiectum a thuriferario genuflexo demittet incensum, ministrante Presbytero assistente cum osculo cochlearis et manus, ac dicente *Benedicite Reverendissime Pater*. Episcopus incensum in thuribulum cum benedictione iniiciet. Recedente thuriferario prope dexteram Presbyteri assistentis, Episcopus assurget, aspersorium aqua sancta perfusum accipiet a Presbytero assistente, qui porriget ei cum osculis consuetis, et asperget candelas in medio, a sinistris et a dextris suis, ac submissa voce recitabit antiph. *Asperges me* etc. Restituet aspersorium Presbytero assistenti, a quo thuribulum accipiet et candelas adolebit eodem modo, quo aspersit.

35. Interim accedent ad abacum tres aut quatuor clerici

designati cum Sacrista porrigendis ad thronum candelis, aliique clerici duo, quorum alter sustinebit mappam extendendam super genua Episcopi, ascendent ad thronum, et qui feret mappam consistet versus primum Diaconum assistentem.

36. Hoc etiam tempore ad thronum ascendet unus familiarium ecclesiasticorum Episcopi, indutus veste talari et pallio, ac se sistet prope secundum Diaconum assistentem.

37. Aspersis ac thurificatis candelis, discedent clerici a vasculo et a thuribulo referentes haec ad abacum.

38. Episcopus postquam adoleverit candelas, sedebit et a primo Diacono assistente cooperietur mitra. Presbyter assistens, vel dignior chori (si Presbyter assistens sive ex usu ecclesiae sive aliam ob caussam dignior Cleri non esset) se sistet Episcopo; accipiet e manibus Canonici Camerarii cereum Episcopi, et osculans cereum deinde manum Episcopi, cereum Episcopo tradet, qui committet illum familiari ecclesiastico; hic autem afferet illum apud Altare, eique iubebit apponi paramanum.

39. Presbyter assistens, seu dignior chori, de throno redibit a latere ad locum suum, rediturus deinceps cum aliis Canonicis ad excipiendam candelam.

40. Accepto ab Episcopo cereo, Diaconi assistentes elatas sustinebunt fimbrias pluvialis, et in gremio Episcopi explicabunt mappam, quam extensam sustentabunt in extremitatibus clerici duo prope Diaconos assistentes genuflexi (*a*).

41. Clerici delecti candelis ex abaco ad thronum afferendis, se ita disponent, ut hoc officio fungantur ordinatim et sollicite. Respectum etiam habebunt qualitati personarum, quibus candela erit distribuenda.

42. Statim ac posita erit mappa super gremium Episcopi, cantorum chorus cantare incipiet antiphonam *Lumen ad revelationem* etc. Tum vero initium distributionis fiet.

43. Proficiscentur Canonici e locis suis alter post alterum

(*a*) Non probatur usus, quippe contradicit Caeremoniali, ponendi super Episcopi genua gremiale lineum, quo utitur in ordinationibus, cingulo alligatum taeniis.

initium faciente digniore chori, quisquis ille sit, ac manu sustinente biretum; reverentiam ad Altare, dein progressi ante thronum, ad Episcopum conficient; ascendent ad thronum et inclinati accipient candelam ab Episcopo, osculantes prius candelam sibi ab ipso praesentatam, deinde manum eius. Tum iterata ante Episcopum reverentia, redibunt a latere ad locum suum. Candelae distribuendae tradentur a clericis delectis supradicto Canonico Camerario, seu Thesaurario, sive Sacrario praefecto, hic eas transmittet secundo Diacono assistenti, qui sine osculo manus porriget Episcopo: vel etiam a Sacrista minori tradentur praedicto Diacono assistenti, idque pro consuetudine ecclesiae cuiusque.

44. Canonici ad thronum accedent, iuxta ordinem antiquitatis et praebendarum ipsorum, videlicet praecedent Dignitates, tum Canonici Presbyteri, deinde Diaconi, postea Subdiaconi.

45. Post Canonicos paratos, candelam accipiet Magistratus, si aderit, dein Beneficiarii seu Mansionarii et ipsi iuxta ordinem praecedentiae inter eos constitutae. Si Subdiaconus Crucem gestaturus in processionem, esset e coetu Beneficiariorum, primum locum sumet inter eos, utpote sacris vestibus indutus, secus post ipsos incedet. Canonici tantum accipient candelam stantes: ceteri omnes genuflexi. Diaconi assistentes accipient illam in ordine suo: ipsi quoque descendent de throno et reverentias conficient ad Altare et ad Episcopum, ut ceteri. Hoc ipsum exsequetur Canonicus ille, qui candelas ministrabit, ut superius. Celebrans et Ministri, recepta candela, recedent recta in Sacrarium, ut ad Missam cantatam parentur. Sequentur deinde Cappellani a libro, a scotula, a mitra et a baculo pastorali, post ipsos clerici Seminarii, postremo familiares nobiles Episcopi aliique laici, si vigebit eos admittendi usus.

46. Si mos erit, ut in distributione ecclesiastici omnes praecedant Magistratui, servabitur.

47. Foeminae nullo prorsus modo admittendae in presbyterium sunt. Quapropter si populo candelae distribuendae sint, peragere distributionem poterit Sacerdos quispiam in-

dutus superpellicio et stola in uno ex sacellis lateralibus, eo tamen ordine ut foeminae a viris dirimantur.

48. Circa distributionis finem in promptu erunt ministri lotionis. Item monebitur thuriferarius ut in promptu habeat thuribulum et praesto sint Acolythi qui candelabra ferre ad thronum debebunt.

49. In fine distributionis cessabit cantus antiphonarum et accedent ad thronum ministri lotionis exsequentes genuflexiones consuetas. Presbyter assistens ascendet ad thronum a latere priusquam illuc veniant ministri praedicti, eo quod suppeditare debeat mantile; quod tamen non explicabitur super genua Episcopi, quia iam aderit mappa superius innuta. Presbyter assistens mantile porriget Episcopo, osculans manum eius. Abluente manus Episcopo, assurgent Canonici, ceteri omnes genuflectent. Post lotionem redibit ad locum suum in chorum Presbyter assistens, descendens a latere de throno. Recedent quoque de throno clerici, qui mappam extensam super gremium Episcopi retinebant, eamque ad abacum referent.

50. Interea duo Cappellani a libro et scotula accipient Missale et scotulam ac praesto erunt apud thronum. Clerici autem qui candelas ministrabant ad thronum, accipient singuli candelam, qua accensa, candelas accendent omnibus, qui locum habebunt in processione: advertent, ut statim accendant, nisi tamen delecti fuerint ad hoc officium alii clerici, ne retardetur processio.

51. Eodem tempore cantores cantabunt antiphonam *Exurge Domine* cum versiculo psalmi illic innuti, quae autem antiphona cantanda est non distributionis tempore, sed pro initio processionis, postquam Episcopus laverit manus.

52. Quando repetetur praedicta antiphona, Acolythi cum candelabris venient ante thronum et absoluto antiphonae cantu, secundus Diaconus assistens tollet Episcopo mitram. Episcopus assurget cumque ipso omnis chorus. Tum, sistentibus se ante ipsum Cappellanis cum libro et scotula, tono feriali cantabit *Oremus. Exaudi*, *quaesumus*, *Domine* etc.

53. Si festum Purificationis inciderit post Septuagesimam, neque erit Dominica, cantato ab Episcopo *Oremus*, ante ora-

tionem praedictam, primus Diaconus assistens cantabit *Flectamus genua* et genuflectent omnes, excepto Episcopo, et secundus Diaconus assistens cantabit *Levate*, omnesque consurgent et Episcopus cantabit orationem superius innutam.

54. Dum orationem illam cantabit Episcopus, perget ad thronum thuriferarius cum thuribulo, genuflexionem faciens ad Altare, dein ad Episcopum priusquam ad thronum ascendat. Item Presbyter assistens a latere ad thronum redibit, ministraturus incensum.

55. Recitata oratione, Episcopus sedebit rursusque cooperietur mitra a primo Diacono assistente. Thuriferarius genuflexus in gradulo cathedrae praesentabit ei thuribulum apertum: Presbyter assistens ministrabit incensum Episcopo, dicens *Benedicite, Reverendissime Pater*: Episcopus incensum in thuribulum imponet cum formula usitata, dein benedicet, et Presbyter assistens restituet naviculam thuriferario, qui de throno descendet ac subsistet prope Acolythos, ante thronum adstantes.

56. Presbyter assistens de throno descendet a latere et redibit in chorum ad locum suum expectans tempus coeundi cum Canonicis in processionem.

57. Dum Episcopus ponet incensum in thuribulum, Subdiaconus, accepta Cruce, veniet ante thronum et locum sumet inter Acolythos, conversus ad Episcopum. Item Cappellanus Episcopi, cuius cereum custodiet, accenso ipso cereo, ascendet ad thronum et consistet prope secundum Diaconum assistentem.

58. Episcopus assurget ac primus Diaconus assistens cantabit *Procedamus in pace*, cui respondebunt cantores *In nomine Christi Amen*. Episcopus salutabit Crucem et rursus sedebit, expectans signum in processionem incedendi.

59. Cappellanus a baculo accipiet baculum pastoralem delaturus in processionem.

60. Proficiscetur immediate Subdiaconus gestans Crucem, Acolythi ac thuriferarius, et principium processionis fiet ordine sequenti.

61. Praeibit claviger, seu clavigeri ecclesiae si plures erunt, cum suis insignibus. Thuriferarius cum thuribulo. Sub-

diaconus cum Cruce medius inter Acolythos cum candelabris. Cantores, qui cantabunt antiphonam *Adorna thalamum* etc. cum reliquis; eaque de re curae erit directori cantus providere libellos decentes, quibus contineantur praedictae antiphonae notis musicis subiectae. Clerici Seminarii. Beneficiarii seu Mansionarii. Canonici Subdiaconi, qui si dispari essent numero, tres incedent in fine. Canonici Diaconi, cum eodem discrimine pro numero dispari. Canonici Presbyteri. Dignitates, inter quas incedet Presbyter assistens. Episcopus medius inter Diaconos assistentes, qui fimbrias pluvialis eius sustentabunt. Sequetur Caudatarius sustinens eius vestis talaris extremitatem posteriorem, et quatuor Cappellani a mitra, baculo, libro et scotula, postremo eius nobiles familiares.

62. Omnes manu gestabunt candelam accensam, exceptis thuriferario, Subdiacono cum Acolythis, cantoribus, Diaconis assistentibus, caudatario, quatuor cappellanis antedictis et familiaribus nobilibus Episcopi. Qui dextrorsum in processionem incedent, candelam sustinebunt dextra, qui autem sinistrorsum, sinistra.

63. Cappellanus qui cereum custodiebat Episcopi, priusquam Episcopus in processionem incedat, cereum tradet secundo Diacono assistenti, qui porriget illum Episcopo, manum eius osculans dum porriget: Episcopus cereum accipiet sinistra, idemque Diaconus animadvertet ad cooperiendam Episcopi manum velo, quod pendet e cereo. Episcopus in processionem benedicet adstantes manu dextra.

64. Processio dirigetur intra ambitum ecclesiae, vel etiam extra ipsam, si talis erit usus. Processionis tempore sonabunt campanae festivo more.

65. Si Celebrans fuerit Archiepiscopus, Crux praeferetur Canonicis paratis, et Subdiaconus eam deferet, versa ad Celebrantem imagine Crucifixi.

66. Statim ac de presbyterio exierit processio, Sacrista cum inservientibus Sacrario amovebunt a throno lodicem violaceam et vestem violaceam cathedrae, relicta alba, itemque tollent pallium violaceum et apparebit album; faldistorio autem Episcopi apponent pulvinos albi coloris, remotis violaceis, et aba-

cum nudabunt velo violaceo: praeparabunt etiam alterum faldistorium, alba veste instructum, in medio presbyterio ante Altare, in quo sedebit Episcopus: super Altare autem ponent pluviale album cum stola, formale pretiosum et mitram pretiosam pro Episcopo. Tollent deinde abacum inter thronum et Altare iacentem, in quo positae fuerant candelae benedicendae.

67. Celebrans cum Ministris opus est ut paratus sit initio processionis, qua inchoata, procedet cum Ministris ad Altare, praecedentibus duobus vel tribus clericis, et reverentia facta ad Altare, sedebunt in scamno praeparato; adveniente autem Cruce processionali, consurgent et nudabunt caput.

68. Processio redibit in chorum sive ad Altare maius, et cantores cantabunt antiphonam *Obtulerunt* etc. ac si processio extra ecclesiam exierit, antiphona illa cantabitur in ingressu ecclesiae ipsius: Subdiaconus Crucem reponet in basi et recedet in Sacrarium ad paramenta dimittenda: Acolythi candelabra super abacum deponent ac thuriferarius subsistet cum thuribulo prope abacum, quum illo opus sit principio Missae. Unusquisque se recipiet ad locum suum et candelam extinguet. Clerici delecti porrigendis vel recipiendis paramentis Episcopi, relicta candela, manebunt prope Altare. Aderunt alii duo clerici, qui supplebunt mitrae et baculo, insuper et alij, qui recipiant in canistris paramenta Canonicorum, eisque rursus induant insignia canonicalia.

69. Quum ultimi duo Canonici ex Ordine Diaconali pervenerint in presbyterium, extinguent candelas et consistent a lateribus faldistorii in medio presbyterio statuti. Ceteri Canonici recedent ad subsellia sua, extinguent candelas, ibique dimittent sacra paramenta et resument indumenta sive insignia sua.

70. Episcopus progressus ante Altare, salutabit Crucem, benedictionem donabit Celebranti et Ministris, qui excipient illam cum inclinatione profunda, si tamen Ministri non fuerint Canonici, genua submittent. Tum Episcopus in faldistorio sedebit, facie versa ad Altare et secundus Diaconus assistens, osculans manum eius tollet ei cereum, qui recipietur a Cappellano illius custode et extinctus ab eodem custodietur. Manentibus in assistentia Episcopi ultimis duobus Cano-

nicis ex Ordine Diaconali, recedent ad paramenta dimittenda suo loco Diaconi assistentes, qui resumpto habitu chorali redibunt ad Episcopum; tunc discedent praedicti duo Canonici, qui supplebant et se recipient ad locum suum, ubi paramenta dimittent ac resument insignia canonicalia.

71. Item quatuor Cappellani a libro, scotula, mitra et baculo redibunt in Sacrarium, dimittent pluviale et retinebunt superpelliceum; qui autem est a mitra, sibi collo imponet vimpam seu velum pro mitra gestanda.

72. Interea tribus clericis distribuentur paramenta albi coloris Episcopi, aliique tres in promptu erunt ad recipienda paramenta violacea, quae dimittet.

73. Quum reversi fuerint Diaconi assistentes ad latera Episcopi, secundus ipsorum mitram tollet Episcopo, tum primus, adiuvante secundo, exuet eum formali simplici, pluviali et stola violacea, quae omnia a praedictis clericis referentur in Sacrarium. Induetur deinde Episcopus stola et pluviali albi coloris, super pluviale firmabitur formale pretiosum et imponetur ei mitra pretiosa.

74. Quum Celebrans appropinquaverit ad Altare, Episcopus assurget et accedet ad Altaris gradus; tunc a clericis duobus amovebitur faldistorium ante Altare positum. Secundus Diaconus assistens mitra nudabit Episcopum, et Missae initium fiet ritibus descriptis cap. XIII. lib. V.

75. Notandum est tantum, quod candelae accensae sustinendae manu sunt in cantu Evangelii, et ab Elevatione usque ad Consummationem inclusive. Quocirca clerici delecti candelis accendendis, accendent ipsas tempore gradualis et advertetur ut in promptu sit candela Celebrantis, quam ipse manu sustinebit, quando cantabitur Evangelium, eique tradet Caeremoniarius. Omnes autem candelam sustinebunt dextera. Primus accendetur cereus Episcopi, tum Canonicorum, deinde aliorum candelae, Episcopus cereum accipiet ad Evangelium, quando dimissa mitra, assurget. Diaconus primus assistens cereum Episcopo tradet, idemque recipiet statim ac cantatum erit Evangelium, priusquam ascendat Subdiaconus cum libro Evangelii. Presbyter etiam throno assistens, candelam sustinebit.

76. Quod spectat ad *Sanctus*, ordo iste servabitur. Episcopus, recitato Trisagio, descendet ad faldistorium et quando geniculaverit, primus Diaconus assistens tradet ei cereum, quem post Elevationem Diaconus idem recipiet, priusquam Episcopus assurgat ut genuflectat; quum autem in thronum redierit ac mitram dimiserit, restituet ipsi cereum itemque recipiet ante Pacem, reddetque rursus, postquam Pacem donaverit Diaconis assistentibus: postremo illum recipiet ab Episcopo, priusquam rursus sedeat.

DE FERIA IV. CINERUM.

CAPUT IX.

Quae sint praeparanda.
Apud Altare SS. Sacramenti.

1. Genuflexorium cum strato et pulvinis aut cum faldistorio ut cap. IV. lib. V.

2. Sex cerei in candelabris maioribus, accendendi saltem quando ab Episcopo adorabitur SS. Sacramentum.

In Sacristia.

3. Paramenta violacea pro Celebrante et Ministris, videlicet planeta et stola, binae planetae violaceae et plicatae ac stola una, tria cingula, tres albae tresque amictus.

4. Vasculum aquae benedictae cum aspergillo, utendum in ingressu Episcopi.

5. Pluvialia quatuor violacea pro Cappellanis a mitra, baculo, libro et candela.

6. Altera planeta plicata cum cingulo, alba et amictu pro Subdiacono, qui cineres debebit ante Episcopum sustinere.

In Altari maiore.

7. Altare instruetur sex candelabris simplicibus cum cereis et Cruce, nullo alio ornamento candelabris interposito; praeter tobaleas et tapetum, quo contegentur gradus Altaris, apponetur in fronte pallium violaceum.

8. Super mensam Altaris disponentur paramenta Episcopi, videlicet formale simplex, pluviale cum stola violacea, Crux pectoralis, cingulum, alba et amictus, omnia contecta velo violaceo. In latere Evangelii ponetur mitra auriphrygiata; in latere Epistolae lanx argentea cum cineribus aridis ex reliquiis ramorum palmae et olivae combustorum, quae in Dominica palmarum anni superioris benedictae fuerunt.

9. Prope Altare situs erit baculus pastoralis.

10. Loco solito aderit scamnum cum postergali pro Celebrante et Ministris coopertum stragulo e panno violaceo.

11. In medio presbyterio ante Altare praeparabitur faldistorium cum pulvinis violaceis.

12. In latere Evangelii aderit basis ad firmandam Crucem Archiepiscopalem, si Celebrans esset Archiepiscopus.

In abaco.

13. Super abacum, qui contegetur albo mantili, ponentur duo candelabra cum cereis pro Acolythis. Thuribulum cum navicula plena incenso et cochleari. Vasculum aquae benedictae cum aspersorio. Urceus et pelvis. Mantilia duo in lance. Velum humerale violaceum pro Magistratu, si lotionem ministrabit. Mappa longa phrygiata vel circumdata textili pinnato, extendenda super genua Episcopi, dum cineres distribuet. Medulla panis et mali medici in lance. Missale cum veste violacea pro Episcopo. Canon pontificalis. Scotula cum candela. Libellus cum formula Indulgentiarum. Calix cum purificatorio, patena cum hostia et palla, bursa cum corporali et velum calicis. Ampullae vini et aquae in pelvicula cum manutergio. Campanula. Intorticia pro Elevatione. Missale super cussino vel legili pro Celebrante. Epistolarium et Evan-

geliarium cum veste violacea utrumque. Velum humerale pro Subdiacono. Manipuli pro Celebrante et Ministris. Stola latior pro Diacono (a).

14. Thronus cum baldachino et cathedra ornabitur lodice violacea, tapetum etiam sternendum super gradus, violaceum erit. Apponentur quoque tria scabella pro Assistentibus.

15. In subselliis Canonicorum praeparentur paramenta violacea pro Canonicis, videlicet pluvialia pro Dignitatibus, planetae pro Canonicis Presbyteris, et planetae plicatae pro Canonicis Diaconis et Subdiaconis, cum amictu in singulis paramentis. Item aderunt planetae plicatae pro Diaconis assistentibus et pluviale pro Presbytero assistente cum amictu in respectivis chori subselliis.

16. Praeparantur etiam canistri plani et ampli, in quibus reponantur indumenta seu insignia canonicalia, quando dimittentur a Canonicis, ut induant paramenta sacra.

17. In presbyterio sive ad cancellos statuentur funalia cum intorticiis vel cereis non plura quam sex, nec minora quatuor.

18. Non indicantur instructiones pro expulsione publicorum poenitentium, hac die notata in Pontificali Romano; quoniam huiusmodi functio obsolevit.

In functione

19. Recitata in choro Hora Nona tum officii divini tum alterius minoris de B. Virgine, discedet Clerus de choro et procedent Canonici ad associandum Episcopum quo ordine descriptum est cap. IV. lib. V. signum autem procedendi dabitur, sono campanulae Sacrarii.

20. Interim in Sacrario induentur sacris paramentis Celebrans cum Ministris; Subdiaconus, qui pelviculam cinerum sustinere debebit; et quatuor Cappellani a libro ecc. induent pluviale. Procedent autem ad Altare priusquam illuc adveniat Episcopus, eosque comitabuntur duo quatuorve clerici superpellicio induti.

(a) Stola latior nequaquam esse insignita Crucibus debet, quali perperam uti quidam solent.

21. Ingrediente in ecclesiam Episcopo, sonabunt festivo more campanae. Organis autem non sonabitur, quoniam officium est feriale.

22. Episcopus, postquam adoraverit SS. Sacramentum, procedet ante Altare maius ibique benedictionem dabit Celebranti et Ministris, qui adstabunt in pedes scamno prope latus Epistolae. Celebrans se profunde inclinabit, Ministri quoque, si fuerint Canonici, secus genuflectent. Episcopus, reverentia ad Crucem facta, geniculabit in faldistorio, in quo Caeremoniarius extendet eius cappam, ibique manebit donec ei significabitur ut ascendat in thronum. Canonici sua subsellia occupabunt, ibique dimisso habitu chorali, supra rochetum aut superpellicium induent amictum et paramentum respondens ordini suo. Item Diaconi assistentes paramenta sibi induent locis suis, deinde ascendent ad latera cathedrae episcopalis. Clerici designati adiuvandis Canonicis in induendis sacris vestibus, meminerint asportare de choro indumenta Canonicalia, et in fine officii in chorum illa referre.

23. Canonicis indutis, Caeremoniarius innuet Episcopo ut de oratione surgat eumque comitabitur ad thronum, sequente Caudatario et Cubiculario, qui cappam eius deinde recipiet. Distribuentur paramenta Episcopi clericis, qui ad thronum deferent illa. Diaconi assistentes, adiuvante Cubiculario, qui consistet prope Diaconum secundum, tollent cappam Episcopo eumque parabunt, quin lavet manus, amictu, alba, cingulo, Cruce pectorali, stola et pluviali, cui apponetur formale simplex. Primus Diaconus assistens imponet ei mitram auriphrygiatam.

24. Dum Episcopus incipiet paramenta induere, Cappellanus a mitra accipiet mitram ex Altari, eam allaturus ad thronum; itemque duo Cappellani a libro et scotula accipient Missale cum scotula ex abaco et ascendent ad thronum, subsistentes prope secundum Diaconum assistentem. Advertent clerici designati, ut in promptu habeant thuribulum et vasculum aquae sanctae cum aspersorio.

25. Quum Episcopus indutus erit paramentis, Subdiaconus, qui debet esse ex ordine Beneficiariorum aut Cappella-

norum, indutus ut supra dictum est, amictu, alba, cingulo et planeta plicata, facta prope Altare ad Episcopum, dein ad Crucem Altaris genuflexione, ad Altare ascendet, accipiet lancem seu pelviculam, in qua positus erit cinis, eamque sustinens utraque manu ad altitudinem vultus sui et de Altari descendens, iterabit ante Crucem genuflexionem. Accedet inde ad thronum et ante illius infimum gradum genuflectet ante Episcopum, ad thronum ascendet et in gradu superiore throni geniculabit e regione Episcopi (*a*).

26. Se sistent Episcopo duo Cappellani a libro et scotula. Episcopus sedens leget antiphonam *Exaudi nos Domine* etc. cum ℣. psalmi, cum *Gloria Patri* et repetet antiphonam eamdem (*b*).

27. Postea secundus Diaconus assistens tollet mitram Episcopo, qui assurget et cantabit *Dominus vobiscum* et quatuor orationes in Missali praescriptas pro eadem benedictione. Quando Episcopus benedicturus erit cineres, primus Diaconus assistens advertet ut fimbriam dexteram eius pluvialis attollat.

28. Circa finem tertiae orationis, accedent ad thronum duo clerici cum thuribulo et vasculo. Ascendet etiam a latere ad thronum Presbyter assistens et stabit prope Diaconum primum assistentem, et apud eum consistent thuriferarius et alter clericus praedictus cum vasculo aquae sanctae et aspersorio. Venient insuper ad thronum clerici duo cum mappa extendenda super Episcopi genua, qui consistent apud secundum Diaconum assistentem: unus tamen eorum ipsam mappam afferet plicatam.

29. Post quartam orationem Episcopus sedebit ac mini-

(*a*) Si vigeret usus, ut Canonicus Sacrista maior adsit in suppedaneo Altaris et cineres tradat Subdiacono, licebit eum servare.

(*b*) In Caeremoniali (lib. II. c. XVIII. num. 6.) non innuitur ut cantetur a choro. Animadvertendum porro est, quod ritus benedictionis cinerum idem est ac in Missali statutus, ideoque quum a rubrica Missalis praescribatur, ut cantetur, nulla videtur obstare ratio, quominus cantetur etiam quando benedictio persolvitur ab Episcopo, idque multo magis, quod functio peragitur cum cantu eaque de caussa cantantur reliquae omnes antiphonae, quae sequuntur.

strante Presbytero assistente, ponet cum benedictione incensum intra thuribulum a thuriferario genuflexo sustentum. Thure benedicto et recedente thuriferario, Episcopus assurget, aspersorium a Presbytero assistente cum osculis consuetis recipiet et asperget cineres in medio, a sinistris et a dextris suis, recitans submissa voce antiphonam *Asperges me* etc. restituet aspersorium Presbytero assistenti, a quo recipiet thuribulum et adolebit cineres eodem modo quo asperserit. Tum reddito thuribulo eidem Presbytero assistenti, sedebit et a primo Diacono assistente nudabitur pileolo: discedent praedicti clerici cum vasculo ac thuribulo, quae referent ad abacum, itemque Presbyter assistens descendens a latere de throno redibit ad locum suum.

30. Quando Episcopus incensabit cineres, Celebrans, comitante Caeremoniario, discedet de scamno suo et reverentia ad Crucem facta, procedet ad thronum.

31. Subdiaconus sustinens pelviculam cinerum, postquam eos asperserit ac thurificaverit Episcopus, assurget ac veniet geniculatum ad dexteram Episcopi, ut ante eum sustineat pelviculam in illorum distributione.

32. Genuflexo autem a dextris Episcopi Subdiacono praedicto, Celebrans facta profunda inclinatione, ad thronum ascendet et conscenso gradulo cathedrae, accipiens tribus dexterae digitis pollice, indice et medio aliquantulum cineris, imponet ipsum capiti Episcopi, in formam Crucis, dicens *Memento homo quia pulvis es et in pulverem reverteris*, dein descendet de gradulo cathedrae et recedet versus sinistram Episcopi.

33. Primus Diaconus assistens, pileolum et mitram reponet capiti Episcopi: tum uterque Diaconus assistens, attollentes pluviale, extendent super genua Episcopi mappam, quae in extremitatibus sustentabitur a duobus Cappellanis vel clericis genuflexis in primo throni gradu a lateribus Diaconorum assistentium.

34. Dum Episcopo reponetur mitra, descendent Canonici de stallis suis, manu sustinentes biretum et singuli incedentes et conficientes reverentiam prius ad Altare deinde ad Episcopum antequam ascendant ad thronum, accedent ad cinerem excipiendum.

35. Cantores statim ac proficiscetur Dignitas prima, incipient cantare antiphonam *Immutemur habitu* etc. et reliquas, easque repetent etiam si opus fuerit, donec peragetur distributio.

36. Extensa mappa super genua Episcopi, se sistet ei Celebrans, cui cinerem imponet, quo recepto, Celebrans facta reverentia profunda, descendet a latere de throno et redibit prope Altare, ubi erat cum Ministris. Ascendent deinde ad thronum unus post alium Canonici ut supra, et eundem ordinem servabunt in reverentiis. Episcopus dicet singulis dum imponet cinerem, *Memento homo* etc. ut supra. Diaconi assistentes cinerem recipient iuxta ordinem antiquitatis suae respectu aliorum Canonicorum, descendentes de throno et exsequentes reverentiam ad Altare deinde ad Episcopum, ut facient ceteri omnes. Ministri autem Celebrantis, si fuerint Canonici, incedent loco suo, ut de Diaconis assistentibus notatum est: sin autem essent e numero Beneficiariorum aut Mansionariorum, incedent primi post Canonicos. Canonici tantum excipient cinerem stantes et profunde inclinati: ceteri omnes excipient genuflexi.

37. Celebrans, si opus ei fuerit manus abluere, postquam cineres imposuerit Episcopo, abluet quando pervenerit ad locum prope Altare, et in hac actione utetur ampulla, ut in Missa, nisi gauderet privilegio utendi urceo cum pelvi etiam praesente Episcopo. Acolythi qui Missae inservire debebunt, ministrabunt ei lotionem.

38. Idem Celebrans et Ministri post exceptum cinerem, sibi imponent brachio sinistro manipulum apud abacum vel prope scamnum, in quo sedere solent.

39. Canonici, exceptis Diaconis assistentibus, sedebunt quando initium fiet distribuendi cineres Beneficiariis.

40. In excipiendis cineribus servabitur ordo sequens. Celebrans: Dignitates: Canonici ex ordine Presbyterorum: Canonici ex ordine Diaconorum: Canonici ex ordine Subdiaconorum: Ministri Celebrantis, nisi fuerint Canonici, ut superius notatum est: Beneficiarii seu Mansionarii: Cappellani a libro, scotula, mitra et baculo: clerici Seminarii: Magistratus,

si aderit, et laici nobiles: postremo ceteri laici pro consuetudine cuiusque loci. Foeminae in presbyterium non admittentur: poterunt eis ministrari cineres a Canonico Poenitentiario vel ab alio Sacerdote in aliquo laterali Sacello, itemque multitudini, ut vitetur turba, observando quae tradita sunt in festo Purificationis B. V.

41. Episcopus autem cineres ultimo loco imponet Subdiacono, qui sustinuerit cinerum pelviculam.

42. Circa finem distributionis in promptu erunt Ministri lotionis et clericus, qui deferet mantilia, advertet etiam ut afferat pelviculam cum medulla panis. Aderunt etiam Acolythi, gestaturi candelabra, ut infra. Item Cappellani a libro et scotula resument Missale et scotulam atque adstabunt throno.

43. Subdiaconus, qui cinerum pelviculam sustinuerit Episcopo, de throno descendet, genuflectet ad Episcopum, dein ad Altare, deponet cinerum reliquias super abacum, et comitatus a clerico exuet se paramentis sacris in Sacrario.

44. Statim ac de throno discesserit Subdiaconus praedictus, ascendent ministri lotionis et Presbyter assistens reveniet a latere ad thronum, ut ministret mantile. Super genua Episcopi non extendetur alterum mantile, siquidem iam adest mappa; ipse autem exterget manum medulla panis ut cinerem tollat. Quando Episcopus lavabit manus, Canonici stabunt, ceteri omnes procumbent in genua. Presbyter assistens ministrabit mantile; post haec redibit ad locum suum. Post lotionem discedent etiam qui duo clerici sustinuerunt mappam super Episcopi genua eamque involutam advertent referre ad abacum, ne decidat cinis, qui forte potuisset in ipsam dilabi in actu distributionis.

45. Profectis ministris lotionis, accedent ad thronum Acolythi cum candelabris. Diaconus secundus mitram tollet Episcopo, qui assurgens cantabit *Dominus vobiscum* et orationem *Concede nobis Domine* etc. tono feriali.

46. Post orationem Episcopus sedebit ac rursus cooperietur mitra a primo Diacono assistente.

47. Ascendent statim ad thronum ultimi duo Canonici ex ordine Diaconorum, et descendent inde duo Diaconi as-

sistentes, qui recedent ad stallum ubi dimittent paramenta. Intrabunt in chorum clerici designati recipiendis Canonicorum paramentis et afferent insuper insignia choralia, rursus a Canonicis induenda. Canonici paramenta dimittent. Diaconi assistentes redibunt ad thronum, unde discedent ultimi duo Canonici, qui in locis suis dimittent vestes sacras et habitum choralem recipient. Cappellani supradicti pluvialia dimittent in Sacrario. Interim baculus pastoralis a Cappellano accipietur et portabitur ad thronum.

48. Rebus omnibus rite dispositis, Celebrans procedet ad Altare, Missam cum Celebrante inchoaturus.

49. Quod ad assitentiam observabitur quod est descriptum capitulis XIII. et XX. lib. V. quodque traditum est cap. X. eiusdem libri relate ad sacram concionem, quae post Evangelium Missae solemnis habebitur.

50. Quoniam huic Missae Episcopus assistit pluviali indutus, utetur mitra et baculo quotiescumque de throno descendet ad faldistorium ante Altare et quoties ad thronum redibit, idque etiam post Elevationem. Eadem de caussa incensabitur etiam post introitum postque Evangelium.

DE QUADRAGESIMA
ET DE TEMPORE PASSIONIS.

CAPUT X.

1. Quadragesimali tempore ornatus Altaris, throni et chori respondebit officio feriali, quod est luctuosum, ideoque adhibentur paratus et vestes sacrae coloris violacei; ac si quod officium de ritu duplici aut semiduplici intra hebdomadam celebrabitur, variandus erit color in pallio et in paramentis: sed in throno et apparatu chori retinebitur ornatus coloris violacei, modo non sit unum e festis solemnioribus;

hoc enim casu mutabitur etiam ornatus throni et chori iuxta qualitatem festi.

2. Altare instruetur simpliciter candelabris tantum et Cruce, nullo alio interposito ornamento, cuiusmodi sunt vasa cum floribus, Reliquiaria et signa Sanctorum.

3. In Missis ferialibus non sonabitur organis et sacri Ministri utentur planetis plicatis.

4. A Sabbato ante Dominicam primam usque ad Pascha recitantur aut cantantur Vesperae, etiam in festis solemnibus, ante prandium seu post Nonam et Missam de feria, exceptis tantum Dominicis, in quibus cantantur hora consueta.

5. Festum Annunciationis B. Virginis recensitum est inter solemniora propter Redemptoris Incarnationem. Quapropter Clerus in choro, Celebrans cum Ministris et ipse Episcopus genuflectent ad cantum versiculi *Et incarnatus est* etc. regula superius tradita cap. III. libri huius pro die Nativitatis Domini. Si transferetur officium festi huius, genuflexio fiet quo die reponetur officium idem.

6. In quarta Dominica appellata *Laetare*, sonabitur organis, adhibebitur color rosaceus, Ministri induent dalmaticam ac tunicellam et licebit ornare floribus Altare ad Missam solemnem tantum, ut praescribit Caeremoniale, utque notatum est cap. I. huiusce libri.

7. Incidente in Quadragesimam celebratione alicuius funeris aut anniversarii pro defunctis, vel etiam alicuius Missae votivae solemnis, cavebitur ne fiat unquam post Vesperas, sed semper post Nonam.

8. Quod ad velandas Cruces et Imagines, observabitur quod superius traditum est lib. II. cap. XXI.

9. Item Passionis tempore, ex dispositionibus Caeremonialis, quaevis ecclesia utetur cantu *non figurato, sed Gregoriano.*

10. Relate ad festa, huic tempori occurrentia, stabitur iis, quae habentur capite citato.

11. In Dominicis Quadragesimae, si Episcopus assistet Missae solemni, servabuntur ea quae pro functionibus huiusmodi sunt notata in respectivis capitulis lib. V. Si in quarta Dominica assistet Missae paratus pluviali, induet pluviale rosaceum.

12. In festo Annunciationis B. V. Episcopus assistet Missae paratus pluviali, vel cantabit Missam post Tertiam, si ex hoc mysterio suum ecclesia cathedralis titulum acceperit. Cantabit etiam Vesperas secundas, ut praescribit Caeremoniale lib. II. cap. XXXIV.

DE DOMINICA PALMARUM.

CAPUT XI.

Quae sint praeparanda.
Apud Altare SS. Sacramenti.

1. Genuflexorium cum strato et pulvinis vel faldistorium, ut cap. IV. lib. V.

2. Cerei sex in candelabris maioribus, accendendi saltem quando Episcopus ibi orabit.

In Sacristia.

3. Paramenta pro Celebrante proque Ministris, videlicet planeta violacea et binae alterae similes plicatae, binae stolae ac tres manipuli coloris eiusdem, tria cingula, tres albae, tresque amictus.

4. Stolae ac manipuli tres eiusdem violacei coloris cum cingulis, albis et amictibus tribus pro cantoribus Passionis, et liber Passionis cum notis musicis, instructus veste seu tegumento violaceo.

5. Planeta plicata violacea cum cingulo, alba et amictu pro Subdiacono Crucem gestaturo in processionem.

6. Quatuor pluvialia violacea pro Cappellanis a libro, scotula, baculo et mitra.

7. Vasculum cum aspersorio adhibendum in ingressu Episcopi in ecclesiam.

In Altari maiore.

8. Praeter tapetum violaceum, quod cooperiet omnes gradus Altaris, apponetur pallium violaceum et sex candelabra cum cereis albis et Cruce simili candelabris, convestita velo violaceo. Candelabra erunt argentea vel saltem argento colorata, distincta, quoad fieri possit, ab illis quae diebus ferialibus, et ab aliis quae in festis solemnibus adhibentur.

9. Super mensam Altaris disponentur paramenta Episcopi, nempe formale simplex, pluviale cum stola violacea, Crux pectoralis, cingulum, alba et amictus, quae omnia contegentur velo violaceo. In latere Evangelii ponetur mitra auriphrygiata, et prope Altare baculus pastoralis.

10. Aderit scamnum usitatum prope latus Epistolae in usum Celebrantis et Ministrorum, contectum stragulo e panno violaceo.

11. Ante Altare praeparabitur faldistorium cum pulvinis violaceis pro Episcopo, qui ibi suo tempore orabit. Alterum insuper faldistorium convestitum tegumento violaceo, in quo sedebit Episcopus post processionem. Prope latus Evangelii ponetur Crux processionalis contecta velo violaceo, cui adhaerebit lemniscus eiusdem coloris, quo liganda erit palma, Si Celebrans esset Archiepiscopus, praeparabitur basis tantum, qua firmari possit Crux Archiepiscopalis.

In abaco.

12. Super abacum albo mantili coopertum ponentur candelabra cum cereis albis pro Acolythis: thuribulum cum navicula plena thuris et cochleari: vasculum aquae sanctae et aspersorium: urceus cum pelvi: duo mantilia seu manutergia in lance: velum humerale violaceum sine opere textili, utendum a Magistratu, si ministrabit lotionem: mappa longa phrygio opere distincta, extendenda in gremio Episcopi, quando palmas distribuet: Missale cum tegumento violaceo in usum Episcopi: scotula cum candela: Canon pontificalis: formula pro indulgentiis publicandis: taenia violacea ad ligandam pal-

mam in summitate Crucis processionalis, nisi ad hanc rem adessent iam taeniae in velo Crucis, ut supra: calix cum purificatorio, patena cum hostia et palla, velum calicis et bursa cum corporali: ampullae vini et aquae in pelvicula; mappula seu manutergium pro Celebrante: campanula; intorticia e cera alba pro Elevatione: Missale cum legili vel cussino pro Celebrante: Evangeliarium et Epistolarium cum vestibus violaceis: velum humerale opere phrygio distinctum pro Subdiacono: stola latior pro Diacono.

In Presbyterio.

13. Thronus parabitur colore violaceo, videlicet baldachinum, lodix seu postergale et cathedra. Prope cathedram aderit pulvinus violaceus in usum Episcopi, quando genuflectere debebit. Aderunt etiam tria scabella pro Assistentibus, et gradus throni erunt ex toto cooperti tapeto violaceo.

14. Inter Altare et thronum a sinistris Episcopi praeparabitur abacus albo mantili contectus, in quo ponentur rami palmae et olivi distribuendi. Palmae erunt distinctae pro Canonicis, pro Magistratu, pro Beneficiariis etc. Aderit insuper palma Episcopi, quae in primis erit insignis non tam amplitudine, quam ornamentis, quibus erit distincta. Omnes contegentur velo violaceo, removendo in actu benedictionis.

15. In stallis sive sedilibus Canonicorum praeparantur respectiva paramenta coloris violacei, videlicet pluvialia pro Dignitatibus, planetae pro Canonicis Presbyteris, planetae plicatae pro Canonicis Diaconis et Subdiaconis, et amictus. Item in sedilibus chori in promptu erunt planetae plicatae et pluviale cum amictibus pro Presbytero assistente proque Diaconis assistentibus.

16. Canistri plani et ampli ad recipienda insignia sive habitus chorales Canonicorum, postea paramenta ab eis adhibita.

17. Delecti custodes invigilabunt ordini, ne forte in distributione oriatur populi tumultus.

18. Super balaustrium sive cancellos Presbyterii disponentur candelabra maiora cum intorticiis aut cereis ex alba cera, numero quatuor, ad summum sex.

19. Curabitur ut platea aut via ante ecclesiam, qua transibit processio, verratur sive mundetur.

In Functione.

20. Recitata in choro hora Tertia, cessabitur ab officio recitando: tum sono campanulae Sacrarii proficiscentur Canonici ad associandum Episcopum, ut cap. IV. lib. V.

21. In ingressu Episcopi sonabunt campanae more festivo: organa autem tacebunt, quia functio est ferialis.

22. Interea se parabunt Ministri, nempe Diaconus et Subdiaconus paramentis sacris, ut in Missa solemni, comprehenso manipulo, et comitantibus clericis duobus, accedent ad scamnum usitatum prope Altare maius, expectantes adventum Episcopi. Idem facient quatuor Cappellani, qui sunt a mitra, baculo, libro et scotula, quique induto sibi pluviali, venient ad Altare; quod faciet etiam Subdiaconus, Crucem in processionem gestaturus.

23. Episcopus, postquam adoraverit SS. Sacramentum, procedet ad Altare maius ibique genuflexus orabit, neque assurget, donec monebitur a Caeremoniario, ut ascendat in thronum. Canonici se recipient ad subsellia, seque parabunt respectivis paramentis, induentes supra rochetum vel supra superpelliceum, amictum et pluviale ac planetam vel integram vel plicatam, iuxta gradum ad quem spectant. Presbyter assistens se parabit pluviali in suo stallo, quod erit primum prope thronum, ibique manebit usque ad functionis initium: Diaconi assistentes se parabunt et ipsi suis locis, deinde ascendent ad thronum. Aderunt clerici designati adiuvandis Canonicis, dum se parabunt, et custodiendis eorum insignibus, quae post functionem resument. Clerici, quorum officium afferre paramenta Episcopi ad thronum, praesto erunt apud Altare.

24. Quum parati erunt omnes Canonici, Caeremoniarius retrahet de faldistorio partem anteriorem cappae Episcopi, qui assurget atque iterata reverentia ad Crucem, ascendet in thronum ac transiens per presbyterium benedicet Clerum, sequentibus eum Caudatario, qui extremitatem posteriorem cap-

pae sustentabit, et Cubiculario qui postea cappam recepturus erit.

25. Clerici duo faldistorium amovebunt de medio Presbyterio et seorsim reponent.

26. Distribuentur paramenta clericis, qui deferent eadem ad thronum.

27. Eodem tempore Cappellani a libro et scotula accipient ex abaco Missale et scotulam pro Episcopo, itemque Cappellanus a mitra accipiet illam ex altari et ad thronum portabit.

28. Episcopus, conscenso throno, sedebit et adiuvantibus Diaconis assistentibus ac Cubiculario, qui consistet prope secundum Diaconum assistentem, dimittet cappam. Cubicularius expediet etiam extremitatem posteriorem vestis talaris Episcopi et in Sacrario complicabit cappam, resumendam in exitu functionis. Postea Episcopus, non lavans manus, ope Diaconorum assistentium induet sacra paramenta, videlicet amictum, albam, cingulum, Crucem pectoralem, stolam cum pluviali violaceo, super quo ponetur formale simplex. Post haec primus Diaconus assistens imponet ei mitram.

29. Tunc Sacrista, vel alter designatus, deteget ramos palmae et olivi positos in abaco supradicto, amovens inde velum, quo cooperiebantur.

30. Cantores cantabunt antiphonam *Hosanna Filio David* etc. quam Episcopus, stantibus assistentibus eius, leget e Missali quod ei sustinebit Cappellanus a libro. Ad cantum praedictae antiphonae Episcopus, Assistentes et Clerus in choro sedebunt.

31. Completo huius antiphonae cantu, Diaconus secundus mitram tollet Episcopo, qui assurgens cantabit *Dominus vobiscum*, deinde orationem sequentem tono feriali; et Clerus consurget. Hoc tempore Subdiaconus, qui erat ad scamnum prope Altare, perget ad abacum et planetam plicatam dimittet; deinde accipiet librum Epistolarum, quem sustinens ante pectus veniet in medium ante Altare, et reverentia facta vel genuflexione ad Crucem, dein ad Episcopum, consistet quo loco cantari solet Epistola, cavens ne tergum vertat Altari, neque Episcopo.

32. Post orationem Episcopus sedebit, rursusque cooperietur mitra a primo Diacono assistente. Subdiaconus lectionem cantabit quo tono cantatur Epistola in Missis solemnibus; post lectionem ascendet ad thronum, osculabitur manum Episcopi, accipiet ab ipso benedictionem et redibit ad abacum, ubi deposito Epistolario, resumet planetam plicatam et se recipiet ad locum suum.

33. Cantores cantabunt Responsorium *Collegerunt.* Episcopus leget lectionem, graduale seu responsorium, *Munda cor meum* et Evangelium, stantibus hoc tempore Assistentibus. Dum cantabitur graduale, Cappellanus a baculo, accipiet baculum ex Altari et afferet ad thronum; item praesto erit thuriferarius cum thuribulo, iturus ad thronum, et Acolythi gestaturi candelabra et, ubi innuetur eis, coituri cum Ministris antedictis.

34. Legente responsorium Episcopo, Diaconus perget ad abacum, dimittet planetam plicatam et supra stolam sibi imponet stolam latiorem: accipiet librum Evangeliorum et reverentia aut genuflexione facta ante Episcopum, dein ante Altare, ascendet ad ipsum et super mensam librum Evangeliorum deponet.

35. Statim ac Episcopus legere Evangelium desierit, Presbyter assistens ad thronum ascendet a latere: quo veniet etiam Diaconus cum debitis reverentiis vel genuflexionibus et manum osculabitur Episcopi. Diaconus de throno descendet ac reversus ad Altare, genibus flexis dicet *Munda cor meum.* dum appropinquabunt ad Altare Subdiaconus et Acolythi cum candelabris.

36. Thuriferarius sequetur Diaconum ad thronum euntem, et quando Diaconus descendet, ascendet ipse cum thuribulo, expectabit dum Episcopus, ministrante Presbytero assistente, incensum demittat ac descendet de throno cum thuribulo, expectans ibi dum tempus erit coeundi cum Diacono, Subdiacono et Acolythis. Presbyter assistens manebit in throno apud scabellum suum.

37. Diaconus recitato *Munda cor meum*, resumet librum ex Altari se adiunget Subdiacono, et iunctim conficient reverentiam vel genuflexionem ante Crucem et ad thronum adi-

bunt. Diaconus, si fuerit Canonicus, profunde inclinatus, sin minus, genuflexus benedictionem petet ab Episcopo, qua accepta, procedet ad Evangelium cantandum, ut in Missa pontificali cap. IX. lib. V.

38. Quando discedent Diaconus cum Subdiacono, Acolythi ac thuriferarius de throno, tolletur Episcopo mitra a secundo Diacono assistente. Episcopus ad cantum Evangelii assurget et baculum iunctis manibus sustinebit, ut capite citato.

39. Completo cantu Evangelii, Diaconus cum Acolythis redibunt ad locum suum et Subdiaconus afferet librum Evangeliorum osculandum Episcopo: quo facto, redibit ad locum suum cum debitis reverentiis vel genuflexionibus.

40. Dum Subdiaconus ascendet ad thronum, descendet Presbyter assistens, qui subsistens ante thronum, thuribulum recipiet a thuriferario et triplici ductu incensabit Episcopum, qui post hanc thurificationem benedicet eum.

41. Presbyter assistens post hanc actionem se recipiet ad locum suum in chorum. Diaconus cum Subdiacono pergent ad abacum et dimittent manipulos, qui referentur in Sacrarium a clerico quopiam: Diaconus autem dimittet etiam stolam latiorem et resumet planetam plicatam.

42. Postquam thurificatus erit Episcopus, se sistent ei Cappallani cum Missali et scotula. Episcopus adstans in pedes et iunctis manibus etiam ad Praefationem, cantabit tono feriali orationes in Missali notatas.

43. Interea praesto erunt clerici cum vasculo aquae benedictae cumque thuribulo. Signum dabitur etiam clericis, qui mappam sustinere super genua Episcopi debebunt. *Sanctus* cantabitur a cantoribus tono feriali.

44. Circa finem quintae orationis, idest *Deus qui per olivae ramum* etc. ascendent ad thronum praedicti clerici cum vasculo ac thuribulo, et a latere ascendet etiam Presbyter assistens. Diaconus primus assistens animadvertet sublevare fimbriam dexteram pluvialis Episcopi, quando benedictionem versus palmas dabit.

45. Post orationem sextam *Benedic quaesumus Domine* etc.

Episcopus sedebit et incensum, ministrante Presbytero assistente, demittet cum benedictione in thuribulum ei praesentatum a thuriferario genuflexo. Assurget rursus deinde Episcopus et accepto a Presbytero assistente aspersorio, recitans submissa voce ant. *Asperges me* etc. palmas asperget in medio, a sinistris et a dextris suis, ac reddito aspersorio Presbytero assistenti, accipiet ab eo thuribulum et palmas adolebit, ut supra.

46. Discedent de throno clerici cum vasculo cumque thuribulo, et Presbyter assistens manebit apud thronum.

47. Episcopus tono feriali prosequetur cantare *Dominus vobiscum* et septimam orationem *Deus qui per Filium tuum* etc. Hoc tempore ad thronum ascendet Canonicus Camerarius sive Thesaurarius, seu Sacrario praefectus (de more cuiusque ecclesiae) traditurus palmas distribuendas, clerici tres aut quatuor numero, qui palmas debebunt Canonico praedicto ministrare, Cappellanus Episcopi habitu talari sine superpelliceo, qui recepturus erit palmam Episcopi, et qui clerici sustinere mappam extensam debebunt super genua Episcopi; quae tamen mappa ab altero eorum afferetur plicata. Canonicus thesaurarius locum sumet prope secundum Diaconum assistentem, clerici cum mappa prope duos Diaconos assistentes, et Cappellanus Episcopi apud primum Diaconum assistentem.

48. Cantata oratione antedicta, Episcopus sedebit et a primo Diacono assistente rursus mitra cooperietur. Se sistet ei Presbyter assistens, qui erit dignior Capituli, et a Canonico Thesaurario seu Camerario, sive Sacrario praefecto acceptam palmam ornatam praesentabit Episcopo, osculans palmam dein manum Episcopi. Episcopus palmam acceptam tradet Cappellano suo, qui custodiet eam apud se, manens in gradibus throni a dextris. Presbyter assistens, seu dignior, reverentia facta ante Episcopum, descendet a latere de throno et redibit ad subsellium suum, ut se adiungat ceteris Canonicis qui palmam acceptum ibunt, ut infra.

49. Palma ab Episcopo accepta, Diaconi assistentes attollent pluviale Episcopi, et super eius genua extendent mappam, quae sustentabitur a duobus clericis genuflexis prope Diaco-

nos assistentes (a) Palmae distribuendae porrigentur a Canonico Thesaurario, seu Camerario sive Sacrario praefecto, secundo Diacono assistenti, qui eas ministrabit Episcopo. Primus Diaconus assistens elatam sustinebit fimbriam dexteram pluvialis Episcopi.

50. Presbyter assistens postquam venerit ad subsellium suum, accipiet manu biretum et inde descendens ac salutans Crucem Altaris, dein Episcopum, ad thronum ascendet, palmam excipiet osculans prius palmam postea manum Episcopi, cui reverentia iterata, descendet a latere de throno et revertetur ad locum suum. Id ipsum facient ceteri Canonici, qui unus post alium ad thronum ascendent eodem modo quo Presbyter assistens.

51. Statim ac de loco suo discesserit Presbyter assistens, cantores incipient cantare antiphonam *Pueri Hebraeorum* deinceps ceteras, prosequentes cantum toto distributionis tempore. Quod exsequentur Canonici, fiet etiam a ceteris, eo tantum discrimine, ut Canonici palmam accipiant stantes et profunde inclinati, ceteri genuflexi accipiant et pro reverentiis faciant genuflexiones ante Episcopum. Canonici stabunt in stallis suis, donec ultimo Canonico distributa erit palma, postea sedebunt.

52. Distributionis ordo erit qui sequitur. Dignitates, Canonici Presbyteri, Canonici Diaconi, Canonici Subdiaconi, quos inter incedent, loco qui spectat ad ipsos, Diaconus et Subdiaconus, qui ministrabunt ad Altare, aliter incedent, ut infra. Magistratus: Beneficiarii seu Mansionarii, quorum primi ibunt Diaconus et Subdiaconus, si ad caetum eorum spectabunt. Post Beneficiarios incedet Subdiaconus gestaturus Crucem, dummodo non sit Beneficiarius, siquidem in hac hypothesi primus ibit inter Beneficiarios, sed post Diaconum et Subdiaconum antedictos. Cappellani a libro, scotula, mitra et baculo. Clerici Seminarii. Ultimo loco laici aliique, qui ab Episcopo admittentur.

53. Si vigeret usus, ut Magistratus incederet post totum Clerum, servandus erit.

(a) Inspiciatur adnotatio subiecta num. 40. cap. VIII. libri huiusce.

54. Providebitur ut populo distribuantur palmae in aliquo Sacello laterali, ut vitetur multitudinis confusio, quemadmodum notatum fuit in festo Purificationis cap. VIII. num. 47. libri huiusce.

55. Distributionis tempore clericus aliquis accipiet ex abaco palmam designatam Cruci processionali, eamque in eiusdem Crucis summitate ligabit.

56. Celebrans redibit ad locum suum in chorum cum ceteris Canonicis, quum vero Ministri acceperint palmam, venient ante ipsum et conficient ei reverentiam. Ille assurget seque adiunget eis et facta reverentia aut genuflexione respectiva ante Episcopum, dein ad Altare, recedent in Sacrarium, ubi se parabunt pro Missa solemni, ut docebitur inferius.

57. Interim in promptu erunt Ministri lotionis, Acolythi candelabra gestaturi ad ultimam orationem, thuriferarius cum thuribulo propter processionem, et duo Cappellani a libro et scotula recipient ex abaco Missale cum scotula et afferent ad thronum.

58. Quum distributio peracta erit, ascendet a latere ad thronum Presbyter assistens eoque venient etiam ministri lotionis et Episcopus lavabit manus. Non oportebit extendere mantile super genua Episcopi, siquidem imposita erit mappa extensa, ut superius descriptum est. Presbyter assistens porriget ei mantile. Lavante manus Episcopo, Canonici stabunt, ceteri omnes genua submittent.

59. Post lotionem remanebit in throno Presbyter assistens: discedent autem ministri lotionis, et clerici quoque illi, qui sustinebant mappam super genua Episcopi, quorum alter ad abacum reportabit plicatam mappam eamdem.

60. Ubi de throno discesserint Ministris, lotioni accedent illuc Acolythi cum candelabris, qui praemissis debitis genuflexionibus, subsistent ante thronum. Diaconus secundus assistens mitram tollet Episcopo, qui assurget et e libro sustentato a Cappellano cantabit *Dominus vobiscum* et orationem *Omnipotens sempiterne Deus* etc. Acolythi manebunt apud thronum sustinentes candelabra.

61. Interim ad thronum accedent thuriferarius cum thuri-

bulo et Subdiaconus gestans Crucem velatam, qui consitet inter Aeolythos. Advertet autem ut adsit ante thronum, quum absoluta erit oratio praedicta.

62. Rursus Episcopus sedebit ac mitra cooperietur a primo Diacono assistente. Thuriferarius ante Episcopum genuflexus, obiiciet ei thuribulum. Presbyter assistens ministrabit incensum et Episcopus cum formula usitatá ac benedictione incensum intra thuribulum demittet.

63. Descendet de throno thuriferarius et consistet post Subdiaconum cum Cruce et Acolythos. Presbyter assistens descendet a latere de throno et redibit ad locum suum.

64. Primus Diaconus assistens elata voce cantabit *Procedamus in pace* et cantores respondebunt *In nomine Christi. Amen.* Episcopus assurget in pedes, se inclinabit ad Crucem processionalem, deinde rursus sedebit, expectans donec sit tempus se adiungendi processioni. Acolythi ac thuriferarius genuflexionem conficient ad Episcopum et discedent de throno, atque ita processionis fiet initium.

65. Processio extra ecclesiam dirigetur per plateam seu viam proximam, quae in antecessum, ut supra innuimus, mundata erit, et processionis tempore sonabunt in laetitiae argumentum omnia sacra aera turris, quae tamen si nimium fragorem efficerent, iubebitur abrumpi sonum quando cantandus erit in limine portae hymnus, ut docebitur infra.

66. Ordo autem processionis hic erit. Praeibunt clavigeri, sive claviger, ecclesiae si aderunt. Thuriferarius cum thuribulo, Subdiaconus gestans Crucem et a lateribus eius Acolythi cum candelabris. Cantores, qui cantabunt antiphonam *Cum appropinquaret* etc. ac sequentes, toto processionis tempore. Advertent tamen, ut comparent sibi libellos, in quibus scriptae in notis musicis extent antiphonae praedictae cum hymno deinceps cantando. Clerici Seminarii. Mansionarii seu Beneficiarii, Canonici Subdiaconi, quorum si dispar esset numerus, ultimi incedent terni: Canonici Diaconi. Canonici Presbyteri: Dignitates, qui omnes utentur animadversione notata pro numero dispari. Sequetur Episcopus medius inter Diaconos assistentes, qui fimbrias pluvialis eius sustinebunt elatas.

Tum duo Cappellani a mitra et baculo, deinde reliqui duo a scotula et libro, postremo ceteri familiares Episcopi nobiles seu togati.

67. Si fuerit Metropolitanus, gestabitur quidem Crux archiepiscopalis a Subdiacono, ut supra, non vero ante Clerum, sed ante Canonicos paratos, et imagine Crucifixi, quamvis velata, conversa ad Archiepiscopum. Hoc casu postquam Archiepiscopus salutaverit Crucem, Subdiaconus cum Acolythis ac thuriferario subsistet prope ingressum Presbyterii, ibique expectabit donec transeat Clerus, qui debebit Crucem praecedere.

68. Palma ab omnibus manu sustinebitur, exceptis thuriferario, Subdiacono cum Cruce, Acolythis, cantoribus, Diaconis assistentibus, et praedictis quatuor Cappellanis. Qui dextrorsum incedent, palmam gestabunt manu dextera, qui sinistrorsum, sinistra. Episcopus priusquam de throno surgat, ut proficiscatur in processionem, palmam a primo Diacono assistente sinistra recipiet ac sustinebit sinistra, siquidem manu dextera debebit in processione benedicere adstantes.

69. Quum processio pervenerit ad fores ecclesiae, aperietur ostium a custodibus designatis, qui ut essent clerici superpellicio induti magnopere expediret, siquidem hoc modo exerceretur officium clericorum, qui appellantur ostiarii. Cantores duo manebunt intra ecclesiam prope portam, ut cantent hymnum, de quo postea.

70. Processio dirigetur, quemadmodum dictum est superius, per plateam seu vias adiacentes. Si valde numerosus esset Clerus, curabitur ne processionis initium revertatur ad portam ecclesiae, donec non erit totaliter egressa.

71. Processio in reditu ordinabitur ante portam ecclesiae quo modo convenientius erit. Posset dividi Clerus in triplicem ordinem, quorum primum efficere possent clerici Seminarii, alterum ante clericos Beneficiarii seu Mansionarii, tertium ante eos Canonici; Episcopus autem subsistere posset in medio, facie versa ad ostium ecclesiae. Crux tamen consistet in limine ecclesiae et cantores prope limen.

72. Egressa ex ecclesia processione, ostium primarium

claudetur: signo deinde dato illuc rediisse Clerum, ac finito cantu antiphonarum, qui duo cantores restiterint intra ecclesiam, cantare incipient versiculum primum hymni *Gloria, laus et honor* etc. Cantores autem qui aderunt extra ecclesiam repetent eumdem versiculum *Gloria, laus* etc. Tum illi duo subiungent in cantu reliquos versiculos et Cantores extra post singulos versiculos repetent singulis vicibus primum versiculum *Gloria laus* etc. Cantatis versiculis omnibus, vel parte illorum « prout tempus et occasio postulabit » ut ait Caeremoniale Episcoporum lib. II. cap. XXI. num. 9. Subdiaconus extremitate hastae Crucis pulsabit portam, quae aperietur, et Subdiaconus gestans Crucem, Acolythi ac thuriferarius subito in ecclesiam intrabunt, qui si deberent ante Canonicos paratos incedere, subsistent a dextra portae in interiori parte ecclesiae, ut in ordinem rursus disponantur et ad Altare maius dirigatur processio.

73. Dum Processio erit extra ecclesiam, Celebrans cum Ministris paratis, comitantibus clericis duobus procedent ad Altare, et reverentia facta ad Crucem, sedebunt in scamno consueto, expectantes processionis reditum. Praedicti duo clerici statuent ante Altare faldistorium, in quo sedebit Episcopus.

74. In processionis ingressu in ecclesiam cantabitur a cantoribus antiphona *Ingrediente Domino* etc. In reditu ad chorum, unusquisque locum suum occupabit ac deponet palmam. Thuriferarius consistet prope abacum; Acolythi deponent ibi candelabra: Subdiaconus firmata Cruce in stylobata seu basi recedet in Sacrarium et exuet paramenta: ultimi duo Canonici ex ordine Diaconorum, subsistent a lateribus faldistorii, ut assistant Episcopo: clerici delecti assistendo Canonicis dum sacra paramenta dimittent, in promptu habebunt canonicalia insignia; deinde in Sacrarium reportabunt paramenta: Celebrans cum Ministris, adventante apud faldistorium Cruce processionali, caput bireto nudabunt, consurgent, et Episcopus quando aderit ante eos, dabit ipsis benedictionem, quam Celebrans excipiet stans, Ministri autem genuflectent, nisi fuerint Canonici.

75. Episcopus ante Altare progressus, profunda reveren-

tia salutabit Crucem, benedictionem dabit Celebranti et sedebit in faldistorio, versa facie ad Altare, expectans dum Canonici sacra indumenta dimittant, ut Missam exordiatur.

76. Quando Episcopus sedebit, secundus Diaconus palmam e sinistra Episcopi accipiet et cappellano eius tradet, ut superius. Diaconi assistentes recedent ad stallum suum ibique sacra indumenta dimittent; quod facient etiam ceteri Canonici, omnesque resument insignia canonicalia. Quatuor cappellani a mitra, baculo, libro et scotula recedent in Sacrarium ad pluvialia deponenda et redibunt ad Altare ut ibi adsint in principio Missae: cappellanus autem a mitra sibi imponet vimpam, seu velum ad mitram sustinendam.

77. Reversis ad Episcopum Diaconis duobus assistentibus discedent ex assistentia ultimi duo Diaconi et pergent ipsi quoque ad paramenta dimittenda sollicite; ne nimium expectet Episcopus.

78. Interea Celebrans ad Altare accedet ad Missam inchoandam, propter quam Episcopus assurget de faldistorio, proximabit ad gradus Altaris, nudabitur mitra a secundo Diacono assistente, et reverentia facta ad Crucem, exordietur Missam, cui respondebit Celebrans. Clerici duo removebunt faldistorium, in quo sederat Episcopus, et seorsim illud reponent.

79. Functio dirigetur eodem modo, quo descripta fuit cap. XIII. lib. V. cum sequentibus tamen exceptionibus.

80. In cantu Epistolae ad illa verba *Ut in nomine Iesu etc.* genuflectent omnes quo loco aderunt, capite nudato. Episcopus tantum genuflectet mitram in capite retinens, super gradum cathedrae in pulvino, quem apponet Caeremoniarius: Diaconi assistentes attollent fimbrias pluvialis, et genuflectentem sustentabunt.

81. Post Epistolam, Episcopus leget Epistolam, Graduale cum Tractu, *Munda cor meum* cum ultima parte Passionis, quae cantabitur a Diacono.

82. Tres Passionis cantores, quando cantabitur *Kyrie* in Missa aut paulo post, se paratum ibunt in Sacrarium: cum eis venient tres cappellani, qui sustinere librum debebunt. Adiuvantibus Cappellanis, induent amictum, albam, cingulum,

manipulum violaceum et stolam diaconalem coloris eiusdem. Cantor textus accipiet librum, quem sustinebit utraque manu ante pectus.

83. Quando cantabitur tractus post Epistolam, reverentia facta ad Crucem Sacrarii, procedent ad Altare hoc ordine.

84. Praeibit Caeremoniarius, tum cantor Textus, qui librum gestabit, ut supra dictum est, deinde Succentor sive, ut aiunt, cantor turbarum, postremo qui Christi personam agit. Sequentur eos tres cappellani iunctim incedentes.

85. In ingressu presbyterii caput nudabunt, et qui cantor portabit librum, medium locum occupabit, qui Christi personam agit, adstabit ei dextrorsum, qui turbarum, sinistrorsum: tres cappellani post eos adstabunt ad lineam. Conficient genuflexionem ad Altare, dein ad Episcopum ante thronum. Eodem ordine ascendent unus post alium ad Episcopum, cuius manum osculabuntur; rursus deinde coeuntes iterabunt ad Episcopum genuflexionem et venient ad locum, quo cantatur Evangelium.

86. Cantor textus stabit medius, a dextris eius qui Christi, a sinistris qui turbarum partes sustinet. Cappellani adversus cantores consistent quo modo solet Subdiaconus in cantu Evangelii.

87. Cantor textus librum aperiet ac tradet apertum cappellano suo, qui sustinebit medius inter alios duos; et sic deinceps reliqui duo librum alternatim sustinebunt.

88. Tractu absoluto, cantor incipiet canere Passionem. Statim assurgent omnes et palmam dextera sustinebunt. Episcopo mitram tollet secundus Diaconus assistens, primus autem porriget ei palmam.

89. Celebrans in latere Epistolae Passionem leget usque ad ultimam partem, et palma ei tradetur a Diacono. Caeremoniarius autem palmam dabit Diacono et Subdiacono.

90. Quum Celebrans legere Passionem desierit, convertetur ad Passionis praedictos cantores, et a sinistris eius in gradu superiori stabit Diaconus, et a sinistris Diaconi in gradu inferiori stabit Subdiaconus, uterque ad cantores praedictos conversi, ut Celebrans.

91. Ad illa verba *Emisit spiritum* omnes in genua procumbent suo quisque loco, et Episcopus geniculabit in gradulo cathedrae super pulvinum ibi appositum.

92. Assurgente deinde Episcopo, consurgent ceteri omnes et peragetur cantus Passionis, quo absoluto, claudetur liber et recipietur a cantore textus, eoque ordine quo confecerunt genuflexionem in accessu, genuflectent ad Episcopum, dein ad Altare, ac recepto bireto quo cooperient caput statim ac de presbyterio exierint, revertentur in Sacrarium, ubi sacra indumenta dimittent (a).

93. Absoluto cantu Passionis, Celebrans redibit ad medium Altaris, dicet *Munda cor meum* et in latere Evangelii partem ultimam Passionis leget e Missali illuc allato a Subdiacono. Interim Diaconus sibi imponet stolam latiorem, librum afferet ad Altare, eaque exsequetur, quae in Missis solemnibus, quibus assistit Episcopus, tradita sunt cap. XIII. libri V. excepto tantum, quod Acolythi candelabra deferre non debent.

94. Episcopus, post cantum Passionis, palmam suam dabit primo Diacono assistenti, sedebit et ab eodem primo Diacono reponetur ei mitra. Manum dabit osculandam Diacono, incensum imponet in thuribulum, benedictionem donabit Diacono, postea nudatus mitra assurget ad cantum Evangelii sive ultimam Passionis partem, in qua palmam manu dextera sustinebit.

95. Episcopus tantum, non vero quispiam alius, palmam recipiet a primo Diacono assistente, quum post *Sanctus* descenderit ad faldistorium, eamque sustinebit ad Elevationem solummodo.

(a) Quod spectat ad cantum Passionis, observentur adnotationes cap. XXII. lib. II. insertae.

CAPUT XII.

1. Primis tribus maioris Hebdomadae diebus nullus occurrit specialis ritus.

2. Si placebit Episcopo Missae solemni assistere, utetur cappa, officium enim est feriale.

3. Relate ad cantum Passionis in feria III et in IV eiusdem hebdomadae, sive adsit Episcopus, sive non, observanda sunt quae capitulis XXII et XXIII. lib. II. notata sunt.

DE MATUTINIS TENEBRARUM

CAPUT XIII.

Quae sint praeparanda.

1. Ad Altare SS. Sacramenti faldistorium, vel stratum cum pulvinis in genuflexorio, ut cap. IV. lib. V.

2. Sex in Altari cerei ardebunt tantum in accessu Episcopi ad Ecclesiam.

In Altari maiore.

3. Instruetur Altare tapeto violaceo super gradus, pallio violaceo, tobaleis et sex candelabris cum Cruce simili, velo violaceo convestita. Candelabra sunto ex aurichalco aut ex aere, non argento colorata, et in ipsis insistent candelae e cera communi.

4. Mensa contegetur velo violaceo aut alio simplici tegumento ut fieri solet quando Episcopus Vesperas solemnes cantat.

5. In latere Epistolae statuetur candelabrum triangulare, quod sustinebit quindecim candelas, omnes e cera communi, non excepta quae altius inter ceteras eminet in apice candelabri. Prope candelabrum istud aderit hasta cum extinctorio ad extinguendas candelas. Aderit insuper scabellum gradatum, quo commode possit ex apice ultima candela tolli, ut docebitur inferius.

6. Si Altare versum ad orientem esset, neque ullo modo posset abscondi lumen, ponetur ibi laterna. sive capsula lignea altitudinis proportionalis cum spina ferrea in parte interna pro candela affigenda.

7. Praeparabitur liber instructus veste violacea, ex quo Episcopus leget orationem *Respice* in fine officii, qui liber poni poterit in angulo Altaris.

8. Nullo opus est abaco.

9. Praeparabitur hasta cum extinctorio ad extinguendos cereos Altaris.

10. Ante Altare statuetur faldistorium cum pulvinis violaceis in quo genuflectet Episcopus.

11. Legile cum breviario formae grandioris et liber lamentationum cum notis musicis.

12. Thronus habebit baldachinum, lodicem et vestem cathedrae coloris violacei. Gradus etiam illius sternentur tapeto violaceo.

13. Apud balaustrium sive tribunam ponentur candelabra cum intorticiis aut cereis e cera communi, numero sex.

14. In Sacristia praeparabitur vasculum aquae sanctae cum aspersorio in Episcopi ingressu adhibendum.

In functione

15. Una aut pluribus vicibus pro consuetudine cuiusque loci pulsabuntur festivo more campanae et ad horam praestitutam recitabitur in choro Completorium, quo absoluto, sono campanulae Sacrarii signum dabitur Canonicis adesse tempus associandi Episcopum.

16. Hoc tempore accendentur cerei in Altari, funalia ad tribunam et quindecim candelae in candelabro triangulari.

17. In accessu Episcopi ad ecclesiam sonabunt tantum campanae festivo more.

18. Episcopus in ingressu ecclesiae, hac die asperget se ipsum et adstantes. Si fuerit Metropolitanus, non deferetur ante ipsum Crux Archiepiscopalis.

19. Postquam Episcopus aqua benedicta asperserit adstantes, Caeremoniarius expediet ei caputium cappae, et ipso Episcopi caput cooperiet.

20. Adorabit SS. Sacramentum, detracto sibi de capite caputio, postea procedet ad Altare maius. Ibi caput nudabit caputio, geniculabit in faldistorio, dicet orationem *Aperi Domine* etc. tum assurgens, salutabit Crucem, caput rursus operiet caputio et ascendet in thronum, radente humum syrma, seu posteriori extremitate cappae, quam eatenus sustinuerit caudatarius.

21. Conscenso throno, sedebit neque adstabit ei Canonicus ullus assistens. Aderit tamen a latere Caeremoniarius et poterunt adesse etiam quatuor cappellani ante thronum superpellicio induti, qui cum tempus erit, in gradibus throni sedebunt.

22. Quum Episcopus in thronum ascenderit, sedebunt omnes et clerici duo de medio presbyterio amovebunt faldistorium Episcopi et statuent ibidem legile cum Breviario pro lectionibus cantandis.

23. Episcopus, postquam sederit brevi tempore, se nudabit caputio, assurget cumque ipso totus chorus, et recitabit totum secreto *Pater noster*, *Ave Maria* et *Credo* quibus recitatis, Caeremoniarius innuet cantoribus ut incipiant antiphonam, quae ab ipsis intonabitur et cantabitur. Cantata antiphona prima, intonabitur psalmus ab eisdem apud legile, quin duo cantores procedant in medium ante Altare.

24. Completa antiphona, Episcopus sedebit et caput cooperiet caputio, omnesque considebunt. Episcopus cappa utetur ex toto explicata.

25. Psalmus continuabitur a parte illa in qua aderit hebdomadarius, ideoque ad confusionem vitandam, designabitur Caeremoniarius unus, qui ad intonationem cuiusque psalmi se

inclinabit versus illam partem, ad quam prosequi cantum psalmi pertinebit.

26. In psalmorum fine, eo quod careant *Gloria Patri*, fiet quaedam inflexio vocis per hemitonium vel producendo aut duplicando notam in tertia ultima syllaba ultimi verbi psalmi, ut assolet in Sacello Pontificio.

27. In fine singulorum psalmorum extinguetur in candelabro triangulari candela una, initium autem sumetur in extremitate versus cornu Evangelii, deinde ex altera extremitate versus latus Epistolae, atque ita alternatim extinguentur deinceps.

28. Post versiculum ante lectiones primi nocturni assurgent Chorus et Episcopus, qui caput nudabit caputio et recitabit totum secreto *Pater noster*.

29. Interim a Caeremoniario invitabitur qui cantare primam lectionem aut lamentationem debebit; hic de suo loco descendet et reverentia vel genuflexione facta ad Crucem, dein ad Episcopum, consistet ante legile, manus illi imponens.

30. Recitato *Pater noster*, Episcopus sedebit et caputio cooperiet caput. Chorus etiam sedebit. Cantor, nullam petens benedictionem nec reverentiam aliam faciens, incipiet lamentationem primam cantare, qua finita, factis ad Altare et ad Episcopum reverentiis vel genuflexionibus, ad locum suum se recipiet.

31. Cantores primum responsorium cantabunt, sub cuius finem invitabitur qui secundam cantare lamentationem debebit, idemque observabitur usquequaque in tertia lamentatione et reliquis sex lectionibus.

32. Post cantum tertii responsorii, cantores iidem intonabunt primam antiphonam secundi nocturni, sedentibus omnibus, atque ita deinceps etiam ad Laudes, in quarum intonatione nemo assurget, quum debeat tantum consurgere chorus in recitatione *Pater noster* ante lectiones.

33. Circa finem Laudum tolletur de medio choro legile cum Breviario, adhibitum in lectionibus et reponetur faldistorium cum pulvinis pro Episcopo.

34. Repetita quinta antiphona psalmorum in Laudibus,

cantabitur versiculus, ad quem nemo assurget. Postea cantores iidem intonabunt et cantare prosequentur antiphonam, quae praecedit *Benedictus*.

35. Quando a cantoribus intonabitur *Benedictus*, consurgent omnes et Episcopus caput etiam nudabit caputio. Clericus designatus extinguendis Altaris cereis, incipiet eos extinguere ad versiculos *Ut sine timore* et sic deinceps singulas singulis versiculis. Extinguetur primum ultima quae magis abest a Cruce in latere Evangelii, deinde altera in latere Epistolae itemque alternatim. Extinguentur etiam hoc tempore ab alio clerico intorticia sive cerei qui ardebunt in candelabris maioribus tribunae; aderunt et alii clerici qui extinguent per ecclesiam lumina omnia, etiam lampades, exceptis tantum quae ardebunt ante SS. Sacramentum.

36. Notandum autem, quod extinctis hoc vespere lampadibus et luminibus universis, nulla amplius accendentur usque ad Sabbatum sanctum, ut docebitur inferius.

37. Dum a cantoribus repetetur antiphona post *Benedictus*, unus e clericis designatis tollet e candelabro triangulari unicam candelam ibi adhuc ardentem in summitate eamque elatam sustinebit in cornu epistolae Altaris: absoluto autem cantu praedictae antiphonae, candelam adhuc ardentem abscondet post Altare vel in laterna statim ac incipietur cantus antiphonae *Christus factus est* etc.

38. Dum cantabitur antiphona post *Benedictus*, Episcopus de throno descendet, quin caudatarius sustineat eius extremitatem posteriorem cappae et procedet ad faldistorium. Ibi autem, quando incipietur antiphona *Christus* etc. caput nudabit caputio et geniculabit in faldistorio. Totus pariter chorus procumbet in genua. Post antiphonam recitabitur secreto *Pater noster*, deinde recitabitur psalmus *Miserere*, sub cuius finem unus ex cappellanis librum accipiet de Altari et praesentabit Episcopo, qui genuflexus recitabit orationem *Respice* etc. conclusionem dicens secreto.

39. Absoluta oratione, et signo dato a Caeremoniario, omnes qui aderunt in choro, manu pulsabunt scamnum, quoad clericus, qui candelam absconderat, rursus eam ostendat, statimque abrumpetur strepitus omnis.

40. Episcopus assurget ac salutata Altaris Cruce, reponet capiti caputium et transibit ad Altare SS. Sacramenti, quod adorabit ut in accessu, et ad Episcopium associabitur. In Episcopi de ecclesia recessu campanae festive pulsabuntur.

DE FERIA V. IN COENA DOMINI CELEBRANTE EPISCOPO

CAPUT XIV.

De rebus praeparandis.
In Altari SS. Sacramenti.

1. Altare, in quo asservatur SS. Sacramentum, ornabitur candelabris ceterisque ornamentis usitatis. Pallium et conopoeum in tabernaculo erunt coloris violacei, utpote respondentis officio.

2. Mane eius diei et usque ad consummationem Missae cantatae, licebit ministrare fidelibus SS. Eucharistiam, praesertim in satisfactionem praecepti paschalis.

3. Lampades, ut praecedenti capite innuimus, ardebunt in isto Altari tantum et immediate extinguentur quum inde remotum fuerit SS. Sacramentum.

4. Ante Altare praedictum praeparabitur faldistorium cum pulvinis e panno violaceo, vel genuflexorium cum strato et pulvinis, ut cap. IV. lib. V. quod tamen amovebitur postquam Episcopus ibi oraverit in accessu ad ecclesiam.

In Secretario seu Sacello,
in quo se parabit Episcopus.

5. Altare instruetur pallio violaceo ac tapeto simili in gradibus, sex candelabris argenteis cum cereis albis, et Cruce simili velo violaceo convestita. Super mensam Altaris dispo-

nentur paramenta albi coloris pro Episcopo, videlicet planeta, chirothecae in lance, dalmatica, tunicella, stola, Crux pectoralis, cingulum, alba et amictus. Paramenta praedicta contegentur velo coloris violacei. In latere Evangelii aderit mitra pretiosa. Sin autem esset Metropolita, cum reliquis paramentis praeparabitur etiam S. Pallium in lance coopertum velo albi coloris, altera insuper lanx cum spinulis tribus.

6. Prope Altare ponetur baculus pastoralis.

7. Ante Altare statuetur faldistorium cum pulvinis violaceis, in quo geniculabit suo tempore Episcopus.

8. Super abacum albo mantili contectum, disponentur caligae cum sandaliis albi coloris, quae cooperientur velis coloris violacei, scotula, Canon pontificalis, Breviarium formae grandioris vel liber alius pro oratione *Respice* etc. ab Episcopo recitanda: urceus cum pelvi et duo mantilia in lance: velum humerale violaceum simplex, si lotio ministrabitur a Magistratu: manipuli albi coloris pro Diacono et Subdiacono: Evangeliarium veste albi coloris instructum cum manipulo Episcopi: thuribulum cum navicula: candelabra cum cereis pro Acolythis.

9. Apud abacum vel in latere Evangelii aderit Crux processionalis, contecta velo violaceo, imposita basi: quod si Celebrans esset Archiepiscopus, praeparabitur basis tantummodo.

10. Thronus Episcopi convestietur baldachino et reliquis ornamentis violacei coloris et super gradus tapeto etiam violaceo.

11. Prope ingressum Sacelli ipsius statuentur scamna stragulo decenti cooperta pro Presbyteris, Diaconis et Subdiaconis benedictioni et consecrationi Oleorum sanctorum assistentibus.

In Sacristia
sive in aula Secretario contigua.

12. Disponentur paramenta albi coloris pro Dignitatibus et Canonicis, videlicet pluvialia pro Dignitatibus, planetae pro Canonicis ex ordine Presbyterorum, dalmaticae pro Canonicis ex

ordine Diaconorum ac tunicellae pro Canonicis ex ordine Subdiaconorum; singulis autem paramentis suus erit amictus.

13. Ibi quoque aderunt paramenta albi coloris pro sacris Ministris, quae sunt dalmatica ac tunicella, stola, bina cingula, binae albae et bini amictus. Ponetur insuper pluviale album pro Presbytero assistente.

14. In eadem aula vel in Sacristia communi praeparabitur amictus, alba, cingulum ac tunicella pro Subdiacono Crucem processionalem gestaturo: pluvialia quatuor albi coloris pro Cappellanis a mitra, a baculo, a libro et scotula. Alia insuper pluvialia octo coloris eiusdem pro Mansionariis seu Beneficiariis, quorum officium deferre baldachinum in Processionem. Paramenta vero pro Presbyteris, Diaconis et Subdiaconis assistentibus Oleorum sanctorum consecrationi praeparentur in Sacristia communi vel alio apposito convenienti loco, ad confusionem vitandam.

In Sacrario.

15. Vasculum aquae sanctae et aspersorium utendum in ingressu Episcopi ad ecclesiam.

16. Numero sufficienti superpellicia pro clericis inservientibus.

17. Paramenta albi coloris pro assistentibus sacrorum Oleorum benedictioni, videlicet planetae duodecim, dalmaticae ac tunicellae septem, stolae novendecim, sex et viginti manipuli totidemque cingula, albae et amictus cum biretis eodem numero.

18. Super Altare Sacrarii, quod cooperietur alba tobalea, praeparentur tres ampullae plenae olei de olivo electi et limpidi. Ampulla sacri Chrismatis esto amplior cum tegumento albi coloris, altera Olei Cathecumenorum cum tegumento viridi, tertia Olei infirmorum cum tegumento violaceo. Praeparabitur etiam patera cum balsamo. Ut ampullae, ita patera suum habebit operculum. Aderunt etiam duo mappae oblongae, lineae ferme similes vimpae seu velo mitrae, adhibendae in deferendis ampullis praedictis.

19. Praeterea praeparabitur unum vel plura Pontificalia pro cantoribus, qui cantare hymnum debebunt dum Olea supradicta deferentur.

20. Aequum esset ut arderent duo quatuorve cerei post benedictionem seu consecrationem, respectu habito Oleis consecratis.

In Altari maiore et Presbyterio.

21. Altare ornabitur festive, nempe candelabris nobilibus septem numero cum cereis albis, et Cruce simili contecta velo albi coloris, ante septimum candelabrum: tobaleis: pallio albo ac tapeto quod omnes gradus cooperiat. Tali autem modo pallium et tobaleae apponantur, ut facile inde tolli possint in altarium denudatione. Pallio albo superponetur violaceum, itemque velo albo Crucis superponetur velum violaceum, amovendum post recitatas Horas minores.

22. Ex parte Epistolae aderit scamnum consuetum pro Ministris, stragulo laneo coopertum.

23. Prope latus Evangelii statuetur basis seu stylobata pro Cruce processionali aut archiepiscopali.

24. Seorsim ponetur faldistorium cum pulvinis violaceis, quo utetur Episcopus genuflectens in fine Vesperarum.

In abaco.

25. Super abacum contectum albo mantili disponentur Missale cum veste albi coloris, in usum Episcopi; scotula; Epistolarium, cum veste, ut supra; legile seu cussinus pro Missali; velum humerale phrygiatum albi coloris pro Subdiacono; calix utendus in Missa cum purificatoriis duobus, patena cum hostiis tribus, palla, corporale intra bursam et velum calicis: alter calix maior, cum patena et palla, cum velo albo sericeo et taenia sericea pariter alba ad ligandum velum praedictum. Magnopere deceret, ut calix ille forma esset grandiori, quam alii et haberet cochleare, nempe patenam eiusdem magnitudinis ac hostiae, cum labro in gyro et manubrio quo accipiatur, ut mos est in Sacello pontificio, eoque modo de-

clinaretur periculum frangendi Hostiam, quum extrahenda erit de calice, et fragmenta poterunt colligi facilius. Tertius etiam calix opus est cum purificatorio, quo utetur Episcopus ante sacrorum Oleorum consecrationem: pyxis cum particulis, instructa operculo et veste etiam albi coloris, si transferenda erit: ampullae vini et aquae in pelvicula et patera praegustationis: gremiale album acu pictum et aequale paramentis pro Episcopo: urceus cum pelvi et duo mantilia in lance: velum humerale album simplex pro lotione, si ministrabitur a Magistratu: vasa vitrea cum vino et aqua ac mappulae pro purificatione illorum qui S. Eucharistiam excipient: octo decemve stolae albae in usum Presbyterorum qui de sacra mensa participabunt: mappa linea, opere textili cum laciniis, utenda in Communione: Rituale in usum Diaconi pro cantando *Confiteor*: pluviale album coloris eiusdem, et formale pretiosum pro Episcopo in fine Missae; mitra auriphrygiata: Canon pontificalis: pars tertia Pontificalis Romani cum veste alba pro sanctis Oleis consecrandis: pelvicula et cochleare maius ad miscendum balsamum in lance aut pelvicula: alterum thuribulum cum navicula: intorticia pro Elevatione: Breviarium pro recitando psalmo *Deus, Deus meus respice in me* in denudatione Altarium et pro oratione *Respice* dicenda in Vesperarum fine: pulvinus albi coloris in usum Episcopi, quando geniculabit in infimo gradu.

26. Prope abacum praeparabitur baldachinum albi coloris hastile pro processione. Praeparabitur etiam umbella, quae adhibebitur dum SS. Sacramentum ad Sacrarium deferetur.

27. Non longe ab eodem abaco una pluresve capsae decentes, quae contineant intorticia et candelas in processionem gestandas. Aderit intorticium distinctum pro Episcopo.

28. Thronus cooperietur baldachino et lodicibus albis, ita tamen appositis ut facile amoveri possint in Altaris denudatione. Aderunt tria scabella pro Assistentibus et pulvinus albi coloris in quo genuflectet Episcopus. Gradus throni sternentur amplo tapeto, itemque pavimentum presbyterii.

29. Praeparabitur mensa maior in totum cooperta alba tobalea, ponenda in medio presbyterio: faldistorium cum vestibus albis: scabella tria aequalia scabellis throni.

30. Prope aditum presbyterii vel ex alia parte, secundum dispositiones locorum, ponentur scamna panno viridi convestita pro Presbyteris Diaconis et Subdiaconis.

31. Ad cancellos tribunae seu ad balaustrium disponentur sex vel octo candelabra cum cereis vel intorticiis et super balaustrium ponentur tobaleae pro Communione.

32. Extra presbyterium ante balaustrium statuetur scamnum distinctum pro tredecim pauperibus, quorum abluentur pedes.

Ad Sacellum
in quo exponetur SS. Sacramentum.

33. Altare parabitur omni magnificentia, multis luminibus e cera alba, floribus etc. et sublimis supra Altare aderit urna seu capsula, in qua condetur SS. Sacramentum et in intima eius parte ponetur corporale extensum. Pallium erit album; Sacellum autem in parietibus convestietur paratibus nobilibus, exceptis tamen figuris sive imaginibus, quae Passionem repraesentent, neque admittuntur vela violacea multoque minus nigri colori ad ornamentum. Ardebunt in Sacello isto, quum expositum aderit SS. Sacramentum, sex saltem cerei (*a*).

34. In infimo gradu Altaris praeparabitur pulvinus albus et aderit etiam scabellum gradatum ad conscendendum Altare.

35. Scamna sine postergali cooperta viridi tapeto ibi quoque ponentur, apud quae geniculabunt Canonici.

36. Aderunt Canon pontificalis pro benedictione, scotula cum candela et liber seu tabella cum formula pro Indulgentiis publicandis.

37. Seorsim statuetur faldistorium cum duobus tantum pulvinis e panno violaceo pro Episcopo, qui post functionem ibi orabit.

Pro Mandato peragendo.

38. Instruetur aula quaedam in Episcopio aut prope ecclesiam, sed quae prorsus ab ecclesia seiuncta sit, ut vitentur irreverentiae et confusio.

(*a*) Observetur adnotatio subiecta num. 6. cap. XXV. lib. II.

39. In capite aulae nobiliter exornatae praeparabitur thronus cum baldachino, lodice et stragulo cathedrae coloris violacei: tapeto etiam violaceo sternentur throni gradus.

40. A lateribus throni duo longa sedilia ponentur cum pannis violaceis vel alius materiae fusci coloris pro Canonicis.

41. A dextris throni post scamna Canonicorum statuetur scamnum altius aliis coopertum tapeto viridi, in quo sedebunt pauperes, quorum abluentur pedes. Altus erit eius gradus in commodum Episcopi; sub eodem scamno erit quoddam forum, unde possit effundi aqua.

42. Contra idem scamnum ponetur abacus maior albo mantili contectus, in quo aderunt duo candelabra cum cereis; formale simplex, pluviale violaceum, stola violacea, Crux pectoralis, cingulum, alba et amictus, quae velo violaceo contegentur. Mitra auriphrygiata; Evangeliarium cum veste albi coloris; scotula cum candela; Missale cum veste violacea pro Episcopo; thuribulum cum navicula; manipuli albi pro Diacono et Subdiacono: urceus cum pelvi, mantilia duo in lance, medulla panis et mali medici in lance altera pro Episcopo: urcei plures cum aqua calida et frigida, ac duo pluresve urcei grandiores pro abluendis pauperum pedibus: tredecim mantilia maiora in pelvi aut in canistro ad abstergendos eorumdem pedes, bursa sericea violacea cum eleemosynis eis distribuendis, ita tamen ut singulae eleemosynae sint divisae et schedulis inclusae.

43. Baculus pastoralis ponetur prope abacum. Praeterea si Celebrans erit Archiepiscopus, praeparabitur basis pro Cruce Archiepiscopali prope legile, quod adhibebitur in cantu Evangelii. Iuxta abacum ponentur scabella duo, queis utentur Ministri, cum tempus erit sedendi.

44. Legile cum veste albi coloris pro cantando Evangelio ita ponetur a sinistris throni, ut Diaconus quando Evangelium cantabit, stet facie versa ad pauperes, et eadem ex parte prope murum aderit alterum legile nudum cum libro chorali in usum cantorum pro antiphonis cantandis.

45. Ad haec fiet septum aliquod circa thronum et scamna descripta, ut impediatur quominus urgeat populi frequentia.

46. In aliqua cella aulae contigua, super abacum disponentur dalmatica cum stola ac tunicella albi coloris, bina cingula, binae albae binique amictus pro Ministris et superpellicia pro inservientibus.

47. Aderit etiam focus cum igne pro thuribulo (a).

In functione.

48. Ante functionem pulsabuntur campanae festivo more semel aut pluries et hora praestituta sed multo mane recitabuntur a Clero Horae minores, videlicet Prima, Tertia et Sexta, submissa voce et ritu praescripto in Breviario Romano ad rubricam peculiarem huius diei. Super Altare ardebunt cerei pro recitatione Horarum earundem.

49. Recitatis Horis minoribus praedictis, tolletur pallium violaceum et velum violaceum de Cruce Altaris maioris et in ipso accendetur septimus cereus; accendentur etiam cerei in fanalibus, in Altari Secretarii et in abaco. Sonabitur campanula Sacrarii et Canonici cum Capitulo proficiscentur ad associandum Episcopum, ut cap. IV. lib. V.

50. Hoc tempore unus e Caeremoniariis curabit ut sacris vestibus descriptis parentur duodecim Presbyteri, septem Diaconi septemque Subdiaconi, qui expectabunt in Sacrario, dum innuetur ipsis ut incedant ad Secretarium: itemque se parabunt pluviali albo quatuor Cappellani a mitra, a baculo, a libro et scotula, et Subdiaconus qui Crucem processionalem gestaturus erit.

51. Ingrediente in ecclesiam Episcopo, non sonabitur organis, sed tantum campanis festivo more. Episcopus in limen ecclesiae quum venerit, accipiet aspersorium, signabit seipsum deinde asperget adstantes. Caput cooperiet caputio cappae et procedet ad Altare SS. Sacramenti. Si fuerit Metropolitanus, praeferetur ante eum Crux archiepiscopalis. Ante Altare SS. Sacramenti, caputio sibi de capite detracto,

(a) Ritum pro reconciliatione poenitentium, eo quod antiquatus sit omittendum censuimus.

orabit: deinde assurget atque iterata genuflexione, caput sibi rursus cooperiet caputio, procedet ad Sacellum Secretarii.

52. Providebitur, ne ministretur S. Communio apud praedictum Altare SS. Sacramenti, quo tempore ibi orabit Episcopus, ne plus aequo detineatur in adoratione, quum satis prolixae sint huius diei functiones.

53. Veniens Episcopus in Sacellum Secretarii, caput nudabit caputio et reverentia facta ad Crucem, geniculabit in faldistorio ibique manebit donec locum occupaverint apud scamna seu in stallis Canonici et reliqui de Clero. Innuente Caeremoniario, assurget atque iterata reverentia ad Crucem impositoque capiti rursus caputio, conscendet thronum, ubi sedebit, nullis Diaconis assistentibus.

54. Brevi interposita mora, caput deteget conversusque ad Altare recitabit *Pater noster* et *Ave Maria* secreto in totum. Hisce absolutis, Caeremoniarius innuet cuidam cantorum, qui aderunt prope aditum chori ex parte adversa Episcopi throno, et ille submissa voce ac sine cantu intonabit psalmum Nonae *Mirabilia testimonia tua*, qui cum sequentibus duobus recitabitur alternatim et cum pausa multa a choro. Episcopus sedebit et caputio cappae cooperiet caput.

55. Statim ac sederit, se sistent ei clerici aut cappellani duo, superpellicio induti, cum Canone et scotula, atque Episcopus leget psalmos et preces pro Missae praeparatione, advertens omittere *Gloria Patri* in fine psalmorum (*a*) et recitabit etiam orationes designatas ad paramenta.

56. Cappellanus unus indutus superpellicio, accipiet sandalia cum caligis albis, quae contegentur velis coloris violacei, et comitantibus aliis quatuor aut sex clericis indutis su-

(*a*) Caeremoniale Episcoporum lib. II. cap. XXIII. num. 4. praescribit Episcopo haec « dum dicetur Nona, capiet sandalia, leget psalmos » sine *Gloria Patri* et in fine cum dicitur a choro *Christus factus est*, genufle» ctet ante Altare » Ut decenter autem peragatur lectio psalmorum, fieri non potest, ut recitentur quo tempore recitantur tres Nonae psalmi; quapropter aut repetendi pluries erunt ii Nonae psalmi, aut posset Episcopus privatim recitare psalmos praedictos in praeparatione, et dum ponentur ei caligae, posset legere orationes tantum ad paramenta praescriptas.

perpellicio, sequente Episcopi cubiculario, afferet illa ad thronum et ponet Episcopo, quemadmodum descriptum fuit in Missa pontificali cap. IX. lib. V. Curabitur autem, ut vela supradicta et pelvis ferantur deinde ad abacum Altaris maioris, pro recipiendis sandaliis post Missam, de quo inferius.

57. Quum Episcopus legere desierit psalmos et orationes, ut supra, finis imponetur recitationi psalmorum Nonae; Episcopus assurget et de capite sibi detracto caputio cappae, quam humi tractabit; procedet ad faldistorium positum ante Altare, geniculabit, recitabit antiphonam *Christus factus est*, *Pater noster* secreto et *Miserere* submissa voce, cuius in fine a cappellano praesentabitur ei liber cum oratione *Respice quaesumus Domine* etc. et Episcopus genuflexus et submissa voce leget e libro orationem praedictam, prosequens tacite conclusionem *Qui tecum vivit* etc.

58. Dum ad recitandum *Miserere* descendet de throno Episcopus, Presbyter assistens ac duo Diaconi assistentes discedent de loco suo et ibunt in Sacrarium seu cubiculum, ubi praeparata erunt paramenta et sibi induent dalmaticas albi coloris ut praesto sint ad assistentiam Episcopi.

59. Si Magistratus ministrabit lotionem, unus ex ipsis invitabitur ad abacum, ubi geniculabit dum dicetur *Miserere*, ut in promptu postea sit ad lotionem ministrandam.

60. Sub finem eiusdem *Miserere* efficietur, ut exeant e Sacrario Ministri Altaris, Cappellani, duodecim Presbyteri, septem Diaconi, septem Subdiaconi et Subdiaconus a Cruce; curabitur etiam, ut adsint in Secretario quo ipso momento absolvatur recitatio Nonae, et unusquisque occupabit locum qui tribuetur ei.

61. Completa antedicta oratione, Episcopus iterata reverentia ad Crucem Altaris, non cooperiens caput caputio, redibit in thronum; tum vero de Secretario discedent Canonici omnes ad sibi induenda paramenta albi coloris.

62. Statim ad thronum pergent Diaconi assistentes iam parati et Presbyter assistens locum occupabit in primo stallo prope thronum, ut in promptu sit ad ministrandum mantile Episcopo. Clericis distribuentur paramenta Episcopi.

63. Cum prope erit, ut compleatur paramentorum distributio, Episcopus, adiuvantibus Diaconis assistentibus et cubiculario, qui adstabit secundo Diacono assistenti, cappam dimittet, deinde lavabit manus et induet paramenta quo modo descriptum fuit cap. IX. libri V.

64. Quum Canonici sacra paramenta sibi induerint, redibunt bini, praecedentibus senioribus, in Secretarium et reverentia facta ad Altare et ad Episcopum, consistent in circulo ante Episcopum dum ipse sacris vestibus induetur.

65. Si Celebrans erit Archiepiscopus, utetur S. Pallio.

66. Posteaquam Episcopus sacris paramentis indutus incensum in thuribulum demiserit, salutaverit Crucem processionalem et peregerit illa omnia, quae capite citato de Missa pontificali descripta sunt, procedet ad Altare, non sonantibus organis.

67. In processione a Secretario ad Altare maius ordo sequens tenebitur. Praeibunt clavigeri, seu claviger ecclesiae si aderit. Thuriferarius cum thuribulo. Subdiaconus tunicella paratus, gestans Crucem velo violaceo convestitam, medius inter duos Acolythos cum candelabris, ardentibus candelis. Clerici Seminarii bini. Beneficiarii seu Mansionarii, pariter bini. Septem Subdiaconi parati, bini, ac terni ultimo loco. Septem Diaconi pariter ut Subdiaconi praedicti. Duodecim Presbyteri parati, bini et ipsi. Canonici Subdiaconi parati tunicellis. Canonici Diaconi parati dalmaticis. Canonici Presbyteri planetis parati. Dignitates, induti pluvialibus. Incedent omnes bini; si tamen dispar numerus in aliquo coetu ex supradictis esset, ultimo loco incedent terni, ut supra de Subdiaconis paratis. Subdiaconus, qui sustinebit Evangeliarium cum manipulo Episcopi. Diaconus a sinistris Presbyteri assistentis. Episcopus medius inter Diaconos assistentes. Caudatarius sustentans partem extremam posteriorem vestis Episcopalis. Cappellani a mitra et baculo. Reliqui duo a libro et scotula. Si Celebrans erit Archiepiscopus, deferetur Crux post Beneficiarios, nempe ante Clerum paratum, imagine Crucifixi ad Archiepiscopum conversa.

68. Procedetur ad Altare maius, ubi locum occupabunt quisque sibi attributum, quod curabit Caeremoniarius, prae-

sertim relate ad duodecim Presbyteros, septem Diaconos septemque Subdiaconos. Hoc tractandum erit secundum capacitatem et amplitudinem presbyterii, observando quoad fieri possit, locorum dispositionem, indicatam a Pontificali Romano in rubrica huius functionis.

69. Missa cantabitur, ut praescriptum est in supra citato capitulo, notando quod in Confessione omittitur psalmus *Iudica me Deus* et sonatur organis unice ad intonationem et in cantu hymni *Gloria in excelsis*, in cuius intonatione pulsabuntur festivo more omnia sacra aera turris et campanulae internae in ecclesia, et sonus sive organorum sive campanarum cessabit prorsus usque ad intonationem eiusdem hymni in Missa Sabbati sancti.

70. Quum Episcopus legerit Offertorium, dum peragentur actiones descriptae num. 109 et seqq. cap. IX. lib. V. Subdiaconus perget statim ad abacum et sumpto velo humerali, deferet super Altare pixidem cum particulis consecrandis, a qua amotum fuerit velum seu vestis alba, eamque collocabit ex parte Epistolae. Tum redibit ad abacum accipiet calicem cum patena ac tribus hostiis maioribus eumque afferet ad Altare ritu ibidem descripto. Ponet calicem super Altare et immediate pixidem cum particulis Diacono tradet. Diaconus eam deteget ac ponet supra corporale versus sinistram Episcopi. Postea Diaconus idem iubebit fieri praegustationem hostiae et vini et patenam tradet Episcopo cum hostiis duobus maioribus. Post Offertorium Diaconus pixidem cooperiet eamque ponet in parte posteriori super corporale, ne impediat incensationem oblatorum, et Episcopus ponet hostiam pro Missa in medio, alteram, adhibendam in expositione, ponet super corporale a dextris suis, aliquantulum versus locum calicis. Diaconus animadvertet contegere purificatorio patenam, quae aderit a dextris sub corporali, ut in Missis lectis.

71. Deinde peragetur Sacrum ordine consueto, notando tamen, quod Subdiaconus postquam infuderit aquam in calicem, redeat ad abacum ibique dimisso velo humerali, vadat ante Altare, in medium infimi gradus, siquidem in hac Missa propter Oleorum consecrationem, non sustinetur pa-

tena, ut in aliis Missis solemnibus. Attamen idem Subdiaconus ascendet in suppedaneum, dum Episcopus iniiciet incensum in thuribulum, et accedet ad sinistram eius, attollens una cum Diacono illius planetam in thurificatione Altaris.

72. Postquam Episcopus a Diacono thurificatus erit, Subdiaconus ad locum suum redibit ibique manebit usque ad *Sanctus*, tunc enim ad Altare ascendet recitaturus Trisagium cum Episcopo.

73. Quum Episcopus ascenderit ad Altare, ponetur in medio presbyterio mensa contecta albo mantili, faldistorium cum veste alba pro Episcopo, impositum suppedaneo cooperto tapeto, duo scabella a lateribus faldistorii pro Ministris et alterum scabellum pro Presbytero assistente a latere tabulae seu mensae a dextris Episcopi. Faldistorium statuetur tali modo, ut Episcopus quum sederit, spectet altare. Super eamdem mensam in maius commodum Episcopi ponetur legile seu cussinus cum Pontificali, quod aderit a sinistris eius. Quod si mensa illa non impediret caeremonias actionesque missales, poterit collocari ante functionem. Super mensam eamdem poni poterit lanx quaedam, in qua ponentur opercula ampullarum, ne inquinent tobaleam.

74. Clerici cum intorticiis ad Elevationem locum sument a lateribus Altaris, non vero in medio presbyterio, ne impediant transitum Episcopi, quando descendet de Altari ad Olea consecranda. Possent iidem clerici descendere etiam post Elevationem et redire post consecrationem Olei sancti pro infirmis, ante Communionem.

75. Subdiaconus thurificabit SS. Sacramentum in Elevatione, ideoque ad illa verba *Quam oblationem*, discedet de medio Altaris et perget in latus Epistolae, ubi recipiet thuribulum, in quo positum iam erit incensum.

76. Diaconus ad praedicta verba pixidem deteget et admovebit ad Episcopum, ac post elevationem Hostiae et genuflexionem, rursus eam cooperiet et ponet loco suo, idque faciet priusquam detegat Calicem palla.

77. Post Elevationem a Caeremoniario afferetur ad Altare calix alter cum purificatorio et ab Acolytho uno ampulla

vini in pelvicula. Subdiaconus ad Altare ascendet ad dexteram Diaconi. Episcopus postquam pronunciaverit illa verba *sed venias, quaesumus, largitor, admitte. Per Christum Dominum nostrum*, genuflectet cum Ministris et transibit in latus Epistolae, non tamen descendens de suppedaneo. Ibi Diaconus sustinebit calicem et Subdiaconus accipiet ampullam vini. Episcopus digitos ponet super calicem, Subdiaconus effundet vinum ad illos purificandos et Diaconus supponet purificatorium ad abstergendos. Calix ille contegetur eodem purificatorio et relinquetur super Altare in latere Epistolae versus candelabra, eo quod sumere illum debeat Episcopus post Communionem.

78. Interea praesto erunt Cappellani cum mitra et baculo, ac reliqui duo Cappellani a libro et scotula procedent ad mensam in medio presbyterio iam collocatam, alter secum afferens scotulam, alter librum pontificalem sustenturus ante Episcopum, quando opus erit.

79. Presbyteri, Diaconi et Subdiaconi consecrationi Oleorum sacrorum assistentes, non discedent de locis suis.

80. Postquam Episcopus digitos, ut supra, purificaverit, redibit in medium suppedaneum et genuflexionem una cum Ministris iterabit ad SS. Sacramentum, quod aderit in Altari. Descendet deinde de suppedaneo, et in primo Altaris gradu reponetur ei mitra auriphrygiata a Diacono et baculum pastoralem sinistra accipiet,

81. Quin benedictionem donet Canonicis, quod ibi aderit SS. Sacramentum, adstante Diacono a dextris eius, a sinistris Subdiacono, praeeunte Presbytero assistente, descendet ad faldistorium, quod ante mensam supradictam praeparatum erit, ibique sedebit versa facie ad Altare. Quum sederit, baculum dimittet: a dextris eius sedebit Diaconus, a sinistris Subdiaconus et a latere dextro mensae Presbyter assistens, qui sedebunt in scabellis praeparatis.

82. Diaconi assistentes, qui aderant ante Altare, genuflectente Episcopo, genuflectent et ipsi, deinde recedent in unum Altaris latus, siquidem ab officio suo prorsus vacant in functione ista.

83. Tunc Archidiaconus, qui hac die fungetur officio Presby-

teri assistentis, assurget ac facta reverentia ad Episcopum, paullulum conversus ad Subdiaconos assistentes, elata voce ac tono lectionis dicet *Oleum infirmorum*, quo dicto rursus sedebit.

84. Caeremoniarius invitabit unum ex Subdiaconis et clericos duos, qui iunctim genuflexionem facient utroque genu ad SS. Sacramentum, tum genuflectent ante Episcopum si ante ipsum praeteribunt.

85. Pergent in Sacristiam, ac si opus fuerit propter frequentiam populi, clavigeri seu custodes ecclesiae antecedent eos. Ubi ventum erit in Sacristiam, Subdiaconus accipiet ampullam veste violacea contectam et brachio sinistro afferet ad Altare, advertens ut brachio cooperiat dimidiam partem ampullae, altera parte superiori aperta et visibili. Hoc modo revertentur ad Altare.

86. Appropinquante Subdiacono, assurget de loco suo Presbyter assistens et se sistet ante mensam contra Episcopum, ne tamen vertat humeros ad Altare.

87. Subdiaconus cum clericis reversi in chorum, genuflexionem in medio ante Altare conficient utroque genu ad SS. Sacramentum et procedent ante Episcopum, cui genuflectent.

88. Subdiaconus proximabit Presbytero assistenti eique submissa voce dicet *Oleum infirmorum.*

89. Presbyter assistens accipiet ampullam praedictam et voce paullo altiori dicens *Oleum infirmorum* praesentabit illam Episcopo, ponet super mensam et redibit ad locum suum.

90. Subdiaconus cum clericis consistent prope mensam in parte adversa Presbytero assistenti, sed humeros neque ad Episcopum neque ad Altare convertent.

91. Diaconus ampullam deteget nudando ipsam veste violacea et operculo. Interim in promptu habebitur apparatus lotionis manuum Episcopi.

92. Episcopus assurget ac submissa voce recitabit Exorcismum; quo recitato, mitra per Diaconum dimissa, eodem vocis tono dicet *Dominus vobiscum* et orationem, in cuius fine non respondebitur *Amen,* quoniam sequitur *Per quem* in Missa.

93. Oratione completa, Diaconus mitram reponet Episcopo,

qui sedebit, deinde operculo ampullam claudet iterum. Presbyter assistens et Subdiaconus, qui ampullam detulit, accedent ad medium mensae. Presbyter assistens ampullam recipiet ac reddet Subdiacono, qui brachio sinistro acceptam, comitante Caeremoniario deferente vestem ampullae detractam, et clericis duobus, genuflexione facta ad Episcopum, dein ad Sacramentum, reportabit in Sacristiam.

94. Profecto Subdiacono, Episcopus lavabit manus, qua in actione, ut alias declaratum est, ab omnibus genuflectetur, exceptis Canonicis, qui stabunt.

95. Redibunt interim ad Altare Cappellanus cum scotula, et alter a libro cum Presbytero assistente, postquam hic mantile Episcopo ministraverit.

96. Profectis ministris lotionis, assurget de faldistorio Episcopus et medius inter Diaconum et Subdiaconum, recepto sinistra baculo pastorali, redibit ad Altare, non benedicens Clerum, ut alias dictum est.

97. Progressus ante infimum gradum, dimittet baculum pastoralem, dein mitram et pileolum, genuflectet utroque genu sine pulvino ante SS. Sacramentum et ascendet ad Altare, ubi genuflexione iterata, iunctis manibus prosequetur Missam ad verba *Per quem haec omnia* etc. Diaconus ascendet ad Altare ad dexteram Episcopi et Subdiaconus manebit ad pedem Altaris loco solito.

98. Diaconi assistentes redibunt in medium ante Altare, ubi erant quando aderat Episcopus. Redibunt etiam clerici cum intorticiis, si discesserint post Elevationem, ut superius notatum est.

99. Continuabitur Missa usque ad consummationem utriusque speciei, ut in aliis Missis solemnibus; tamen Subdiaconus non ascendet ad Altare cum Diacono ad *dimitte nobis* in *Pater noster,* quia patenam non sustinebit; dicetur et cantabitur *Agnus Dei,* sed Pax non donabitur, ideoque Presbyter assistens et Diaconus neque genuflexionem facient, neque discedent de locis suis.

100. Dum Episcopus sumet Sacramentum, Caeremoniarius, genuflexione facta, discedet de Altari, accipiet ca-

licem maiorem cum reliquis rebus supra descriptis, eumque afferet ad Altare et ponet versus medium, sed extra corporale.

101. Postquam Episcopus sumpserit Calicem, Diaconus palla cooperiet calicem eumdem. Deinde accipiet calicem maiorem allatum ad Altare a Caeremoniario, et detracto velo, taenia, palla ac patena, extrahet cochleare, si aderit, et ponet illud super corporale, sin minus, ibi ponet calicem ipsum. Episcopus, genuflexione facta una cum Diacono, accipiet alteram Hostiam consecratam eamque ponet in cochleari vel in Calice. Diaconus cochleare cum Hostia consecrata accipiet, et ponet ipsam in calice reposito super corporale, palla cooperiet Calicem, cui imponet patenam inversam; deinde explicato velo calicem cooperiet, et velum satis adstrictum ligabit taenia supra nodum pedis seu infra cuppam, eumdemque calicem relinquet in medio corporali versus Crucem: tum pixidem cum particulis accipiet, ante Calicem collocabit, eique detrahet operculum.

102. Genuflexione facta, geniculabit cum Subdiacono in extremitate suppedanei et cum ipso S. Communionem ab Episcopo excipiet.

103. Post haec Communio Cleri peragetur ordine cap. XI. lib. V. notato, ea tamen exceptione, quod Pax ab Episcopo nemini dabitur, neque Canonicus ullus dabit eam Episcopo, quod etiam observabitur a Diacono et Subdiacono.

104. Episcopus S. Eucharistiam administrabit etiam tredecim pauperibus ad balaustrium, ceterisque fidelibus, si usus vigebit. Eoque casu advertet Parochus ut praesto sit cum schedulis paschalibus tradendis communicatis.

105. Episcopus descendens ad balaustrium, eamdem methodum servabit ac in Communione ad Altare; a lateribus autem Diaconi et Subdiaconi incedent clerici duo cum intorticiis, quae sustinebant ab Elevatione, manentibus autem ceteris genuflexis in locis suis, idque ut Episcopus cum Ministris suis actiones ad balaustrium peragendas expedite exsequi possit.

106. Paullo ante Communionem in Missa solemni amovendum esset SS. Sacramentum a Sacello in quo aderit con-

ditum, et translatum in Sacristiam ponendum loco segregato recondito; poterit hoc fieri etiam peracto Sacro, prout videbitur opportunius.

107. Dum Episcopus Communionem populo administrabit in promptu erit apud abacum clericus delaturus umbellam et alter cum velo humerali ad transferendas particulas, quae supererunt in pixide. Quapropter, reverso ad Altare Episcopo, Parochus vel Sacerdos alius superpellicio indutus et stola alba imposita collo, velo humerali super humeros, geniculabit in suppedaneo et pixidem a Diacono recipiet: tum praecedentibus duobus clericis cum intorticiis, quae sustinuerunt ad Elevationem et altero clerico cum umbella, proficiscentur in Sacristiam ad SS. Sacramentum reponendum. De choro egressi submissa voce recitabunt alternatim psalmum aliquem cum Sacerdote praedicto, omittentes *Gloria Patri* in fine.

108. Episcopus reversus ad Altare, patena colliget fragmenta in corporali, ubi erat Hostia, quae reposita fuit in Calice, demittet illa in Calicem suum et purificationem sumet alterius etiam calicis, super quem purificavit digitos antequam benediceret Oleum infirmorum. Accipiet deinde ablutionem, non abscedens de medio Altaris, et prompte Subdiaconus calicem cooperiet, quem tradet Caeremoniario vel alteri Cappellano reportandum ad abacum.

109. Caveant cantores, ne cantent versiculum *Communio* post consummationem et qui duo cantores hymnum cantare debebunt in Oleorum consecrandorum translatione, praesto erunt in Sacristia, ut inferius.

110. Cappellani a mitra et baculo in promptu erunt cum mitra et baculo itemque duo Cappellani a libro et scotula accedent ad mensam supradictam, eorum alter afferet scotulam, alter attendet ad librum pontificalem.

111. Diaconi assistentes recedent, ut antea.

112. Episcopus, quando praesto erunt Diaconus et Subdiaconus, genuflexione facta ad Sacramentum, descendet de Altari et in primo gradu rursus cooperietur mitra a Diacono et sinistra accipiet baculum pastoralem. Eum antecedet Presbyter assistens, et sequentur praedicti Cappellani a baculo et

mitra, ac thuriferarius sustinens thuribulum cum navicula. Benedictionem non donans Clero, veniet ad mensam supradictam ibique sedebit in faldistorio, et baculum dimittet, adstantibus Diacono a dextris, Subdiacono a sinistris. Presbyter assistens locum sumet a latere mensae prope dexteram Episcopi.

113. Se sistet Episcopo thuriferarius genuflexus, et ministrante incensum Diacono, Episcopus imponet illud in thuribulum cum benedictione usitata.

114. Tunc Presbyter assistens, salutato Episcopo, conversus aliquantum ad Presbyteros et ad ceteros assistentes pro Consecratione Oleorum, dicet elata voce ac tono lectionis *Oleum ad sanctum Chrisma*, et interposita brevissima pausa, eodem vocis tono dicet *Oleum Catechumenorum*. Immediate pergent Presbyteri, Diaconi et Subdiaconi ad accipienda Olea benedicenda, ordine sequenti.

115. Anteibit claviger seu clavigeri ecclesiae, qui continebunt populi frequentiam, ne processioni sit impedimento: thuriferarius cum thuribulo: Subdiaconus tunicella indutus, qui gestabit Crucem medius inter duos Acolythos cum candelabris, ardentibus cereis, incedent bini septem Subdiaconi, ultimo loco terni, sequentur septem Diaconi eodem ordine, postremo duodecim Presbyteri, qui et ipsi incedent bini. Omnes, excepto Subdiacono gestante Crucem, genuflexionem utroque genu ad SS. Sacramentum conficient et genuflectent ad Episcopum, si praeteribunt ante ipsum. Unus pluresve Caeremoniarii dirigent totam actionem

116. Ubi ventum erit in Sacristiam, in promptu iam erunt duo cantores cum Pontificali ad cantandos versiculos hymni; Caeremoniarius autem efficiet, ut aliquis e Subdiaconis accipiat vas seu pateram balsami et Diaconorum duorum collo imponet mappulam seu tobaleam strictam, qua accipient ampullas Olei chrismalis et Olei catechumenorum, advolvent eas extremitate sinistra mappulae et deferent ipsas brachio sinistro, advertentes ut brachio cooperiant dimidium inferius ampullae et dimidium superius sit visibile.

117. Ad Altare autem hoc ordine redibunt. Anteibit thuri-

ferarius, deinde Subdiaconus cum Cruce inter Acolythos. Sequentur duo cantores induti superpellicio, cantaturi versiculos supra indicatos; deinde sex Subdiaconi, bini; tum Diaconi quinque, duo nempe in primo pari, tres in secundo; sequetur Subdiaconus, qui utraque manu ante pectus gestabit pateram balsami, positam in lance et clausam operculo; post eum duo Diaconi ferentes ampullas praedictas, quorum ille qui deferet ampullam Olei Chrismalis, incedet a dextris, alter cum ampulla Olei Catechumenorum, a sinistris. Bini deinde ibunt duodecim Presbyteri. Hoc tempore Caeremoniarius afferet super abacum, ante quem sedebit Episcopus, cochleare et rudiculam in lance argentea.

118. Statim ac processio ista egressa erit de Sacristia, duo cantores incipient cantare ℣. *O Redemptor* etc. et absolutus a cantoribus repetetur a choro. Subiicient deinde reliquos versiculos, et ad singulos respondebit chorus eodem versiculo *O Redemptor* etc. Poterunt cantari omnes vel aliqua eorum pars, prout distabit ab Altari Sacristia.

119. Ad Altare quum venerint, Subdiaconus cum Cruce, Acolythi cum candelabris, thuriferarius cum thuribulo locum sument prope Altare a latere Epistolae, advertentes ne tergum vertant ad Altare neque ad Episcopum. Quinque Subdiaconi ante Altare procedent, genuflexionem conficient ad Sacramentum, dein ad Episcopum, et consistent a tergo Episcopi, locum relinquentes pro Diaconis: Diaconi quoque, genuflexione facta ad Sacramentum, deinde ad Episcopum, a tergo Episcopi consistent ante Subdiaconos. Subdiaconus cum vase balsami et duo Diaconi cum ampullis consistent in una parte Presbyterii expectantes dum transeant duodecim Presbyteri, qui bini genuflexionem conficient ad Sacramentum et ad Episcopum, deinde dirimentur seni in utramque partem a lateribus mensae, binas alas efficientes inter Altare et mensam eamdem.

120. Post haec se sistet cum debitis genuflexionibus ante Episcopum Diaconus ille, qui deferet ampullam cum Oleo pro Chrismate, eamque tradet Presbytero assistenti qui ibi praesto erit. Presbyter assistens accipiet illam advertens ut cum ipsa

accipiat, etiam mappulam, qua involuta erat: praesentabit eam Episcopo, nihil dicens et sic involutam ponet super mensam: Diaconus praedictus recedet ad latus dexterum mensae post locum Presbyteri assistentis sive Archidiaconi.

121. Deinde se sistet, ut supra, Subdiaconus cum vasculo balsami, quod tradet Presbytero assistenti, qui acceptum ostendet Episcopo et in mensa ponet ante ipsum: Subdiaconus autem recedet ad sinistram Diaconi, qui Chrismatis attulit ampullam.

122. Diaconus alter qui deferet ampullam cum Oleo pro Cathecumenis retinebit ampullam ipsam et adstabit Diacono antedicto, qui attulit ampullam Chrismatis.

123. Diaconus minister vasculo balsami detrahet operculum et admovebit illud versus Episcopum, si necesse fuerit, deinde mitram tollet Episcopo.

124. Episcopus assurget, dicet *Dominus vobiscum* et orationem *Deus mysteriorum caelestium* et alteram *Creaturarum omnium, Domine*, praescriptam in benedictione balsami.

125. Post orationes eas Episcopus rursus sedebit eique a Diacono reponetur mitra. Tum Diaconus idem exuet vestem seu tegumentum album ampullae Chrismatis, quae erit super mensa, non vero tollens mappulam seu tobaleam obvolutam, deinde aperiet eam seu tollet operculum, ipsamque super mensam ipsam admovebit versus Episcopum.

126. Cochleare accipiet et cum osculis consuetis tradet Episcopo, qui assurget et unum vel duo cochlearia olei accipiet et in vasculum balsami infundet, deinde restituet cochleare Diacono, qui recipiet illud cum osculis et reponet in lance seu pelvicula, advertens ne mappula inquinetur oleo. Diaconus sumet rudiculam et tradet Episcopo. Episcopus oleum miscebit balsamo, curans ut fiat satis fluidum. Restituet rudiculam Diacono et mitram in capite retinens, recitabit invitationem ad orationem, dicens *Oremus Dominum Deum* etc.

127. Absoluta invitatione praedicta, Diaconus ponet a latere vasculum balsami et paullo amplius admovebit Episcopo ampullam Olei pro Chrismate. Episcopus adstans in pedes, halitabit tribus vicibus in modum Crucis super ampullam et

sedebit. Diaconus, si opus fuerit, reponet ampullam in altera extremitate mensae in commodum Presbyterorum.

128. Duodecim Presbyteri praedicti, unus post alium, genuflexionem simplicem ad Sacramentum, dein ad Episcopum peragentes, accedent ad mensam, halitabunt singuli ter in modum Crucis super ampullam praedictam et redibunt quo loco erant.

129. Post haec Diaconus rursus admovebit Episcopo ampullam et Episcopus assurgens cum mitra et iunctis manibus recitabit elata voce exorcismum super Oleum, et post verba *Spiritus Sancti*, dimissa per Diaconum mitra, manibus expansis cantabit Praefationem tono feriali. Conclusionem autem praefationis, recitabit iunctis manibus et voce submissa.

130. Episcopus accipiet vasculum balsami et infundet ipsum intra ampullam ac si opus fuerit, utetur cochleari, dicens *Haec commixtio liquorum* etc.

131. Diaconus, qui attulit ampullam e Sacristia, accedet ad mensam, tollet ex ampulla mappulam, qua obvoluta erat, eamque sibi collo reponet.

132. Episcopus, primus, ter salutabit Chrisma, dicens *Ave sanctum Chrisma*, vocem efferens singulis vicibus et post tertiam salutationem osculabitur labrum ampullae, sedebit et a Diacono rursus cooperietur mitra.

133. Idem Diaconus paullulum admovebit ampullam ad alteram extremitatem tabulae et Presbyter primus procedet ante Altare, genuflectet ad Sacramentum et conversus ad tabulam faciet genuflexionem, cantans *Ave sanctum Chrisma*; appropinquabit paullo amplius et genuflexionem iterans, cantabit elevans vocem *Ave sanctum Chrisma;* accedet ad mensam et genuflectens, vocemque amplius attollens cantabit tertia vice *Ave sanctum Chrisma*, et labrum ampullae osculabitur: deinde genuflectet ad Episcopum et redibit ad locum suum. Tunc de suo loco discedet Presbyter secundus et salutabit S. Chrisma eodem prorsus modo ac primus, et sic tertius ac deinceps reliqui usque ad ultimum seu duodecimum.

134. Peracta salutatione duodecim Presbyterorum, Diaconus ampullam cooperiet operculo et relinquet super mensam versus sinistram Episcopi.

135. Accedet ad mensam Presbyter assistens et alter Diaconus, qui adhuc sustinebit ampullam Olei pro Catechumenis. Presbyter assistens accipiet illam, relinquens mappulam collo Diaconi, praesentabit illam Episcopo et ponet super mensam. Presbyter assistens se recipiet ad scabellum suum et Diaconus supradictus, qui ampullam detulit, redibit quo loco erat antea.

136. Diaconus ministrans aperiet ampullam demens ei vestem et operculum eamque admovebit ad Episcopum.

137. Episcopus assurget, ter halitabit in modum Crucis super ampullam Olei et rursus sedebit. Duodecim Presbyteri halitabunt super eamdem ampullam, ut antea super ampullam Chrismatis et ad locum suum revertentur.

138. Postea Episcopus assurget et mitram retinens in capite leget submissa voce exorcismum super Oleum, eoque absoluto, dimittens mitram per Diaconum, recitabit submissa voce orationem *Deus incrementorum* etc.

139. Completa oratione, Episcopus primum, deinde post eum duodecim Presbyteri ordine supradicto, salutabunt Oleum benedictum, dicentes tribus vicibus *Ave sanctum Oleum* et osculabuntur labrum ampullae. (a). Diaconus ampullam admovebit Episcopo et Presbyteris ordine eodem quo traditum est de ampulla S. Chrismatis.

140. Dum salutabitur Oleum Catechumenorum in promptu habebitur lotio manuum pro Episcopo et amoveri a mensa poterit cochleare, rudicula et vasculum balsami, quo opus fuit pro benedictione.

141. Completa salutatione praedicta, Diaconus ministrans cooperiet operculo ampullam Olei sancti et tradet Diacono qui detulit in chorum; Caeremoniarius secum feret vestes quibus ampullae erant convestitae.

142. Proficiscetur Subdiaconus Crucem gestans cum thuriferario et Acolythis et redibitur in Sacristiam ordine sequenti.

143 Thuriferarius cum thuribulo antecedet Subdiaconum

(a) Iuxta expressionem Pontificalis « reverenter salutant Oleum » Presbyteri supradicti non genuflexionem, sed reverentiam debent ad Oleum sanctum Catechumenorum conficere.

gestantem Crucem, medium inter duos Acolythos cum candelabris, sequentur duo cantores, septem Subdiaconi bini, et ultimo loco terni; quinque Diaconi, bini primo loco, terni secundo: tum duo Diaconi cum ampullis involutis extremitate mappulae in brachio sinistro et sine vestibus, quibus prius erant indutae; deinde duodecim Presbyteri bini.

144. Ubi egredietur e presbyterio processio, duo cantores intonabunt versiculum *Ut novetur* etc. et chorus subiunget ℣. *O Redemptor*, atque ita deinceps donec pervenerint in Sacristiam, ubi depositis Oleis consecratis et traditis Parocho vel alii, cui commissa sit eorum custodia, redibunt ad Altare ordine tradito in principio, videlicet thuriferarius, Subdiaconus deferens Crucem cum Acolythis, septem Subdiaconi, septem Diaconi et duodecim Presbyteri, omnesque locum ibi suum resument.

145. Priusquam in Sacristiam redeat processio cum Oleis sanctis, Mansionarii numero octo, designati deferendo baldachino in processionem, pergent in Sacristiam, dimittent sua choralia insignia, si habebunt, et supra superpellicium induent pluviale album, deinde bini sequentur Oleorum sanctorum delatores, revertentes ad Altare, et consistent in aditu presbyterii, ubi accipiendum erit baldachinum. Hoc autem tempore clerici duo de medio presbyterio amovebunt mensam in consecratione supradicta adhibitam. Accedent ad Episcopum ministri lotionis. Episcopus sedens lavabit manus, genuflectentibus omnibus, exceptis Canonicis qui stabunt.

146. Quum in Sacristiam pervenerint Presbyteri, Diaconi et Subdiaconi deferentes Olea sancta, cantabitur a cantoribus versiculus *Communio* et procedent ad Altare duo Cappellani a libro et scotula. Episcopus sinistra accipiet baculum pastoralem, nec benedicens Canonicos, redibit ad Altare, praecedente Presbytero assistente, adstantibus a lateribus Diacono et Subdiacono, sequentibus autem Cappellanis a mitra et baculo.

147. Quum Episcopus assurrexerit rediturus ad Altare, clerici duo de medio tollent faldistorium cum parvo suppedaneo, et scabella adhibita in praedicta Oleorum sacrorum benedictione.

148. Clerici iidem, aliis adiuvantibus, intorticia et candelas e capsis educent et accendent ut tradant Canonicis. Intorticia danda essent universis; sed Canonicis saltem tradentur, et unum pondere et ornatu distinctum dabitur Episcopi Cappellano, veste talari induto. Presbyteris, Diaconis et Subdiaconis qui astiterunt Oleorum consecrationi, et Mansionariis seu Beneficiariis dari poterunt candelae. Distribuentur autem candelae etiam clericis Seminarii.

149. Praesto erit alter thuriferarius cum thuribulo, clerici cum octo intorticiis, quae inservierunt Elevationi, clerici cum paramentis Episcopi et clerici illi, qui transferre baldachinum hastile ad ingressum presbyterii debebunt.

150. Episcopus ante Altare progressus, dimittet baculum et a Diacono tolletur ei mitra et pileolus. Genuflexionem utroque genu sine pulvino faciet ad SS. Sacramentum et ascendet ad Altare, stantibus a tergo eius Diacono et Subdiacono. Presbyter assistens accedet ad Missale in latus Epistolae. Diaconi assistentes redibunt ad locum suum ante Altare.

151. Conscenso suppedaneo, Episcopus genuflexionem faciet ad Sacramentum, osculabitur Altare et transibit in latus Epistolae, ubi e Missali leget versiculum *Communio.*

152. Quum cantores finierint cantum ℣. *Communio*, redibit Episcopus in medium, genuflectet ad Sacramentum simul cum Ministris, qui stabunt, ut supra, post eum, osculabitur Altare, convertetur ad populum a latere, ne vertat humeros ad Sacramentum et cantabit *Dominus vobiscum.* Deinde iterabit genuflexionem ad Sacramentum et reversus ad Missale cantabit orationem. Redibit in medium, genuflectet, cantabit, ut antea *Dominus vobiscum*: tum Diaconus conversus ad populum, sicut Episcopus, cantabit *Ite Missa est* et respondebit chorus cantans *Deo gratias* eo quod non sonabitur organis.

153. Episcopus, dicta oratione *Placeat* etc. benedictionem dabit sine mitra sed cum baculo, ac si fuerit Archiepiscopus, habebit ante se Crucem, quam tamen non salutabit, respectu SS. Sacramenti.

154. Interea Cappellanus a mitra deponet super abacum mitram auriphrygiatam et accipiet pretiosam.

155. Prope thronum stabit Parochus vel alius, cui commissa fuerit Oleorum sanctorum custodia.

156. Episcopus, dimisso baculo, non perficiens circulum, neque iterum ad Sacramentum genuflectens, convertetur ad Altare et signans solum se ipsum incipiet Evangelium S. Ioannis, descendet de Altari et iterata genuflexione utroque genu, cooperietur mitra pretiosa a Diacono, recipiet baculum et recitans Evangelium S. Ioannis, procedet ad thronum quo postquam pervenerit, dimittet mitram et conversus ad Altare genuflectet dicens *Et Verbum caro* etc. Episcopum sequentur clerici recepturi paramenta, aliique duo ferentes pluviale et formale pretiosum.

157. Si fuerit Archiepiscopus dimittet post benedictionem S. Pallium, quod relinquetur super Altare non in medio sed a latere.

158. Post ultimum Evangelium sedebit in throno, reponetur ei mitra a Diacono et recipiet baculum. Se sistet ei Parochus, vel Canonicus Sacrista maior, cui Episcopus inculcabit Oleorum sanctorum custodiam, ut praescribit Pontificale Romanum. Si placeret, posset uti eiusdem Pontificalis verbis, quae sunt « Frater dilectissime, iubeo te ut moneas Presby-
» teros attente, ut iuxta Canonum traditionem, Chrisma et
» sacra Olea fideliter custodiant; et nulli sub praetextu me-
» dicinae vel maleficii tradere praesumant, alioquin honore pri-
» ventur ». Parochus vel alius, reverentia facta, Episcopi manum osculabitur et cum debitis reverentiis discedet.

159. In promptu erunt prope thronum duo thuriferarii cum thuribulis et naviculis.

160. Postea duo sacri Ministri sibi detracto manipulo, exuent Episcopum usque ad tunicellam et Episcopo salutato, de throno discedent, tum genuflexione facta ad Sacramentum, recedent in Sacristiam, ubi dimittent supradicta paramenta, induent amictum cum tunicella vel cum dalmatica et revertentur in chorum propter Processionem. Clerici reportabunt ad abacum paramenta, quae Episcopus dimiserit.

161. Ministris sacris succedent Diaconi assistentes, qui Episcopo induent pluviale album et formale pretiosum, et

primus Diaconus assistens mitram ei pretiosam imponet. Episcopus assurget eique se sistet thuriferarius unus cum thuribulo et ministrante naviculam Presbytero assistente sine osculo manus aut cochlearis, Episcopus incensum in primum thuribulum ingeret sine benedictione: posito incenso intra thuribulum primum, se sistet alter thuriferarius, et in alterum thuribulum Episcopus incensum sine benedictione iniiciet. Thuriferarii praesentabunt thuribulum stantes,

162. Presbyter assistens et uterque thuriferarius accedent ad pedem Altaris. Presbyter assistens consistet a dextra et thuriferarii a lateribus: interim autem clericus aliquis ponet pulvinum album pro Episcopo super gradum infimum, et secum habebit velum humerale imponendum Episcopo.

163. Cappellani a libro et scotula, accipient Canonem et scotulam, quibus opus erit deinceps.

164. Episcopus accipiet sinistra baculum et de throno descendet, benedictionem Canonicis non donans. Ante Altare quum venerit, baculum dimittet et a secundo Diacono assistente nudabitur mitra et pileolo,

165. Episcopus cum Assistentibus genuflexionem conficient in pavimento sine pulvino, deinde consurgent et Episcopus genuflectet super pulvinum positum in infimo gradu.

166. Thuribulum accipiet a Presbytero assistente et triplici ductu SS. Sacramentum thurificabit et reddet thuribulum Presbytero assistenti. Hic thuribulum redonabit thuriferario et cum debitis genuflexionibus ad locum suum inter Canonicos se recipiet.

167. Clericus huic rei designatus in promptu erit cum intorticio aut cereo, illi tradendo accenso propter processionem.

168. Interea disponetur Processio, ut infra, et curabitur ut sine perturbatione ordinetur, sed sollicite, ne nimium expectet Episcopus apud Altare. Cantores intonabunt *Pange lingua* statim ac Episcopus SS. Sacramentum a Diacono acceperit.

169. Invitabitur nobilior laicorum Magistratus ad sustentandam vestis Episcopalis extremitatem posteriorem.

170. Postquam Episcopus thurificaverit SS. Sacramentum et reddiderit thuribulum Presbytero assistenti, velum humerale nobile imponetur eius humeris a Caeremoniario et ante pectus alligabitur a secundo Diacono assistente.

171. Ascendet ad Altare primus Diaconus assistens, genuflectet ad Sacramentum, accipiet Calicem, apponens dextram cuppae, sinistram infra pedem, eumque afferet ad Episcopum. Sacramento se inclinabit Episcopus, qui assurgens accipiet sinistra nodum Calicis et dextram superponet patenae.

172. Diaconus primus, SS. Sacramento Episcopo tradito, genuflexionem faciet.

173. Diaconi assistentes extremitate veli humeralis cooperient Calicem et manus Episcopi, commutabunt locum suum, nempe Diaconus primus transibit ad dexteram, alter Diaconus ad sinistram Episcopi, qui non ascendens ad Altare, proficiscetur in processionem.

174. Ordo autem in processione servandus, erit sequens. Antecedent clavigeri, seu claviger ecclesiae: Subdiaconus tunicella paratus, qui gestabit Crucem processionalem velo violaceo convestitam, cuius a lateribus duo Acolythi cum candelabris, accensis candelis: cantores, qui variarum concentu vocum cantabunt hymnum *Pange lingua:* clerici Seminarii bini candelas accensas manu sustinentes dextera, qui dextrorsum incedent, sinistra, qui sinistrorsum (eodemque discrimine ceteri omnes): Beneficiarii seu Mansionarii cum candelis vel intorticiis: septem Subdiaconi septemque Diaconi incedentes eodem ordine ac saepe alias dictum est, et duodecim Presbyteri bini: Canonici Subdiaconi, Canonici Diaconi, Canonici Presbyteri et Dignitates, omnes cum intorticiis ardentibus et capite aperto, etiamsi gauderent usu mitrae. Inter Dignitates incedet etiam Presbyter assistens, qui ingressus in Sacellum, in quo exponetur SS. Sacramentum, deponet intorticium et procedet ad pedem Altaris, functurus officio suo: duo thuriferarii cum thuribulis, in quibus reponent incensum, quum opus fuerit: Episcopus medius inter Diaconos assistentes, qui attollent eius fimbrias pluvialis; syrma autem a tergo sustinebitur a nobili laico. Episcopus incedet sub umbraculo, cuius

hastas sustentabunt Mansionarii octo, induti, ut supra dictum est, pluviali albo. Circa umbraculum seu baldachinum incedent octo clerici cum intorticiis ardentibus. Cappellanus habitu talari sine superpelliceo, qui pro Episcopo gestabit intorticium distinctum, ibit extra baldachinum a dextra primi Mansionarii sustentantis hastam baldachini. Sequentur Episcopum caudatarius eius et duo Cappellani cum mitra et cum baculo, reliqui duo a libro et scotula, postremo eius nobiles familiares. Si Celebrans fuerit Archiepiscopus, Crux a Subdiacono inter Acolythos deferetur ante Clerum paratum et imago Crucifixi versa erit ad Archiepiscopum.

175. Processio dirigetur per ecclesiam, non egrediens extra portam et veniet ad Sacellum praeparatum pro expositione SS. Sacramenti. Ibi Crux cum Acolythis consistet a latere Evangelii; Seminarium, Beneficiarii et Ministri parati pro sacris Oleis, consistent in Sacello, si capax erit, secus disponentur extra illud in plures ordines distinctos, videlicet Seminarium in binas alas, ante Seminarium Beneficiarii, ante Beneficiarios Clerus paratus. Canonici intrabunt in Sacellum; nisi autem sufficiens esset spatium, disponentur in gyrum circa Altare, restantibus dignioribus versus ingressum, ut Episcopo sint propiores. Duo thuriferarii introibunt in Sacellum et consistent a lateribus Altaris, itemque a dextris consistet ante Altare Presbyter assistens.

176. Ingrediente in Sacellum Episcopo, removebitur baldachinum, quod accipietur a clericis duobus et parieti prope Sacellum ipsum applicabitur, adhibendum in crastina functione.

177. Diaconus primus assistens geniculabit ante Episcopum, quando hic perveniet ante Altare. Diaconus alter extremitatem veli humeralis detrahet de manibus Episcopi, qui SS. Sacramentum tradet primo Diacono. Hic assurget expectans, dum Episcopus geniculaverit in pulvino super infimum gradum posito, et Sacramentum adoraverit.

178. Idem Diaconus primus, accepto Sacramento, ascendet ad Altare et adiutus a Caeremoniario vel ab alio Cappellano, conscendet scabellum gradatum, si opus fuerit, et Sacramentum reponet intra urnam seu custodiam, non clauso illius ostiolo:

iterata deinde in suppedaneo genuflexione, ad Episcopi dexteram redibit.

179. Interim Diaconus alter expediet ac tollet Episcopo velum humerale, quod recipiet clericus unus et custodiet, relaturus ipsum in Sacristiam.

180. Reverso ad Episcopi dextram Diacono primo, Episcopus assurget ac sublevante eius fimbrias pluvialis eodem Diacono, incensum sine benedictione demittet in thuribulum unum ei praesentatum a thuriferario stante, incensum sine osculis ministrante Presbytero assistente.

181. Episcopus rursus geniculabit super pulvinum. Cantores cantabunt stropham *Tantum ergo* deinde alteram *Genitori Genitoque* et Episcopus accepto thuribulo sibi tradito a Presbytero assistente, thurificabit SS. Sacramentum triplici ductu, postea thuribulum restituet Presbytero assistenti, qui ibi manebit.

182. Thuriferarii recedent cum debitis genuflexionibus ad ingressum Sacelli ut ibi praesto sint in reditu processionis et simul incedant ante Crucem.

183. Sacramento ab Episcopo thurificato, ascendet rursus ad Altare primus Diaconus assistens et claudet ostiolum custodiae seu tabernaculi, in quo asservabitur SS. Sacramentum.

184. Cappellanus a libro, statim ac descenderit Diaconus, ponet super Altare Canonem apertum pro benedictione, vel sustinebit apertum ante Archiepiscopum, ut infra.

185. Absoluto cantu hymni praedicti, Episcopus ascendet ad Altare, genuflectet ad Sacramentum, benedictionem largietur populo, non gestans mitram in capite, sed cum baculo, quem accipiet priusquam proferat verba *Pater* etc. Advertet, ut genuflectat priusquam convertatur ad populum, nec vertat humeros ad Altare in donanda benedictione. Postquam donaverit benedictionem, Episcopus consistet versus populum, et Presbyter assistens in latere Epistolae, paullum ad populum conversus, publicabit formulam Indulgentiae consuetae, postea redibit ad locum suum inter Canonicos.

186. Si fuerit Archiepiscopus, sustinebitur Crux a Subdiacono genuflexo ante Altare, et Archiepiscopus, facta ad Sacramentum genuflexione, vertet aliquantum humeros versus cor-

nu Evangelii et conversus ad Crucem suam, benedictionem donabit.

187. Aderunt clerici designati recipiendis extinguendisque intorticiis et candelis, quum conditum fuerit intra tabernaculum vel urnam SS. Sacramentum.

188. Statim in ordinem redigetur processio, quae revertetur ad Altare maius, eadem ac supra dispositione, excepto quod thuriferarii incedent ante Crucem; Mansionarii seu Beneficiarii, pluviali induti, incedent ante Clerum paratum.

189. Episcopus, quum de Altari descenderit, ad SS. Sacramentum utroque genu genuflectet cum Assistentibus, assurget ac rursus cooperietur mitra pretiosa a primo Diacono assistente, recipiet baculum sinistra et cum processione proficiscetur ad Altare maius.

190. Profecto de Sacello Episcopo, statuetur ante Altare faldistorium nudum cum duobus pulvinis e panno violaceo, ubi Episcopus orabit in discessu de ecclesia.

191. Quando processio ad Altare maius pervenerit, thuriferarii recedent in Sacristiam; Subdiaconus reponet suo loco Crucem itemque Acolythi candelabra super abacum, et unusquisque locum suum occupabit. Interea praesto erunt clerici recepturi paramenta Episcopi, et Cappellanus unus cum quatuor aut sex clericis, ad tollendas ei caligas et sandalia, aliique clerici ad reportanda Canonicorum paramenta.

192. Episcopus reversus ante Altare, reverentiam faciet ad Crucem et cum Diaconis assistentibus in thronum ascendet.

193. Post Episcopi in thronum ascensum, discedent de presbyterio cum debitis reverentiis aut genuflexionibus Subdiaconus qui gestavit Crucem, octo Mansionarii pluvialibus parati, qui detulerunt hastas baldachini, septem Subdiaconi, septem Diaconi et duodecim Presbyteri qui astiterunt benedictioni et consecrationi Oleorum, et in Sacristia vestes sacras dimittent.

194. Item in Sacristiam ad sacras vestes dimittendas venient duo Cappellani a libro et a scotula, qui subito redibunt in chorum, deinde etiam reliqui duo Cappellani a mitra et baculo, postquam res istas deposuerint. Cubicularius Episcopi in promptu erit cum cappa et caligis apud thronum.

195. Episcopus a Diaconis assistentibus exuetur paramentis, quae ab Acolythis referentur ad Altare, unde postea recipientur a Sacrista in Vesperarum principio, vel quando Episcopus peraget gratiarum actionem.

196. Dimittente paramenta Episcopo, etiam Canonici exuent paramenta et recipient sua canonicalia insignia. Canonicorum paramenta referentur in Sacristiam.

197. Episcopo deinde (quin lavet manus) a Cubiculario alligabitur extremitas posterior vestis talaris et reponetur cappa, quae a Canonicis assistentibus explicabitur.

198. Discedent duo Diaconi assistentes et se recipient ad subsellia sua, ubi dimissis paramentis, resument habitus chorales et ad assistentiam redibunt.

199. Interim se sistent Episcopo Cappellani cum libro et scotula; ipse leget canticum, psalmos et preces pro gratiarum actione. Animadvertet omittere *Gloria Patri* in fine psalmi.

200. Reversis ad assistentiam Diaconis, ascendent ad thronum Cappellanus cum Acolythis et ritu superius descripto num. 56. capitis huius, tollent Episcopo caligas et sandalia; cubicularius autem reponet ei calceos. Sandalia et caligae, velis violaceis contecta, referentur ad abacum, unde Vesperarum tempore tollentur ea omnia, quae in Missa et in functione adhibita fuerint.

201. Quum Episcopus desierit legere preces et resumpserit calceos usuales, Diaconi discedent de assistentia et recedent ad subsellia sua. Clerici duo statuent ante Altare faldistorium cum pulvinis violaceis in usum Episcopi.

202. Episcopus assurget et secreto recitabit *Pater noster* et *Ave Maria,* quibus absolutis, Caeremoniarius innuet cantorum alicui, qui aderunt in parte hebdomadario opposita, et ille intonabit antiphonam *Calicem salutaris* etc. et recitabuntur Vesperae sine cantu. Episcopus sedebit et caput cooperiet caputio cappae, neque habebit assistentem ullum praeter Caeremoniarium a latere et quatuor Cappellanos superpellicio indutos, qui sedebunt in gradibus throni. Omnes sedebunt etiam ad versiculum post quinque psalmos et ad antiphonam cantici *Magnificat.* Quando incipietur *Magnificat,* Episcopus nudabit caput, assur-

get et signabit se, cumque ipso consurget omnis chorus. Completo *Magnificat*, rursus caput cooperiet caputio, et humi tractans extremitatem posteriosem cappae, veniet ad faldistorium in medio positum ante Altare, sibi tollet caputium et geniculabit ad antiphonam *Christus factus est* etc. eoque statu manebit toto psalmo *Miserere*, cuius in fine recitabit orationem *Respice*, secreto dicens conclusionem *Qui tecum* etc.

203. Dum recitabuntur Vesperae, in qua aula peragetur mandatum, disponentur ordinatim apud scamnum tredecim pauperes, quorum lavandi pedes erunt, et se parabunt paramentis duo Canonici Diaconus et Subdiaconus, qui ministrarunt in Missa solemni. Aderit unus e Caeremoniariis, qui omnia moderetur.

204. Completis Vesperis, duo Canonici Diaconi assistentes accedent ad latera Episcopi, et clerici duo removebunt faldistorium et circa Altare disponentur sex vel octo clerici designati ad Altare denudandum.

205. Episcopus appropinquabit ad gradus Altaris, intonabit antiphonam *Diviserunt sibi*, quae continuabitur legendo alternatim a choro simul cum psalmo *Deus, Deus meus*. Intonata antiphona, Episcopus ad Altare ascendet et eius tobaleas elevabit, deinde recedet inter Diaconos assistentes.

206. Clerici tollent tobaleas Altaris, extinguent omnes cereos, denudabunt abacum, expoliabunt thronum ac si fieri poterit, tollentur etiam tapeta.

207. Sacrista eum aliis clericis denudabunt reliqua Altaria, in quibus, ut in maiori, relinquetur tantummodo Crux cum candelabris ac tela cerata, seu chrismalis super Altare, sive lapidem sacrum.

208. Quum denudata omnia Altaria fuerint, repetetur antiphona *Diviserunt* etc. Clerici duo reponent ante Episcopum faldistorium nudum cum pulvinis duobus violaceis, et Canonici assistentes revertentur ad locum suum,

209. Episcopus geniculabit in faldistorio et brevi facta oratione, associatus a Canonicis et Clero ibit adoratum SS. Sacramentum in Sacello expositum, postea transibit in aulam delectam ad Mandatum peragendum. Si fuerit Archiepiscopus praeferetur ante eum Crux Archiepiscopalis.

210. Abluentur pedes pauperibus tredecim, qui ab Episcopo novis vestibus misericorditer induti erunt et in functionis actu utentur uniformi habitu e panno albi coloris, qui iuxta formam descriptam in veteri Caeremoniali Episcoporum, est toga quaedam e collo defluens ad pedes, cum cingulo simili ad lumbos cingendos, cum caputio, quod e collo descendit aliquantum super humeros et pectus; insuper biretum albi coloris rotundae formae gestandum in capite. Aequum esset etiam, ut haberent calceamenta albi coloris cum caligis e panno, apertis in collo pedis, ut posset pes educi in actu lotionis. Hac re non est nobis animus innovandi quicquam de variis usibus, qui in ecclesiis sive in Capitulis recepti essent. In lavandis igitur tredecim pauperum pedibus ordo sequens servabitur.

211. Quum omnia erint disposita, ascendent ad thronum Diaconus et Subdiaconus parati sacris vestibus albi coloris ibique expectabunt Episcopum. Clerici delecti ferendis paramentis Episcopi se disponent apud abacum. In principio scamni in quo sedebunt pauperes, aderit quidam familiaris Episcopi, pallio indutus, qui tempore debito excalceabit pauperes praedictos.

212. Ingredietur Episcopus in aulam, benedicet pauperes, qui nudabunt caput et in genua procumbent. Episcopum sequentur Canonici, qui locum sument apud scamna sibi attributa. Cantores consistent prope legile praeparatum pro ipsis. Ceteri de Clero stabunt a lateribus throni.

213. Episcopus in thronum ascendet cumque ipso ascendent duo Diaconi assistentes. Si fuerit Archiepiscopus, Crucifer cum Cruce se sistet prope legile, in quo cantabitur Evangelium. Distribuentur clericis paramenta pro Episcopo. Cappellani a mitra et baculo accipient haec et ascendent ad thronum post clericos. Cappellanus a mitra utetur velo pendente de collo.

214. Episcopus, adiuvantibus Diaconis assistentibus et Cubiculario, qui adstabit post secundum Diaconum assistentem, dimittet cappam, et Cubicularius expediet eius vestis extremitatem posteriorem. Recedent aliquantulum Diaconi assistentes, et Episcopus a Diacono et Subdiacono induetur

amictu, alba, cingulo, Cruce pectorali, stola et pluviali violaceo, in quo a Diacono firmabitur formale simplex. Diaconus imponet Episcopo mitram auriphrygiatam, et cum Subdiacono facta ei reverentia, de throno descendet.

215. Quando Episcopo induetur pluviale, ascendet a latere ad thronum Presbyter assistens, ac thuriferarius in promptu erit cum thuribulo ad pedem throni.

216. Ministri iidem de throno profecti, venient ad abacum, ubi assument manipulum. Diaconus accipiet librum Evangeliorum alba veste coopertum, adstante a sinistris eius Subdiacono et a lateribus Acolythis, qui deferent candelabra ardentibus candelis.

217. Profectis de throno Ministris supradictis, ascendet illuc thuriferarius, quo genibus flexis thuribulum sustinente ante Episcopum, et incensum cum solitis osculis ministrante Presbytero assistente, Episcopus incensum in thuribulum iniiciet, benedicens ipsum formula usitata.

218. Presbyter assistens descendet a latere de throno et ad locum suum inter Canonicos redibit.

219. Accedent ad imum throni Diaconus, Subdiaconus, Acolythi ac thuriferarius, quibus genuflexis, excepto Subdiacono, Diaconus profunde inclinatus petet benedictionem *Iube Domne benedicere* et Episcopus respondebit *Dominus sit* etc.

220. Consurgentes thuriferarius et Acolythi, factaqae ab ipsis genuflexione et a Ministris paratis reverentia, venient ad legile pro cantu Evangelii praeparatum, in quo Diaconus librum ponet et aperiet atque Evangelium cantabit quemadmodum traditum est cap. IX. lib. V.

221. Episcopus mitra nudabitur a secundo Diacono assistente, assurget et baculum accipiet, quem iunctis manibus continebit dum Evangelium cantabitur.

222. Ad cantum Evangelii, stabunt omnes, comprehensis pauperibus, qui biretum manu sustinebunt.

223. Interea clericus unus in promptu erit cum lance, recepturus formale Episcopi, alter in promptu habebit gremiale cum taeniis pro Episcopo, afferendum ad thronum, alii duo accipient pelves cum urceis, advertentes ut aqua sit

tepens, alii duo supplebunt istis, unus deferet pelvim cum manutergiis pro pauperibus, et quidam e Cappellanis Episcopi habitu talari indutus, accipiet bursam cum eleemosynis pauperibus distribuendis. Omnes cum rebus suis in promptu erunt, nequid in actu functionis desideretur.

224. Cantato Evangelio, Episcopus dimittet baculum. Subdiaconus a Diacono librum Evangelii recipiet et apertum afferet ad Episcopum, qui osculabitur illum. Acolythi cum debitis genuflexionibus redibunt ad abacum et candelabra ibi deponent. Diaconus cum thuriferario a dextris eius procedent ante thronum.

225. Quum Episcopus osculatus erit Evangelium, Subdiaconus coibit ad pedem throni cum Diacono, hic autem accepto thuribulo, triplici ductu adolebit Episcopum, qui thurificatione accepta, benedicet eum et sedebit.

226. Diaconus et Subdiaconus, reverentia facta ad Episcopum, pergent ad abacum, ubi manipulum dimittent et Subdiaconus deponet etiam librum Evangeliorum, nisi eum iam tradiderit clerico cuidam. Postea quando initium fiet mandati, sedebunt ibi in scabellis iam sibi praeparatis.

227. Ascendent ad thronum clerici duo, alter cum gremiali, alter cum lance pro formali.

228. Diaconus primus assistens tollet Episcopo formale, quod ponet in lance et a clerico referetur ad abacum. Diaconus idem, adiuvante altero, exuent Episcopum pluviali, quod relinquent super cathedram throni. Primus Diaconus reponet Episcopo mitram, deinde super genua ipsius explicabit gremiale, quod taeniis cohibebitur ad cingulum.

229. Cantores incipient cantare antiphonas *Mandatum novum* etc. et sequentes, quandiu durabit functio.

230. Episcopus assurget ac descendet de throno: adstabunt lateribus eius Diaconi assistentes: Caudatarius syrmam eius sustentabit: antecedent duo clerici, unus cum urceo aquae tepentis, alter cum pelvi: sequetur clericus, qui deferet mantilia seu manutergia et Cappellanus ferens bursam cum eleemosynis. Pauperes sedebunt capite cooperto, et excalceatum iam pedem dexterum habebunt. Canonici sedebunt, quum Episcopus de throno discesserit.

231. Episcopus geniculabit ante pauperem primum, qui sedebit prope scamnum Canonicorum: clericus cum pelvi, adstans Episcopo a sinistris, supponet pelvim dextero pauperis pedi, alter cum urceo, adstans dexterae Episcopi, aquam sensim effundet super pedem, quem lavabit Episcopus. Post hanc primam lotionem, clericus cum urceo sustinebit aliquantulum pedem pauperis, quem Episcopus absterget ac deinde osculabitur. Diaconus primus ministrabit Episcopo mantile. Clericus cum pelvi effundet aquam infra scamnum, quemadmodum notatum fuit principio. Episcopus absterso pede pauperis, donabit ei mantile, accipiet eleemosynam a primo Diacono, cui tradiderit Cappellanus supradictus, eamque largietur pauperi, qui manus eius osculabitur.

232. Assurget Episcopus, geniculabit ante secundum pauperem, eademque methodo pedem eius lavabit, et sic deinceps reliquorum pauperum. Ceteri clerici designati afferendis urceis cum aqua, praesto erunt, quum opus fuerit, novam aquam ministrare.

233. Pauperes, postquam ablutus ipsis pes erit, sibi calceos rursus inducent, adiuvante familiari supradicto.

234. Circa finem Mandati, in promptu erit clericus cum formali in lance, et alter qui recipiet gremiale. Item praesto erunt ministri pro lotione manuum Episcopi, et qui clericus deferet mantilia, advertet etiam ut afferat lancem cum medulla panis et mali medici.

235. In promptu etiam erunt Cappellani cum libro et scotula pro Episcopo et Acolythi, candelabra gestaturi.

236. Postquam Episcopus laverit omnium pauperum pedes, redibit in thronum cum Diaconis assistentibus. Ascendet a latere ad thronum Presbyter assistens, et cum debitis genuflexionibus ascendent etiam ministri lotionis cumque ipsis clericus a gremiali et alter cum formali. Episcopus lavabit manus ac, si opus fuerit, utetur etiam medulla panis et mali medici. Non extendetur mantile super eius genua, quoniam aderit iam gremiale. Presbyter assistens porriget ei mantile cum osculis.

237. Quando Episcopus lavabit manus, genuflectent omnes,

exceptis Canonicis. Geniculabunt etiam pauperes, qui deinde stabunt in pedes reliquo functionis tempore, quemadmodum stabunt ceteri omnes assistentes.

238. Discedent de throno ministri lotionis, et clericus a gremiali recipiet ipsum a Diaconis assistentibus et reportabit ad abacum. Etiam Presbyter assistens redibit ad locum suum inter Canonicos.

239. Acolythi cum candelabris, statim ac discesserint ministri lotionis, procedent ante thronum. Cappellani cum libro et scotula ascendent ad thronum prope secundum Diaconum assistentem.

240. Diaconi assistentes pluviale Episcopo reponent, eique Diaconus primus reponet etiam formale; secundus autem tollet ipsi mitram.

241. Assurget Episcopus, eique a Cappellanis praesentato libro cum scotula, cantabit *Pater noster*, ℣. *Et ne nos inducas*, et reliquos cum oratione.

242. Post orationem discedent Acolythi et redibunt ad thronum Diaconus ac Subdiaconus, sequentibus clericis paramenta recepturis et cubiculario cum cappa.

243. Episcopus, orationis cantu absoluto, nihil dicens elevabit manum et Crucis signum faciet super adstantes, omnesque geniculabunt.

244. Ascendent Ministri praedicti cum clericis et retrocedentibus aliquantulum Diaconis assistentibus, exuent Episcopum sacris paramentis, ac postquam dimiserit amictum, salutabunt eum et discedent ad sacras vestes dimittendas.

245. Episcopus resumet cappam, adiuvantibus Diaconis assistentibus et Cubiculario, qui insuper extremitatem posteriorem vestis eius alligabit. Discedet associatus a Canonicis ut cap. IV. lib. V. In aedibus autem suis convivio excipiet pauperes, quorum lavit pedes et cum suis ipse familiaribus ecclesiasticis ad mensam illis cibos ministrabit.

Pro Matutino tenebrarum.

246. Praeparanda erunt omnia ea quae notata fuerunt Cap. XIII. libri huius. Animadvertendum tantum, quod Altare debet esse totaliter nudum cum solo chrismali seu tobalea cerata super mensam. In Altari sex candelabra sunto neque auro, neque argento colorata, sed ex aere vel cupro aut alia materia fusci coloris, cum Cruce simili candelabris, nigro velo contecta. Ante Altare aderit faldistorium (quod tamen esse deberet e ligno nucis simplex sine ullo ornatu aureo nec argenteo) pro Episcopo cum duobus pulvinis laneis violacei coloris. Thronus erit nudus ex toto et super cathedram ponetur pulvinus e panno violaceo in commodum Episcopi.

247. Apud Altare, in quo aderit expositum SS. Sacramentum, statuetur genuflexorium sine strato, sed cum duobus tantum pulvinis e panno violaceo, vel faldistorium cum solis pulvinis e panno violaceo, aequale faldistorio Altaris maioris.

248. Functio tractabitur eodem ordine ac pridie, excepto quod Episcopus nec seipsum neque adstantes asperget in limine ecclesiae, siquidem amota fuerit aqua benedicta e fontibus lustralibus. Sin mos esset relinquendi aquam sanctam in fontibus praedictis, licebit Episcopo in aditu ecclesiae seipsum aspergere et adstantes.

De lotione Altaris.

249. Si lavandi Altaris vigebit consuetudo, observabitur ritus, qui insertus extat sequenti cap. XVI.

ASSISTENTIA AB EPISCOPO PRAESTANDA OFFICIIS FERIAE V. IN COENA DOMINI.

CAPUT XV.

1. Raro admodum accidere potest, ut Episcopus assistat officio feriae V. maioris hebdomadae in sua ecclesia cathedrali. Etenim quum illa die benedicenda sint et consecranda sacra Olea et S. Chrisma, pro huiusmodi benedictione et consecratione requiritur ut Episcopus ordinarius Missam celebret solemniter.

2. Si quo morbo vel alia rationabili causa impediretur, modo sit aliquis Episcopus suffraganeus sive auxiliaris vel etiam extraneus, oportebit ut ipsi functionem peragendam committat, cui tamen aequum non esset ut interveniret, siquidem praesentia eius moram afferret functioni expedite persolvendae, quae satis est prolixa.

3. Sin abesset Episcopus, cui functio ipsa committeretur, ideoque remittendae essent ampullae cum Oleis sacrandis ad Episcopum viciniorem, si eo statu fuerit Episcopus dioecesanus, ut possit officio assistere, hic erit tantum casus, in quo possunt praesentes instructiones necessariae videri.

4. Missa solemnis celebrabitur a digniore Capituli, assistet Episcopus pluviali indutus, qui in fine gestabit in processionem SS. Sacramentum, ut praescribit Caeremoniale Episcoporum lib. II. cap. XXIII. num. 14.

De rebus praeparandis.
In Altari SS. Sacramenti.

5. Altare, in quo asservabitur SS. Sacramentum, instruetur candelabris ceterisque ornamentis consuetis: pallium et conopoeum tabernaculi erunt coloris violacei, utpote respondentis officio. Matutino tempore usque ad finem Missae cantatae

licebit administrare fidelibus S. Communionem, praesertim in satisfactionem praecepti paschalis. Lampades, ut superius innutum est, ardebunt in hoc tantum Altari; extinguentur autem statim ac SS. Sacramentum amotum erit.

6. Ante Altare ipsum praeparabitur faldistorium cum pulvinis e panno violaceo, vel genuflexorium cum strato et pulvinis, ut cap. IV. lib. V. quod tamen removebitur, postquam Episcopus ibi oraverit in accessu ad ecclesiam.

In Sacrario
vel in alio commodiore loco.

7. Disponentur paramenta albi coloris pro Dignitatibus et Canonicis, videlicet pluvialia pro Dignitatibus, planetae pro Canonicis ex ordine Presbyterorum, dalmaticae pro Canonicis ex ordine Diaconorum ac tunicellae pro alteris ex ordine Subdiaconorum. Singulis paramentis suus etiam erit amictus.

8. In eodem sive Sacrario, sive alio loco praeparabitur tunicella albi coloris cum cingulo, alba et amictu pro Subdiacono Crucem processionalem gestaturo, et pluvialia octo coloris pariter albi pro Beneficiariis seu Mansionariis, umbraculum hastile in processionem delaturis.

9. In Sacrario praeparabitur vasculum aquae sanctae cum aspersorio, adhibendum in ingressu Episcopi in ecclesiam et paramenta albi coloris pro Celebrante et Ministris, eaque sunt planeta, stola et manipulus; dalmatica, stola et manipulus; tunicella et manipulus, tria cingula, tres albae tresque amictus et bireta.

10. Superpellicia sufficienti numero pro inservientibus: duo candelabra cum cereis albis pro Acolythis.

In Altari maiore et Presbyterio.

11. Altare ornabitur more festivo, nempe sex candelabris nobilibus eum cereis albis et in medio Cruce aequali candelabris, albo velo contecta; tobaleis, pallio albi coloris et tapeto, quod cooperiat gradus Altaris. Tali autem modo posi-

tae erunt tobaleae et pallium, ut facile tolli possint in denudatione Altaris. Pallio albi coloris superponetur violaceum, itemque super velum album Crucis ponetur alterum violaceum, utrumque post Horarum minorum recitationem tollendum.

12. Super mensam disponentur paramenta albi coloris pro Episcopo, videlicet pluviale cum stola albi coloris, Crux pectoralis, cingulum, alba et amictus, prope haec aderit in lance formale pretiosum. Paramenta ista cooperientur albo velo, cui superponetur alterum violaceum, amovendum quando tolletur pallium violaceum. Utraque mitra, nempe auriphrygiata et pretiosa cum velo seu vimpa pro ministro.

13. Prope latus Epistolae statuetur consuetum scamnum pro Celebrante et Ministris, stragulo laneo coopertum.

14. Non longe a cornu Evangelii aderit Crux processionalis contecta velo violaceo, posita in basi, ac si Ordinarius erit Archiepiscopus, praeparabitur basis tantum.

15. Baculus pastoralis apud Altare.

16. Ante Altare ponetur faldistorium cum pulvinis albis et seorsim praeparantor pulvini duo violacei substituendi albis in fine functionis.

In abaco.

17. Abacus sternetur albo mantili et super ipsum disponentur res sequentes: Missale cum tegumento albo pro Episcopo; Canon pontificalis pro benedictione in fine Missae, additis quoque orationibus *Misereatur vestri* etc. et *Indulgentiam* etc. dicendis ab Episcopo post *Confiteor* ad Communionem; scotula cum candela pro Episcopo; Evangeliarium cum veste alba; Epistolarium cum veste alba; Missale cum veste alba pro Celebrante; pulvinus albus, vel legile pro Celebrante; velum humerale albi coloris phrygiatum pro Subdiacono; calix cum purificatorio, patena cum binis hostiis, palla et corporale intra bursam; alter calix maioris formae cum patena et palla, cum velo sericeo albi coloris et cum taenia sericea pariter alba ad ligandum velum; cochleare ad reponendam S. Hostiam in calice isto, ut cap. praeced. num. 25; pixis cum particulis

operculo clausa et cum veste quoque albi coloris, si transferenda erit; ampullae cum vino et aqua in pelvicula; vasa vitrea cum vino et aqua et mappulae pro purificatione communicandorum; octo decemve stolae albi coloris pro Canonicis ceterisque qui de sacra mensa participabunt; mappa e tela linea, acu picta, cum laciniis, adhibenda in Communione; rituale in usum Diaconi pro cantando *Confiteor*; velum humerale albi coloris, acu pictum pro Episcopo; thuribula duo duaeque naviculae cum thure; intorticia quatuor pro elevatione; Breviarium vel alius liber utendus in denudatione Altarium et pro oratione in fine Vesperarum; pulvinus albus, quo utetur Episcopus, quando geniculabit in infimo gradu Altaris.

18. Apud abacum praeparabitur umbraculum hastile albi coloris, in Processione adhibendum. Praeparabitur etiam umbella albi coloris ad transferendum in Sacrarium SS. Sacramentum.

19. Item apud abacum una pluresve capsae decentes, quae contineant intorticia et candelas deferendas in processionem. Aderit etiam intorticium distinctum pro Episcopo.

20. Thronus cooperietur baldachino et lodicibus albi coloris, ita tamen aptatis, ut possint removeri in denudatione Altaris. Aderunt tria scabella pro Assistentibus et pulvinus albi coloris pro Episcopo, quando genuflectendum erit. Gradus throni sternentur in totum tapeto amovendo cum ceteris ornamentis.

21. Ad cancellos tribunae vel balaustrii disponentur sex candelabra maiora cum intorticiis aut cereis albis et super balaustrium aderunt tobaleae pro Communione.

22. Extra presbyterium ante balaustrium statuetur scamnum pro pauperibus, quorum abluentur pedes.

23. Quod spectat ad res praeparandas in Sacello, ubi exponetur SS. Sacramentum et in aula, in qua peragetur Mandatum, inspiciantur quae descripta sunt a num. 33. ad 47. praecedentis capituli; nulla enim occurrit variatio.

24. Semel aut pluries sonabitur campanis festive, priusquam functionis initium fiat, idque pro consuetudine cuiusque loci.

25. Hora praestituta congregabitur Clerus in Sacrarium et accensis cereis in Altari, recitabuntur in choro horae minores, quae sunt Prima, Tertia, Sexta et Nona, submissa voce et ritu in Breviario praescripto.

26. Absoluta Nonae recitatione tolletur pallium violaceum, velum violaceum de Cruce Altaris et velum alterum, quo contecta erant paramenta Episcopi et accendentur cerei in fanalibus seu candelabris maioribus. Sonabitur campanula Sacrarii, et Canonici cum clero proficiscentur ad associandum Episcopum, ut cap. IV. lib. V.

27. Interim ad Altare procedet Celebrans cum Ministris et observabitur totum id, quod praescriptum est cap. XIII. libri supradicti, de Missa solemni celebrata ante Episcopum paratum pluviali, exceptis animadversionibus sequentibus.

28. Ingrediente in ecclesiam Episcopo, sonabitur festive omnibus campanis, organa autem tacebunt.

29. Cavendum, ne administretur S. Communio, dum Episcopus, apud Altare in quo asservatur, SS. Sacramentum adorabit.

30. In introitu seu confessione omittetur psalmus *Iudica me Deus* etc.

31. Ad intonationem hymni *Gloria in excelsis* festive sonabitur campanis omnibus, campanulis internis ecclesiae, et organis etiam, sed in cantu huius hymni tantummodo.

32. Subdiaconus ad Altare afferet pixidem pro Communione, utens velo humerali; dehinc ad abacum redibit, calicem accipiet et afferet ad Altare.

33. Si quod esset discrimen amplitudinis inter Hostiam reponendam in Calice et alteram a Celebrante sumendam, moneatur a Caeremoniario Celebrans, ne in dubio haereat, utra sit Hostia pro Calice relinquenda.

34. Clerici cum intorticiis manebunt genibus flexis a *San-*

ctus usque ad totam Communionem Cleri et laicorum. Locum sument a lateribus Altaris, facie ad invicem conversa, ne ordinem Communionis impediant.

35. Recitabitur *Agnus Dei* et Canonici ad circulum descendent: meminerit autem Presbyter assistens genuflexionem suo loco conficere cum Canonicis et redire ad stallum suum, quin vadat ad Altare, quoniam ritus donandae Pacis omittitur.

36. Diaconus et Subdiaconus, recitato *Agnus Dei* cum Celebrante, genuflexionem conficient ad Sacramentum et locum commutabunt, videlicet Diaconus transibit ad sinistram, Subdiaconus ad dexteram Celebrantis, et genuflexionem iterabunt.

37. Dum Celebrans communicabit, afferetur a Caeremoniario calix alter cum palla, patena, velo ac taenia, in quo reponetur SS. Sacramentnm.

38. Postquam Celebrans communicaverit, Subdiaconus palla Calicem cooperiet. Postea Diaconus et Subdiaconus, genuflexione facta, locum commutabunt, nempe Diaconus redibit ad dexteram, Subdiaconus ad sinistram Celebrantis, Diaconus accipiet calicem , a Caeremoniario allatum ad Altare, eoque posito super corporale, extrahet cochleare, quod etiam ante Celebrantem deponet: Celebrans cum Ministris genuflexionem conficient. Celebrans accipiet S. Hostiam eamque ponet in cochleari. Diaconus cochleare manubrio acceptum ponet intra Calicem. Sin abesset cochleare, Celebrans S. Hostiam accipiet et intra Calicem ponet. Dein Diaconus pallam Calici, pallae patenam inversam superponet, et conteget Calicem velo, quod ligabit taenia albi coloris supra nodum et infra cuppam calicis. Celebrans, dum Diaconus taeniam ligabit, poterit dexteram, non disiungens pollicem ab indice, imponere super patenam, ne excurrat, donec velum taenia erit firmatum. Postea Diaconus calicem istum accipiet, locabit in medio corporali, sed versus Crucem altaris, accipiet pixidem eamque ponet in medio corporali versus Celebrantem, et genuflexio a Ministris una cum Celebrante conficietur.

39. Celebrans cum Subdiacono apud Altare manebunt. Diaconus autem de Altari discedet, adibit ad thronum, cantabit *Confiteor*, postea manebit ibi ad cantum utriusque orationis *Mi-*

servatur etc. et *Indulgentiam* etc. cantandae tono feriali ab Episcopo, qui post haec prosequetur stare. Redibit ad Altare Diaconus, et fiet Communio methodo tradita cap. V. lib. II.

40. Post Communionem si tam multae superfuerint in pixide particulae consecratae, ut Celebrans nequeat eas consummare, vel si placeat easdem consulto reservare pro infirmis, per Parochum vel alium Sacerdotem, qui indutus superpelliceo, stola et velo humerali albi coloris, genuflexus in extremo suppedaneo pixidem accipiet a Diacono, et comitantibus iis clericis, qui hactenus ab elevatione sustinuerint intorticia ardentia, et altero clerico aut Presbytero, qui sustentabit umbellam apertam, transferetur Sacramentum in Sacrarium vel Sacellum aliud ab ecclesia seiunctum, in quo hisce diebus custodietur

41. Transferetur etiam eodem modo pixis cum SS. Sacramento, quod asservatum fuerit in Altari suo, aperto postmodum ostiolo ciborii seu tabernaculi et quae lumina ibi ardebant antea, extinguentur.

42. Communione peracta, Celebrans Missam prosequetur ritu descripto cap. VII. lib. II.

43. Episcopus et Chorus non considebunt post Communionem respectu SS. Sacramenti. Episcopus stans leget e Missali versiculum *Communio* et sine mitra benedictionem solemnem in fine Missae donabit.

44. Post benedictionem ab Episcopo donatam, Celebrans non publicabit Indulgentias, sed conversus ad Altare cum Ministris recitabit ultimum Evangelium, advertens ut Altare non signet, sed tantum seipsum ad verba *Initium sancti Evangelii* etc. et genuflectat versus SS. Sacramentum, quando dicet *Et Verbum caro* etc.

45. Sub Missae finem venient in Sacrarium octo Mansionarii seu Beneficiarii, delaturi hastas umbraculi et Beneficiarius alter seu Cappellanus, qui debebit tunicellam induere ad gestandam Crucem. Ibi se respectivis sacris vestibus parabunt, et peracto Sacro, intrabunt in chorum seu presbyterium cum debitis genuflexionibus. Mansionarii seu Beneficiarii pluviali induti consistent prope aditum presbyterii, ut expedite accipiant umbraculum hastile: Subdiaconus locum sumet prope Crucem processionalem, accepturus eamdem, quando innuetur ei.

46. Si fuerit Archiepiscopus, qui assistat Missae solemni, notetur quod in fine Missae ad benedictionem sustinenda est Crux a Cappellano non parato tunicella, sed induto superpellicio.

47. Sacro peracto, descendent de Altari Celebrans et Ministri, qui genuflexione facta utroque genu ad SS. Sacramentum, recta pergent in Sacrarium, antecedentibus clericis duobus.

48. Tempore eodem ad thronum ascendent ultimi duo Canonici ex ordine Diaconorum, vel etiam alii pro consuetudine cuiusque loci, ad assistendum Episcopo; Diaconi autem assistentes cum debita reverentia discedent de throno et genuflexione utroque genu facta ad SS. Sacramentum, recedent in Sacrarium ad induendam dalmaticam.

49. Hoc ipsum facient ceteri omnes Canonici in choro praesentes, qui bini sequentur Celebrantem in Sacrarium ubi sacris vestibus induentur ac deinde eodem ordine in chorum revertentur. Curandum est, ut actio ista fiat expedite.

50. Qui duo Canonici astiterint Episcopo ad thronum, supplentes Diaconis assistentibus, quum hi redierint ad thronum, discedentes pergent in Sacrarium ad sacros habitus assumendos, postea in chorum revertentur et locum sument cum ceteris Canonicis. Celebrans etiam indumenta missalia dimittet, induetur pluviali aut planeta iuxta ordinem ad quem attinebit et redibit in chorum locum sumens inter Canonicos aut inter Dignitates. Id ipsum facient sacri Missae solemnis Ministri, in ordine illo, cui erunt addicti.

51. Sub exitum Sacri quatuor aut sex clerici educent e capsis intorticia et candelas quas accendent, et expleta Missa, distribuent Beneficiariis seu Mansionariis, clericis Seminarii et reliquis de Choro. Advertent, ut cum intorticiis accensis praesto sint in ingressu presbyterii sive portae lateralis, qua Canonici in chorum redibunt, et illa tradant singulis Canonicis in Presbyterium revertentibus, exceptis duobus Diaconis assistentibus et Presbytero assistente, huic tamen dabunt post actiones quae sequuntur. Tradent etiam intorticium distinctum cuidam familiarium ecclesiasticorum Episcopi, qui familiaris indutus erit veste talari et pallio.

52. Aderunt prope Altare duo thuriferarii cum thuribulis et naviculis, alter clericus cum velo humerali pro Episcopo, alter autem ponet pulvinum albi coloris in infimo gradu Altaris in usum Episcopi eiusdem. Cappellanus a mitra advertet ut mitram auriphrygiatam deponat super abacum et ex Altari accipiat pretiosam.

53. Quando omnia disposita erunt ad initium processionis faciendum, ascendet a latere ad thronum Presbyter assistens eodemque tempore ascendent illuc thuriferarii cum thuribulis.

54. Primus Diaconus assistens reponet pileolum et mitram pretiosam Episcopo, qui pergens stare in pedes ingeret incensum in bina thuribula.

55. Presbyter assistens incensum ei ministrabit sine osculis; Episcopus autem incensum successive demittet in thuribula sine benedictione.

56. Hoc ipso tempore Subdiaconus accipiet Crucem processionalem et Acolythi candelabra cum cereis ardentibus, tum simul coeuntes venient prope ingressum presbyterii, facturi processionis principium statim ac de throno se movebit Episcopus. In ipso profectionis actu ab Acolythis fiet genuflexio.

57. In promptu etiam erunt clerici duo, qui umbraculum hastile accipiant et tradant octo Beneficiariis pluviali indutis.

58. Thure ab Episcopo imposito, duo thuriferarii procedent ante Altare, itemque Presbyter assistens, qui consistet ad infimum gradum prope latus Epistolae.

59. Si aderit Magistratus, senior aut dignior qui in ipso est, veniet in aditum presbyterii, sustenturus extremitatem posteriorem vestis Episcopi in processione.

60. Postquam de throno discesserint thuriferarii et Presbyter assistens, Episcopus sinistra accipiet baculum pastoralem, et de throno descendens procedet ad Altare, advertens, quum descenderit de throno aut per chorum transibit, ne benedicat Clerum.

61. Episcopus ante Altare progressus, pastoralem baculum dimittet, eique secundus Diaconus assistens tollet mitram et pileolum. Episcopus cum Assistentibus genuflexionem conficient super pavimentum sine pulvino: deinde assurget ac geniculabit supra pulvinum positum in infimo gradu Altaris.

62. Presbyter assistens thuribulum accipiet ac tradet Episcopo, qui SS. Sacramentum thurificabit triplici ductu. Presbyter assistens recipiet ab Episcopo thuribulum, quod restituet thuriferario, redibit ad locum suum inter Dignitates, aut Canonicos et intorticium vel cereum accensum accipiet, in processionem incessurus.

63. Hoc tempore ordinabitur processio, ut infra; curabitur autem, ut disponatur ordine debito expedite, ne nimium Episcopus ad Altare exspectet. Si Clerus esset valde numerosus, posset statim post peractum Sacrum ordinari processio.

64. Cantores intonabunt hymnum, *Pange lingua*, quando Diaconus Episcopo tradet SS. Sacramentum.

65. Postquam Episcopus thurificaverit SS. Sacramentum et Presbytero assistenti reddiderit thuribulum, imponetur eius humeris a Caeremoniario velum humerale, quod ipsi ante pectus a secundo Diacono assistente firmabitur. Diaconus primus assistens ascendet ad Altare, genuflexionem faciet ad Sacramentum, accipiet Calicem apponens dexteram cuppae eius, sinistram infra pedem, eumque afferet ad Episcopum. Episcopus se inclinabit Sacramento et assurgens Calicem sinistra accipiet ad nodum, dextram patenae imponet. Diaconus primus, tradito Episcopo Sacramento, genuflexionem exsequetur. Diaconi assistentes extremitatibus veli humeralis Calicem et Episcopi manus cooperient: locum commutabunt, et primus consistet a dextris, alter a sinistris Episcopi, qui non ascendens ad Altare, proficiscetur cum processione.

66. Ordo autem in processione servandus, erit sequens. Praeibit claviger vel clavigeri ecclesiae, si aderunt: Subdiaconus tunicella paratus, qui Crucem processionalem, velo violaceo contectam gestabit medius inter Acolythos, sustinentes candelabra accensis cereis: cantores, qui vocum variarum concentu cantabunt hymnum *Pange lingua*: clerici Seminarii, bini gestantes candelas ardentes dextera, qui dextrorsum incedent, sinistra, qui sinistrorsum (idque observabitur a ceteris omnibus): Beneficiarii seu Mansionarii cum candelis vel intorticiis: Canonici Subdiaconi, Canonici Diaconi, Canonici Presbyteri. et Dignitates manu gestantes intorticia et capite nudato,

ut ceteri omnes, eo tamen discrimine, ut ultimo loco incedant terni quicumque sit ordo, si eorum numerus fuerit dispar: inter Dignitates locum occupabit Presbyter assistens, qui quum pervenerit ad Sacellum, in quo exponetur SS. Sacramentum, deponet intorticium et procedet ante Altare, Episcopo ministraturus incensum, ut infra: thuriferarii duo cum thuribulis, in quibus reponent incensum, quum opus fuerit: Episcopus medius inter Diaconos assistentes, qui sustinebunt eius fimbrias pluvialis; extremitas autem posterior vestis eius sustentabitur a nobiliori laico praesente: Episcopus incedet sub umbraculo, cuius hastae deferentur a Mansionariis octo, pluviali albo indutis, ut superius docuimus. Circa umbraculum incedent clerici octo induti superpelliceo, qui manu sustinebunt intorticia ardentia. Cappellanus, qui veste talari, non superpellicio indutus, sustinebit intorticium distinctum Episcopi, incedet extra umbraculum a dextris primi Mansionarii qui deferet hastam primam umbraculi. Sequentur Episcopum caudatarius et duo Cappellani a baculo et a mitra, tum alii duo a libro et a scotula, ultimo demum loco nobiles familiares eius.

67. Si Celebrans fuerit Archiepiscopus, gestabitur Crux a Subdiacono, inter Acolythos, ante Canonicos, Crucifixi imagine versa ad Archiepiscopum. Omnes ii, quibus in processione locus erit, descendentes de stallis suis, meminerint in medio presbyterio genuflexionem peragere utroque genu.

68. Processio non egredietur de ecclesia, sed proficiscens per navem primariam absolvetur ad Sacellum praeparatum pro SS. Sacramenti expositione. Quum illuc ventum erit, Crux cum Acolythis subsistet ex parte Epistolae, Seminarium et Beneficiarii seu Mansionarii consistent in Sacello, si capax erit, secus extra illud: Canonici se disponent ad balaustrium vel circa Altare, restantibus dignioribus versus aditum ut sint propiores Episcopo. Duo thuriferarii consistent a lateribus Altaris, itemque a dextris ante Altare locum sumet Presbyter assistens.

69. Ingrediente in Sacellum Episcopo, removebitur umbraculum, quod accipietur a duobus clericis et applicabitur prope Sacelli parietem, quum postridie eamdem ob rem sit adhibendum.

70. Quando Episcopus adstabit ante Altare, primus Diaconus assistens in genua procumbet ante eum. Diaconus secundus extremitatem veli humeralis tollet de manibus Episcopi, qui Sacramentum tradet primo Diacono: hic assurget et expectabit dum Episcopus geniculaverit super pulvinum. iam praeparatum in infimo gradu et adoraverit SS. Sacramentum.

71. Diaconus primus, accepto Sacramento, ascendet ad Altare, adiutus a Caeremoniario vel ab alio Cappellano, conscendet, si opus fuerit, scabellum gradatum, et reponet SS. Sacramentum in urna seu custodia, relicto eius ostiolo aperto: iterata deinde in suppedaneo genuflexione, ad Episcopi dexteram redibit.

72. Interea Diaconus secundus expediet ac tollet Episcopo velum humerale, quod clericus unus recipiet et apud se custodiet, relaturus ipsum in Sacrarium.

73. Episcopus, reverso ad eius dexteram Diacono primo, assurget ac sublevante eius fimbriam pluvialis eodem Diacono, ponet sine benedictione incensum in thuribulum unum sibi obiectum a thuriferario stante in pedes, incensum sine osculis ei ministrante Presbytero assistente.

74. Episcopus rursus geniculabit super pulvinum. Cantores cantabunt stropham *Tantum ergo*, deinde alteram *Genitori Genitoque* et Episcopus thuribulo, quod accipiet a Presbytero assistente, thurificabit triplici ductu SS. Sacramentum et thuribulum restituet eidem Presbytero assistenti, qui ibi consistet. Thuriferarii cum debitis genuflexionibus venient in ingressum Sacelli, ut ibi se prompte ordinent ante Crucem in reditu processionis.

75. Thurificato ab Episcopo SS. Sacramento, ascendet rursus ad Altare primus Diaconus assistens et claudet ostiolum custodiae seu tabernaculi, in quo asservabitur SS. Sacramentum.

76. Cappellanus a libro, quum descenderit Diaconus, ponet super Altare Canonem apertum pro benedictione, aut sustinebit eundem ante Archiepiscopum, ut infra.

77. Absoluto hymni praedicti cantu, Episcopus ascendet ad Altare, genuflectet ante SS. Sacramentum, osculabitur Altare et benedictionem solemnem populo impertietur sine mi-

tra, sed cum pastorali, quod accipiet priusquam dicat *Pater* etc. Advertet, ut genuflectat priusquam convertatur ad populum, et ne vertat humeros ad Altare, donans benedictionem. Subsistet Episcopus versus populum, postquam benedictionem dederit: Presbyter assistens in latere Epistolae aliquantulum conversus ad populum, formulam indulgentiae consuetae publicabit, postea redibit ad locum suum inter Canonicos.

78. Si Celebrans fuerit Archiepiscopus, sustinebitur Crux a Subdiacono genuflexo ante Altare, et Archiepiscopus, genuflexione facta ad SS. Sacramentum, vertet aliquantulum humeros versus cornu Evangelii et conversus ad Crucem suam donabit benedictionem.

79. Erunt delecti clerici recipiendis et extinguendis intorticiis et candelis, quum conditum erit in urna seu tabernaculo SS. Sacramentum.

80. Sine mora Processio rursus ordinabitur et redibit ad Altare maius ordine superius descripto, exceptis thuriferariis, qui ante Crucem praeibunt et Beneficiariis seu Mansionariis, pluviali indutis, qui locum sument ante Canonicos paratos.

81. Episcopus de Altari quum descenderit, genuflexionem cum Assistentibus utroque genu conficiet ante SS. Sacramentum, rursus cooperietur mitra pretiosa a primo Diacono assistente, recipiet baculum sinistra et cum processione ad Altare maius revertetur.

82. Profecto de sacello Episcopo, ponetur ante Altare faldistorium nudum cum pulvinis duobus e panno violaceo, in quo Episcopus orabit in discessu de ecclesia.

83. Quum processio ad Altare maius pervenerit, fient omnia ea quae tradita sunt capituli praecedentis num. 191 et seqq. omittendo tamen quae ibi notantur de gratiarum actione post Missam ab Episcopo persolvenda et de modo ei tollendi caligas et sandalia.

84. Post haec recitabuntur Vesperae, denudabitur Altare et peragetur Mandatum, ut ibidem descriptum est. Quod si Episcopus nequiret assistere Vesperis, denudationi Altaris et Mandato, postquam sacra indumenta dimiserit et cappam resumpserit, descendet de throno, brevi orabit ante Altare

et associatus a Clero adorabit SS. Sacramentum in Sacello, ubi aderit expositum, postremo redibit ad residentiam suam.

85. Clerus, associato Episcopo, revertetur in chorum et recitabit Vesperas: Celebrans qui cantaverit Missam, ritu descripto cap. XXV. lib. II. exsequetur denudationem Altarium, postea Mandatum

DE LOTIONE ALTARIS VESPERE FERIAE V. IN COENA DOMINI

CAPUT XVI.

1. Quibusdam in Ecclesiis servari solet vetustissimus ritus lavandi Altaris primarii in feria V. maioris hebdomadae, qui ritus inter ecclesias Cleri saecularis religiosissime observatur in Vaticana Basilica Principi Apostolorum dicata.[1] Praxim huius basilicae sequentes, innuemus methodum servandam, quando placeat Episcopo vel etiam Canonico hebdomadario ritum istum persolvere.

De rebus praeparandis.

2. In Sacrario praeparentur paramenta Episcopi in plano canistro; videlicet pluviale cum stola nigri coloris, Crux pectoralis, cingulum, alba et amictus; formale simplex et mitra simplex linea albi coloris, vel damascena coloris eiusdem: velo sericeo nigro omnia haec cooperiantur.

3. Stolae sex nigri coloris eodemque numero superpellicia pro Dignitatibus aut Canonicis senioribus; collocentur et haec in altero canistro ad Altare afferendo, quum tempus erit. Praeparetur etiam superpellicium alterum pro Canonico Sacrario praefecto.

4. Altare nudum erit, ut expoliatum fuit mane post functionem: aderit Crux velata et sex candelabra cum cereis e cera communi, qui in lotionis actu erunt extincti.

5. Candelabrum triangulare cum quindecim candelis paullo longius a loco solito ponatur, ne actum huius ritus impediat.

6. Super Altaris abacum, qui relinquetur nudus, praeparentur tria vasa sive urcei argentei pleni vino generoso, cui perparva aquae copia misceatur: unusquisque urceus ponatur in lance vel pelvi simili. Septem mantilia seu tobaleae maiores lineae, mundae, septem spongiae, et utraque pariter ponentur in binis lancibus argenteis. Aspersoria effecta e ligno taxo vel buxo pro Episcopo, pro Canonicis, pro Beneficiariis seu Mansionariis proque Clericis. Antiphonarium instructum tegumento nigri coloris ad recitandam orationem *Respice* etc.

7. Praeter faldistorium pro oratione Episcopi, quod iam praeparatum erit in medio presbyterio, statuetur in latere Epistolae faldistorium alterum nudum cum solo pulvino nigro, in quo sedebit Episcopus. Aderit etiam pulvinus alter nigri coloris, in quo Episcopus geniculabit, ut infra.

De Functione

8. Dum recitabitur aut cantabitur *Miserere* post *Benedictus*, revenient in Sacrarium clerici designati, accipient ibi paramenta pro Episcopo et sex Canonicis, eaque deferent in presbyterium et super abacum deponent.

9. Sic etiam Canonicus Sacrario praefectus veniet in Sacrarium, dimittet cappam sive aliud indumentum chorale, superpellicium sibi induet supra rochetum, si hoc licebit uti, redibit in presbyterium et aderit prope Altare in latere Epistolae (*a*).

10. Post orationem *Respice* postque strepitum qui fieri solet ut finis indicetur officii Tenebrarum, Episcopus assurget de faldistorio, in quo genuflexerit, salutabit Crucem, ascendet in thronum ibique sedebit.

(*a*) Quando ad Altare ministrant Canonici, quaecumque sit functio, dimittere debent habitum choralem ac tenentur superpellicium sibi induere supra rochetum, si rocheti usu gaudebunt.

11. Immediate ad thronum ascendent duo Diaconi assistentes propter assistentiam Episcopi et ascendet etiam Cubicularius recepturus cappam.

12. Interim clerici duo de medio presbyterio tollent faldistorium, in quo genuflexerit Episcopus et ponent illud seorsim.

13. Paramenta Episcopi a Caeremoniario distribuentur clericis, qui ritu usitato illa deferent ad thronum.

14. Ubi clerici cum paramentis ad thronum pervenerint, Episcopus, adiuvantibus Diaconis assistentibus, dimittet cappam, quam recipiet Cubicularius et animadvertet ad eam complicandam, repositurus ipsi post functionem.

15. Episcopus a Diaconis assistentibus parabitur amictu, alba, cingulo, Cruce pectorali, stola et pluviali nigri coloris, cui apponetur formale simplex, et a primo Diacono imponetur capiti eius mitra simplex.

16. Dum parabitur Episcopus, Canonici non descendent ad circulum consuetum.

17. Hoc ipso tempore alii clerici, huic rei designati, paramenta Dignitatibus afferent et Canonicis, quorum sex tantum, dimissa cappa vel alio indumento chorali, induent superpellicium et stolam nigri coloris e collo pendentem.

18. Item cantores superpellicio induti se sistent versus latus Epistolae aut Evangelii Altaris, vel etiam dirimentur in choros binos ex utroque latere, instructi breviario pro recitando psalmo *Deus, Deus meus, respice in me* etc.

19. Parato et sedente Episcopo, clerici quatuor supra lances duas deferent aspergilla, quae tradent Canonicis non paratis. Deinde iidem clerici vel alii quatuor afferent aspergilla pro Beneficiariis seu Mansionariis, quibus tradent: demum quatuor alii clerici afferent alia aspergilla pro clericis, eaque ipsis etiam tradent.

20. Postquam erunt singulis distributa aspergilla, Episcopus assurget ac procedet ad Altare. Antecedent eum sex Dignitates seu Canonici parati stola; ipse autem incedet inter duos Diaconos assistentes, qui sustinebunt eius fimbrias pluvialis, sequetur Cappellanus a mitra. Procedens ad Altare non benedicet Clerum. Immediate sequentur eum Canonici, Beneficiarii seu Mansionarii et clerici.

21. Sex praedicti Canonici quum ad Altare venerint, subsistent ante gradum infimum, terni in utroque latere, seniores autem in medio. Episcopus se sistet medium inter ipsos, et secundus Diaconus tollet ei mitram. Diaconi assistentes recedent seque aggregabunt ceteris Canonicis. Canonici, Beneficiarii et clerici efficient post Episcopum triplicem ordinem ferme in semicirculum et seniores erunt in centro propius Episcopum.

22. Erit etiam in promptu prope Altare Cappellanus cum libro pro Episcopo.

23. Episcopus, postquam dimiserit mitram, geniculabit in medio gradu infimo super pulvinum, quem apponet clericus quispiam, et cum Episcopo in genua procumbent sex Dignitates seu Canonici parati stola ac brevi tempore orabunt.

24. Post haec Episcopus e libro, quem ei praesentabit Cappellanus, alta voce sed sine cantu intonabit antiphonam *Diviserunt sibi*, quae continuabitur eodem tono a cantoribus, una cum psalmo XXI. *Deus, Deus meus, respice in me etc.*

25. Intonata antiphona, assurget Episcopus cumque ipso consurgent sex Canonici seu Dignitates parati stola et a clerico aliquo tolletur pulvinus, in quo genuflexerit Episcopus.

26. Accedent rursus ad Episcopum duo Diaconi assistentes simul cum clericis duobus. Diaconi assistentes tollent ei formale et pluviale, quae recipientur a clericis et ad abacum referentur. Diaconus primus mitram Episcopo reponet, et post haec praedicti duo Diaconi ad locum suum inter Canonicos redibunt.

27. Episcopus, postquam reposita ipsi erit mitra, ascendet ad Altare medius inter supradictos sex Canonicos seu Dignitates et adiuvantibus eisdem Dignitatibus, amovebit a mensa tobaleam ceratam, qua cooperiebatur, eamque Acolythi duo recipient et ad abacum portabunt.

28. Dum Episcopus ascendet ad Altare, subibunt illuc a latere Epistolae clerici tres, quorum alter afferet aspergillum pro Episcopo, reliqui duo sex aspergilla pro Dignitatibus praedictis seu Canonicis. Caeremoniarius, vel Canonicus Sacrario praefectus aspergillum Episcopi accipiet eique tradet

sine osculis consuetis; clericus unus aspergillum donabit unicuique Dignitati seu Canonicis paratis, et praedicti clerici ad abacum redibunt.

29. Ascendet aut accedet ad Altare Canonicus Sacrario praefectus simul cum clerico, qui deferet in pelvi urceum unum vini plenum. Canonicus sacrista maior se sistet a dextris Episcopi et a sinistris primae Dignitatis et acceptum urceum cum vino et aqua effundet super mensam Altaris; restituet urceum clerico et una cum ipso descendet de Altari iterumque apud abacum recedet.

30. Episcopus cum sex Canonicis seu Dignitatibus saepius nominatis, vinum immediate aspergillo expandent super totam Altaris mensam, quam lavabunt ac tergent cum omni reverentia.

31. Dum Episcopus cum sex Canonicis lavabunt mensam reliqui sex Canonici seniores procedent ante Altare, geniculabunt in gradu infimo, eo tamen ordine ut qui primas obtinent, seu seniores ipsorum, medium occupent locum.

32. Postquam Episcopus cum praedictis sex Dignitatibus seu Canonicis laverit mensam, faciet cum ipsis reverentiam ad Crucem et descendent simul de Altari per latus Epistolae. Caeremoniarius et clerici superius nominati recipient ab Episcopo et a Canonicis seu Dignitatibus aspergilla, quae reponentur super lances.

33. Episcopus accedet ad faldistorium praeparatum in latere Epistolae, ibique sedebit mitra cooperto capite et leget e libro psalmum, quem continuabunt alta voce recitare cantores ac si opus fuerit, repetent etiam illius partem vel totum prout numerosus erit Clerus. Sex Canonici parati manebunt in plano lateris Epistolae, versa facie ad Altare.

34. Profecto de Altari Episcopo cum sex Canonicis seu Dignitatibus, consurgent sex illi Canonici seniores, qui geniculaverant in gradu infimo, conscendent suppedaneum et aspergillo lavabunt mensam Altaris; postea reverentia facta ad Crucem, descendent de Altari per latus Evangelii et ad locum suum revertentur.

35. Dum sex isti Canonici ad Altare ascendent, reliqui

sex Canonici ante Altare procedent et iis alteris de Altari profectis ascendent isti eademque ac primi illi exsequentur.

36. Eamdem methodum servabunt ceteri; ultimo autem loco si Canonici non fuerint sex numero, poterunt quinque vel quatuor aut tres idipsum peragere.

37. Postquam Canonici omnes laverint Altare, ascendet illuc rursus Canonicus Sacrista maior cum clerico, qui deferet alterum urceum vini plenum. Canonicus praedictus, stans in medio ante Altare, accipiet urceum vini, quod effundet in mediam mensam, restituet urceum clerico et recedent ambo, ut antea, apud abacum.

38. Tunc ad Altare immediate procedent Mansionarii seu Beneficiarii, seni singulis vicibus, observantes ordinem eamdem, qui descriptus est pro Canonicis. Post Beneficiarios procedent ceteri Presbyteri seu Cappellani sacro ordine constituti, siqui aderunt.

39. Postquam Beneficiarii seu Mansionarii, Presbyteri et clerici in sacris laverint, ut supra, Altare, ascendet iterum Canonicus Sacrario praefectus cum clerico et effundet, ut ante, super Altare tertium vini urceum: tum clerici, initio facto ab Acolythis, ordine supra demonstrato, ascendent ad Altare, lavabunt ipsum et revertentur ad locum suum.

40. Altari ab omnibus lavato, Episcopus, comitantibus Diaconis assistentibus, sex Canonicis seu Dignitatibus stola paratis, redibit ante Altare, ut antea; reverentia autem facta ad Crucem, Diaconi assistentes recedent inter Canonicos.

41. Episcopus cum praedictis sex Canonicis paratis ascendet ad Altare eodemque tempore ascendent illuc a latere Epistolae clerici tres, quorum unus deferet pelvim cum spongiis, alter lancem cum mantilibus, tertius pelvim vacuam.

42. A Caeremoniario vel a Canonico Sacrista maiore Episcopus accipiet spongiam, a clericis accipient sex Canonici seu Dignitates.

43. Episcopus cum praedictis Canonicis vinum totum, quod supererit super mensam, spongiis colligent, spongiasque reponent in pelvibus et super eas ponent etiam aspergillorum flores vel folia, quae in actu lotionis forte ceciderint su-

per mensam Altaris. Clerici ad abacum referent pelvim cum spongiis.

44. Post haec Caeremoniarius aut Canonicus Sacrista maior mantile porriget Episcopo; clericus autem singula mantilia tradet singulis Canonicis seu Dignitatibus supradictis.

45. Episcopus cum iisdem Canonicis exsiccabunt ac tergent Altare cum omni diligentia, deinde mantilia restituent clerico, qui ad abacum illa reportabit.

46. Spongiae, mantilia, aspergilla quoque curabitur ut laventur, et aqua eorum lotionis infundetur in Sacrarium.

47. Episcopus cum sex Canonicis de Altari descendent et ante infimum gradum consistent.

48. Redibunt ad Episcopum Diaconi assistentes eique reponent pluviale cum formali et secundus Diaconus tollet ei mitram.

49. Hoc ipso tempore Acolythi duo ad Altare ascendent a latere ac mensam iterum cooperient tobalea cerata; a cantoribus autem repetetur antiphona *Diviserunt sibi vestimenta mea* etc.

50. Diaconi duo assistentes ad locum suum inter Canonicos redibunt.

51. Episcopus medius inter supradictos sex Canonicos geniculabit super pulvinum ibi a clerico appositum cumque Episcopo genuflectet omnis Clerus.

52. Genuflexo Episcopo et Clero, a cantoribus eodem vocis tono recitabitur ℣. *Christus factus est. . . mortem autem Crucis.*

53. Subiungetur secreto *Pater noster.*

54. Episcopus genibus flexis recitabit e libro a Cappellano sustento, orationem *Respice quaesumus, Domine* etc. cum conclusione secreta.

55. Oratione recitata, assurget Episcopus et cum ceteris reverentiam conficiet ad Crucem. Revertentur ad eum Diaconi duo assistentes, et primus eorum mitram ei reponet.

56. Episcopus medius inter Diaconos assistentes, qui attollent eius fimbrias pluvialis, praecedentibus sex Canonicis seu Dignitatibus paratis, redibit in thronum, ubi adiuvantibus Diaconis assistentibus, sacra paramenta dimittet et cappam resumet.

57. Praedicti sex Canonici stolam ac superpelliceum dimittent et resument cappam aut aliud indumentum chorale, quo utentur.

58. Canonicus Sacrista maior redibit in Sacrarium, dimittet superpellicium et resumet habitum choralem.

59. A clericis duobus ante Altare pro Episcopo reponetur faldistorium cum pulvinis.

60. Referentur a clericis in Sacrarium paramenta ab Episcopo et Canonicis adhibita.

61. Episcopus de throno descendet ad faldistorium ibique brevi orabit. Tum associatus a Clero adorabit SS. Sacramentum et ad aedes suas se recipiet.

62. Ritus iste peragi solet in Cathedralibus tantum. Absente autem Episcopo, persolvetur a Canonico hebdomadario, vel ab alio qui recitaverit orationem in fine Matutini Tenebrarum, eademque methodus observabitur, exceptis variationibus, quas heic subiicimus.

63. Apparatus erit idem, qui supra descriptus, excepto faldistorio, quo Celebrans non utetur.

64. Completo cantu Matutini Tenebrarum, Celebrans et sex Canonici seu Dignitates ibunt in Sacrarium ibique dimittent cappam vel aliud indumentum chorale, quo uti solent. Hoc tempore aspergilla Clero in choro distribuentur. Celebrans supra rochetum vel supra superpellicium induet amictum, stolam nigri coloris cum pluviali simili et caput cooperiet bireto. Reliquae sex Dignitates seu Canonici induent superpelliceum, stolam nigri coloris et caput operient bireto.

65. Canonicus etiam Sacrista maior induet sibi superpellicium in Sacrario et redibit prope Altare.

66. Reverentia facta ad Crucem vel ad imaginem primariam Sacrarii, praecedentibus clericis duobus, iunctis manibus redibunt ad Altare. Sex antedicti Canonici seu Dignitates incedent bini, antecedentibus qui recentiores sunt: ultimo loco ibit Celebrans, assistente Caeremoniario.

67. Quum ventum erit ad Altare, consistent ibi ante infimum gradum, biretum dimittent et expectabunt dum Canonici, Mansionarii seu Beneficiarii et clerici sint in ordinem instructi ante Altare, ut superius notatum est.

68. Clero tali modo ordinato, Celebrans cum sex Canonicis paratis genua submittent in infimo gradu. Celebrans alta voce intonabit antiphonam *Diviserunt sibi*, quam cantores prosequentur.

69. Celebrans cum iisdem sex Canonicis assurget, et adiuvante Caeremoniario dimittet pluviale, quod a clerico aliquo reponetur super abacum.

70. Ascendet ad Altare Celebrans cum sex Canonicis seu Dignitatibus ac tum ab ipsis cum a Clero fiet quod superius traditum est ut pro lotione, ita pro abstersione Altaris. Celebrans autem postquam de Altari descenderit, non sedebit, sed stabit medius inter ceteros sex Canonicos.

71. Postquam abstersum erit Altare, Celebrans resumet pluviale et quum redierit ante Altare repetetur antiphona, tum recitato ℣. *Christus etc.* cum *Pater noster*, dicet orationem *Respice*, ut innutum est superius.

72. Clerus in Sacrarium revertetur, quem sequentur sex Canonici parati et Celebrans.

DE FERIA VI. IN PARASCEVE CELEBRANTE EPISCOPO.

CAPUT XVII.

De rebus praeparandis.
Ad Altare ubi expositum erit SS. Sacramentum.

1. Genuflexorium sine strato cum duobus tantum pulvinis e panno violaceo, vel faldistorium cum pulvinis, eodem numero eademque qualitate.

2. Velum humerale nobile albi coloris pro Episcopo.

3. Intorticia numero octo e cera alba pro Cappellanis, ea gestaturis in processionem.

4. Pulvinus sericeus nigri coloris in gradu infimo Altaris pro Episcopo.

5. Scabellum gradatum, si opus erit, in commodum Diaconi, qui debebit e custodia SS. Sacramentum educere.

6. Stola nigra pro Sacrista, qui aperturus erit custodiam SS. Sacramenti.

7. Clavis urnae super mensam Altaris.

8. Extra Sacellum, baldachinum hastile albi coloris.

In Secretario seu Sacello,
in quo Episcopus induet paramenta.

9. Altare esto nudatum cum sola Cruce velata et sex candelabris ex aere vel cupro, non argento neque auro colorata, cum cereis e cera lutea.

10. Super mensam Altaris disponentur Episcopi paramenta simplicia, nempe opere phrygio aliisque ornamentis destituta, eaque sunt manipulus, planeta, dalmatica, tunicella, stola, Crux pectoralis, cingulum, alba et amictus, omnia contecta velo nigri coloris. Paramenta item erunt nigri coloris. In latere Evangelii ponetur mitra simplex, linea aut damascena albi coloris cum laciniis rubris in vittis.

11. Prope Altare ponetur basis pro Cruce archiepiscopali, si Celebrans erit Archiepiscopus.

12. Abacus instruetur tobalea, quae tegat partem tantum superiorem, neque ullo modo defluat a lateribus. Aderunt candelabra cum candelis e cera communi, si Celebrans erit Archiepiscopus; duae planetae nigri coloris plicatae duoque manipuli pro Ministris, Breviarium vel liber pro oratione *Respice* etc. urceus et pelvis argentea, lanx argentea cum mantilibus duobus, velum humerale simplex violaceum, si lotio ministrabitur a Magistratu, et Canon pontificalis.

13. Ante Altare statuetur faldistorium cum pulvinis duobus e panno violaceo.

14. Thronus erit totaliter nudus et super sedile cathedrae ponetur pulvinus e panno violaceo. Praeparentur etiam duo scabella pro Diaconis assistentibus.

15. Prope Altare a latere Epistolae solitum scamnum pro Ministris, sine ullo tegumento.

16. Scamna pro Canonicis ceterisque de Clero sunto etiam nuda, omni ornatu ac tegumento destituta.

In aula seu Sacristia Secretarii.

17. Paramenta nigri coloris pro Canonicis, videlicet pluvialia pro Dignitatibus, planetae pro Canonicis Presbyteris et planetae plicatae pro Diaconis ac Subdiaconis, cum amictibus in singulis paramentis.

18. Paramenta pro Ministris sacris, nempe bini amictus, binae albae, bina cingula et stola una coloris nigri. Pluviale cum amictu pro Presbytero, qui hac die erit « *Canonicus Presbyter digniori Presbytero proximus* » quemadmodum praescribit Caeremoniale lib. II. cap. XXV. num. 7.

19. Pluvialia nigra duo pro Cappellanis a mitra et a libro.

20. Si Celebrans erit Archiepiscopus, praeparabitur etiam planeta plicata nigri coloris cum cingulo, alba et amictu pro Subdiacono, qui Crucem archiepiscopalem gestare in processionem debebit. Paramenta omnia carebunt omni opere phrygio omnique ornamento, quod praeseferat solemnitatem.

In Altari maiore.

21. Super Altare, quod erit totaliter nudum, erunt sex candelabra e cupro aut ex aere aliave materia fusci coloris cum candelis e cera communi non purgata, seu lutea. Inter candelabra aderit Crux eiusdem materiae, pede alto et aequali candelabris. Crux autem erit levis in commodum Episcopi contecta velo sericeo nigro, ita aptato, ut facile tolli possit: posset ideo esse circumsutum, excepto brachio dextero et summitate, ubi firmabitur globulis nigris vel uncinis exiguis.

22. In suppedaneo ponetur faldistorium nudum pro Episcopo, a latere Epistolae ita collocatum, ut quando ibi sedebit Episcopus, habeat Altare dextrorsum.

23. A latere Evangelii ponetur Crux processionalis contecta

velo violaceo ponetur in basi; quod si Celebrans fuerit Archiepiscopus, praeparabitur basis tantum.

24. Ante Altare praeparabitur faldistorium cum duobus pulvinis laneis coloris violacei.

Super abaco.

25. Abacus erit nudus et planum eius superius cooperietur mantili, quod nullatenus pendeat a lateribus. Ponentur super ipsum candelabra cum candelis luteis pro Acolythis, si Celebrans fuerit Episcopus; sin erit Metropolita, ponentur in Sacello Secretarii, ut supra dictum est. Urceus cum pelvi ex argento. Mantilia duo in lance argentea Si lotionem ministrabit Magistratus, praeparabitur etiam velum humerale simplex coloris violacei. Ampullae vini et aquae in pelvicula argentea cum patera praegustationis. Calix argenteus cum purificatorio, patena, palla et corporali intra bursam nigram: quod si placebit uti calice posito intra custodiam cum SS. Sacramento, praeparabitur bursa cum corporali et purificatoria. Vasculum aquae operculo instructum et purificatorium, si necesse fuerit. Cussinus nigri coloris aequalis paramentis, vel legile pro Missali. Missale cum tegumento et signaculis nigris pro Episcopo. Epistolarium et Evangeliarium cum vestibus nigris et signaculis similibus. Tobalea Altaris plicata, quae mensam tantum cooperiat nec defluat quidquam a lateribus. Gremiale nigrum aequale paramentis pro Episcopo. Thuribula argentea duo cum naviculis similibus. Pulvinus niger, in quo geniculaturus erit Episcopus ante Altare. Stola latior nigra pro Diacono. Lanx argentea ad excipiendas oblationes, quae fient Cruci. Formula Indulgentiarum. Breviarium maioris formae pro oratione *Respice* etc. in fine Vesperarum.

26. Prope abacum aderit tapetum amplum e panno violaceo cum pulvino e serico villoso coloris violacei ornato aureis praetextis et velum album sericeum cum opere phrygio et ornatibus coloris violacei, adhibendum in adoratione Crucis. Velum album et pulvinus suas habebunt taenias ad alligandam Crucem, si opus fuerit.

In Presbyterio.

27. Thronus esto nudus: aderit tantum pulvinus unus e panno violaceo in sede cathedrae: erunt scabella consueta pro Diaconis assistentibus.

28. Hastae cum gossipio cerato ad accendendas debito tempore candelas.

29. In candelabris maioribus seu fanalibus ponentur intorticia vel candelae e cera lutea.

30. Subsellia Canonicorum erunt nuda totaliter.

31. Praeparabitur etiam scabellum gradatum, si opus fuerit, ad conscendendum Altare, ut possit accipi Crux, quando erit detegenda.

32. Statuetur pulpitum nudum pro Concionatore versus cornu Evangelii non longe a Presbyterio.

In Sacrario.

33. Pluvialia octo nigri coloris pro Mansionariis gestaturis umbraculum hastile.

34. Amictus, albae, cingula, manipuli nigri et stolae nigrae pro cantoribus Passionis, omnia tria numero.

35. Liber Passionis cum veste et signaculis nigri coloris.

36. Nisi Celebrans fuerit Metropolitanus, praeparabitur planeta nigra plicata cum cingulo, alba et amictu pro Subdiacono Crucem gestaturo.

37. Vasculum aquae sanctae cum aspersorio, si servabitur aqua benedicta in fontibus lustralibus ecclesiae, quemadmodum in Matutino hesterni diei.

De functione

38. Hora praestituta recitabuntur in choro Horae minores, Prima, Tertia et Sexta, extinctis cereis.

39. Completa Horarum minorum recitatione, pulsabitur crotalum prope portam Sacrarii, quod erit signum Canonicis associandi Episcopum ut cap. IV. lib. V.

40. Si Celebrans fuerit Archiepiscopus, habebit ante se Crucem archiepiscopalem, et quum steterit in limine ecclesiae, se asperget et adstantes, si mos erit servandi hisce etiam diebus aquam sanctam in conchis apud portas ecclesiae, secus ritus iste omittetur.

41. Episcopus in ecclesiam ingressus caputio cappae cooperiet caput, et hac die abstinebit a benedicendo adstantes.

42. Quum pervenerit ad Sacellum, in quo aderit expositum SS. Sacramentum, caput nudabit caputio, ad faldistorium accedet, genuflexionem faciet utroque genu, geniculabit in faldistorio, orabit et genuflexione iterata ut supra, egredietur de praedicto Sacello et caput rursus caputio cappae cooperiet.

43. Transibit ad Secretarium sive ad Sacellum in quo separabit, ibique reverentia ad Crucem facta, geniculabit in faldistorio ac brevi tempore orabit, caputio de capite dimisso. Canonici et ceteri omnes locum in suis subselliis occupabunt, exceptis tribus Canonicis ministraturis officio Presbyteri assistentis, Diaconi et Subdiaconi, qui recedent ad sacra paramenta sibi induenda, ut praesto sint in fine Nonae. Cum ipsis recedet etiam ad se parandum Subdiaconus a Cruce, si Celebrans erit Metropolita, et Cappellanus a mitra.

44. Episcopus de oratione assurget, salutabit Crucem, caput operiet caputio, ascendet in thronum, syrmam cappae tractans humi et sedebit in cathedra nuda, absentibus a lateribus eius Diaconis assistentibus.

45. Brevi interposita mora, Episcopus assurget cumque ipso etiam chorus et caputio dimisso, conversus ad Altare dicet secreto *Pater noster* et *Ave Maria*. Post haec, signo a Caeremoniario facto cantori, qui aderit ex parte hebdomadario opposita, cantor ille submissa voce intonabit psalmum Nonae *Mirabilia testimonia tua* etc. et cum reliquis duobus continuabitur pausatim et alternatim a choro, qui sedebit.

46. Episcopus sedebit seque cooperiet caputio ad psalmi intonationem. Se sistet ei Cappellanus a libro cum Canone pontificali, et Episcopus omissis psalmis et precibus consuetis, recitabit solum orationes ad paramenta, omittens orationes statutas ad caligas et chirothecas, quae hac die non adhibentur.

47. Quum Cappellanus a libro officium suum expleverit, de throno discedet, librum relinquet super abacum et recedet in proximam Sacristiam ad induendum pluviale, exiturus deinceps, quum tempus erit, cum altero Cappellano a mitra, et pro oratione *Respice* supplere poterit alter clericus superpellicio indutus.

48. Sub finem psalmi tertii assurget Episcopus, descendet ad faldistorium, sibique detracto caputio, geniculabit ad antiphonam *Christus factus est* et ad *Miserere*, quod etiam faciet omnis chorus.

49. Curabitur, ut interea sint in promptu ministri lotionis, praesertim si haec ministrabitur a Magistratu, et clerici delaturi paramenta ad Episcopum.

50. Sub finem psalmi *Miserere*, Cappellanus aut clericus unus praesentabit Episcopo librum, ex quo ipse recitabit orationem *Respice, quaesumus, Domine,* secreto autem proferet conclusionem *Qui tecum* etc.

51. Post orationem assurget et facta ad Crucem reverentia, redibit in thronum.

52. Clerici duo tollent de medio faldistorium cum pulvinis et locabunt seorsim.

53. Post Episcopum ascendent ad thronum Diaconi duo assistentes et locum occupabunt apud scabella. Ascendet etiam Cubicularius, qui consistet prope secundum Diaconum assistentem.

54. Ingredientur in chorum Presbyter assistens, Diaconus et Subdiaconus parati, cumque ipsis intrabunt Cappellani a mitra et a libro, induti pluviali.

55. Ministri consistent apud scamnum suum prope cornu Epistolae, et Presbyter assistens ascendet in thronum ad Episcopi dextram.

56. Ministri lotionis appropinquabunt throno et distribuentur clericis paramenta Episcopi.

57. Episcopus, adiuvantibus Diaconis assistentibus et cubiculario cappam dimittet; a cubiculario autem expedietur eius extremitas posterior vestis.

58. Episcopus sedebit, et Presbyter assistens ex eius di-

gito educet annulum. Diaconi assistentes unum ex mantilibus extendent super eius genua, alterum accipietur a Presbytero assistente. Episcopus lavabit manus, eoque tempore genuflectent omnes, exceptis Canonicis, et Presbyter assistens porriget ei mantile sine osculo manus; quando autem de throno discedent ministri lotionis, descendet et ipse a latere de throno et primum in choro locum occupabit, qui proximus throno eidem erit.

59. Canonici recedent ad paramenta induenda, et parati redibunt in chorum ad subsellia sua.

60. Ascendent ad thronum cum debitis reverentiis Diaconus et Subdiaconus, sequentibus clericis, qui deferent paramenta Episcopi. Diaconi assistentes recedent ad assumenda paramenta et parati ad thronum revertentur.

61. Episcopus a praedictis Ministris parabitur amictu, alba, cingulo, Cruce pectorali, stola, tunicella, dalmatica et planeta. Statim deinde Subdiaconus imponet ei manipulum, Diaconus mitram, et reverentia ei facta descendent de throno et pergent ad abacum; ubi planetam induent et manipulum brachio inducent.

62. Profectis antedictis Ministris, revertetur ad thronum Presbyter assistens, qui annulum inseret digito annulari dextro Episcopi, cuius prope dexteram consistet, expectans dum tempus sit in processionem incedendi loco sibi attributo, ut inferius docebitur.

63. Si prima prophetia cantanda erit a Beneficiario, qui in choro non utatur superpellicio, hic recedet in Sacrarium, dimittet insignia choralia, et superpellicio indutus praesto erit prope abacum Altaris maioris.

64. Ministri, induto manipulo et planeta plicata, revertentur ad thronum et consistent versus sinistram Episcopi, donec sit tempus in processionem proficiscendi.

65. Ordinabitur processio, et methodo in aliis Pontificalibus servata, dirigetur per ecclesiam ea ratione, ut procedat ad Altare primarium, observando sequentem ordinem.

66. Antecedent clavigeri seu claviger ecclesiae cum insignibus consuetis, si aderunt. Tum clerici Seminarii, Benefi-

ciarii seu Mansionarii, Canonici Subdiaconi, Canonici Diaconi, Canonici Presbyteri, Dignitates, Subdiaconus, qui incedet solus, neque deferens librum Evangeliorum, Presbyter assistens cum Diacono a sinistris eius, Episcopus iunctis manibus nec benedicens adstantes, medius inter Diaconos assistentes, Caudatarius syrmam seu posteriorem extremitatem vestis episcopalis sustentans, duo Cappellani a mitra et a libro, postremo familiares nobiles Episcopi.

67. Si Celebrans fuerit Archiepiscopus, postquam erit omnibus paramentis indutus, se sistet Subdiaconus, géstans Crucem, ante thronum medius inter Acolythos, qui sustinebunt candelabra cum candelis extinctis, et Archiepiscopus assurgens se Cruci supradictae inclinabit, tum rursus sedebit, expectans signum proficiscendi. Hoc casu processio ordinabitur alia ratione; namque praeibunt clerici Seminarii, Beneficiarii seu Mansionarii, deinde Crux a Subdiacono gestata inter Acolythos cum candelabris, extinctis cereis, et imagine Crucifixi, quamquam velo contecta, versa ad Archiepiscopum. Sequentur Canonici parati, et reliqui, ut supra.

68. Quum processio ad Altare maius pervenerit, unusquisque occupabit locum sibi in choro convenientem, ac si Celebrans erit Archiepiscopus, Acolythi candelabra deponent super abacum, et Subdiaconus, Cruce firmata in sua basi, remanebit ibi prope Altare.

69. Episcopus ante faldistorium quum pervenerit, mitram per Diaconum dimittet, deinde se prosternet super faldistorium et prolixius, quam assolet, orabit. Adstabit ipsi Presbyter assistens a dextris, Diaconus a sinistris et a sinistris Diaconi Subdiaconus stabit: duo Diaconi assistentes consistent a tergo Episcopi et post Diaconos ipsos stabunt Cappellani a libro et a mitra.

70. Donec Episcopus erit genuflexus, ceteri omnes genibus insistent, exceptis illis qui debebunt actionem aliquam peragere. Duo Acolythi hoc tempore cum debitis genuflexionibus ascendent ad Altare et in eo ponent tobaleam, quae cooperiet mensam tantum, eamque ponent in longitudinem plicatam versus candelabra, ita ut possit deinceps explicari super mensam ipsam, ut declarabitur inferius.

71. Clericus alter accipiet ex abaco cussinum nigrum eumque statuet super mensam Altaris in latere Epistolae, ut in illo superponatur Missale. Clerici supradicti, functi officiis suis, redibunt quo loco erant, et geniculabunt. Aderunt etiam clerici duo, qui tollent de medio faldistorium. Clericus alter in promptu habebit gremiale Episcopi, tradendum Diacono, ut infra.

72. Postquam Episcopus oraverit, ut supra, assurget et praedicti duo Clerici amovebunt faldistorium cum pulvinis. Diaconus se sistet a dextris Episcopi, Subdiaconus a sinistris: Episcopus autem medius inter ipsos, sequente Cappellano a mitra, ascendet ad Altare, quod osculabitur in medio. Postea ibit sessum in faldistorio nudo, statuto in suppedaneo. Ibi sedens habebit a dextris Altare, a sinistris chorum.

73. Sedenti in faldistorio Episcopo Diaconus imponet mitram capiti et gremiale super genua.

74. Ubi Episcopo sedenti imposita erit mitra, Presbyter assistens veniet ante Altare versus Episcopum vel in latere Epistolae, Diaconi assistentes consistent versus cornu Evangelii, loco ambobus Ministris relicto. Descendent Diaconus et Subdiaconus, qui locum occupantes inter Presbyterum assistentem et Diaconos assistentes, conficient iunctim reverentiam ad Altare et ad Episcopum, tum conversi sedebunt in gradu primo infra suppedaneum, ordine supradicto, scilicet Presbyter assistens prope Episcopum, Diaconus a dextris Presbyteri assistentis, Subdiaconus a dextris Diaconi, primus Diaconus assistens a dextris Subdiaconi et secundus Diaconus assistens a dextris primi Assistentis. Cappellani a mitra et a libro sedebunt a tergo Episcopi in gradibus lateralibus Altaris.

75. Episcopo et praedictis Ministris sedentibus, accipietur Epistolarium aut Missale a Beneficiario vel ab alio, qui pro consuetudine cuiusque ecclesiae cantare prophetiam debebit: eum comitabitur Caeremoniarius ante Altare, eoque loco facta genuflexione, consistet ubi solet cantari Epistola et primam lectionem cantabit sine titulo ullo ac tono pro lectionibus statuto. Ipse sibi librum sustinebit, neque ei quisquam librum, multo minus legile sustentabit. Sub finem cantus prophetiae, Cappellanus a libro accipiet ex abaco Missale pro Episcopo.

76. Postquam Beneficiarius vel alius prophetiam cantaverit, redibit in medium et genuflexione facta ad Altare, redibit ad abacum in quo relinquet librum, deinde recedet in Sacrarium ad resumenda insignia choralia, rediturus in chorum ad locum suum.

77. Hoc tempore poterunt se parare tres cantores Passionis, ut in promptu sint prope Altare, quando cantabitur Tractus secundus.

78. Cantata prophetia antedicta, consurgent Ministri et Assistentes, qui sedebant ante et circa Altare. Ministri et Assistentes iidem, assurgentes, convertentur ad Altare, quin mutent locum suum et reverentiam ad Crucem, deinde ad Episcopum conficient. Presbyter assistens se sistet a sinistris Episcopi, ut assistat ipsi quando leget: Diaconus adstabit dexterae, Subdiaconus sinistrae Episcopi, non tamen a lateribus, sed paulo retro: Diaconi duo assistentes stabunt post Ministros praedictos, sed in plano ante gradus Altaris.

79. Cappellanus a libro, accepto Missali, genuflexionem in medio ante Altare faciet ad Crucem, conscendet suppedaneum, genuflectet ad Episcopum, aperiet Missale eique sustinebit apertum, ex quo Episcopus leget prophetiam et Tractum primum, quo lecto, Cappellanus a libro ponet Missale in cussino apertum super Altare et ad locum suum se recipiet.

80. Aderit semper prope Altare clericus unus, ac si opus fuerit, etiam duo, qui tollant faldistorium de suppedaneo Altaris, quando necesse erit, nisi forte suppedaneum adeo longum sit, ut faldistorium super ipso positum nequaquam impediat actiones, quae deinceps innuentur.

81. Interea cantabitur Tractus, qui primam prophetiam sequitur, et in fine ultimi versiculi, Diaconus veniet ante Episcopum, tollet ei gremiale et mitram, tum descendet in gradum primum, et a tergo eius in ultimo gradu stabit Subdiaconus et a latere dextro Altaris Presbyter assistens, ut assistat ad librum.

82. Episcopus, mitra nudato capite, assurget et a clericis amovebitur faldistorium. Cantu supradicti Tractus absoluto,

Episcopus ad Altare conversus cantabit *Oremus* et Diaconus cantabit *Flectamus genua* omnesque genua flectent, excepto Episcopo: Subdiaconus cantabit *Levate* et consurgent universi. Episcopus iunctis manibus, tono feriali subiunget orationem *Deus a quo et Iudas* etc.

83. Orationis tempore, Subdiaconus dimittet planetam plicatam et recipiet librum Epistolarum, quem utraque manu sustinebit ante pectus. In fine orationis procedet ante Altare et faciet reverentiam, tum veniet eo ubi cantatur Epistola, expectans dum sedeat Episcopus, priusquam illam cantare incipiat.

84. Quum Episcopus orationem compleverit, reponetur faldistorium eadem, ut antea, positione et Episcopus in eo sedebit. Diaconus imponet ei mitram, deinde gremiale, tum aggregabit se Presbytero assistenti ac Diaconis assistentibus, et sedebunt ut ante.

85. Sedenti Episcopo Subdiaconus reverentiam faciet, et lectionem tono Epistolae cantabit.

86. Absoluto lectionis cantu, consurgent Ministri et Assistentes, qui sedebant in gradu Altaris seque disponent quo ordine stabant, dum Episcopus prophetiam legebat.

87. Cappellanus a libro, cum genuflexionibus supra indicatis, redibit ad Altare, Missale accipiet ac praesentabit Episcopo, qui ex illo secundam lectionem leget ac Tractum, dum cantores Tractum ipsum cantabunt.

88. Subdiaconus, cantata lectione, iterabit reverentiam ad Crucem, relinquet librum in abaco, sibi rursus induet planetam et ascendet ad sinistram Episcopi, ut antea.

89. Hoc tempore exibunt e Secretario cantores Passionis cum Cappellanis, exsequentur quae descripta sunt in Dominica Palmarum (cap. XI. num. 82. et seqq. libri huius) eo tantum discrimine, ut utantur paramentis nigri coloris neque Episcopi manum osculentur priusquam incipiant cantum Passionis.

90. Quum Episcopus legere Tractum desierit, reponet super Altare Cappellanus Missale apertum; quo facto, ad locum suum se recipiet.

91. Cantu Tractus finito, Diaconus Episcopo tollet gremiale, deinde mitram. Cantores Passionis incipient ipsam cantare: Episcopus assurget: amovebitur faldistorium. Episcopus leget Passionem e Missali, posito super Altare in cornu Epistolae, aliquantulum conversus ad cantores praedictos, ad illa verba *tradidit spiritum*, nonnihil morae interponet, sed non geniculabit: perget deinde Passionem legere et ultimam quoque partem, praemittens *Munda cor meum*, remanensque in eodem vestigio.

92. Passionem legenti Episcopo Presbyter assistens a latere Altaris assistet ad librum. In gradu primo infra suppedaneum stabit Diaconus a dextris Episcopi: in gradu secundo a dextris Diaconi stabit Subdiaconus: Diaconi assistentes consistent in plano prope Diaconum et Subdiaconum.

93. Lecta Passione, Episcopus convertetur versus cantores, non abscedens loco suo: Presbyter assistens locum sumet aut supra suppedaneum aut in gradu primo a sinistris Episcopi: Diaconus in gradu altero a sinistris Presbyteri assistentis: Subdiaconus a sinistris Diaconi: primus Diaconus assistens a sinistris Subdiaconi: Diaconus secundus a sinistris primi, atque ita quamdam ferme lineam rectam versus cantores antedictos efficient.

94. Paullo ante quam cantentur verba *Consummatum est*, Caeremoniarius ex abaco accipiet pulvinum nigri coloris eumque ponet ante Episcopum. Ubi incipietur cantus verborum *tradidit spiritum*, omnes quo loco erunt, geniculabunt brevi tempore, conversi ad cantores, qui procumbent in genua ante librum. Assurgente deinde Diacono cantore, consurgent universi et cantus Passionis usque ad exitum continuabitur. Curabitur, ut sit qui tollat pulvinum, in quo genuflexerit Episcopus.

95. Provideatur etiam, ut invitetur sacer Orator, si concio habebitur de Passione Redemptoris.

96. Expleto Passionis cantu, reponetur faldistorium, ut a principio, in quo sedebit Episcopus: considebit etiam Clerus in choro. Diaconus mitra cooperiet Episcopum et super eius genua ponet gremiale. Discedent cantores Passionis cum capellanis suis, eumdem ordinem servantes, quo ad Altare venerunt.

97. Diaconus, reposita mitra et gremiali Episcopo, reverebitur eum et a latere de Altari descendens, accedet ad abacum: ibi dimittet planetam plicatam, sibi imponet stolam latiorem, accipiet librum Evangeliorum et redibit ad Altare. Progressus ante gradus, reverebitur Crucem et Episcopum, ascendet ad Altare, ponet in media mensa librum praedictum, geniculabit in suppedaneo et recitabit *Munda cor meum*.

98. Subdiaconus medius inter Acolythos duos, qui candelabra non gestabunt, procedet cum ipsis ad Altare et consistent ante gradus. Appropinquabit Episcopo Cappellanus a mitra et secundus Diaconus assistens.

99. Diaconus, postquam dixerit *Munda cor meum*, assurget, accipiet librum, de Altari descendet et a dextris Subdiaconi consistet: cum ipso conficiet reverentiam ad Altare et ad Episcopum, Acolythi vero genuflexionem, et procedent ad ultimam partem Passionis cantandam tono Evangelii, ritu praescripto in Dominica praecedenti, excepto quod liber non adolebitur, neque Episcopus osculabitur illum.

100. Quando Diaconus cum Subdiacono de Altari discedet, secundus Diaconus assistens ascendet in suppedaneum, tollet gremiale et mitram Episcopo et recedet ad locum suum.

101. Episcopus, et cum ipso omnis chorus, assurget et convertetur ad Diaconum, qui cantabit Evangelium. Adstabit ei sinistrorsum Presbyter assistens et Diaconi assistentes se collocabunt ut ad cantum Passionis. Si opus fuerit, de Altaris suppedaneo tolletur faldistorium.

102. Evangelio cantato, Episcopus non osculabitur textum. Reponetur faldistorium in suppedaneo, sed converso postergali ad Altare; ibi sedebit Episcopus, rursus cooperietur mitra et recipiet gremiale a Diacono, qui nisi esset in promptu, adimplebitur hoc officium a primo Diacono assistente.

103. Quum sederit Episcopus, deducetur ante ipsum Concionator, qui genibus flexis (si esset Canonicus eiusdem ecclesiae profunde inclinabitur) non osculans manum eius nec petens benedictionem, poscet indulgentiam, dicens *Indulgentias, Reverendissime Pater* et Episcopus respondebit *Consuetas* vel *quadraginta dierum*: quod si Celebrans fuerit Cardinalis, dicet

centum dierum. Concionator assurget, descendet in planum, genuflexionem faciet aut reverentiam ante Altare et ascendet in pulpitum.

104. Concionatore de Altari profecto, sedebunt Ministri et Assistentes in gradu Altaris, ut antea, et sedebit etiam Chorus.

105. Concionator, conscenso pulpito, genuflectet ad Altare: sedebit momento temporis: caput deteget, assurget, se muniet signo Crucis, non recitabit *Ave Maria* et sacram concionem inchoabit. Post concionem autem, quum non fiat absolutio consueta, stans in pedes et capite detecto leget formulam usitatam Indulgentiae e tabella seu libello, quem ipsi tradet Caeremoniarius vel clericus aliquis.

106. Absoluta concione, omnes consurgent, et publicata indulgentia, descendet de pulpito Concionator, efficiens genuflexionem aut reverentiam ad Altare et ad Episcopum.

107. Episcopo tolletur gremiale cum mitra a Diacono. Presbyter assistens veniet ad Missale; Diaconus post Episcopum in gradum primum; Subdiaconus in ultimum gradum et Diaconi assistentes post Subdiaconum.

108. Nisi habebitur sacra concio, quum Diaconus cantaverit Evangelium, convertetur Episcopus ad Altare et orationes cantabit, ut infra.

109. Assurget Episcopus et amovebitur faldistorium. Episcopus ad Altare conversus cantabit e Missali orationes, iungens tamen manus in invitatione ad orationem, quae invitatio cantabitur notis in Missali praescriptis, oratio autem tono feriali et apertis manibus. Ante orationem cantabitur *Flectamus genua* a Diacono et *Levate* a Subdiacono, quando in Missali notabitur, ideoque curae erit Caeremoniario eos hac de re monere. Ad *Flectamus genua* geniculabunt omnes, ut supra dictum est, exceptis Episcopo et Presbytero assistente (*a*).

110. Ad orationem *pro haereticis* clerici duo acceptum tapetum violaceum extendent secundum Presbyterium, ponentes summitatem illius in infimo gradu Altaris, si locus id patiatur. Clericus alter ponet in eodem gradu vel in summitate ta-

(*a*) De oratione *pro Romano Imperio* vide lib. II. cap. XXVI. num. 41.

peti pulvinum violaceum e serico villoso, et super pulvinum superque tapetum explicabit velum album. Clerici supradicti conficient genuflexionem iunctim, quando pervenient ante Altare et quando inde discedent.

111. Si Altare versum ad Orientem esset, tapetum in media navi principali ecclesiae esset ponendum adhaerens Altari aut Confessioni.

112. Sub finem orationis, aderunt prope abacum cantores duo qui secum habeant Missale aut librum, in quo scriptum sit cum notis *Ecce lignum Crucis* etc. Aderit ibi etiam Sacrista superpellicio indutus.

113. Orationibus cantatis, reponetur faldistorium in suppedaneo Altaris, ut in functionis initio. Presbyter assistens accipiet ex Altari Missale et tradet ipsum Cappellano a libro: Diaconus et Subdiaconus ascendent in suppedaneum; Diaconi autem assistentes consistent a latere ante gradus Altaris in plano Epistolae. Episcopus sedebit: Diaconus et Subdiaconus exuent Episcopum planeta, quae reponetur super abacum: pileolus etiam ei tolletur a Diacono.

114. Episcopus assurget de faldistorio, quod statim removebitur, et medius inter Diaconum et Subdiaconum descendet in primum gradum infra suppedaneum, facie ad populum conversa, quicumque sit Altaris situs, sive nempe adhaereat parieti, sive sit versum ad navem primariam ecclesiae: Presbyter assistens Missale accipiet ac sustinebit apertum ante Episcopum, stans aliquantulum a latere, ne populo impediat prospectum Episcopi.

115. Si opus fuerit, collocabitur ante Altare scabellum gradatum, quo conscenso, Sacrista tollet de pede Crucem: quam de Altari descenderit, amovebitur scabellum. Diaconus, qui prope scabellum adstabit, acceptam Crucem tradet Episcopo ita ut imago Crucifixi versa sit ad populum. Praedicti duo cantores approximabunt ad Episcopum, locum sumentes ferme post Diaconum vel Subdiaconum, iuxta positionem Altaris.

116. Episcopus, recepta a Diacono Cruce, eodem adiuvante, deteget summitatem Crucis, quam sustinens utraque manu ante pectus, e Missali sustento a Presbytero assistente, canta-

bit verba *Ecce lignum Crucis;* praedicti duo cantores prosequentur reliqua, nempe *in quo salus mundi pependit* et chorus cantabit *Venite adoremus.* Omnes ad illa verba genuflectent, excepto Episcopo: Presbyter assistens librum claudet ac geniculabit cum ceteris.

117. Expleto cantu verborum *Venite adoremus,* consurgent omnes et Episcopus cum Ministris supradictis eodemque ordine, ascendet in suppedaneum Altaris, quo loco a Celebrante legitur Epistola, et adiuvante Diacono, deteget caput Crucifixi cum brachio dextro et brachium seu latus dexterum Crucis, et cantabitur *Ecce lignum* ut prima vice, animadvertendo, ut vox tollatur hemitonio, omnesque ut antea geniculabunt.

118. Post secundam adorationem Episcopus cum omnibus Ministris suis, ut in prima, veniet ad medium Altaris, deteget Crucem ex toto vocemque elevans altero hemitonio, cantabit tertia vice *Ecce lignum* etc. omnesque in genua procumbent eoque statu manebunt post *Venite adoremus.*

119. His verbis a Choro cantatis, Episcopus solus, comitante Caeremoniario, descendet de Altari deferens Crucem ad pulvinum praeparatum super tapetum violaceum in presbyterio aut in nave ante Altare, ut supra declaratum est. Ibi geniculabit, Crucem deponet super pulvinum ac si opus fuerit, in summitate et in extremitate ligabit eam taeniis appositis.

120. Episcopus assurget, genuflexionem conficiet ad Crucem et redibit ad Altare, in quo statim reponetur faldistorium, ibique aderit cubicularius Episcopi. Assurgente Episcopo, ceteri etiam omnes consurgent: Ministri autem qui aderunt ad Altare, assurgent et genuflexionem conficient una cum Episcopo versus Crucem in pulvino positam, et Diaconus cum Subdiacono occurrent ei, reducturi eumdem ad faldistorium. Presbyter assistens recedet de Altari et Missale tradet Cappellano a libro. Prope faldistorium aderit Cappellanus cum mitra.

121. Reverso ad Altare Episcopo, clericus unus collocabit a dextra Crucis lancem seu pelvim ad excipiendas oblationes.

122. Episcopus cum Ministris veniet ad faldistorium et in ipso sedebit. Diaconus reponet ei mitram: sedenti autem

cubicularius educet calceos. Episcopus in adoratione Crucis retinebit manipulum, itemque Ministri, neque enim Caeremoniale praescribit, ut dimittatur. Diaconi assistentes praesto erunt prope faldistorium: Caeremoniarius deferet bursam cum oblatione facienda ab Episcopo.

123. Episcopus, dimissis calceis, assurget et recedentibus Diacono ac Subdiacono succedent in assistentiam illius Diaconi duo assistentes, inter quos descendet de Altari cumque ipsis procedet usque ad extremitatem tapeti, incedens a sinistris suis et extra tapetum ipsum. Quum eo ventum erit, secundus Diaconus assistens tollet ei mitram et pileolum; caudatarius autem dimittet syrmam eius ut humi defluat. Duo Diaconi cum caudatario celeriter recedent, redeuntes ad principium seu summitatem tapeti, sed extra ipsum et ad dexteram.

124. Episcopus cum Caeremoniario tantum, qui eum comitabitur, genua submittet in extremitate tapeti ac brevi tempore orabit: assurget ac procedens ulterius, geniculabit in medio, brevi orans ut supra: rursus assurget et progrediens ante Crucem genua flectet et post brevem orationem, se inclinabit et osculabitur Crucifixum. Postea bursam cum oblatione a Caeremoniario accipiet eamque ponet in lance.

125. Assurget Episcopus et genuflexione facta uno genu ad Crucem, recedet extra tapetum, ubi aderunt Diaconi assistentes cum Caudatario, primusque Diaconus assistens reponet ei pileolum cum mitra; tum medius inter ipsos redibit ad altare, nullam ibi faciens reverentiam, absente Cruce.

126. Clerus in choro stabit, dum Episcopus adorabit Crucem. Statim ac Episcopus de Altari discedet iturus ad adorationem Crucis, cantores incipient cantare improperia eaque continuabunt toto adorationis tempore.

127. Dimittente, ut supra, calceos Episcopo, dimittent etiam Canonici; Ministri autem deponent illos in stallis suis, quando Episcopus eos deponet.

128. Post Episcopum procedent ad adorandam Crucem hoc ordine. Presbyter assistens medius inter Diaconum et Subdiaconum: tum Dignitates: Canonici Presbyteri: Diaconi

assistentes: Canonici Diaconi: Canonici Subdiaconi: Subdiaconus paratus, qui gestaverit Crucem archiepiscopalem, si Celebrans erit Archiepiscopus, secus parabit se propter Processionem post adorationem: Beneficiarii seu Mansionarii: Cappellanus a mitra et alter etiam a libro, nisi occupatus erit in officio suo: clerici Seminarii: Magistratus: laici nobiles: familiares nobiles Episcopi: populus, pro quo deligentur duo pluresve clerici qui confusionem prohibeant in exsequendis tribus genuflexionibus praescriptis.

129. In eadem adoratione non dimittentur paramenta a Ministris sacris, neque a Canonicis quidem et ceteris, qui eis erunt induti, quum hac in re sit explicita Caeremonialis dispositio; alioquin superesset eisdem solus amictus. Omnes illi, qui ad adorationem accedent, servabunt ordinem Episcopo praescriptum: nisi quod ad vitandam actionis prolixitatem, poterit alius ordo observari, videlicet quando primi aderunt ad Crucem, secundi genuflectent in medio tapeto, tertii genuflectent in principio illius. Quapropter opportunum esset, ut deligerentur clerici sex, qui adessent a lateribus tapeti et eo loco quo facienda erit genuflexio, ut ordine debito ritus iste servetur.

130. Advertatur, quod Presbyter assistens, Diaconus et Subdiaconus non accedere ad adorationem debent, nisi quum discesserit Episcopus, rediturus ad Altare.

131. Notandum etiam, quod incedere bini debent ad adorationem ac si quo in ordine, ex. gr. Canonicorum aut alio dispar esset numerus, ultimo loco accedent terni: sic Subdiaconus Crucifer coibit cum primo Beneficiario: Cappellanus a mitra cum primo clerico Seminarii, idemque de Magistratu dicendum et laicis nobilibus.

132. Episcopus ad Altare reversus sedebit in faldistorio, et cubicularius ei calceos statim reponet, deinde cum ceteris familiaribus recedet. Episcopus mitra nudabitur a secundo Diacono assistente et a primo reponetur ei planeta, mitra et gremiale. Haec actio adimplebitur a praedictis Diaconis, siquidem Ministri seu Diaconus et Subdiaconus quorum esset, aderunt ad Crucis adorationem.

133. Hoc tempore a clerico aliquo detegetur Crux archiepiscopalis vel processionalis; itemque a clericis aliis detegentur Cruces, quae aderunt in ecclesia.

134. Episcopo, post resumptam planetam et mitram, se sistet Cappellanus cum Missali, qui accedens ad Altare advertet ut genuflectat versus Crucem super pulvinum positam; Episcopus autem leget improperia (a).

135. Quando ad Altare redibunt sacri Ministri post adorationem Crucis, discedent Diaconi assistentes et ascendent ad illam adorandam; in eorum autem locum succedent Ministri praedicti.

136. Crucis adorationis tempore advertentur quae sequuntur.

137. Subdiaconus Crucifer, nisi erit paratus, postquam adorationem peregerit, perget in Sacrarium, se parabit amictu, alba, cingulo et planeta plicata nigri coloris, tum redibit in chorum et apud abacum consistet.

138. Mansionarii octo numero, postquam adoraverint Crucem, recedent in Sacrarium, induent sibi pluviale nigri coloris et revertentur in chorum incessuri in Processionem.

139. Octo Cappellani, gestaturi intorticia, postquam Crucem adoraverint, accedent ad Sacellum in quo adest expositum SS. Sacramentum ibique expectabunt, accipient intorticia ardentia et geniculabunt a lateribus Altaris vel alio loco, quando illuc perveniet processio.

140. Duo thuriferarii accipient thuribula cum naviculis eaque deferent in Sacrarium et ignem in eis accommodabunt; alter ipsorum perget in Sacellum, ubi expositum adest SS. Sacramentum, consistens in latere Epistolae, adveniente processione; alter autem redibit ad Altare seque sistet apud abacum.

141. Sacrista genuflexorium seu faldistorium ex hoc Sacel-

(a) Quum improperia legenda sint cum Ministris, quod ad divisionem illorum spectat, observari poterit ordo notatus lib. III. cap. V. pag. 40 et seqq. huius manualis, qui ordo desumptus est ex Memoriali rituum etc. a S. Rituum Congr. adprobato.

lo iubebit amoveri et Sacellum ipsum vacuari populo, quum eo perventura sit processio. Idem Sacrista aderit in hoc Sacello, veniente Episcopo, et secum retinebit stolam nigri coloris, quum aperire debeat SS. Sacramenti custodiam.

142. Sub finem adorationis accendentur ab Acolythis sex cerei Altaris, binae Acolythorum candelae et cerei sive intorticia ad tribunam aut balaustrium.

143. Quum Episcopus legere improperia desierit, Cappellanus a libro reponet Missale in Altari, et debitis peractis genuflexionibus, revertetur ad locum suum.

144. Diaconus et Subdiaconus prope finem adorationis, cum reverentia ad Episcopum et genuflexione versus Crucem approximabunt ad Altare et super mensam expandent tobaleam, quae principio posita fuit complicata. Subdiaconus redibit ad Episcopum: Diaconus descendens a latere de Altari, accedet ad abacum et bursam cum corporali et purificatorio acceptam afferet ad Altare, quo priusquam ascendat, genuflexionem faciet versus Crucem, et quum venerit in suppedaneum, reverentiam ad Episcopum; deinde in media mensa explicabit corporale, ponens purificatorium prope ipsum. Caeremoniarius aut clericus quispiam afferet ad Altare vasculum aquae propter purificationem.

145. Diaconus, postquam explicaverit corporale, redibit ad dexteram Episcopi et Cappellanus a libro acceptum ex Altari Missale cum cussino, peragens debitas reverentias, transferet in cornu Evangelii.

146. In promptu etiam erunt ministri pro lotione manuum Episcopi.

147. Expleta Crucis adoratione, Diaconus de Altari descendet, ut Crucem ad Altare reportet: secundus Diaconus assistens gremiale et mitram tollet Episcopo, qui geniculabit in pulvino sibi apposito a clerico. Sacrista aderit in suppedaneo Altaris et si opus erit, reponetur scabellum gradatum. Diaconus genuflexus ante Crucem solvet taenias, acceptamque utraque manu reportabit ad Altare. Cum Episcopo in genua procumbent ceteri omnes. Diaconus deferens Crucem quum pervenerit in suppedaneum Altaris, tradet eam Sacristae qui Al-

tare conscendet eamque pedi imponet: hoc tempore genuculabit etiam Diaconus.

148. Reposita suo loco Cruce, removebitur scabellum gradatum: Episcopus assurget ac sedebit; Diaconus reponet ei mitram. Pulvinus reponetur in infimo gradu.

149. Se sistent Ministri lotionis et Episcopus lavabit manus, ei ministrante mantile Presbytero assistente, illi autem discedent cum debitis genuflexionibus.

150. Lavante manus Episcopo, genuflectent omnes, exceptis Canonicis.

151. Clerici amovebunt tapetum cum pulvino cumque velo adhibito in adoratione et lancem cum oblationibus.

152. Se sistet Episcopo thuriferarius et Episcopus incensum, ministrante Presbytero assistente, demittet in thuribulum cum benedictione (*a*).

153. Ordinabitur processio, quae recta perget ad Sacellum, in quo aderit expositum SS. Sacramentum. Praeibunt clavigeri vel claviger ecclesiae, si aderunt. Thuriferarius cum thuribulo. Subdiaconus paratus, qui gestabit Crucem detectam medius inter duos Acolythos cum candelabris, ardentibus candelis. Cantores. Clerici Seminarii. Beneficiarii seu Mansionarii. Octo Mansionarii seu Beneficiarii parati nigris pluvialibus, delaturi baldachinum. Canonici Subdiaconi induti paramentis, videlicet amictu et planeta plicata nigri coloris. Canonici Diaconi parati, ut supra. Canonici Presbyteri induti amictu et planeta nigra. Dignitates cum amictu et pluviali nigro. Sequetur Subdiaconus solus paratus planeta plicata nigri coloris. Post ipsum Diaconus paratus stola latiori nigra a sinistris Presbyteri assistentis pluviali nigro parati. Tum Episcopus medius inter Diaconos duos assistentes, sequente Caudatario qui syrmam vestis eius sustentabit, et duobus Cappellanis a mitra et a libro. Familiares nobiles Episcopi ultimo loco sequentur. Si Celebrans esset Archiepiscopus, thuriferararius, Subdiaconus cum Cruce et Acolythi antecedent Clerum paratum tantum et imago Crucifixi versa erit ad Archiepiscopum.

(*a*) Id e Caeremoniali deducitur lib. II. cap. XXV. num.29. « Episcopus sedens lavat manus et imponit thus in thuribulum more solito »

154. Omnes illi, qui in processionem incedent, excepto Subdiacono gestante Crucem, priusquam exeant de presbyterio, genuflexionem ad Crucem Altaris maioris uno tantum genu conficient.

155. Episcopus innuente Caeremoniario, surget de faldistorio, quod statim ab Altari amovebitur, descendet ante Altare et a Diacono nudabitur mitra. Tum genuflexionem ad Crucem Altaris simul cum Ministris et Assistentibus conficiet et resumpta mitra quae a Diacono ei reponetur, in processionem incedet.

156. Quum processio pervenerit ad Sacellum, in quo expositum aderit SS. Sacramentum, ita disponetur Clerus, ut facile possit redigi in ordinem; quocirca qui primi proficisci debebunt, propiores erunt ingressui; sic etiam in plures ordines disponi poterunt iuxta loci capacitatem.

157. Quicumque in Sacellum ingredietur, excepto Subdiacono gestante Crucem, genuflexionem in medio ad SS. Sacramentum exsequetur utroque genu, deinde perget ad locum suum, ubi statim genua submittet; genuflexionem deinde utroque genu iterabit, quando a Sacello discedet.

158. Thuriferarius approximabit ad Altare in latus Epistolae: Subdiaconus cum Cruce et Acolythis poterit consistere in latere Epistolae aut Evangelii, vel etiam prope aditum Sacelli: Mansionarii cum pluvialibus consistent in aditu Sacelli et clerici duo transferent illuc baldachinum hastile statim ac Episcopus intraverit in ipsum Sacellum. Aderunt etiam a lateribus Altaris thuriferarius alter cum thuribulo, Sacrista et Cappellani octo seu clerici cum intorticiis ardentibus e cera alba, ut superius dictum est. Canonici occupabunt locum sibi attributum; Diaconus et Subdiaconus quum simul venerint ante Altare, ex una parte recedent, ut locum dent Episcopo transeundi. Presbyter assistens accedet ad gradus Altaris versus dexteram Episcopi.

159. Episcopo, quum pervenerit prope Altare, secundus Diaconus assistens tollet mitram et pileolum. Episcopus genuflexionem faciet utroque genu in pavimento sine pulvino, assurget et geniculabit in pulvino posito in infimo gradu.

Diaconi assistentes genuflectent a lateribus eius, Presbyter assistens a dextris primi Diaconi assistentis; Diaconus et Subdiaconus a tergo Episcopi; post ipsos genuflectent Cappellani a libro et a mitra.

160. Quum geniculaverit Episcopus, Sacrista indutus superpellicio et stola nigri coloris collo imposita, conscendet Altare et aperiet custodiam, in qua 'asservabitur SS. Sacramentum.

161. Episcopus brevi orabit, deinde assurget, ac ministrante Presbytero assistente, incensum imponet in utrumque thuribulum sine benedictione. Geniculabit rursus et accipiens a Presbytero assistente thuribulum, triplici ductu SS. Sacramentum thurificabit; qua in actione Diaconi assistentes planetam Episcopi attollent.

162. Episcopus thuribulum restituet Presbytero assistenti et Caeremoniarius eius humeris imponet velum humerale albi coloris, quod ei firmabitur ante pectus a secundo Diacono assistente.

163. Diaconus primus assistens cum debitis genuflexionibus ascendet ad Altare, extrahet de custodia Calicem, in quo asservatur SS. Sacramentum, et Episcopo tradet illum. Diaconus praedictum Calicem accipiet, apponens dexteram cuppae, sinistram infra pedem. Episcopus, quum ei praesentabitur Calix a Diacono, reverentiam faciet profundam, assurget, Calicem accipiet, dexteram imponens patenae et sinistram applicans nodo infra cuppam; Diaconi assistentes extremitates anteriores veli humeralis conducent super manus Episcopi. Diaconus primus genuflectet et Episcopus ad populum convertetur medius inter Diaconos assistentes: cantores immediate intonabunt hymnum *Vexilla Regis prodeunt* cantu firmo.

164. Ordinabitur processio per ecclesiam incedens per navem primariam ad Altare maius. Antecedent clavigeri seu claviger ecclesiae. Subdiaconus paratus, qui Crucem gestabit medius inter duos Acolythos cum candelabris, ardentibus candelis. Cantores. Clerici Seminarii. Beneficiarii seu Mansionarii. Canonici Subdiaconi. Canonici Diaconi. Canonici Presbyteri. Dignitates, manente in singulis coetibus lege alias innuta de nu-

mero dispari. Si Celebrans esset Archiepiscopus, deferetur Crux cum Acolythis ante Canonicos paratos. Sequentur octo Cappellani cum intorticiis ardentibus, gestantes intorticium dextera qui dextrorsum, sinistra qui sinistrorsum incedent. Subdiaconus. Diaconus cum Presbytero assistente a dextris. Duo thuriferarii cum thuribulis. Episcopus, medius inter Diaconos assistentes, gestans SS. Sacramentum sub umbraculum hastile sustentum a Mansionariis octo indutis pluviali nigri coloris. Sequentur Caudatarius sustentans syrmam eius et duo Cappellani a mitra et libro. Ultimo loco incedent familiares nobiles Episcopi.

165. Quum processio pervenerit ad Presbyterium, Acolythi deponent candelabra super abacum et in genua procumbent. Subdiaconus firmabit Crucem in basi ibique consistet, paramenta suo tempore dimissurus cum ceteris. Clerus, quum venerit in chorum, non petet subsellia sua, sed instar circuli disponetur in Presbyterio et in plures ordines ita ut digniores sint versus Altare, dummodo id sinat amplitudo loci, secus Seminarium et Beneficiarii poterunt locum suum adire et Canonici tantum stabunt in Presbyterio circa Altare in modum circuli, ut supra declaratum est. Cappellani cum intorticiis consistent a lateribus Altaris quaterni ex utraque parte, alter contra alterum. Nemo genuflexionem faciet ad Crucem Altaris, quia SS. Sacramentum defertur in processionem. In aditu Presbyterii removebitur umbraculum hastile, quod acceptum a clericis duobus applicabitur parieti ecclesiae. Octo mansionarii poterunt consistere prope Canonicos. Thuriferarii locum sument a lateribus Altaris, advertentes ne impediant actiones quae sequuntur. Subdiaconus consistet in infimo gradu a laeva, Diaconus a dextra; Diaconi vero assistentes progressum ante Altare Episcopum relinquent medium inter Ministros praedictos. Presbyter assistens se sistet a dextra Altaris in eodem gradu, sed locum relinquet Diacono.

166. Quum Episcopus pervenerit ante Altare, Diaconus genuflectet ante ipsum et assurgens detrahet Sacramento velum humerale, accipiet Calicem cum Sacramento et expectabit dum Episcopus in genua procumbat ipsumque adoret. Dia-

coni assistentes de humeris Episcopi tollent velum humerale, quod recipietur a clerico et ad abacum referetur, postea geniculabunt a tergo Episcopi. Diaconus deferet Sacramentum super Altare, ponet ipsum in medio corporali, solvet taeniam qua velum ligatum erat ad nodum, velumque expandet diligenter, ne decidat patena. Iterabit genuflexionem et redibit ad dexteram Episcopi, qui assurget atque incensum, ministrante Presbytero assistente, imponet sine osculis in thuribulum. Rursus Episcopus geniculabit super pulvinum et accepto a Presbytero assistente thuribulo, SS. Sacramentum triplici ductu thurificabit dum interea Ministri antedicti attollent eius partem posteriorem planetae. Episcopus thuribulum Presbyro assistenti restituet, ille autem thuriferario.

167. Duo thuriferarii procedent ante Altare et genuflexionem conficient ad Sacramentum. Alter ipsorum discedet relaturus thuribulum in Sacrarium, alter accedet ad abacum, ubi renovabit ignem in thuribulo, si opus fuerit, ibique manebit propter thurificationem Altaris.

168. Thurificato SS. Sacramento, Episcopus assurget ac remoto pulvino, ascendet ad Altare inter Ministros, habens Presbyterum assistentem a sinistris, Diaconum a dextris et a dextris Diaconi Subdiaconum. Presbyter assistens adstabit Missali, actiones Episcopo indicaturus. Cappellanus a libro sequetur ad Altare. Presbyterum assistentem, ut coadiuvet ipsum.

169. Conscenso suppedaneo, Episcopus simul cum Ministris genuflectet ad Sacramentum, ac si adhiberetur alter calix diversus ab illo in quo custodietur SS. Sacramentum, Subdiaconus illum accipiet ex abaco et afferet ad Altare.

170. Acolythus unus sequetur Subdiaconum, vel etiam quando Ministri ad Altare ascendent, afferet ampullas vini et aquae, praeterea in pelvicula aderit patera ad praegustationem faciendam. Sacrista indutus superpellicio sequetur Acolythum.

171. Diaconus velum album tollet de Calice: patenam accipiet ac manu sustinebit, sed intra limites corporalis. Sin autem adhiberetur alter calix, amota patena ab illo, in quo custodietur Sacramentum et posita seorsim, accipiet patenam

et sustinebit, ut supra. Episcopus Calicem palla nudabit et acceptum cochleare aut patenam cum manubrio, in qua intra calicem aderit S. Hostia, ponet quin eam tangat, super patenam a Diacono sustentam, vel si S. Hostia; erat in Calice, invertet ipsum leviter super patenam; sin extrahi Hostia non ita facile posset, attollet eam digito, cavens ne frangat ipsam neve digitos Diaconi attingat eadem. Episcopus relinquet calicem super corporali, ac si uteretur altero calice, qui non opus esset ut purificaretur, hic amovebitur ab Altari.

172. Diaconus sine osculis patenam tradet Episcopo, qui patena accepta, ponet S. Hostiam super corporale, nullum faciens Crucis signum, et patenam statuet super corporale a dextris suis versus Crucem. Si digitis S. Hostiam attigerit extrahens de Calice, purificabit illos in vasculo et absterget purificatorio.

173. Diaconus accipiet Calicem (quem, si fuerit idem in quo custoditum fuit Sacramentum, non absterget purificatorio) et in eum infundet vinum, quod prius simul cum aqua praegustaverit Sacrista. Subdiaconus duas tresve aquae guttas in calicem infundet, benedictionem tamen non petens. Acolythus ampullas cum patera ad abacum reportabit.

174. Diaconus Calicem accipiet ac sine osculis tradet Episcopo, qui manu acceptum ponet super corporale, nihil dicens nullumque faciens Crucis signum. Diaconus Calicem palla cooperiet. Thuriferarius ascendet ad Altare.

175. Curabitur etiam ut praesto sint Ministri lotionis manuum Episcopi.

176. Postea Presbyter assistens, Diaconus et Subdiaconus genuflexionem conficient ad Sacramentum. Presbyter assistens transibit ad Episcopi dextram et genuflexionem iterabit. Diaconus et Subdiaconus se sistent a tergo Episcopi super gradus Altaris. Presbyter assistens quando adstabit dextrae Episcopi, genuflexionem ad Sacramentum iterabit et sumpta navicula, ministrabit incensum Episcopo, qui sine benedictione illud imponet in thuribulum a thuriferario sustentum. Interea Diaconus et Subdiaconus accedent ad latera Episcopi. Presbyter assistens a thuriferario accipiet thuribulum, quod tradet

Episcopo, eoque tradito recedet in latus Epistolae. Diaconus et Subdiaconus redibunt ad latera Episcopi et partem posteriorem eius planetae sublevabunt.

177. Episcopus Oblata et Crucem, quemadmodum in aliis Missis, adolebit recitans verba eadem voce intelligibili. Cappellanus a libro, quando Episcopus adolebit Crucem, ascendet ad Altare et ab ipso amovebit Missale cum cussino, repositurus post thurificationem.

178. Episcopus, expleta thurificatione, thuribulum tradet Diacono et hic thuriferario, qui reportabit illud in Sacrarium.

179. Episcopus, restituto thuribulo, descendet in primum gradum Altaris et consistens a latere, ne tergum vertat Sacramento, lavabit manus non recitans psalmum *Lavabo* et Presbyter assistens ministrabit ei mantile sine osculis, sustinentibus extensum alterum mantile Diacono et Subdiacono, qui adstabunt ei a lateribus.

180. Deinde Episcopus et a sinistris eius Presbyter assistens et post eum Diaconus et post Diaconum Subdiaconus ascendent ad Altare, videlicet Episcopus cum Presbytero assistente in suppedaneum, Diaconus in gradum primum infra suppedaneum et Subdiaconus in infimum sive ultimum; quumque pervenerint in medium, genuflexionem ad Sacramentum conficient.

181. Episcopus inclinatus et manibus iunctis super Altare, dicet orationem *In spiritu humilitatis* etc. Tum genuflectet ad Sacramentum et se convertens aliquantulum super sinistram suam, quin compleat circulum, dicet manibus expansis *Orate fratres ut meum* etc. Subdiaconus non respondebit *Suscipiat* etc. Si Altare esset ad Orientem versum, Episcopus non convertetur.

182. Iterata genuflexione Episcopus cantu feriali subiunget *Oremus. Praeceptis salutaribus* etc. iunctis manibus, et *Pater noster* manibus apertis. Responso a choro *Sed libera nos a malo,* dicet secreto *Amen*: prosequetur deinde iunctis manibus et voce intelligibili orationem *Libera nos*, nec signabit se ad illa verba *Da propitius pacem* etc. In fine orationis huius Diaconus veniet ad Episcopi dextram et geniculabit in extremo sup-

pedaneo: Subdiaconus genioulabit loco suo a tergo Episcopi. Presbyter assistens genua submittet a sinistris Episcopi in extremitate suppedanei.

183. Completa oratione praedicta, Episcopus genuflexionem faciet, dextera accipiet patenam cui superponet S. Hostiam. Tum sinistra accipiet patenam et dextera S. Hostiam, quam substinebit elatam super patenam et dextera elevabit aliquantulum in altum S. Hostiam, ita ut conspici possit ab adstantibus. In elevatione ista Diaconus non attollet planetam, nec thurificabitur Sacramentum, nec pulsabitur crotalum.

184. Dum Episcopus inclinabit S. Hostiam, assurgent Subdiaconus, Diaconus et Presbyter assistens. Hic redibit ad Missale, Diaconus statim deteget Calicem et Subdiaconus stabit loco suo. Episcopus Hostiam non reponens super patenam nec faciens alteram genuflexionem, ponet illam supra Calicem et dimissa patena, quam sustinebat sinistra, ante pedem Calicis, dividet S. Hostiam in tres partes, ut in aliis Missis, ponet binas partes maiores super patenam et particulam intra Calicem, quae immergetur vino, nullum faciens Crucis signum nec proferens verbum ullum. Diaconus cooperiet Calicem et Episcopus cum Diacono genuflectent ad Sacramentum.

185. Episcopus manibus iunctis super Altare dicet orationem *Perceptio Corporis tui* etc. genuflectet post orationem, patenam cum S. Hostia accipiet, dicens *Panem coelestem* etc. et pectus tribus vicibus percutiens, tribus etiam vicibus dicet *Domine non sum dignus*, *ut intres* etc. Postea se signabit dicens *Corpus Domini nostri* etc. et communicabit.

186. Interim ascendet Subdiaconus ad dexteram Diaconi, eodemque tempore ad Altare ascendet Acolythus cum ampullis vini et aquae in pelvicula. In promptu etiam erunt Ministri lotionis.

187. Quum Episcopus communicaverit, Diaconus deteget Calicem, et facta genuflexione, Episcopus fragmenta ex corporali colliget patena eaque demittet in Calicem: item si adhibitum fuerit cochleare in calice ad reponendam S. Hostiam, abstergetur diligenter a fragmentis, quae ab Episcopo in Calicem demittentur. Episcopus Calicem accipiet et quin se signet aut

proferat formulam ullam, se communicabit particula S. Hostiae et vino quod erit in Calice.

188. Consurgent Cappellani cum intorticiis et redibunt in Sacrarium. Item assurgent Canonici et ceteri de Clero et se recipient ad subsellia. Cappellanus a mitra accedet ad Altare.

189. Episcopus non abscedens a medio Altaris, vino et aqua digitos purificabit super calicem, nihil dicens, infundente vinum et aquam Diacono eique ministrante ampullas Subdiacono. Episcopus sumet ablutionem nihil dicens.

190. Acolythus ampullas ab abacum reportabit et Subdiaconus transibit in cornu Evangelii ad abstergendum calicem quem postea referet ad abacum cum corporali, patena, palla et purificatorio, exsequens hanc actionem celeriter.

191. Quum Subdiaconus amoverit calicem ab Altari et de suppedaneo discesserit, Presbyter assistens admovebit Missale ad medium Altaris et Episcopus aliquantulum inclinatus et iunctis manibus dicet intelligibili voce orationem *Quod ore sumpsimus* etc.

192. Presbyter assistens claudet librum, quem relinquet super Altare. Diaconus mitram reponet Episcopo, qui transibit in cornu Epistolae super suppedaneum et manus lavabit nihil dicens. Presbyter assistens porriget ei mantile.

193. Ad lotionem manuum Episcopi genuflectent omnes, exceptis Canonicis.

194. Lotis manibus, Episcopus descendet de gradibus Altaris et convertetur ad ipsum. Diaconus ei tollet mitram, et Episcopus cum Ministris genuflexionem conficient ad Crucem Altaris. Diaconus mitram reponet Episcopo, qui minime donans benedictionem Clero, ascendet ad thronum comitantibus Ministris praedictis, sequentibus Diaconis assistentibus et clericis qui referre paramenta Episcopi debebunt. Ascendet illuc etiam cubicularius cum cappa.

195. Hoc ipso tempore clerici delegati exuendis Canonicis reportabunt canistros cum eorum insignibus canonicalibus.

196. Presbyter assistens et Diaconi assistentes, comitati Episcopum ad thronum, se recipient ad loca sua, ubi sacra paramenta dimittent ac resument habitum choralem, ibique con-

sistent neque ad thronum revertentur. Hoc ipsum facient ceteri Canonici. Mansionarii, qui detulerunt hastas baldachini et Subdiaconus Crucis delator recedent in Sacrarium ad paramenta dimittenda.

197. Diaconus et Subdiaconus, manentes in throno cum Episcopo, deponent Diaconus stolam latiorem cum manipulo, Subdiaconus planetam plicatam cum manipulo, deinde Episcopum exuent paramentis, quae a clericis reponentur super Altare. Cappellani quoque a mitra et a libro, relicta mitra in Altari et Missali in abaco, recedent in Sacrarium ad pluvialia dimittenda.

198. Episcopus quum omnia paramenta sacra dimiserit, resumet cappam, quae ipsi imponetur a Cubiculario et extremitas posterior vestis talaris alligabitur. Caeremoniarius ei cappam explicabit. Ministri cum debita genuflexione ad Crucem et reverentia ad Episcopum, recedent in Sacrarium ad sacras vestes dimittendas, et resumptis indumentis choralibus, revertentur in chorum.

199. Episcopus sedebit et caputio cooperiet caput. Hoc tempore Acolythi ex abaco et Altari tollent omnia paramenta et sacram supellectilem, quae adhibita sunt in Missa, ac tum ex abaco, tum ex Altari tollent etiam tobaleam, relictis accensis cereis. Clerici duo faldistorium cum pulvinis ante Altare constituent.

200. Post haec Episcopus, dimisso de capite caputio, assurget, dicet secreto *Pater noster* et *Ave Maria*; tum signo a Caeremoniario dato cantori, qui aderit in parte hebdomadario opposita, initium fiet antiphonae primae Vesperarum, quae recitabuntur alternatim ac sine cantu, ut num. 202. cap. XIV. libri huiusce. Prima antiphona recitata, Episcopus sedebit, caput cooperiet caputio et cum eo sedebit etiam Chorus. Consurget postea chorus et Episcopus, qui caput nudabit caputio, quando incipietur *Magnificat*. Ad repetitionem antiphonae cantici *Magnificat* descendet de throno Episcopus et extremitatem cappae tractans humi perget ad faldistorium, ubi geniculabit ad antiphonam *Christus factus est* etc. Post *Miserere* autem, genibus flexis recitabit orationem *Respice* cum conclusione tacite, e libro ipsi obiecto a Cappellano.

201. Postremo assurget ac genuflexione ad Crucem facta, discedet de ecclesia eodem ordine, quo venit, associatus a Clero, ac si fuerit Archiepiscopus, antecedet eum Crux Archiepiscopalis.

De Matutino tenebrarum.

202. Observabitur totum id, quod pridie descriptum fuit, ea tantum animadversione, ut Episcopus genuflectat ad Crucem, neque ulla reverentia ad Chorum fiat.

ASSISTENTIA AB EPISCOPO PRAESTANDA FUNCTIONIBUS FERIAE SEXTAE IN PARASCEVE AB EPISCOPO EXTRANEO PERAGENDIS.

CAPUT XVIII.

De rebus praeparandis.
Ad Altare, in quo exponetur SS. Sacramentum.

1. Praeparabitur faldistorium vel genuflexorium sine strato cum duobus pulvinis tantum e panno violaceo.

2. Velum humerale album, nobile pro Episcopo.

3. Intorticia octo numero e cera alba pro Cappellanis, qui gestare illa in processionem debebunt.

4. Pulvinus sericeus niger in infimo gradu Altaris pro Episcopo.

5. Pulvinus alter niger sericeus pro Episcopo celebrante, super infimum gradum Altaris in latere Epistolae.

6. Scabellum gradatum in commodum Sacristae, si opus fuerit, ad aperiendam custodiam SS. Sacramenti.

7. Clavis urnae super mensam Altaris cum corporali explicato in media mensa.

8. Stola nigri coloris pro Sacrista, qui dbebeit urnam seu custodiam SS. Sacramenti aperire.

9. Extra Sacellum, umbraculum hastile albi coloris.

In Sacrario

10. Paramenta nigri coloris pro sacris Ministris, videlicet pluviale pro Presbytero assistente, binae planetae plicatae, stola una et manipuli duo, cingula duo, albae et amictus pariter duo pro Diacono et Subdiacono.

11. Urceus et pelvis argentea et mantile in lance pro Episcopo celebrante simul cum Canone pontificali.

12. Super Altare Sacrarii disponentur paramenta pro Celebrante, videlicet manipulus, planeta, dalmatica, tunicella, stola, Crux pectoralis, cingulum, alba et amictus, quae contegentur velo nigri coloris, Mitra linea albi coloris cum laciniis rubris in vittis, et velum seu vimpa pro Cappellano a mitra prope paramenta. Notandum, quod paramenta hac die adhibenda, oporteret ut essent simplicia, idest sine opere phrygio aut ornamentis quae conveniunt solemnitatibus.

13. Superpellicia, quae satis sint pro clericis inservientibus.

14. In medio Sacrario sedes cameralis instructa corio pro Episcopo celebrante.

15. Amictus, albae, cingula, manipuli et stolae nigri coloris, tria omnia numero, pro cantoribus Passionis et liber Passionis instructus veste et signaculis nigri coloris.

16. Vasculum aquae sanctae cum aspersorio, si aqua benedicta conservabitur in fontibus lustralibus ecclesiae.

Ad Altare maius.

17. Altare erit nudum ex toto et aderunt sex candelabra ex cupro aut ex aere vel ex alia materia fusci coloris cum cereis luteis sive e cera communi. Inter candelabra erit Crux eiusdem materiae insistens pedi alto et aequali candelabris: Crux autem esto levis in commodum Episcopi celebrantis et

cooperietur velo e serico nigro, iam ita aptato, ut facile detrahi possit, ideoque posset esse circumsutum, praeterquam in brachio dextero et in summitate, quae clausa erit globulis nigris aut uncinulis.

18. Ante gradus Altaris in latere Epistolae praeparabitur faldistorium nudum, in quo sedebit Celebrans, et in sedili aderit simplex pulvinus e serico nigro sine ullo aureo ornamento.

19. Ante Altare statuetur faldistorium, in quo genuflectet Episcopus, et instruetur duobus tantum pulvinis e panno violaceo.

20. A laeva huius faldistorii ponetur scabellum nudum aequale scabellis throni et ante scabellum praeparabitur pulvinus convestitus serico nigro aequali paramentis, adhibendus a Celebrante.

21. In latere Evangelii super basi firmabitur Crux processionalis, contecta velo violaceo, ac si Ordinarius esset Archiepiscopus, praeparabitur basis tantum.

In abaco.

22. Abaci erunt nudi et sternentur sola tobalea linea quae cooperiat tantum planum superius, nec pendeat ullo modo a lateribus.

23. In abaco, posito a latere Epistolae pro Celebrante, disponentur res sequentes: duo candelabra cum candelis e cera communi seu lutea pro Acolythis: urceus cum pelvi ex argento et lanx argentea cum uno aut duobus mantilibus pro Celebrante: ampullae vini et aquae in pelvicula: calix argenteus cum purificatoriis, patena, palla et corporali in bursa nigra; sin adhiberetur calix, in quo custodietur SS. Sacramentum, praeparabitur tantum bursa nigra cum corporali et purificatoriis: vasculum aquae et purificatorium unum pro digitorum purificatione Celebrantis, si opus fuerit: cussinus niger aequalis paramentis, vel legile pro Missali: Missale pro Celebrante cum tegumento et signaculis nigri coloris; Epistolarium et Evangeliarium cum tegumento et signaculis, ut supra: to-

balea Altaris complicata, quae contegere mensam tantum debet nec defluere ullo modo a lateribus: gremiale nigrum pro Celebrante, aequale ceteris paramentis: thuribula duo argentea cum naviculis similibus: pulvinus niger in quo geniculaturus erit Celebrans: stola latior nigri coloris pro Diacono: lanx argentea ad excipiendas oblationes quae fient Cruci: formula indulgentiarum.

24. In altero abaco, qui adhibebitur pro Episcopo ordinario, ponetur pluviale nigrum cum stola simili, amictus, formale simplex, mitra damascena albi coloris et velum seu vimpa pro Cappellano: Missale cum tegumento et signaculis nigris, pulvinus niger sericeus utendus ab Episcopo, quum paratus erit pluviali: Breviarium seu liber pro oratione *Respice* in fine vesperarum.

25. Prope abacum ponetur tapetum maius e panno violaceo cum pulvino e serico villoso violacei coloris auro distinctum et velum album sericeum acu pictum, cum ornamentis violaceis, adhibendum in Crucis adoratione. Velo albo, quod firmatum erit super pulvinum, erunt taeniae e serico albo ad ligandam Crucem.

In Presbyterio.

26. Thronus erit ex toto nudus; aderit tantum pulvinus e panno violaceo in sedili cathedrae: alter pulvinus similis applicabitur cathedrae ipsi et adhibebitur pro genuflexionibus Episcopi. Aderunt duo scabella usitata pro Diaconis assistentibus.

27. Hastae cum gossipio cerato ad accendendas debito tempore candelas.

28. Intorticia vel cerei e cera communi super sex candelabra maiora in aditu Presbyterii.

29. Sedilia Canonicorum erunt totaliter denudata sine ullo ornamento.

30. Prope Altare in latere Epistolae aderit scamnum consuetum pro Ministris, et ipsum destitutum omni ornamento.

31. Si opus erit, praeparabitur scabellum gradatum in usum Diaconi ad conscendendum Altare, quum accipienda erit Crux.

32. Statuetur pulpitum nudum pro Concionatore non longe a Presbyterio.

In functione

33. Hora praestituta recitabuntur in choro Horae minores, videlicet Prima, Tertia, Sexta et Nona, sine cantu et submissa voce: cerei Altaris extincti sunto.

34. Hoc tempore in Sacrario Ministri se parabunt amictu, alba et cingulo; Diaconus autem induet etiam stolam Diaconalem,

35. Celebrans sedens in sede, dum se parabunt Ministri, assistentiam ei praestante Presbytero assistente, leget tantum orationes praescriptas ad paramenta, omittens orationes pro caligis, sandaliis et chirothecis, quae ista die non adhibentur, et reliquos psalmos ac preces. Clericus aliquis sustinebit ei librum apertum.

36. Quum Celebrans recitaverit orationes ad paramenta, Ministri de suo loco discedent, venient ante Celebrantem, eoque salutato, consistent a lateribus eius, nempe Diaconus a dextris et Subdiaconus a sinistris.

37. Praesto erunt familiares nobiles Celebrantis eum instrumentis lotionis manuum, iis autem absentibus, supplebunt clerici.

38. Interea distribuentur clericis paramenta Celebrantis.

39. Celebrans, adiuvantibus sacris Ministris eiusque etiam Cubiculario, dimittet mozzetam et mantelletum, sibi educet de digito annulum, qui recipietur a Presbytero assistente.

40. Tum Celebrans sedens et bireto cooperto capite, lavabit manus. Ministri sacri super eius genua sustinebunt extensum mantile.

41. Celebrans, lotis manibus, a Diacono quem adiuvabit Subdiaconus, parabitur amictu, alba, cingulo, Cruce pectorali, stola, tunicella, dalmatica et planeta.

42. Eodem tempore Presbyter assistens induet sibi pluviale nigri coloris supra superpellicium aut supra rochetum si huius usu gaudebit.

43. Celebranti planeta induto Diaconus imponet mitram,

Presbyter assistens inseret digito annulum sine osculis, postremo Subdiaconus brachio sinistro inducet manipulum.

44. Diaconus et Subdiaconus salutabunt eum, et venient quo loco sibi induerunt paramenta, ibique adiuvantibus clericis, induent manipulum et planetam plicatam; tum redibunt ad Celebrantem, cui facta rursus reverentia, consistent a sinistris eius, nempe Diaconus a sinistris Celebrantis, Subdiaconus a sinistris Diaconi et Presbyter assistens a dextris Celebrantis.

45. Recitatis in choro Horis canonicis, pulsabitur erotalum ad fores Sacrarii, ut detur Canonicis signum adesse tempus associandi Episcopum, ut cap. IV. lib. V.

46. Si mos erit conservandi aquam benedictam in fontibus lustralibus ecclesiae, aderit in limine ecclesiae clericus cum vasculo aquae sanctae cumque aspersorio.

47. Episcopus descendet ad ecclesiam, ac si fuerit Metropolitanus, praeferetur ante eum Crux Archiepiscopalis: quum ad limen ecclesiae pervenerit, asperget seipsum et adstantes, si mos hic vigebit, ut supra, secus actio ista omittetur.

48. Ingressus in ecclesiam Episcopus caput cooperiet caputio cappae; hoc autem die abstinebit a benedictione impertienda circumstantibus.

49. Ad Sacellum, in quo aderit expositum SS. Sacramentum, quum advenerit, de capite sibi detrahet caputium et progressus ad faldistorium vel genuflexorium, faciet genuflexionem utroque genu in pavimento nudo, geniculabit in faldistorio ibique manebit orando, donec a Caeremoniario innuatur ei, ut assurgat.

50. Hoc tempore exibit e Sacrario Celebrans et procedet ad Altare maius: praeibunt clerici bini iunctis manibus, tum Subdiaconus, deinde Celebrans medius inter Presbyterum assistentem a dextris et Diaconum a sinistris, sequentibus cappellano a mitra et altero qui extremitatem posteriorem vestis eius sustentabit, postremo familiaribus nobilibus, siqui erunt ei.

51. Celebrans, progressus ad Altare cum Ministris et clericis, reverentiam faciet ad Crucem, Ministri autem genuflexionem, nisi fuerint Canonici.

52. Celebrans ibit sessum ad faldistorium, habens a dextris Diaconum, a sinistris Subdiaconum. Presbyter assistens recedet et a latere consistet ante gradus Altaris ex parte Epistolae; clerici se sistent ante abacum.

53. Si lectio prima cantanda erit a Beneficiario aliquo, qui gaudeat usu cappae aut aliis insignibus choralibus, advertat beneficiarius praedictus, ut cappam dimittat, induat superpelliceum et praesto sit apud abacum statim ac perveniet Episcopus ad Altare.

54. Caeremoniarius Episcopi, quum cognoverit adesse ad Altare Celebrantem cum Ministris, signum faciet Episcopo, qui assurget atque iterata, ut supra, genuflexione utroque genu ad SS. Sacramentum, exibit de Sacello et extra ipsum rursus caput cooperiet caputio cappae.

55. Episcopus proficiscetur ad Altare maius et quum venerit ante faldistorium, sibi detrahet caputium, reverentiam faciet ad Crucem Altaris, geniculabit et procumbet super faldistorium.

56. Celebrans, ubi Episcopus ingredietur in presbyterium, assurget ac transiens dextere cum Ministris post Episcopum, accedet ad scabellum, in quo praeparatus erit ei pulvinus a sinistris Episcopi. Ibi Diaconus tollet mitram Celebranti et ipse geniculabit et procumbet super scabellum.

57. Diaconus et Subdiaconus geniculabunt super pavimentum post Celebrantem (a) et post duos Ministros genua submittet Cappellanus a mitra, manente prope abacum Cappellano caudatario, siquidem syrmam vestis Celebrantis non sustinebit.

58. Diaconi duo assistentes coibunt cum Episcopo intranti in presbyterium et geniculabunt super pavimentum a tergo Episcopi.

59. Si fuerit Archiepiscopus, Cappellanus crucifer statim firmabit Crucem in sua basi et apud illam geniculabit,

60. Canonici et reliqui de Clero ad subsellia in chorum se recipient, ubi geniculabunt.

(a) Ministri sacri procumbere in faciem suam non debent, nisi procumbet Celebrans. Regula haec observabitur etiam in aliis functionibus, quas describemus deinceps.

61. Episcopus cum Celebrante orabunt paullo prolixius solito, seu spatio unius *Miserere*.

62. Praesto erunt prope abacum duo Acolythi, extensuri super Altare tobaleam, ut infra.

63. Episcopus, Celebrans et ceteri assurgent de oratione.

64. Episcopus, reverentia facta ad Crucem, caput cooperiet caputio cappae et comitantibus duobus Diaconis assistentibus, ascendet in thronum. Extremitas posterior cappae eius a nullo sustinebitur. Non donabit benedictionem, neque ullo modo salutabit Celebrantem, aut Canonicos vel quemquam alium. Conscenso throno, sedebit in cathedra et Diaconi assistentes in scabellis consuetis. Hac die a Presbytero assistente non praestabitur assistentia ad thronum.

65. Cappellanus a libro Episcopi aderit prope latus sinistrum throni, functurus officio suo, quum opus erit.

66. Profecto Episcopo, statim a duobus clericis removebitur faldistorium, in quo genuflexerat; itemque clericus alter, tollet scabellum cum pulvino adhibitum a Celebrante.

67. Episcopo de medio Altari profecto, Celebrans medius inter Diaconum et Subdiaconum, sequente Cappellano a mitra, ascendet ad Altare, quod osculabitur in medio.

68. Clericus unus in promptu habebit gremiale pro Celebrante.

69. Celebranti, osculato Altari, Diaconus reponet mitram; tum exsequentes ad Crucem, Celebrans reverentiam, Ministri genuflexionem aut reverentiam, descendent a latere de Altari et venient ad faldistorium Celebrantis, positum in latere Epistolae ante gradus Altaris. Celebrans sedebit in faldistorio et Diaconus gremiale super eius genua ponet.

70. Presbyter assistens Celebranti coibit cum Ministris a dextris Diaconi.

71. Ministri praedicti cum Presbytero assistente, reverentia facta ad Celebrantem, sedebunt in scamno sibi praeparato et caput bireto cooperient.

72. Sedente Episcopo in throno et Celebrante in faldistorio, procedent in medium duo Acolythi, quorum alter deferet tobaleam Altaris, debitisque factis reverentiis et genuflexionibus

ad Celebrantem, tum ad Episcopum, deinde ad Altare, ascendent ad Altare ipsum et in eo extendent tobaleam in longitudinem prope candelabra, advertentes ut ponant illam tali modo, ut facile possit super mensam explicari, sicut docebitur inferius.

73. Acolythis ad abacum reversis cum genuflexionibus, ut supra, cantor qui primam lectionem cantare debebit, comitante Caeremoniario, accipiet librum, quem clausum sustinebit ante pectus: procedens in medium chorum, reverentiam prius faciet ad Celebrantem, tum genuflexionem ad Altare et ad Episcopum, postea cantabit lectionem tono praescripto, eodem loco quo cantatur Epistola.

74. Prophetiae cantu finito, cantor iterabit genuflexiones et reverentias, ut antea, et reversus ad abacum deponet ibi Epistolarium et se recipiet in chorum ad locum suum, resumpto in Sacrario habitu chorali, ut superius notatum est.

75. Interim a cantoribus cantabitur tractus *Domine audivi* etc.

76. Se sistet Episcopo Cappellanus cum libro, ex quo Episcopus leget prophetiam cum tractu: hoc tempore Diaconi assistentes stabunt in pedes.

77. Subdiaconus ex abaco accipiet Missale Celebrantis, se sistet eidem et facta ante ipsum reverentia, aperiet librum et apertum ante eum sustinebit, ex quo ille prophetiam leget et tractum.

78. Hoc tempore se parabunt in Sacrario tres cantores Passionis adiuvantibus tribus respectivis cappellanis aut clericis, qui sustinere illis debebunt librum.

79. Lectis ab Episcopo et a Celebrante prophetia et tractu, cappellanus a libro et Subdiaconus respective ad locum suum se recipient.

80. Sub finem tractus Ministri nudabunt caput, consurgent et venient ad Celebrantem. Diaconus autem tollet ei gremiale et mitram.

81. In promptu erit clericus cum Missali Celebrantis et consistet post faldistorium eius.

82. Celebrans ad Altare convertetur, servans ritum prae-

scriptum a Caeremoniali Episcoporum lib. I. cap. XIX. num. 4. et seqq. Presbyter assistens manebit a dextris Celebrantis, Diaconus a tergo Celebrantis, Subdiaconus a tergo Diaconi.

83. Episcopus de capite dimittet caputium cappae et assurget.

84. Cum Episcopo consurget omnis chorus.

85. Celebrans cantabit *Oremus*, Diaconus *Flectamus genua* et Subdiaconus *Levate*.

86. Ad cantum *Flectamus genua*, tam in ista, quam in orationibus sequentibus, genuflectent omnes et ad verbum *Levate* consurgent. Tantum Celebrans, Presbyter assistens qui ei ad librum assistet, et clericus qui librum Celebranti sustinebit, stabunt in pedes. Pro Episcopo autem ponetur a Caeremoniario pulvinus super gradulum cathedrae.

87. Celebrans manibus expansis ac tono feriali cantabit orationem *Deus, a quo et Iudas* etc.

88. Oratione absoluta, omnes rursus sedebunt. Episcopus caput rursus cooperiet caputio cappae. Diaconus mitram et gremiale Celebranti reponet. Diaconus cum Presbytero assistente, reverentia facta ad Celebrantem, sessum pergent ad scamnum suum.

89. Sedentibus omnibus, ut supra, Subdiaconus dimittet planetam plicatam et recepto libro Epistolarum, comitante Caeremoniario, reverentiam faciet ad Celebrantem, deinde genuflexionem aut reverentiam ad Altare et ad Episcopum, et loco usitato secundam prophetiam, seu lectionem cantabit tono Epistolae.

90. Lectione cantata, iterabit genuflexiones aut reverentias, ut supra, et non osculans manum Episcopi aut Celebrantis, sibi reponet planetam plicatam, et sustinebit Celebranti Missale, ex quo is leget lectionem et tractum.

91. Absoluto cantu Lectionis, ut supra, se sistet Episcopo Cappellanus cum libro, et Episcopus sedens leget lectionem, tractum et *Mundo cor meum* cum ultima Passionis parte, stantibus Diaconis assistentibus.

92. Cantorum chorus hoc tempore cantabit Tractum *Eripe me Domine* etc.

93. Cantores Passionis intrabunt in Presbyterium, si fieri poterit, ex parte Sacrarii, et consistent prope abacum. Cantor textus deferet librum. Antecedet eos Caeremoniarius et sequentur tres clerici seu cappellani induti superpellicio, qui sustinere eis librum debebunt. Si nullus alius erit in presbyterium ingressus, praeter principalem, animadvertent ut ingrediantur dum versus ultimus Tractus cantabitur.

94. Quum Celebrans lectionem et tractum legerit, Subdiaconus tradet clerico Missale, quod ille ponet super Altare in latere Epistolae cum cussino seu legili.

95. Quando ultimus versus tractus cantabitur, Cantores Pàssionis prodibunt in medium, reverentiam ad Celebrantem, deinde genuflexionem ad Altare et ad Episcopum conficient, neque osculantes manum Episcopi aut Celebrantis, procedent quo loco cantari solet Evangelium. Praeibit Cantor textus, deinde qui turbarum partes agit, postremo qui Christi, sequentibus tribus Cappellanis: loco supradicto Cantor textus consistet in medio, qui Christi personam agit a dextris illius, qui turbarum a sinistris. Tres Cappellani consistent adversum Cantores ipsos.

96. Tractu absoluto, Episcopus sibi detrahet caputium, assurget et cum eo consurget totus Chorus. Ministri consurgent et convenient ad Celebrantem; Diaconus tollet ei gremiale et mitram. Celebrans assurget et ascendet ad Altare a latere; Presbyter assistens stabit a dextris a latere Altaris ut assistat ad librum; Diaconus stabit a dextris Celebrantis in gradu inferiori et Subdiaconus in altero gradu inferiori a dextris Diaconi.

97. Cantores incipient ac prosequentur cantum Passionis. Cappellani sustinebunt eis librum, quem identidem sibi ad invicem per manus tradent.

98. Celebrans leget Passionem, conversus aliquantulum ad supradictos cantores, et postquam Passionem legerit, recitato *Munda cor meum* eodem loco, et lecta ultima Passionis parte, convertetur ad cantores. Presbyter assistens consistet a sinistris Celebrantis in gradu inferiori propius Celebranti, Diaconus in altero gradu a sinistris Presbyteri assistentis, et Subdiaconus in altero gradu vel in plano a sinistris Diaconi.

99. Antequam cantentur verba illa *tradidit spiritum*, ponetur pulvinus super gradulum throni pro Episcopo et alter in suppedaneo Altaris ante Celebrantem.

100. Ad verba antedicta omnes in genua procumbent, exceptis tribus Cappellanis, qui librum sustinebunt cantoribus Passionis.

101. Assurgente Episcopo, consurgent omnes et Passionis cantores prosequentur cantare Passionem usque ad finem.

102. Passionis cantu absoluto, Cantor textus librum claudet et recipiet, atque ordine supradicto simul cum reliquis duobus cantoribus ac tribus Cappellanis revertentur in Sacrarium, ubi paramenta dimittent.

103. Episcopus sedebit et caput operiet caputio cappae cumque ipso sedebit Chorus.

104. Celebrans ad faldistorium redibit, et Diaconus ei reponet mitram et gremiale.

105. Diaconus accedet ad abacum, exuet planetam plicatam et induet sibi stolam latiorem, librum Evangeliorum accipiet, debitisque peractis reverentiis vel genuflexionibus afferet ad Altare ac ponet in media mensa: geniculabit in suppedaneo et recitabit *Munda cor meum*.

106. Interim se sistent ante Celebrantem Subdiaconus cum Acolythis, qui stabunt iunctis manibus, quoniam non deferuntur candelabra.

107. Diaconus assurget et libro sumpto ex Altari genuflexionem aut reverentiam faciens ad Crucem, descendet a latere de Altari, venient ante Celebrantem et coibit cum Subdiacono a dextris ipsius, et cum Acolythis.

108. Hoc tempore apud abacum praesto erit Concionator.

109. Diaconus, Subdiaconus et Acolythi reverentiam ad Celebrantem conficient, venient ante Altare, deinde ante Episcopum et respective exsequentur reverentiam aut genuflexionem et consistent quo loco solet cantari Evangelium.

110. Episcopus capiti detrahet caputium cappae, assurget cumque ipso ceteri omnes.

111. Caeremoniarius gremiale et mitram tollet Celebranti, qui assurget et convertetur versus Diaconum: hic autem non

thurificans nec signans librum aut seipsum, cantabit tono Evangelii ultimam Passionis partem *Post haec autem* etc.

112. Evangelii cantu peracto, Diaconus librum claudet, quem Subdiaconus tradet uni ex Acolythis, atque iteratis, ut supra, reverentiis ac genuflexionibus, se recipient apud Celebrantem.

113. Post cantum ultimae partis Passionis Episcopus sedebit et caput operiet caputio.

114. Ministri redibunt cum debitis reverentiis ad Celebrantem, qui sedebit et Diaconus ponet ei mitram et gremiale.

115. Post haec Ministri recedent ad scamnum suum et sedebunt.

116. Concionator, comitante Caeremoniario, qui secum habebit formulam indulgentiarum, discedet de loco quo erit, salutabit Celebrantem, procedet ante Altare ac genuflectet, deinde ante thronum et genuflectet ad Episcopum, ad thronum ascendet, geniculabit ante Episcopum et neque osculans manum eius nec petens ab eo benedictionem, poscet tantummodo indulgentias, dicens *Indulgentias Rme Pater* et Episcopus respondebit *quadraginta dierum* (si fuerit Cardinalis concedet indulgentiam centum dierum). Concionator cum Caeremoniario assurget, de throno descendet, genuflexionem iterabit ad Episcopum, deinde ad Altare et reverentiam etiam ad Celebrantem, si rursus ante eum transibit. Ascendet in pulpitum et genuflexione facta versus Altare ac versus Episcopum, omittens recitare *Ave Maria*, exordietur statim sermonem, eoque absoluto, nudabit caput et stans in pedes publicabit indulgentiam, legens formulam, quae a Caeremoniario ei porrigetur.

117. Publicata indulgentia, descendet de pulpito et redibit in Sacrarium.

118. Ministri redibunt ante Celebrantem eique facta reverentia, Diaconus tollet gremiale et mitram. Celebrans assurget et cum Ministris ad Altare procedet in latus Epistolae et consistent hoc modo. Presbyter assistens a latere Altaris ex eadem parte Epistolae, ut assistat Celebranti, Diaconus a tergo

Celebrantis in primo gradu propius ipsum, et Subdiaconus in plano ante gradus post Diaconum.

119. Episcopus de capite dimittet caputium cappae, assurget et cum eo totus Chorus.

120. Caeremoniarius advertet ut pulvinum ponat pro Episcopo in gradulo cathedrae.

121. Celebrans iunctis manibus incipiet cantare in notis scriptis in Missali invitationem ad orationem, et post illam cantabit *Oremus* (Diaconus *flectamus genua* et Subdiaconus *levate*) manibus deinde expansis prosequetur tono feriali orationem respondentem invitationi (*a*).

122. Ad *Flectamus genua*, omnes genuflectent, ut supra, uno tantum genu, praeter Celebrantem et Presbyterum assistentem.

123. Caeremoniarius qui assistet Celebranti, monebit Ministros quando cantandum sit *Flectamus genua* ante orationes.

124. Ad orationem *pro haereticis* duo pluresve clerici extendent tapetum utendum in adoratione Crucis. Summitas seu caput tapeti ponetur super infimum gradum Altaris in medio et reliquum tapeti extendetur secundum planum presbyterii. Postea pulvinum cum velo albo ponent in capite tapeti super gradum Altaris infimum, in commodum eorum, qui adorare Crucem debebunt.

125. Si Altare esset orientale, advertatur quod cap. praeced. num. 111. traditum est.

126. Circa finem orationum, aderunt apud Altare cantores duo, qui sustinebunt Missale vel librum in quo notatum sit in cantu *Ecce lignum Crucis* etc.

127. Omnibus orationibus cantatis, Celebrans reverentia facta ad Crucem, mitram per Diaconum resumet et a latere ad faldistorium redibit cum Ministris.

128. Celebrans in faldistorio sedebit et Diaconus tollet ei mitram, deinde adiuvantibus Diacono et Subdiacono dimittet planetam.

129. Hoc tempore sedebit Episcopus et Chorus.

(*a*) De oratione *pro Romano Imperio* vide lib. II. cap. XXVI. num. 41.

130. Presbyter assistens accipiet ex abaco librum vel Missale, quo usus erit Celebrans.

131. Postquam Celebrans dimiserit mitram et planetam, medius inter Diaconum et Subdiaconum veniet ad latus posterius Altaris in partem Epistolae in planum ante gradus, facie conversa ad populum. Subdiaconus adstabit ei sinistrorsum et Presbyter assistens adstans a latere versus sinistram, sustinebit ei Missale apertum. Duo cantores supradicti consistent post Celebrantem.

132. Diaconus, comitante Caeremoniario, ascendet ad Altare a latere et conscenso suppedaneo, faciet ad Crucem reverentiam vel genuflexionem, et Crucem ex Altari accipiet.

133. Apponetur, si opus fuerit, scabellum gradatum a clerico, qui Diaconum ascendentem ac descendentem sustentabit, deinde scabellum praedictum amovebitur.

134. Accipiente Crucem Diacono, Episcopus caputium detrahet de capite, assurget et cum ipso chorus universus.

135. Caeremoniarius animadvertet ponere pulvinum super gradulum cathedrae pro Episcopo.

136. Diaconus acceptam Crucem deferet reverenter ambabus manibus, videlicet sinistra infra Crucem et dextra iuxta pedem Crucifixi, nullam peragens reverentiam aut genuflexionem descendet de medio graduum Altaris, veniet ad Celebrantem, tradet ei Crucem et consistet a dextris eius.

137. Celebrans Crucem accipiet utraque manu et elatam sustinebit ante pectus: adiuvante Caeremoniario aut Diacono deteget summitatem usque ad partem transversam ac tono in Missali indicato cantabit *Ecce lignum Crucis* et duo cantores prosequentur cantare *in quo salus mundi pependit*; Chorus autem respondebit *Venite adoremus*. His verbis geniculabunt omnes, excepto Celebrante: Presbyter etiam assistens, qui librum sustinebit Celebranti, claudet librum et in genua procumbet.

138. Cantatis verbis *Venite adoremus*, consurgent omnes et Celebrans cum Ministris, ut supra, ascendet ad Altare quo loco legitur Epistola, et adiuvante Diacono aut Caeremoniario, deteget brachium dexterum Crucis cum brachio dextero cumque capite imaginis Crucifixi et cantabit, ut antea, *Ecce*

lignum etc. vocem efferens hemitonio et ab omnibus genuflectetur eodem modo ut supra.

139. Deinde ipse Celebrans cum Ministris transibit in medium Altaris et in totum detecta, adiuvante Diacono aut Caeremoniario, ut supra, Cruce, vocemque attollens altero hemitonio, cantabit, ut prius, *Ecce lignum Crucis* etc. omnesque in genua procumbent.

140. Post verba *Venite adoremus* ad tertiam adorationem, omnes genibus flexis manebunt.

141. Unus Celebrans, comitante Caeremoniario, descendet de Altari et deferet Crucem ad pulvinum praeparatum cum tapeto violaceo in Presbyterio ibique consistet, geniculabit, Crucem deponet super pulvinum, ac si necesse fuerit, Crucem eamdem in utraque extremitate ligabit taeniis

142. Cruce in pulvino posita, assurget Celebrans et ceteri omnes cum eo.

143. Celebrans genuflexionem ante Crucem conficiet et ad faldistorium redibit. Ministri, qui geniculaverant in suppedaneo Altaris, consurgent una cum Celebrante, genuflexionem cum eo conficient ad Crucem, obviam illi venient et ad faldistorium deducent eum. Presbyter assistens recedet et librum tradet clerico, qui ad abacum referet illum.

144. Episcopus sedebit et caputio cappae cooperiet caput.

145. Cubicularius Episcopi habitu urbano indutus, comitantibus clericis quatuor, accedet ad thronum, faciet genuflexionem versus Crucem, dein ante thronum, priusquam illuc ascendat. Conscenso autem throno, geniculabit ante gradulum et quatuor praedicti clerici attollent cappae episcopalis fimbrias, quibus tegent cubicularium, calceos Episcopo detrahentem.

146. Clerici et cubicularius, detractis Episcopo calceis, recedent in latus sinistrum throni extra gradus throni ipsius.

147. Eodem tempore Celebranti in faldistorio sedenti detrahentur calcei a cubiculario suo, idque etiam facient Canonici in suis stallis et sacri Ministri apud scamnum suum.

148. Clericus unus ponet a dextra Crucis lancem vel pelviculam ad excipiendas oblationes. Non decet Diaconos assistentes dimittere calceos in throno et excalceatos comitari Episcopum ad Crucis adorationem, ideoque se gerent, ut infra.

149. Quum Episcopus dimiserit calceos, assurget de throno descendet vel per mediam illius partem vel a latere, iuxta positionem throni eiusdem, eumque comitabuntur Diaconi assistentes. Ipse sibi partem anteriorem cappae manibus sustinebit elatam, ut libere incedere possit, nec pars posterior ab ab ullo sustentabitur ita ut tractet ipsam super pavimentum.

150. Episcopus ad extremitatem inferiorem tapeti progressus, capiti detrahet caputium cappae et pileolum quoque, si illo utetur. Diaconi assistentes recedent: Episcopo deinde, peracta adoratione, obviam venient ad tapeti principium versus Crucem.

151. Statim ac Episcopus de throno surget iturus ad adorationem, consurget Clerus in choro. Eodem tempore cantorum chorus incipiet cantare improperia, quae prosequentur toto adorationis tempore.

152. Progressus, ut supra diximus, ad extremitatem tapeti Episcopus, uno comitante Caeremoniario, qui sustentabit eum in genuflectendo, si opus erit, genua submittet ac brevi tempore orabit ante Crucem; tum assurget ac procedens ulterius, geniculabit iterum in medio tapeto et orabit, ut supra; rursus assurget, procedet ante Crucem, genua submittet, brevi orabit ac devote osculabitur Crucifixum. Bursam cum oblatione a Caeremoniario acceptam deponet in lancem.

153. Assurget Episcopus, genuflexionem ad Crucem faciet genu dextero, recedet extra tapetum, ubi Diaconi assistentes praesto erunt, sibi reponet pileolum, caput operiet caputio cappae et ad thronum revertetur.

154. Diaconi assistentes, Episcopum ad thronum comitati, reverentiam ad Episcopum conficient, de throno descendent et se recipient in chorum ad stallum suum, ubi calceos sibi deducent.

155. Reverso ad thronum et in ipso sedente Episcopo, cubicularius cum clericis revenient ante ipsum eademque methodo ac supra, cubicularius ei reponet calceos. Post haec clerici et cubicularius ad locum suum se recipient.

156. Advertatur, ut clericus quispiam detegat Crucem processionalem sive Archiepiscopalem utque detegantur ceterae Cruces, quae aderunt in altaribus ecclesiae.

157. Quando Episcopus de adoratione Crucis redibit ad thronum, Celebrans, comitante Caeremoniario, discedet de faldistorio, veniet ad extremitatem tapeti, adoraturus Crucem; eodemque tempore incipient proficisci de stallis suis Dignitates et Canonici, ad Crucem adorandam.

158. Curabitur, ut duo Canonici seniores seu primae duae Dignitates Capituli adsint in loco indicato, quando illuc adveniet Celebrans.

159. Celebranti, quum illuc advenerit, proximabunt a lateribus duae Dignitates seu Canonici seniores et Crucem adorabunt eodem modo, quo Episcopus fecerit.

160. Ut actio ista tam boni exempli ac documenti peragatur ordine debito, observabitur quod traditum est capit. praeced. num. 129.

161. Ordo, quo Clerus procedet ad Crucis adorationem, erit sequens.

162. Post Episcopum accedet Celebrans, medius inter duas Dignitates seu Canonicos seniores, qui una cum Celebrante adorabunt Crucem. Tum reliquae Dignitates, si quae aderunt. Ministri Altaris, si fuerint Canonici, videlicet Presbyter assistens in medio, Diaconus a dextra, Subdiaconus a laeva, ac tam Presbyter assistens, quam Subdiaconus non dimittent paramenta (a). Canonici ex ordine Presbyterorum. Canonici Diaconi assistentes. Reliqui Canonici ex ordine Diaconorum. Canonici ex ordine Subdiaconorum. Si numerus alicuius gradus Canonicorum dispar esset, non coibunt terni in ultimo loco, sed ultimus unius incedet cum primo alterius ordinis, ut ex. gr. si numerus Canonicorum Presbyterorum esset dispar, ultimus Presbyter coibit cum primo Canonico Diacono, et sic de ceteris. Ratio est, quod in hac functione Canonici non induunt paramenta sacra, ut fit cum celebrat Episcopus, ideoque nulla extat dissimilitudo in vestium sacrarum qualitate. Sin autem in fine dispar esset numerus, ultimi coibunt ter-

(a) Ut Ministri sacri paramenta dimittant, nequaquam a Caeremoniali praescribitur. Presbytero assistenti, si esset Canonicus, rochetum tantummodo superesset, quo habitu non licet uti sine altero indumento.

ni, itemque in coetibus sequentibus. Post Canonicos accedent ad adorationem sacri Ministri, nisi fuerint Canonici, deinde Beneficiarii, Mansionarii, clerici Seminarii, Magistratus, nobiles laici, familiares nobiles Episcopi, et populus, exclusis prorsus mulieribus. Eunte autem ad adorationem populo, curabitur ut nulla oriatur perturbatio.

163. Celebrans Cruce, ut supra, adorata, redibit ad faldistorium, in quo sedebit et immediate a cubiculario reponentur ei calcei.

164. Ministri sacri, nisi fuerint Canonici, obviam procedent Celebranti de adoratione redeunti; Diaconus ei reponet planetam, mitram et gremiale super genua. Sin autem erunt Canonici, nec parati essent praestando hoc officium Celebranti, supplebitur a Caeremoniario.

165. Canonici ad subsellia sua se recipient sibique reponent calceos.

166. Diaconi assistentes, Cruce adorata, recedent ad stallum suum ibique calceis sibi repositis, redibunt in thronum ad assistentiam Episcopi.

167. Item Ministri, revertentur ad scamnum suum, sibi rursus inducent calceos et accedent ad Celebrantem, ut infra.

168. Reversis in thronum Diaconis assistentibus, se sistet Episcopo Cappellanus a libro qui sustinebit ante eum Missale apertum, ex quo cum Diaconis supradictis Episcopus ipse leget improperia (*a*).

169. Celebrans, quando ipsi adstabunt a lateribus Ministri, leget cum eis improperia e Missali, quod clericus unus sustinebit. Presbyter assistens aderit prope Subdiaconum, ut indicet Episcopo quae sint legenda.

170. Dum fiet adoratio Crucis, octo Beneficiarii, seu Mansionarii, qui superpellicio induti sine pluviali delaturi erunt baldachinum in processionem, postquam Crucem adoraverint, recedent in Sacrarium, dimissoque habitu chorali, induent sibi superpelliceum et accedent ad Sacellum, in quo custodietur SS. Sacramentum.

(*a*) Vide adnotationem num. 134 cap. praeced. subiectam.

171. Octo Cappellani seu clerici, intorticia in processionem delaturi, postquam adoraverint Crucem, venient in Sacellum, ubi asservabitur SS. Sacramentum, ibique acceptis intorticiis, consistent genibus flexis a lateribus Altaris, quaterni ex utraque parte.

172. Duo thuriferarii accipient thuribula cum naviculis, deferent illa in Sacrarium, ignem in eis aptabunt et praesto erunt apud Sacellum SS. Sacramenti in latere Epistolae, quando illuc erit adventura processio.

173. Advertet Sacrista, ut de medio praedicti Sacelli removeatur faldistorium seu genuflexorium, quo usus erit Episcopus in accessu ad ecclesiam, utque vacuum a populo idem Sacellum sit, quando illuc accessura processio erit.

174. Ipse Sacrista aderit in Sacello antedicto, quo tempore illuc adveniet Episcopus, ut aperiat urnam seu custodiam, in qua custodietur SS. Sacramentum.

175. Lectis ab Episcopo et a Celebrante improperiis, respectivi eorum Cappellani a libro secedent et Missalia in abacis relinquent.

176. Prope abacum, qui situs erit a latere throni, sub finem adorationis aderunt clerici quatuor et Cappellanus a mitra, ministraturi paramenta Episcopo. Aderit etiam cubicularius Episcopi, cappam excepturus quum tempus erit.

177. Sub finem adorationis Crucis, duo Acolythi accendent sex cereos Altaris, alteros in abaco et cereos sive intorticia posita in candelabris ad tribunam seu ingressum Presbyterii.

178. Diaconus cum Subdiacono, postquam Celebrans legerit improperia, facta ad ipsum reverentia, deinde genuflexione ad Crucem, ascendent ad Altare et explicabunt tobaleam, quae principio ab Acolythis posita fuerat complicata super mensam. Descendent de Altari et genuflexionibus iteratis ad Crucem, reverentia ad Celebrantem, Subdiaconus perget ad scamnum et sedebit; Diaconus autem veniet ad abacum, ubi acceptam bursam cum corporali et purificatorio, afferet cum reverentiis ac genuflexionibus, ut supra, ad Altare, corporale explicabit in medio, ponet bursam in latere Evangelii

iuxta candelabra et purificatorium a dextra corporalis, tum facta ad Crucem genuflexione, descendet a latere ad scamnum, ibique sedebit.

179. Presbyter assistens, sumpto ex abaco Missali cum cussino seu legili pro Celebrante, sequetur Diaconum, afferet librum ad Altare in cornu Epistolae, ibique eum aperiet, et genuflexione facta ad Crucem, revertetur a latere ad scamnum et sedebit.

180. Crucis adoratione peracta, Ministri consurgent et accedent ad Celebrantem. Presbyter assistens et Subdiaconus consistent prope sinistram Celebrantis. Diaconus, comitante Caeremoniario, reportabit ad Altare Crucem, ut infra.

181. Quando Diaconus ibit ad accipiendam e pulvino Crucem, Episcopus capiti detrahet caputium cappae et assurget in pedes. Cum eo consurget etiam Chorus. Caeremoniarius ponet super gradulum cathedrae pulvinum in quo Episcopus geniculabit.

182. Caeremoniarius assistens Celebranti, tollet ei gremiale et mitram, deinde prope latus dexterum faldistorii ponet pulvinum, in quo geniculabit Celebrans.

183. Aderit clericus cum scabello gradato, si opus fuerit Diacono ad Crucem in basi reponendam.

184. Diaconus comitante, ut supra, Caeremoniario, accedet ad Crucem, procumbet in genua, solvet taenias, quibus erat firmata in pulvino, accipiet eam reverenter utraque manu, assurget nullamque faciens reverentiam, illam referet ad Altare et imponet basi, in qua prius erat.

185. Statim ac Diaconus Crucem accepturus geniculabit, omnes in genua procumbent, non excepto Episcopo nec Celebrante.

186. Reposita a Diacono super Altare Cruce, consurgent omnes et sedebunt denuo.

187. Praesto erunt clerici duo, vel familiares nobiles Celebrantis pro lotione manuum.

188. Diaconus, Cruce in sua basi reposita, genuflexionem in suppedaneo faciet ante Crucem et a latere redibit ad Celebrantem, cui reponet mitram.

189. Sedente, ut supra, Episcopo, distribuentur clericis paramenta, quae ad thronum afferentur. Cubicularius Episcopi ascendet ad thronum et consistet prope secundum Diaconum assistentem cappam recepturus.

190. Dum Episcopi paramenta distribuentur, Celebrans lavabit manus.

191. Subdiaconus, accepturus Crucem processionalem, dimittet manipulum.

192. Episcopus, adiuvantibus Diaconis assistentibus et Cubiculario, dimittet cappam, quam Cubicularius recipiet et in Sacrario complicabit, repositurus illam Episcopo in fine officii. Advertet idem Cubicularius ut post receptam Episcopi cappam, expediat vestis episcopalis extremitatem posteriorem.

193. Canonici hac die non efficient circulum, cum parabitur Episcopus.

194. Episcopus parabitur a Diaconis assistentibus amictu, stola, pluviali nigro et formali simplici: a Diacono autem primo assistente imponetur ei mitra simplex.

195. Presbyter assistens Celebranti remanebit ad Altare in plano lateris Evangelii, ut deinceps Celebranti assistat ad librum.

196. Ordinabitur processio ad Sacellum, in quo erit expositum SS. Sacramentum, ordine sequenti (*a*).

197. Clavigeri, sive claviger ecclesiae; Subdiaconus ad Altare ministrans, qui dimisso manipulo, ut supra dictum est, accipiet Crucem processionalem iam detectam et incedet medius inter duos Acolythos gestantes candelabra, accensis cereis; cantores; clerici Seminarii; Mansionarii seu Beneficiarii; Canonici, bini; Dignitates, ut supra; Celebrans, cuius sinistrae adstabit Diaconus et prope Diaconum incedet clericus, recepturus mitram Celebrantis; Episcopus, medius inter Diaconos assistentes, qui fimbrias pluvialis eius sustinebunt; Cappellanus a mitra et Caudatarius; familiares nobiles Episcopi, si aderunt. Si Ordinarius esset Archiepiscopus, Subdiaconus cum Acoly-

(*a*) In Caeremoniali lib. II. cap. XXVI. num. 13. non praescribitur, ut ante Crucem processionalem praecedat thuribulum cum thure benedicto.

this locum sument ante Canonicos, et imago Crucifixi versa erit ad Archiepiscopum.

198. Omnes illi qui in processionem incedent, exeuntes de presbyterio genuflexionem uno genu conficient ante Crucem Altaris maioris. Celebrans de faldistorio proficiscetur, et ante Altare mitra nudabitur a Diacono, genuflexionem faciet ad Crucem Altaris, rursus cooperietur mitra a Diacono et suum locum in processione occupabit. Episcopus de throno descendet et ante Altare quum venerit a secundo Diacono assistente nudabitur mitra, genu flectet ad Crucem et reposita ipsi mitra a primo Diacono assistente, in processionem incedet.

199. Quum ad Sacellum, in quo expositum erit SS. Sacramentum, pervenerit processio, ita disponetur, ut possit facile rursus ordinari, quocirca qui primi in processionem incedent, restabunt propius ingressum. Id intelligi volumus ratione habita numeri Cleri et loci capacitatis, namque fiet ut magis expediet.

200. Unusquisque ad Sacellum perveniens, excepto Subdiacono gestante Crucem, genuflexionem utroque genu cum socio conficiet ad SS. Sacramentum, locum deinde suum occupabit, ubi procumbet in genua; discedens autem iterabit genuflexionem utroque genu.

201. Duo thuriferarii cum thuribulis et naviculis aderunt prope latus Epistolae; Subdiaconus cum Cruce et Acolythi cum candelabris consistent iuxta ingressum Sacelli; si tamen Ordinarius erit Metropolitanus, consistent apud Altare a latere Evangelii; Mansionarii seu Beneficiarii, superpellicio induti, qui delaturi erunt baldachinum, restabunt in aditu Sacelli, quo clerici duo transferent baldachinum hastile, statim ac Episcopus intraverit in Sacellum; Cappellani octo numero, qui superpellicio induti gestabunt intorticia ardentia e cera alba, geniculabunt quaterni ex utraque parte in lateribus Altaris, et animadvertent ita se disponere, ut nullo impedimento sint actionibus ad Altare peragendis; Canonici consistent circum Altare, stantibus prope Episcopum senioribus; Celebrans ad Altare appropinquans nudabitur mitra et pileolo a Diacono; progressus autem ante Altare, genuflexionem utroque genu

faciet ad SS. Sacramentum et recedet in latus Epistolae, ubi geniculabit super pulvinum positum in infimo gradu ex eodem latere Altaris; Episcopus incedet tres quatuorve passus longe a Celebrante, et appropinquanti ad Altare secundus Diaconus assistens tollet mitram et pileolum; progressus autem ante Altare, genuflexionem in pavimento faciet ad SS. Sacramentum utroque genu, non adhibito pulvino; tum assurget ac geniculabit super pulvinum in medio infimo gradu praeparato.

202. Accedet ad Altare Canonicus Presbyter assistens, qui in hac functione fungetur officio suo in ministrando tantum Episcopo incensum.

203. Genuflexo ante Altare Episcopo, Sacrista indutus superpellicio et stola nigra circa collum, ascendet ad Altare et aperiet custodiam in qua custodietur SS. Sacramentum.

204. Episcopus brevi tempore orabit, assurget ac ministrante Presbytero assistente, imponet incensum in utrumque thuribulum sine benedictione. Diaconus primus assistens in hac actione sublevabit fimbriam dexteram pluvialis Episcopi. Rursus geniculabit Episcopus, eique tradito thuribulo a Presbytero assistente, triplici ductu thurificabit SS. Sacramentum. Diaconi assistentes eius fimbrias pluvialis attollent.

205. Episcopus thuribulum restituet Presbytero assistenti, qui eodem thuribulo tradito thuriferario, redibit ad locum suum inter Canonicos.

206. Caeremoniarius humeris Episcopi imponet velum humerale albi coloris, quod ei firmabitur taeniis ante pectus a primo Diacono assistente.

207. Quum velum humerale Episcopo impositum erit, Celebrans ascendet ad Altare et cum debitis genuflexionibus e custodia educet utraque manu SS. Sacramentum, apponens dexteram infra cuppam calicis, sinistram pedi, et convertetur versus Episcopum.

208. Si difficile aut incommodum Celebranti esset de custodia educere SS. Sacramentum, poterit id fieri per Sacristam, qui deponet illud super Altare, eoque casu Celebrans acceptum ex Altari Sacramentum tradet Episcopo.

209. Episcopus profunda reverentia Sacramentum salutabit, assurget, Calicem sinistra ad nodum accipiet, dexteram imponens patenae. Diaconi assistentes extremitatibus veli humeralis cooperient SS. Sacramentum.

210. Celebrans, Calice tradito Episcopo, genuflectet in suppedaneo, assurget ac descendet de latere Epistolae, ut locum suum in processione resumat.

211. Statim ac Episcopus acceperit SS. Sacramentum, cantores cantu firmo cantare incipient hymnum *Vexilla regis prodeunt*, quem cantare prosequentur toto processionis tempore.

212. Ordinabitur per ecclesiam processio, quae proficiscetur ad Altare maius per navem primariam, ordine sequenti. Claviger seu clavigeri ecclesiae. Subdiaconus cum Cruce medius inter Acolythos gestantes candelabra ardentibus cereis. Cantores. Clerici Seminarii. Canonici. Dignitates. Celebrans capite nudato, adstante eius sinistrae Diacono et prope Diaconum incedente clerico a mitra. Cappellani cum octo accensis intorticiis, quae dextra sustinebunt qui dextrorsum, sinistra qui sinistrorsum incedent. Duo thuriferarii cum thuribulis, quae leviter agitantes adolebunt SS. Sacramentum. Episcopus subibit umbraculum, cuius hastas sustentabunt Beneficiarii superpellicio induti, et medius inter Diaconos assistentes, qui fimbrias pluvialis eius attollent, gestabit SS. Sacramentum. Sequetur Cappellanus caudatarius, qui syrmam Episcopo sustinebit, alter cappellanus deferens mitram, postremo familiares nobiles Episcopi. Si Ordinarius fuerit Metropolitanus, praeferetur Crux ante Canonicos, ut superius traditum est.

213. Quum ventum erit in presbyterium, Acolythi candelabra deponent in abaco et in genua procumbent; Subdiaconus Crucem collocabit quo loco erat ab initio, redibit ad abacum, manipulum sibi reponet in brachio sinistro et subsistet apud Altare in plano lateris Epistolae, ut se adiungat Celebranti. Unusquisque de Clero ad stallum suum se recipiet; Cappellani seu clerici cum intorticiis disponentur quaterni ex utraque parte a lateribus Altaris ibique genibus flexis manebunt donec super Altare aderit SS. Sacramentum. Nemo de Clero, qui in presbyterium ingredietur, genuflexio-

nem faciat ad Crucem Altaris ob reverentiam quae SS. Sacramento debetur. In ingressu presbyterii removebitur baldachinum, quod sumptum a clericis duobus applicabitur parieti ecclesiae, vel referetur in Sacrarium. Mansionarii seu Beneficiarii superpellicio induti, qui sustentaverint umbraculum hastile, geniculabunt in plano presbyterii. Thuriferarii accedent ad latera Altaris, caventes ne suo loco impediant actiones, quae sequentur. Diaconus, comitatus Celebrantem, procedet ad infimum gradum Altaris in latus Epistolae, ubi iam aderit Subdiaconus, ibique genuflectet.

214. Quando Episcopus pervenerit ad Altare, Celebrans convertetur ad eum, genuflectet atque assurgens accipiet de manibus eius SS. Sacramentum, tum expectabit dum Episcopus in genua procumbat et Sacramentum adoret.

215. Diaconi assistentes tollent de humeris Episcopi velum humerale, quod a clerico aliquo portabitur ad abacum. Prope Episcopum aderit etiam Presbyter assistens, incensum ei ministraturus, ut infra.

216. Celebrans SS. Sacramentum afferet ad Altare, ponetque in medio super corporale, iterabit genuflexionem versus latus suum dextrum, ne tergum vertat Episcopo, descendet a latere de Altari et veniet geniculatum inter Diaconum et Subdiaconum in latus Epistolae super pulvinum in infimo gradu ipsi praeparatum.

217. Genuflexo Celebrante, ascendet ad Altare Diaconus, genuflexionem ad SS. Sacramentum faciet a latere, ne tergum vertat Episcopo, expediet taeniam, qua nodo calicis firmatum erat velum, velumque ipsum expandet diligenter, ne moveatur patena calici imposita. Tum genuflexione iterata, ad Celebrantis dexteram reveniet.

218. Episcopus assurget et incensum, ministrante Presbytero assistente, iniiciet in thuribulum unum, a thuriferario stante praesentatum. Episcopus ponet incensum sine benedictione, genuflectet rursus et accepto a Presbytero assistente thuribulo, triplici ductu thurificabit SS. Sacramentum. Diaconi assistentes, genuflexi infra gradum infimum a lateribus Episcopi, sublevabunt eius fimbrias pluvialis.

219. Thurificato SS. Sacramento, Episcopus thuribulum restituet Presbytero assistenti, assurget, genuflexionem ad Sacramentum utroque genu peraget in pavimento ac sine pulvino et revertetur ad thronum. Presbyter assistens euntem ad thronum Episcopum sequetur et consistet a dextris eius: sequetur etiam Caeremoniarius cum thuribulo et navicula.

220. Clerus in choro manebit genibus flexis, quamquam Episcopus in thronum redierit.

221. Alter ex thuriferariis revertetur in Sacrarium et deponet thuribulum.

222. Interim a clericis duobus ante Altare statuetur faldistorium in quo geniculabit Episcopus.

223. Episcopo, quum in thronum ascenderit, incensum ministrabit Presbyter assistens, eique praesentabit thuribulum Caeremoniarius. Episcopus incensum in thuribulum imponet sine benedictione.

224. Hoc ipso tempore Celebrans ascendet ad Altare cum Ministris et iunctim conficient genuflexionem ad SS. Sacramentum. Presbyter assistens Celebranti, adstabit a sinistris eius, indicans ipsi e Missali quid faciendum aut recitandum sit; Diaconus adstabit Celebranti dextrorsum, Subdiaconus a dextris Diaconi. Quando ad Altare ascendet Celebrans, Acolythus unus afferet illuc pelviculam cum ampullis vini et aquae.

225. Si adhiberetur calix diversus ab illo, in quo fuerit custoditum SS. Sacramentum, Subdiaconus accipiet ex abaco calicem cum purificatorio, patena et palla eumque afferet ad Altare. Hoc casu Acolythus cum ampullis sequetur Subdiaconum.

226. Clericus alter in promptu habebit vasculum vitreum aquae plenum pro digitorum purificatione, si opus fuerit, et afferet illud ad Altare.

227. Itaque stante ad Altare Celebrante, Diaconus tollet de calice velum, quod referetur ad abacum; accipiet deinde patenam, quam dextera sustinebit et a calice amovebit pallam. Celebrans, accepto cochleari, in quo aderit S. Hostia, vel calice, Hostiam ipsam, quin tangat, ponet super patenam a Diacono sustentam. Si ad illam extrahendam opus esset ut contingeret ipsam, digitos in vasculo purificabit et absterget purificatorio.

228. Diaconus sine osculis patenam cum Sacramento tradet Celebranti, qui sumpta patena utraque manu, ponet Sacramentum super corporale, nullum faciens Crucis signum, et patenam relinquet super corporali a dextris suis.

229. Postea Diaconus accipiet calicem et aliquantulum vini infundet in illum; Subdiaconus infundet duas tresve guttas aquae, ut in aliis Missis, quin benedictionem a Celebrante petat. Celebrans aquam non benedicet, nec dicet orationem consuetam *Deus, qui humanae* etc.

230. Diaconus Calicem tradet Celebranti, qui sine ullo Crucis signo collocabit illum super corporale, ut in aliis Missis, et Diaconus eundem palla cooperiet.

231. Subdiaconus cum debitis genuflexionibus transibit ad sinistram Celebrantis, propter Altaris thurificationem, ut infra.

232. Postquam Episcopus incensum in thuribulum ingesserit, Caeremoniarius redibit ad Altare cum thuribulo eodem et subsistet in latere Epistolae.

233. Presbyter assistens Episcopo redibit in chorum ad locum suum, functus iam officio suo in hac functione.

234. Primus Diaconus assistens reponet pileolum et mitram Episcopo, qui medius inter Diaconos assistentes, fimbrias pluvialis eius sustentantes, de throno descendet ad faldistorium ante Altare. Ibi secundus Diaconus assistens mitram et pileolum tollet Episcopo, qui cum suis Assistentibus et Cappellanis geniculabit in faldistorio, super quo extendetur eius pluviale.

235. Calice, ut supra, posito super Altare et contecto, Caeremoniarius tradet thuribulum Diacono, hic Celebranti sine osculis. Celebrans adolebit Oblata et Altare, ut in aliis Missis solemnibus, advertens tamen ut genuflexionem faciat ad SS. Sacramentum, siquando Crucem salutare deberet. Recitabitur a Celebrante alta voce *Incensum istud* etc. *Dirigatur* etc. Diaconus a dextris, Subdiaconus a sinistris planetam Celebrantis ex parte posteriori attollent.

236. Interim in promptu erunt Ministri lotionis pro Celebrante.

237. Thurificato Altari, Celebrans thuribulum Diacono tradet, dicens *Accendat in nobis* etc. Diaconus restituet thuribulum Caeremoniario, et hic thuriferario, qui referet illud in Sacrarium, siquidem in functione ista amplius illo opus non est.

238. Thurificationis tempore Presbyter assistens Celebranti amovebit ab Altari Missale cum cussino et peracta thurificatione reponet illud, restans prope Missale, ut supra dictum est.

239. Celebrans de Altari descendet et in latere Epistolae, extra Altare, lavabit manus, non recitans psalmum *Lavabo*. Diaconus et Subdiaconus sustinebunt ei mantile.

240. Celebrans, lotis abstersisque manibus, redibit ad Altare, Diaconus stabit a tergo eius super gradum proximum suppedaneo; Subdiaconus autem a tergo Diaconi super gradum infimum, vel in plano Altaris ante gradus.

241. Reversus ad medium Altare Celebrans genuflexionem faciet ad SS. Sacramentum, quod facient etiam Ministri loco superius indicato.

242. Celebrans inclinatus et iunctis manibus super Altare, dicet orationem *In spiritu humilitatis* etc. postea genuflectet ad Sacramentum et conversus aliquantulum super sinistram suam, non complens circulum, manibus expansis dicet *Orate, fratres, ut meum* etc. Subdiaconus non respondebit *Suscipiat Dominus* etc. (Si Altare fuerit ad Orientem versum, Celebrans non convertetur ad populum). Celebrans, iterata genuflexione, cantu feriali subiunget *Oremus. Praeceptis salutaribus* etc. iunctis manibus, tum *Pater noster* manibus expansis et cantu feriali. Responso a choro *Sed libera nos a malo*, dicet secrete *Amen*. Prosequetur deinde iunctis manibus et voce intelligibili *Libera nos* etc. nec se signabit ad illa verba *Da propitius pacem* etc.

243. In fine orationis huius, Diaconus accedet ad sinistram Celebrantis et geniculabit in margine suppedanei a sinistris Celebrantis, Subdiaconus autem suo loco super gradum Altaris.

244. Completa praedicta oratione, Celebrans genuflexionem faciet, dextera patenam accipiet eique imponet S. Hostiam. Postea sinistra patenam, dextera S. Hostiam accipiet, quam elatam supra patenam sustinebit, et S. Hostiam dextera

aliquantulum elevabit ita ut conspici possit. In hac elevatione nec Diaconus attollet eius planetam, nec thurificabitur Sacramentum, nec pulsabitur crotalum.

245. Dum Celebrans inclinabit S. Hostiam, consurgent Subdiaconus, Diaconus et Presbyter assistens. Hic redibit ad Missale, Diaconus statim deteget Calicem, Subdiaconus perget stare loco suo.

246. Celebrans non reponens Hostiam super patenam aut super corporale, neque ullam aliam faciens genuflexionem, demittet illam super Calicem, et relinquens sinistra patenam ante pedem Calicis, dividet Hostiam trifariam, ut in aliis Missis, binas partes maiores ponet in patena, particulam autem merget vino intra Calicem, nullum faciens Crucis signum nullumque proferens verbum. Diaconus Calicem rursus cooperiet; Celebrans cum Diacono genuflectent ad Sacramentum.

247. Post haec Celebrans manibus super Altare iunctis, dicet orationem *Perceptio Corporis tui* etc. Genuflectet post orationem, accipiet patenam cum S. Hostia, dicens *Panem coelestem* etc. ac pectus ter percutiens, dicet etiam tribus vicibus *Domine, non sum dignus*. Deinde se Sacramento signans, dicet *Corpus Domini nostri* etc. et communicabit (*a*).

248. Ascendet Subdiaconus ad dexteram Diaconi eodemque tempore accedet ad Altare Acolythus unus cum ampullis vini et aquae in pelvicula. In promptu etiam erunt Ministri lotionis.

249. Quum Celebrans communicaverit, Diaconus deteget Calicem, et genuflexione facta a Celebrante ac Ministris, Celebrans fragmenta de corporali colliget patena et ponet intra Calicem, atque ita si adhibitum fuerit cochleare in Calice ad reponendam S. Hostiam, abstergetur diligenter a fragmentis, quae a Celebrante immittentur in Calicem. Postea Celebrans accipiet Calicem nec se signans nec formulam ullam proferens,

(*a*) Notentur quae in Caeremoniali Episcoporum lib. II. cap. XXVI. num. 20. leguntur « Tunc secrete (Celebrans) ut alias dicit *Perceptio Corporis* etc. *Panem Coelestem* etc. *Domine non sum dignus* etc. et continuat *Corpus Domini* etc. »

se communicabit particula S. Hostiae et vino, quod erit in Calice.

250. Episcopus assurget, genuflexionem faciet ad Crucem, eique reposita a primo Diacono assistente mitra, redibit in thronum et sedebit.

251. Consurgent Cappellani cum intorticiis et coeuntes ante Altare, genuflexionem ad Crucem et ad Episcopum conficient et revertentur in Sacrarium.

252. Chorus etiam consurget et sedebit stallo quisque suo.

253. Praesto erunt apud thronum clerici recepturi paramenta Episcopi, et Cubicularius cum cappa.

254. Celebrans, non abscedens de medio Altari, digitos vino et aqua purificabit super calicem, infundente vinum et aquam Diacono, cui ministrabuntur ampullae a Subdiacono. Celebrans ablutionem sumet, nihil dicens.

255. Acolythus reportabit ampullas ad abacum et Subdiaconus transibit in cornu Evangelii, absterget calicem et superposito purificatorio, patena, palla et corporali intra bursam, referet haec omnia ad abacum, exsequens hanc actionem celeriter.

256. Diaconus mitram imponet Celebranti, qui in latere Epistolae lavabit manus. Presbyter assistens cum Diacono sustinebunt ei mantile.

257. Postea Diaconus tollet mitram Celebranti, descendet de abaco, stolam latiorem dimittet, resumet planetam plicatam et redibit ad Celebrantem.

258. Presbyter assistens admovebit ad medium Altaris Missale cum cussino.

259. Celebrans redibit ad medium Altaris et iunctis manibus atque inclinatus, dicet elata voce *Quod ore sumpsimus* etc.

260. His peractis, Celebrans de Altari descendet, medius inter Ministros et una cum ipsis genuflexionem conficiet ad Crucem. Tum Diaconus reponet ei mitram, et facta respective reverentia vel genuflexione ante Episcopum, praecedentibus clericis, quo ordine processit ad Altare, redibit in Sacrarium, ubi sacras vestes dimittet.

261. Profecto Celebrante, ascendent ad thronum clerici

Diaconi assistentes exuent Episcopum paramentis, quae reponentur super abacum, in quo erant ab initio.

262. Quum Diaconi assistentes exuerint Episcopum, reponent ei cappam adiuvante cubiculario, qui advertet alligare extremitatem posteriorem vestis talaris.

263. Cappa Episcopo reposita, Diaconi assistentes salutabunt eum et se recipient in chorum ad subsellia sua, functi in hac functione officio assistentiae.

264. Caeremoniarius cappam Episcopo explicabit et recitabuntur Vesperae, observando ritum praescriptum cap. XIV. num. 202. libri huius.

265. Si nullus sermo, seu sacra concio post Evangelium habita fuerit, quando in fine Vesperarum Episcopus ad faldistorium descendet pro recitando *Miserere*, accedet ad Episcopum Presbyter assistens, qui post orationem *Respice* etc. assurgens, convertetur ad populum et Indulgentiam publicabit, legens alta voce formulam praescriptam.

266. Si Episcopus Celebrans non erit subiectus Ordinario, ut notavimus cap. IV. libri V. Celebrans imponet incensum in thuribulum ad thurificanda oblata: eaque est unica variatio, quae occurreret num. 223. huiusce capituli.

DE ASSISTENTIA EPISCOPI PRAESTANDA OFFICIO FERIAE VI. IN PARASCEVE, A CANONICO CATHEDRALIS CELEBRATO.

CAPUT XIX.

De rebus praeparandis.

Ad Altare, in quo expositum aderit SS. Sacramentum.

1. Praeparabitur faldistorium, vel genuflexorium sine strato cum pulvinis duobus e panno violaceo, ut supra.

2. Velum humerale nobile albi coloris pro Episcopo.

3. Intorticia numero octo pro Cappellanis in processionem illa delaturis.

4. Pulvinus niger sericeus super infimum gradum Altaris pro Episcopo.

5. Scabellum gradatum in commodum Sacristae, si opus fuerit, ad extrahendum e custodia SS. Sacramentum.

6. Clavis urnae seu custodiae super mensam Altaris et corporale in medio explicatum.

7. Stola nigri coloris pro Sacrista, qui custodiam Sacramenti aperturus erit.

8. Extra Sacellum, umbracùlum hastile albi coloris.

In Sacrario.

9. Paramenta pro Celebrante et sacris Ministris, videlicet amictus, albae, cingula et manipuli, tria omnia numero; stolae et planetae plicatae duae, integra una (*a*).

10. Superpellicea pro clericis inservientibus.

11. Paramenta pro cantoribus Passionis, nempe amictus, albae, cingula, manipuli, stolae, tria omnia numero, et liber Passionis instructus veste nigra et signaculis similibus.

12. Vasculum aquae sanctae cum aspersorio, si in conchis ecclesiae aqua benedicta servabitur.

Ad Altare maius.

13. Altare esto totaliter nudum et aderunt sex candelabra ex cupro aut ex aere vel alius materiae fusci coloris cum candelis e cera lutea, seu communi. Media inter candelabra erit Crux eiusdem materiae, alto pede et aequali candelabris. Crux tamen esto levis in commodum Celebrantis et convestita velo sericeo nigri coloris, iam aptato, ut facile tolli possit; ideoque expediret ut esset circumsutum, excepto brachio dextro et summitate, ubi firmabitur globulis nigris vel uncinulis.

(*a*) Vide quae praecedentis capit. num. 12. tradita sunt.

14. Ante Altare statuetur faldistorium, in quo genuflectet Episcopus, et aderunt in illo duo pulvini e panno violaceo.

15. A laeva faldistorii ponetur scabellum nudum aequale scabellis throni, utendum a Celebrante. Advertetur ne scabellum sit ad lineam faldistorii, sed retro aliquantulum.

16. A latere Epistolae, loco solito, aderit scamnum pro Celebrante et Ministris, et ipsum nudum ac destitutum omni ornatu vel tegumento.

17. In latere Evangelii imposita basi erit Crux processionalis velo violaceo convestita. Quod si ordinarius fuerit Archiepiscopus, praeparabitur basis tantum.

In abacis.

18. Abaci erunt nudi; planum eorum superius cooperietur sola tobalea linea alba, quae nihil defluat prorsus a lateribus. Porro in illo, qui stabilietur pro Celebrante in latere Epistolae, praeparantur duo candelabra cum candelis e cera lutea seu communi pro Acolythis; ampullae vini et aquae in pelvicula; calix argenteus cum purificatorio, patena, palla et corporali intra bursam nigram; si adhibebitur calix, in quo custodietur SS. Sacramentum, praeparabitur tantum bursa nigra cum corporali et purificatorio; vasculum aquae et purificatorium unum ad purificandos digitos Celebrantis, si opus fuerit; cussinus nigri coloris aequalis paramentis, vel legile pro Missali; Missale cum veste nigra et signaculis similibus; Epistolarium et Evangeliarium cum tegumento et signaculis, ut supra; Altaris tobalea, quae contegere mensam tantum debet, nec pendere a lateribus; thuribula argentea duo cum naviculis similibus; stola latior nigri coloris pro Diacono; lanx argentea ad excipiendas oblationes Crucis; formula Indulgentiarum.

19. In altero abaco, qui adhibebitur pro Episcopo, praeparabitur pluviale nigrum cum stola simili, amictus, formale simplex, mitra damascena albi coloris; velum seu vimpa, qua utetur Cappellanus a mitra; Missale cum tegumento ni-

gro et signaculis similibus; pulvinus e serico nigro utendus ab Episcopo, quum paratus erit pluviali, Breviarium vel liber cum oratione *Respice* etc. in fine Vesperarum.

20. Prope abacum istum ponetur tapetum maius e panno violaceo cum pulvino e serico villoso violacei coloris, in quo aderit velum sericeum album phrygiatum opere sericeo coloris violacei, et adhibebitur in adoratione Crucis: aderunt etiam taeniae albi coloris, sericeae adhaerentes pulvino et velo, ad firmandam Crucem,

In Presbyterio.

21. Thronus erit ex toto nudus; pulvinus tantum e panno violaceo in sedili cathedrae ponetur. Aderunt duo scabella pro Diaconis assistentibus. Praeparabitur pulvinus alter laneus coloris violacei, adhibendus in genuflexionibus Episcopi.

22. Hastae cum gossipio cerato ad accendendos cereos.

23. In sex candelabris ad ingressum Presbyterii ponentur intorticia vel cerei e cera communi.

24. Sedilia Canonicorum et Cleri carebunt quocumque ornatu et tegumento.

25. Praeparabitur etiam scabellum gradatum in usum Diaconi ad conscendendum Altare, quando erit accipienda Crux.

26. Statuetur pulpitum nudum pro Concionatore non longe a Presbyterio.

De functione

27. In choro recitantur horae minores Prima, Tertia, Sexta et Nona, voce submissa et sine cantu; cerei in Altari erunt extincti.

28. Dum horae praedictae recitabuntur, se parabunt in Sacrario Celebrans cum Ministris, et assument paramenta nigra ibi praeparata, ut superius notatum est.

29. Completa in choro horarum recitatione, pulsabitur crotalum ad fores Sacrarii, ut indicetur Canonicis tempus esse associandi Episcopum, ut cap. IV. lib. V.

30. Clericus designatus afferet ad portam vasculum aquae sanctae cum aspersorio, si mos erit hisce diebus servandi aquam benedictam in fontibus lustralibus.

31. Episcopus ad ecclesiam descendet, ac si fuerit Metropolitanus, praeferetur ante eum Crux Archiepiscopalis: ad portam ecclesiae quum venerit, asperget seipsum et adstantes, si in conchis ecclesiae servabitur aqua benedicta, ut supra; secus haec actio omittetur.

32. Episcopus in ecclesiam ingressus caput operiet caputio cappae et hac die a benedicendo dextera adstantes abstinebit.

33. In Sacello ubi expositum erit SS. Sacramentum, caput nudabit caputio, ante faldistorium genuflexionem in pavimento nudo faciet utroque genu,. geniculabit in faldistorio ibique restabit orationi vacans, donec Caeremoniarius eum monebit, ut assurgat.

34. Hoc tempore egredietur e Sacrario Celebrans, praeeuntibus duobus Acolythis, Subdiacono et Diacono; procedet ad Altare maius et veniens in medium, reverentiam faciet ad Crucem; Ministri, nisi fuerint Canonici, genuflexionem conficient, itemque Acolythi, et sessum pergent ad scamnum sibi praeparatum in latere Epistolae. Acolythi autem consistent apud abacum.

35. Si cantanda erit prima lectio a Beneficiario seu Mansionario, qui gaudeat usu cappae aut alius indumenti choralis, dimittet ipsum in Sacrario, sibi induet superpelliceum et praesto erit apud abacum, quando Episcopus ad Altare perveniet.

36. Caeremoniarius Episcopi quum cognoverit omnia ad Altare disposita esse ad initium functionis faciendum, innuet ei ut discedat. Episcopus assurget, genuflexionem, ut supra, utroque genu ad SS. Sacramentum iterabit, exibit de Sacello et extra ipsum caputio cappae rursus operiet caput.

37. Celebrans et Ministri, ingresso in presbyterium Episcopo, caput nudabunt, consurgent et respective ante eum facient reverentiam vel genuflexionem et dextere transeuntes post Episcopum, accedent ad sinistram eius paullo retro. Ce-

lebrans geniculabit apud scabellum, Ministri geniculabunt a lateribus eius, retro aliquantulum (a).

38. Episcopus progressus ad faldistorium, caputium sibi detrahet de capite, salutabit Crucem Altaris, submittet genua et super faldistorium procumbet.

39. Diaconi assistentes coibunt cum Episcopo in presbyterium intrante et geniculabunt in pavimento a tergo eius.

40. Si fuerit Metropolitanus, Cappellanus crucifer statim firmabit in basi Crucem archiepiscopalem.

41. Canonici et ceteri de choro recedent ad subsellia ibique geniculabunt.

42. Episcopus et Celebrans solito prolixius orabunt, spatio ferme unius *Miserere.*

43. Interim in promptu erunt Acolythi apud abacum, tobaleam super Altare extensuri.

44. Episcopus, Celebrans et reliqui de oratione consurgent.

45. Episcopus, reverentia facta ad Crucem, caput operiet caputio, et in thronum ascendet, comitantibus duobus Diaconis assistentibus. Extremitas posterior eius cappae a nullo sustentabitur. Benedictionem nequaquam donabit, neque ullo modo salutabit Celebrantem neque Canonicos nec reliquos. Conscenso throno, sedebit in cathedra et Diaconi assistentes in scabellis consuetis. Hac die nullus erit Episcopo Presbyter assistens.

46. Cappellanus a libro Episcopi aderit prope latus sinistrum throni, functurus officio suo.

47. Profecto Episcopo, amovebitur statim a duobus clericis faldistorium, in quo ipse genuflexerat, et clericus alter tollet scabellum a Celebrante adhibitum.

48. Post Episcopi de Altari discessum, Celebrans medius inter Diaconum et Subdiaconum ascendet ad Altare, quod osculabitur in medio. Ministri deinde cum Celebrante conficient reverentiam vel genuflexionem ad Crucem, descendent cum Celebrante ipso a latere de Altari, venient sessum ad scamnum praeparatum et caput bireto cooperient.

(a) Inspiciatur adnotatio subiecta num. 57. cap. praeced.

49. Episcopo in throno et Celebrante cum Ministris in suo scamno sedentibus, prodibunt in medium duo Acolythi, quorum unus deferet Altaris tobaleam, debitisque reverentiis et genuflexionibus ad Celebrantem, Episcopum et Altare peractis, ascendent ad Altare et supra mensam extendent tobaleam in longitudinem prope candelabra ita tamen, ut explicari facile possit, quaemadmodum dicetur inferius.

50. Acolythis cum genuflexionibus, ut supra reversis ad abacum, qui cantor lectionem primam erit cantaturus, comitante Caeremoniario, procedet in medium, reverentiam primo ad Celebrantem faciet, dein genuflexionem ad Altare et ad Episcopum, postea quo loco cantari Epistola solet, lectionem cantabit tono pro lectionibus stabilito.

51. Expleto lectionis seu prophetiae cantu, genuflexiones et reverentias cantor, ut antea iterabit, redibit ad abacum, deponet ibi Epistolarium, recedet in Sacrarium, resumet habitum choralem, ut superius notatum fuit, et in chorum ad locum suum redibit.

52. A cantorum choro cantabitur tractus *Domine audivi* etc.

53. Se sistet Episcopo cappellanus cum libro, ex quo Episcopus leget prophetiam cum tractu, stantibus Diaconis assistentibus, donec leget Episcopus.

54. Subdiaconus accipiet ex abaco Missale Celebrantis, se sistet ante ipsum et reverentia facta, librum aperiet, et apertum ei sustinebit, ex quo Celebrans ipse leget prophetiam et tractum.

55. Hoc tempore se parabunt in Sacrario tres Passionis cantores, adiuvantibus respectivis eorum Cappellanis seu clericis qui debebunt ipsis sustinere librum.

56. Lecta ab Episcopo et Celebrante prophetia cum tractu, cappellanus a libro et Subdiaconus ad respectivum locum suum se recipient.

57. Clericus unus ponet super Altare in latere Epistolae cussinum seu legile cum Missali aperto pro Celebrante.

58. Quum parum aberit ut absolvatur cantus Tractus, caput nudabunt Celebrans et Ministri, atque a latere ascendent ad Altare in cornu Epistolae, ibique Diaconus subsistet a tergo

Celebrantis super gradum proximum suppedaneo, et Subdiaconus super gradum infimum vel in pavimento ante gradum eumdem.

59. Episcopus exuet caputium capiti et assurget.

60. Assurgente Episcopo, consurget etiam Chorus.

61. Celebrans cantabit *Oremus*, Diaconus *Flectamus genua*, Subdiaconus *Levate*.

62. Tam in ista, quam in reliquis orationibus genuflectent omnes ad cantum verborum *Flectamus genua*, omnesque consurgent ad verbum *Levate*, excepto Celebrante, qui stabit. Caeremoniarius advertet, ut pulvinum pro Episcopo praeparet in gradulo cathedrae.

63. Celebrans manibus expansis ac tono feriali cantabit orationem *Deus, a quo et Iudas* etc.

64. Cantata oratione, omnes rursus sedebunt. Episcopus caputio cappae operiet caput. Celebrans et Diaconus descendent de Altari ad scamnum, in quo denuo sedebunt et caput operient bireto.

65. Omnibus, ut supra, sedentibus, Subdiaconus exuet planetam plicatam et recepto Epistolario, comitante Caeremoniario, genuflexionem aut reverentiam faciet ad Altare et ad Episcopum et loco usitato cantabit secundam prophetiam seu lectionem quo tono cantatur Epistola.

66. Postquam cantaverit lectionem, iterabit genuflexiones aut reverentias, ut supra, et quin osculetur manum Episcopi aut Celebrantis, resumet planetam plicatam et sustinebit deinde Missale ante Celebrantem, qui sedens in scamno lectionem et tractum leget.

67. Lectionis cantu absoluto, ut supra, se sistet Episcopo cappellanus cum libro; Episcopus autem sedens leget lectionem, Tractum, *Munda cor meum* et ultimam Passionis partem, stantibus ad lectionem hanc Diaconis assistentibus.

68. Hoc tempore a cantoribus cantabitur tractus *Eripe me, Domine.* etc.

69. Cantores Passionis, dum cantabitur Tractus, ingredientur in Presbyterium, si fieri poterit, ex parte Sacrarii et consistent apud abacum. Cantor textus deferet librum. Eos

antecedet Caeremoniarius et sequentur tres clerici seu cappellani, librum ante ipsos sustenturi. Nisi alius erit aditus, praeter principalem, advertent ut ingrediantur dum cantabitur ultimus versus Tractus praedicti.

70. Lecta a Celebrante lectione et tractu, Subdiaconus tradet Missale Clerico, a quo ponetur super Altare a latere Epistolae in legili seu cussino.

71. Quando cantabitur ultimus versus Tractus, cantores Passionis procedent in medium, reverentiam conficient ad Celebrantem, si transibunt ante ipsum, deinde genuflexionem ad Altare et ad Episcopum, nec osculantes manum Episcopi aut Celebrantis accedent quo loco cantatur Evangelium. Praecedet cantor textus, tum succentor, postremo qui Christi partes sustinet, sequentibus tribus cappellanis: in loco supradicto cantor textus medium locum obtinebit, a dextris eius qui Christi personam agit, a sinistris, qui turbarum. Contra cantores ipsos consistent tres praedicti cappellani.

72. Completo cantu Tractus, Episcopus exuet caputium, assurget in pedes et cum ipso chorus universus. Celebrans et Ministri nudabunt caput, consurgent et ascendent a latere ad Altare, manente Diacono a dextris Celebrantis in gradu inferiori, et in altero gradu Subdiacono a dextris Diaconi.

73. Cantores incipient et prosequentur cantum Passionis. Cappellani sustinebunt eis librum, quem identidem sibi ad invicem transmittent.

74. Celebrans leget Passionem, paullulum conversus ad cantores, et postquam Passionem legerit, recitabit *Munda cor meum* in eodem loco, leget ultimam Passionis partem, postea convertetur ad cantores. Diaconus consistet in gradu inferiori proximo Celebranti, Subdiaconus in gradu infimo et in plano a sinistris Diaconi, uterque conversus ad cantores Passionis.

75. Antequam cantentur verba *Tradidit spiritum*, ponetur pulvinus in gradulo throni pro Episcopo.

76. Ad verba eadem geniculabunt omnes, exceptis cappellanis librum Passionis sustinentibus.

77. Assurgente Episcopo, consurgent omnes et cantus Passionis ab iisdem cantoribus continuabitur usque ad exitum.

78. Cantu Passionis absoluto, cantor textus librum claudet ac recipiet, et ordine supradicto, una cum reliquis duobus cantoribus ac tribus cappellanis revertentur in Sacrarium, ubi sacras vestes dimittent.

79. Episcopus sedebit et caput operiet caputio.

80. Celebrans convertetur ad Altare et subsistet ante librum.

81. Diaconus perget ad abacum, dimittet planetam plicatam et induet stolam latiorem. Accipiet Evangeliarium et cum debitis reverentiis ac genuflexionibus illud afferet ad Altare et ponet in media mensa; deinde geniculabit in extremitate anteriori suppedanei et recitabit *Munda cor meum.*

82. In medium ante gradus Altaris procedent Subdiaconus et Acolythi iunctis manibus, quia non gestantur candelabra.

83. Praesto erit apud abacum Concionator.

84. Diaconus assurget et sumpto libro Evangeliorum, descendet de Altari, coibit cum Subdiacono et Acolythis, et genuflexione facta ad Altare, accedent ad thronum et conficient genuflexionem aut reverentiam ante Episcopum, postea procedent ad locum, quo cantari Evangelium solet.

85. Episcopus caput nudabit caputio, assurget et cum eo consurgent ceteri omnes.

86. Celebrans stans ad Altare, convertetur versus Diaconum.

87. Cantabitur a Diacono ultima pars Passionis quo tono cantatur Evangelium, non tamen thurificabit nec signabit librum aut seipsum.

88. Post cantatum Evangelium, Diaconus claudet librum, quem Subdiaconus tradet uni Acolytorum, atque iteratis ut supra, genuflexionibus aut reverentiis coibit cum Subdiacono; tum uterque se adiungent Celebranti, qui de Altari descendens, perget ad scamnum et sedebit una cum Ministris.

89. Episcopus sedebit et capiti sibi induet caputium. Chorus etiam considebit.

90. Concionator comitante Caeremoniario, qui secum feret formulam Indulgentiarum, discedet de loco quo erit, salutabit Celebrantem, si ante ipsum transibit, procedet ante Altare

et peraget genuflexionem, deinde ante thronum, et genuflectet ad Episcopum, ascendet ad thronum, geniculabit ante Episcopum et manum eius non osculans, nec petens benedictionem, rogabit Indulgentiam, tantum dicens « Indulgentias, Rme Pater » et Episcopus respondebit « quadraginta dierum » (si tamen fuerit Cardinalis concedet centum dierum indulgentiam). Concionator cum Caeremoniario assurget, descendet de throno, genuflexionem iterabit ad Episcopum, dein ad Altare; ascendet in pulpitum et genuflexione peracta versus Altare ac versus Episcopum, quin recitet *Ave Maria* exordietur statim sermonem suum; hoc autem confecto, nudabit caput et stans in pedes publicabit Indulgentiam, legens formulam, quam ei tradet Caeremoniarius.

91. Indulgentia publicata, Concionator de pulpito descendet et revertetur in Sacrarium.

92. Celebrans cum Ministris, redibunt ad Altare a latere consistentibus Diacono et Subdiacono a tergo Celebrantis, ut superius in prima oratione traditum est.

93. Episcopus exuet capiti caputium, assurget et Chorus omnis cum ipso.

94. Caeremoniarius meminerit pulvinum ponere pro Episcopo in gradulo cathedrae.

95. Celebrans incipiet notis in Missali scriptis cantare invitationem ad adorationem iunctis manibus, post quam cantabit *Oremus* (Diaconus *Flectamus genua*, Subdiaconus *Levate*) et manibus expansis prosequetur tono feriali orationem invitationi respondentem (*a*).

96. Ad *Flectamus genua* genuflectent omnes uno tantum genu, ut supra, excepto Celebrante.

97. Caeremoniarius assistens Celebranti, admonebit Ministros quum cantare debeant *Flectamus genua* et *Levate* ante orationes.

98. Ad orationem *pro haereticis*, duo pluresve clerici extendent tapetum adhibendum in adoratione Crucis. Summitas seu caput tapeti sternetur in medio infimi gradus Altaris

(*a*) De oratione *pro Romano Imperio* vide lib. II. cap. XXVI. num. 41.

et reliqua pars tapeti extendetur secundum planum presbyterii. Ponent in capite tapeti pulvinum cum velo albi coloris super gradum infimum Altaris in commodum illorum, qui Crucem adoratum ibunt.

99. Si Altare esset ad Orientem versum, advertentur quae tradita sunt num. 111. Cap. XVII.

100. Circa finem adorationis aderunt prope Altare cantores duo cum Missali aut libro, in quo extet in notis *Ecce lignum Crucis* etc.

101. Omnibus cantatis orationibus, Celebrans reverentia facta ad Crucem, descendet a latere de Altari, veniet ad scamnum et planetam dimittet.

102. Clericus unus accipiet ex Altari Missale, quo usus erit Celebrans.

103. Hoc tempore sedebit Episcopus et Chorus.

104. Postquam Celebrans exuerit planetam, medius inter Diaconum et Subdiaconum accedet ad latus posterius Altaris ex parte Epistolae in planum ante gradus, ibique stabit facie versa ad populum. Subdiaconus adstabit ei a sinistris et clericus cum Missali a latere versus sinistram eamdem, sustinens Missale apertum. Duo cantores praedicti consistent post Celebrantem.

105. Diaconus, comitante Caeremoniario, ascendet a latere ad Altare et, conscenso suppedaneo, reverentiam, vel genuflexionem faciet ad Crucem ipsamque ex Altari accipiet.

106. Si necesse erit, apponetur scabellum gradatum a clerico, qui sustentabit Diaconum ascendentem ac descendentem, postea scabellum praedictum removebitur.

107. Quando Diaconus accipiet Crucem, Episcopus capiti exuet caputium, assurget et Chorus universus cum eo.

108. Caeremoniarius meminerit collocare pulvinum pro Episcopo in gradulo cathedrae.

109. Diaconus Crucem acceptam deferet reverenter ambabus manibus et nullam faciens sive reverentiam sive genuflexionem, descendet de gradibus Altaris in medium, accedet ad Celebrantem, Crucem tradet ei et consistet a dextris eius.

110. Celebrans Crucem accipiet utraque manu et elatam

sustinebit ante pectus: adiuvantibus Diacono et Caeremoniario, eius summitatem deteget usque ad partem transversam, ac tono indicato in Missali cantabit *Ecce lignum Crucis*, et duo cantores prosequentur cantu *in quo salus Mundi pependit*; Chorus subiunget *Venite adoremus*. Ad verba ista omnes in genua procumbent; clericus etiam qui librum apertum sustinebat ante Celebrantem, libro statim clauso, geniculabit. Celebrans unus stabit in pedes.

111. Cantatis verbis *Venite adoremus*, consurgent omnes; Celebrans autem cum Ministris, ut supra, ascendet ad Altare quo loco legitur Epistola, et adiuvante Diacono aut Caeremoniario, deteget brachium dexterum Crucis cum brachio dextero et capite imaginis Crucifixi: cantabit ut antea, *Ecce lignum Crucis*, vocem efferens hemitonio, et ab omnibus genuflectetur, ut supra dictum est.

112. Deinde Celebrans cum Ministris transibit in medium Altaris et adiuvante, ut supra, Diacono aut Caeremoniario, deteget Crucem totaliter, ac vocem efferens altero hemitonio, cantabit ut prius *Ecce lignum Crucis* et omnes procumbent in genua.

113. Post verba *Venite adoremus* in tertia adoratione, genuflexi omnes restabunt.

114. Celebrans tantum, comitante Caeremoniario, de Altari descendet et Crucem afferet ad pulvinum super tapetum violaceum praeparatum in Presbyterio, ibique geniculabit, Crucem imponet super pulvinum, ac si opus fuerit, ligabit eam taeniis ex utraque extremitate.

115. Cruce pulvino imposita, assurget Celebrans et ceteri omnes cum eo.

116. Celebrans, genuflexione facta ad Crucem, redibit ad scamnum in latus Epistolae. Ministri, qui genuflexerant in Altaris suppedaneo, consurgent simul cum Celebrante, cum eo genuflexionem facient ad Crucem, occurrent ei et adducent ipsum ad scamnum.

117. Episcopus sedebit et caput operiet caputio.

118. Cubicularius Episcopi habitu urbano indutus, comitantibus clericis quatuor, ascendet ad thronum, genuflexionem faciens versus Crucem, dein ad thronum antequam illuc ascen-

dat. Conscenso throno, geniculabit ante gradulum cathedrae et quatuor praedicti clerici attollent cappae episcopalis fimbrias, quibus cooperient cubicularium, calceos detrahentem Episcopo.

119. Clerici et cubicularius, excalceato Episcopo, recedent in latus sinistrum throni extra gradus ipsius.

120. Tempore eodem Celebrans sedens in scamno, sibi exuet calceos, idemque facient in suis stallis Canonici et Ministri sacri apud scamnum suum.

121. A dextris Crucis ponetur lanx a clerico ad excipiendas oblationes.

122. Non decet Diaconos assistentes exuere calceos in throno et comitari Episcopum ad Crucis adorationem excalceatos: quocirca se gerent, ut inferius docebitur.

123. Episcopus, detractis sibi calceis, assurget, de throno descendet aut ex parte media, aut a latere, iuxta ipsius throni positionem, comitantibus eum Diaconis assistentibus. Sibi ipse sustinebit partem cappae anteriorem, super manus elevatam, ut liberius possit incedere; partem vero posteriorem nemine sustentante, ita ut illam tractet super pavimentum.

124. Quum Episcopus pervenerit ad extremitatem inferiorem tapeti, capiti exuet caputium, pileolum quoque sibi detrahet, si utetur eo. Diaconi assistentes recedent et Episcopo, post adorationem, obviam venient ad principium tapeti versus Crucem.

125. Ubi Episcopus se movebit de throno, iturus ad adorationem, consurget Chorus. Eodem tempore cantorum chorus incipiet improperia cantare, quae prosequentur toto adorationis tempore.

126. Progressus ad extremitatem tapeti Episcopus, comitante Caeremoniario tantum, qui eum in genuflectendo adiuvabit, si opus fuerit, procumbet in genua et brevi orabit ante Crucem; deinde assurget et procedens ad dimidium tapeti, geniculabit secunda vice et orabit, ut supra; assurget iterum, ante progredietur Crucem, geniculabit, orabit paulisper et devote osculabitur Crucifixum. Tum accipiet a Caeremoniario bursam cum oblatione eamque deponet in lance.

127. Post haec Episcopus assurget, genuflexionem faciet

ad Crucem genu dextero; recedet extra tapetum, ubi inveniet Diaconos assistentes, caput operiet pileolo et caputio cappae ac revertetur ad thronum.

128. Diaconi assistentes, Episcopum ad thronum comitati, reverentia facta, de throno descendent in chorum ad stallum suum, ubi calceos sibi detrahent.

129. Reverso ad thronum et in ipso sedenti Episcopo se rursus sistent cubicularius cum clericis, eodemque ordine ac supra, cubicularius reponet ei calceos. Postea clerici et cubicularius, debitis peractis reverentiis, ad locum suum se recipient.

130. Clericus aliquis animum advertet ad detegendam Crucem processionalem vel Archiepiscopalem, itemque detegentur Cruces quae Altaribus ecclesiae insistent.

131. Quando Episcopus post Crucis adorationem redibit in thronum, Celebrans comitatus a Caeremoniario, procedet ad terminum tapeti, Crucem adoraturus. Eodem tempore incipient de suis stallis proficisci ad Crucem adorandam Dignitates et Canonici.

132. Curabitur ut dignior Chori, seu Dignitas sit seu Canonicus, adsit in loco indicato, quando illuc adveniet Celebrans. Quo quum Celebrans pervenerit, dignior chori locum sumet a sinistris eius, et iunctim adorabunt Crucem, ut iam fecit Episcopus.

133. Ut actio ista bono exemplo sit et fiat ordinatim, observentur quae tradita sunt cap. XVII. num. 129.

134. Ordo procedendi ad Crucis adorationem, sequens erit.

135. Post Episcopum accedet Celebrans, adstante a sinistris eius Canonico seniore vel prima Dignitate Capituli. Tum reliquae Dignitates, si quae aderunt. Ministri Altaris, si fuerint Canonici, videlicet Diaconus et Subdiaconus; hic autem non dimittet planetam plicatam (*a*). Canonici, ex ordine presbyterali. Canonici Diaconi assistentes. Ceteri Canonici ex ordine Diaconorum. Canonici ordinis Subdiaconalis. Si numerus alicuius gradus Canonicorum dispar esset, non coibunt terni in

(*a*) Caeremoniale non praescribit, ut Subdiaconus dimittat planetam plicatam; neque ut Celebrans et Ministri sibi detrahant manipulum.

ultimo loco, sed ultimus unius incedet cum primo sequentis ordinis, ut ex gr. si numerus Canonicorum Presbyterorum dispar esset, ultimus Presbyter coibit cum primo Canonico Diacono, et sic deinceps. Ratio est, quod in functione ista Canonici non induunt paramenta sacra, ut fit cum celebrat Episcopus, ideoque nulla extat diversitas in sacrarum vestium qualitate. Sin autem in fine dispar esset numerus, ultimi coibunt terni, itemque in coetibus sequentibus. Post Canonicos accedent ad adorationem sacri Ministri, nisi fuerint Canonici, deinde Beneficiarii, Mansionarii, clerici Seminarii, Magistratus, laici nobiles, familiares nobiles Episcopi et populus, exclusis prorsus mulieribus. Eunte autem ad adorationem populo, cavebitur ne ulla oriatur perturbatio.

136. Celebrans, Cruce adorata, redibit ad scamnum suum, sedebit et calceos sibi reponet.

137. Ministri sacri, nisi fuerint Canonici, obviam occurrent Celebranti de adoratione redeunti et Diaconus ei reponet planetam apud scamnum. Sin autem erunt Canonici, nec parati essent ad praestandum hoc officium Celebranti, supplebitur a Caeremoniario.

138. Canonici ad subsellia sua se recipient sibique reponent calceos.

139. Diaconi assistentes, Cruce adorata, redibunt ad stallum suum, ibique calceis sibi repositis, revertentur in thronum ad assistentiam Episcopi.

140. Item Ministri se recipient ad scamnum suum, sibi rursus inducent calceos et sedebunt cum Celebrante.

141. Reversis in thronum Diaconis assistentibus, se sistet Episcopo Cappellanus a libro, qui sustinebit ante eum Missale apertum, ex quo Episcopus alternatim cum Diaconis supradictis leget improperia.

142. Celebrans etiam, quum rediverint Ministri, cum ipsis improperia leget e Missali, quod clericus unus sustinebit (a).

143. Dum Crucis adoratio peragetur, Beneficiarii, seu Mansionarii, qui numero octo induti superpellicio sine pluviali de-

(a) Quomodo dividenda improperia sint, vide adnotationem cap. XVII. num. 134. libri huius.

laturi erunt baldachinum in processionem, postquam adoraverint Crucem, recedent in Sacrarium, habitum choralem dimittent, induent superpellicium et accedent ad Sacellum, in quo custodietur SS. Sacramentum.

144. Cappellani seu clerici, qui numero octo in processionem gestare intorticia debebunt, postquam Crucem adoraverint, accedent ad Sacellum, in quo custodietur SS. Sacramentum ibique receptis intorticiis accensis, consistent a lateribus Altaris, quaterni ex utraque parte.

145. Duo thuriferarii accipient thuribula cum naviculis, deferent illa in Sacrarium in eisque aptabunt ignem et praesto erunt in Sacello SS. Sacramenti a latere Epistolae, quando illuc adventura erit processio.

146. Sacrista curabit, ut de medio sacello amoveatur faldistorium seu genuflexorium adhibitum in accessu Episcopi ad ecclesiam et sacellum ipsum vacuum fiat a populo paullo ante quam adveniat processio.

147. Idem Sacrista aderit in sacello eodem, quando accedet illuc Episcopus, aperturus urnam seu custodiam, in qua erit asservatum SS. Sacramentum.

148. Lectis ab Episcopo et Celebrante improperiis, recedent cum libro respectivi Cappellani et super abacum relinquent Missale.

149. Apud abacum, in quo aderunt praeparatae sacrae vestes Episcopi, sub finem adorationis praesto erunt clerici quatuor et Cappellanus a mitra, paramenta praedicta Episcopo ministraturi. Aderit etiam cubicularius, cappam episcopalem recepturus debito tempore.

150. Sub finem adorationis, duo Acolythi accendent cereos Altaris, duas candelas in abaco et cereos candelabris impositos ad tribunam sive ad ingressum presbyterii.

151. Diaconus et Subdiaconus, postquam improperia cum Celebrante legerint, consurgent, reverentiam ad Celebrantem, deinde genuflexionem ad Crucem conficient, ascendent ad Altare et explicabunt tobaleam, quae principio ab Acolythis posita fuit plicata super mensam. De Altari descendent et genuflexione ad Crucem iterata, redibunt ad Celebrantem et sa-

lutabunt ipsum. Subdiaconus sedebit in scamno et Diaconus accedet ad abacum, unde bursam cum corporali et purificatorio acceptam afferet ad Altare cum reverentiis et genuflexionibus, ut supra, explicabit corporale in media mensa, ponet bursam in latere Evangelii prope candelabra et purificatorium a dextra corporalis; deinde genuflexione facta ad Crucem, descendet a latere ad scamnum, salutabit Celebrantem et sedebit.

152. Curae erit clerico alicui, dum Diaconus super Altare explicabit corporale, transferre in cornu Evangelii Missale cum cussino seu legili pro Celebrante.

153. Adoratione peracta, assurget Diaconus et comitante Caeremoniario, tollet Crucem de pulvino eamque reportabit ad Altare.

154. Quando Diaconus ad pulvinum accedet sumpturus Crucem, Episcopus nudabit caput, assurget et Chorus omnis cum ipso, non excepto Celebrante cum Subdiacono. A Caeremoniario ponetur in gradulo cathedrae pulvinus, super quem genua submittet Episcopus.

155. In promptu erit clericus unus cum scabello gradato, si opus fuerit Diacono, ad reponendam in sua basi Crucem.

156. Diaconus, comitante, ut supra, Caeremoniario, accedet ad Crucem, geniculabit, expediet taenias quibus firmata erit in pulvino, reverenter eam accipiet utraque manu, assurget nullamque faciens reverentiam, recta illam referet ad Altare et collocabit in basi, cui insistebat antea.

157. Statim ac Diaconus geniculabit ut Crucem accipiat, omnes in genua procumbent, non exceptis Episcopo et Celebrante.

158. Collocata a Diacono Cruce super Altare, omnes consurgent ac denuo sedebunt.

159. Diaconus, Cruce imposita basi, genuflexionem in suppedaneo ad Crucem faciet et redibit a latere ad scamnum prope Celebrantem.

160. Sedente Episcopo, distribuentur paramenta clericis, qui deferent illa ad thronum. Cubicularius Episcopi ad thronum accedet et consistet prope secundum Diaconum assistentem, recepturus cappam episcopalem.

161. Subdiaconus deponet manipulum sumpturus Crucem processionalem.

162. Episcopus, adiuvantibus Diaconis assistentibus et Cubiculario, dimittet cappam. Cubicularius autem advertet ut expediat extremitatem posteriorem vestis episcopalis, quum receperit cappam, quam deinde in Sacrario involvet, siquidem rursus adhibebitur in fine functionis.

163. Canonici hac die non efficient circulum quando parabitur Episcopus.

164. Episcopus parabitur amictu, stola, pluviali nigri coloris, et formali simplici ac primus Diaconus assistens imponet ei mitram simplicem.

165. Diaconus Altaris minister, manebit apud Altare ipsum, quum nullo fungi debeat officio in processione facienda.

166. Ordinabitur processio ad Sacellum (a) in quo expositum aderit SS. Sacramentum, ordine sequenti.

167. Clavigeri, seu claviger ecclesiae, Subdiaconus ad Altare ministrans, qui dimisso manipulo, accipiet Crucem processionalem iam detectam et incedet medius inter Acolythos gestantes candelabra ardentibus cereis; cantores; clerici Seminarii; Beneficiarii seu Mansionarii; Canonici, bini; Dignitates, ut supra; Celebrans comitatus a Caeremoniario suo; Episcopus medius inter Diaconos assistentes, qui fimbrias pluvialis eius sustinebunt; Cappellanus a mitra et Cappellanus caudatarius; familiares nobiles Episcopi, si aderunt. Sin Ordinarius esset Archiepiscopus, Subdiaconus cum Acolythis locum sument ante Canonicos, et imago Crucifixi versa erit ad Archiepiscopum.

168. Omnes illi qui in processionem incedent, de presbyterio discedentes genuflexionem facient genu dextero tantum ante Crucem Altaris maioris idemque exsequetur etiam Celebrans. Episcopus de throno descendet, et quum venerit ante Altare, nudabitur mitra a secundo Diacono assistente, genuflexionem faciet ad Crucem Altaris et reposita ipsi mitra a primo Diacono assistente, in processionem incedet.

(a) Non praescribitur a Caeremoniali, ut Episcopus pro ista processione incensum imponat in thuribulum.

169. Quum processio pervenerit ad Sacellum, in quo expositum erit SS. Sacramentum, disponetur ita, ut possit facile rursus ordinari, ideoque qui primus incedere in processionem debebit, restabit propius ingressum. Id intelligi volumus ratione habita numeri Cleri et capacitatis loci. Itaque res tractabitur quo modo poterit melius evenire.

170. Unusquisque ad Sacellum perveniens, excepto Subdiacono gestante Crucem, conficiet iunctim cum socio genuflexionem utroque genu in medio ad SS. Sacramentum, occupabit deinde locum suum, ubi geniculabit. Pari modo in discessu genuflexionem utroque genu iterabit.

171. Duo thuriferarii cum thuribulis ac naviculis aderunt prope Altare in latere Epistolae; Subdiaconus gestans Crucem et Acolythi cum candelabris consistent prope aditum Sacelli: sin autem Ordinarius fuerit Archiepiscopus, consistent prope Altare in latere Evangelii; Beneficiarii seu Mansionarii superpellicio induti, qui deferre hastas baldachini debebunt, consistent in aditu Sacelli, quo clerici duo transferent baldachinum hastile, statim ac ingressus erit in Sacellum Episcopus; Cappellani numero octo superpellicio induti, qui deferent intorticia ardentia e cera alba, geniculabunt quaterni in utroque latere Altaris, caventes tamen ne impedimento sint actionibus, quae peragendae erunt ad Altare; Canonici locum sument circa Altare, senioribus propius Episcopum remanentibus; Celebrans progressus ante Altare, genuflexionem in medio faciet utroque genu, recedet in latus Epistolae et geniculabit in infimo gradu; Episcopo, prope Altare quum venerit, tolletur mitra et pileolus a secundo Diacono assistente, progressus deinde ante Altare, genuflexionem utroque genu faciet in pavimento ad SS. Sacramentum, non utens pulvino; assurget postea et geniculabit in medio infimo gradu super pulvinum praeparatum.

172. Ad Altare accedet Canonicus Presbyter assistens, qui in functione ista exercebit officium ministrandi Episcopo incensum.

173. Genuflexo ante Altare Episcopo, Sacrista superpellicio indutus et collo circumdata stola nigri coloris, ascendet

ad Altare et aperiet custodiam, in qua asservabitur SS. Sacramentum.

174. Episcopus brevi tempore orabit: tum assurget ac, sublevante eius fimbriam dexteram pluvialis Diacono primo, incensum, ministrante Presbytero assistente, imponet sine benedictione in bina thuribula a thuriferariis non genuflexis sustenta. Episcopus rursus geniculabit et accepto a Presbytero assistente thuribulo, triplici ductu thurificabit SS. Sacramentum. Diaconi assistentes attollent fimbrias pluvialis Episcopi.

175. Episcopus thuribulum restituet Presbytero assistenti, qui thuribulo reddito thuriferario, redibit ad locum suum inter Canonicos.

176. Caeremoniarius humeris Episcopi imponet velum humerale albi coloris, quod ante pectus eius ligabitur taeniis a primo Diacono assistente.

177. Velo humerali Episcopo imposito, Celebrans ascendet ad Altare et cum debitis genuflexionibus SS. Sacramentum utraque manu educet e custodia, ponens dexteram infra cuppam calicis, sinistram ad pedem et convertetur versus Episcopum. Si difficile esset Celebranti accipere e custodia Sacramentum, id fiet a Sacrista, qui acceptum Sacramentum deponet super mensam Altaris et statim recedet.

178. Episcopus, profunda reverentia facta ad SS. Sacramentum, accipiet calicem ponens sinistram ad nodum, dexteram super patenam. Diaconi assistentes extremitatibus veli humeralis contegent SS. Sacramentum et manus Episcopi.

179. Celebrans, Calice tradito Episcopo, genuflectet in suppedaneo et assurgens descendet in latus Epistolae, resumpturus locum suum in processione.

180. Statim ac Episcopus acceperit SS. Sacramentum, cantores intonabunt cantu firmo hymnum *Vexilla Regis prodeunt*, quem eodem cantu prosequentur toto processionis tempore.

181. Ordinabitur processio per ecclesiam, proficiscens ad Altare maius per navem primariam ordine sequenti. Claviger, seu clavigeri ecclesiae, siqui aderunt. Subdiaconus gestans Crucem, medius inter Acolythos cum candelabris, ardentibus ce-

reis. Cantores. Clerici Seminarii. Beneficiarii seu Mansionarii. Canonici. Dignitates. Celebrans. Cappellani octo cum intorticiis ardentibus, quae sustinebunt dextera, qui dextrorsum incedent, sinistra, qui sinistrorsum. Duo thuriferarii leviter agitantes thuribula ad adolendum SS. Sacramentum. Episcopus sub umbraculo sustento a Beneficiariis seu Mansionariis octo superpellicio indutis, gestans SS. Sacramentum, medius inter Diaconos assistentes, qui fimbrias pluvialis eius sustentabunt. Sequetur Cappellanus caudatarius, sustinens extremitatem posteriorem vestis episcopalis, alter Cappellanus cum mitra et ultimo loco familiares nobiles Episcopi. Si Ordinarius fuerit Archiepiscopus, deferentur candelabra et Crux ante Canonicos, eodem modo ac supra.

182. Processione in presbyterium ingressa, Acolythi deponent candelabra super abacum et geniculabunt; Subdiaconus collocabit Crucem quo loco erat ab initio, redibit ad abacum, sibi reponet manipulum in brachio sinistro et subsistet prope Altare in plano lateris Epistolae ut se adiungat Celebranti: unusquisque de Clero redibit ad stallum suum; Cappellani seu clerici cum intorticiis disponentur quaterni in singulis partibus a lateribus Altaris ibique geniculabunt neque assurgent donec SS. Sacramentum aderit super Altari. Nemo de Clero, qui in presbyterium intrabit, genuflectet ad Crucem Altaris, quoniam gestatur in processionem SS. Sacramentum. In aditu presbyterii removebitur umbraculum hastile, quod a clericis duobus acceptum applicabitur uni parieti ecclesiae vel referetur in Sacrarium. Mansionarii seu Beneficiarii, qui superpellicio induti detulerint umbraculum, geniculabunt in plano presbyterii. Thuriferarii accedent ad latera Altaris, caventes ne suo loco impediant actiones secuturas. Diaconus et Subdiaconus aderunt genuflexi in infimo gradu Altaris a latere Epistolae, aliquanto inter se dirempti, ut locum Celebranti relinquant.

183. Ad Episcopum, ubi pervenerit ad Altare, Celebrans convertetur, genuflectet, accipiet e manibus eius SS. Sacramentum, deinde expectabit dum Episcopus in genua procumbat atque illud adoret.

184. Diaconi assistentes ex humeris Episcopi tollent velum humerale album, quod a clerico aliquo referetur ad abacum. Apud Episcopum aderit etiam Presbyter assistens, incensum ei ministraturus, ut infra.

185. Celebrans SS. Sacramentum deferet super Altare, ponet ipsum in medio corporali, genuflexionem iterabit, genuflectens versus latus suum dexterum ne tergum vertat ad Episcopum, descendet a latere de Altari et veniet geniculatum inter Diaconum et Subdiaconum in latus Epistolae super infimum gradum.

186. Celebrante genuflexo, ascendet ad Altare Diaconus, genuflexionem faciet ad SS. Sacramentum a latere, ne vertat humeros ad Episcopum, solvet taeniam, qua velum alligatum fuerit nodo Calicis, et velum ipsum diligenter expandet, ne decidat patena superposita Calici. Iterata deinde genuflexione, revertetur ad dexteram Celebrantis.

187. Assurget Episcopus et incensum, quod ei ministrabit Presbyter assistens, imponet in thuribulum ipsi praesentatum a thuriferario in pedes stante. Episcopus incensum imponet sine benedictione, genuflectet iterum et accepto thuribulo a Presbytero assistente, triplici ductu SS. Sacramentum thurificabit. Diaconi assistentes, qui genuflexi aderunt infra gradum infimum a lateribus Episcopi, fimbrias pluvialis eius attollent.

188. Thurificato SS. Sacramento, Episcopus thuribulum restituet Presbytero assistenti, assurget, genuflexionem utroque genu faciet ad Sacramentum in pavimento sine pulvino, postea redibit in thronum. Presbyter assistens sequetur Episcopum ad thronum et consistet a dextris eius. Sequetur etiam Caeremoniarius cum thuribulo et navicula.

189. Clerus in choro non assurget, quamquam Episcopus reversus sit in thronum.

190. Unus ex thuriferariis redibit in Sacrarium ibique deponet thuribulum.

191. A clericis duobus ante Altare collocabitur faldistorium, in quo geniculabit Episcopus.

192. Quum in thronum redierit Episcopus, Presbyter as-

sistens ei ministrabit incensum et Caeremoniarius vel thuriferarius stans obiiciet ei thuribulum. Episcopus imponet incensum in thuribulum sine benedictione.

193. Profecto de Altari Episcopo, ascendet illuc Celebrans cum Ministris et iunctim genuflexionem conficient ad SS. Sacramentum. Caeremoniarius Celebrantis adstabit illi a sinistris, indicans ipsi e Missali et suggerens quae dicenda ac facienda sint; Diaconus adstabit Celebranti dextrorsum et Subdiaconus dextrorsum Diacono. Ascendente ad Altare Celebrante, Acolythus unus afferet illuc pelviculam cum ampullis vini et aquae.

194. Si adhiberetur calix diversus ab illo, in quo custoditum est SS. Sacramentum, notentur quae superius tradita sunt num. 169 et seqq. cap. XVII. libri huius.

195. Clericus alter in promptu habebit vasculum aquae et purificatorium in usum Celebrantis, quum opus fuerit, ad purificationem digitorum.

196. Itaque, stante ad Altare Celebrante, Diaconus tollet de calice velum, quod feretur ad abacum; tum accipiet patenam, quam sustinebit dextera, et a calice amovebit pallam. Celebrans accepto cochleari in quo aderit S. Hostia, vel Calice, ponet illam super patenam a Diacono sustentam. Si necesse esset ut S. Hostiam extrahendi caussa, digitis attingeret, digitos in vasculo, ut supra, purificabit et absterget purificatorio.

197. Diaconus deinde sine osculis patenam cum Sacramento tradet Celebranti, qui accepta patena ambabus manibus, ponet Sacramentum super corporale, et in corporali eodem relinquet patenam a dextris suis.

198. Idem Diaconus accipiet calicem et in ipsum infundet aliquantulum vini, Subdiaconus duas tresve guttas aquae, non tamen petens a Celebrante benedictionem.

199. Celebrans a Diacono recipiet Calicem, et sine ullo Crucis signo collocabit illum super corporale, ut in aliis Missis, Diaconus autem palla ipsum cooperiet. Subdiaconus cum debitis genuflexionibus transibit ad sinistram Celebrantis propter Altaris thurificationem, ut infra.

200. Postquam Episcopus incensum in thuribulum impo-

suerit, Caeremoniarius redibit ad Altare cum thuribulo eodem et subsistet in latere Epistolae.

201. Presbyter assistens, functus officio suo in hac functione, redibit in chorum ad locum suum.

202. Diaconus primus assistens reponet pileolum et mitram Episcopo, qui medius inter Diaconos assistentes, sublevantes eius fimbrias pluvialis, descendet de throno ad faldistorium ante Altare. Quo quum pervenerit, secundus Diaconus assistens tollet ei mitram cum pileolo, et ipse cum suis Assistentibus et Cappellanis genuflectet ad faldistorium, super quo pluvialis eius fimbriae distendentur.

203. Posito et cooperto, ut supra, calice super Altari, Caeremoniarius thuribulum tradet Diacono et hic Celebranti, sine osculis. Celebrans thurificabit Oblata et Altare, ut in aliis Missis solemnibus, advertens tamen, ut genuflectat ad SS. Sacramentum, quando facienda esset ad Crucem reverentia. Recitabitur elata voce a Celebrante *Incensum istud* etc. *Dirigatur Domine* etc. Diaconus a dextris, Subdiaconus a sinistris attollent planetam Celebrantis in parte posteriori.

204. In promptu erunt duo Acolythi cum pelvicula et ampulla aquae, cumque mantili seu manutergio pro Celebrante.

205. Thurificato Altari, Celebrans thuribulum Diacono tradet, dicens *Accendat in nobis* etc. Diaconus thuribulum dabit Caeremoniario, hic thuriferario, a quo referetur in Sacrarium, siquidem in hac functione non opus est amplius thuribulo.

206. Quando incensabitur Altare curae erit alicui clerico amovere Missale cum cussino ab Altari et post incensationem illud referre.

207. Celebrans de Altari descendet, et in latere Epistolae extra Altare ipsum, lavabit manus, non recitans psalmum *Lavabo* etc. Subdiaconus ei porriget aquam et Diaconus mantile, quae postea recipientur ab Acolythis.

208. Celebrans, lotis et abstersis manibus, revertetur ad Altare: Diaconus stabit a tergo eius in gradu proximo suppedaneo et Subdiaconus post Diaconum in gradu infimo vel in plano Altaris ante gradus.

209. Quum ad medium Altaris Celebrans venerit, genuflexionem faciet ad SS. Sacramentum, quod facient etiam Ministri loco supra innuto.

210. Celebrans inclinatus et iunctis manibus dicet orationem *In spiritu humilitatis* etc. Deinde genuflectet ante SS. Sacramentum et conversus aliquantulum super sinistram suam nec circulum complens, manibus expansis dicet *Orate fratres ut meum* etc. Subdiaconus non respondebit *Suscipiat* etc. (Si Altare esset orientale, Celebrans non convertetur ad populum). Iterata genuflexione, Celebrans in cantu feriali subiunget *Oremus, Praeceptis salutaribus* etc. iunctis manibus, et *Pater noster* manibus expansis et cantu feriali. Responso a Choro *Sed libera nos a malo*, dicet secreto *Amen*; prosequetur deinde iunctis manibus et voce intelligibili *Libera nos* etc. nec se signabit ad illa verba *Da propitius pacem* etc.

211. In fine orationis huius Diaconus veniet ad dexteram, Subdiaconus ad sinistram Celebrantis et genuflectent in extremo suppedaneo.

212. Completa oratione praedicta, Celebrans genuflexionem faciet; dextera patenam sumet et in illa ponet S. Hostiam. Tum sinistra accipiet patenam et dextera S. Hostiam, quam elevatam sustinebit supra patenam, dextera elevabit paullulum sublime S. Hostiam ita ut conspici possit. In elevatione ista Diaconus non attollet planetam, non thurificabitur SS. Sacramentum nec pulsabitur crotalum.

213. Dum Celebrans S. Hostiam inclinabit, consurgent Subdiaconus et Diaconus. Hic statim deteget Calicem et Subdiaconus redibit ad locum suum.

214. Celebrans non reponens S. Hostiam super patenam nec super corporale, neque ullam aliam faciens genuflexionem, demittet illam super Calicem et sinistra deponens patenam super corporale ante pedem Calicis, dividet S. Hostiam in partes tres, ut in aliis Missis, binas partes maiores ponet super patenam et particulam vino immerget intra Calicem, nullum faciens Crucis signum nec proferens verbum ullum. Diaconus rursus cooperiet Calicem et Celebrans cum Diacono genuflectent ad Sacramentum.

215. Diaconus transibit ad sinistram Celebrantis, ut ipsi assistat ad Missale, Subdiaconus transibit ad dexteram et genuflexionem conficiet, quum pervenerit in suppedaneum.

216. Post haec Celebrans manibus super Altare iunctis, dicet orationem *Perceptio Corporis tui* etc. (*a*). Genuflectet post orationem et cum ipso etiam sacri Ministri, accipiet patenam cum S. Hostia dicens *Panem coelestem* etc. ac ter percutiens pectus, dicet etiam tribus vicibus *Domine non sum dignus* etc. Deinde Sacramento se signabit, dicens *Corpus Domini nostri* etc. et communicabit.

217. Accedet ad Altare cum debitis genuflexionibus Acolythus, qui afferet in pelvicula ampullas vini et aquae.

218. Postquam Celebrans communicaverit, Subdiaconus deteget Calicem et facta a Celebrante cum Ministris genuflexione, Celebrans fragmenta e corporali patena colliget eaque demittet in Calicem; itemque si adhibitum fuerit cochleare in Calice ad reponendam S. Hostiam, abstergetur fragmentis, ut patena. Postea Celebrans accipiet Calicem non se signans nec formulam ullam proferens, et sumet particulam S. Hostiae et vinum, quod aderit in Calice.

219. Episcopus assurget, genuflexionem faciet ad Crucem, a primo Diacono assistente reponetur ei mitra, redibit in thronum et sedebit.

220. Consurgent Cappellani cum intorticiis et coeuntes ante Altare, genuflexionem ad Crucem et ad Episcopum conficient ac se recipient in Sacrarium.

221. Chorus etiam consurget et unusquisque sedebit in stallo suo.

222. In promptu erunt apud thronum clerici recepturi paramenta et cubicularius sustinens cappam.

223. Celebrans minime abscedens de medio Altari, digitos supra Calicem purificabit, infundente vinum et aquam Subdiacono, ac nihil dicens sumet ablutionem.

224. Acolythus reportabit ampullas ad abacum et Acolythus alter in promptu habebit planetam plicatam pro Diacono.

(*a*) Inspiciatur adnotatio subiecta num. 247. cap. praec.

225. Diaconus descendet de Altari, cum debitis genuflexionibus perget ad abacum; stolam latiorem dimittet, resumet planetam plicatam et reveniet in suppedaneum ad dexteram Celebrantis.

226. Subdiaconus, ministrata Celebranti ablutione, transibit in latus Evangelii, abstersurus calicem, plicaturus corporale et omnia relaturus ad abacum, ut in Missis solemnibus.

227. Celebrans, sumpta purificatione, iunctis ad pectus manibus et aliquantulum inclinatus in medio Altari, dicet submissa voce orationem *Quod ore sumpsimus* etc.

228. Celebrans cum Diacono manebunt in suppedaneo, donec Subdiaconus ad sinistram Celebrantis redierit.

229. Ad nutum Caeremoniarii Celebrans cum Ministris descendent de Altari, ubi praesto erunt Acolythi sine candelabris, et genuflexionem ad Crucem conficient.

230. Celebrans cum Ministris et Acolythis conficient postea respective reverentiam vel genuflexionem ante Episcopum, et ordine innuto in principio functionis revertentur in Sacrarium, ubi sacras vestes dimittent.

231. Profecto Celebrante, ascendent ad thronum clerici et Diaconi assistentes exuent Episcopum paramentis, quae reponentur in abaco, ubi erant a principio.

232. Quum Diaconi assistentes paramenta Episcopo exuerint, reponent ei cappam, adiuvante cubiculario, qui meminerit etiam syrmam vestis talaris eius alligare.

233. Reposita Episcopo cappa, Diaconi assistentes salutabunt ipsum et ad subsellia sua redibunt in chorum, expleta eorum in hoc officio assistentia.

234. Caeremoniarius explicabit Episcopo cappam et recitabuntur Vesperae, observando ritum praescriptum num. 202. cap. XIV. huiusce Libri.

235. Nisi habita fuerit sacra concio, sive sermo post Evangelium, quando Episcopus in fine Vesperarum descendet ad faldistorium pro recitatione psalmi *Miserere*, accedet ad Episcopum Presbyter assistens, qui post orationem *Respice* etc. assurget et conversus ad populum publicabit Indulgentiam, recitans elata voce formulam praescriptam.

236. Episcopus a Clero associatus de ecclesia discedet et ad suam residentiam se recipiet.

IN FUNCTIONIBUS SABBATI SANCTI AB EPISCOPO CELEBRATIS.

CAPUT XX.

De rebus praeparandis.
Extra portam ecclesiae.

1. Praeparabitur focus amplior decens, qui alto pede fulciatur, ne sit nocumento tapetis presbyterii.

2. Aderunt iam carbones aliaeque materies combustibiles ad accendendum ignem; praeparetur etiam lapis silex, quo ignis eliciatur. Aderunt et forcipes ad ignem accipiendum.

3. Si baptismum conferatur infantibus et adultis, in limine ecclesiae (vel in baptisterio, si seiunctum ab ecclesia esset iuxta antiquam disciplinam) disponetur tapetum violaceum et super ipso statuetur faldistorium, in quo sedebit Episcopus, quod faldistorium ornabitur veste violacea.

4. Aderit abacus coopertus albo mantili et in ipso vasculum operculo instructum, quod continebit salem tritum et siccum: mantile pro Episcopo: index, seu folium chartae, in quo distincte et charactere maiusculo scripta extent nomina Catechumenorum.

In Baptisterio.

5. Praecedentibus diebus purgabitur et mundabitur fons baptismalis ex quo haurietur aqua consecrata, quae infundetur in sacrarium. Implebitur aqua limpida et munda, sufficienti copia, ut possit etiam fidelibus distribui, quemadmodum declarabitur inferius. Externae fontis partes poterunt exornari

floribus et super pavimentum licebit etiam flores spargere et herbas odoras.

6. Prope baptisterium, vel in alio decenti loco, una pluresve conchae maiores praeparari poterunt, in quas infundetur aqua baptismatis benedicta, priusquam illi misceantur Olea sacra, et haec adhibebitur tum ad satisfaciendum pietati fidelium, cupientium ipsa uti in domibus suis, tum ad implenda vasa prope portas ecclesiae sita.

7. Apud fontem locabitur abacus, coopertus alba tobalea; in ipso ponetur vasculum vacuum cum aspersorio, quod tempore debito implebitur aqua sancta: alia vasa decentia ad extrahendam aquam praedictam ac reponendam in conchas et in vasa prope portas ecclesiae, ut supra: ampullae argenteae cum manubriis, quarum in una erit S. Chrisma, in altera Oleum sanctum Catechumenorum: urceus cum pelvi ac duo mantilia in lance, aliquantulum etiam medullae panis et mali medici in pelvicula pro manuum Episcopi lotione, quae si ministrabitur a Magistratu, praeparabitur etiam velum humerale simplex coloris violacei: paramanus seu velum album cum taeniis alligandum Cereo paschali, quando ab Episcopo immergendus erit in fontem: pulvinus violaceus adhibendus in genuflexione ab Episcopo: spongia cum mantili e tela rudi ad abstergendum fontem.

8. A dextra fontis praeparabitur faldistorium tegumento violaceo convestitum ac si ministrabitur baptisma, tegumento violaceo supponetur etiam album. Faldistorium collocabitur super tapetum exiguum.

9. Aderunt etiam scamna panno violaceo cooperta, pro Canonicis, sita intra vel extra sacellum, iuxta formam et capacitatem ipsius; curabitur ne sint altiora faldistorio Episcopi, neve impediant populo conspectum, quoad fieri poterit.

10. Si conferetur baptisma, praeparabitur alter abacus maior contectus alba tobalea, super quo disponentur haec: cochleare concavum instar conchylii ad effundendam aquam baptismalem in caput baptizandorum; lanx argentea, in qua ponetur cochleare praedictum: vascula cum S. Chrismate et cum Oleo sacro Catechumenorum in lance, et aderit in ipsa

aliquantulum etiam gossipii soluti: vestes albae pro Catechumenis adultis: linteola linea, candida, loco vestium albarum pro infantibus: candelae pro eisdem: panni seu mantilia linea ad abstergendum caput: pluviale cum stola alba et formale pretiosum pro Episcopo: Rituale in folio maiori, vel appendix ad Rituale Romanum, in quo contineatur ritus conferendi baptismum.

Ad Sacellum, in quo conferetur S. Confirmatio.

11. In Sacello proximo Baptisterio praeparabitur totum id, quod opus erit ad Confirmationem administrandam Neophytis adultis. Altare ornabitur pallio albi coloris ac tapeto super gradibus. In Altari ponetur Crux sine velo cum candelabris nobilibus et cereis albae cerae, accendendis quando administrabitur Confirmatio. In suppedaneo statuetur faldistorium cum veste alba. Prope Altare aderit abacus alba tobalea contectus, in quo praeparabitur urceus cum pelvi pro Episcopo: mantilia in lance: et aliquantulum medullae panis et mali medici: velum humerale simplex albi coloris pro Magistratu, si lotionem Episcopo ministrabit: Pontificale (pars 1.) vasculum cum S. Chrismate in pelvicula: aliquantulum gossipii: vittae seu fasciolae, cresimatorum fronti advolvendae. Disponentur etiam scamna pro Canonicis et Clero, si fieri poterit per amplitudinem loci. Insuper Pontificale unum pro cantoribus, qui cantare debebunt antiphonam *Confirma* etc. Si fiat ab Episcopo homilia, praeparabitur scamnum sine postergali, convestitum panno viridi pro neophytis, tempore debito ponendum ante Altare.

Ad Altare SS. Sacramenti.

12. Si vigebit usus referendi in ecclesiam SS. Sacramentum antequam Episcopus peracto officio de ecclesia discedat, instruetur Altare candelabris nobilibus, pallio albi coloris, tobaleis, vasculo aquae cum purificatorio, clavicula ad ostiolum tabernaculi, corporali in tabernaculo et super Altare, tapeto super gradus, tobaleis in balaustrio, si mos erit administrandi

fidelibus S. Communionem post Missam cantatam in satisfactionem praecepti paschalis, et faldistorium vel genuflexorium, cum strato et pulvinis pro Episcopo, ut cap. IV. lib. V. stratum autem poni poterit complicatum super genuflexorium, deinceps explicandum in exitu functionis.

13. In eo sacello, ubi privatim erit hoc triduo SS. Sacramentum, in promptu erunt intorticia quatuor, umbella albi coloris, stola, velum humerale album et corporale super Altari cum clavicula ciborii seu tabernaculi.

Ad Altaria minora.

14. Tobaleis, Cruce detecta, candelabris nobilibus Altaria minora instruentur. Reliquiaria et vasa cum floribus, tapetum et pallium albi coloris ponentur post Missam solemnem. Lampades erunt satis mundatae et dispositae ita ut, cum tempus erit, facile possint accendi. Imagines seu tabulae pictae erunt contectae velis violaceis, quae tollentur in fine Litaniarum, ideoque vela sint ita aptata, ut facile ac tuto possint removeri.

Ad Altare maius,
In Presbyterio et in abacis.

15. Caeremoniale Episcoporum lib. II. cap. XXVI. num. 2. haec habet « ornatur Ecclesia, Altare, abacus et chorus prout in Dominicis Adventus et Quadragesimae ». Ut dispositio haec observetur quoad fieri potest, et congruenter officiis solemnibus, apparatus erit sequens.

16. In Altari ponentur septem candelabra nobilia cum cereis albis et ante septimum candelabrum aderit Crux detecta, aequalis candelabris. Nec reliquiaria nec signa nec vasa florum interponentur candelabris. Mensa cooperietur tribus albis tobaleis, quarum superior tegens latera defluet usque ad pavimentum. Apponetur pallium album nobile et super ipso alterum violaceum, facile amovendum, ut inferius. Sternentur gradus tapeto nobili superque ipsum altero violaceo, facile amovendo, si fieri poterit: sin minus, usque a principio extendetur tapetum nobile tantummodo.

17. Thronus parabitur lodicibus et pannis sericeis albi coloris, itemque baldachinum illius. Tamen supra postergale et in cathedra ponentur lodices et vestes violaceae tempore debito removendae. Gradus throni cooperientur tapeto rubri coloris, cui superponetur alterum tapetum violaceum tollendum quum paratus violacei coloris tollentur. Aderunt tria scabella consueta pro Assistentibus. Planum presbyterii interiacens Altari et throno, contegi poterit tapetis viridis coloris.

18. In medio presbyterio ante Altare statuetur faldistorium, in quo geniculabit Episcopus, cum pulvinis violaceis. Seorsim disponentur pulvini albi coloris, tempore debito substituendi violaceis.

19. In fine presbyterii statuentur scamna tapeto viridi convestita, quae satis sint pro Ordinandis. Praeparabitur etiam unum vel plura scamna, convestita ut supra, sed sine postergali pro novis Presbyteris, quando celebrabunt cum Episcopo.

20. Extra presbyterium ante balaustrium ponetur scamnum distinctum pro neophytis adultis et super balaustrium ipsum tobalea pro eorum Communione.

21. In latere Evangelii, vel in alia parte, iuxta constructionem presbyterii, collocabitur candelabrum maius instar columnae, in quo figetur Cereus Paschalis ingens et pictus, cum quinque foraminibus in formam Crucis, quae vergant ad Episcopum, quibus infigenda erunt grana thuris. Ante candelabrum aderit scala commoda et firma, in quam ascendet Diaconus infixurus grana praedicta. Curandum, ut ellychnium seu fila gossipii in summitate Cerei sint ita praeparata, ut facile possint accendi. Provideatur etiam, ne Cereus idem ullo modo periclitetur, quando educendus aut reponendus erit in candelabro propter benedictionem Fontis baptismalis (*a*).

22. Prope candelabrum praedictum praeparabitur legile contectum velo albo phrygiato, vel sericeo auro intertexto, pro cantando praeconio.

23. In latere Evangelii ponetur basis ad sustinendam arundinem cum tricereo.

(*a*) Commendabilis est usus adhibendi Cereum minorem in benedictione Fontis.

24. Ex parte Epistolae in loco usitato aderit scamnum pro Ministris, quod praeter tegumentum consuetum, poterit etiam convestiri altero e panno violaceo.

25. Ad tribunam sive ingressum Presbyterii ponentur in candelabris maioribus intorticia vel cerei albi coloris numero sex aut octo.

26. Super mensam Altaris disponentur paramenta Episcopi, videlicet (S. Pallium in lance contectum velo albo ac tres spinulae aureae gemmatae in altera pelvicula, si Celebrans erit Archiepiscopus) planeta, dalmatica, tunicella et stola albi coloris, quae cooperientur velo violaceo, ne ulla ex parte conspici possint: chirothecae albi coloris in lance supponentur velo praedicto. Deinde super velum istud aderunt paramenta violacea, nempe manipulus, planeta, chirothecae in lance, dalmatica, tunicella, pluviale et stola, omnia violacei coloris, Crux pectoralis, cingulum, alba et amictus, quae contegentur velo violaceo: prope paramenta formale simplex in lance. Mitra auriphrygiata vel ex tela aurea in latere Evangelii, cum velo seu vimpa pro Cappellano, adhibenda in benedictione ignis et granorum thuris.

27. Si fiat Ordinatio, ponetur seorsim faldistorium cum veste albi coloris, et cooperietur velo violaceo.

28. Abaci contecti albis tobaleis sint sufficientes numero rerum quae ibi erunt disponendae, videlicet in extremitatibus duo candelabra cum cereis pro Acolythis: calix cum purificatoriis duobus, patena cum duabus hostiis, palla et corporale in bursa albi coloris: gremiale album aequale paramentis: ampullae vini et aquae in pelvicula et patera praegustationis: urceus cum pelvi: mantilia duo in lance: velum humerale albi coloris simplex et alterum violaceum utendum a Magistratu, si lotionem Episcopo ministrabit: manipuli albi pro Ministris: Canon pontificalis: gremiale violaceum aequale paramentis: Epistolarium et Evangeliarium cum tegumentis et signaculis albi coloris et intra Evangeliarium manipulus albus pro Episcopo: caligae et sandalia pariter coloris albi cum velis violaceis, quibuscum afferentur, et aderunt etiam vela alba, quibuscum recipientur: Missale pro Episcopo cum veste viola-

cea: alterum etiam pro Episcopo cum veste alba: liber *Exultet* seu praeconii cum veste et signaculis albi coloris: liber pro cantandis prophetiis cum veste et signaculis violaceis: liber seu Breviarium maius pro oratione *Respice* etc. scotula cum candela extincta: mitra pretiosa: velum humerale album, phrygiatum pro Subdiacono: pixis cum operculo et in ea particulae quae sufficiant ordinandorum et neophytorum numero: liber cum intonatione *Alleluia* pro Subdiacono: antiphonarium pro antiphona praecinenda ad *Magnificat*: tabella cum formula indulgentiarum: candelae pro ordinandis.

29. Poterit praeparari alter abacus alba tobalea coopertus, in quo ponetur vasculum aquae benedictae cum aspersorio: quinque grana thuris infigenda Cereo, posita in lance argentea: thuribulum cum navicula plena thuris cum cochleari: intorticia pro elevatione. Si Episcopus celebrabit ordinationem, praeparabitur lanx cum forficibus, quorum manubria erunt inaurata et altera lanx argentea, qua excipientur capilli: mantile longum imponendum genibus Episcopi dum peragetur tonsura: binae claves ferreae, una inaurata, altera argento colorata, ligatae simul chordula sericea cum flocco aureo, positae in lance: Missale tradendum Lectoribus et Exorcistis: candelabrum exigua forma inauratum cum candela extincta: ampulla vacua: calix cum patena: ampullae plenae vini et aquae in pelvicula cum manutergio seu mappula: Missale tradendum Subdiaconis et Diaconis: calix alter cum aliquanto vino et paucis aquae guttis et patena cum hostia: vasculum cum Oleo sacro Catechumenorum in pelvicula, et aliquantulum gossipii soluti: medulla panis et mali medici in lance inaurata pro Episcopo: pelves cum urceis et mantilia cum medulla panis et mali medici ad lavandas manus novorum Sacerdotum: gremiale e tela linea cum taeniis pro Episcopo: unus vel plures calices vino pleni cum mappulis pro purificatione ordinatorum: tobalea longa linea pro Communione: pontificale (pars 1.) pro Episcopo: alterum pontificale in usum Archidiaconi.

30. Abacus autem, in quo aderunt paramenta albi coloris, contegetur velo amplo violaceo, ne quid appareat coloris albi praedicti.

31. Praeparabitur etiam cappa cum serico coloris rubini in caputio, pro Episcopo post functionem. Praeterea in promptu erunt cappae cum serico, loco pellium mustelae alpinae, pro Canonicis, vel superpellicia superponenda rochetis, iuxta privilegium, quo gaudebunt. Beneficiarii quoque monebuntur, ut in promptu habeant vel cappam cum serico, vel superpellicium substituendum cappae cum pelle mustelae alpinae, dum cantabitur *Alleluia* in Missa solemni.

32. In altero abaco contecto alba tobalea disponentur paramenta pro Ministris, videlicet Dalmatica et stola albi coloris pro Diacono ac Tunicella pro Subdiacono. Planetae duae plicatae violaceae cum binis manipulis similibus pro iisdem Ministris Dalmatica quoque, stola et manipulus albi coloris pro cantando Praeconio, nisi tamen placeret uti paramentis in Missa adhibendis.

33. Prope Altare praeparabitur baculus pastoralis.

34. Aderit etiam Crux processionalis in sua basi a latere Evangelii: si tamen Celebrans fuerit Archiepiscopus, basis tantum Crucis ponetur.

35. Seorsim legile nudum pro cantandis prophetiis.

36. Hastae cum gossipio cerato ad accendendos cereos Altaris etc.

37. Disponentur in canistris planis paramenta tum violacea tum alba pro Canonicis, videlicet pluvialia violacea et alba pro Dignitatibus: planetae violaceae et albae pro Canonicis Presbyteris: Dalmaticae ac tunicellae albi coloris et planetae plicatae pro Canonicis Diaconis et Subdiaconis.

In Sacrario

38. Pluvialia tria violacea pro Cappellanis a libro, a mitra et a baculo et quatuor pluvialia albi coloris pro Cappellanis eisdem, quibus adiungetur alter Cappellanus a scotula.

39. Planeta plicata violacea cum cingulo, alba et amictu pro Subdiacono Crucifero; insuper tunicella albi coloris pro eodem, si Celebrans erit Archiepiscopus.

40. Sacrae vestes pro Ministris, videlicet stola una violacea; cingula vero, albae et amictus duo numero.

41. Arundo altitudinis sufficientis ad accendendum Cereum et in summitate eius tres candelae simul iunctae in extremitate ac divisae instar trianguli. Praeterea laterna clausa cum candelula extincta, aliquantulum gossipii cerati et duo vel tria sulphurata ad accendendum lumen.

42. In altera aula contigua Sacrario disponentur paramenta albi coloris, quot opus erunt pro Ordinandis, videlicet singulis Presbyteris Missale, mantile seu mappula ex tela albi coloris, planeta, stola, manipulus, cingulum, alba et amictus: singulis Diaconis dalmatica, stola, manipulus, cingulum, alba, amictus: singulis Subdiaconis tunicella, manipulus, cingulum, alba, amictus: singulis demum Minoristis et Clericis singula superpellicea.

In Functione.

43. Si functiones omnes, quas hoc loco sumus descripturi, peragentur, in antecessum statuetur numerus sufficiens clericorum et inservientium, qui provideant rebus omnibus supra notatis, nec desit quidquam cum retardatione functionis.

44. Sacrista imprimis habeat suis nutibus subiectos inservientes multos, quibus distribute respectivas actiones attribuat; quumque agatur de functionibus in locis disparatis celebrandis, adsit qui attente invigilet rebus dispositis in locis praedictis.

45. Si multa populi frequentia interveniet functioni, deligentur etiam per ecclesiam custodes, qui tumultum prohibeant.

46. Itaque hora praestituta Clerus in chorum congregabitur et cereis extinctis ac submissa voce recitabuntur Horae minores, Prima, Tertia et Sexta.

47. Hoc tempore extra portam ecclesiae accendetur ignis, qui tamen excutiendus est de silice, ut praescribunt rubricae; neque enim ritus iste mysterio caret.

48. Recitata hora Sexta, pulsabitur crotalum, ut nuncietur Clero adesse tempus associandi Episcopum, sicut cap. IV. lib. V.

49. Interim in Sacrario se parabunt Ministri, nempe Subdiaconus amictu, alba et cingulo, Diaconus autem praeter pa-

ramenta praedicta induet etiam stolam diaconalem; tum recta procedent al Altare maius, comitantibus clericis duobus, priusquam perveniat ad ecclesiam Episcopus, et consistent ad scamnum sibi praeparatum.

50. Ordinandi autem iam parati vestibus sacris respectivis, non gestantes manu candelam ardentem, sequentur Ministros praedictos et locum sument apud scamna sibi praeparata.

51. Episcopus indutus cappa ornata pellibus mustelae alpinae, antecedente Cruce archiepiscopali, si fuerit Metropolitanus, accedet ad ecclesiam, in cuius limine, si mos erit servandi aquam benedictam, accipiet aspersorium a digniore Cleri, asperget se ipsum et adstantes; secus ritus iste omittetur.

52. Si soleret servari aqua benedicta in fontibus lustralibus apud portas ecclesiae, postquam ingressus erit Episcopus, curabit Sacrista, ut vacuefiant, propterea quod infundenda est aqua recens, quae benedicetur in fonte baptismali.

53. Ingressus in ecclesiam Episcopus, caput operiet caputio cappae et recta perget ad Altare maius. Ibi exuet caputium, reverentiam faciet ad Crucem et brevi tempore orabit. Canonici et ceteri de Clero locum quisque suum occupabunt, ubi genuflectent, exceptis clericis delectis afferendis ad thronum paramentis, qui genuflectent prope Altare, et Diaconis assistentibus, qui consistent a lateribus Episcopi.

54. Quum locum quisque suum occupaverit, Caeremoniarius admonebit Episcopum, qui assurget, et reverentia ad Crucem iterata, accedet ad thronum medius inter Diaconos assistentes, sequente Caudatario et Cubiculario.

55. Clerici duo faldistorium de medio removebunt et ponent seorsim.

56. Distribuentur clericis paramenta Episcopi et actio ista fiet sollicite. Cappellanus a mitra utetur velo seu vimpa e collo pendente. Cappellanus a libro superpellicio indutus Missale accipiet ex abaco et aderit apud secundum Diaconum assistentem.

57. Episcopus, conscenso throno, sedebit brevi tempore, postea Diaconi assistentes, adiuvante Cubiculario, tollent ei cappam, Cubicularius retinebit cappam prope thronum, propterea quod rursus induere illam debeat Episcopus.

58. Ascendent ad thronum Diaconus et Subdiaconus, quos sequentur clerici deferentes paramenta Episcopi. Iidem Ministri Episcopum induent amictu, alba, cingulo, Cruce pectorali, stola et pluviali, cui apponetur formale simplex, et a Diacono imponetur eius capiti mitra.

59. Hoc tempore clerici duo accipient focum cum igne et forcipe eumque afferent in ecclesiam, expectantes dum paratus fuerit Episcopus, ut illum transferant ante thronum.

60. Clericus alter accipiet ex abaco vasculum aquae sanctae cum aspersorio, alter grana thuris infigenda Cereo, ac tertius thuribulum sine igne et naviculam: qui sustinebit vasculum aquae sanctae, stabit in medio; qui grana thuris, a dextris; qui thuribulum, a sinistris. Crucifer etiam indutus superpellicio accipiet Crucem et expectabit donec tempus erit accedendi ad thronum, ut inferius.

61. Parato Episcopo, redibunt Ministri ad scamnum prope Altare, et Presbyter assistens ascendet a latere ad thronum.

62. Transferetur a clericis supradictis focus cum igne et ponetur ante thronum; tres clerici cum aqua sancta, cum granis et cum thuribulo, sequente Crucifero gestante Crucem, ad thronum accedent. Crucifer gestans Crucem, locum sumet ante focum, Cruce versa ad Episcopum, clericus cum vasculo ascendet ad thronum et consistet a dextris Presbyteri assistentis, alter cum granis consistet ante infimum gradum throni, sustinens grana ante Episcopum; thuriferarius autem adstabit sinistrae Cruciferi.

63. Tali modo dispositis praedictis inservientibus, Diaconus secundus assistens mitram tollet Episcopo, et ipsi se sistet Cappellanus cum Missali, qui subsistet a sinistris Episcopi, ne conspectum ipsi impediat earum rerum, quas erit benedicturus.

64. Episcopus assurget ac voce submissa benedicet ignem, dicens *Dominus vobiscum* cum tribus sequentibus orationibus. Ministri, qui adstabunt circa thronum, respondebunt ei, et primus Diaconus assistens attollet eius fimbriam pluvialis, quum signum Crucis dextera facturus erit. Sub finem tertiae orationis thuriferarius aliquantulum ignis benedicti in thuribulum forcipe imponet, deinde ascendet ad dexteram Acolythi sustinentis vasculum aquae sanctae.

65. Post benedictionem ignis, Episcopus subiiciet alteram orationem *Veniat quaesumus Domine* etc. pro benedictione granorum thuris.

66. Post haec Episcopus sedebit et incensum, ministrante Presbytero assistente, imponet cum benedictione in thuribulum; deinde assurgens ab eodem Presbytero assistente accipiet aspersorium aquae sanctae et asperget ignem atque grana, dicens submissa voce antiphonam *Asperges me* etc. Tum ab eodem accipiet thuribulum ac thurificabit ignem et grana.

67. Igne et granis benedictis, Episcopus sedebit. Presbyter assistens a latere discedet de throno. Clerici cum vasculo et cum granis, sequente Crucifero, redibunt ad abacum, ubi reponent res praedictas: Crucifer autem reponet Crucem quo loco erat antea.

68. Clerici qui focum ad thronum attulerunt, reportabunt illum in Sacrarium, vel reponent eumdem in angulo aliquo ecclesiae in usum fidelium, qui solent ignem benedictum accipere et pie adhibere. Thuriferarius poterit a latere manere ante thronum.

69. Ministri sacri, sequentibus clericis delegatis ad reportanda Episcopi paramenta, redibunt ad thronum et Episcopum exuent vestibus sacris, quae a clericis referentur super Altare; Caeremoniarius autem vel alius, qui accipiet eas, advertet ut pluviale supponat planetae, iterumque eadem paramenta cooperiat velo violaceo.

70. Exuto Episcopo, discedent Ministri et Diaconi assistentes, adiuvante Cubiculario, reponent cappam Episcopo, quae explicabitur ex toto, et Episcopus sedebit.

71. Praesto erunt in aditu Presbyterii clavigeri, seu claviger ecclesiae ad comitandum sacros Ministros.

72. Profecti de trono Ministri pergent ad abacum, ubi Diaconus dimittet stolam violaceam, et induet manipulum, stolam et dalmaticam albi coloris; Subdiaconus autem induet manipulum et planetam violaceam plicatam.

73. Ubi parati erunt Ministri, redibit in thronum a latere Presbyter assistens, qui postquam ascenderit etiam thuriferarius, ministrabit incensum Episcopo, qui cum benedictione

ponet illud in thuribulum. Presbyter assistens, ministrato incenso, redibit a latere ad locum suum.

74. Interim Subdiaconus accipiet Crucem, clericus unus accipiet grana et consistet a dextris Subdiaconi, thuriferarius descendet de throno et locum sumet a sinistris Subdiaconi, Diaconus autem post Subdiaconum se locabit et ad thronum accedent.

75. Subsistente ante thronum Subdiacono, assurget Episcopus, salutabit Crucem deinde iterum sedebit. Diaconus se inclinabit Episcopo, clerici genuflexionem conficient, et pergent in Sacrarium ad accipiendam arundinem. Clerus in choro sedebit, postquam praedicti Ministri de presbyterio discesserint.

76. Anteibunt clavigeri seu claviger ecclesiae: thuriferarius cum thuribulo adstans dextrorsum clerico deferenti lancem cum granis: Subdiaconus gestans Crucem: sequetur Diaconus, medius inter clericos duos.

77. Quum venerint in Sacrarium, Diaconus accipiet arundinem cum tribus candelis in summitate; clericus unus accipiet laternam cum candelula et gossipio cerato, tum ope unius sulphurati candelulam laternae accendet ex igne benedicto, qui aderit in thuribulo, et ordine superius innuto procedent ad exitum ecclesiae ante portam primariam. Ibi consistent versa facie ad Altare principale: clericus, qui sustinebit laternam cum lumine, accendet gossipium ceratum et Diaconus inclinata arundine, adiuvante clerico altero, si opus erit, iubebit accendi unam ex tribus candelis in summitate arundinis infixis. Accensa candela, Diaconus elevabit arundinem et genuflexus simul cum ceteris, excepto Subdiacono sustinente Crucem, cantabit notis praescriptis *Lumen Christi*: Episcopus et omnis Clerus in choro consurgent, capite nudato, eodemque tono respondebunt *Deo gratias*: et sic deinceps fiet secunda ac tertia vice.

78. Episcopus et Chorus rursus considebunt: tum Diaconus simul cum ceteris statim consurgent et procedent ad medium ecclesiae, ubi accensa candela altera, Diaconus altiori voce cantabit, ut supra, *Lumen Christi* et respondetur ut prima vice.

79. Postremo procedent ante Altare maius, ubi accende-

tur tertia candela eodem modo ut prima, et Diaconus voce elatiori cantabit *Lumen Christi* et respondebitur ut supra. Interim clericus in promptu habebit librum Praeconii tradendum Diacono et Cappellanus a libro ascendet ad thronum cum Missali, signaculo posito ad formulam benedictionis ab Episcopo donandae Diacono pro cantu Praeconii.

80. Tertia candela accensa, venient ante Altare, cui genuflexionem conficient clerici comitantes Ministros praedictos: Diaconus autem arundinem tradet clerico, qui proximus ipsi adstabit.

81. Discedent postea de Altari et ibunt alter post alterum ad legile positum iuxta candelabrum Cerei, ibique disponentur hoc ordine. Subdiaconus consistet a sinistra legilis, quae respondebit dexterae Diaconi, stans conversus ad Episcopum, nisi altare fuerit orientale et consequenter thronus situs erit contra Altare: ab altero latere, nempe a sinistra Diaconi, consistet clericus arundinem sustinens, conversus ut Subdiaconus; thuriferarius locum sumet a sinistra Subdiaconi et clericus sustinens grana, a dextra clerici sustinentis arundinem (*a*).

82. Profectis de Altari ministris praedictis, Diaconus accipiet librum Praeconii, quem sustinens ante pectus adibit ad thronum et consistens ante infimum gradum nec ascendens, profunde inclinatus petet benedictionem, dicens *Iube Domne, benedicere:* Episcopus donabit ei benedictionem, dicens *Dominus sit* etc. ut in Missali.

83. Accepta benedictione, Diaconus iterabit reverentiam ante Episcopum et recta perget ad legile, super quo librum ponet et aperiet. Tum accepto a thuriferario thuribulo, adolebit librum in medio et a lateribus, ut in cantu Evangelii, et consurgent universi.

84. Diaconus thuribulum restituet thuriferario, qui reportabit illud in Sacrarium vel ad abacum, deinde redibit prope Subdiaconum, recepturus Crucem in fine Praeconii.

(*a*) Si in ecclesia erunt ambones fixi marmorei, cantabitur praeconium paschale super ambone. Si capax erit, ascendent illuc Subdiaconus etiam cum clericis; sin minus, ascendet Diaconus tantum; ceteri restabunt in plano ecclesiae ante ambonem ipsum, ordine supra innuto.

85. Diaconus, postquam adoluerit librum, nec librum signans nec seipsnm iunctis manibus incipiet cantare *Exultet*, ut in Missali.

86. Cantatis verbis *curvat imperia*, omnes considebunt et caput operient. Clericus cum granis accedet ad dexteram scabelli gradati. Diaconus conscendet scabellum et manu dextra quinque grana Cereo infiget loco designato, advertens ut sinistra sustentet Cereum, ne curvetur; grana vero in formam Crucis infiget, ordine sequenti:

1
4 2 5
3

87. Clericus sustinens pelvim in qua aderant grana, redibit ad abacum ibique pelvim vacuam deponet et revertetur eodem, remoturus legile cum libro post cantum Praeconii.

88. Reversus ad legile Diaconus, canere Praeconium perget ad verba illa *In huius igitur noctis gratia* etc. omnesque consurgent rursus capite nudato.

89. Post verba *rutilans ignis accendit*, Diaconus abrumpet cantum et Clerus iterum considebit.

90. Diaconus accedet ad candelabrum, sequente clerico cum arundine, et arundine ab ipso accepta, ope unius candelarum accendet Cereum.

91. Accenso Cereo consurget Chorus; Diaconus autem restituta clerico arundine, redibit ad legile, et prosequetur cantum Praeconii ad verba *Qui licet sit divisus in partes* etc. usque ad illa verba *Apis mater eduxit* inclusive. Clericus, qui sustinebat arundinem deferet ipsam prope Altare et imponet basi ibi praeparata, tum revertetur ad locum suum.

92. Diaconus post verba supra notata, rursus cantum abrumpet, tunc aliquis clericus, accenso ex arundine gossipio cerato, accendet lampades omnes per ecclesiam, initium faciens ab Altari maiore.

93. Ubi lampades Altaris maioris vel saltem viciniores accensae erunt, consurget Chorus et Diaconus redintegrabit

cantum ad verba *O vere beata nox* et prosequetur illum usque ad finem (*a*).

94. Expleto cantu Praeconii, Subdiaconus tradet Crucem thuriferario, qui reponet ipsam quo loco erat; Diaconus claudet librum et relinquet super legili. Clericus qui sustinebat grana, librum referet ad abacum et legile tollet ac ponet seorsim.

95. Diaconus et Subdiaconus, iunctim conficientes reverentiam ad Altare et ad Episcopum si ante ipsum transibunt, pergent ad abacum, ubi Diaconus dimittet dalmaticam, stolam et manipulum albi coloris ac resumet stolam violaceam; Subdiaconus autem deponet planetam plicatam et manipulum ac redibit ad scamnum prope Altare.

96. Diaconi assistentes redibunt ad locum suum, et secreto ab Episcopo recitato *Pater noster* et *Ave Maria*, Caeremoniarius innuet cantori, qui aderit ex parte hebdomadario opposita, et ille incipiet submissa voce psalmum *Mirabilia testimonia tua* et alternatim recitabitur Hora nona. Episcopus sedebit, capite operto caputio cappae. Clerus quoque in choro sedebit.

97. Clerici duo ponent in medio Presbyterio faldistorium cum pulvinis, in quo genuflectet Episcopus in fine Nonae.

98. Interim in promptu erit clericus cum Breviario, seu libro cum oratione *Respice*. In promptu etiam stabunt Caeremoniarius Episcopi et quatuor vel sex clerici, qui attollent cappam, quando Episcopus induet caligas et sandalia. Capellanus a libro in promptu habebit Canonem pontificalem pro praeparatione.

99. In fine tertii psalmi Episcopus de throno descendet, tractans humi syrmam cappae, et perget ad faldistorium ante Altare: ibi caput nudabit caputio et statim ac inchoabitur antiphona *Christus factus est*, geniculabit eoque statu manebit ad totum psalmum *Miserere* et etiam ad orationem *Respice*, quam ipse recitabit genuflexus, dicens conclusionem secreto. Ad orationem praedictam clericus unus ei librum sustinebit.

(*a*) Omittetur oratio *pro Romano Imperio* ut monuimus lib. II. cap. XXVII. num. 50.

100. Deinde assurget ac sequente Cappellano a libro sustinente Canonem, redibit in thronum, caput bireto cooperiet et ad eum accedent Diaconi assistentes. E libro a Cappellano praedicto sustento, una cum assistentibus recitabit submissa voce antiphonam *Ne reminiscaris* cum ritu duplici et psalmum *Quam dilecta* cum reliquis, quibus adiunget *Gloria Patri*, quia spectant ad Missam sequentem, quae est perquam solemnis. In hac recitatione servabunt methodum traditam cap. IX. lib. V.

101. Throno ab Episcopo conscenso, amovebitur de medio presbyterio faldistorium cum pulvinis et collocabitur seorsim.

102. Statim ac Episcopus in thronum ascenderit, Subdiaconus accedet ad abacum, eiusque manibus a Caeremoniario imposito velo violaceo, superponet caligas et sandalia albi coloris, quae cooperiet altero velo violaceo, ac sequentibus clericis sive acolythis praedictis et cubiculario, ad thronum ascendet et caligas ac sandalia imponet Episcopo, ut cap. IX. supra citato traditum est.

103. Subdiaconus ad abacum reversus, deponet ibi lancem cum velis et coibit cum Diacono.

104. In promptu erunt qui ministrare Episcopo lotionem debebunt et distribuentur clericis paramenta eius.

105. Quum Episcopus recitare desierit psalmos, preces et orationes, comprehensis illis quae praescriptae sunt ad paramenta, recedet Cappellanus a libro, quem deponet super abacum et perget in Sacrarium ad induendum pluviale simul cum ceteris Cappellanis a mitra et a baculo, tum redibunt ad Altare.

106. Episcopus, adiuvantibus Diaconis assistentibus et cubiculario dimittet cappam; cubicularius autem eius vestis extremitatem posteriorem expediet.

107. Presbyter assistens, quo munere hac die fungetur Archidiaconus propter Ordinationem, ascendet a latere ad thronum, ut annulum e digito eius educat eique ministret mantile.

108. Ascendent ad thronum Ministri lotionis, et Episcopus lavabit manus, ut eodem cap. IX. lib. V. omnesque ad actionem istam geniculabunt, exceptis Canonicis, qui stabunt in pedes.

109. In promptu erunt clerici, qui in canistris afferent paramenta violacea pro Canonicis, et alii clerici delecti adiuvando Canonicos eosdem in paramentis induendis.

110. Profectis Ministris lotionis, Diaconus et Subdiaconus, sequentibus clericis paramenta deferentibus, ad thronum ascendent et Episcopum induent amictu, alba, cingulo, Cruce pectorali, stola, tunicella, dalmatica, chirothecis, planeta et manipulo, omnibus violacei coloris, et Diaconus imponet ei mitram auriphrygiatam. Si fuerit Archiepiscopus, non utetur S. Pallio in functione, quae Missam praecedit.

111. Quum Diaconus et Subdiaconus in thronum venerint, discedent inde Presbyter assistens et Diaconi assistentes, qui in stallis suis se parabunt pluviali et planetis plicatis: similiter se parabunt ceteri Canonici, ubi incipiet parari Episcopus; clerici autem qui recipient insignia Canonicorum, advertent ea variare, ut superius notatum est. Statim ac Canonici parati erunt, descendent ante thronum et circulum ante Episcopum conficient; postquam autem paratus fuerit et benedictionem ipsis donaverit, cum reverentiis consuetis ad subsellia sua se recipient.

112. Item se parabunt in Sacrario tres Cappellani, ut supra, et Subdiaconus a Cruce, qui redibunt ad Altare; tres Cappellani ministrabunt ea, quae spectant ad eorum officium.

113. Revertentur in thronum Presbyter assistens cum Diaconis assistentibus, qui locum suum occupabunt. Presbyter assistens annulum inseret Episcopi digito: Diaconus cum Subdiacono discedent et pergent ad abacum, ubi induent manipulum et planetam plicatam.

114. Notandum etiam, quod cantores prophetiarum debent induere superpellicium, ac si officium istud spectaret ad Beneficiarios seu Mansionarios, moneantur ut debito tempore superpellicium assumant.

115. Ministri, induti postquam erunt planeta plicata et manipulo, procedent ante Altare, ibique subsistent expectantes Episcopum.

116. Postquam paratus erit Episcopus et omnia rite disposita fuerint, Episcopus accipiet baculum et praeeunte

Presbytero assistente, comitantibus Diaconis assistentibus, sequentibus Caudatario et Cappellanis a mitra et a baculo, de throno descendet et in plano benedicet Clerum ac procedet ad Altare.

117. Quum eo ventum erit, recedent Presbyter assistens et Diaconi assistentes, qui manebunt ibi; Episcopo autem se adiungent Diaconus et Subdiaconus. Episcopus dimittet baculum et a Diacono nudabitur mitra: ascendet cum ipsis ad Altare, quod osculabitur in medio, eique reposita a Diacono mitra, facta ad Crucem reverentia, descendet de Altari, cuius ante gradus coibit rursus cum Presbytero assistente ac Diaconis assistentibus, resumptoque baculo redibit in thronum, sequente clerico, qui deferet gremiale aequale paramentis. Cappellanus a libro aderit prope thronum, secum retinens Missale.

118. Diaconus et Subdiaconus redibunt ad scamnum ipsis praeparatum prope Altare.

119. Redeunte in thronum Episcopo, clericus unus ponet legile nudum in medio presbyterio et clericus alter super illud imponet et aperiet librum prophetiarum.

120. Interim secundus Caeremoniarius vel alius huic rei delegatus invitabit cantorem prophetiae primae.

121. Episcopus, conscenso throno, sedebit et baculum dimittet; Diaconus autem primus assistens gremiale imponet genibus eius. Chorus omnis sedebit.

122. Caeremoniarius secundus deducet ad legile cantorem prophetiae primae, qui ante legile quum venerit, genuflexionem peraget ad Altare dein ad Episcopum: tum manibus Missali impositis, cantare prophetiam incipiet.

123. Ut in ista, sic in reliquis prophetiis cavebitur ne incipiatur cantus priusquam sederit Episcopus ac mitram et gremiale receperit.

124. Quando cantor incipiet cantare prophetiam, se sistet Episcopo Cappellanus a libro, eoque sustinente Missale apertum, submissa voce prophetiam leget Episcopus, assistentibus ei Diaconis, qui stabunt; itemque stabunt Presbyter assistens apud scabellum assistentiae, Cappellani a mitra et a baculo et clericus a gremiali. Quum Episcopus legerit prophetiam, recedet Cappel-

lanus a libro: Assistentes sedebunt, ac poterunt etiam sedere ceteri Cappellani supradicti: clericus autem a gremiali sedere poterit in gradibus lateralibus throni.

125. Cantu prophetiae absoluto, cantor genuflexionem faciet ad Altare, deinde accedet ad thronum, quo priusquam ascendat, genuflexionem faciet ante Episcopum. Conscenso autem throno, osculabitur Episcopi manum, tum iteratis genuflexionibus, ut supra, se recipiet ad locum suum.

126. Quando ad thronum accedet cantor, consurgent Assistentes et Cappellani qui sedebant circa thronum.

127. Cantore de throno abeunte, secundus Diaconus assistens tollet Episcopo gremiale et mitram.

128. Consurget Chorus et Episcopus etiam, qui e Missali sustento a Presbytero assistente, cantabit *Oremus*, primus Diaconus assistens cantabit *Flectamus genua*, omnesque genuflectent, exceptis Episcopo et Presbytero assistente, sustentante Missale: secundus Diaconus assistens cantabit *Levate* et consurgent omnes, Episcopus cantu feriali et apertis manibus subiunget orationem.

129. Dum Episcopus orationem cantabit, secundus Caeremoniarius vel alius invitabit cantorem prophetiae secundae, qui peraget omnia eadem, quae peracta fuerint a cantore primae prophetiae.

130. Oratione ab Episcopo cantata, Presbyter assistens Missale tradet Cappellano a libro et ad scabellum suum redibit. Episcopus sedebit ac rursus reponetur ei mitra et gremiale a primo Diacono assistente.

131. Cantabitur deinde prophetia secunda, quam Episcopus etiam leget, et peragentur eadem omnia, quae tradita sunt ad primam, itemque in reliquis.

132. Post prophetias IV. VIII. et XI. a cantoribus cantabitur Tractus, quem leget Episcopus, postquam legerit prophetiam. Post duodecimam autem omittetur *Flectamus genua.*

133. Quando cantabitur prophetia ultima, praesto erit clericus unus ad tollendum librum cum legili, quod adhibitum fuerit in medio presbyterio pro cantandis prophetiis: apud Altare aderunt clerici duo recepturi pluviale et formale

Episcopi: Acolythus unus candelas accendet in candelabris Acolythorum: aderunt et alii duo clerici, qui quum cantata erit duodecima prophetia cum oratione, tollent de candelabro Cereum, quoniam afferendus erit ad baptisterium. In promptu etiam erunt clerici, paramenta Episcopi recepturi, qui unus post alium sequentur sacros Ministros, et ultimo loco incedent clerici duo, qui deferent pluviale violaceum et formale simplex. Insuper in aditu presbyterii praesto erunt cantores, secum habentes libros ad cantandum tractum *Sicut cervus*, quando procedetur ad baptisterium.

134. Cantata prophetia duodecima cum duodecima oratione, Ministri Altaris planetas plicatas et manipulos dimittent et accedent ad thronum, sequentibus clericis supradictis.

135. Clericus qui custodiet gremiale, referet ipsum ad abacum.

136. Quum ad thronum ascenderint Ministri sacri, se recipient ad stallum suum Diaconi assistentes. Presbyter assistens annulum extrahet e digito Episcopi et custodiet apud se. Ministri Episcopo exuent planetam, chirothecas, dalmaticam ac tunicellam, quae paramenta a clericis supra dictis deferentur super Altare. Iidem deinde Ministri Episcopum induent pluviali, cui imponetur formale simplex. Diaconus mitra eum operiet et Presbyter assistens ipsi annulum reponet. Ministri redibunt ad abacum, resument planetas plicatas et revenient in thronum ad Episcopum.

137. Reversis in thronum sacris Ministris, se sistet ante thronum Subdiaconus Crucem sustinens cum Acolythis a lateribus eius et clerico deferente Cereum, a tergo Subdiaconi. Episcopus tunc assurgens salutabit Crucem, dein iterum sedebit, expectans tempus discedendi quando nunciabitur ei. Acolythi genuflectent et processio ad baptisterium dirigetur ordine sequenti:

138. Clavigeri seu claviger ecclesiae. Tonsurandi cum superpelliceo brachio superposito. Clericus deferens Cereum paschalem. Subdiaconus paratus Crucem sustinens cum Acolythis a lateribus, qui gestabunt candelabra ardentibus cereis. Cantores, qui ubi Crux de presbyterio exierit, cantare inci-

pient tractum *Sicut cervus desiderat* etc. Clerici Seminarii Ordinandi Minoribus ordinibus. Beneficiarii seu Mansionarii. Ordinandi Subdiaconatu, Diaconatu et Presbyteratu, qui ut ceteri procedent bini, ac si fuerint dispari numero procedent terni ultimo sui ordinis loco. Canonici Subdiaconi. Canonici Diaconi, inter quos aderunt Assistentes. Canonici Presbyteri. Dignitates. Presbyter assistens. Episcopus medius inter Ministros, et priusquam de throno descendat, accipiet baculum sinistra. Sequentur Caudatarius sustinens extremitatem posteriorem vestis episcopalis, tres Cappellani a mitra, a baculo et a libro, et hic postremus deferet Missale, nisi in antecessum praeparatum esset prope fontem baptismalem; ultimo autem loco familiares nobiles Episcopi, siqui aderunt.

139. Si Celebrans fuerit Archiepiscopus, Cereus et Crux inter Acolythos deferetur ante Clerum paratum, nempe ante Ordinandos Subdiaconatu, et imago Crucifixi convertetur ad Archiepiscopum.

140. Profecto de Altari Episcopo, Sacrista a pluribus clericis inservientibus iubebit de throno tolli lodices sive apparatus violaceos, tapeta violacea de throno et Altari, vela violacea de abacis et pallium etiam de Altari in maiorem commoditatem, cereis tamen extinctis. Iubebit ante Altare reponi faldistorium cum pulvinis violaceis pro Episcopo, ac tollet vel tolli iubebit ex abacis et presbyterio omnia illa, quibus non est opus amplius. Praeparari iubebit scabellum unum aut in medio presbyterio aut a latere, et in illo ponetur Missale apertum ad benedictionem fontis, in usum cantorum pro Litaniis cantandis, ut inferius. Paramenta etiam albi coloris pro Canonicis in eorum stallis, pro Ministris Altaris in abaco, et pro Cappellanis in Sacrario vel alio loco proximo presbyterio ponenda curabit. Item praeparabit canistra ad reponenda Canonicorum paramenta violacea, et post haec aderit prope Altare in reditu processionis, ut siqua aequivocatio eveniat, indicare possit paramenta aut reliqua quae opus erunt; agitur enim de functione extraordinaria.

141. Quum processio pervenerit ad Baptisterium, clericus deferens Cereum, Acolythi et Subdiaconus gestans Crucem con-

sistent extra ingressum a sinistris; Canonici locum sument apud scamna praeparata; ceteri autem de Clero disponentur aut intra aut extra Sacellum pro amplitudine loci.

142. Ante ingressum Baptisterii Episcopus quum venerit subsistet ac dimittet baculum. Presbyter assistens Missale accipiet e manibus Cappellani a libro, ut sustineat illud ante Episcopum. Diaconus tollet mitram Episcopo, qui iunctis manibus cantabit *Dominus vobiscum* et orationem *Omnipotens sempiterne Deus, respice propitius* etc. tono feriali ex libro sustento a Presbytero assistente.

143. Post orationem ab Episcopo recitatam, Diaconus mitram reponet Episcopo, qui baculum pastoralem sinistra recipiet et ingredietur intra Baptisterium. Presbyter assistens Missale restituet Cappellano a libro. Clericus sustinens Cereum intrabit intra septum ubi aderit fons baptismalis et locum sumet a dextris Episcopi. Crux cum Acolythis intrabunt in idem septum, si capax erit, vel consistent extra, sed tali modo ut Crux sit in conspectu Episcopi. Presbyter assistens locum sumet a sinistris et recipiet librum, ut sustineat apertum ante Episcopum, eique adstabit Cappellanus a libro adiumenti caussa. Episcopus consistet ante fontem, medius inter Ministros; ibique dimittet baculum et a Diacono nudabitur mitra.

144. Episcopus iunctis manibus dicet *Dominus vobiscum*, deinde tono feriali orationem *Omnipotens sempiterne Deus, adesto* etc. ad illa autem verba *Per omnia saecula saeculorum*, tonum variabit, cantans in notis praescriptis Praefationem et benedicet aquam, qua fons baptismalis erit impletus.

145. Ad verba *respice in faciem Ecclesiae tuae*, clericus unus accipiet mantile in lance positum, quo utetur Episcopus, et consistet prope Diaconum.

146. Post verba *sumat Unigeniti tui gratiam de Spiritu Sancto*, Episcopus appropinquabit ad fontem et pluviale eius attollentibus Ministris, manu dextera dividet aquam in formam Crucis et manum absterget mantili, quod ei porriget Diaconus cum osculo manus, et ipse Diaconus mantile restituet clerico qui prope Diaconum restare continuabit.

147. Episcopus aqua, ut supra, divisa, prosequetur in cantu

praefationem *Qui hanc aquam* etc. usque ad verba *non inficiendo corrumpat*; quibus verbis cantatis, accedet iterum ad fontem, et pluviale attollentibus Ministris, attinget aquam dextera, quam statim absterget mantili praebito a Diacono, deinde prosequetur cantum *Sit haec sancta et innocens* etc. Ad verba *unde benedico te* etc. aquam dextera benedicet, quemadmodum praescribitur in Missali. Diaconus pluviale eius attollet.

148. Post verba *cuius Spiritus super te ferebatur*, rursus accedet ad fontem Episcopus et extra ipsum effundet aliquantulum aquae « in quatuor mundi partes » ut habetur in Missali, seu versus quatuor ventos, advertens tamen, ne madefaciat Ministros ceterosque inservientes, qui circa fontem aderunt. Episcopus manum, ut supra, absterget mantili et Caeremoniarius interea vel clericus aliquis spongia vel mantili ex tela rudi absterget aquam super externam fontis partem ab Episcopo effusam.

149. Cantatis verbis *de petra produxit*, Episcopus perget cantare *Benedico te* etc. et aquam dextera benedicet, Diacono, ut supra, fimbriam pluvialis eius attollente.

150. Interim clericus unus circa Cereum, quo loco accipiendus erit ab Episcopo, ligabit paramanum seu velum album sericum, quo Episcopus cooperiet manus, dum Cereum in fontem immerget, ut eas defendat a cera liquente.

151. Cantatis ab Episcopo verbis *in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*, Presbyter assistens Missale relinquet Cappellano a libro et hic prosequetur apertum sustinere ante Episcopum, qui praefationem alta voce leget, initium sumens a verbis *Haec nobis praecepta servantibus* etc. postmodum tribus vicibus halitabit super fontem in modum Crucis. Prosequetur deinde, legens, ut supra, verba *Tu has simplices aquas* etc. usque ad altera inclusive *purificandis mentibus efficaces*.

152. Presbyter assistens Missale recipiet et apertum sustinebit ante Episcopum. Clericus sustinens Cereum approximabit ad fontem et Cereum tradet Diacono, Diaconus Episcopo; Subdiaconus autem animum advertet ad manus eius contegendas velo. Episcopus acceptum manibus Cereum, granis ad ipsum conversis, adiuvantibus etiam Ministris, si opus erit,

qui pluviale eius attollent, immerget aliquantulum intra aquam, cantans tono solemni praefationis *Descendat. . . Spiritus Sancti.* Postea illum de fonte extrahet atque altius immergens, cantabit elatiori voce eadem verba *Descendat* etc. Extrahet illum secunda vice et altius tertia vice immergens ac vocem amplius efferens, cantabit, ut supra, *Descendat* etc. Cereum intra fontem adhuc retinens, ter in aquam sufflabit in modum literae graecae ψ et in cantu prosequetur *totamque huius aquae substantiam regenerandi foecundet effectu.* Post haec ex aqua educet Cereum, quem restituet Diacono, hic autem clerico. Cereus abstergetur mantili, qua parte fuerit immersus eique tolletur velum appensum. Clericus autem Cereum sustinens, redibit ad locum suum ante Crucem.

153. In promptu erit clericus cum vasculo vacuo et aspersorio, aliique clerici cum situlis, seu vasis ad extrahendam e Fonte aquam, quae infundetur in fontes lustrales ante portas ecclesiae et in unam pluresve conchas praeparatas in usum fidelium. Reservabitur etiam pars aliqua pro aspersione domorum.

154. Extracto de fonte Cereo, prosequetur Episcopus cantare tono feriali praefationem *Hic omnium peccatorum* etc. usque ad ultima verba *infantiam renascatur.*

155. Presbyter assistens relinquet Missale in manu Cappellani a libro; Episcopus autem leget submissa voce conclusionem *Per Dominum nostrum* etc.

156. Expleta praefatione, clericus unus aquam hauriet vasculo et aspersorio; quo facto, statim accedet ad Presbyterum assistentem.

157. Episcopus convertetur ad populum, habens a dextris Diaconum, a sinistris Subdiaconum, qui si necesse fuerit, locum commutabunt et fimbrias pluvialis sustinebunt.

158. Presbyter assistens se sistet Episcopo eique tradet aspersorium aqua benedicta perfusum. Episcopus asperget seipsum, deinde Presbyterum assistentem, Diaconum, Subdiaconum suosque reliquos Cappellanos inservientes, tum aspersorium Presbytero assistenti restituet.

159. Ministri antedicti, quando aspergentur ab Episcopo,

se profunde inclinabunt; Cappellani autem in genua procumbent.

160. Presbyter assistens recedet; Diaconus mitram imponet Episcopo, qui recipiet baculum pastoralem et ibit sessum ad faldistorium.

161. Idem Presbyter assistens, comitante clerico, qui deferet vasculum, et fimbriam eius pluvialis sustentabit, ordinem servans et cum reverentia reciproca asperget Canonicos, deinde ceteros omnes de Clero, pariter ordinatim, ac postremo per ecclesiam incedet et populum asperget.

162. Canonici sedebunt postquam aspersi fuerint, itemque ceteri de Clero, si praeparata pro ipsis erunt scamna.

163. Hoc tempore clerici designati extrahent aquam de fonte, quam reponent in amplo vase, ut supra innutum est, et ipsa implebunt etiam vasa lapidea, quae extant in limine ecclesiae.

164. Interim praesto erunt a dextra fontis clericus unus sustinens ampullas cum Oleis sacris et Ministri lotionis pro Episcopo. Item dispositi aderunt Catechumeni cum suis Patrinis extra ecclesiam (vel extra Baptisterium, si esset ab ecclesia seiunctum) si baptismum conferendum erit.

165. Posteaquam Presbyter assistens aqua benedicta asperserit Clerum et populum , reddet aspersorium clerico sustinenti vasculum, et redibit ante Episcopum, quem reverentia honorabit, et consistet a dextris Diaconi.

166. Episcopus assurget et assurgent etiam Canonici, si sederint , et perget ad fontem , ibique praeteriens salutabit Crucem processionalem ac dimittet baculum. Ministri attollent eius pluviale, Cappellanus a libro adstans a sinistris sustinebit ei Missale apertum. Presbyter assistens accipiet ampullam cum Oleo sacro Catechumenorum eamque porriget Episcopo, qui aliquantulum in aquam infundet, dicens *Sanctificetur et foecundetur* etc. Episcopus ampullam reddet Presbytero assistenti et ab eodem accipiet alteram cum S. Chrismate, eaque accepta infundet aliquantulum in aquam, dicens *Infusio Chrismatis* etc. Postea Presbyter assistens recipiet ampullam cum Oleo sacro Catechumenorum, eamque porriget rursus Episcopo qui ac-

cipiet illam sinistra, et ampullas dextera manu simul accipiens manubrio, infundet coniunctim paullulum Oleorum sacrorum in aquam dicens *Commixtio* etc. in modum Crucis, eaque infundet ad verba *In nomine Patris* etc. Restituet ampullas Presbytero assistenti, hic autem clerico, qui referet illas ad abacum. Tum Episcopus dextera diffundet et commiscebit in aqua Olea sacra, et manum absterget mantili, quod ei praesentabitur a Presbytero assistente.

167. Revertetur ad faldistorium, ibique sedens lavabit manus utens etiam, si opus fuerit, medulla panis et mali medici. Presbyter assistens ministrabit ei mantile. Ad actionem istam omnes genuflectent, exceptis Canonicis, qui stabunt.

168. Discedent Ministri lotionis. Presbyter autem assistens, si baptismum ministrabitur, se aggregabit Dignitatibus, seu Canonicis, quo loco ipsi conveniet.

169. Caeremoniale Episcoporum lib. II. cap. XXVII. num. 18. pro baptismate hac die conferendo praescribit ut « per octo dies ante in ipsa ecclesia, nisi periculum immineat, nullus infans baptizetur ».

170. Si Episcopus conferet baptisma infantibus, exsequetur omnia ea, quae praescribentur capitulo XI. lib. VII.

171. Expleto infantium baptismate, si adulti quoque baptizandi erunt, resumet pluviale cum stola violacea et peraget quidquid praescribetur cap. XII. libri eiusdem. Preces autem, quae antecedunt baptisma, recitabuntur in baptisterio, et Episcopus stabit ad faldistorium; recitaturus autem secreto orationem precibus praemittendam, genibus flexis super pulvinum, convertetur versus Crucem processionalem.

172. Si tamen propter diuturnitatem hodiernae functionis, quae prolixior etiam erit, si habebitur Ordinatio generalis, existimaret exorcismos Catechumenorum committendos alicui Dignitati Capituli, vel Parocho, Episcopus dimittet pluviale et stolam violaceam et induta stola cum pluviali albi coloris, non abscedens de fonte baptismali, incipiet functionem administrandi baptismum tum pro infantibus, tum pro adultis eo prorsus momento temporis, quo in Rituali praescribitur ut deponantur paramenta violacea et induantur alba.

Ritus autem servandus reperietur capitulis supra citatis eiusdem libri VII.

173. Hoc autem casu, dum canentur prophetiae, Parochus vel alius delegatus persolvendis exorcismis, indutus amictu supra rochetum vel supra superpelliceum, stola, et pluviali violaceo, comitantibus et assistentibus clericis quatuor, adimplebit actiones supra dictas. Catechumeni autem admissi in Sacellum Baptisterii, expectabunt baptisma in loco seposito.

174. Absoluto infantium baptismate, discedere de ecclesia poterunt Compatres cum suis infantibus baptizatis et restabunt Catechumeni adulti, quibus baptisma administrabitur ritu praescripto: post baptisma accipient Sacramentum Confirmationis.

175. Notandum autem est, quod in administrando baptismate et infantibus et adultis, ministrabunt Episcopo Diaconus et Subdiaconus. Presbyter assistens fungetur officio suo tunc solum, cum Episcopus abluturus erit manus, porrigens ei mantile.

176. Ritu administrandi baptismatis expleto, eodem ordine ac supra, ordinabitur processio ad Sacellum, in quo administranda erit Confirmatio, eo tantum discrimine, ut processionis initio, post clavigeros seu clavigerum ecclesiae, incedant Neophytae cum suis Commatribus, et post eas Neophyti cum suis Compatribus. Sequetur deinde Clerus et Crux, ac si Celebrans esset Archiepiscopus, sequentur cantores. Episcopus retinebit pluviale albi coloris in administrando praedictum Sacramentum.

177. Ubi processio venerit ad Sacellum supra nominatum, Neophyti confirmandi ingredientur in Sacellum et consistent prope Altare; Clerus autem disponetur vel in Sacello ipso, vel extra, prout capax erit locus, et Canonici locum sument apud scamna, si fuerint praeparata.

178. Curae erit clericis duobus ad Sacellum istud afferre formale simplex et pluviale cum stola violacea pro Episcopo.

179. Ingressus Episcopus in praedictum Sacellum sedebit

in faldistorio. Manus praeventive non lavabit; laverit enim eas post administrationem baptismatis. Ibi Sacramentum Confirmationis conferet neophytis, maribus et foeminis, observando ritum, qui describetur cap. I. sequentis lib. VII.

180. Post haec lavabit manus, ministrante mantile Presbytero assistente, et ad illam actionem genuflectent omnes, exceptis Canonicis. Episcopus deinde homiliam habebit ad Neophytos, convenientem circumstantiae, et homiliae tempore neophyti praedicti sedebunt in scamno ipsis praeparato ante Altare.

181. Sub finem sermonis sive homiliae in promptu erunt clerici cum stola et pluviali violaceo, cumque formali simplici pro Episcopo.

182. Tolletur deinde Episcopo mitra, formale pretiosum, pluviale et stola albi coloris a Diacono, et induetur stola ac pluviali violaceo, cui reponet formale simplex Diaconus idem, et Episcopum mitra cooperiet.

183. Interim ordinabitur processio ad Altare maius, et neophyti vel praecedent Clerum, ut supra dictum est, vel poterunt etiam sequi Episcopum, et ubi venerint ante Altare, consistent ad balaustrium extra presbyterium.

184. Quando ad Altare perveniet processio, qui clericus gestabit Cereum, aliis eum adiuvantibus, reponet illum super Candelabrum, advertens ut grana conversa sint ad Episcopum; tum amovebitur scabellum gradatum, quod ad hanc rem positum fuerat prope Candelabrum: Acolythi reponent candelabra super abacum, ardentibus candelis: Subdiaconus, qui gestabit Crucem, eam rursus imponet basi, et redibit in Sacrarium ad sacras vestes dimittendas, ac si Celebrans erit Archiepiscopus, induet paramenta albi coloris rediturus debito tempore cum ceteris in presbyterium: duo cantores delecti cantandis Litaniis locum sument ante scabellum, in quo praeparatum erit Missale pro cantu praedicto: Clerus occupabit subsellia sua: Ordinandi minoribus ordinibus consistent apud scamna sibi attributa: Ordinandi autem ordinibus maioribus ante Altare disponentur, videlicet Ordinandi Presbyteratu, contra Altare, Ordinandi Diaconatu, a dextris et Ordinandi Subdiaconatu, a sini-

stris; vel, nisi id patiantur angustiae presbyterii et ordinandorum multitudo, eo ordine disponentur, quo ipsis indicabitur a Caeremoniario: Canonici petent suum quisque stallum, exceptis duobus Diaconis assistentibus, qui consistent apud faldistorium positum in medio presbyterio, et prope ipsos aderunt clerici duo recepturi pluviale ac formale Episcopi; alter autem eorum meminerit accipere ex abaco etiam lancem pro formali.

185. Progressus ante faldistorium Episcopus salutabit Crucem Altaris et baculum deponet. Diaconus et Subdiaconus dimittent planetas plicatas, quae recipientur a clericis duobus. Deinde Diaconus Episcopo tollet formale et pluviale, quod a clericis delegatis reportabitur ad Sacrarium.

186. Episcopus mitram gestans capite, procumbet super faldistorium et ceteri omnes geniculabunt, comprehensis Diacono et Subdiacono, qui genuflectent a lateribus eius: ordinandi autem supra dicti procumbent super pavimentum, et cantores incipient statim cantare Litanias notatas in Missali hac die, et canentur ritu duplici, idest totus versiculus a cantoribus cantatus repetetur a Clero et ab adstantibus.

187. Ad versiculum *Omnes Sancti et Sanctae Dei* Diaconus et Subdiaconus consurgent et pergent ad abacum, in quo praeparata erunt eorum paramenta, ibique dimissis sacris vestibus violaceis, assument alteras albi coloris. Presbyter assistens in stallo suo exuet pluviale violaceum et induet album, ut in promptu sit cum Ministris assistere Episcopo ad versiculum *Peccatores*.

188. Hoc tempore distribuentur clericis paramenta albi coloris pro Episcopo, iidemque clerici deferentes ea, subsistent unus post alium ante gradus laterales Altaris a latere Epistolae.

189. Tres Cappellani a mitra, a baculo et a libro recedent in Sacrarium vel in alium locum, ubi deponent pluvialia violacea et indutis albis revertentur in chorum una cum altero Cappellano a scotula; ac si Celebrans erit Archiepiscopus, revertetur etiam Subdiaconus Crucifer indutus paramentis albi coloris.

190. In promptu etiam erunt clerici, quorum officium recipere Canonicorum paramenta violacea eisque ministrare albi coloris.

191. Acolythi duo in promptu stabunt, accensuri cereos Altaris, intorticia vel cereos in presbyterio sive tribuna et scotulam pro Episcopo.

192. Dum accendentur Altaris cerei, duo pluresve clerici accipient ex abaco candelas pro Ordinandis easque accendent ac tradent ordinandis minoribus, reliquis autem, qui maiores ordines accepturi sunt, distribuent illas, quum de prostratione surrexerint.

193. Clerici insuper alii duo praesto erunt ut amoveant faldistorium, in quo genuflexerit Episcopus, et substituant ei pulvinos albos pro violaceis.

194. Ad versiculum *Peccatores* adstabunt duo Ministri a lateribus Episcopi et Diaconi assistentes recedent ad stallum suum, dimittent paramenta coloris violacei, assument albi coloris, deinde redibunt prope Episcopum.

195. Ad versiculum praedictum assurget Episcopus et cum ipso consurgent Canonici, qui in stallis suis exuent paramenta violacea, assument alba, deinde rursus geniculabunt.

196. Postquam surrexerit Episcopus, amovebitur faldistorium, accendentur in Altari cerei, et pallium etiam violaceum removebitur ab Altari, nisi iam remotum esset. Cantores cum maiori pausa cantabunt versiculos sequentes Litaniarum, ut detur tempus peragendi actiones omnes, quas innuemus.

197. Diaconus mitram tollet Episcopo et stolam violaceam adiuvante Subdiacono. Presbyter assistens annulum extrahet Episcopi digito, tum Diaconus cum Subdiacono Episcopum induent paramentis albis, videlicet stola, tunicella, dalmatica, chirothecis et planeta. Diaconus autem capiti eius imponet mitram pretiosam.

198. Interim in promptu erunt Cappellani cum libro et cum scotula pro benedictione peragenda super Ordinandis.

199. Si Celebrans erit Archiepiscopus, Subdiaconus accipiet S. Pallium et tradet Diacono, qui Archiepiscopo imponet illud, et spinulas quoque. Deinde Presbyter assistens di-

gito eius inducet annulum. Ante Episcopum rursus statuetur faldistorium cum pulvinis albi coloris.

200. Si nondum cantatus erit versiculus *Ut omnibus fidelibus defunctis* etc. Episcopus genuflectet; Ministri interea sibi imponent manipulos albi coloris.

201. Cantato a cantoribus ℣. *Ut omnibus fidelibus defunctis*, assurget Episcopus et accepto baculo pastorali sinistra, conversus ad Ordinandos benedicet eos, dicens *Ut hos electos* etc. ut in Pontificali, sustinente ei librum Presbytero assistente; qui tamen versiculi non ut ceteri, a Clero et adstantibus repetentur: postea vero geniculabit rursus in faldistorio usque ad exitum Litaniarum. Presbyter assistens genuflectet a dextris Episcopi, Diaconus a sinistris et a sinistris Diaconi Subdiaconus.

202. Recedet Cappellanus a libro, relinquet Pontificale super abacum, accipiet Missale et ad locum suum redibit a tergo Episcopi cum ceteris Cappellanis.

203. Clericus unus ex abaco accipiet Evangeliarium cum manipulo Episcopi et tradet Subdiacono.

204. Litaniis absolutis, Episcopus cum Ministris, Chorus et ordinandi consurgent; ordinandi autem ad locum suum redibunt et accipient candelam ardentem.

205. A clericis duobus tolletur faldistorium, in quo genuflexerit Episcopus et removebitur scabellum cum Missali adhibitum a cantoribus pro canendis Litaniis. Incipient cantores cantu firmo ac tono feriali cantare *Kyrie eleison*, et in promptu erit thuriferarius cum thuribulo.

206. Approximabit ad gradus Altaris una cum Ministris Episcopus, cui a Diacono tolletur mitra, et facta profunda reverentia ad Crucem, exordietur Sacrum, ascendet ad Altare, quod adolebit; ipse autem thurificabitur a Diacono et redibit in thronum, observando quae praescripta sunt pro Missa solemni pontificali cap. IX. lib. V.

207. Profecto de Altari Episcopo, statuetur faldistorium cum veste albi coloris in medio suppedaneo et clericus unus in promptu habebit Pontificale seu librum pro interdicto publicando ab Archidiacono in antecessum ordinationis.

208. Episcopus, conscenso throno, sedebit et baculum di-

mittet. Secundus Diaconus assistens tollet ei mitram, et Episcopus assurgens dicet *Kyrie eleison* cum Assistentibus, et cum eo recitabit etiam Chorus.

209. Cappellanus a mitra deponet celeriter super Altare mitram pretiosam et accipiet auriphrygiatam.

210. Diaconus et Subdiaconus redibunt ante Altare, ut se rursus adiungant Episcopo, quando illuc adveniet, idemque facient deinceps, quum accedet ad Altare propter ordinationem.

211. Recitato *Kyrie*, sedebit Episcopus et a primo Diacono assistente reponetur ei mitra auriphrygiata: accipiet baculum et praeeunte Presbytero assistente, cum Diaconis assistentibus a lateribus, sequentibus Caudatario et Cappellanis a libro, scotula, mitra et baculo procedet ad Altare et cantores cessabunt a cantu *Kyrie*.

212. Quum ad Altare venerit Episcopus, recedent Diaconi assistentes, qui poterunt locum sumere ad scamnum Ministrorum, vel in stallis suis, nisi forte chorus longe aberit ab Altari, et Episcopus medius inter Diaconum et Subdiaconum ascendet ad Altare et conferet primam tonsuram, observans quod praescribetur cap. III. lib. VII.

213. Episcopus, tonsura administrata, redibit in thronum cum eodem comitatu, quo accesserit ad Altare, et conscenso throno sedebit, dimittet baculum et nudabitur mitra a secundo Diacono assistente.

214. Episcopus assurget et ex libro sustento a Presbytero assistente intonabit hymnum Angelicum *Gloria in excelsis Deo*. Et prosequetur hymnum recitare ex libro, qui post intonationem a Presbytero assistente relinquetur Cappellano. Cum Episcopo hymnum recitabunt Assistentes; recitabit etiam Chorus. Ad intonationem hymni praedicti sonabitur organis, campanis ecclesiae et reliquis omnibus urbis. Sonabitur etiam aliquandiu campanulis appensis in ecclesia ac detegentur tabulae pictae et imagines, quae hactenus fuerint coopertae.

215. Episcopus sedebit, et omnia fient quae cap. IX. lib. V. notata sunt.

216. Sub finem hymni eiusdem redibit ad Altare et procedet ad ordinationem Ostiariorum, Lectorum, Exorcistarum et Acolythorum, ut docebitur cap. III libri VII.

217. Ordinatione absoluta, revertetur in thronum eodem modo ac supra, et cantabit *Pax vobis* et orationem Missae, cui addetur oratio altera seu collecta pro Ordinandis sub unica conclusione cum oratione prima, ut cap. IX. lib. V.

218. Post orationem redibit ad Altare et ordinabit Subdiaconos, ut cap. III. lib. VII.

219. Post Subdiaconorum ordinationem redibit Episcopus in thronum, cantabitur Epistola vel a Subdiacono ministro Altaris vel ab uno Subdiaconorum nuper ordinatorum, ut cap. IX. libri V. et Episcopus leget Epistolam, dum ipsa cantabitur, quia statim redeundum erit ad Altare propter ordinationem Diaconorum.

220. Cantata Epistola et manu Episcopi a Subdiacono osculata, Episcopus redibit ad Altare et procedet ad ordinationem Diaconorum, ut eodem cap. III. lib. VII.

221. Circa finem Diaconorum ordinationis, curae erit secundo Caeremoniario secum habere librum, quo utetur Subdiaconus in annunciando *Alleluia*.

222. Mansionarii seu Beneficiarii discedent de choro et recedent in Sacrarium ad dimittendam cappam pelliceam, et alteram cum serico induendam, vel etiam superpellicium, mox redituri hoc modo induti ad cantum *Alleluia*.

223. Completa Diaconorum ordinatione, redibit Episcopus in thronum, sequente Subdiacono, quem comitabitur Caeremoniarius secundus.

224. Sedente in throno Episcopo, stantibus in pedes ceteris omnibus, [redacted] stans ante gradus throni, reverentia facta ad Episcopum, elata voce dicet *Reverendissime Pater, annuntio vobis gaudium magnum, quod est Alleluia*. Ascendet dein ad thronum et Episcopi manum osculabitur; descendet et ante thronum praecinet Episcopo *Alleluia*, quum officium Subdiaconi sit praeintonatio, ut in Vesperis ad antiphonas.

225. Diaconus secundus tollet Episcopo mitram; Presbyter assistens Missale accipiet et praesentabit Episcopo, qui assurget et notis in Missali signatis cantabit *Alleluia*, cui respondebitur etiam a Choro. Idipsum faciet secunda ac tertia vice, vocem tamen singulis vicibus elevans hemitonio.

226. Cantato tertia vice *Alleluia* ab Episcopo, Presbyter assistens Missale relinquet in manu Cappellani a libro et redibit ad scabellum suum.

227. Quum a cantoribus tertia vice responsum fuerit *Alleluia*, Subdiaconus se recipiet ad locum suum, atque ita sedebunt Episcopus et Chorus.

228. Cantores prosequentur cantare versiculum *Confitemini Domino* etc. deinde cantabunt primum versiculum Tractus *Laudate Dominum omnes gentes.*

229. Episcopus sedens iterum operietur mitra a secundo Diacono assistente et rursus super eius genua ponetur gremiale; deinde ex Missali sustento a Cappellano leget ℣. *Confitemini* et versiculum primum Tractus *Laudate Dominum* etc. quo lecto, reveniet ad Altare propter ordinationem Presbyterorum, stando iis, quae cap. III. lib. VII. tradentur.

230. Expleta Presbyterorum ordinatione, Episcopus revertetur in thronum, sedebit, deponet baculum et primus Diaconus reponet ei gremiale.

231. Ex Missali quod sustinebit Cappellanus a libro, Episcopus leget ultimum versum Tractus, *Munda cor meum* et Evangelium et omnia peragentur ut descripsimus in Missis pontificalibus cap. IX. lib. V. eo tantum discrimine, ut Acolythi candelabra non deferant ad cantum Evangelii.

232. Episcopus postquam osculatus erit Evangelium, thurificabitur a Presbytero assistente, cantabit *Dominus vobiscum* et *Oremus*, postea sedebit et a primo Diacono assistente operietur mitra pretiosa, atque oblationem cereorum ab Ordinatis excipiet.

233. Post haec lavabit manus, procedet ad Altare et Sacrum continuabit quo modo traditum est pro Missis pontificalibus cap. IX. lib. V. et pro Ordinatione generali cap. III. lib. VII. cum hac tantum exceptione, quod hodierna die non recitabitur, neque cantabitur *Agnus Dei*, non donabitur *Pax*, sed immediate post *Pax Domini* etc. atque *Haec commixtio*, adiungentur tres usitatae orationes, ante Communionem.

234. Communio Ordinatis administrabitur, ut cap. III. lib. VII. Post ipsam Episcopus descendet ad balaustrium et communicabit Neophytos, ut cap. II. lib. V.

235. Post Communionem et purificationem reponetur faldistorium in medio suppedaneo et complebitur ordinatio Presbyterorum. Interea in promptu erit thuriferarius cum thuribulo et significabitur Diaconis assistentibus, ut praesto sint prope Altare, comitaturi rursus Episcopum ad thronum.

236. Quum novi Presbyteri ad locum suum redierint, Episcopus de Altari descendet, comitantibus eum Diacono et Subdiacono, quibus in fine graduum Altaris succedent Diaconi assistentes; Ministri autem ad scamnum suum prope Altare se recipient.

237. Episcopum antecedet Presbyter assistens et sequentur Cappellani supradicti, ille autem a libro meminerit relinquere Pontificale super abaco et resumere Missale.

238. Conscenso throno, Episcopus sedebit et cum ipso considebit Chorus. Episcopus dimittet baculum pastoralem et a primo Diacono assistente reponetur ei gremiale. Tunc cantores cantabunt antiphonam *Alleluia* etc. cum psalmo *Laudate Dominum omnes gentes*.

239. Se sistet Episcopo Cappellanus cum Missali, ex quo simul cum Assistentibus leget antiphonam praedictam et recitabit psalmum.

240. Cantato *Gloria Patri*, Caeremoniarius accipiet libellum sive antiphonarium, adhibendum in praecinenda Episcopo antiphona et accedet ad thronum cum Subdiacono, qui tamen non ascendent, sed consistent ante thronum. Thuriferarius sequetur Subdiaconum, sed progressus ante thronum, subsistet seorsim.

241. Hoc tempore Cappellanus a mitra, accipiet mitram pretiosam Episcopi, et curabit ut reportetur ad Altare mitra auriphrygiata, quum eam dimiserit Episcopus.

242. Repetita in cantu a cantoribus antiphona, secundus Diaconus assistens tollet gremiale Episcopo, qui assurget eique Subdiaconus praecinet antiphonam *Vespere autem Sabbati*. Episcopus sedebit: secundus Diaconus assistens nudabit eum mitra: Presbyter assistens librum accipiet et apertum sustinebit ante Episcopum.

243. Episcopus assurget atque e Missali intonabit anti-

phonam *Vespere autem Sabbati*, deinde rursus sedebit eique a primo Diacono assistente imponetur mitra pretiosa.

244. Presbyter assistens relinquet librum in manu Cappellani et accedet ad Episcopi dextram. Thuriferarius ascendet ad thronum.

245. Presbyter assistens, accepta navicula, ministrabit incensum Episcopo, qui cum benedictione consueta illud imponet in thuribulum.

246. Thure benedicto, Presbyter assistens descendet a latere de throno et redibit ad stallum suum: thuriferarius discedet de throno et perget ad Altare, ibique consistet a latere Epistolae: Diaconus interim et Subdiaconus procedent ante Altare, expectantes Episcopum.

247. Thure imposito et benedicto, intonabitur a cantoribus *Magnificat*, et Episcopus assurgens (sicut assurget omnis Chorus) signabit se, acceptoque sinistra baculo, procedet ad Altare medius inter Diaconos assistentes, sequentibus quatuor Cappellanis a mitra, baculo, libro et scotula.

248. Quum ante Altare ventum erit, recedent Diaconi assistentes, qui tamen restabunt ante Altare; Episcopus dimittet baculum et Diaconus ministrans tollet ei mitram.

249. Inter Diaconum et Subdiaconum ascendet Episcopus ad Altare, quod osculabitur. Thuriferarius porriget thuribulum Diacono et Diaconus Episcopo, qui adolebit Altare et recitabit *Magnificat* tempore thurificationis. Ministri antedicti attollent partem posteriorem planetae Episcopi.

250. Thurificatione peracta, Episcopus restituet thuribulum Diacono, hic autem thuriferario, qui sequens deinde Episcopum accedet ad thronum.

251. Diaconus mitram reponet Episcopo, qui descendet de Altari, et resumpto baculo redibit in thronum, incedens inter Diaconos assistentes.

252. Duo Cappellani a mitra et a baculo sequentur Episcopum et reliqui duo a libro et a scotula restabunt apud Altare, super quo, postquam discesserit Episcopus, ponent Missale cum cussino vel legili et scotulam in latere Epistolae.

253. Diaconus redibit ad locum suum et Subdiaconus se-

quetur lento gradu Episcopum. Presbyter assistens, quando Episcopus redibit ad thronum, de suo stallo descendet; ascendente autem in thronum Episcopo, ibit ante thronum ipsum, thurificaturus Episcopum.

254. Conscenso throno, Episcopus consistet in pedes, conversus ad Presbyterum assistentem, a quo thurificabitur, postea denuo sedebit.

255. Secundus Diaconus assistens tollet mitram Episcopo, qui assurget et accipiet baculum, eumque continebit iunctis manibus, dum cantabitur canticum supradictum.

256. Presbyter assistens, thurificato Episcopo, thuribulum Subdiacono tradet, ascendet ad thronum et consistet ante scabellum suum.

257. Subdiaconus, accepto thuribulo, incensabit Presbyterum assistentem, Diaconos assistentes, Canonicos paratos in choro et Diaconum, reddet thuribulum thuriferario et ab ipso incensabitur.

258. Thuriferarius deinde prosequetur thurificationem Chori, regulis praescriptis, eaque absoluta, statim complebitur cantus antiphonae, quae repetetur post *Magnificat*.

259. Cantato *Gloria Patri*, Episcopus dimittet baculum, sedebit eique a primo Diacono assistente reponetur mitra pretiosa. Sedebunt etiam Presbyter assistens et Diaconi assistentes.

260. Canonici etiam, si thurificationem acceperint, considebunt, itemque ceteri de choro.

261. Dum repetetur in cantu antiphona *Vespere autem Sabbati* etc. assurget Episcopus et sinistra accepto baculo, praeeunte Presbytero assistente, assistentibus ei duobus Diaconis, sequentibus Cappellanis a mitra et baculo, procedet ad Altare, ante quod iam aderunt Diaconus et Subdiaconus.

262. Ubi ventum erit ante Altare, Presbyter assistens veniet in latus Epistolae, ut Episcopo serviat ad Missale: Diaconi assistentes recedent et in eorum locum succedent Diaconus cum Subdiacono.

263. Episcopus baculum dimittet, eique Diaconus tollet mitram.

264. Episcopus ascendet ad Altare, Ministri consistent a

tergo Episcopi, qui Altare osculabitur et conversus ad populum, cantabit *Dominus vobiscum*: deinde accedet ad Missale et cantabit *Postcommunio*, cui adiunget et alterum pro Ordinatis, et Sacrum complebit cum benedictione, ut cap. IX. lib. V. traditum est.

265. Si fuerit Archiepiscopus, Crucem habebit ante se, ut loco citato.

266. Benedictione impertita, Presbyter assistens, conversus ad populum, publicabit Indulgentias, legens formulam, dum interea clericus unus in promptu habebit faldistorium collocandum in suppedaneo Altaris et Cappellanus a libro secum habebit Pontificale pro Episcopo.

267. Indulgentiis publicatis, reponetur faldistorium in medio suppedaneo et Ordinati genibus flexis manebunt.

268. Episcopus sedebit in faldistorio et sinistra sustinens baculum (reposita ipsi a Diacono mitra, si fuerit Archiepiscopus) admonebit Ordinatos, ut praescribit Pontificale.

269. Post admonitionem dimittet baculum et a Diacono nndabitur mitra.

270. Assurget Episcopus et amoto faldistorio convertetur ad Altare.

271. Si fuerit Archiepiscopus, tolletur ei s. Pallium.

272. Conversus ad Altare Episcopus dicet *Dominus vobiscum*, deinde *Initium sancti Evangelii secundum Ioannem*, signabit Altare et seipsum ac accepta a Diacono mitra, recitans antedictum Evangelium redibit in thronum, ut cap. IX. lib. V. Notandum tantum, quod sacris vestibus dimissis, induet cappam, quae in caputio erit serico, non pellibus ornata.

273. Ordinati de choro discedent in Sacrarium ad sacras vestes dimittendas.

274. Episcopus gratiarum actionem peraget ut cap. IX. lib. V. Tum dimittet caligas et sandalia seque recipiet ad Episcopium, associatus a Clero, ut cap. IV. eiusdem libri.

275. Si relatum in ecclesiam fuerit SS. Sacramentum, ut innutum est in principio, Episcopus ipsum adorabit antequam discedat de ecclesia et in eius discessu sonabitur organis et festivo more etiam sacra aera turris.

DE ASSISTENTIA AB EPISCOPO PRAESTANDA FUNCTIONIBUS SABBATI SANCTI, AB EPISCOPO EXTRANEO CELEBRATIS.

CAPUT XXI.

1. Fieri perraro potest, ut Episcopus ordinarius intersit hisce functionibus in sua Cathedrali ab alio Episcopo celebratis. Siquidem vel Episcopus ordinarius legitimis caussis impeditur, quominus functiones persolvat, et hoc quidem casu abstinebit ab interveniendo, vel non impeditur, et oportebit ut ipsemet peragat functiones, praesertim si conferendum sit baptismum adulto alicui et habenda ordinatio generalis, aut etiam partialis. Quum tamen casus iste remotissimus dari aliquando possit, et aliunde censeamus tradendas esse instructiones pro quacumque functione, quae possit celebrari, sic in capitulo praesenti describemus huiusce functionis caeremonias. Quod spectat ad baptismum et ordinationem, omittemus; etenim quum id proprium sit Episcopi ordinarii, minime decet, ut coram ipso, licet ex mandato eius, ab alio Episcopo persolvatur.

De rebus praeparandis.
Extra portam ecclesiae

2. Praeparabitur decens focus, in quo adsint carbones, ligna aliaeque materiae combustibiles, et in promptu etiam habebitur lapis siliceus ad eliciendam flammam et accendendum ignem. Aderit etiam forceps ad accipiendas prunas.

In Baptisterio.

3. Fons baptismalis iam praecedentibus diebus vacuefactus aqua lustrali et emundatus, implebitur aqua limpida et

munda tali copia, ut satisfacere possit devotioni fidelium, qui ea vellent uti in domibus suis, et impleantur vasa lapidea quae sunt in limine ecclesiae. Externa fontis pars ornari poterit floribus recentibus et in pavimento etiam licebit flores spargere et herbas odoras.

4. Prope baptisterium vel alio loco decenti praeparari una pluresve conchae seu vasa ampla poterunt, intra quae infundetur aqua baptismalis benedicta priusquam infundantur Olea sacra.

5. Apud fontem statuetur abacus contectus alba tobalea, in quo praeparabitur vasculum vacuum cum aspersorio ubi ponetur aqua sancta; alia vasa decentia, ad extrahendam aquam eamdem et reponendam in conchis supradictis et in vasis lapideis in limine ecclesiae, ampullae argenteae cum manubriis, in quarum una continebitur S. Chrisma, in altera Oleum sacrum Catechumenorum; urceus, pelvis et mantile in lance et aliquantulum medullae panis et mali medici pariter in lance in usum Celebrantis; paramanus seu velum album cum taeniis ligandum in Cereo paschali, quum a Celebrante immergendus erit in fontem; spongia et mantile unum ex tela rudi ad abstergendum fontem; stola violacea una utenda a prima Dignitate vel a Parocho in aspergendo populum aqua benedicta.

6. Quo loco videbitur commodius, praeparabitur parvum tapetum, in quo statuetur faldistorium cum tegumento violaceo pro Celebrante.

7. Disponentur scamna cooperta panno violaceo pro Canonicis, et statuentur intra vel extra Sacellum pro forma et amplitudine ipsius, cavendo ne populi conspectum impediant. Praeparabitur etiam locus distinctus pro Episcopo Dioecesano in capite scamnorum Canonicalium ex parte digniori, cum scabellis pro Assistentibus.

Ad Altare SS. Sacramenti,
et ad Altaria minora.

8. Observentur quae tradita sunt capituli praecedentis num. 12. 13. et 14. nulla enim occurrit variatio.

Ad Altare maius.
In Presbyterio et in Abacis.

9. In Altari ponentur sex candelabra nobilia cum cereis e cera albi coloris et media inter candelabra Crux detecta, aequalis candelabris eisdem. Non interponentur candelabris signa seu busta Sanctorum, nec reliquiaria nec vasa cum floribus. Mensa Altaris cooperietur tribus tobaleis, quarum superior a lateribus Altaris defluet usque ad terram. Gradus sternentur tapeto nobili, cui superponetur alterum violaceum, amovendum faciliter, si fieri poterit, sin minus aderit usque ab initio functionis tapetum nobile. Apponetur pallium nobile albi coloris, et super ipsum alterum violaceum removendum deinceps, ut suo loco indicabitur.

10. Ad tribunam sive ingressum Presbyterii aderunt fanalia seu candelabra maiora cum cereis vel intorticiis albi coloris.

11. Thronus parabitur lodicibus et pannis sericeis albi coloris, itemque baldachinum eius. Postergali et cathedrae superponentur lodices et panni sericei violacei coloris, removendi debito tempore. Gradus throni sternentur tapeto coloris rubri, cui superponetur alterum violaceum, tollendum ut infra. Aderunt tria scabella pro Assistentibus et pulvinus violaceus, quo utetur Episcopus in genuflexionibus peragendis. Alter etiam pulvinus albi coloris, qui apponetur pro Missa. Planum autem presbyterii inter thronum et Altare cooperiri poterit tapetis e panno viridi.

12. In medio presbyterio ante Altare statuetur faldistorium cum pulvinis violaceis, ubi genuflectet Episcopus; seorsim autem praeparabuntur pulvini albi coloris substinendi deinceps supradictis violaceis.

13. In latere Evangelii vel in alia parte, iuxta constructionem Presbyterii, collocabitur candelabrum ingens in formam columnae, cui infigetur Cereus paschalis magnus et pictus, cum quinque foraminibus in formam Crucis, versis ad Episcopum, quibus infigi possint grana thuris. Ante candelabrum praeparabitur scala commoda et firma, qua tuto ascen-

dere Diaconus possit, Cereo praedicta grana infixurus. Caveatur ut ellychnium Cerei sit iam bene dispositum, ut facile accendatur. Provideatur etiam tutelae Cerei ipsius, quum tollendus erit ac reponendus super candelabrum propter benedictionem fontis baptismalis (*a*).

14. Prope idem candelabrum statuetur legile nobile, convestitum velo albo acu picto, vel etiam auriphrygiato pro cantando Praeconio.

15. In latere Evangelii prope Altare ponetur basis ad sustinendam arundinem cum tricereo.

16. Loco consueto in latere Epistolae aderit scamnum pro Ministris, quod contegi poterit tegumento sive panno sericeo, qui adhibetur diebus festivis, cui superponetur alter e panno violaceo, tollendus ut infra.

17. Ante Altare in latere Epistolae collocabitur faldistorium pro Celebrante, instructum veste albi coloris, cui superponetur violacea.

18. Abaci autem contecti alba tobalea, continebunt res sequentes. In eo, qui aderit a latere Epistolae in usum Celebrantis, duo candelabra cum candelis albi coloris pro Acolythis: calix cum purificatorio, patena cum hostia et palla, corporale intra bursam albi coloris: gremiale album aequale paramentis: ampullae vini et aquae in pelvicula: campanula pro elevatione: urceus, pelvis et mantile in lance: manipuli albi coloris pro Ministris sacris: canon pontificalis: gremiale violaceum aequale paramentis: Epistolarium et Evangeliarium cum vestibus et signaculis albis et intra Evangeliarium manipulus albus Celebrantis: liber vel Missale pro cantandis prophetiis, instructum veste et signaculis violaceis: tunicella, dalmatica et chirothecae in lance, planeta et manipulus coloris violacei pro Celebrante: Missale pro eodem cum tegumento violaceo in functione adhibendum, alterum cum tegumento albi coloris in Missa: legile vel cussini, albus nempe et violaceus, ad sustinendum Missale super Altari: mitra pretiosa pro Celebrante: planeta, dalmatica, tunicella, stola et chirothecae in lance, omnia

(*a*) Vide adnotationem num. 21. capituli praecedentis subiectam.

coloris albi pro Celebrante: tabella cum formula indulgentiarum: planeta plicata cum stola et manipulo coloris violacei pro Diacono: pluviale violaceum pro Presbytero assistente: alterum albi coloris pro eodem: velum humerale album pro Subdiacono: liber *Exultet* seu praeconii cum veste et signaculis albi coloris: tabella seu libellus cum formula ad annuntiandum Episcopo *Alleluia*: intorticia pro Elevatione.

19. In altero abaco a latere Evangelii, qui adhibebitur in usum Episcopi, praeparabitur pluviale albi coloris cum stola, cingulum, alba et amictus pro Episcopo, formale pretiosum, mitra pretiosa et altera auriphrygiata, cum vimpa pro Cappellano a mitra: ibi etiam ponetur scotula cum candela, Missale cum veste violacea in functione, alterum cum veste albi coloris in Missa utendum: cappa cum serico rubini coloris loco pellium mustelae alpinae. Apud abacum praeparabitur baculus pastoralis.

20. Abaci supradicti cooperientur velo amplo violaceo, ne usque ad Missam appareant paramenta albi coloris.

21. Si Sacrarium longe abesset ab Altari, poterit seorsim statui parvus abacus cum paramentis albis Ministrorum, videlicet dalmatica et stola pro Diacono, tunicella pro Subdiacono.

22. Praeparabitur Crux processionalis in sua basi firmata a latere Evangelii: si tamen Episcopus ordinarius erit Metropolitanus, praeparabitur basis tantum: legile nudum pro cantu prophetiarum: scabellum unum aequale scabellis throni cum pulvino violaceo, utendum a Celebrante in cantu Litaniarum: alterum scabellum cum Missali in usum cantorum Litaniarum.

In Sacrario.

23. Paramenta pro Ministris sacris, videlicet amictus, albae et cingula duo; stola violacea pro Diacono; manipulus, stola et dalmatica albi coloris pro eodem: manipulus cum planeta pro Subdiacono.

24. Superpellicia sufficienti numero, pro Clero.

25. Sedes cameralis cum subiecto tapeto exiguo pro Celebrante.

26. Paramenta Celebrantis disposita super Altare Sacrarii, eaque sunt caligae et sandalia albi coloris in lance, cooperta velo violaceo, pluviale et stola violacea, cingulum, alba, amictus et mitra auriphrygiata cum vimpa. Paramenta praedicta coloris violacei contegentur velo violaceo.

27. Thuribulum cum navicula; vasculum aquae sanctae cum aspersorio; grana thuris infigenda Cereo in lance argentea; Missale in usum Celebrantis pro benedictione ignis et granorum; laterna clausa una cum candelula extincta; aliquantulum gossipii cerati cum duobus tribusve sulphuratis ad accendendum lumen; arundo cum tricereo in apice.

28. Canon pontificalis pro Missae praeparatione ab Episcopo facienda.

29. Paramenta Ministrorum, nisi disposita fuerint apud Altare, disponentur in Sacrario, dalmatica nempe et stola albi coloris pro Diacono, tunicella albi coloris pro Subdiacono.

De functione

30. Hora praestituta congregabitur Clerus in chorum ad recitandas Horas minores, Primam, Tertiam, Sextam et Nonam, submissa voce et cereis extinctis.

31. Hoc tempore clerici duo accendent ignem extra portam ecclesiae ac meminerint illum extrahere de silice, ut praescribunt rubricae; hic enim ritus non caret mysterio.

32. Eodem tempore Episcopus celebrans sedens in Sacrario sede, ut supra, praeparata leget psalmos praeparationis ad Missam, quorum in fine recitabit *Gloria Patri* et a Cubiculario imponentur ei caligae et sandalia albi coloris. Clericus sustinebit ei Canonem et Presbyter assistens indutus superpellicio assistet eidem ad librum.

33. Ministri, adiuvantibus clericis, induent amictum, albam et cingulum; Diaconus autem assumet etiam stolam diaconalem violaceam.

34. Parati Ministri, quum Celebrans praeparationem compleverit, reverentiam conficient ad Crucem, venient ante Celebrantem, salutabunt eum et consistent a lateribus ipsius, videlicet Diaconus a dextris, Subdiaconus a sinistris.

35. Interim clericis distribuentur paramenta Celebrantis.

36. In promptu etiam erunt clerici, qui accipient vasculum cum aqua sancta et aspersorium, grana thuris, thuribulum sine igne cum navicula et Missale in usum Celebrantis ad benedicendum ignem et grana.

37. Qui duo clerici accenderint ignem extra portam ecclesiae, transferent focum cum igne in Sacrarium.

38. Celebrans dimittet mantelletum et mozzetam quoque, si utetur ea, sedebit in sede superius indicata, caput operiet bireto et manus lavabit. Nobiles familiares eius, vel clerici duo lotionem manuum ei ministrabunt.

39. Celebrans, lotis manibus, dimittet biretum, et a Diacono, adiuvante Subdiacono, induetur amictu, alba, cingulo, Cruce pectorali, stola et pluviali coloris violacei.

40. Parato Celebrante, duo supradicti clerici aliquantulum admovebunt focum ante illum; clericus cum Missali se sistet prope Subdiaconum, clericus cum vasculo aquae sanctae et alter cum thuribulo consistent prope Diaconum; alter autem cum granis adstabit foco.

41. Celebrans assurget ac voce mediocri dicet *Dominus vobiscum*, deinde triplicem orationem pro benedictione ignis. Ministri, quum opus erit, attollent eius fimbrias pluvialis. In fine orationis tertiae thuriferarius ignem ex foco accipiet forcipe et imponet in thuribulum. Post triplicem orationem Celebrans alteram subiunget *Veniat, quaesumus, Domine* etc. pro benedictione granorum thuris, quin praemittat *Oremus*.

42. Celebrans sedebit, et incensum ei ministrante Diacono cum solitis osculis, imponet illud in thuribulum cum benedictione.

43. Tum assurget Celebrans, et Diaconus ei porriget aspersorium, quo asperget ignem et grana thuris in medio, a sinistris et a dextris suis. Reddito aspersorio Diacono, recipiet ab illo thuribulum, quo adolebit ignem et grana, ut supra.

44. Celebrans iterum sedebit: Diaconus imponet ei mitram auriphrygiatam: sedens expectabit donec moneatur, ut procedat ad Altare.

45. Duo supradicti clerici focum cum igne accipient ac

transferent in ecclesiam, ponentes eum seorsim in commodum fidelium, qui devotionis causa cuperent aliquam partem ignis benedicti domum suam asportare.

46. Clerici, quorum alter vasculum aquae sanctae, alter Missale Celebranti sustinuerint, vasculum et Missale relinquent in Sacrario. Clericus sustinens grana, deponet lancem cum ipsis quo loco erant ab initio, prope laternam ibi praeparatam.

47. Ministri salutabunt Celebrantem et recedent quo loco sibi induerunt paramenta. Diaconus dimittet stolam violaceam et induet stolam, dalmaticam et manipulum albi coloris. Subdiaconus assumet planetam plicatam violaceam et manipulum.

48. Parati Ministri redibunt ad Celebrantem, salutabunt ipsum et consistent Diaconus a dextris, Subdiaconus a sinistris eius.

49. Recitatis in choro Horis minoribus et completis omnibus superius innutis actionibus, quatietur crotalum ad fores Sacrarii ad nunciandam Canonicis associationem Episcopi, ut cap. IV. lib. V.

50. Si mos erit hoc triduo servandi aquam sanctam in vasis ante portam ecclesiae, a clerico aliquo deferetur vasculum cum aspersorio ad portam praedictam.

51. Monebuntur etiam in antecessum Canonici et Beneficiarii seu Mansionarii, ut cappam cum pellibus, si utentur, dimittant ad *Alleluia* in Missa solemni, et cappae substituant habitum choralem, quo utuntur aestivo tempore, quicumque ille sit.

52. Quum discesserint Canonici ituri ad associandum Episcopum, assurget Celebrans et cum Ministris reverentia facta ad Altare sive ad Imaginem Sacrarii, procedet ad Altare maius.

53. Praecedent clerici bini, deinde Celebrans medius inter Diaconum et Subdiaconum paratos, ut supra, qui sustentabunt eius fimbrias pluvialis, sequentur Cappellanus a mitra et Caudatarius, qui syrmam vestium eius sustinebit, postremo nobiles eius familiares, si aderunt.

54. Quum ventum erit ad Altare, Celebrans reverentiam, Ministri cum clericis genuflexionem conficient. Si Ministri essent Canonici, reverentiam peragent, ut Celebrans.

55. Celebrans sedebit in faldistorio, adstantibus Diacono a dextris, Subdiacono a sinistris. Clerici consistent in pedes apud abacum.

56. Prope abacum eumdem praesto erit thuriferarius cum thuribulo et navicula.

57. Episcopus descendet ad ecclesiam associatus a Canonicis, ac si fuerit Archiepiscopus, praeferetur Crux ante ipsum: si soleat in ecclesia servari aqua sancta, in limine accipiet aspersorium, quo signabit seipsum et asperget adstantes. Quae quidem actio omittetur, quando in vasis ecclesiae non servabitur aqua benedicta.

58. Sacrista curabit, ut statim aqua benedicta exhauriantur praedicti fontes lustrales, replendi mox aqua benedicta in fonte baptismali, ut infra.

59. Episcopus in ecclesiam ingressus, caput operiet caputio cappae, procedet ad Altare maius, salutabit Episcopum celebrantem, perveniens ad ipsum, tum nudabit caput, reverentiam faciet ad Crucem Altaris, geniculabit in faldistorio et brevi orabit.

60. Celebrans, quum perveniet Episcopus, assurget, salutabit eum, postea sedebit. Ministri, nisi fuerint Canonici, genuflexionem ad eum conficient, secus reverentiam.

61. Canonici et ceteri de Clero petent subsellia sua et orabunt, ut Episcopus. Consurgente de oratione Episcopo, consurgent et ipsi. Diaconi assistentes se sistent a lateribus Episcopi, quando geniculabit in faldistorio.

62. Episcopus de oratione assurget, reverentiam faciet ad Crucem et ad Celebrantem, qui respondebit ei cum Ministris, ut supra, et procedet ad thronum. Transiens per chorum, Clerum dextera benedicet.

63. Thuriferarius cum thuribulo sequetur Episcopum.

64. Episcopus, conscenso throno, sedebit. Ascendet a latere Presbyter assistens in planum throni. Thuriferarius, genuflexione facta, ad thronum ascendet et genuflexus Episcopo obiiciet thuribulum, in quo Episcopus ponet incensum cum benedictione, ministrante cum osculis Presbytero assistente.

65. Dum Episcopus ad thronum accedet, Subdiaconus ac-

cipiet Crucem processionalem et veniet ante thronum: Subdiacono se adiunget Diaconus cum tribus clericis, quorum officium declarabitur infra.

66. Incenso ab Episcopo imposito et benedicto, Presbyter assistens de throno a latere descendet et ad locum suum redibit. Thuriferarius de throno descendet et coibit cum Diacono, Subdiacono et clericis supradictis.

67. Episcopus sibi detrahet de capite biretum, assurget ac salutabit Crucem. Diaconus cum clericis respective conficient reverentiam vel genuflexionem ad Episcopum, et discedent de Presbyterio.

68. Praecedet thuriferarius, a sinistris eius incedet clericus alter, deinde Subdiaconus cum Cruce, post quem ibit Diaconus, reliquis duobus clericis comitantibus. Profectis de presbyterio praedictis Ministris, Chorus considebit.

69. In aditu presbyterii aderit claviger unus ecclesiae, qui Ministros cum clericis ducet in Sacrarium.

70. Ubi ventum erit in Sacrarium, clericus qui coiverat cum thuriferario, accipiet lancem cum granis incensi, alter sumet laternam et lumen accendet ex igne thuribuli, tertius accipiet arundinem eamque tradet Diacono, quem postea, si opus erit, adiuvabit in inclinanda arundine.

71. Quum omnia supradicto modo disposita fuerint, proficiscentur ad portam principalem, praecedente clavigero; thuriferarius incedet a dextris clerici sustinentis grana, tum Diaconus gestans Crucem, postremo Diaconus cum arundine, habens a dextris clericum, qui adiuvabit eum, siquando erit necesse, a sinistris autem clericum alterum cum lumine ardenti intra laternam et cum gossipio cerato ad accendendas arundinis candelas.

72. Quum ventum erit ad portam principalem, conversi ad Altare maius consistent ibi.

73. Diaconus inclinabit arundinem; in promptu erit clericus cum gossipio cerato ardenti et accendet unam ex tribus candelis. Diaconus eriget arundinem; geniculabunt omnes, excepto Subdiacono gestante Crucem, Diaconus tono praescripto cantabit *Lumen Christi* et Chorus respondebit *Deo gratias*. Con-

surgent omnes de genuflexione et Diaconus cum ceteris procedet in mediam ecclesiam.

74. Quando Episcopus, Celebrans et Chorus audient Diaconum canentem *Lumen Christi*, consurgent ac responso *Deo gratias*, iterum considebunt.

75. In media ecclesia accendetur altera candela eodem modo ac supra, et a Diacono cantabitur *Lumen Christi*, vocem efferendo hemitonio. Tertia accendetur ante Altare, et altero hemitonio Diaconus efferet vocem, dicens *Lumen Christi*.

76. Prope thronum aderit Cappellanus a libro Episcopi cum Missali pro benedictione Diaconi.

77. Quum venerint ante Altare, Diaconus relinquet arundinem clerico, qui astiterit ipsi, Subdiaconus simul cum thuriferario et clericis duobus, sustinentibus arundinem et grana, procedet ad legile praeparatum apud candelabrum Cerei paschalis, quo loco cantandum erit Praeconium.

78. Subdiaconus consistet a dextra legilis, clericus cum arundine a sinistris, thuriferarius prope Subdiaconum et clericus cum granis prope clericum cum arundine.

79. Diaconus librum accipiet a Caeremoniario, qui cum debitis reverentiis aut genuflexionibus ad Altare, comitabitur eum ante gradus throni. Quo quum venerit Diaconus geniculabit, vel profunde inclinatus (si Canonicus fuerit) petet ab Episcopo benedictionem, dicens *Iube Domne benedicere*. Episcopus respondebit *Dominus sit* etc. eique donabit benedictionem, formulam legens e Missali.

80. Diaconus, accepta benedictione, assurget ac reverentia aut genuflexione facta ad Episcopum, accedet ad legile praeparatum prope Cereum eique superponet librum apertum, accipiet thuribulum a Caeremoniario et librum adolebit in medio, a dextris et a sinistris suis.

81. Episcopus, quum Diaconus ad legile pervenerit, caput nudabit et assurget, idemque faciet cum ipso Chorus universus.

82. Caeremoniarius, qui assistet Celebranti, tollet ei mitram. Celebrans assurget et stabit conversus ad Diaconum.

83. Diaconus, thurificato libro, thuribulum restituet Cae-

remoniario, vel thuriferario ac iunctis manibus, nec seipsum siguans nec librum incipiet cantare *Exultet*, ut in Missali.

84. Thuriferarius, libro thurificato a Diacono, reportabit thuribulum in Sacrarium et revertetur prope Subdiaconum.

85. Cantatis a Diacono verbis Praeconii *Curvat imperia*, considebunt omnes et Caeremoniarius Celebrantis reponet ipsi mitram.

86. Diaconus ascendet super scabellum gradatum et sinistra sustinens Cereum, ne curvetur, dextera infiget illi quinque grana in foraminibus designatis, vidēlicet primum versus summitatem, alterum infra primum, tertium infra secundum, quartum a dextra secundi, quintum a sinistra secundi, quemadmodum heic videre est.

1
4 2 5
3

87. Clericus sustinens lancem in qua aderant grana, veniet ad abacum ubi lancem deponet et revertetur eodem, remoturus legile cum libro post cantum Praeconii.

88. Diaconus de scabello descendet, redibit ad legile et prosequetur cantum ad illa verba *In huius igitur noctis gratia* etc. omnesque consurgent capite nudato, et Celebranti tolletur mitra a Caeremoniario. Idipsum fiet deinceps quotiescumque Diaconus cessabit a cantu.

89. Post verba *rutilans ignis accendit*, Diaconus abrumpet cantum et omnes considebunt, ut supra. Diaconus accedet ad Candelabrum et ope unius candelarum arundinis accendet Cereum.

90. Accenso Cereo ac restituta arundine clerico ipsius custodi, Diaconus redintegrabit cantum ad verba *Qui sit licet divisus* etc. Chorus consurget, ut antea.

91. Clericus qui custos erit arundinis, deferet ipsam prope Altare et collocabit in basi ibi praeparata.

92. Cantatis verbis *apis mater eduxit*, Diaconus cantum intermittet, omnesque sedebunt, ut supra.

93. Clericus aliquis accenso ex arundine aut Cereo gossipio cerato, accendet lampades omnes, quae aderunt in ecclesia, initium sumens ab Altari maiore.

94. Ubi lampades Altaris maioris et Altari viciniores accensae fuerint, consurget Chorus et Diaconus redintegrabit cantum ad verba *O vere beata nox*, et prosequetur illum usque ad finem (*a*).

95. Expleto cantu *Exultet*, Chorus sedebit, ut prius. Diaconus librum claudet ac relinquet super legili. Clericus unus librum reportabit ad abacum, et legile ponet seorsim. Subdiaconus tradet Crucem hastilem clerico alteri, qui reponet ipsam quo loco erat.

96. Diaconus et Subdiaconus conficient simul reverentiam aut genuflexionem ad Episcopum et ad Altare, dein reverentiam ad Celebrantem et recedent apud abacum.

97. Interim sub manu erunt paramenta Celebrantis, quae clericis distribuentur tali modo, ut actio ista peragatur celeriter.

98. Diaconus dimittet paramenta albi coloris et induet stolam diaconalem violaceam: Subdiaconus dimittet planetam plicatam et manipulum.

99. Hoc tempore Presbyter assistens Celebranti, appropinquabit ad ipsum et cum osculis consuetis educet annulum e digito eius, tum recedet apud abacum.

100. Diaconus et Subdiaconus revenient ad Celebrantem eosque sequentur clerici cum paramentis. Reverentiam Celebranti conficient, quum venerint ante ipsum, et Diaconus tollet ei mitram, deinde pluviale, adiuvante Subdiacono. Tum consistentes Diaconus a dextris, Subdiaconus a sinistris eius, induent eum tunicella, dalmatica, chirothecis ac planeta; postremo Subdiaconus eius brachio sinistro imponet manipulum, Diaconus cooperiet ipsum mitra auriphrygiata.

101. Dum parabitur Celebrans, Presbyter assistens apud abacum induet pluviale violaceum.

(*a*) Quod ad orationem *pro Romano imperio* vide lib. II. cap. XXVII. num. 50.

102. Ministri parato Celebranti facient reverentiam, recedent ad abacum et sibi induent planetam plicatam ac manipulum.

103. Interim in promptu esto clericus unus, translaturus faldistorium ad Altare.

104. Profectis a Celebrante Ministris, se sistet ei Presbyter assistens, qui cum osculis consuetis annulum inducet eius digito dextro annulari et a dextris ipsius consistet.

105. Ministri revertentur ad Celebrantem eique facta reverentia, Diaconus locum sumet a sinistris eius, Subdiaconus a sinistris Diaconi.

106. Celebrans ad nutum Caeremoniarii sui assurget ac procedet ad Altare. Transiens ante Episcopum in throno sedentem, profunda reverentia salutabit eum, itemque Ministri si fuerint Canonici; si tamen Canonici non essent, genuflectent.

107. Episcopus respectu Celebrantis Episcopi, nudabit caput bireto, seque illi inclinabit, aliquantulum assurgens: Chorus autem et assistentes Episcopo assurgent in pedes nec sedebunt, nisi quando sederit Celebrans.

108. Hoc tempore faldistorium a clerico transferetur in suppedaneum Altaris et collocabitur tali modo, ut in ipso sedens Celebrans respiciat latus Evangelii et habeat Altare a dextris suis (*a*).

109. Eodem tempore ab altero clerico statuetur in medio presbyterio legile nudum cum libro prophetiarum.

110. Clericus alter, vel Caeremoniarius chori locum sumet prope cantorem primae prophetiae et peraget quod tradetur inferius (*b*).

111. Clerici duo ex abaco accipient Missale pro Celebrante et gremiale, atque aderunt prope Altare quando ipse Celebrans illuc adveniet.

(*a*) In Sacello Pontificio et in Patriarchalibus Celebrans sedet in Altari, ut hac paragrapho innuitur.

(*b*) Notandum, quod cantores prophetiarum debent induere superpellicium, ideoque si essent Beneficiarii seu Mansionarii, oportet ut ad actionem istam dimittant insignia choralia.

112. Celebranti ante Altare progresso Diaconus tollet mitram.

113. Celebrans cum Ministris respective conficient reverentiam aut genuflexionem ante Crucem. Tum ad Altare ascendent, quod Celebrans osculabitur in medio, et Diaconus reponet ei mitram. Celebrans sedebit in faldistorio; sedenti autem Diaconus imponet gremiale super genua.

114. Caeremoniarius qui aderit in choro, deducturus cantores prophetiarum, dum Celebrans ad Altare procedet, invitabit per inclinationem cantorem prophetiae primae et secum deducet illum in medium presbyterium ad legile praeparatum: conficient iunctim genuflexionem ad Altare, dein ad Episcopum ibique consistent. Statim ac sederit Celebrans, Caeremoniarius monebit cantorem, qui subito incipiet cantum prophetiae tono notato (*a*).

115. Notandum, quod quando Episcopus hac die non celebrat, sed assistit functioni, primae quatuor prophetiae seu lectiones cantandae sunt a clericis, alterae quatuor a Beneficiariis, ultimae quatuor a Canonicis, ut praescribit Caeremoniale Episcoporum lib. II. cap. XXVIII.

116. Ubi cantor inceperit cantare lectionem seu prophetiam, se sistet Celebranti clericus unus, qui ei sustinebit Missale apertum, ex quo leget istam et reliquas prophetias atque etiam tractum post quartam, octavam et undecimam. Diaconus consistet a dextris, Subdiaconus a sinistris Celebrantis aliquanto post faldistorium, et Presbyter assistens stabit ante Subdiaconum, ut attendat ad librum, ex quo leget Episcopus.

117. Caeremoniarius curabit, ut super Altare in latere Epistolae ponatur legile seu cussinus pro Missali.

118. Quum Celebrans legerit prophetiam, clericus qui Missale ante eum sustinebat, deponet illud super legile seu cussinum in latere Epistolae et reverentia facta ad Celebrantem, recedet in planum apud Altare ex eodem Epistolae latere.

119. Ministri, si multum aberit, ut cantus prophetiae com-

(*a*) De habitu cantorum prophetiarum vide quae cap. praec. num. 114. notata sunt.

pleatur, salutabunt Celebrantem et sessum pergent ad scamnum ipsis praeparatum; secus prosequentur stare prope Celebrantem.

120. Quum cantor desierit cantare prophetiam, discedet de legili genuflectet ad Altare et accedet ad thronum, quo priusquam ascendat, genuflexionem faciet ante Episcopum, tum ascendet, manum Episcopi osculabitur, de throno descendet, genuflexionem iterabit ad Episcopum, dein ad Altare, redibit ad locum suum, ibique salutabit Caeremoniarium, a quo comitatus fuerit.

121. Eunte ad thronum cantore, consurgent Diaconi assistentes.

122. Caeremoniarius Episcopi meminerit super gradulum cathedrae ponere pulvinum in quo genuflectet Episcopus, illumque removere, post genuflexionem.

123. Dum cantor de throno descendet, Diaconus tollet gremiale et mitram Celebranti, qui assurget et convertetur ad Altare. Diaconus se sistet a tergo Celebrantis in gradu infra suppedaneum, Subdiaconus in infimo gradu vel in plano a tergo Diaconi et Presbyter assistens in latere Altaris a dextris Episcopi, indicaturus ei quae sint legenda e Missali.

124. Advertetur, ut *Oremus* cantetur quando in medio ante Altare aderit cantor de throno revertens, ut faciat genuflexionem ad *flectamus genua*, ne genuflexiones sine necessitate multiplicentur. Hoc tamen monitum non habet locum quando cantatur tractus post prophetias.

125. Quando Celebrans de faldistorio assurget, Episcopus etiam assurget capite nudato, et cum ipso chorus universus.

126. Celebrans cantabit *Oremus*, Diaconus *Flectamus genua*, omnesque genuflectent uno tantum genu, exceptis Celebrante et Presbytero assistente, qui stabunt in pedes; Subdiaconus cantabit *Levate* et omnes consurgent. Celebrans apertis manibus ac tono feriali subiunget orationem, post quam sedebit et a Diacono rursus cooperietur mitra ac recipiet ab eodem super genua gremiale.

127. Sedente Celebrante, considebunt ceteri omnes, comprehenso Episcopo.

128. Dum cantabitur oratio, deducetur ad legile in medium chorum cantor prophetiae secundae, qui cantum inchoabit, quum reposita erit mitra Celebranti, et omnia fient in ista et in reliquis ut in prima, etiam quod ad osculum manus Episcopi spectat.

129. Clericus designatus sustinendo librum Celebranti, advertat ut ascendat ad Altare, postquam Diaconus Celebranti imposuerit mitram, et faciens illi reverentiam, accipiat librum ex Altari et apertum ante illum sustineat, ex quo leget reliquas prophetias, eodem modo quo traditum est in prima, eademque fient pro cantu reliquarum orationum.

130. In quarta, octava et undecima prophetia leget etiam tractum.

131. Cantatis tribus praedictis prophetiis, postquam cantor illarum Episcopi manum osculatus erit, Cappellanus a libro se sistet cum Missali Episcopo, qui sedens leget supradictos tractus et quum ipsorum cantus completus erit, cantabitur oratio, ut in ceteris.

132. Monebitur Diaconus, ne cantet *Flectamus genua* post prophetiam duodecimam.

133. Quando cantabitur prophetia ultima, in promptu erit clericus unus ad tollendum de medio presbyterio legile cum libro, adhibitum in cantu prophetiarum; aderunt etiam clerici recepturi paramenta Celebrantis et alter qui deferat pluviale: unus vel alii duo translaturi faldistorium Celebrantis, alter etiam qui ex Altari accipiat Missale in usum Celebrantis in benedictione fontis; praeterea alteri duo, qui tollant Cereum de candelabro.

134. Acolythus unus accendet candelas in candelabris super abaco.

135. Sub finem eiusdem prophetiae praesto erunt cantores prope ingressum Presbyterii cum libro, ex quo cantare tractum debebunt *Sicut cervus desiderat* etc. in accessu ad baptisterium.

136. Itaque cantata prophetia duodecima et osculata a cantore Episcopi manu, Diaconus tollet Celebranti gremiale et mitram. Gremiale referetur ad abacum a clerico, qui

curam geret illius. Celebrans cantabit orationem, quin Diaconus praemittat *Flectamus genua.*

137. Interim unus vel duo clerici accipient ex Altari faldistorium pro Celebrante et reponent illud ante Altare in latere Epistolae, ubi erat functionis initio.

138. Celebrans, oratione cantata, Crucem salutabit cum Ministris, Diaconus ei reponet mitram, ipse autem a latere descendet de Altari et sessum veniet ad faldistorium.

139. Presbyter assistens recedet ac dimittet pluviale.

140. Ministri conficient Celebranti reverentiam et pergent ad abacum, ubi deponent manipulum et planetas plicatas: tum, sequentibus clericis delectis ad recipienda paramenta, revertentur ad Celebrantem.

141. Ministri reversi ante Celebrantem, salutabunt eum, et Diaconus tollet ipsi mitram, deinde annulum: postea consistent a lateribus eius, nempe Diaconus a dextris, Subdiaconus a sinistris, eumque exuent paramentis: Subdiaconus tollet ei manipulum, Diaconus autem, adiuvante Subdiacono, exuet ei planetam, chirothecas, dalmaticam ac tunicellam. Tum induent ipsi pluviale et Diaconus reponet eius capiti mitram, et annulum digito dextro annulari.

142. Hoc tempore clericus unus accipiet Cereum processionalem et coibit cum Acolythis, qui gestabunt candelabra accensis candelis, ac procedent ante thronum. Episcopus assurget et dimisso de capite bireto, se inclinabit Cruci, deinde rursus sedebit, donec nunciabitur ei tempus esse in processionem discedendi.

143. Diaconi assistentes salutabunt Episcopum et recedent in chorum ad subsellia sua coituri cum ceteris Canonicis in processionem.

144. Ordinabitur et dirigetur processio ordine sequenti.

145. Clavigeri seu claviger ecclesiae. Clericus, qni deferet Cereum paschalem ante Crucem. Alter clericus superpellicio indutus, qni gestabit Crucem processionalem, medius inter duos Acolythos cum candelabris, accensis candelis. Chorus cantorum, qui exeuntes de Presbyterio cantabunt tractum *Sicut cervus* etc. Clerici Seminarii. Beneficiarii seu Mansionarii. Ca-

nonici, bini. Dignitates, ut supra. Clericus qui deferet Missale pro Celebrante. Celebrans medius inter Diaconum et Subdiaconum, sustentantes eius fimbrias pluvialis. Cappellanus a mitra Celebrantis et Cappellanus caudatarius, qui sustinebit syrmam vestis eius. Episcopus comitatus a Caeremoniario suo, sequentibus nobilibus eius familiaribus. Episcopus et Celebrans priusquam se Processioni adiungant, mutuam alter alteri peragent inclinationem. Si Episcopus ordinarius erit Metropolitanus, praeferetur Cereus et Crux cum Acolythis ante Canonicos, et imago Crucifixi convertetur ad Metropolitanum.

146. Clero, Celebrante et Episcopo de Altari profectis, Sacrista a suis clericis inservientibus iubebit de throno tolli conopoea et apparatus violaceos, tapeta etiam violacea strata super gradus Altaris et super gradus throni; et maioris commoditatis caussa poterit etiam amoveri de Altari pallium violaceum, sed Altaris cerei relinquentur extincti. Iubebit reponi ante Altare faldistorium cum pulvinis violaceis pro Episcopo; a sinistris autem faldistorii collocabitur scabellum cum pulvino violaceo pro Celebrante ad genuflectendum. Praeparabitur scabellum cum Missali ponendum in medio Presbyterio pro cantoribus Litaniarum. Tollentur de abacis vela violacea et reliqua omnia, quae opus amplius non erunt. Super mensam Altaris disponentur paramenta albi coloris pro Episcopo, simul cum mitra.

147. Quum processio ad baptisterium pervenerit, clericus sustinens Cereum, Crucifer gestans Crucem et Acolythi subsistent extra ingressum a sinistra. Canonici locum sument in scamnis praeparatis, reliqui de Clero disponentur intra Sacellum, vel extra ipsum, secundum loci amplitudinem.

148. Celebrans cum Ministris subsistet extra fontem et a dextris eius in eadem linea se sistet Episcopus. Diaconus mitram tollet Celebranti et Episcopus de capite dimittet biretum. Celebrans ex Missali, quod ei sustinebit clericus, cantabit tono feriali et iunctis manibus *Dominus vobiscum* et orationem *Omnipotens sempiterne Deus, respice* etc.

149. Recitata oratione, Episcopus accedet ad locum sibi praeparatum, qui si fuerit ad instar exigui throni, accedent etiam Diaconi assistentes.

150. Deinde Crux et Acolythi ingredientur in septum fontis baptismalis et consistent sive a dextra sive a sinistra, modo tamen non vertant humeros ad Episcopum. Clericus cum Cereo se sistet versus dexteram Celebrantis, advertens et ipse, ne convertat humeros ad Episcopum.

151. Diaconus reponet mitram Celebranti, qui ingredietur in septum seu cancellos fontis: clericus cum libro adstabit fonti a sinistris Celebrantis. Celebrans consistet ante fontem, medius inter sacros Ministros.

152. Stantibus Episcopo et Clero, Diaconus tollet mitram Celebranti, qui iunctis manibus ac tono feriali dicet *Dominus vobiscum* et orationem *Omnipotens sempiterne Deus, adesto* etc.

153. In benedictione fontis nulla occurrit variatio, excepto quod Presbytero assistenti locus non est, idcirco librum Episcopo sustinebit semper clericus unus. Quare observabitur quod traditum est cap. praeced. num. 144. et seqq.

154. Praefatione absoluta, Diaconus reponet mitram Celebranti, qui sessum perget ad faldistorium, ac sedebit etiam Episcopus et Clerus.

155. Clericus unus hauriet a fonte aquam sanctam in vasculum et secum habebit aspersorium.

156. Dignior Cleri vel Parochus sive alius, cuius officium aspergere populum aqua benedicta, perget ad abacum, sibi collo imponet stolam violaceam, coibit cum clerico, qui sustinebit vasculum aquae sanctae cum aspersorio et se sistet ante Episcopum.

157. Episcopus nudabit caput, assurget cumque ipso ceteri omnes, et a supradicto digniore vel quocumque alio de Clero, recipiet aspersorium, quod ei praesentabitur ab eodem cum osculo manus.

158. Accepto aspersorio, Episcopus signabit seipsum, deinde asperget eum, a quo aspersorium acceperit, tum Diaconos assistentes, si aderunt. Restituet aspersorium eidem, de quo supra, qui recipiet illud cum osculis et reverentia facta ad Episcopum, ab ipso discedet. Episcopus sedebit, cumque eo Diaconi assistentes, si aderunt.

159. Dignior supradictus accedet ad Celebrantem, cui Dia-

conus tollet mitram. Porriget aspersorium cum osculis Celebranti, qui aspersorio accepto, signabit seipsum, deinde Diaconum et Subdiaconum, qui ad aspersionem accipiendam genuflectent, nisi fuerint Canonici, secus accipient illam profunde inclinati. Celebrans aspersorium restituet supradicto, qui osculabitur manum eius, salutabit ipsum et discedet. Celebrans sedebit et a Diacono mitra rursus cooperietur.

160. Idem dignior veniet ante Canonicos et singillatim illos asperget, cum inclinatione ad singulos ante et post aspersionem uniuscuiusque. Deinde asperget Clerum, et postremo per ecclesiam incedens, populum aqua benedicta asperget.

161. Canonici, postquam aspersi fuerint, sedebunt itemque ceteri de Clero, si aderunt scamna ad sedendum.

162. Hoc tempore clerici designati extrahent de fonte aquam, quae reponetur in vasis, ut supra innuimus, et implebunt etiam vasa marmorea, extantia prope limen ecclesiae.

163. Quum ad fontem redierit dignior, qui populum aqua benedicta asperserit, assurget Celebrans cum mitra iterumque approximabit ad fontem. Assurget etiam Episcopus, Canonici et ceteri omnes, qui consederant.

164. Celebrans Olea sacra in aquam baptismalem infundet, ut num. 166. 167 et 168. cap. praec.

165. Interim in promptu erunt Ministri lotionis pro Celebrante.

166. Oleis sacris in fontem infusis et manu commixtis, Celebrans revertetur ad faldistorium et lavabit manus. Ministri lotionis stabunt, quoniam aderit Episcopus.

167. Processio deinde ad Altare maius dirigetur ordine eodem ac supra.

168. Quando perveniet processio ad Altare maius, qui clericus sustinebit Cereum, altero adiuvante, reponet illum super candelabrum, advertens ut grana versa sint ad Episcopum, et removebitur scabellum gradatum, quod hanc ob rem applicitum fuerit candelabro: Acolythi reponent candelabra super abaco, accensis candelis: Crucifer firmabit Crucem in sua basi: qui duo cantores cantaturi erunt Litanias, locum sument apud scabellum, in quo praeparatum erit Missale: clerici tres con-

sistent prope scabellum Celebrantis a sinistris, paramenta recepturi, ut infra: ceteri de Clero ad subsellia se recipient: Celebrans consistet in pedes ante scabellum sibi praeparatum a sinistra faldistorii, et postquam illuc pervenerit cum Ministris, hi statim dimittent planetas plicatas, deinde tollent pluviale Celebranti: quae paramenta referentur ad abacum vel in Sacrarium a tribus supradictis clericis, qui ibi praesto erunt: Celebrans mitram in capite retinens, geniculabit in pulvino posito ante scabellum suum: Episcopus geniculabit in faldistorio: Diaconi duo assistentes procumbent in genua post Episcopum, Diaconus autem et Subdiaconus post Celebrantem: Presbyter assistens Celebranti aderit apud abacum, indutus superpellicio.

169. Genibus flexis ab Episcopo, Celebrante et choro cum ipsis, duo praedicti cantores incipient Litanias cantare ritu duplici, videlicet versiculus ab iisdem cantoribus cantatus, integer a Clero repetetur.

170. Ad versiculum *Omnes Sancti* etc. Diaconus et Subdiaconus consurgent et venient ad abacum vel in Sacrarium, nisi longius aberit, ubi dimissis paramentis violaceis, induent sibi albi coloris.

171. Hoc tempore clericis distribuentur paramenta albi coloris, pro Episcopo, quae deferentur in latus Evangelii prope faldistorium in quo genuflexus erit Episcopus. Cappellani quoque a mitra et baculo meminerint accipere quae ad ipsorum officium spectant. Cubicularius Episcopi aderit prope Diaconos assistentes, cappam Episcopi recepturus.

172. Curabitur, ut adsint alii clerici, qui praebeant paramenta albi coloris Celebrantis.

173. In promptu etiam erunt Acolythi ad accendendos cereos Altaris, tribunae et scotulam pro Episcopo.

174. Aderunt et clerici, qui tollant faldistorium, quum surrexerit Episcopus, et pulvinis violaceis substituant albi coloris: iidem mutabunt etiam vestem faldistorii adhibiti a Celebrante et pallium Altaris.

175. Itaque Ministri Celebrantis induti vestibus sacris albi coloris, moneantur ut intrent in Presbyterium, si se parave-

rint in Sacrario, sin apud abacum, ut accedant ad Celebrantem ad versiculum *Peccatores*; coeuntes cum eo, deducent ipsum ad faldistorium in latus Epistolae.

176. Tunc assurget Episcopus, genuflexo tamen Choro, et removebitur faldistorium, in quo prostratus erat.

177. Acolythi statim accendent cereos Altaris et Presbyterii, ut supra, et de Altari tolletur pallium violaceum ac substituetur album.

178. Duo cantores Litaniarum advertent, ut cantent illas cum maiori minorive pausa, prout videbitur necesse, ut in fine illarum parati sint Episcopus et Celebrans; ac si opus fuerit, repetent etiam versiculum aliquem Litaniarum earumdem.

179. Ministri Altaris operam dabunt vestiendo Celebranti celeriter.

180. Igitur quum Episcopus et Celebrans assurrexerint, Episcopus exuetur cappa a Diaconis assistentibus, adiuvante Cubiculario, qui meminerit expedire extremitatem posteriorem vestis episcopalis, et cappam deinde in Sacrarium asportabit. Diaconi iidem Episcopo induent amictum, albam, cingulum, Crucem pectoralem, stolam et pluviale albi coloris, cui applicabitur formale pretiosum, et primus Diaconus assistens mitram pretiosam capiti eius imponet.

181. Ministri autem exuent Celebranti mitram et stolam violaceam; Presbyter assistens, indutus superpelliceo, digito eius educet annulum. Tum iidem Ministri induent ei stolam, tunicellam, dalmaticam, chirothecas et planetam albi coloris; Diaconus autem cooperiet caput eius mitra pretiosa.

182. Dum paramentis albi coloris induetur Episcopus, Presbyter assistens Celebranti assumet pluviale albi coloris.

183. Ministri, parato ut supra Celebrante, salutabunt eum, accedent ad abacum et manipulum sibi imponent brachio sinistro.

184. Interim Presbyter assistens se sistet Celebranti et cum reverentiis praescriptis cumque osculis, annulum inseret eius digito dextro annulari et recedet prope latus Epistolae.

185. Ministri revertentur ad Celebrantem et reverentia ante ipsum facta, consistent a lateribus eius; innuente autem

Caeremoniario Episcopi, discedent iunctim de faldistorio et venient ad Episcopum propter Missam inchoandam.

186. Quum Celebrans venerit ad sinistram Episcopi, secundus Diaconus assistens mitram tollet Episcopo, qui appropinquans ad Altare exordietur Sacrum, quod peragetur ritibus praescriptis capit. XIII. et XVI. lib. V. exceptis observationibus quae sequuntur.

187. *Kyrie* cantabitur cantu firmo, tono feriali et cum pausa a cantoribus et repetetur etiam, si opus fuerit, usque ad intonationem hymni *Gloria in excelsis.*

188. Canonici efficient circulum ad *Kyrie*, ad *Gloria* et ad *Sanctus*, ut in aliis Missis praescribitur.

189. Ad intonationem *Gloria in excelsis* detegentur imagines et tabulae pictae, quae etiam tum velatae fuerint, sonabitur in laetitiae argumentum campanis omnibus, quibus signum dabitur reliquis ecclesiis, ut suas quaeque campanas pulsent. Sonabitur etiam campanulis appensis in ecclesia, ad fores Sacrarii etc. aliquandiu.

190. Quando paullulum aberit, ut a cantoribus compleatur cantus hymni *Gloria in excelsis*, dimidia pars chori, tum Canonici, tum Beneficiarii, recedent in Sacrarium, dimittent cappas cum pellibus, induent superpelliceum vel alteram cappam levem et revertentur in chorum statim ac nunciabitur Episcopo *Alleluia.* Tunc discedet alterum dimidium ad cappas, ut supra, commutandas; itemque discedent de throno Diaconi assistentes, quibus interea supplebunt Diaconi ultimi; isti autem discedent, quum redierint Diaconi praedicti.

191. Caeremoniarius, qui comitabitur Subdiaconum ad Epistolam cantandam, meminerit secum ferre tabellam, in qua scripta erit formula ad nunciandum Episcopo *Alleluia.*

192. Legente Epistolam Subdiacono, leget illam etiam Celebrans; siquidem quum debeat cantare *Alleluia*, inverteret ordinem Missae, nisi legeret illam hoc tempore. Clericus unus sustinebit ei Missale et Presbyter assistens cum Diacono non sedebunt, sed adstabunt lateribus faldistorii, ut assistant Celebranti.

193. Subdiaconus post cantatam Epistolam, reverentiam

vel genuflexionem faciet ad Crucem Altaris, deinde veniet ante thronum et reverentiam aut genuflexionem exsequetur ad Episcopum. Ibi priusquam ascendat, manum Episcopi osculaturus, elata voce nunciabit illi *Alleluia*, dicens « Reverendissime Pater. Annuntio vobis gaudium magnum, quod est *Alleluia* » Post haec ascendet ad thronum, manum osculabitur Episcopi, qui benedictionem ei largietur, descendet ac redibit ad Celebrantem, cui submissa voce praeintonabit *Alleluia*.

194. Praeintonato, ut supra, *Alleluia*, Diaconus mitram exuet Celebranti, qui assurget et ad Altare convertetur.

195. Episcopus assurget mitram in capite retinens, et cum eo totus Chorus consurget.

196. Celebrans tribus vicibus cantabit *Alleluia*, cui respondebit Chorus: advertet autem ut singulis vicibus vocem attollat hemitonio, quod faciet etiam Chorus in responsis.

197. Postquam Chorus tertia vice responderit *Alleluia*, sedebunt Celebrans, Episcopus et Chorus. Diaconus mitram et gremiale reponet Celebranti, qui ex Missali sustento a Subdiacono prosequetur legere ℣. *Confitemini Domino* etc. Episcopus autem leget Epistolam, *Alleluia* etc. ut in aliis Missis.

198. Ad cantum Evangelii non deferentur candelabra ab Acolythis, qui assistent iunctis manibus, sed fiet prorsus ut praescriptum est pro aliis Missis.

199. Offertorium caret versiculo legendo a Celebrante et Episcopo.

200. Non recitabitur *Agnus Dei*, ideoque non fiet circulus a Canonicis, nec pax donabitur.

201. Quum Celebrans consummaverit Sacramentum, Episcopus sedebit et a primo Diacono assistente cooperietur mitra auriphrygiata: Presbyter assistens Episcopi discedet de stallo suo, salutabit Crucem Altaris, deinde Episcopum ante thronum, ascendet ad thronum et consistet apud scabellum assistentiae.

202. Se sistent Episcopo Cappellani cum scotula et libro ex quo ille leget antiphonam *Alleluia* cum psalmo, *Laudate Dominum* etc. pro Vesperis, una cum Assistentibus, qui stabunt.

203. Celebrans, postquam laverit manus, nudabitur mitra a Diacono, et stans in latere Epistolae, recitabit cum Ministris antiphonam et psalmum praedictum pro Vesperis.

204. Interim in promptu erit Caeremoniarius vel thuriferarius cum thuribulo.

205. Cantorum etiam chorus cantabit antiphonam et psalmum supradictum, ut in Missali.

206. Cantato psalmo a cantoribus sive a choro, Subdiaconus submissa voce praecinet Celebranti antiphonam *Vespere autem Sabbati*. Celebrans hanc antiphonam intonabit, quae continuabitur a choro cantorum.

207. Celebrans, adstantibus eius lateribus Diacono et Subdiacono, transibit in medium Altaris; Presbyter assistens Celebranti manebit a latere altaris in parte Epistolae, amoturus librum, quando Altare thurificabitur.

208. Ad intonationem antiphonae supradictae Episcopus assurget cum mitra, tum rursus sedebit. Idipsum faciet Clerus.

209. Presbyter assistens Episcopo accedet ad eius dexteram et ministrabit incensum, quod Episcopus imponet in thuribulum cum benedictione consueta. Dein thuriferarius procedet ad Altare.

210. Secundus Diaconus assistens mitram tollet Episcopo, qui assurget et cum ipso consurget Chorus. Episcopus accipiet baculum, quem continebit iunctis manibus dum cantabitur *Magnificat*.

211. Cantores apud legile intonabunt *Magnificat*, quum assurget Episcopus.

212. Diaconus ministrans thuribulum accipiet a thuriferario et porriget Celebranti, qui Altare adolebit: Ministri attollent planetam eius: Presbyter assistens amovebit ex Altari librum, quem ibi reponet, peracta thurificatione.

213. Celebrans post thurificationem restituet Diacono thuribulum et a Caeremoniario rursus cooperietur mitra pretiosa.

214. Diaconus adolebit Celebrantem duplici ductu, deinde accedet ad thronum.

215. Thurificato Celebranti Caeremoniarius tollet mitram et Celebrans convertetur ad Altare, perstans ante Missale, adstantibus ei Subdiacono et Presbytero assistente.

216. Appropiuquante ad thronum Diacono, Episcopus dimittet baculum, sedebit, cooperietur a Diacono mitra pretiosa, tum iterum assurget.

217. Presbyter assistens Episcopo de throno descendet, accipiet thuribulum a Diacono, thurificabit Episcopum triplici ductu, postea ad suum scabellum in thronum reveniet.

218. Episcopus post thurificationem acceptam, benedictionem donabit Presbytero assistenti, sedebit, nudabitur mitra a Diacono secundo assistente, rursus assurget, resumet baculum et perstabit in pedes donec absolvatur cantus *Magnificat.*

219. Diaconus thurificabit assistentes throno, deinde Chorum et Ministros Altaris quo ordine descriptum est cap. V. lib. I.

220. Cantores, sonantibus organis, protrahent cantum *Magnificat*, donec compleatur thurificatio Chori. Cantato autem *Gloria Patri,* sedebunt Episcopus et Chorus, manentibus apud Altare Celebrante cum Ministris suis.

221. Presbyter assistens Episcopo, cantato *Gloria Patri*, reverebitur eum, de throno descendet a latere et ad stallum suum se recipiet, functus officio assistentiae.

222. Repetita in cantu antiphona a cantoribus vel organorum sono, secundus Diaconus mitram tollet Episcopo, qui assurget, et Chorus cum eo.

223. Celebrans veniet ad medium Altaris, sequentibus eum a tergo Diacono et Subdiacono, ut in aliis Missis, cantabit *Dominus vobiscum* et Postcommunionem, ut in aliis Missis.

224. Diaconus post *Ite Missa est* adiunget bis *Alleluia* eodemque modo respondebitur a cantoribus.

225. Episcopus benedictionem impertietur, et publicabitur Indulgentia, post quam Celebrans redibit in Sacrarium cum Ministris, dimissurus sacras vestes, ut cap. XIV. lib. V.

226. Si referendum in ecclesiam erit SS. Sacramentum, fiet id a Sacrista quo tempore cantabuntur Vesperae: notandum autem, quod praeparandum est faldistorium cum pulvinis albi coloris, vel stratum cum pulvinis in genuflexorio, quo utetur Episcopus in adoratione SS. Sacramenti.

227. Profecto Celebrante cum Ministris, clerici ascendent ad thronum recepturi et relaturi ad Altare paramenta episcopalia: Diaconi assistentes exuent Episcopo sacras vestes.

228. Cubicularius advertet, ut induat Episcopo cappam cum serico coloris rubini sine pellibus mustelae alpinae.

229. Postremo Episcopus de throno descendet, brevi tempore orabit ante Altare maius, adorabit SS. Sacramentum in suo Altari, si repositum ibi erit, et associatus a Clero, ordine consueto, ad aedes suas revertetur. Discedente de ecclesia Episcopo, organis et campanis festivo more sonabitur.

230. Si Celebrans subiectus non esset Episcopo ordinario, inspiciatur quod traditum est num. 303. et seq. cap. XIV. lib. V. et praescriptiones ibi notatae observentur etiam in functione huiusce diei. Hoc casu Episcopus ordinarius posset functioni et Missae assistere indutus cappa, quam mutare debet ad cantum *Alleluia*, sicut variatur ab aliis, qui illa utuntur in choro.

In maiorem utilitatem addimus variationes, quae in supradicta circumstantia fieri debent, referentes praesentis capituli numeros respectivos.

Additamentum

N. 64. Incensum imponetur a Celebrante, ministrante Diacono.

79. Celebrans benedictionem donabit Diacono ante cantum Praeconii.

120. Cantores prophetiarum non osculabuntur manum Episcopi.

171. Non distribuentur clericis paramenta albi coloris pro Episcopo, quoniam assistet Missae indutus cappa.

(176. Episcopus prosequetur genibus flexis insistere ad Li-
(180. tanias post ℣. *Peccatores.*

186. Completis Litaniis, Episcopus redibit in thronum, et Celebrans cum Ministris suis Missam ad Altare inchoabit. Celebrans incensum in thuribulum imponet, Altare adolebit, deinde a Diacono duplici ductu thurificabitur.

193. Subdiaconus osculabitur manum Celebrantis et omittetur annuntiare Episcopo *Alleluia*.

197. Cantato tertia vice *Alleluia*, Episcopus cappam mutabit; ideoque cubicularius in promptu ibi erit, recepturus cappam, quam dimittet Episcopus, eique repositurus alteram.

In reliqua Missa servabuntur quae tradita sunt cap. XXI. libri huius.

209. Incensum imponetur a Celebrante.

225. Benedictionem in fine Missae impertietur Celebrans, cum animadversionibus, quae capitulo citato notatae sunt.

DE ASSISTENTIA AB EPISCOPO PRAESTANDA FUNCTIONIBUS SABBATI SANCTI A CANONICO CELEBRATIS.

CAPUT XXII.

De rebus praeparandis.
Extra portam ecclesiae.

1. Praeparabitur decens focus, in quo adsint carbones, ligna aliaeque materiae combustibiles; in promptu etiam habebitur petra silicea ad ignem eliciendum et forceps ad accipiendum eumdem.

In Baptisterio.

2. Fons baptismalis, purgatus et emundatus aqua baptismali, quae ibi continebatur, replebitur aqua limpida et recenti, sufficienti quantitate, ut satisfieri possit fidelium pietati, qui cuperent aqua benedicta uti in domibus suis. Externae fontis partes poterunt ornari floribus recentibus, et super pavimentum spargere flores herbasque odoras licebit.

3. Prope baptisterium vel alio decenti loco praeparari poterunt una pluresve conchae, seu ampla vasa, in quae infundetur aqua baptismalis benedicta, priusquam misceantur illi Olea sacra.

4. Apud fontem abacus alba tobalea coopertus, in quo praeparabitur vasculum vacuum cum aspersorio pro aqua benedicta; alia vasa decentia ad extrahendam aquam eamdem et reponendam in conchas supradictas et in vasa marmorea ad

fores ecclesiae: ampullae argenteae cum manubriis, quarum in altera S. Chrisma, in altera Oleum sacrum Catechumenorum continebitur; urceus cum pelvi et mantile in usum Celebrantis cum aliquantula medulla panis et mali medici; spongia et mantile unum e tela rudi ad abstergendum fontem; stola violacea utenda a prima Dignitate vel a Parocho ad aspergendum populum aqua benedicta.

5. Prope fontem vel alio loco, ut videbitur commodius, praeparabitur parvum scamnum cum postergali, contectum panno violaceo pro Celebrante et Ministris.

6. Aderunt etiam scamna contecta pannis violaceis pro Canonicis, intra vel extra Sacellum secundum amplitudinem ipsius; cavendum autem ne populi conspectum impediant. Praeparabitur etiam locus distinctus pro Episcopo in parte digniori ante scamna Canonicorum, et scabella pro Assistentibus.

Ad Altare SS. Sacramenti,
Et ad Altaria minora.

7. Eadem ac notata sunt num. 12. 13. et 14. cap. XX. libri huius; nulla enim occurrit variatio.

In Altari maiore,
In Presbyterio et in Abacis.

8. In Altari ponentur sex candelabra nobilia cum cereis e cera albi coloris et media inter candelabra Crux detecta, aequalis candelabris. Non interponentur candelabris signa, reliquiaria, vasa cum floribus aut alia ornamenta. Gradus sternentur tapeto nobili, cui superponetur alterum violaceum faciliter amovendum, si fieri poterit, secus usque ab initio functionis aderit tapetum nobile. Apponetur pallium nobile albi coloris et super ipso alterum violaceum, tollendum, ut suo loco indicabitur.

9. Ad tribunam sive ingressum Presbyterii aderunt sex fanalia seu candelabra maiora cum intorticiis, vel cereis albi coloris.

10. Thronus parabitur lodicibus et pannis sericeis albi coloris, itemque baldachinum eius. Postergali et cathedrae superponentur lodices et panni sericei, coloris violacei removendi tempore debito. Gradus throni sternentur tapeto coloris rubri, cui superponetur alterum violaceum, tollendum cum ceteris ornamentis violaceis, ut infra. Aderunt tria scabella pro Assistentibus et pulvinus violaceus, quo utetur Episcopus in genuflexionibus peragendis; alter etiam pulvinus albus, qui celabitur donec tollentur lodices violacei coloris. Planum autem presbyterii inter thronum et Altare cooperiri poterit tapetis e panno viridi.

11. In medio presbyterio ante Altare statuetur faldistorium cum pulvinis violaceis, ubi genuflectet Episcopus. Seorsim praeparabuntur pulvini albi coloris substituendi deinceps supradictis violaceis.

12. In latere Evangelii, vel in alia parte, iuxta costructionem presbyterii, collocabitur Candelabrum ingens ad instar columnae, cui imponetur Cereus paschalis magnus et pictus cum quinque foraminibus in formam Crucis, versis ad Episcopum, quibus infigi possint grana thuris. Ante candelabrum praeparabitur scabellum gradatum commodum et firmum, quo tuto ascendere Diaconus possit, Cereo praedicta grana infixurus. Caveatur, ut ellychnium Cerei sit iam bene dispositum, ut facile accendatur. Provideatur etiam tutelae Cerei ipsius, quum tollendus erit ac reponendus super candelabrum propter benedictionem fontis baptismalis.

13. Prope candelabrum idem statuetur legile nobile, convestitum velo albi coloris acu picto, vel etiam auriphrygiato, pro cantando Praeconio.

14. In latere Evangelii prope ponetur Altare basis ad sustinendam arundinem cum tricereo.

15. Loco consueto in latere Epistolae aderit scamnum pro Ministris cum tegumento sive panno sericeo, qui adhibetur diebus festivis, cui superponetur alter e panno violaceo, tollendus ut infra.

16. Abaci autem contecti alba tobalea, continebunt res sequentes. In eo, qui aderit a latere Epistolae in usum Celebrantis,

duo candelabra cum candelis albi coloris pro Acolythis: calix cum purificatorio: patena, hostia, palla et bursa albi coloris cum corporali incluso: ampullae vini et aquae in pelvicula: campanula pro elevatione: Epistolarium et Evangeliarium cum vestibus et signaculis albi coloris: liber seu Missale pro cantu prophetiarum cum tegumento et signaculis violaceis: planeta et manipulus violaceus pro Celebrante: Missale pro eodem cum veste albi coloris pro Missa, alterum cum veste violacea pro functione quae Missam praecedit: legile seu cussini coloris albi et violacei ad sustinendum Missale super Altare: planeta plicata, stola et manipulus coloris violacaei pro Diacono: paramenta missalia albi coloris: velum humerale album pro Subdiacono: liber Praeconii cum veste et signaculis albis: formula indulgentiarum: tabella seu libellus cum formula ad annunciandum Episcopo *Alleluia*: intorticia pro elevatione. Si Sacrarium distabit, praeparantor apud abacum paramenta albi coloris pro Celebrante et Ministris, videlicet planeta, dalmatica, tunicella, stolae duae, tres manipuli.

17. In altero abaco a latere Evangelii, qui adhibebitur pro Episcopo, praeparabitur pluviale cum stola albi coloris, Crux pectoralis cingulum, alba, amictus, formale pretiosum, utraque mitra, nempe pretiosa et auriphrygiata, cum vimpa pro Cappellano; scotula cum candela; Missale cum veste violacea pro functione, alterum cum veste albi coloris pro Missa; cappa cum serico coloris rubini loco pellium mustelae alpinae. Prope abacum aderit baculus pastoralis,

18. Abaci supradicti cooperientur uno vel pluribus velis amplis coloris violacei ita ut usque ad Missam nihil appareat albi coloris.

19. Praeparabitur Crux processionalis infixa basi in latere Evangelii; si tamen Ordinarius erit Archiepiscopus, praeparabitur sola basis seu stylobata; legile nudum ad cantandas prophetias; scabellum nudum aequale scabellis throni in usum Celebrantis, quando canentur Litaniae: alterum scabellum simile cum Missali pro cantoribus Litaniarum.

In Sacrario.

20. Paramenta pro Celebrante et Ministris, videlicet amictus, albae et cingula, tria numero; stola violacea cum pluviali pro Celebrante, stola violacea pro Diacono, planeta plicata et manipulus pro Subdiacono, dalmatica, stola et manipulus albi coloris pro Diacono.

21. Superpellicia sufficienti numero pro clericis.

22. Thuribulum cum navicula; vasculum aquae sanctae cum aspersorio; grana thuris infigenda Cereo, posita in lance argentea; laterna clausa cum candela extincta; aliquantulum gossipii cerati cum duobus vel tribus sulphuratis ad accendendum lumen; Missale utendum a Celebraute pro benedictione ignis et granorum thuris; arundo cum tricereo in summitate.

23. Si Sacrarium erit proximum Altari maiori, praeparentur ibi etiam paramenta albi coloris pro Missa, superius notata in abaco Celebrantis.

In Functione.

24. Hora praestituta Clerus in chorum congregabitur et extinctis cereis Altaris, recitabit submissa voce Horas minores, nempe Primam, Tertiam, Sextam et Nonam.

25. Hoc tempore, seu quando incipietur recitari Sexta, clerici duo extra portam ecclesiae accendent ignem, quem tamen elicient e silice; haec enim lex non caret mysterio.

26. Dum in choro incipietur Nona hora, se parabunt sacris vestibus Celebrans et Ministri, videlicet Diaconus et Subdiaconus amictu, alba et cingulo; Diaconus autem assumet etiam stolam diaconalem; Celebrans induetur amictu, alba, cingulo, stola et pluviali violaceo.

27. In promptu erunt clerici, qui deferent, unus thuribulum cum navicula, alter vasculum aquae sanctae cum aspersorio, tertius lancem cum quinque granis incensi.

28. Duo praedicti clerici, accenso igne extra portam ecclesiae, asportabunt focum cum igne ardenti in Sacrarium quum parum aberit ut absolvatur recitatio Nonae, illumque ponent prope locum, in quo Celebrans induerit vestes sacras.

29. Clericus unus Missale accipiet ac sustinebit Celebranti, adstans prope Subdiaconum. Duo clerici cum vasculo ac thuribulo subsistent prope Diaconum et clericus cum granis incensi locum sumet prope focum.

30. Celebrans convertetur ad focum, adstantibus a lateribus eius Ministris, et voce competenti dicet *Dominus vobiscum* et orationem triplicem pro benedictione ignis. Diaconus sublevabit eius fimbriam pluvialis, quum opus fuerit. In fine tertiae orationis thuriferarius accipiet aliquantum ignem forcipe eumque imponet in thuribulum. Post orationem tertiam Celebrans non dicens *Oremus*, recitabit super grana orationem *Veniat, quaesumus, Domine* etc.

31. Diaconus incensum cum osculis ministrabit Celebranti, qui cum benedictione imponet illud in thuribulum ipsi obiectum a thuriferario.

32. Postea Diaconus aspersorium tradet Celebranti, qui asperget ignem et grana thuris in medio, a sinistris et a dextris suis, recitans submissa voce antiphonam *Asperges me* etc. Aspersorio reddito Diacono, accipiet ab isto thuribulum et adolebit, ut supra, ignem et grana. Idem Celebrans, thuribulo restituto Diacono, redibit cum Ministris quo loco paramenta assumpserit, ibique expectabit dum tempus erit eundi in ecclesiam.

33. Duo supradicti clerici focum cum igne accipient et ponent intra ecclesiam seorsim in commodum fidelium, qui cuperent partem aliquam illius ignis accipere et pie adhibere.

34. Clericus, qui sustinebat vasculum, relinquet ipsum in Sacrario quo loco ab initio praeparatum erat, itemque reliqui duo a Missali et a granis.

35. Quum Ministri ad locum suum rediverint, Diaconus dimittet stolam violaceam, induet stolam albi coloris et dalmaticam pariter albam cum manipulo simili: Subdiaconus induet planetam plicatam violaceam cum manipulo simili.

36. Tam Celebrans, quam Ministri caput cooperient bireto.

37. Completa in choro recitatione horarum minorum et in Sacrario benedictione supradicta, pulsabitur crotalum ad fores Sacrarii, ut signum Canonicis detur adesse tempus associandi Episcopum, ut cap. IV. lib. V.

38. Si mos erit hoc triduo servandi aquam sanctam in vasis ante portam ecclesiae, a clerico aliquo deferetur vasculum cum aspersorio ad portam praedictam.

39. Monebuntur etiam in antecessum Canonici et Beneficiarii seu Mansionarii, ut cappam cum pellibus, si utentur, dimittant ad *Alleluia* in Missa solemni, et cappae substituant habitum choralem, quo utuntur aestivo tempore, quicumque sit habitus ille.

40. Quum discesserint Canonici ituri ad associandum Episcopum, Celebrans cum Ministris, reverentia facta ad Crucem sive ad Imaginem Sacrarii, proficiscentur ad Altare maius.

41. Anteibunt Acolythi iunctis manibus, Caeremoniarius Celebrantis, deinde Celebrans medius inter Ministros sacros, paratos ut supra, qui fimbrias eius pluvialis sustinebunt.

42. Quum ventum erit ad Altare, Celebrans reverentiam, ceteri genuflexionem ad Crucem conficient. Si Ministri essent Canonici, reverentiam peragent, ut Celebrans, idque observabitur deinceps.

43. Tum Celebrans cum Ministris pergent ad scamnum sibi praeparatum et sedebunt cooperientes caput bireto. Clerici consistent apud abacum ibique stabunt.

44. Apud abacum praesto erit thuriferarius cum thuribulo quum ad ecclesiam perventurus erit Episcopus.

45. Episcopus associatus a Canonicis ad ecclesiam descendet, ac si fuerit Metropolitanus, Crux ante eum praeferetur: si soleat in fontibus lustralibus ecclesiae servari aqua sancta, in limine ecclesiae accipiet aspersorium, quo signabit seipsum et asperget adstantes. Quae quidem actio omittetur, quando in praedictis vasis non servabitur aqua benedicta.

46. Ingresso in ecclesiam Episcopo, Sacrista curabit, ut statim aqua benedicta exhauriantur praedicti fontes lustrales, si aqua benedicta adhuc servaretur in eis, ut repleantur aqua baptismali, sicut inferius docebitur.

47. Episcopus in ecclesiam ingressus caput operiet caputio cappae, procedet ad Altare maius et perveniens apud faldistorium, benedictionem donabit Celebranti, tum caput aperiet, salutabit Crucem Altaris, geniculabit in faldistorio ac brevi orabit.

48. Celebrans et Ministri, adveniente Episcopo, caput nudabunt, assurgent, salutabunt ipsum, tum rursus considebunt. Ministri tamen, nisi fuerint Canonici, genuflexionem ad illum conficient.

49. Canonici et ceteri de Clero se recipient ad subsellia sua, geniculabunt et consurgent quando Episcopus assurget de oratione. Diaconi assistentes consistent a lateribus Episcopi, quando genuflectet in faldistorio.

50. Episcopus de oratione assurget, salutabit Crucem, benedicet Celebrantem, qui cum Ministris se gerent erga Episcopum, ut supra, procedet ad thronum ac transiens per chorum, dextera benedicet Clerum. Thuriferarius cum thuribulo sequetur Episcopum.

51. Episcopus, conscenso throno, sedebit et bireto cooperiet çaput. Ascendet a latere ad thronum Presbyter assistens. Thuriferarius, genuflexione facta, ascendet ad thronum et genibus flexis praesentabit Episcopo thuribulum. Episcopus, ministrante Presbytero assistente cum osculis, incensum in thuribulum iniiciet cum benedictione.

52. Dum Episcopus ad thronum procedet, Subdiaconus accipiet Crucem processionalem et veniet ante thronum; Subdiacono se adiungent Diaconus tresque clerici, quorum officium declarabitur infra.

53. Thure ab Episcopo imposito ac benedicto, Presbyter assistens descendet a latere de throno et redibit ad locum suum. Thuriferarius de throno descendet seque adiunget Diacono, Subdiacono ac tribus clericis supradictis.

54. Episcopus nudabit caput bireto, assurget et salutabit Crucem a Subdiacono sustentam. Diaconus cum clericis conficient respective reverentiam aut genuflexionem ad Episcopum et discedent de Presbyterio. Chorus sedebit post sacrorum Ministrorum discessum de presbyterio.

55. Anteibit thuriferarius, et a sinistris eius incedet clericus unus, deinde Subdiaconus gestans Crucem, post eum incedet Diaconus comitantibus reliquis duobus clericis.

56. In aditu presbyterii claviger unus aderit, qui Ministros cum clericis ducet in Sacrarium.

57. Quum in Sacrarium pervenerint Ministri cum clericis supradictis, clericus ille qui coibat cum thuriferario, accipiet lancem cum granis incensi, alter laternam, et accendet lumen ex igne thuribuli, tertius arundinem, quam tradet Diacono, eique assistet, adiuvans in inclinando arundinem ipsam, si necesse fuerit.

58. Quum omnia disposita erunt, proficiscentur ad portam primariam: praeibit claviger, deinde thuriferarius a dextris clerici, qui sustinebit grana, tum Subdiaconus cum Cruce, postremo Diaconus gestans arundinem, adstante eius dexterae clerico adiutore, ut supra, et a sinistris clerico cum lumine intra laternam ardenti et cum gossipio cerato ad accendendas arundinis candelas.

59. Ubi pervenerint hoc ordine ad portam primariam ecclesiae, convertentur versus Altare maius ibique in limine consistent.

60. Diaconus inclinabit arundinem; in promptu erit clericus cum gossipio cerato et accendet unam ex tribus candelis. Diaconus rursus eriget arundinem et omnes in genua procumbent, excepto Subdiacono, qui gestat Crucem. Diaconus tono praescripto cantabit *Lumen Christi*; Chorus respondebit *Deo gratias*. Omnes de genuflexione assurgent et Diaconus cum ceteris procedet in mediam ecclesiam.

61. Quando Episcopus, Celebrans et Clerus in choro audient Diaconum, cantantem *Lumen Christi*, consurgent omnes et responso, ut supra, *Deo gratias*, iterum sedebunt,

62. In media ecclesia accendetur altera candela, ut prima, et a Diacono cantabitur *Lumen Christi*, vocem elevando hemitonio. Tertia candela accendetur ante Altare et Diaconus vocem efferet altero hemitonio, cantans *Lumen Christi*.

63. Apud thronum praesto erit Cappellanus a libro cum Missali, ex quo Episcopus leget benedictionem Diacono donandam.

64. Quum ante Altare ventum erit, Diaconus arundinem relinquet clerico, qui astiterit ipsi, et Subdiaconus simul cum thuriferario et duobus clericis ab arundine et a granis procedent ad legile praeparatum prope Cereum pro cantu Praeconii.

65. Subdiaconus consistet a dextra legilis, clericus cum arundine a sinistra, thuriferarius prope Subdiaconum et clericus cum granis prope clericum ab arundine.

66. Diaconus librum *Exultet* seu Praeconii accipiet a Caeremoniario, qui cum debitis ad Altare reverentiis vel genuflexionibus, comitabitur illum ante gradus throni. Diaconus ibi geniculabit, vel profunde inclinabitur si fuerit Canonicus, et benedictionem petet ab Episcopo, dicens *Iube, Domne, benedicere.* Episcopus respondebit *Dominus sit* etc. eique benedictionem donabit, legens formulam ex Missali.

67. Diaconus, accepta benedictione, assurget et reverentia aut genuflexione facta ad Episcopum, accedet ad legile praeparatum apud Cereum, librum legili superponet et aperiet, accipiet a Caeremoniario thuribulum et librum adolebit in medio, a dextris et a sinistris suis.

68. Episcopus, quum ad legile pervenerit Diaconus, caput nudabit, assurget, et Chorus cum eo.

69. Celebrans nudabit caput, ascendet a latere ad Altare in latus Epistolae et iunctis manibus convertetur ad Diaconum, ut in cantu Evangelii.

70. Diaconus, thurificato libro, thuribulum restituet Caeremoniario vel thuriferario, et iunctis manibus non signans librum nec seipsum, incipiet cantum *Exultet* quo modo notatum est in Missali.

71. Thuriferarius, libro a Diacono thurificato, referet thuribulum in Sacrarium et redibit prope Subdiaconum.

72. Cantatis a Diacono verbis *Curvat imperia*, sedebunt Episcopus, et Chorus. Celebrans manebit ad Altare.

73. Diaconus grana Cereo infiget ordine tradito capitulo praecedenti.

74. Qui clericus sustinebat grana, perget ad abacum ibique deponet lancem et revertetur ad legile, amoturus ipsum cum libro post cantum *Exultet.*

75. Quando Diaconus resumet cantum ad verba *In huius igitur noctis gratia* etc. omnes consurgent capite nudato.

76. Post haec accendentur lampades et peragentur om-

nia ea quae notata sunt num. 84. et seqq. cap. XX. libri huius (*a*).

77. Absoluto cantu Praeconii, sedebit Chorus, ut antea; Diaconus librum claudet ac relinquet super legili. Clericus unus referet librum ad abacum et legile ponet seorsim. Subdiaconus tradet Crucem clerico, qui suo loco illam reponet. Celebrans, facta ad Crucem reverentia, descendet a latere de Altari et revertetur ad scamnum.

78. In promptu erunt clerici ministraturi paramenta Celebrantis et Ministrorum.

79. Diaconus et Subdiaconus iunctim conficient genuflexionem aut reverentiam ad Episcopum, dein ad Altare et accedent ad scamnum ubi aderit Celebrans. Ibi, adiuvantibus clericis, Celebrans dimittet pluviale et induet manipulum ac planetam, Diaconus deponet paramenta albi coloris, et induet stolam, planetam plicatam et manipulum violaceum.

80. Clericus aliquis advertet ut ponat super Altare in latere Epistolae Missale cum cussino seu legili pro Celebrante.

81. Quum Celebrans et Ministri parati fuerint, ut supra traditum est, redibunt a latere ad Altare in cornu Epistolae, ubi Celebrans et Ministri consistent eodem modo, quo in introitu Missarum solemnium.

82. Dum Celebrans et Diaconus exuent paramenta, et alia assument, ut supra dictum est, clericus unus ponet in medio choro seu presbyterio ante Altare legile nudum et super ipso librum prophetiarum.

83. Eodem tempore Caeremoniarius chori vel clericus huic rei delegatus invitabit cantorem primae prophetiae, advertens ut eum invitet modica salutatione et deducat in medium chorum seu presbyterium, dum Celebrans cum Ministris redibit ad Altare. Cantor et Caeremoniarius ad legile quum venerint, genuflexionem ad Altare et ad Episcopum conficient. Deinde cantor incipiet prophetiam cantare tono praescripto (*b*).

(*a*) Quoad orationem *pro Romano imperio* recole quae notavimus lib. II. cap. XXVII. num 50.

(*b*) Cantores prophetiarum induere debent superpellicium, ut num. 114. cap. praeced. innuimus.

84. Celebrans, ubi inchoabitur cantus prophetiae, leget eam totam submissa voce, idque faciet etiam in reliquis; tractum quoque leget post quartam, octavam et undecimam.

85. Quod spectat ad eos, qui cantare prophetias debebunt, observetur quod traditum est num. 115. capituli praecedentis.

86. Celebrans postquam legerit prophetiam, si multum aberit ut cantus ipsius compleatur, poterit cum Ministris pergere ad scamnum et sedere; ad Altare autem revertetur, quum absolutus erit cantus; idque ei facere licebit ut in ista, ita in reliquis sequentibus.

87. Cantor post cantatam Prophetiam, discedet de legili, genuflexionem faciet ad Altare, veniet ad Episcopum et priusquam ascendat ad thronum, genuflectet ante eum, ad thronum ascendet, genibus flexis osculabitur manum Episcopi, de throno descendet, genuflexionem ante Episcopum, dein ad Altare faciet, redibit ad locum suum, ibique salutabit Caeremoniarium, a quo comitatus fuerit.

88. Veniente ad thronum cantore, consurgent Diaconi assistentes.

89. Caeremoniarius Episcopi advertet, ut super gradulum cathedrae ponat pulvinum pro genuflexionibus ab Episcopo peragendis et post genuflexiones illum removeat.

90. Curabitur, ut *Oremus* cantetur quando cantor de throno revertens, aderit ante Altare, ut genuflexionem cum ceteris conficiat, ne genuflexiones sine necessitate multiplicentur. Id intelligi volumus, quum non cantatur tractus post prophetiam, siquidem si cantabitur, locus huic monito non est.

91. Episcopus assurget et chorus omnis cum eo.

92. Celebrans cantabit *Oremus*, Diaconus *Flectamus genua* omnesque genuflectent, excepto Celebrante, qui stabit, Subdiaconus cantabit *Levate* et omnes consurgent. Celebrans tono feriali et manibus expansis cantabit orationem.

93. Dum cantabitur oratio, deducetur ad legile cantor prophetiae secundae, qui cantum inchoabit statim ac sederit Episcopus. Eodem modo fiet in reliquis, ut in prima, etiam quoad osculandam manum Episcopi.

94. Cantata oratione, sedebit Episcopus et ceteri omnes cum ipso.

95. Absoluto cantu quartae, octavae et undecimae prophetiae, postquam cantor manum Episcopi osculatus erit, se sistet Episcopo Cappellanus a libro cum Missali, ex quo ipse Episcopus leget tractum respectivum, qui cantabitur a cantorum choro.

96. Monebitur debito tempore Diaconus, ne cantet *Flectamus genua* post duodecimam.

97. Quando cantabitur prophetia ultima, in promptu stabunt clericus unus amoturus legile cum libro positum in medio presbyterio pro cantu prophetiarum; clerici recepturi paramenta Celebrantis; unus delaturus pluviale; alter qui Missale Celebrantis accipiat in usum ipsius in benedictione fontis; duo insuper qui Cereum de candelabro educant. Acolythus unus curam geret accendendi candelas in candelabris Acolythorum.

98. Sub finem eiusdem prophetiae aderunt cantores prope ingressum Presbyterii cum libro seu libris ad cantandum tractum *Sicut cervus desiderat* in accessu ad fontem.

99. Cantata prophetia duodecima et oratione respondente sedebit Episcopus et Clerus.

100. Celebrans cum Ministris reverentiam conficient ad Crucem quo loco erunt, et a latere de Altari descendent ad scamnum sibi praeparatum.

101. Celebrans et Ministri, adiuvantibus clericis, dimittent ille planetam et manipulum ac resumet pluviale, isti autem manipulum dimittent.

102. Clericus unus accipiet Crucem processionalem et coibit cum Acolythis, qui deferent candelabra cum candelis ardentibus, et procedent ante thronum. Episcopus detrahet capiti biretum, assurget, salutabit Crucem et rursus sedebit, donec nunciabitur ei, ut proficiscatur in processionem.

103. Diaconi duo assistentes salutabunt Episcopum et se recipient ad subsellia sua, coituri cum ceteris Canonicis in processionem.

104. Ordinabitur processio, quae ad Baptisterium dirigetur ordine sequenti:

105. Clavigeri, seu claviger ecclesiae. Clericus qui deferet Cereum paschalem. Clericus qui gestabit Crucem processionalem medius inter Acolythos sustinentes candelabra, candelis ardentibus. Cantorum chorus, qui egrediens de presbyterio cantabit tractum *Sicut cervus* etc. Clerici Seminarii. Mansionarii seu Beneficiarii. Canonici, bini. Dignitates, ut supra. Clericus qui sustinebit Missale Celebrantis. Celebrans medius inter Diaconum et Subdiaconum, qui fimbrias pluvialis eius attollent et incedent capite bireto cooperto. Episcopus, cui suus Caeremoniarius assistet, sequente nobili eius familia. Celebrans advertet, ut priusquam locum sumat in processione, Episcopum salutet.

106. Si Ordinarius fuerit Metropolitanus, deferetur Cereus et Crux inter Acolythos ante Canonicos, imagine Crucifixi ad Archiepiscopum conversa.

107. Clero, Celebrante et Episcopo de Altari profectis, Sacrista adiuvantibus inservientibus suis, efficiet ut tollantur de throno conopoea et panni serici violacei, iubebit amoveri tapeta violacea de gradibus Altaris et throni, ac si difficile esset asportare Litaniarum tempore, iubebit removeri etiam pallium violaceum, extinctis tamen cereis Altaris. Iubebit etiam ante Altare faldistorium reponi cum pulvinis violaceis pro Episcopo et a sinistra faldistorii collocari scabellum aequale scabellis throni, in quo geniculabit Celebrans: curae ipsi quoque erit, ut praeparetur scabellum simile cum Missali in presbyterio pro cantoribus, qui Litanias cantabunt, ac tollet ex abacis vela violacea et omnia reliqua, quibus non erit amplius opus. Disponet etiam super Altare paramenta albi coloris et mitras Episcopi.

108. Quum ad baptisterium pervenerit processio, clericus cum Cereo et ceteri cum Cruce cumque candelabris consistent extra ingressum a sinistra. Canonici locum sument apud scamna ibi disposita eorum commoditati: ceteri de Clero disponentur aut intra aut extra sacellum idem, iuxta amplitudinem loci.

109. Celebrans cum Ministris subsistet extra fontem et a dextris eius ad lineam stabit Episcopus. Caput nudabunt Episcopus, Celebrans et Ministri: Celebrans ex Missali, quod su-

stinebit clericus, tono feriali et iunctis manibus cantabit *Dominus vobiscum* et orationem *Omnipotens sempiterne Deus*, *respice propitius* etc.

110. Recitata oratione, Episcopus procedet ad locum sibi praeparatum, qui si fuerit ad instar exigui throni, accedent illuc etiam Diaconi assistentes.

111. Deinde Crux, et Acolythi ingredientur intra septum fontis baptismalis et consistent a dextris vel a sinistris, ne tamen convertant humeros ad Episcopum. Clericus cum Cereo se sistet versus dexteram Celebrantis, advertens et ipse ne tergum convertat ad Episcopum.

112. Celebrans cum Ministris intrabit in septum Fontis et consistet ante ipsum. Clericus cum libro adstabit ei a sinistris.

113. Episcopus et Clerus stabunt in pedes,

114. Celebrans iunctis manibus ac tono feriali cantabit *Dominus vobiscum* et orationem *Omnipotens sempiterne Deus*, *adesto* etc.

115. In Fontis benedictione nulla occurrit variatio; quapropter observentur quae tradita sunt cap. XX. num. 144. et seqq. libri huius.

116. Praefatione completa, Celebrans cum Ministris sessum pergent ad scamnum sibi praeparatum, itemque sedebunt Episcopus et Clerus.

117. Clericus unus aquam sanctam ex fonte hauriet vasculo et accipiet aspersorium.

118. Dignior Cleri aut Parochus vel alius quisquis, cuius erit munus aspergere populum aqua benedicta, accedet ad abacum, sibi collo imponet stolam violaceam, se adiunget clerico sustinenti vasculum cum aqua sancta et aspersorium seque sistet Episcopo.

119. Episcopus nudabit caput, assurget cumque ipso ceteri omnes, et praedictus dignior tradet Episcopo aspersorium, osculans manum eius.

120. Episcopus, accepto aspersorio, signabit seipsum, deinde asperget eum, a quo aspersorium acceperit, tum Diaconos assistentes, si aderunt. Aspersorium restituet eidem digniori, qui recipiet illud cum osculis, salutabit Episcopum et discedet ab ipso. Episcopus sedebit et cum eo Diaconi assistentes.

121. Supradictus dignior procedet ad Celebrantem, cui porriget aspersorium. Celebrans prius signabit seipsum, deinde asperget Diaconum et Subdiaconum, qui si fuerint Canonici, aspersionem accipient cum reverentia profunda; sin minus, genuflectent. Celebrans restituet aspersorium eidem, de quo supra, qui salutatione facta, discedet ab eo. Celebrans cum Ministris suis sedebunt et caput bireto cooperient.

122. Dignior antedictus veniet ante Canonicos et singulos asperget, inclinationem ante et post peragens unicuique. Postea asperget reliquum Cleri: incedens postremo per ecclesiam asperget populum aqua benedicta.

123. Canonici postquam aspersi fuerint, sedebunt, itemque ceteri de Clero, si utentur scamnis.

124. Hoc tempore a clericis delectis extrahetur aqua de Fonte, quam reponent in vasa, ut superius innutum est, et implebunt conchas marmoreas ante portas ecclesiae.

125. Reverso ad fontem digniore, qui aspersionem aquae benedictae peregerit super populum, Celebrans cum Ministris caput nudabunt et simul procedent ad Fontem. Assurget etiam Episcopus et cum eo ceteri, qui sedebant.

126. Celebrans Olea sacra in aquam baptismalem infundet, ut cap. XX. num. 166. et seqq.

127. Postquam Celebrans Olea sacra infuderit et dextera miscuerit, accedet ad abacum et manus lavabit medulla panis et mali medici, quam ei clericus unus ministrabit.

128. Dirigetur deinde processio ad Altare maius eodem ordine, ac supra.

129. Processione ad Altare maius perveniente, qui clericus deferet Cereum, adiuvante clerico altero, reponet illum super candelabrum, advertens ut grana versa sint ad Episcopum: tolletur scabellum gradatum, qui applicitum fuerit candelabro: Acolythi candelabra reponent super abacum. ardentibus candelis: Crucifer restituet Crucem in sua basi: duo cantores qui Litanias cantare debebunt, locum sument apud scabellum, in quo praeparatum erit Missale: clerici tres consistent a sinistra scabelli Celebrantis recepturi paramenta eius et Ministrorum: ceteri de Clero se recipient ad subsellia sua:

Celebrans consistet in pedes ad scabellum sibi praeparatum a sinistra faldistorii, quo quum venerit una cum Ministris, hi dimittent planetas plicatas, et ipse exuet pluviale, quae paramenta a clericis antedictis referentur in Sacrarium: Celebrans geniculabit ad scabellum et Ministri in genua procumbent a tergo eius: Episcopus genuflectet in faldistorio et duo Diaconi assistentes geniculabunt post eum.

130. Genuflexo Episcopo, Celebrante et cum ipsis Choro, praedicti duo cantores incipient cantare Litanias, quae ritu duplici cantantur, videlicet integer versiculus a cantoribus cantatus repetetur a Choro.

131. Post versiculum *Omnes Sancti et Sanctae Dei* poterunt paramenta Episcopi distribui clericis, qui deferent ea per latus Evangelii ad faldistorium, in quo genuflexus erit Episcopus. Cappellani a mitra et a baculo curam gerent accipiendi quae sunt officii sui. Cubicularius Episcopi aderit prope Diaconos assistentes, recepturus cappam episcopalem.

132. In promptu etiam stabunt Acolythi accensuri cereos Altaris, alteros ad tribunam et candelam scotulae in usum Episcopi.

133. Aderunt clerici ad tollendum faldistorium, quando assurget Episcopus, et substituendos violaceis pulvinos albi coloris.

134. Statim ac cantabitur versiculus *Peccatores*, Celebrans cum Ministris consurgent et ad scamnum suum dimittent violacea paramenta et assument albi coloris. Id quidem fieri posset in Sacrario, si proximum esset Altari maiori. Hoc autem casu accedentes ad Sacrarium cooperient caput bireto eosque antecedent clerici duo.

135. Assurget etiam Episcopus, genibus flexis manente Choro, et removebitur faldistorium, in quo prostratus erat Episcopus.

136. Acolythi accendent cereos Altaris et Presbyterii, ut supra, et amovebitur pallium violaceum, relicto altero albi coloris.

137. Litaniarum duo supradicti cantores advertent ut eas cantent cum maiori minorive pausa, prout necesse erit, ut Episcopus in fine illarum sit paratus.

138. Assurgens, ut supra, Episcopus cappam dimittet adiuvantibus Diaconis assistentibus et Cubiculario, qui meminerit expedire extremitatem posteriorem vestis episcopalis, postea vero deferet cappam in Sacrarium: deinde Diaconi assistentes induent Episcopum amictu, alba, cingulo, Cruce pectorali, stola et pluviali albo, cui apponetur formale pretiosum, et primus Diaconus imponet ei mitram pretiosam.

139. Celebrans cum Ministris de loco, quo vestes sacras induerint, accedent ad Episcopum, et quum Celebrans constiterit a sinistris eius inchoaturus Sacrum, Diaconus secundus assistens mitram tollet Episcopo.

140. Sacrum celebrabitur ritu praescripto cap. XIII. lib. V. cum animadversionibus quae sequuntur.

141. A cantorum choro cantabitur *Kyrie* cantu firmo, tono feriali et pausatim, ac si opus fuerit, repetetur usque ad intonationem *Gloria in excelsis*.

142. Circulus fiet a Canonicis ad *Kyrie, Gloria* et *Sanctus*, ut in aliis Missis.

143. Ad intonationem hymni *Gloria in excelsis*, detegentur imagines, quae hactenus coopertae fuerint, sonabitur organis et festivo more omnibus ecclesiae campanis, quod erit signum reliquis loci ecclesiis, ut pulsentur campanae. Sonabitur etiam aliquandiu campanulis in ecclesia, ad fores Sacrarii.

144. Quum parum aberit, ut a cantoribus compleatur cantus *Gloria in excelsis*, dimidia pars Chori tum Canonici cum Beneficiarii, dimittent cappas cum pellibus et induent superpelliceum vel alteram cappam cum serico et revertentur in chorum statim ac nunciabitur Episcopo *Alleluia*. Tunc discedet alterum dimidium Chori ad immutandas cappas, ut fecerint primi, itemque proficiscentur e throno Diaconi assistentes et in locum eorum succedent ultimi duo Diaconi, qui recedent quando praedicti Diaconi redibunt.

145. Caeremoniarius, qui Subdiaconum comitabitur ad cantum Epistolae, meminerit secum ferre formulam ad annunciandum *Alleluia*.

146. Celebrans leget Epistolam tantum, quando ea cantabitur a Subdiacono; versiculum cum tractu leget postquam cantaverit *Alleluia*.

147. Subdiaconus, cantata Epistola et genuflexione aut reverentia facta ad Altare, subsistet ante thronum, non tamen deponens Epistolarium: reverentiam faciet aut genuflexionem ante Episcopum et priusquam ascendat ad osculandam manum eius, cantabit elata voce « Reverendissime Pater, annuntio vobis gaudium magnum, quod est *Alleluia* ». Tum ascendet ad thronum, osculabitur manum Episcopi, qui benedictionem ei donabit, et revertetur ad Altare.

148. Episcopus, statim ac de throno discesserit Subdiaconus, assurget et Celebrans tribus vicibus cantabit *Alleluia*, ut notatum est in Missali, vocem attollens hemitonio in singulis vicibus, quod faciet cantorum chorus in respondendo.

149. Postquam chorus responderit *Alleluia* tertia vice, Episcopus sedebit et ex Missali, quod ei praesentabit Cappellanus a libro, leget Epistolam et reliqua, ut in aliis Missis.

150. Ad Evangelium Acolythi sine candelabris assistent iunctis manibus.

151. Ad Offertorium deest versiculus a Celebrante et Episcopo legendus.

152. *Agnus Dei* non recitatur, ideoque omittitur circulus et donatio Pacis.

153. Quum Celebrans consummaverit Calicem, sedebit Episcopus et a primo Diacono cooperietur mitra auriphrygiata: Presbyter assistens discedet de stallo suo, salutabit Crucem Altaris, deinde Episcopum, quum steterit ante thronum, ascendet ad thronum et veniet ad scabellum assistentiae.

154. Se sistent Episcopo Cappellani cum scotula et libro, ex quo ille leget antiphonam *Alleluia* cum psalmo *Laudate Dominum* etc. pro Vesperis, una cum Assistentibus, qui stabunt in pedes.

155. Celebrans postquam ablutionem sumpserit, in latere Epistolae recitabit antiphonam et psalmum supra dictum.

156. A cantorum choro cantabitur antiphona et psalmus post Consummationem, ut supra.

157. In promptu erit thuriferarius cum thuribulo.

158. Cantato a choro psalmo antedicto et repetita etiam

antiphona, Celebrans intonabit antiphonam *Vespere autem Sabbati*, quam chorus cantorum prosequetur.

159. Celebrans post intonationem antiphonae veniet in medium Altaris, a dextris eius adstante Diacono, a sinistris Subdiacono.

160. Ad intonationem antiphonae assurget Episcopus, mitram capite gestans, et Chorus omnis capite nudato.

161. Antiphona intonata, sedebunt Episcopus et Chorus. Presbyter assistens accedet ad Episcopi dextram eique cum osculis ministrabit incensum, quod Episcopus imponet in thuribulum cum benedictione usitata. Thuriferarius, postquam Episcopus incensum in thuribulum imposuerit, procedet ad Altare.

162. Absoluto cantu antiphonae, Diaconus secundus assistens mitram tollet Episcopo, qui assurget et cum ipso etiam Chorus. Episcopus baculum iunctis manibus continebit, quandiu durabit cantus *Magnificat*. Cappellanus a mitra accipiet ex Altari mitram pretiosam ibique deponet auriphrygiatam.

163. Cantores apud legile intonabunt *Magnificat*, quando assurget Episcopus.

164. Thuriferarius thuribulum tradet Diacono, hic Celebranti, qui thurificabit Altare, et Diaconus cum Subdiacono attollent eius planetam.

165. Caeremoniarius vel unus ex Acolythis amovebit ab Altari Missale cum cussino propter thurificationem Altaris.

166. Peracta Altaris thurificatione, Celebrans tradet thuribulum Diacono, a quo incensabitur duplici ductu, postea Diaconus accedet ad thronum.

167. Celebrans postquam incensatus erit in latere Epistolae, ut in introitu Missae, convertetur ad Missale ibique restabit, prope dexteram eius adstante Subdiacono.

168. Approximante ad thronum Diacono, Episcopus baculum dimittet, sedebit, a primo Diacono assistente imponetur ei mitra pretiosa et assurget.

169. Presbyter assistens de throno descendet, accipiet a Diacono thuribulum, triplici ductu adolebit Episcopum, deinde iterum ascendet ad thronum et consistet ad scabellum suum.

170. Episcopus postquam thurificationem acceperit, sedebit, Diaconus secundus assistens ei tollet mitram, rursus assurget, recipiet baculum et stare perget dum cantabitur *Magnificat* ex toto.

171. Diaconus adolebit Assistentes throno, Chorum et reliquos, ut cap. V. lib. I.

172. Cantores advertent, ut protrahant cantum *Magnificat* sonantibus organis, donec in totum absoluta sit Chori thurificatio.

173. Cantato *Gloria Patri*, sedebunt Episcopus et Chorus: primus Diaconus assistens reponet Episcopo mitram pretiosam: Celebrans cum Ministris stans manebit ad Altare.

174. Presbyter assistens, cantato ut supra *Gloria Patri*, reverebitur Episcopum, descendet a latere de throno et se recipiet ad subsellium suum, functus iam officio assistentiae.

175. Antiphona sive a cantoribus sive organis repetita, Diaconus secundus assistens mitram tollet Episcopo, qui assurget, et Chorus cum eo.

176. Celebrans veniet ad medium Altaris, sequentibus a tergo Diacono et Subdiacono, cantabit *Dominus vobiscum* et *Postcommunio*, ut in aliis Missis.

177. A Diacono ad *Ite Missa est* bis adiicietur *Alleluia*, itemque a cantoribus in responsione.

178. Benedictio donabitur ab Episcopo, publicabitur indulgentia, complebitur Sacrum, et Celebrans cum Ministris, praecedentibus Acolythis candelabra gestantibus, revertentur in Sacrarium, sacras vestes dimissuri.

179. Si referendum in ecclesiam erit SS. Sacramentum, fiet id hoc tempore a Sacrista, vel etiam quando canentur Vesperae et advertetur ut praeparetur faldistorium cum pulvinis albis vel stratum cum pulvinis in genuflexorio, quo utetur Episcopus in adoratione SS. Sacramenti.

180. Profecto cum Ministris Celebrante, clerici ad thronum accedent recepturi paramenta Episcopi, quae referent super Altare et Diaconi assistentes exuent Episcopum.

181. Cubicularius advertet imponere Episcopo cappam cum serico rubini coloris sine pellibus.

182. Postremo Episcopus de throno descendet, brevi orabit ante Altare maius, adorabit SS. Sacramentum in suo Altari, si relatum in ecclesia fuerit, seque recipiet ad aedes suas, associatus a Clero ordine consueto. Abeunte de ecclesia Episcopo, sonabunt organa et sacra aera turris.

DE ORDINATIONE PRIVATA IN SABBATO SANCTO.

CAPUT XXIII.

1. Ordinationem habere licet in Sabbatis quatuor Temporum, in Sabbato ante Dominicam Passionis, appellato *Sitientes* et in Sabbato Sancto. Si qua de caussa extraordinaria nequiret Episcopus ordinationem conferre in Missa solemni de Sabbato Sancto, licebit hanc actionem peragere privatim in Sacello suo.

2. Porro, quum agatur de functione, quae celèbrari potest casu tantum exceptitio, innuemus principalia solummodo observanda, de reliquo delegantes lectorem ad ea quae tradita sunt respectivis praecedentibus capitulis.

De rebus praeparandis.

3. Altare instruetur tobaleis, quatuor aut sex candelabris cum cereis albis et Cruce detecta, imagine tantum cooperta velo violaceo tollendo in Missa, ut docebitur inferius. Apponetur duplex pallium, violaceum videlicet super album. Cooperientur tapeto gradus Altaris ac tapeto etiam sternetur planum Sacelli propter prostrationem Ordinandorum.

4. Super mensam Altaris disponentur in medio paramenta episcopalia, quae sunt planeta, chirothecae in pelvicula, dalmatica, tunicella et stola albi coloris, quae omnia cooperientur velo violaceo et superponentur eis paramenta coloris vio-

lacei, nempe manipulus, planeta, chirothecae in lance, dalmatica, tunicella, stola, Crux pectoralis, cingulum, alba et amictus, quae contegentur pariter velo violaceo. Si fuerit Metropolitanus, praeparabitur etiam sacrum Pallium cum tribus spinulis. In latere Evangelii ponetur mitra auriphrygiata cum vimpa pro Cappellano, in latere autem Epistolae cussinus violaceus, vel legile cum Missali aperto.

5. In latere Epistolae collocabitur ante gradus faldistorium cum tegumento violaceo, cui suppositum erit alterum albi coloris, et in medio gradus infimi ponetur pulvinus, in quo genuflectet Episcopus. Prope idem latus Epistolae aderit baculus pastoralis.

6. Super abacum alba tobalea contectum disponentur res sequentes: caligae et sandalia albi coloris; cussinus albus pro Missali; Evangeliarium cum veste alba et intra ipsum, manipulus albi coloris pro Episcopo; urceus cum pelvi et mantilia in lance; Calix cum purificatorio, patena, hostia et palla, bursa albi coloris cum corporali; pixis cum particulis consecrandis, numero sufficienti Ordinandis; gremiale albi coloris pro Episcopo, simile paramentis; tobalea alba extendenda ante communicandos; mitra pretiosa; scotula cum candela extincta; canon pontificalis; ampullae vini et aquae in pelvicula; campanula; duo intorticia pro Elevatione et medulla panis ac mali medici in lance.

7. In abaco altero disponentur quae opus sunt ad ordinationem peragendam, ut innuimus num. 29. cap. XX. huiusce libri, exceptis rebus iis, quae Cerei benedictioni inserviunt.

8. In aliquo cubiculo proximo Sacello disponentur paramenta albi coloris pro Ordinandis, ut num. 42. supra citati capituli.

De functione

9. Ordinandi in Episcopium congregabuntur hora praestituta; ad nutum Caeremoniarii unusquisque sibi induet sacras vestes respectivas, tum intrabunt in Sacellum et locum quisque sibi attributum occupabit. Aderit Archidiaconus, qui ordinandos appellabit, Tabularius cum elencho sive indice ordi-

nandorum et nonnulli clerici Episcopo et ordinandis inservientes. Aequum etiam esset, ut Episcopus binis Canonicis assistentibus uteretur.

10. Episcopus indutus habitu praelaticio, rocheto et mozzeta veniet in Sacellum, ac si fuerit Metropolitanus, praecedet eum Crux archiepiscopalis a cappellano suo gestata.

11. Ante Altare quum steterit, reverebitur Crucem, geniculabit in pulvino, brevi tempore orabit, assurget, reverentiam Cruci iterabit et sedebit in faldistorio.

12. Leget psalmos et preces ad praeparationem et orationes ad paramenta; in fine autem psalmorum adiunget *Gloria Patri*. Hoc ipso tempore a suo cubiculario imponentur ei caligae et sandalia albi coloris.

13. Praeparatione peracta, dimittet mozzetam et annulum, lavabit manus, deinde a Canonicis, qui assistent ei, induetur paramentis violaceis, videlicet amictu, alba, cingulo, Cruce pectorali, stola, tunicella, dalmatica, chirothecis, planeta et manipulo, cooperietur mitra auriphrygiata ac postremo annulus digito inseretur.

14. Baculum sinistra accipiet, surget de faldistorio et procedet ante Altare, ubi baculum dimittet et mitra nudabitur.

15. Ascendet ad Altare, quod osculabitur in medio, transibit in cornu Epistolae et ex Missali ibi posito leget prophetias, et orationes apertis manibus recitabit. Leget etiam tractum quando in Missali notabitur, nempe post IV. VIII et XI prophetiam.

16. Post lectionem prophetiarum et recitationem orationum, iterabit reverentiam ad Crucem, rursus cooperietur mitra, accipiet baculum sinistra et a latere de Altari descendet ad faldistorium. Sedebit in eo, dimittet baculum, nudabitur mitra et exuetur planeta ac manipulo; tum reponetur ei mitra.

17. Assurget de faldistorio, redibit ad Altare et geniculabit in pulvino ante faldistorium, quod statuetur in medio suppedaneo. Interim Archidiaconus invitabit ad Altare Ordinandos ordinibus maioribus, qui procumbent in faciem suam super pavimentum.

18. Episcopus in faldistorio genuflexus, ex Missali ibi

posito recitabit Litanias, ut in Missali, et ab adstantibus repetentur versiculi iidem, quos recitabit Episcopus.

19. Ad ℣. *Peccatores* amovebitur ab Altari pallium violaceum et apparebit alterum albi coloris, et clericus unus accendet cereos in candelabris Altaris et candelam scotulae.

20. Repetito ab adstantibus ℣. *Ut omnibus fidelibus* etc. assurget Episcopus, baculum sinistra accipiet, convertetur ad Ordinandos et benedicet eos, ut in Pontificali, videlicet *Ut hos Electos* etc. et adstantes respondebunt *Te rogamus* etc.

21. Dimittet baculum, geniculabit denuo, prosequetur Litanias ad ℣ *Ut nos exaudire digneris* usque ad integrum ℣. *Christe exaudi nos.*

22. Completis Litaniis, assurget et redibit ad faldistorium; quod exuetur veste violacea et reponetur quo loco prius erat, ibique sedebit. Ordinandi de prostratione consurgent.

23. Tolletur ei annulus, deinde mitra, chirothecae, dalmatica, tunicella et stola violacea atque induetur paramentis albi coloris, nempe stola, tunicella, dalmatica, chirothecis et planeta, cui superponetur s. Pallium cum tribus spinulis, si fuerit Archiepiscopus: postea cooperietur mitra pretiosa, reponetur ipsi annulus et sinistra recipiet baculum pastoralem.

24. Assurget de faldistorio, veniet ante altare, dimittet baculum, nudabitur mitra, reverebitur Crucem et Sacrum exordietur. In confessione recitabit psalmum *Iudica me Deus* etc. et postea *Indulgentiam* etc. Tunc eius brachio sinistro imponetur manipulus.

25. Dicto *Oremus*, ascendet ad Altare recitans orationem *Aufer* etc. Osculabitur altare in medio, deinde Evangeliarium; et stans in medio altaris immediate subiunget *Kyrie eleison.*

26. Faldistorium ponetur in medio altaris; Episcopus in eo sedebit et ordinabit clericos prima tonsura.

27. Post ordinationem assurget, amovebitur faldistorium, recitabit *Gloria in excelsis*, detegetur imago altaris et sonabitur campanula.

28. Recitato hymno angelico, reponetur faldistorium in medio altari et ab Episcopo procedetur ad ordinationem successivam quatuor Ordinum minorum.

29. Post Minorum ordinationem, surget, dicet *Pax vobis*, tum leget ex Missali orationem Missae *Deus, qui hanc sacratissimam noctem* etc. cui adiiciet orationem *Exaudi, quaesumus, Domine* etc. pro Ordinandis sub unica conclusione.

30. Recitatis orationibus praedictis, iterum sedebit in faldistorio, posito in medio altaris, et ordinabit Subdiaconos. Omittetur recitatio Litaniarum, quae recitatae sunt post prophetias.

31. Subdiaconis ordinatis, redibit ad Missale et leget Epistolam, post quam rursus sedebit in faldistorio et ordinabit Diaconos.

32. Peracta Diaconorum ordinatione, redibit ad Missale, recitabit tribus vicibus *Alleluia*: vocem aliquantulum attollens singulis vicibus, eodemque vocis sono respondetur illi ab astantibus. Postea leget tractum exclusive ad ultimum versiculum.

33. Rursus veniet ad faldistorium, in quo sedebit et ordinabit Presbyteros. Post eorum ordinationem redibit ad Missale et leget ultimum versum tractus, idest *Quoniam confirmata est* etc.

34. Dicet deinceps *Munda cor meum* etc. leget Evangelium, omittet *Credo*, dicet *Dominus vobiscum* et subiunget *Oremus* sine versiculo Offertorii, quia non dicitur in Missa huius diei.

35. Sedebit faldistorio in medio suppedaneo, cooperietur mitra pretiosa, excipiet oblationem candelae ab Ordinatis, dimittet annulum et chirothecas, lavabit manus, reponetur ipsi annulus et tolletur mitra, assurget, convertetur ad Altare et Missam cum novis Presbyteris recitabit.

36. In Missa huius diei omittitur *Agnus Dei* nec pax donatur. S. Eucharistiam ministrabit Ordinatis et postquam sumpserit ablutionem, iterum coopertus mitra pretiosa lavabit manus.

37. Dimissa deinde mitra, stans in latere Epistolae, recitabit ℟. *Iam non dicam vos servos* etc. et ordinationem Presbyterorum absolvet.

38. Post haec redibit ad Missale et cum suis assistentibus recitabit ant. *Alleluia* etc. psalmum *Laudate Dominum omnes gentes* etc. repetet antiphonam praedictam: tum subiunget antiphonam alteram *Vespere autem Sabbati* cum *Magnificat* et repetet antiphonam.

39. Veniet ad medium altaris, dicet *Dominus vobiscum* deinde Postcommunionem ad Missale; ac reversus ad medium altaris, dicet *Dominus vobiscum* et *Ite Missa est alleluia, alleluia.*

40. Coopertus deinde mitra pretiosa, benedictionem impertietur: si fuerit Archiepiscopus, non utetur mitra, et cappellanus sustinebit ei Crucem archiepiscopalem.

41. Sedebit faldistorio in medio suppedaneo altaris, coopertus mitra, et Ordinatos ultima vice admonebit.

42. Nudabitur mitra, assurget, convertetur ad Altare et recitabit Evangelium S. Ioannis. Si tamen fuerit Archiepiscopus, antequam incipiat Evangelium, dimittet s. Pallium.

43. Mitra coopertus et baculum sinistra sustinens, redibit ad faldistorium, quod collocatum erit ante gradus altaris in latere Epistolae, et facta debita ad altaris Crucem reverentia, sedebit in faldistorio, ubi sacris vestibus exuetur.

44. Ordinati de sacello discedent et sacras vestes alio loco dimittent.

45. Episcopo, sacris indumentis dimissis, reponetur mozzeta et a cubiculario detrahentur sandalia et caligae, ac reponentur calceamenta usualia, dum recitabit psalmos et preces in gratiarum actionem: antiphonae autem *Trium puerorum* adiiciet *Alleluia.*

46. Tum redibit ante altare, geniculabit in pulvino posito in medio gradu infimo altaris, brevi tempore orabit. Postremo assurgens et salutans Crucem recedet in diaetam suam.

DE PASCHATE
AC DE TEMPORE PASCHALI

CAP. XXIV.

1. Paschatis solemnitas est inter omnes solemnitates primaria, a S. Gregorio appellata « nobilitas anni, mensium lux, alma dierum; horarum splendor ».

2. Quapropter ecclesia, altaria, chorus exornentur nobiliter, ut in praecipuis solemnitatibus, exceptis porticu et fronte.

3. Matutinum cum Laudibus cantabitur solemniter ab Episcopo vel a digniore Cleri, cuius munus est supplere in diebus designatis ad officia pontificalia. Aequum etiam esset, ut cantaretur Matutinum ad auroram, in commemorationem Resurrectionis Christi qui illa hora resurrexit: consuetudo ista servabitur in iis cathedralibus, in quibus vigebit.

4. Episcopus autem post horam Tertiam celebrabit solemniter Missam pontificalem et post Missam solemnem ab ipso cantatam, impertietur benedictionem Papalem.

5. Vesperas cantabit Episcopus solemniter cum Clero parato, ritu praescripto pro Vesperis primis, quum postridie cantaturus est Missam.

6. Antiphona *Haec dies* sive ad Vesperas, sive ad Laudes, a Subdiacono vel ab alio, ad quem spectat, praecinetur Episcopo, qui dimissa mitra, assurget, intonabit illam et perstabit in pedes dum cantabitur ipsa, quae in officio horum dierum locum obtinet capituli et hymni.

7. Si qua de gravi caussa nequiret Episcopus cantare Missam, non omittet tamen assistere Missae solemni paratus pluviali: hoc autem casu non impertietur benedictionem Papalem, et ante Missam solemnem fiet aspersio aquae benedictae, ritu praescripto cap. XIX. lib. V. utendo hac die aqua pridie benedicta in fonte baptismali et ad hunc finem extracta ante sacrorum Oleorum infusionem.

8. In duobus subsequentibus festis Episcopus assistet Missae solemni paratus pluviali.

9. Cereus paschalis accendetur quomodo innutum est cap. XXVIII. lib. II. num. 10.

10. Ritus processionum in maioribus minoribusque Litaniis, quae semper incidunt in tempus paschale, descriptus est duobus separatis capitulis. Conveniens autem esset, ut Episcopus celebraret primam Litaniarum maiorum et assisteret primae Litaniarum minorum.

DE BENEDICTIONE SOLEMNI, SUMMI PONTIFICIS NOMINE, AB EPISCOPO IMPERTIENDA.

CAPUT XXV.

1. Clemens XIII. Pontifex Maximus, Constitutione - Inexhaustum Indulgentiarum thesaurum - edita die tertia Septembris an. 1762. facultates omnes donandi benedictionem nomine Summi Pontificis, a semet et a praedecessoribus suis concessas Episcopis aliisque ecclesiasticis Superioribus revocavit, atque decrevit, ut Patriarchae, Archiepiscopi et Episcopi bis in annum, videlicet in die Resurrectionis Dominicae et in altera tantum solemnitate ad libitum eorum, postquam Missam solemnem ritu pontificali celebraverint, et Abbates qui iurisdictione gaudent in territorio separato, in uno ex diebus statutis ad exercitium pontificalium, impertiantur benedictionem solemnem cum concessione Indulgentiae plenariae, nomine Summi Pontificis. Quam tamen facultatem petere debent quando electi sunt ad Ecclesiam, ipsorum curae commissam.

2. Ad hunc ritum persolvendum necesse est, ut animadvertatur ad ea, quae sequuntur.

3. Breve Pontificium, quo conceditur Episcopo facultas antedicta, iubebitur transcribi in bina exemplaria, quorum alterum erit latinum, eisdem verbis ac Breve, alterum erit Brevis eiusdem in vulgare idioma fidelis versio. Formula etiam concessionis Indulgentiae scribetur in pagellis duabus, latino sermone in una, vulgari in altera.

4. Praeterea super abacum praeparabitur liber maior cum formula benedictionis (*a*).

(*a*) In Pontificali Romano edito Romae anno 1848. volum. quarto extat appendix, in qua continetur absolutio donanda post homiliam et ritus benedictionis pontificalis in usum Episcoporum.

5. Curae erit Parochis id notum reddere populo, eumque monere quod ad lucrandam indulgentiam requiritur Confessio et Communio. Sic etiam necesse est ipsum monere, ne discedat de ecclesia nisi post benedictionem supradictam, quae distinguitur a benedictione Missae solemnis.

6. Deligentur ecclesiastici duo, voce sonora praediti, qui superpellicio induti prope ingressum presbyterii conversi ad populum, elata ac distincta voce Breve pontificium legant prius latino, postea vulgari idiomate.

7. Itaque completa Missa solemni, Episcopus redibit in thronum et in ipso sedebit. Si fuerit Archiepiscopus, non dimittet S. Pallium ad Altare, sed retinebit illud propter ritum peragendum. In throno Subdiaconus exuet ei manipulum, deinde Ministri revertentur ad scamnum suum prope Altare in latus Epistolae; Presbyter assistens se recipiet ad stallum suum in chorum, restantibus cum Episcopo Diaconis assistentibus tantummodo.

8. Sedente in throno Episcopo, ascendet illuc clericus afferens chirothecas, quae reponentur ei a praedictis Diaconis, annulus autem imponetur super chirothecam dexteram in digito annulari.

9. Duo supra nominati ecclesiastici cum debitis genuflexionibus accedent ad ingressum seu cancellos presbyterii, et aliquantulum conversi ad populum, primus ipsorum leget Breve Pontificium latinum, alter illius versionem in vernaculum sermonem, et completa lectione eius, redibunt ad locum suum.

10. In promptu erunt pagellae cum formula Indulgentiae, ut supra.

11. Post praedictam lectionem Brevis Pontificii, Diaconus secundus tollet mitram Episcopo, qui assurget et ex libro a Cappellano sustento leget formulam benedictionis, ut infra.

12. Assurgente Episcopo, Canonici assurgent et Praesules siqui aderunt: ceteri omnes adstantes in genua procumbent.

13. Formula autem, quam leget Episcopus iunctis manibus, sequens est:

Précibus et méritis Beátæ Maríæ semper Vírginis, beáti Michaélis Archángeli, beáti Joánnis Baptístæ et Sanctórum Apostolórum Petri et Pauli et ómnium Sanctórum. Misereátur vestri Omnípotens Deus et dimíssis peccátis vestris perdúcat vos Jesus Christus ad vitam ætérnam. ℟. Amen.

Indulgéntiam, absolutiónem et remissiónem ómnium peccatórum vestrórum, spátium veræ et fructuósæ pœniténtiæ, cor semper pœnitens et emendatiónem vitæ, perseverántiam in bonis opéribus tríbuat vobis omnípotens et misericors Dóminus. ℟. Amen.

14. Diaconus primus mitram reponet Episcopo, qui manus et oculos elevans ad coelum, dicet:

Et benedíctio Dei omnipoténtis - acceptoque sinistra baculo, prosequetur.

Pa ✠ tris et Fi ✠ lii et Spíritus ✠ Sancti descéndat super vos et máneat semper. ℟. Amen.

15. In benedictionis actu sonabitur omnibus ecclesiae campanis.

16. Si fuerit Archiepiscopus, Crux a Subdiacono afferetur ante thronum, et benedictionem impertietur mitra dimissa, reverentiam conficiens ad Crucem archiepiscopalem, antequam dicat *Patris* etc.

17. Benedictione largita, dimittet baculum, sedebit mitram gestans capite et omnes illi, qui genuflexerunt, consurgent.

18. Duo supradicti ecclesiastici, qui legerint Breve, vel duo Diaconi assistentes, unus post alium publicabunt formulam Indulgentiae, primus latino idiomate, alter vernaculo seu vulgari. Formula autem sequens est:

Atténtis facultátibus a Sanctíssimo in Christo Patre et Dómino nostro, Dómino N. divína providéntia Papa N. in enuntiátis líteris expréssis, datis Reverendíssimo Dómino N. Dei et Apostólicæ Sedis grátia huius Sanctæ N.

Ecclésiæ Antístiti, éadem Dominátio sua Reverendíssima, Summi Pontíficis nómine, dat et concédit ómnibus hic præséntibus pœniténtibus et conféssis, ac sacra Communióne reféctis, Indulgéntiam plenáriam in forma Ecclésiæ consuéta. Rogáte ígitur Deum pro felíci statu Sanctíssimi Dómini nostri Papæ, Dominatióni suæ Reverendíssimæ et Sanctæ Matris Ecclésiæ.

19. Notanda est variatio, quae in formulam Indulgentiarum incidere posset. Etenim si facultas Episcopo concessa fuisset a Summo Pontifice praedefuncto, dicetur in formula « Attentis facultatibus a sa: me: N. Papa N. in enunciatis literis etc. » Si Episcopus erit Cardinalis, dicetur « Eminentissimo ac Reverendissimo Domino N. tituli S. N. Presbytero Cardinali N. Dei et Apostolicae Sedis gratia etc. ». Sin autem fuerit Cardinalis Episcopus suburbicarius, variabitur formula « Eminentissimo et Reverendissimo Domino N. miseratione divina huius Sanctae Ecclesiae Episcopo N. Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali N. eadem Dominatio etc. ». Sic etiam in utroque casu titulus Eminentissimi deinceps addetur Reverendissimo.

20. Post benedictionem, recedent de throno duo Cappellani a libro et scotula ac redibunt eo duo sacri Ministri, sequentibus clericis recepturis sacra indumenta Episcopi, qui vestes sacras dimittet, ut in aliis officiis pontificalibus.

DE PROCESSIONE LITANIARUM MAIORUM
AB EPISCOPO CELEBRATA.

CAPUT XXVI.

De rebus praeparandis.

1. In Sacrario ecclesiae illius, in qua fiet Collecta, seu conventus Cleri, praeparabitur in medio faldistorium cum tegumento violaceo, collocatum super exiguo tapeto.

2. In Altari eiusdem Sacrarii, si aderit, secus in abaco distincto alba tobalea cooperto, disponentur paramenta episcopalia, quae sunt formale simplex, pluviale cum stola violacea, Crux pectoralis, cingulum, alba et amictus, quae contegentur velo coloris violacei. A latere abaci, sive Altaris, ponetur mitra auriphrygiata et prope abacum baculus pastoralis.

3. In eodem Sacrario praeparentur paramenta coloris violacei pro Canonicis Cathedralis, videlicet pluvialia pro Dignitatibus, planetae pro Presbyteris, dalmaticae pro Diaconis, tunicellae pro Subdiaconis et singulis paramentis suus erit amictus. Paramenta Diaconorum assistentium aderunt praeparata una cum ceteris.

4. Eodem in loco super alia mensa praeparabitur tunicella coloris violacei, cingulum, alba et amictus pro Subdiacono Crucem gestaturo, quatuor pluvialia pro Cappellanis a mitra, baculo, libro et scotula: candelabra duo cum candelis pro Acolythis: scotula: Rituale maioris formae in usum Episcopi cum veste violacea: vasculum aquae sanctae cum aspersorio.

5. Prope eamdem mensam aderit in promptu Crux processionalis.

6. In Altari maiore, ornato sex candelabris cum cereis et Cruce, pallio violaceo ac tapeto, praeparabitur medio presbyterio faldistorium cum pulvinis violaceis in usum Episcopi.

7. Item in presbyterio disponentur scamna contecta panno violaceo, ibique locum sument Canonici paramentis induti.

8. Ante altare SS. Sacramenti genuflexorium cum strato et pulvinis pro Episcopo.

9. Sin autem Collecta fieret in Cathedrali, Episcopus parabitur in throno, qui convestitus erit tegumentis violaceis: quare paramenta episcopalia disponentur super Altare, canonicalia autem in subselliis chori, ut in Vesperis pontificalibus assolet.

10. In eadem ecclesia praeparentur Cruces Regularium et Confraternitatum si processioni intervenient. Item aptabitur locus aliquis, quo decenter convenire possit Clerus et induere superpelliceum et alia insignia, quorum usu gaudebit.

11. In quibus ecclesiis statio fiet, Altare primarium ornandum est sex candelabris cum cereis et Cruce, pallio coloris violacei ac tapeto. Ante altare autem statuetur faldistorium cum pulvinis violaceis, in quo geniculabit Episcopus, et defectu faldistorii exiguum genuflexorium cum pulvinis et strato violacei coloris. Poterunt etiam praeparari scamna contecta pannis violaceis pro Canonicis paratis, praesertim si apud altare deesset balaustrium. In Sacrario habebitur in promptu vasculum aquae sanctae cum aspersorio, superpelliceum pro Superiore ecclesiae, et alterum pro clerico saltem uno, qui vasculum ei sustinebit.

12. In altera autem ecclesia, in qua finis processionis fiet, in promptu erunt omnia ea, quae opus sunt ad Missam solemnem, praesente Episcopo celebrandam, ut cap. XIV. lib. V. modo non esset commodius Missam cantare in Cathedrali: hoc enim casu, peracta processione, Episcopus cum Capitulo redibit ad Cathedralem ad Missam cantandam, ut infra.

In functione.

13. Hora praestituta Clerus tum saecularis, tum regularis congregabitur in ecclesiam designatam ad Collectam; Clerus autem saecularis induet insignia propria. Canonici Cathedralis Episcopum excipiendi caussa, induent habitum choralem.

14. Cum parum aberit, ut adveniat Episcopus accendentur cerei in Altari maiore et in Altari SS. Sacramenti. Superior ecclesiae induet superpelliceum, si fuerit Presbyter saecularis vel Clericus regularis, secus retinebit habitum religionis suae. Prope ipsum adstabit clericus cum vasculo aquae sanctae et cum aspersorio.

15. Interea se parabunt in Sacrario quatuor Cappellani a mitra, etc. assumentes pluviale, et parabitur etiam Subdiaconus gestaturus Crucem.

16. Cum perventurus erit Episcopus, sonabitur campanis festivo more, quamvis ecclesia exempta esset a iurisdictione episcopali, et Canonici Cathedralis ac Superior ecclesiae cum suo Clero procedent obviam Episcopo ipsi ad portam ecclesiae principalem.

17. Episcopus in limine ecclesiae dimittet mozzetam et assumet cappam. Superior ecclesiae, osculans manum eius, porriget ipsi aspersorium, et Episcopus aspersorio accepto signabit se ipsum atque asperget adstantes, ut cap. IV. lib. V.

18. Procedet Episcopus ad adorandum SS. Sacramentum, deinde transibit in Sacrarium.

19. Si capax non esset Sacrarium, praeparabitur faldistorium in latere Epistolae Altaris maioris ante gradus: super Altare autem disponentur paramenta Episcopi, qui poterit ibi parari.

20. Ingressus in Sacrarium Episcopus procedet ad faldistorium et sedebit: Canonici immediate dimittent habitus chorales et supra rochetum vel superpelliceum induent amictum et paramentum respondens ordini, cui erunt addicti.

21. Si in ecclesia, ubi processionis fiet finis, cantabitur Missa, assistente Episcopo et Capitulo, designabitur aliquis, qui transferat illuc habitus chorales Canonicorum.

22. Diaconi assistentes, parati venient ad assistendum Episcopo ad latera faldistorii, et interea paramenta episcopalia distribuentur clericis, qui unus post alium facient debitam genuflexionem et paramenta ministrabunt Diaconis assistentibus.

23. Canonici circulum efficient ante Episcopum, cum parabitur.

24. Episcopus assurget, dimittet cappam et a cubiculario expedietur syrma vestis eius.

25. Statim ac ingressus erit in ecclesiam Episcopus, duo tresve clerici ad hoc delecti simul cum Caeremoniario in ordinem disponent Processionem, praesertim si ea constabit ex pluribus collegiis seu corporibus, ac si aderunt Confraternitates laicales, poterunt illas statim ordinare in processionem.

26. Clerus saecularis locum sumet apud Altare, Regulares consistent post Clerum saecularem. Confraternitates vel in ordinem processionis disponentur, ut supra innutum est, vel si limitatus esset earum numerus, poterunt disponi post Regulares, quum primae debeant exire de ecclesia.

27. Diaconi duo assistentes parabunt Episcopum amictu alba, cingulo, Cruce pectorali, stola et pluviali, cui a primo Diacono assistente superponetur formale simplex. Deinde idem Diaconus mitram imponet Episcopo, qui sinistra accipiet baculum pastoralem.

28. Quando Episcopus induetur pluviali, Acolythi accipient candelabra ardentibus candelis, Subdiaconus Crucem et sistent se ante Episcopum, sed aliquanto distantes ab ipso.

29. Postquam Episcopus baculum sinistra sumpserit, assurget et Crucem processionalem salutabit.

30. Subdiaconus cum Cruce medius inter Acolythos cum candelabris procedent ad Altare maius et post Crucem Clerus, ultimo loco Episcopus, sequentibus Cappellanis, ut infra.

31. Episcopus e Sacrario incedens ad Altare maius, dextera benedicet populum et Clerum, praeteriens ante ipsos.

32. Crux quum ad Altare maius pervenerit, consistet a latere Evangelii, Canonici paramentis induti apud scamna praeparata, stantibus Dignitatibus et post ipsos Canonicis Presbyteris in latere Evangelii prope Altare seu propius Episcopo; Diaconis autem in latere Epistolae et post eos Subdiaconis, ordine praedicto.

33. Ante Altare maius postquam venerit Episcopus dimittet baculum et a secundo Diacono assistente nudabitur mitra.

34. Genua flectet in faldistorio, Diaconis assistentibus fimbrias pluvialis eius distendentibus, ibique brevi tempore orabit.

35. Cum Episcopo in genua procumbent omnes illi, qui aderunt.

36. Post brevem orationem assurget Episcopus et cum ipso omnes ii qui genuflexerant; a cantoribus autem cantu firmo cantabitur antiphona *Exurge Domine* etc. cum primo versiculo psalmi *Deus auribus nostris* etc. cum *Gloria Patri*, deinde eodem cantu repetetur antiphona.

37. Post repetitionem antiphonae cantatae, Diaconus primus assistens mitram reponet Episcopo, qui geniculabit et cum ipso adstantes omnes.

38. Cantores duo, genibus flexis in medio Presbyterio, incipient Litanias et Clerus repetet versiculos eosdem a cantoribus praedictis cantatos.

39. Postquam ab eisdem cantatus erit ℣. *Sancta Maria, ora pro nobis* et Clerus repetiverit eumdem, consurgent Episcopus et Clerus, ac processio ordinabitur extra ecclesiam ordine sequenti.

40. Anteibunt Confraternitates, si intervenient, ordine antiquitatis, qua gaudent singulae. Regularium unumquodque collegium suam habebit Crucem, distinctam a Cruce Cleri saecularis, et incedent bini, capite nudato ac Litanias cantabunt. Post regulares locum sumet Magistratus, si solebit ipse huic processioni intervenire. Post Magistratum, vel post Regulares, incedent clavigeri ecclesiae cathedralis, si aderunt, sustinentes insignia sua. Tum Subdiaconus indutus tunicella violacea, qui gestabit Crucem processionalem medius inter Acolythos deferentes candelabra, ardentibus candelis. Cantores Cathedralis induti veste talari et superpelliceo. Clerici Seminarii, bini induti superpelliceo, qui bireto caput cooperient in limine ecclesiae. Parochi civitatis, bini, induti ut supra, vel aliis insignibus, si concessa eis fuerint a S. Sede. Collegiatae civitatis, quae praecedent ordine debito sive antiquitate institutionis seu privilegio, et induent habitum, qui convenit unicuique in processionibus, notando quod si gau-

derent usu rocheti et cappae, non licet uti cappa in processionibus sine indulto speciali S. Sedis, sed induendum est superpellicium supra rochetum. Mansionarii seu Beneficiarii Cathedralis induti insignibus suis. Canonici Subdiaconi parati tunicella. Canonici Diaconi parati dalmatica. Canonici Presbyteri parati planeta. Dignitates paratae pluviali. Siquo in ordine dispar esset numerus, ultimo loco ordinis illius incedent terni. Episcopus mitram capite, baculum sinistra gestans, qui dextera benedicet populum, medius inter Diaconos assistentes paratos dalmaticis, qui elatas sustinebunt fimbrias pluvialis. Sequetur caudatarius indutus superpellicio, qui sustentabit syrmam vestis episcopalis. Duo Cappellani a mitra et baculo, induti pluviali. Reliqui duo Cappellani a libro et scotula, induti ut supra, quorum alter deferet Rituale adhibendum, ut infra, alter scotulam. Hos sequentur familiares nobiles Episcopi. Si aderunt Praelati, processionem claudent induti mantelleto et rocheto, si usu illorum gaudebunt.

41. Si Celebrans fuerit Archiepiscopus, Crux non deferetur ante Clerum, sed ante Canonicos paratos, imagine Crucifixi conversa ad Archiepiscopum.

42. Si nimis Episcopum gravaret ferre sinistra baculum toto processionis itinere, poterit deferri ante ipsum a Cappellano supradicto vel ab alio, cui permittet usus. Hoc autem casu Cappellanus a mitra habebit a lateribus suis reliquos duos, alterum a libro, alterum a scotula et incedent iunctim post Episcopum.

43. Egrediente de ecclesia processione, sonabunt campanae festivo more et aequum esset, ut sonarent illae quoque ecclesiarum ceterarum, prope quas processio transiret.

44. Ordine supra descripto dirigetur processio versus ecclesiam, in qua finis eius fiet.

45. Si qua in ecclesia statio fieret in processionis itinere, intrabit in eam processio, vel pars aliqua illius, et Clerus disponetur quo ordine traditum est cap. XXIX. lib. II. num. 50. et seqq. Clerus ecclesiae illius, si aderit, excipiet extra ingressum processionem et Episcopum, cui quando erit in limine, a Superiore seu Rectore ecclesiae eiusdem porri-

getur aspersorium aqua sancta perfusum. Episcopus, aspersorio accepto, signabit seipsum, asperget Diaconos assistentes, deinde eos, qui sequentur ipsum.

46. Ante altare Episcopus quum venerit, baculum dimittet, Diaconus secundus assistens tollet ei mitram, et geniculabit in faldistorio seu genuflexorio praeparato, super quo fimbriae pluvialis eius a Diaconis assistentibus extendentur.

47. Post brevem orationem assurget Episcopus et cum ipso ceteri omnes, qui genuflexerant, et a cantorum choro cantabitur antiphona de Sancto Titulari. Qui duo cantores Litanias cantabant in processione, cantabunt versiculum; Episcopus autem ex libro sibi praesentato a Cappellano cantabit orationem.

48. Recitata ab Episcopo oratione, primus Diaconus assistens reponet ei mitram; tum baculum Episcopus recipiet et ordinabitur processio, ut antea.

49. Quum processio pervenerit ad ecclesiam, in qua finis eius fiet, sonabitur festivo more campanis ecclesiae illius et Clerus disponetur eadem methodo quo num. 24. et seq. cap. huius.

50. Episcopus in limine ecclesiae asperget ut supra, et procedet ad Altare SS. Sacramenti; ibi dimittet baculum et nudatus mitra ac pileolo a secundo Diacono assistente, brevi tempore orabit. Postea surgens iterabit genuflexionem, rursus cooperietur pileolo et mitra a Diacono primo, et recepto sinistra baculo, accedet ad Altare maius, ibique mitra nudatus, ut supra, cantabit genuflexus preces et stans orationes.

51. Nisi Missa ibi cantabitur, subiungetur a cantoribus antiphona de B. V. et ab Episcopo cantabitur oratio, deinde ab eisdem cantoribus altera antiphona de Sancto Titulari et ab Episcopo oratio, post quam ipse Episcopus ascendens ad Altare, benedictionem populo solemnem impertietur.

52. Sin autem ibi cantabitur Missa, Episcopo assistente, Canonicus Celebrans cum Ministris et Missae inservientibus recedent in Sacrarium, statim ac venerint in ecclesiam, ad induenda paramenta missalia et in promptu erunt sub finem processionis.

53. Praesto etiam erunt clerici cum canistris recepturi sacras vestes Canonicorum et afferent indumenta canonicalia eorum.

54. Episcopus recitatis precibus et orationibus, iterum cooperietur mitra a primo Diacono assistente et ascendet in thronum, ubi sedebit.

55. Diaconi duo assistentes, comitati ad thronum Episcopum, salutabunt eum ac recedent et in eorum locum succedent ultimi duo Canonici Diaconi.

56. Sedente in throno Episcopo, Canonici vel in sedilibus ipsis vel in Sacrario dimittent sacra paramenta, et resumpto habitu chorali, redibunt in chorum. Item in Sacrario pluviale dimittent quatuor Cappellani a mitra, baculo, libro et scotula; Subdiaconus etiam Crucifer exuet paramenta.

57. Diaconi assistentes, dimissis paramentis ac resumpto habitu canonicali, revertentur ad assistentiam, et discedent ultimi duo Diaconi, qui sacras vestes exuent et resument habitum canonicalem.

58. Exibit e Sacrario Celebrans cum Ministris et Episcopus de throno descendet ad Altare et Sacrum cum Celebrante inchoabit, ut cap. XVII. lib. V.

59. In fine Missae Episcopus impertietur benedictionem solemnem et Celebrans indulgentiam publicabit.

DE PROCESSIONE LITANIARUM MINORUM, CELEBRANTE VEL ASSISTENTE EPISCOPO.

CAPUT XXVII.

1. Processiones Litaniarum minorum, seu Rogationum, celebrantur tribus diebus praecedentibus festum Ascensionis Dominicae.

2. Caeremoniale cap. XXXII. lib. II. §. 7. iubet eas ce-

lebrari minori solemnitate ; quare stando praescriptionibus eius, tradimus documenta quae sequuntur.

De rebus praeparandis.

3. In Sacrario ecclesiae illius, in qua fiet Collecta, praeparabitur Crux processionalis; candelabra duo cum cereis pro Acolythis; paramenta coloris violacei pro Ministris et Celebrante (qui erit vel dignior Capituli vel Hebdomadarius, sive alius Canonicus, iuxta peculiares constitutiones seu consuetudines) videlicet pluviale cum stola, dalmatica cum stola, tunicella, tria cingula, tres albae, tres amictus; rituale maioris formae cum veste violacea; vasculum aquae sanctae cum aspersorio; superpellicium pro Superiore ecclesiae, qui Episcopum debebit excipere, alterum pro clerico, qui sustinebit vasculum aquae benedictae.

4. Altare maius exornabitur sex candelabris cum cereis et Cruce, pallio violacei coloris, tapeto super gradus, et ante Altare statuetur faldistorium cum pulvinis violaceis, in quo geniculabit Episcopus.

5. De reliquo observabitur quod traditum est capituli praecedentis num. 10. 11. et 12. et capitulo XXIX. lib. II.

6. In ecclesiis, ad quas diversura erit processio, et in qua finis eius fiet, res tractabitur, quemadmodum notatum est locis citatis.

In Functione.

7. Hora praestituta Clerus saecularis et regularis vel pars illius, pro consuetudine peculiari cuiusque loci, congregabitur in ecclesiam, in qua fiet Collecta: Clerus saecularis induet superpelliceum vel alia insignia, quae spectabunt ad ipsum. Capitulum Cathedralis expectabit in Sacrario adventum Episcopi.

8. Paullo ante quam ad ecclesiam adveniat Episcopus, Celebrans et Ministri induentur supradictis paramentis, et in promptu erunt clerici tres, qui Crucem gestabunt mediam inter candelabra.

9. Quum ad ecclesiam perventurus erit Episcopus, Canonici Cathedralis et Clerus ecclesiae cum eius Superiore venient ad portam primariam ecclesiae ipsum excepturi. Superior subsistet a dextra portae eiusdem, adstante a sinistris eius clerico cum vasculo aquae sanctae et aspersorio.

10. Perveniente ad ecclesiam Episcopo, sonabitur campanis festivo more, quamvis ecclesia illa exempta esset a iurisdictione episcopali.

11. Episcopus in limine ecclesiae dimittet mozzetam et assumet cappam, quam explicabit totaliter.

12. Superior cum osculis consuetis aspersorium porriget Episcopo, qui aspersorio accepto, signabit seipsum, deinde asperget adstantes, postea Superiori eidem restituet aspersorium.

13. Tum, sequentibus suis eum Canonicis, procedet ad adorandum SS. Sacramentum.

14. Hoc tempore Celebrans medius inter Ministros suos, praecedentibus Cruce et Acolythis atque altero Clero, qui aderit, procedet ad Altare maius et reverentia facta ad Crucem altaris, recedet cum Ministris suis et consistet a latere Altaris ante infimum gradum in latere Epistolae.

15. Crux cum Acolythis consistet in latere Evangelii, non e regione Celebrantis, sed aliquantulum versus ingressum Presbyterii. Clerus in ordinem disponetur in presbyterio, vel extra ipsum, si capax non esset, relicto loco propiore Altari pro Canonicis Cathedralis.

16. Episcopus, postquam adoraverit SS. Sacramentum, procedet ad Altare maius, benedicet Clerum et Celebrantem et reverentia ad Crucem facta, geniculabit in faldistorio, brevi tempore orabit et cum ipso procumbet in genua etiam Clerus universus.

17. Assurgente de oratione Episcopo, consurgent Celebrans cum Ministris et Clerus.

18. Cantores cantabunt Antiphonam *Exurge, Domine*, primum versiculum psalmi *Deus, venerunt gentes* cum *Gloria Patri* et repetent in cantu antiphonam praedictam.

19. Antiphona repetita, omnes rursus geniculabunt et can-

tores duo a tergo Episcopi incipient Litanias usque ad totum versiculum *Sancta Maria, ora pro nobis*, quo repetito a Clero, cessabunt a cantu, quem prosequentur in processione, atque ita processionis fiet initium.

20. Ordo incedendi idem erit ac in Litaniis maioribus, videlicet Confraternitates cum signis suis, Clerus regularis, corpora singula cum sua Cruce, deinde Crux Cleri saecularis inter Acolythos, cantores induti veste talari et superpelliceo, Seminarium, Parochi, Collegiatae, Mansionarii seu Beneficiarii Cathedralis, Canonici et Dignitates, Celebrans medius inter Ministros, Episcopus solus cum cappa explicata, qui dextra populum benedicet, sustentante extremitatem posteriorem cappae Caudatario, familiares nobiles Episcopi, ultimo loco Praelati mantelleto induti et rocheto, si utentur. Si Ordinarius esset Archiepiscopus, Crux archiepiscopalis, cum imagine Crucifixi ad Metropolitanum versa, deferetur ante Canonicos Cathedralis.

21. In quibus ecclesiis stationem faciet haec processio, peragentur quae notata sunt capitulo praecedenti et cap. XXIX. lib. II. Celebrans cantabit orationem de Sancto Titulari, perstans in latere Epistolae, ut supra.

22. In ecclesia autem, in qua processio absolvetur, Celebrans, ut supra, cantabit versiculos et orationes ac nisi Missa ibi celebrabitur, Celebrans idem cantabit orationem de B. V. et de Sancto Titulari, postquam a cantoribus cantata fuerit antiphona cum versiculis: post orationes praedictas Episcopus ad Altare ascendet et benedictionem populo impertietur.

23. Sin autem ibi cantabitur Missa solemnis, Celebrans post preces et orationes Litaniarum, reverentia facta ad Altare et ad Episcopum, qui genuflexus in faldistorio manebit, apud abacum dimittet pluviale, induet manipulum et planetam, Ministri autem manipulos, et ipsis ad Altare reversis iunctim, assurget Episcopus et Sacrum inchoabitur, quod cantabitur ritibus praescriptis cap. XVII. lib. V. In fine autem benedictione ab Episcopo impertita, indulgentia a Celebrante publicabitur.

24. Si Episcopus cuperet officium peragere in processionibus istis aut in prima ipsarum, quae magis ab aliis distinguitur, observentur quae subiicimus.

25. In Sacrario praeparabitur faldistorium cum tegumento violaceo super exiguo tapeto pro Episcopo et super altari Sacrarii, vel super abaco distincto, paramenta pro eodem, videlicet mitra auriphrygiata cum velo utendo a Cappellano, formale simplex, pluviale cum stola violacea, Crux pectoralis, cingulum, alba et amictus, quae omnia contegentur velo coloris violacei. Prope altare vel abacum aderit baculus pastoralis. Diaconi assistentes Episcopo non utentur dalmatica; neque enim in hac processione Canonici induere debent paramenta. Praeparabitur etiam scotula, rituale cum veste violacea et aspersorium cum vasculo.

26. Si ecclesia ad Collectam designata, esset Cathedralis, Episcopus parari poterit in throno, et paramenta episcopalia disponentur super Altare.

27. Si eadem ecclesia, ut supra, careret Sacrario capaci, paramenta episcopalia disponentur super Altare et faldistorium in latere Epistolae ante gradus Altaris, ibique sedens Episcopus parabitur.

28. Quod ad reliquum functionis, tractabitur ut in Litaniis maioribus, ideoque stabitur iis, quae praescripta sunt capitulo praecedenti, excepto quod respicit Canonicos Cathedralis, qui sacra indumenta non assument.

29. Licebit Episcopo parato pluviali, aut cappa induto, assistere Missae quae, processione absoluta, cantabitur.

DE FESTO ASCENSIONIS DOMINICAE

CAPUT XXVIII.

1. In solemnitate Ascensionis Dominicae ornabitur nobiliter Altare maius, chorus, thronus et Secretarium, si Missa ab Episcopo cantabitur.

2. Officium festi huius pertinet ad Episcopum, qui primas Vesperas et Missam cantabit quo ritu superius descripsimus in relativis capitulis lib. V.

3. Ad Vesperas et ad Missam accendetur Cereus paschalis, qui a clerico aliquo extinguetur statim ac a Diacono cantatum fuerit Evangelium eiusdem Missae solemnis.

4. Cereus a candelabro amovebitur post Missam et reservabitur in Sacrario, rursus adhibendus in benedictione Fontis baptismalis in vigilia Pentecostes.

5. Si qua caussa Episcopus impediretur, quominus cantaret Missam, non omittet intonare Vesperas primas et assistere Missae solemni paratus pluviali.

DE VIGILIA PENTECOSTES.

CAPUT XXIX.

1. Inspiciantur quae iam notavimus num. 2. 3. et 4. cap. XXXI. lib. II. de obligatione persolvendi hoc officium.

2. Si hac die placeret Episcopo benedicere Fontem et cantare Missam, observabitur quod traditari sumus, referentes in rebus multis ea quae descripsimus in Sabbato Sancto, cuius officio valde simile est hoc, de quo agimus.

De rebus praeparandis.

3. In baptisterio praeparentur ac disponantur omnia eadem, quae descripsimus in Sabbato sancto cap. XX. libri huius a num. 3. ad 10. Hoc ipsum fiet in Sacello, in quo conferetur s. Confirmatio, si quis adultus baptizabitur. Ibidem num. 11.

4. Ad Altare SS. Sacramenti praeparabitur genuflexorium cum strato et pulvinis, vel faldistorium : pallium et conopoeum

sunto coloris rubri et in altari ardebunt sex consueti cerei, saltem quando Episcopus in accessu ad ecclesiam adorabit SS. Sacramentum.

Ad Altare maius.

5. Super Altari aderunt septem candelabra nobilia cum cereis albis et Cruce aequali candelabris. Non tamen ornabitur Reliquiariis aut signis Sanctorum nec vasis cum floribus inter candelabra. Pallium erit rubri coloris, cui superponetur alterum violaceum, quod tolli facile possit: gradus sternentur tapeto nobili, cui superponetur alterum coloris violacei amovendum faciliter: si hoc fieri non poterit, ponetur tapetum nobile usque ab initio functionis.

6. Thronus parabitur baldachino et lodicibus ex panno serico rubri coloris. In postergali et in cathedra superponentur alterae violaceae, tollendae debito tempore. Gradus cooperientur tapeto rubro et altero violaceo, tollendo ut supra. Apud thronum aderunt tria consueta scabella pro Assistentibus.

7. In medio presbyterio ante altare praeparabitur faldistorium cum pulvinis violaceis, in quo geniculabit Episcopus. Seorsum ponentur pulvini rubri coloris, substituendi violaceis.

8. Si aderunt catechumeni adulti, baptizandi, extra presbyterium ante balaustrium praeparabitur scamnum in usum eorum, et super balaustrium ipsum tobalea propter Communionem.

9. In latere Epistolae loco usitato ponetur scamnum pro Ministris, quod contegi poterit tapeto consueto, superposito altero violaceo, debito tempore amovendo.

10. Ad tribunam sive ingressum presbyterii aderunt in fanalibus intorticia aut cerei albi coloris, sex vel octo numero.

11. Super mensam Altaris disponentur paramenta episcopalia, videlicet planeta, chirothecae in lance, dalmatica, tunicella et stola rubri coloris, quae contegentur velo violaceo, ut celentur totaliter: super velum autem istud ponetur pluviale cum formali simplici, manipulus, planeta, chirothecae in lance, dalmatica, tunicella et stola violacei coloris, Crux pectoralis,

cingulum, alba et amictus, quae pariter contegentur altero velo violaceo. Mitra auriphrygiata, sive ex serico auro intexto in latere Epistolae. Si fuerit Metropolitanus, non utetur hac die s. Pallio.

12. Abaci contecti albo mantili satis ampli erunt, ut continere possint res ibi disponendas, videlicet in extremitate duo candelabra cum cereis pro Acolythis: calicem cum purificatoriis duobus, patenam cum binis hostiis, pallam cum corporali intra bursam rubri coloris: ampullas vini et aquae in pelvicula et pateram propter praegustationem: urceum cum pelvi: mantilia duo in lance: velum humerale rubri coloris simplex et alterum violaceum pro Magistratu, si aquam Episcopi manibus ministrabit: manipulos rubri coloris pro Ministris: canonem pontificalem: gremiale rubrum aequale paramentis: alterum violaceum, aequale paramentis: Epistolarium et Evangeliarium cum vestibus et signaculis rubris et intra Evangeliarium ponetur manipulus rubri coloris pro Episcopo: caligas et sandalia rubri coloris cum velis violaceis, ad ea deferenda, et alteris rubris ad recipienda: Missale cum veste rubra in usum Episcopi pro Missa: alterum cum veste violacea in usum Episcopi pro functione: librum prophetiarum cum veste et signaculis violaceis: Breviarium pro oratione Nonae: scotulam cum candela: mitram pretiosam: velum humerale rubrum pro Subdiacono: pixidem cum particulis, si neophytorum fiet Communio: tabellam cum formula indulgentiarum: thuribulum cum navicula: intorticia pro elevatione. Cooperientur haec omnia velo amplo coloris violacei, ne appareant apparatus sive sacra supellex rubri coloris.

13. In abaco altero disponentur paramenta pro Ministris, quae sunt dalmatica et stola rubra pro Diacono, tunicella rubra pro Subdiacono, duae planetae plicatae coloris violacei cum binis manipulis similibus pro eisdem Ministris.

14. Prope Altare praeparabitur baculus pastoralis Episcopi. Seorsum ponetur legile nudum adhibendum in cantu prophetiarum.

15. Crux etiam processionalis imposita basi in latere Evangelii: sin autem Celebrans erit Archiepiscopus ponetur pro

Cruce basis tantum. Apud abacum Cereus paschalis extinctus, cum granis suis.

16. Disponentur in canistris paramenta tum rubri tum violacei coloris pro Canonicis, nempe pluvialia rubra et violacea pro Dignitatibus, planetae rubrae et violaceae pro Canonicis Presbyteris, dalmaticae ac tunicellae rubrae et planetae plicatae violaceae pro Canonicis Diaconis ac Subdiaconis.

In Sacrario.

17. Pluvialia violacea tria pro Cappellanis a mitra, a baculo et a libro ac pluvialia quatuor rubra pro Cappellanis eisdem et pro altero Cappellano a scotula.

18. Planeta plicata coloris violacei cum cingulo, alba et amictu pro Subdiacono Crucifero, tunicella etiam rubra pro eodem, si Celebrans fuerit Archiepiscopus.

19. Paramenta pro Ministris, videlicet stola violacea, bina cingula, binae albae, bini amictus.

De functione.

20. Recitabitur in choro Matutinum cum Laudibus, Prima, Tertia et Sexta ac toto tempore officii aderit ad Altare pallium albi coloris.

21. Absoluta in choro recitatione Horae sextae, extinguentur Altaris cerei et pallium albi coloris removebitur.

22. Sonabitur campanula Sacrarii ad annuntiandam Clero associationem Episcopi, ut cap. IV. lib. V.

23. Interim in Sacrario se parabunt Ministri, videlicet Subdiaconus amictu, alba et cingulo, Diaconus autem, praeter paramenta praedicta, etiam stola violacea. Postea procedent ad Altare maius, comitantibus clericis duobus, et sedebunt in scamno praeparato.

24. Episcopus ingredietur in ecclesiam et in eius ingressu sonabunt tantum sacra aera turris. Adorabit SS. Sacramentum et brevi precatione facta ad Altare maius, ascendet in thronum comitatus a Diaconis assistentibus. Clerus subsellia chori occupabit.

25. In throno brevi tempore sedebit Episcopus, deinde nudabit caput, assurget, recitabit secreto *Pater noster* et *Ave Maria,* tum elevata voce intonabit *Deus in adiutorium* etc. pro recitatione Horae nonae. Hebdomadarius beneficiatus inchoabit hymnum et intonabit antiphonam; in fine autem recitabit etiam Capitulum. Episcopus recitabit orationem tantummodo.

26. Dum recitabuntur psalmi Nonae, Episcopus leget preces ad praeparationem et Subdiaconus ritu statuto afferet ad thronum caligas et sandalia rubri coloris, quae imponentur Episcopo.

27. Post recitationem Nonae, Episcopus dimittet cappam, lavabit manus et a Diacono cum Subdiacono parabitur amictu, alba, cingulo, Cruce pectorali, stola, tunicella, dalmatica, chirothecis et planeta violacea.

28. Statim ac Episcopus laverit manus, intrabunt in chorum clerici cum paramentis pro Canonicis, qui dimisso indumento chorali, induent quisque amictum cum paramento respectivo ordinis illius, cui sunt addicti; quos habitus respectivos postquam induerint, conficient circulum ante Episcopum, dum parabitur. Presbyter etiam assistens et Diaconi assistentes se parabunt in stallis suis. Presbyter assistens tollet annulum Episcopo eique ministrabit mantile, ut monuimus in Sabbato sancto. Diaconi assistentes redibunt in thronum.

29. Postquam Episcopus paratus erit planeta, Diaconus imponet ei mitram, Subdiaconus manipulum. Presbyter assistens veniet in thronum et annulum inseret digito Episcopi.

30. Duo Ministri de throno descendent et pergent ad assumendum manipulum et planetam plicatam, tum revenient ante Altare expectantes dum illuc perveniat Episcopus.

31. Canonici, parato Episcopo, se recipient ad subsellia sua.

32. Quo tempore parabitur Episcopus, se parabunt pluviali etiam tres Cappellani a mitra, baculo et libro et revertentur in chorum ad exercendum officium suum.

33. Quum omnia disposita fuerint, Episcopus sinistra accipiet baculum et comitantibus Diaconis assistentibus prae-

eunte Presbytero assistente, sequentibus Caudatario et Cappellanis a mitra et baculo descendet de throno et Clerum dextera benedicet.

34. Ante Altare statim ac venerit Episcopus, recedent Presbyter assistens cum Diaconis assistentibus et succedent Diaconus ac Subdiaconus in assistentiam Episcopi, qui baculum dimittet. Diaconus mitram tollet Episcopo, qui reverentia ante Altare facta, ascendet ad ipsum cum duobus Ministris praedictis et osculabitur illud in medio.

35. Diaconus mitram reponet Episcopo, qui descendet de Altari et Cruce salutata, coibit cum Assistentibus, redibit in thronum, sedebit, baculum dimittet et accipiet gremiale super genua.

36. Canentur prophetiae eodem ritu, quem descripsimus in Sabbato sancto, cap. XX. libri huius a num. 114. ad 134; cantor osculabitur manum Episcopi, qui cantabit orationes post prophetias, sed omittitur *Flectamus genua.*

37. Sub finem prophetiae sextae advertet clericus unus accendere Cereum paschalem et candelas in candelabris Acolythorum.

38. Deinde Episcopus, ut ibidem num. 134. 135. et 136. dimittet manipulum, planetam, chirothecas, dalmaticam, tunicellam et induetur pluviali violaceo.

39. Accessus Episcopi ad baptisterium, benedictio Fontis, baptisma et reditus ad Altare tractabitur prorsus ut loco saepius citato num. 137. et seqq. Notandum tantum, quod oratio, recitanda extra ingressum baptisterii, est propria huius diei.

40. Sacrista cum inservientibus suis advertet ut tollat apparatus et reliqua omnia coloris violacei et relinquat apparatus rubri coloris, statim ac de presbyterio discesserit Episcopus, iturus ad benedictionem Fontis.

41. In reditu ad Altare, qui clericus gestabit Cereum, non imponet illum in candelabrum, sed recta ex Altari perget in Sacrarium ibique deponet Cereum, qui extinguetur et reponetur, anno postero adhibendus.

42. Litaniae cantantur ut in Sabbato sancto cum animadversionibus ibi notatis: paramenta Canonicorum et Episcopi

sunto rubri coloris. Quum non habeatur ordinatio, cantores prosequentur cantare Litanias etiam post ℣. *Ut omnibus fidelibus defunctis* etc. (*a*).

43. In Missa servabitur ritus praescriptus in Missis pontificalibus: non cantabitur a cantoribus, nec recitabitur ab Episcopo introitus, siquidem prophetiae et Litaniae locum obtinent introitus.

44. Ad cantum *Kyrie* non sonabitur organis et cantabitur cantu Gregoriano in tono feriali.

45. Ad intonationem hymni *Gloria in excelsis* sonabitur organis et campanis.

46. Post Epistolam, *Alleluia* Episcopo non annunciabitur.

47. In cantu Evangelii non deferentur ab Acolythis candelabra.

48. De reliquo serventur ritus in Missis pontificalibus descripti.

49. Sin Episcopo placeret assistere officio et Missae solemni, stabitur iis, quae superius tradita sunt cap. XXII. huiusce libri cum exceptionibus praesenti capitulo notatis.

DE SOLEMNITATE PENTECOSTES.

CAPUT XXX.

1. Solemnitas haec est ex primariis et officium est Episcopi cantare Vesperas et Missam, in cuius celebratione ritus sunt iidem quos in huiusmodi functionibus descripsimus.

2. In Vesperis ad intonationem hymni *Veni creator Spiritus*,

(*a*) Quoad cantum Litaniarum vide adnotationem subiectam num. 92. cap. XXVII. libri II.

omnes in genua procumbent, Episcopus autem post intonationem geniculabit in pulvino posito super gradulo cathedrae.

3. Ad cantum Tertiae Episcopus intonabit hymnum *Veni creator Spiritus*, genuflectens in throno, vel si sedes capax non erit, in faldistorio posito ante thronum ipsum.

4. In Missa postquam Subdiaconus osculatus erit manum Episcopi, secundus Diaconus assistens tollet mitram Episcopo et cantores immediate incipient cantum ℣. *Veni Sancte Spiritus reple* etc. Episcopus geniculabit super pulvinum positum in gradulo cathedrae et ceteri omnes loco quisque suo. Deinde assurget, reponetur ei mitra et gremiale, ac leget Epistolam et reliqua ut in aliis Missis.

5. Ad intonationem hymni et ad cantum versiculi supra innuti, Episcopus genuflexus erit capite nudato pileolo, qui reponetur ei quando assurget de genuflexione.

6. Duobus subsequentibus festis Episcopus assistet Missae solemni paratus pluviali. Advertent clerici ut statuant faldistorium ante Altare, dum Subdiaconus ad thronum ascendet, osculaturus manum Episcopi. Profecto autem de throno Subdiacono, Episcopus descendet ad faldistorium, dimittet baculum et nudatus mitra geniculabit ad cantum ℣. *Veni Sancte Spiritus* etc. Cantores advertent ut hoc fiat accurate. Episcopus redibit in thronum post cantum praedicti versiculi et leget Epistolam etc. ut in aliis Missis.

7. Si Episcopus nequiret cantare Missam, intonabit saltem Vesperas primas et assistet Missae solemni, ut superius monuimus in festo Ascensionis.

CAPUT XXXI.

Quod ad celebrationem huiusce festi nihil notandum occurrit. Episcopus poterit assistere Missae solemni paratus pluviali.

DE SOLEMNITATE CORPORIS CHRISTI

CAPUT XXXII.

1. Officium solemnitatis huius peragere spectat ad Episcopum, qui si legitime impediretur, pertinet eam persolvere ad primam Capituli Dignitatem.

2. Solemnitas ista recensetur inter dies festos primarios, gaudet speciali ritu processionis in ipso die festo, et expositionis SS. Sacramenti eodem die festo et per totam octavam.

3. Primae Vesperae ab Episcopo cantandae sunt, et in eis deberet Clerus sacra paramenta induere, ut induit postridie mane in processione. Saltem non omittet Episcopus primas Vesperas praedictas intonare ritu prescripto cap. XII. lib. V. Nisi postridie mane celebrabit Missam lectam, ut in Caeremoniali lib. II. Cap. XXXIII. num. 31. ideoque assistet Missae solemni a prima Dignitate cantatae, debebit in assistentia illa uti pluviali.

4. De methodo processionis agemus capitulo sequenti, sectantes hac in re ordinem Caeremonialis Episcoporum, quod in capitulo distincto tractat de processione ista.

5. Vesperas secundas celebrabit prima Dignitas, ritu descripto cap. II. lib. II.

6. Quod spectat ad expositionem toto octavae tempore, delegamus lectorem ad ea quae tradita sunt capitulis XI. et XXXIV. lib. II. Etiam quoad processionem repositionis peragendam vespere octavae post officium confer cap. XXXV. libri eiusdem.

7. Si placeret Episcopo in processione octavi diei gestare SS. Sacramentum, non parabitur Clerus, sed tantum Diaconus et Subdiaconus, qui assistent Episcopo. Quamobrem poterunt adoptari instructiones traditae cap. XXXVII. et XXXVIII. huiusce libri, in oratione quadraginta horarum et in processione Dominicae tertiae cuiusque mensis.

DE SOLEMNI CORPORIS CHRISTI PROCESSIONE AB EPISCOPO IN SUA CATHEDRALI CELEBRATA.

CAPUT XXXIII.

1. Omittimus animadversiones iam notatas cap. XXXV. lib. II. circa dispositiones in antecessum processionis sumendas.

Quae sint praeparanda.

2. Ecclesia cathedralis parabitur festivo more, ut in festis primariis.

3. Altare maius ornabitur sex candelabris nobilibus cum cereis et Cruce, pallio albi coloris ac tapeto super gradibus.

4. Si super ipso Altari exponendum esset in hac octava SS. Sacramentum, disponentur etiam alia candelabra cum candelis, numero legibus synodalibus praescripto, et maiori quoque numero, si placebit; aderit baldachinum seu thronus, in quo exponetur SS. Sacramentum et in plano, ubi collocabitur ostensorium, ponetur corporale, vel palla, magnitudinis sufficientis; item ciborium seu tabernaculum, in quo condendum

erit SS. Sacramentum, ibique etiam aderit palla, ut supra. Si Altare versum esset ad populum et suum iam haberet tabernaculum factum e marmore vel alia materia, non ponetur thronus ad exponendum SS. Sacramentum, sed satis erit praeparare basim in qua collocabitur ostensorium.

5. Si Episcopus Missam lectam celebrabit ante Processionem, praeparabitur quidquid opus est ad Missam istam, ut cap. V. lib. V. Quod si assistet Missae solemni, quae cantanda est a prima Dignitate Capituli, praeparentur quae praescripta sunt cap. XIII. libri eiusdem.

6. Super abacum autem, praeter omnia ea quae utroque casu opus sunt, et notata extant relativis capitulis supra citatis, praeparabitur intorticium unum ornatu distinctum pro Episcopo, quod gestabitur ab uno ex eius Cappellanis; octo intorticia adhibenda in elevatione, ut infra; Ostensorium albo velo contectum, quod esse debet leve nec valde magnum; capsula argentea cum operculo, quae continebit hostiam consecrandam, iam aptatam in lunula, gestandam in processionem; velum humerale nobile utendum ab Episcopo in processione; duo thuribula cum naviculis pro eadem processione; liber cum veste albi coloris, in quo extet oratio dicenda post processionem; tabella cum formula indulgentiarum; velum albi coloris ad contegendum SS. Sacramentum post processionem, si deerit ciborium; taenia albi coloris vel chordula sericea alba, si opus erit, imponenda collo Episcopi, qua sustentabit Ostensorium; pulvinus albi coloris, super infimum gradum Altaris ponendus, in quo geniculabit Episcopus; quod si Missam lectam Episcopus celebrabit, praeparabitur etiam pluviale album cum formali pretioso, mitra pretiosa, altera stola albi coloris et prope abacum baculus pastoralis.

7. Apud abacum vel prope Altare aderit Crux hastilis, in processionem gestanda, nisi Celebrans fuerit Archiepiscopus.

8. Ante Altare praeparabitur faldistorium cum pulvinis albi coloris, in quo genuflectet Episcopus ante Missam, sive eam celebret sive assistat.

9. In Sacrario disponentur paramenta albi coloris pro Canonicis, videlicet pluvialia pro Dignitatibus, planetae pro Ca-

nonicis Presbyteris, dalmaticae pro Canonicis Diaconis, tunicellae pro Canonicis Subdiaconis et singulis paramentis suus erit amictus. Aderunt pluvialia quatuor pro Cappellanis a mitra, a baculo, a libro et a scotula, tunicella cum cingulo, alba et amictu pro Subdiacono, qui gestabit Crucem et pluvialia octo pro Beneficiariis seu Mansionariis hastas baldachini delaturis.

10. Prope parietem proximum Altari maiori praeparabitur baldachinum nobile, portatile hastile et deligentur clerici duo, qui curam eius gerant. Prope baldachinum, vel etiam in presbyterio in promptu erunt quatuor laternae maiores hastiles cum candelis gestandae in processionem.

11. Ad Altare SS. Sacramenti praeparabitur genuflexorium cum strato et pulvinis, vel faldistorium.

12. In Sacrario aderunt in promptu intorticia distribuenda Canonicis et Magistratui gestanda in processionem et candelae vel etiam intorticia pro reliquo Clero saeculari et candelae pro Clero regulari et Confraternitatibus; deligentur autem quatuor vel sex clerici qui distribuant illa et recolligant etiam post processionem.

13. Si processio stationem faciet in altera ecclesia, sive in aliquo Altari erecto in itinere, praeparabitur ibi, praeter ea quae notata sunt cap. XXXV. lib. II. etiam pulvinus albi coloris pro Episcopo genuflexuro, et scamna parata tapeto pro Canonicis paratis.

14. Secundum iter, vel saltem intra ecclesiam spargentur herbae virides odorae. Curabitur, ut viae, qua incedet processio, tentoriis defendantur a sole, et muri domorum ornentur paratibus, aulaeis et ornamentis functioni alludentibus, non vero profanis.

De Functione.

15. Pridie Episcopus cantabit Vesperas, ut superius innuimus.

16. Post Vesperas recitabitur Completorium, deinde cantabitur aut recitabitur (pro consuetudine cuiusque ecclesiae) Matutinum cum Laudibus sequentis diei.

17. Postridie mane recitantur aut cantantur mature Horae

minores, et post illas, signo dato campanulae Sacrarii, associabitur Episcopus a Canonicis et Clero, ut cap. IV. lib. V.

18. Episcopus, SS. Sacramento in suo Altari adorato, procedet ad Altare maius et celebrabit Missam lectam, vel assistet Missae solemni a prima Dignitate celebratae, ut innutum est superius.

19. Curandum, ut initio Missae praesto sint in ecclesia, aut in platea, nisi ecclesia sufficeret, Clerus regularis et saecularis atque Confraternitates, quae processioni intervenient.

20. Congregatis in ecclesiam Clero et Confraternitatibus, candelae singulis individuis distribuentur a clericis superius nominatis.

21. Initio Missae ab Episcopo lectae, vel circa *Sanctus* Missae solemnis, in ordinem dirigetur processio et fiet ipsius initium.

22. Porro, quod ad tempus inchoandae processionis, nulla potest assignari certa lex, quum hoc dependeat a maiori, minorive numero collegiorum et individuorum, quibus constabit. Caeremoniale Episcoporum lib. II. cap. XXXIII. num. 16. tradit regulam sequendam, eaque est « elevato SS. Sacramento, vel etiam ante, si opus fuerit »

23. Si qua controversia inter aliqua corpora seu collegia de praecedentia oriretur, stabitur iis, quae tradita sunt de processione Litaniarum Maiorum lib. II. cap. XXIX. num. 8.

24. Omnes illi qui in processionem incedent, ibunt capite nudato, quamvis usu etiam mitrae gauderent. Qui dextrorsum incedent, intorticium aut candelam dextera sustinebunt, qui sinistrorsum, sinistra.

25. Super ordine, quo deferendum sit baldachinum, vide quae tradita sunt cap. XXXV. lib. II. num 60. et 61.

26. Ordo praecedentiae in processione servandus, erit sequens:

27. Signum seu vexillum albi coloris cum stemmate SS. Sacramenti, praeibit a clerico sustentum. Famuli Magistratus et Episcopi, bini induti nobilibus vestimentis familiaribus et cum intorticiis ardentibus, si talis usus vigebit. Item servabitur usus, si receptus esset, ut ceterae familiae distinctae mitterent

domesticos suos cum vestimento familiari et cum intorticio; notandum tamen, quod locus penultimus obtinendus est a famulis Magistratus, ultimus a famulis Episcopi.

28. Congregationes, si quae essent, Doctrinae Christianae vel aliud pium Institutum saecularium, quod nec sacci usu gaudeat neque alio insigni, et aliunde cuperet vel soleret intervenire processioni, occupabunt locum istum; praecedet autem eos Crucifixus, gestatus ab individuo eiusdem instituti seu societatis.

29. Confraternitates laicales, singulae cum propriis insignibus; et procedent ordine statuto in appendice II. lib. II. pag. 312.

30. Regulares; et singulis corporibus sua erit Crux, cui appensus erit pannus albi coloris, et incedent iuxta ordinem erectionis localis sui coenobii, ex Constitutione Gregorii XIII. data die 25. Julii an. 1585.

31. Magistratus, indutus habitu formali, et secum feret comitatum familiarium nobilium et reliquos a Municipio dependentes. Notandum, quod intorticium deferendum est a Vexillario, Priore, senioribus tantum, non vero a ceteris, quibus constat comitatus.

32. Claviger, seu clavigeri Cathedralis, si qui fuerint, cum propriis vestibus talaribus cum clava seu virga contecta sericeo panno vel serico villoso, cum stemmate inaurato ecclesiae.

33. Subdiaconus indutus tunicella albi coloris, gestans Crucem Cleri medius inter Acolythos candelabra sustinentes, ardentibus candelis.

34. Si Celebrans fuerit Archiepiscopus, Subdiaconus cum Cruce et Acolythis locum sument ante Canonicos.

35. Cantores induti veste talari et superpelliceo, non sustinentes candelam, sed identidem cantantes ex libris, quos habebunt, hymnos praescriptos.

36. Clerici Seminarii, bini.

37. Parochi civitatis, induti superpelliceo tantum, vel aliis insignibus, si concessa ipsis fuerint a S. Sede. Incedent iuxta ordinem antiquitatis in exercitio Paroeciae suae, vel iuxta dignitatem ecclesiae parochialis, sive alia methodo, pro consuetudine sive sanctione particulari.

38. Collegiatae civitatis, et singulae induent propria insignia, si utentur distinctis, vel superpelliceum, et incedent iuxta antiquitatem erectionis aut privilegia. Si cappae usu gaudebunt, dimittere illam debebunt et induere superpelliceum antequam in processionem conveniant.

39. Beneficiarii seu Mansionarii Cathedralis, induti choralibus insignibus, quibus uti liceat in processionibus.

40. Si Celebrans fuerit Metropolitanus, hoc loco incedet Subdiaconus paratus cum Cruce archiepiscopali inter duos Acolythos, et advertet ut Crucem deferat imagine Crucifixi versa ad Metropolitanum.

41. Octo Beneficiarii seu Mansionarii induti albo pluviali, gestaturi hastas baldachini, ut supra innutum est. Non sustinebunt manu intorticium.

42. Canonici Subdiaconi, tum Diaconi, deinde Presbyteri, ultimo loco Dignitates. Si dispar esset numerus in aliquo ex praedictis ordinibus, ultimo loco eiusdem ordinis incedent tres numero.

43. Solus incedet Minister seu Cappellanus baculi pastoralis, qui utraque manu sustinebit baculum ipsum paullulum elatum ab humo.

44. A lateribus incedent Cappellani seu clerici octo induti superpellicio, qui gestabunt intorticia ardentia, quaterni scilicet ferme ad latera baldachini.

45. Duo thuriferarii cum thuribulis et naviculis, qui leniter agitantes thuribula, adolebunt SS. Sacramentum. Thuriferarius a sinistris deferet thuribulum manu dextra, alter a dextris, deferet illud sinistra, in summitate catenularum; identidem in thuribula reponent incensum, ut ardeat iugiter.

46. Sequetur Episcopus sub umbraculo hastili, gestans SS. Sacramentum, medius inter Diaconos assistentes, qui fimbrias pluvialis eius sustentabunt.

47. Dignior Magistratus sequetur immediate Episcopum, cuius extremitatem pluvialis et vestis sustentabit.

48. Hastae umbraculi deferentur respective ordine innuto cap. XXXV. lib. II. num. 60. 61.

49. A lateribus umbraculi, in quatuor angulis, locum su-

met quatuor clerici sustinentes laternas hastiles, in quibus aderit candela ardens clausa.

50. Prope hastam primam umbraculi a dextris incedet unus ex Cappellanis Episcopi, indutus habitu talari cum pallio, qui gestabit accensum intorticium Episcopi.

51. Immediate post Episcopum ibit Cappellanus cum mitra pretiosa, ac si processio subsistet in aliqua ecclesia vel Altari in via erecto, coibunt cum ipso ceteri duo Cappellani cum libro et cum scotula.

52. Sequentur familiares nobiles Episcopi sine intorticio vel candela.

53. Processionem claudent Praelati, si aderunt induti mantelleto et rocheto, si huius usu gaudebunt.

54. Ad *Sanctus*, sive Missa celebretur privatim ab Episcopo, sive cantetur solemniter a prima Dignitate, afferentur intorticia octo a totidem clericis ad elevationem, atque isti tali modo se disponent ante Altare ut neque Episcopi neque Celebrantis actiones impediant, ibi genuflectent et assurgent tunc solum cum tempus erit coeundi in processionem loco superius innuto, videlicet a lateribus umbraculi hastilis.

55. Quum Celebrans, sive Episcopus, compleverit communionem in Missa, discedet de choro dimidia pars Canonicorum, qui recedent in Sacrarium ad induenda paramenta respectiva et redibunt in chorum: reversis autem istis, discedent ceteri qui in choro supererant, et pergent in Sacrarium ibique assumptis sacris paramentis, revertentur in chorum.

56. Eodem tempore octo Beneficiarii delecti ad deferendum umbraculum hastile, recedent in Sacrarium, se parabunt pluviali et redibunt in chorum; hoc ipsum facient Subdiaconus, qui gestabit Crucem in processionem, et Cappellani a baculo, a mitra, a libro et a scotula.

57. Si forte Episcopus assistat Missae solemni, ultimi duo Canonici ex ordine Diaconorum succedent in assistentiam Episcopi, quando de throno discedent Diaconi assistentes sacra indumenta assumpturi.

58. Canonici et ceteri, qui pergent in Sacrarium ad sacras vestes induendas, genuflexionem utroque genu conficient

ad SS. Sacramentum et cum discedent et cum redibunt in chorum.

59. Quando Celebrans communicabit, Caeremoniarius ad Altare afferet Ostensorium coopertum albo velo, et quin inclinet, collocabit ipsum super Altare a dextra Celebrantis extra corporale. Si Missa celebrabitur ab Episcopo lecta, afferet etiam super Altare stolam albi coloris.

60. Posteaquam Celebrans Calicem sumpserit ac posuerit super corporale versus latus Evangelii, Subdiaconus, si Missa erit solemnis, vel Cappellanus si Missa erit lecta, Calicem palla cooperiet.

61. Si Missa erit solemnis, Ministri genuflexione facta, locum commutabunt, videlicet Diaconus transibit ad dexteram, Subdiaconus ad sinistram Celebrantis et cum eo genuflexionem iterabunt.

62. Interim Caeremoniarius velum detrahet Ostensorio, quod tradet Diacono. Hic ponet ipsum super corporale quin inclinet illud, aperiet crystallum, accipiet lunulam cum S. Hostia, ponet eam in ostensorio, claudet crystallum, collocabit ostensorium in medio corporali versus partem posteriorem Altaris, deinde facta genuflexione una cum Celebrante et Subdiacono, redibit ad sinistram et Subdiaconus ad dexteram Celebrantis; Missa autem continuabitur ritibus descriptis cap. XXV. lib. II. num. 24. et seqq.

63. Sin Missa celebrabitur ab Episcopo sine cantu; palla cooperto post consummationem Calice a Cappellano, qui Episcopo assistet a dextris, Cappellanus idem, imposita sibi collo stola, aperiet crystallum ostensorii et facta ad SS. Sacramentum genuflexione simul cum Episcopo et altero Cappellano, accipiet lunulam cum S. Hostia, ponet eam in ostensorio, claudet crystallum et collocabit ostensorium in medio corporali versus partem posteriorem Altaris. Episcopus simul cum iisdem duobus Cappellanis genuflexionem iterabit ad SS. Sacramentum: Cappellanus sibi tollet stolam et Episcopus prosequetur Sacrum usque ad finem, servato ritu praescripto cap. XXI. lib. I. de Missa celebrata ante SS. Sacramentum expositum.

64. Si Episcopus assistet Missae, in fine ipsius benedi-

ctionem impertietur, nudato adhuc mitra capite, et a Celebrante non publicabitur Indulgentia. Si fuerit Metropolitanus, afferetur ei ad pedem throni Crux Archiepiscopalis propter benedictionem.

65. Peracto Sacro, Celebrans cum Ministris, genuflexione confecta, recedent in Sacrarium, sacras vestes prompte dimittent, induent sibi proprios quisque habitus propter processionem et redibunt in chorum, coituri in processionem cum ceteris.

66. Si celebrabitur Missa lecta ab Episcopo, benedictione impertita, ipse recitabit Evangelium S. Ioannis ad Altare.

67. Interim clerici duo in promptu erunt cum paramentis episcopalibus apud abacum, et Episcopum sequentur ad thronum accedentem; cum clericis eisdem coibunt alii duo, recepturi planetam et manipulum.

68. In promptu etiam stabunt duo Cappellani cum mitra pretiosa et cum baculo pastorali, accessuri ad thronum post clericos supradictos.

69. Sub Missae finem aderunt in Presbyterio octo Mansionarii, de quibus supra, induti pluviali, umbraculum hastile delaturi, et qui primas obtinet in Magistratu, sustenturus extremitatem posteriorem pluvialis et vestis Episcopi.

70. Praesto erunt etiam apud abacum thuriferarii cum thuribulis.

71. Postquam parati erunt Canonici, poterunt eis distribui intorticia accensa a clericis duobus, itemque reliquo Clero, excepto Presbytero assistente, cui dabitur, ut infra.

72. Subdiaconus cum Cruce et Acolythis, si Clerus fuerit valde numerosus, nec debeat ante Canonicos paratos incedere, proficiscetur de choro statim ac donata fuerit ab Episcopo benedictio; et ordinem processionis sequetur.

73. Donata ab Episcopo benedictione, si Missam lectam celebraverit, duo Canonici Diaconi assistentes procedent ante Altare ibique expectabunt Episcopum, qui peracto Sacro, genuflexionem simplicem in suppedaneo faciet ad SS. Sacramentum, et quum descenderit ante Altare, medius inter Diaconos assistentes iterabit genuflexionem utroque genu, et cum eis ascendet in thronum.

74. Quando Episcopus de Altari accedet ad thronum et de throno redibit ad Altare, Clerum dextra non benedicet transiens per chorum.

75. Episcopus ascendet in cathedram throni, manipulum dimittet ac planetam, et a Diaconis assistentibus induetur pluviali cum formali pretioso. Caudatarius animadvertet ad expediendam extremitatem posteriorem vestis episcopalis.

76. Clerici referent ad abacum planetam et manipulum Episcopi; interim autem duo thuriferarii cum thuribulis appropinquabunt throno.

77. Clericus unus sustinebit taeniam seu chordulam albi coloris et velum humerale Episcopi prope Altare, traditurus illud, ut infra, et ponet etiam pulvinum albi coloris pro Episcopo super infimum gradum Altaris.

78. Quum omnia disposita fuerint ad profectionem Episcopi in processionem, ascendet a latere ad thronum Presbyter assistens, seu dignior Capituli, qui pluviali erit indutus.

79. Eodem tempore ascendent ad thronum cum debitis genuflexionibus duo thuriferarii.

80. Primus Diaconus assistens pileolum et mitram pretiosam imponet Episcopo.

81. Episcopus assurget, et incensum ministrante ex una navicula Presbytero assistente ac sine osculis, imponet illud sine benedictione in ambo thuribula successive praesentata a thuriferariis, qui stabunt in pedes.

82. Discedent de throno thuriferarii et procedent ad Altare, post ipsos ibit Presbyter assistens, qui geniculabit a dextra infimi gradus in parte anteriori, non vero in laterali.

83. Episcopus sinistra accipiet baculum postoralem et medius inter Diaconos assistentes, qui fimbrias pluvialis eius sublevabunt, descendet de throno.

84. Episcopum sequentur Caudatarius, qui syrmam sustentabit, deinde Cappellani a mitra, a baculo, a libro et a scotula.

85. Quum prope Altare venerit Episcopus dimittet baculum, qui recipietur a Cappellano vel ab alio, pro consuetudine cuiusque ecclesiae, et locum suum in processione sumet, ut supra.

86. Diaconus secundus assistens tollet Episcopo mitram, Diaconus primus tollet pileolum, et utrumque accipiet Cappellanus a mitra.

87. Cappellani a libro et a scotula accipient ex abaco librum et scotulam, si processio subsistet in aliqua ecclesia vel apud Altare aliquod erectum in processionis itinere.

88. Episcopus ante Altare progressus, genuflectet utroque genu in pavimento, deinde assurget et geniculabit super pulvinum positum in infimo gradu.

89. Diaconi assistentes, genuflexione cum Episcopo facta, ut supra, geniculabunt a lateribus eius, sed super pavimentum, ut locum dent thurificationi.

90. Presbyter assistens accipiet unum ex thuribulis et genuflexus a dextris Episcopi, porriget ei sine osculis thuribulum, quo ille triplici ductu thurificabit SS. Sacramentum.

91. Presbyter assistens recipiet thuribulum, quod tradet thuriferario, et assurgens accipiet a clerico intorticium suum et locum in processione sumet cum ceteris Canonicis.

92. Statim ac Episcopus incensaverit SS. Sacramentum, consurgent Canonici et in processionem incedent, ordine supra dicto.

93. Profecto de Altari Presbytero assistente, Caeremoniarius accipiet taeniam seu chordulam albam eamque imponet collo Episcopi, si opus fuerit, deinde acceptum velum humerale imponet super humeros Episcopi, cui velum ipsum ante pectus alligabitur a secundo Diacono assistente, qui ob eam rem geniculabit super gradum a sinistris Episcopi

94. Alligato ante pectus Episcopi velo humerali, Diaconus primus assistens surget, ascendet ad Altare, genuflexionem faciet in suppedaneo, sed aliquantulum a latere, ne vertat humeros ad Episcopum, accipiet dextera Ostensorium circa radiorum spheram, sinistra infra pedem, convertetur et Episcopo illud praesentabit.

95. Episcopus genuflexus adorabit SS. Sacramentum et adiuvante, si opus fuerit, secundo Diacono, manibus coopertis extremitatibus veli, assurget, accipiet Ostensorium, dexteram apponens nodo, sinistram infra pedem.

96. Diaconus primus geniculabit vel in suppedaneo vel super gradum Altaris, adorabit SS. Sacramentum, imponet pedi Ostensorii taeniam seu chordulam, quae pendebit de collo Episcopi, et assurget.

97. Episcopus, non ascendens ad Altare, convertetur ad populum et cantores immediate incipient cantare hymnum *Pange lingua*, quem prosequentur cum aliis hymnis cantare toto Processionis tempore.

98. Diaconi assistentes servantes locum suum, convertentur cum Episcopo ad populum et fimbrias pluvialis Episcopi sublevabunt.

99. Dum Episcopus thurificabit SS. Sacramentum, clerici duo ad hoc delecti, afferent umbraculum hastile ante Altare vel ad ingressum presbyterii et explicabunt ipsum: statim hastae illius accipientur a Beneficiariis seu mansionariis paratis, ut supra.

100. Ad intonationem hymni discedet Clerus, vel Canonici de choro, et bini exsequentes genuflexionem utroque genu ad Sacramentum ante Altare, in processionis ordinem incedent.

101. Quum Episcopus de Altari discedet, consurgent Cappellani sive clerici cum intorticiis et praecedent eum, locum sumentes ante et circa umbraculum, ut superius innutum est. Item quatuor supra nominati clerici cum laternis hastilibus, ardentibus candelis, occupabunt locum suum; ut supra.

102. Subeunte umbraculum Episcopo, dignior Magistratus qui aderit prope aditum presbyterii, ut superius dictum est, sequetur Episcopum, et accipiet ipsius vestis ac pluvialis extremitatem posteriorem, quam processionis tempore sustinebit. Caudatarius a sinistris eius incedet.

103. Processionis toto tempore, Episcopus cum Diaconis assistentibus recitabit alternatim hymnos et psalmos analogos.

104. Processio incedet per vias praestitutas, ordine supradicto.

105. Si cantorum chorus longe distaret ab Episcopo, immediate post umbraculum, ante Praelatos poterunt locum sumere quatuor aut sex cantores, qui variarum vocum concentu cantent identidem strophas hymnorum, qui sunt praescripti.

106. Si qua fiet statio secundum iter ad Altaria in viis erecta, vel in ecclesia aliqua, quae in itinere ipso occurret, processio intrabit in ecclesiam si capax erit, sin minus vel Clerus totus vel quaedam pars eius, et Canonici paramentis sacris induti locum sument ad scamna praeparata. Omnes illi, qui in ecclesiam ingredientur vel erunt in conspectu Altaris, procumbent in genua.

107. Episcopus progressus ante Altare subsistet, et primus Diaconus assistens, unum duosve passus praeveniens eum, aderit in suppedaneo vel super gradus, antequam Episcopus ad Altare accedat.

108. Diaconus idem accipiet Ostensorium, expectabit dum Episcopus genuflectat super pulvinum et cum ipso genuflectat etiam Diaconus secundus, atque adorent SS. Sacramentum; ipsum deinde collocabit super Altare, genuflectet a latere et redibit ad Episcopi dextram, ubi geniculabit.

109. Hoc tempore Diaconus secundus expediet Episcopo velum humerale, quod recipietur a Caeremoniario et clerico alicui tradetur.

110. Si necesse erit, unus ex thuriferariis recedet ad mutandum ignem in thuribulo; quod fiet deinde ab altero, quum redierit primus.

111. Presbyter assistens, commisso clerico intorticio, approximabit ad Altare et geniculabit in latere Epistolae, prope Diaconum primum assistentem.

112. Nobilis ille laicus, qui sustentabit extremitatem pluvialis et vestis episcopalis, geniculabit a tergo Episcopi.

113. Delatores umbraculi poterunt recedere a latere, sed animadvertent ut in promptu rursus sint, statim ac Episcopus recitaverit orationem.

114. Clerici seu Cappellani cum octo intorticiis disponentur ante vel circum Altare, ne tamen impediant actiones Episcopi et Assistentium eius.

115. Collocato a Diacono super Altari Ostensorio, cantores cantabunt *Tantum ergo* et post verba *Veneremur cernui*, ad quae omnes inclinabunt caput, Episcopus, Diaconi assistentes et Presbyter assistens consurgent. Se sistet Episcopo thu-

riferarius, qui stans in pedes obiiciet ei thuribulum apertum. Presbyter assistens incensum ministrabit Episcopo sine osculis. Episcopus incensum sine benedictione imponet in thuribulum. Diaconi assistentes attollent eius fimbrias pluvialis.

116. Postea rursus genuflectet Episcopus, et Presbyter assistens genuflexus a dextris eius in infimo gradu, tradet ei thuribulum, quo thurificabit triplici ductu SS. Sacramentum. Diaconi assistentes genuflectent in pavimento et fimbrias pluvialis Episcopi sublevabunt.

117. SS. Sacramento ab Episcopo thurificato, recipietur thuribulum a Presbytero assistente, qui restituet illud thuriferario, et redibit ad locum suum inter Canonicos atque intorticium resumet.

118. Accedent ad Episcopi dextram duo Cappellani cum libro et scotula.

119. Cantato a cantoribus ℣. *Panem de coelo* etc. ac responso *Omne delectamentum* etc. assurget Episcopus et e libro, quem ei praesentabit Cappellanus adstans in pedes a dextris eius, cantabit orationem *Oremus. Deus qui nobis* etc. cum brevi conclusione *Qui vivis et regnas in saecula saeculorum.*

120. Post orationem recedent Cappellani et Episcopus iterum geniculabit.

121. Redibunt ante Altare, seu Presbyterium, delatores umbraculi et ipsum explicabunt et ordinabunt ante Altare, dum interea processio rursus in ordinem dirigetur solicite.

122. Caeremoniarius reponet super humeros Episcopi velum humerale, quod ei a secundo Diacono assistente alligabitur.

123. Diaconus primus assistens ascendet ad Altare, genuflexionem faciet ante SS. Sacramentum, accipiet Ostensorium, convertetur ad Episcopum eique Ostensorium tradet, observando quae superius descripta sunt.

124. Relate ad delatores umbraculi in reditu ad ecclesiam, eadem quae superius num. 25.

125. In processionis reditu, Confraternitates disponentur in ecclesia versus portam primariam, Regulares circa medium ecclesiae et Clerus ordinabitur circum presbyterium. Nisi ec-

clesia capax fuerit continendi omnia collegia, quae processioni intervenerunt, Confraternitates disponentur in platea, vel alio modo fiet ut videbitur conveniens.

126. Caveatur prorsus, ne quis extinguat candelam aut discedat de ecclesia nisi quum donata fuerit ab Episcopo benedictio SS. Sacramenti et publicatae fuerint Indulgentiae.

127. Acolythi deponent candelabra super abacum et ibi geniculabunt.

128. Subdiaconus Crucifer poterit Crucem relinquere prope latus Evangelii, quo loco geniculabit.

129. Canonici Cathedralis, si hoc sinet amplitudo Presbyterii, disponentur in circuitum circa Altare, senioribus prope Episcopum restantibus, secus ad locum suum in chorum recedent.

130. Cappellanus a baculo coibit cum altero a mitra et consistent a latere versus cornu Evangelii.

131. Octo clerici seu Cappellani cum intorticiis locum sument ante vel a lateribus Altaris, caventes ne impediant actiones peragendas.

132. Beneficiarii seu Mansionarii cum pluviali, qui detulerint umbraculum usque ad Altare, tradent illud duobus supradictis clericis, qui reportabunt ipsum quo loco ab initio praeparatum erat; illi autem vel recedent in chorum, vel remanebunt in ingressu presbyterii.

133. Quatuor clerici sustinentes laternas hastiles poterunt redire in Sacrarium.

134. Duo thuriferarii consistent hinc inde a lateribus Altaris, ac si necesse fuerit, alter ipsorum renovabit ignem in thuribulo.

135. Cappellani cum libro et scotula consistent versus partem Epistolae.

136. Laicus nobilis, qui sustinuerit extremitatem posteriorem pluvialis et vestis episcopalis, quum steterit ante Altare, tradet illam Caudatario et se recipiet ad locum suum.

137. Presbyter assistens, tradito alicui clerico intorticio suo, consistet in latere Epistolae.

138. Episcopus consistet ante Altare et stabit.

139. Diaconus primus assistens accelerabit gradum, ut perveniat paullo ante Episcopum, et genuflexione facta, accipiet Ostensorium e manibus Episcopi. Expectabit autem ut Episcopus genua submittat in pulvino et Sacramentum adoret.

140. Tum Diaconus idem afferet Sacramentum super Altare et collocabit ipsum in medio, deinde genuflexione facta, ut supra, ad Episcopi dextram redibit.

141. Interea Diaconus secundus expediet Episcopo velum humerale, quod recipietur a Caeremoniario, et clerico alicui tradetur.

142. Ostensorio super Altari collocato, cantores cantabunt *Tantum ergo etc.* ac post *Veneremur cernui* consurgent Episcopus et Assistentes. Se sistet Episcopo thuriferarius, qui stans praesentabit ei thuribulum apertum. Presbyter assistens ministrabit incensum sine osculis. Diaconi assistentes attollent fimbrias pluvialis. Episcopus incensum in thuribulum sine benedictione iniiciet.

143. Episcopus iterum geniculabit et accepto thuribulo a Presbytero assistente, SS. Sacramentum triplici ductu incensabit.

144. Thurificato SS. Sacramento, Presbyter assistens recipiet thuribulum, eoque tradito thuriferario, geniculabit in infimo gradu a latere in parte Epistolae.

145. Uterque thuriferarius, genuflexione in medio facta ad SS. Sacramentum, redibunt in Sacrarium et deponent thuribula.

146. Appropinquabunt Episcopo dextrorsum duo Cappellani cum libro et scotula.

147. Cantato a cantoribus ℣. *Panem* etc. cum responso *Omne delectamentum* etc. assurget Episcopus et e libro, quem a dextris eius praesentabit ei Cappellanus stans in pedes, cantabit orationem *Oremus. Deus qui nobis* etc. cum brevi conclusione.

148. Post orationem recedent ad locum suum Cappellani a libro et scotula, atque Episcopus iterum submittet genua.

149. Caeremoniarius humeris Episcopi imponet velum humerale, quod alligabit ante pectus eius secundus Diaconus assistens.

150. Episcopus cum Diaconis assistentibus consurgent et ascendent in suppedaneum.

151. Clericus unus removebit pulvinum statim ac surrexerit Episcopus, eumque custodiet, repositurus ipsum, ut infra.

152. Quum Episcopus pervenerit in suppedaneum una cum Diaconis assistentibus, Diaconus secundus geniculabit in extremitate illius, Episcopus et Diaconus primus, facta genuflexione, consurgent.

153. Primus Diaconus assistens prius aptabit extremitates veli humeralis super manus Episcopi, postea accipiet Ostensorium et tradet Episcopo, qui accipiet illud ut supra, videlicet ponens dextram nodo et sinistram infra pedem.

154. Diaconus idem, tradito SS. Sacramento Episcopo, geniculabit in suppedaneo, ut alter Diaconus.

155. Uterque Diaconus assistens sublevabit fimbriam pluvialis Episcopi, et Caudatarius cavebit ne syrma vestis ei sit impedimento.

156. Episcopus, accepto Ostensorio, trinam benedictionem populo impertietur, videlicet primam a latere Epistolae, alteram in medio, ultimam a latere Evangelii: si tamen Altare esset orientale, seu quod idem est, si ante Altare habebit prospectum populi, benedictionem dabit primo versus cornu Evangelii, deinde in medio, postremo in latere Epistolae.

157. Priusquam Episcopus ad Altare ascendat daturus benedictionem, Presbyter assistens accipiet vel iubebit sibi tradi tabellam cum formula indulgentiarum.

158. Post benedictionem, assurget primus Diaconus assistens et receptum Ostensorium e manibus Episcopi ponet super Altare in medio.

159. Episcopus cum Diaconis assistentibus, iterata in suppedaneo genuflexione, descendent de Altari et geniculabunt iterum in infimo gradu.

160. Clericus unus reponet pulvinum albi coloris, in quo geniculabit Episcopus.

161. Presbyter assistens, descendente de Altari Episcopo ascendet a latere in cornu Epistolae, et publicabit formulam Indulgentiarum, postea facta genuflexione ad SS. Sacramentum, redibit ad locum suum.

162. Episcopo, post benedictionem genuflexo in infimo gradu, Diaconi assistentes expedient ac tollent velum humerale, quod a Caeremoniario recipietur et reponetur super abacum.

163. Publicatis, ut supra, indulgentiis, clericus unus vel Caeremoniarius deferet super Altare capsulam ad reponendum Sacramentum et velum albi coloris ad contegendum, si deesset tabernaculum seu ciborium.

164. Profecto de Altari Presbytero assistente, ascendet in suppedaneum Diaconus primus assistens, genuflexionem faciet ante SS. Sacramentum, aperiet crystallum Ostensorii, quin ipsum inclinet, extrahet lunulam cum S. Hostia eamque reponet in capsulam, quam operculo claudet, deinde reponet in ciborium, si aderit, vel relinquet super Altari et cooperiet velo albi coloris. Priusquam claudat ostiolum ciborii, genuflexionem faciet, tum de Altari descendet et ad Episcopi dextram redibit.

165. Assurget Episcopus cum Assistentibus et genuflexione ad SS. Sacramentum facta in pavimento sine pulvino, Diaconus primus assistens imponet prius pileolum, deinde mitram Episcopo, qui baculo sinistra sumpto, procedet ad thronum.

166. Episcopus accedens ad thronum, Clerum dextera benedicet dum per chorum transibit. Sequentur eum clerici recepturi paramenta eius et cubicularius deferens cappam.

167. Aderunt quatuor aut sex clerici intorticia Cleri recepturi et relaturi in Sacrarium.

168. In promptu etiam erunt clerici cum canistris, in quibus aderunt habitus chorales Canonicorum, et canistris aliis ad recipienda paramenta.

169. Throno ab Episcopo conscenso, Canonici in stallis suis dimittent paramenta et resument insignia choralia.

170. Episcopus ubi in thronum ascenderit, exuetur paramentis a Diaconis assistentibus: clerici paramenta episcopalia recipient et super Altare reponent. Si tamen adesset SS. Sacramentum non clausum in ciborio, sed coopertum super Altare, paramenta praedicta deferentur ad abacum ibique ponentur.

171. Cubicularius Episcopi animum adiiciet ad elevandam et alligandam syrmam vestis talaris et Episcopo, quum paramentis exutus erit, reponet cappam, adiutus a Diaconis assistentibus.

172. Beneficiarii parati pluviali, qui detulerunt hastas umbraculi in processionem, Subdiaconus Crucifer et quatuor Cappellani a mitra, baculo, libro et scotula recedent in Sacrarium ubi paramenta dimittent.

173. Octo clerici seu Cappellani cum intorticiis, profecto de Altari Episcopo, consurgent, genuflexionem conficient ad SS. Sacramentum et recedent in Sacrarium.

174. Dum exuetur Episcopus, reponetur ante Altare faldistorium cum pulvinis.

175. Cappa ab Episcopo resumpta, de throno discedent Diaconi assistentes, qui paramenta in stallis suis dimittent et resument habitum choralem.

176. Episcopus de throno descendet ad faldistorium, ubi genuflexus orabit; deinde genuflexione facta ad Sacramentum, associatus a Clero discedet de ecclesia.

177. Sin autem tota die etiam post processionem expositum super Altari adesset SS. Sacramentum, Diaconus primus, conscenso suppedaneo, loco reponendi SS. Sacramentum, genuflexione facta, ostensorium accipiet et collocabit in throno seu baldachino ascendens, si opus fuerit, super scabellum gradatum a clerico appositum. Tum redibit ad dexteram Episcopi et geniculabit.

178. Statim ac expositum erit SS. Sacramentum, Acolythi accipient candelabra et genuflexione facta ad SS. Sacramentum utroque genu, proficiscentur versus Sacrarium: post Acolythos incedet Clerus, qui genuflexionem exsequetur ut supra, deinde octo Beneficiarii parati pluviali, tum Canonici parati, ultimo loco Episcopus medius inter Diaconos assistentes, sequentibus Cappellanis a baculo, mitra etc. Ad nutum Caeremoniarii Episcopus cum Assistentibus consurgent et genuflexionem in pavimento exsequentur.

179. Si Celebrans erit Archiepiscopus, Crux archiepiscopalis a Subdiacono parato inter Acolythos deferetur ante Beneficiarios paratos et Canonicos.

180. Extra presbyterium, Diaconus primus assistens reponet pileolum et mitram pretiosam Episcopo, qui sinistra baculum accipiet.

181 In Sacrario ante altare aderit praeparatum in medio faldistorium cum tegumento albi coloris, super tapeto.

182. Episcopus in Sacrarium ingressus, salutabit Crucem altaris vel Crucem archiepiscopalem, si fuerit Archiepiscopus, Clerum dextera benedicet, sedebit in faldistorio et sacra indumenta dimittet.

183. Canonici quoque dimittent vestes sacras et resument habitum choralem, ad associandum Episcopum.

184. Episcopus, sacris vestibus dimissis, induetur mozzeta, et associatus a Canonicis discedet de Sacrario, non transiens per ecclesiam. Quod si nulla alia via exeundi esset de Sacrario, nisi per ecclesiam, hoc casu resumpta cappa intrabit in ecclesiam, adorabit SS. Sacramentum expositum, postea de ecclesia discedet associatus a Clero.

DE DOMINICIS POST PENTECOSTEN USQUE AD ADVENTUM.

CAP. XXXIV.

1. Nihil in hisce Dominicis occurrit, quod peculiarem mentionem mereatur. Si celebrabitur officium de Dominica, paramenta erunt viridis coloris, eiusdemque coloris erunt lodices et ceteri apparatus throni.

2. Si Episcopus assistet Missae solemni, observentur ritus superius descripti relativis capitulis, ante Missam autem fiet consueta aspersio aquae benedictae. Episcopus deberet assistere indutus cappa. Si qua de caussa extraordinaria assisteret paratus pluviali, praeter mitram auriphrygiatam, utetur etiam pretiosa.

3. Si Dominica, in qua suum officium celebratur, incideret in aliquam ex octavis seu generalibus sive partialibus, color paramentorum, throni etc. erit ille, quem requirit octava, ut praescribunt generales Missalis rubricae.

DE FESTIS PRIMARIIS IN ANNUM INCIDENTIBUS

CAP. XXXV.

1. Praecedentibus capitulis innuimus quo ritu celebranda sint quaedam festa principalia. Speciali modo egimus de illis, quorum celebrationi adnectitur ritus specialis, ut ex. gr. de festo Purificationis B. V. de Hebdomada maiori, de festo SS. Corporis Christi etc. Supervacaneum esse existimamus ulteriores addere instructiones pro ceteris festis primae et secundae classis, siquidem si placeret illa celebrare solemniter videmur consuluisse describendo diversos ritus pontificales pro Vesperis, Matutino et Missa.

2. Monebimus tantum pro ecclesiis cathedralibus, quod quum Episcopus celebrat Missam pontificalem, debet etiam officiare ritu praescripto in vesperis praecedentibus. Quae tamen obligatio non respicit vesperas secundas. A Caeremoniali tantum docemur posse Episcopum id facere in quibusdam solemnitatibus - Secundae vesperae poterunt etiam per Episcopum celebrari, saltem in Dominica Resurrectionis et in die Nativitatis Domini nostri Iesu Christi et in festo Sancti Titularis ecclesiae et Patroni civitatis - Lib. II. cap. I. num. 3.

3. Quandoquidem capitulo XXV. libri huius indicavimus, potestatem factam esse Episcopo donandi benedictionem Papalem in die Resurrectionis Dominicae et in altero ad libitum eligendo, praefinietur ab Episcopo dies, quo utetur hoc privilegio, ut innotescat fidelibus quo modo ibidem innutum est.

4. Pertinebit etiam ad Episcopum statuere quibus festis secundae classis velit assistere Missae solemni. Si festum esset magnae religionis apud populum, posset assistere indutus pluviali et pridie posset cantare vesperas ritu descripto relativis capitulis libri V.

CAPUT XXXVI.

1. Episcopus tenetur ipse per se visitare propriam dioecesim quibus temporibus decretum est a S. Concilio Tridentino.

2. Scopus visitationis indicatur in Pontificali Romano, titulo *Ordo ad visitandas Parochias* et a pluribus aliis scriptoribus, qui de argumento hoc egerunt.

3. Ne renuntiemus brevitati, quam persequimur, innuemus ritum, qui servandus est in visitatione, et in commodum Visitatorum inseremus in fine libri huius paragraphos 9. et 11. operis, cui titulus *Praxis compendiaria Visitationis* a P. Bartholomaeo Gavanto compilata.

4. Antequam instituatur Visitatio, publicabitur debito tempore Edictum, quod affigetur portis Cathedralis et mittetur per totam Dioecesim, affigendum in omnibus paroeciis, ut unusquisque possit ad visitationem disponi.

5. Utile etiam erit, praesertim in prima visitatione, ut praemittantur S. Missiones, quibus disponatur populus ad proficiendum ex S. Visitatione.

6. Die S. Visitationem praecedente sonabitur in laetitiae argumentum campanis Cathedralis et aliarum quoque ecclesiarum.

7. Functio sive actus aperturae Visitationis incboabitur in Cathedrali, aliis autem locis in ecclesia parochiali seu primaria.

Quae sint praeparanda.

8. Ecclesia ornabitur more festivo.

9. In limine Cathedralis praeparabitur tapetum cum pulvino, in quo geniculabit Episcopus.

10. Sternetur tapetum super gradus, apponetur pallium album et ardebunt sex cerei.

11. Ante Altare praeparabitur genuflexorium cum strato et pulvinis.

12. Prope latus Epistolae faldistorium cum veste albi coloris in usum Episcopi, quando sacra paramenta dimittet.

13. Abacus alba tobalea coopertus, in quo disponentur velum humerale album, libellus orationis de SS. Sacramento et intorticia duo.

14. Super Altari aderit corporale in medio explicatum, clavicula ciborii, stola albi coloris pro Sacrista, vasculum vitreum ad purificandos digitos, purificatorium unum.

Ad Altare maius.

15. Altare ornabitur sex candelabris nobilibus cum cereis et Cruce aequali candelabris, pallio coloris albi ac tapeto super gradibus. In promptu etiam habebitur pallium nigrum apponendum Altari pro absolutione defunctorum, ut docebitur inferius.

16. Super Altari in latere Epistolae aderit legile cum Pontificali pro recitandis precibus et oratione a digniore Cleri dicenda.

17. Ad pedem Crucis Canon pontificalis apertus pro benedictione ab Episcopo donanda.

18. Ante Altare ponetur faldistorium cum pulvinis, in quo genuflectet Episcopus.

19. Seorsim faldistorium alterum cum veste nigri coloris utendum ab Episcopo pro absolutione in defunctorum suffragium.

20. Super abaco contecto alba tobalea praeparabitur pluviale albi coloris cum stola, formale pretiosum et mitra auriphrygiata.

21. Super abacum alterum contectum, ut supra, disponentur pluviale cum stola nigra, formale simplex, amictus, mi-

tra simplex damascena albi coloris vel ex tela alba, pontificale (pars. III.) scotula cum candela, formula indulgentiarum, alter liber cum formula absolutionis. Prope Altare aderit baculus pastoralis.

22. Thronus indutus erit vestibus albi coloris.

In Sacristia.

23. Pluviale albi coloris pro digniore Cleri, qui excepturus erit Episcopum.

24. Thuribulum cum navicula.

25. Vasculum aquae sanctae cum aspersorio.

26. Exigua Crucifixi imago in lance argentea, albo velo contecta.

27. Crux hastilis seu processionalis.

28. Candelabra duo cum cereis pro Acolythis.

29. In Sacrario ipso, vel in aliquo cubiculo adiacente, disponentur ordinatim sacrae supellectiles ab Episcopo visitandae.

30. In promptu etiam erunt claves fontis baptismalis, armarii Oleorum sacrorum, et alterius armarii, in quo Reliquiae sacrae asservantur.

In Coemeterio.

31. In medio sternetur tapetum violaceum cum faldistorio instructo tegumento nigro.

32. Si Coemeterium ecclesiae adnexum non esset neque accedere ad illud liceret propter distantiam, praeparabitur lodix seu pannus niger explicandus super pavimentum in media ecclesia.

Ad Episcopium.

33. In ingressu Episcopii, vel etiam in aula, si commodae fuerint scalae, praeparabitur umbraculum hastile albi coloris.

34. Necesse est praeparare omnia ea quae opus sunt ad

Missam, si Episcopus celebrabit Missam lectam, itemque si administrabit solemniter Sacramentum Confirmationis, observabitur quod tradetur capitulo primo Libri VII.

De functione in Cathedrali.

35. Hora praestituta, quae erit mane, sonabitur festivo more campanis Cathedralis. Conveniens autem esset, ut etiam qui civitatis partes publicas sustinent, intervenirent huic functioni. Hoc casu Magistratus recta perget ad palatium episcopale.

36. Clerus congregabitur in Sacrarium, et ad nutum Caeremoniarii, dignior Capituli induet pluviale albi coloris supra rochetum, vel supra superpelliceum; Acolythi accendent candelas in candelabris suis; clerici tres accipient thuribulum cum igne et naviculam, vasculum aquae sanctae cum aspersorio et imaginem Crucifixi.

37. Interim accendentur Cerei in Altari maiore et in Altari SS. Sacramenti.

38. Clerus proficiscetur ad palatium episcopale ordine sequenti:

39. Tres praedicti clerici cum vasculo, cum Crucifixo et cum thuribulo: qui deferet Crucifixum obtinebit locum, medium, alter cum vasculo a dextris, tertius cum thuribulo a sinistris incedet. Clerici isti ubi pervenerint ad portam primariam ecclesiae, consistent a dextra ingressus intra ecclesiam. Post eos Crux processionalis inter Acolythos: Cantores induti superpellicio, secum ferentes pontificale, quo utentur in cantu, ut infra: Clerici Seminarii, bini: Beneficiarii seu Mansionarii, ut supra: Canonici et Dignitates, ut supra: ultimo loco dignior Capituli, pluviali albi coloris indutus, ut supra.

40. Egresso de ecclesia Clero, curae erit clerico alicui extendendi in limine tapetum cum pulvino.

41. Clericus alter custodiet habitum seu vestem choralem dignioris Cleri, cum dimittet pluviale.

42. Quum Clerus pervenerit ad Episcopium seu palatium episcopale, Crux cum Acolythis subsistet prope ingressum,

Seminarium in scalis, Beneficiarii in prioribus aulis. Canonici autem ingredientur in cubiculum salutatorium.

43. Clerici duo meminerint hastas umbraculi tradere Magistratui; quod si Magistratus non interveniret, tradent illis, ad quos deferre spectat sive ex usu, sive ex peculiari dispositione.

44. Episcopus cappa indutus excipiet Capitulum et processionaliter ad ecclesiam procedetur ordine sequenti:

45. Anteibunt clavigeri ecclesiae, siqui erunt, post eos incedet illa pars Magistratus, quae non erit inter delatores umbraculi; Crux inter Acolythos; cantores qui per iter cantabunt *Benedictus*; clerici Seminarii, bini, induti superpellicio et bireto capite cooperto; Beneficiarii seu Mansionarii Cathedralis, induti pariter superpellicio vel alio habitu chorali, si utentur, et bireto in capite; Canonici et Dignitates, induti canonicalibus insignibus et bireto capite cooperto, dignior Cleri indutus pluviali albi coloris et bireto in capite. Sequetur Episcopus solus, indutus cappa, sub umbraculo, et Caudatarius superpellicio indutus syrmam cappae episcopalis sustentabit; qui hastas umbraculi gestabunt, incedent capite nudato. Post umbraculum incedent familiares nobiles Episcopi et post ipsos Praelati, si aderunt et Convisitatores induti veste talari et pallio nigri coloris, nisi gaudebunt usu alius habitus distincti.

46. Si Ordinarius fuerit Metropolitanus, Crux praeferetur ante Canonicos, et imago Crucifixi versa erit ad Metropolitanum. Hoc casu in accessu Cleri ad palatium episcopale deferentur solum candelabra cum candelis et Acolythi ascendent ad Episcopium, coituri cum Crucifero.

47. Quum ad ecclesiam pervenerit Clerus, Crux subsistet contra portam aequo intervallo ita ut inter portam et Crucem ordinari in binas alas possit Clerus, qui capiti exuet biretum.

48. Episcopus quum pervenerit in limen ecclesiae, subsistet, geniculabit in pulvino ibi praeparato et capiti exuet etiam pileolum.

49. Dignior Cleri, exuto capiti bireto, a clerico, qui substiterit prope portam, accipiet Crucifixum, quem dempto velo, quo tegebatur, porriget osculandum Episcopo.

50. Postquam Episcopus osculatus erit Crucifixum, clericus illius custos, recipiet ipsum a digniore Cleri et rursus contectum velo albo reportabit in Sacrarium.

51. Tum idem Cleri dignior accipiet aspersorium aqua sancta perfusum, et cum osculis porriget illud Episcopo.

52. Episcopus, accepto aspersorio, signabit seipsum, deinde asperget Clerum, intra ecclesiam adstantem, in medio, a sinistris et a dextris suis; tum conversus ad portam, eodem modo asperget populum, qui aderit in platea, seu via. Ad aspersionem Episcopi, genuflectent omnes, exceptis Canonicis et Praelatis, siqui aderunt.

53. Episcopus aspersorium restituet digniori Cleri, hic autem clerico sustinenti vasculum.

54. Thuriferarius tradet naviculam digniori, et aperto thuribulo, se sistet ante Episcopum, cui genibus flexis illud praesentabit. Episcopus incensum, ministrante eodem digniore, imponet in thuribulum cum formula consueta, et benedicet illud.

55. Thuriferarius, imposito ab Episcopo incenso, assurget, thuribulum claudet ac tradet digniori, qui consistens quatuor vel quinque passus longe ab Episcopo et contra ipsum, adolebit eum triplici ductu, profundam reverentiam peragens ante et post thurificationem. Episcopus thurificationem accipiet capite cooperto bireto et post eam benedicet digniorem praedictum.

56. Clerici cum vasculo ac thuribulo recedent iunctim in Sacrarium vel ad abacum, ibique res praedictas deponent.

57. Thurificato Episcopo cantores immediate cantabunt antiphonam *Sacerdos et Pontifex* etc. vel ℟. *Ecce Sacerdos magnus* etc.

58. Crux et Clerus dirigetur versus Altare SS. Sacramenti et disponetur ante ipsum in unum pluresve ordines. Crux cum Acolythis consistet in ea parte, qua procedendum erit ad Altare maius.

59. Episcopus geniculabit in genuflexorio vel faldistorio et prope sinistram eius dignior Cleri indutus pluviali. Interim absoluto cantu antiphonae sive antedicti responsorii, sonabitur organis.

60. Progresso Episcopo ante Altare SS. Sacramenti, removebitur umbraculum, quod rursus adhibebitur in accessu ad Altare maius.

61. Crux cum Acolythis dirigetur ad Altare maius, ordine supradicto.

62. Acolythi quum venerint ante Altare maius, deponent candelabra super abacum, Crucifer imponet Crucem basi praeparatae. Clerus se recipiet in chorum ad subsellia et loco quisque suo geniculabit; dignior Cleri pluviali indutus accedet ad Altare et consistet in latere Epistolae ita ut a dextra stet versus candelabra Altaris: Episcopus geniculabit in faldistorio.

63. Ubi Episcopus pervenerit in ingressum Presbyterii, removebitur umbraculum hastile, quod amplius non adhibebitur in functione ista, et clerici duo recipient ipsum e manibus delatorum ac transferent in Sacrarium vel alio.

64. Genuflexo in faldistorio Episcopo, cessabit organorum sonus. Dignior Cleri, indutus, ut supra, pluviali stans in pedes apud Altare, loco superius innuto, recitabit versiculos *Protector noster* etc. cum oratione *Deus humilium visitator* etc.

65. Completa oratione, Episcopus assurget, ascendet ad Altare, quod osculabitur in medio, et benedictionem populo solemnem impertietur (*a*).

66. Postquam Episcopus benedictionem solemnem donaverit, dignior Cleri de Altari descendet, seorsim dimittet pluviale et resumpto habitu chorali, locum sibi convenientem in choro occupabit.

67. Post haec Episcopus, si placebit, Missam lectam celebrabit, secus ascendet in thronum et habebit homiliam ad populum, docens eum de obiecto et fine S. Visitationis, deque utilitatibus, quas ex illa potest referre. Si non ita facile Episcopus, e throno loquens, audiatur a populo, ponetur faldistorium in suppedaneo Altaris, vel alio loco, et inde verba faciet. Si celebrabit Missam lectam, homiliam habebit post Evangelium, sedens, ut supra, in faldistorio.

(*a*) A pontificali romano non praescribitur, ut cantetur antiphona cum versiculo de Sancto Titulari.

68. Ascendente in thronum Episcopo, ascendent etiam Diaconi assistentes.

69. Post homiliam Episcopus, nisi erit in throno aut in Altari, ascendet in thronum, vel si celebrabit Missam, manebit apud Altare: se tunc sistet ante thronum, vel ad pedem Altaris, Beneficiarius unus, qui cantabit *Confiteor*, stans in pedes, et genuflexionem faciet ad verba *Tibi Pater* et ad illa *Te Pater*. Episcopus etiam stabit in pedes, dum cantabitur *Confiteor*.

70. Sub finem *Confiteor*, accedent ad thronum vel ad Altare, Cappellani cum libro et scotula.

71. Dignior Cleri approximabit ad Episcopum, ferens secum formulam indulgentiarum.

72. Absoluto cantu praedicti *Confiteor*, recedet Beneficiarius, qui hoc cantaverit, sedebit Episcopus, et antedictus dignior Cleri publicabit indulgentias.

73. Post haec Episcopus assurgens donabit absolutionem et benedictionem cum formula *Precibus et meritis* etc. ad illa autem verba *Et benedictio Dei omnipotentis* caput operiet bireto vel caputio cappae, nisi celebrabit Missam: sin Missam celebrabit, antequam dicat *Et benedictio* etc. mitra cooperietur a primo Diacono.

74. Episcopus, donata benedictione, Missam, si celebrabit prosequetur usque ad finem, eaque expleta, exuet vestes sacras et operam dabit gratiarum actioni.

75. Si Missam non celebrabit, post benedictionem apponetur Altari pallium nigri coloris, distribuentur clericis paramenta nigra episcopalia, quae afferent ad thronum, videlicet amictus, stola nigra, pluviale nigrum et formale simplex. Cappellanus a mitra sibi imponet humeris velum seu vimpam, accipiet mitram simplicem eamque afferet ad thronum. Ad thronum etiam accedet Cubicularius. Cappellani a libro et a scotula, de throno profecti, accipient ex abaco pontificale et prope Altare consistent.

76. Sin autem Missam celebraverit, statuetur faldistorium in latere Epistolae ante gradus Altaris, ibique se parabit.

77. Progressis ante thronum clericis, Episcopus adiuvan-

tibus Diaconis assistentibus et Cubiculario, cappam dimittet, ac si erit ad faldistorium, dimittet mozzetam.

78. A Diaconis assistentibus induetur amictu, stola et pluviali nigri coloris, cui apponetur formale simplex. Diaconus primus mitram simplicem capiti eius imponet.

79. Aderunt interea prope Altare etiam clerici cum vasculo ac thuribulo.

80. Si aberit Caemeterium, ut supra innutum est, sternetur hoc tempore a clericis duobus in media ecclesia lodix nigra, et in capite sed extra ipsam ponetur exiguum tapetum violaceum, super quo collocabitur faldistorium convestitum tegumento nigro.

81. Paratus Episcopus descendet de throno, vel discedet e faldistorio medius inter Diaconos assistentes, qui fimbrias pluvialis eius attollent, et procedet ante Altare ibique faciet reverentiam.

82. Presbyter assistens de suo stallo discedet ac veniet ad Altare prope Episcopum.

83. Episcopus, reverentia ante Altare facta, convertetur versus populum, aut si Altare esset orientale, convertetur versus chorum, eique se sistent duo Cappellani cum libro et scotula.

84. Episcopus mitram capite gestans, intonabit sine cantu antiphonam *Si iniquitates* et post ipsam recitabit *De profundis* alternatim cum Assistentibus: in finem psalmi dicetur *Requiem aeternam* et Episcopus nullum faciet Crucis signum; post psalmum repetetur integra antiphona *Si iniquitates* etc.

85. Post antiphonam, secundus Diaconus assistens mitra nudabit Episcopum, qui dicet *Kyrie eleison* etc. deinde *Pater noster*, quod continuabit secreto..

86. Presbyter assistens approximabit ad dexteram Episcopi eique porriget aspersorium aqua sancta perfusum, sine osculis.

87. Episcopus, accepto aspersorio, asperget in medio, a sinistris et a dextris suis super pavimentum, quod habebit ante se. Cavebit in aspersione ista, ne aspergat pedes suos, nimium literaliter interpretando illa rubricae verba *ante se*: deinde aspersorium reddet Presbytero assistenti.

88. Postea thuriferarius naviculam tradet Presbytero assistenti et genuflexus praesentabit Episcopo thuribulum apertum. Episcopus incensum, ministrante Presbytero assistente sine osculis, imponet in thuribulum cum formula consueta cumque benedictione. Thuriferarius assurget, claudet thuribulum, quod tradet Presbytero assistenti, recipiens ab ipso naviculam.

89. Presbyter assistens porriget thuribulum Episcopo, qui versus pavimentum incensabit eodem modo quo traditum est de aspersione, et restituet deinde thuribulum Presbytero assistenti, hic autem thuriferario.

90. Se sistent Episcopo duo Cappellani cum libro et scotula atque Episcopus recitabit versiculos *Et ne nos inducas* etc. cum reliquis, postea orationem pro Episcopis defunctis.

91. Recitata praedicta oratione, primus Diaconus assistens reponet mitram Episcopo, et procedetur ad Coemeterium, vel in mediam ecclesiam, si Coemeterium ab ecclesia abesset, hoc ordine:

92. Clerici cum vasculo ac thuribulo. Clericus alter cum Cruce processionali, medius inter Acolythos cum candelabris, ardentibus candelis. Cantores. Clerus ordine superius innuto, Episcopus medius inter Diaconos assistentes. Tres Cappellani a mitra, a libro et a scotula.

93. Si fuerit Metropolitanus, Crux inter Acolythos deferetur ante Canonicos et clerici cum vasculo aquae sanctae cumque thuribulo antecedent Crucem.

94. Statim ac de choro movebitur Clerus, cantores intonabunt Responsorium *Qui Lazarum resuscitasti* etc. quod prosequentur cantare in itinere ab ecclesia ad Coemeterium.

95. Episcopus salutabit Crucem Altaris, priusquam proficiscatur cum Clero, et immediate submissa voce una cum Assistentibus recitabit ant. *Si iniquitates*, psalmum *De profundis* cum *Requiem* in fine, deinde repetet integram antiphonam *Si iniquitates observaveris*, etc.

96. Clerus quum pervenerit ad Coemeterium, vel in mediam ecclesiam, si aberit Coemeterium, ordinabitur a lateribus faldistorii, stantibus dignioribus propius Episcopum; clerici cum vasculo ac thuribulo consistent versus dexteram faldi-

storii, Episcopus sedebit in faldistorio inter Diaconos assistentes, Cappellani cum libro et scotula a sinistra faldistorii prope secundum Diaconum assistentem, Crux inter Acolythos stabit e regione Episcopi, sufficienti intervallo.

97. Episcopus sedebit in faldistorio in capite Coemeterii sive ecclesiae et priusquam sedeat, salutabit Crucem processionalem.

98. Absoluto a cantoribus cantu Responsorii *Qui Lazarum* etc. et sedente in faldistorio Episcopo, cantabitur alterum responsorium *Libera me, Domine* etc.

99. Presbyter assistens, ferme ad dimidium cantum antedicti responsorii approximabit ad dexteram Episcopi.

100. Cantato a cantoribus ℣. *Requiem aeternam*, ad quem Episcopus nullum faciet Crucis signum, Diaconi assistentes fimbrias pluvialis episcopalis attollent et ad dexteram eius accedet Presbyter assistens.

101. Thuriferarius naviculam tradet Presbytero assistenti et genuflexus praesentabit Episcopo thuribulum apertum. Presbyter assistens ministrabit sine osculis Episcopo incensum, quod ab ipso imponetur in thuribulum cum usitata formula cumque benedictione.

102. Presbyter assistens restituet naviculam thuriferario, qui recedet ad dexteram alterius clerici sustinentis vasculum.

103. Completo cantu responsorii, secundus Diaconus assistens tollet mitram Episcopo, qui assurget ac tum cantabitur a choro *Kyrie eleison* etc.

104. Deinde Episcopus elata voce cantabit *Pater noster*, quod prosequetur secreto. Presbyter assistens accipiet aspersorium et sine osculis Episcopo tradet ipsum. Episcopus, asperget super humum Coemeterii, vel si fiet in ecclesia, super lodicem nigram in pavimento positam, prius in medio, tum a sinistris, postremo a dextris suis, et restituet aspersorium Presbytero assistenti, a quo postea accipiet thuribulum, incensabit ut supra, et reddet thuribulum eidem Presbytero, qui salutato Episcopo, redibit ad locum suum inter Canonicos.

105. Se sistent Episcopo duo Cappellani cum libro et scotula atque Episcopus cantabit ℣. *Et ne nos inducas* etc. cum

reliquis: cantabit deinde triplicem orationem iunctis manibus, quando autem dicet *Oremus*, inclinationem faciet versus Crucem processionalem. Post orationes subiunget ℣. *Requiem aeternam*, nullum faciens Crucis signum et cantores duo cantabunt ℟. *Requiescant in pace*, ac responso *Amen*, Episcopus efficiet signum Crucis versus singulas partes Coemeterii, aut versus lodicem in media ecclesia extensam et versus sepulturas, si erunt.

106. Diaconus primus reponet mitram Episcopo, et Clerus ordine supra descripto, sequente Episcopo, revertetur ad ecclesiam et procedet ad Altare maius.

107. Inchoabit Episcopus et alternatim cum Clero prosequetur recitare psalmum *Miserere mei Deus*, etc. cum *Requiem aeternam* in fine.

108. Ubi Clerus pervenerit ad Altare maius, deponetur Crux processionalis et Acolythi candelabra relinquent super abacum. Clericus deponet vasculum super abacum, thuriferarius recedet in Sacrarium, renovabit ignem in thuribulo, deinde aderit prope Altare, in quo asservabitur SS. Sacramentum. Clerus ordinabitur circa Altare in presbyterio, vel circa balaustrium, pro amplitudine loci, ut in promptu sit accedendo ad Altare SS. Sacramenti.

109. Episcopo ante Altare progresso secundus Diaconus assistens tollet mitram. Episcopus, salutata Cruce Altaris, stans ad Altare ipsum conversus, e libro sibi obiecto a respectivo Cappellano, recitabit versiculos *Kyrie eleison* etc. cum oratione *Absolve*.

110. Interim praesto erit ad Altare SS. Sacramenti Sacrista indutus superpelliceo, thuriferarius, ut supra dictum est, et clerici duo qui accendent intorticia et consistent a lateribus ante Altare. Iubebitur de medio tolli faldistorium, quo usus erit Episcopus in accessu ad ecclesiam, et ponetur in infimo gradu pulvinus albi coloris in usum Episcopi.

111. Si instituta fuerit Confraternitas SS. Sacramenti, cuius praesertim munus sit tueri et ornare Sacellum istud, poterunt invitari confratres ad actum visitationis, et aderunt extra septum Sacelli sustinentes candelas ardentes.

112. Episcopus, post orationem *Absolve*, salutabit Crucem

Altaris eique reposita mitra simplici a primo Diacono assistente, ascendet rursum in thronum, vel praeparabitur faldistorium in latere Epistolae ante Altare, in quo sedebit versa facie ad populum.

113. Distribuentur paramenta episcopalia albi coloris, et aderunt alii clerici prope thronum vel apud Altare, recepturi paramenta, quae ab Episcopo dimittentur.

114. Episcopus, comitantibus Diaconis assistentibus, sequentibus clericis supradictis, quum venerit in thronum, a secundo Diacono assistente nudabitur mitra, et a primo Diacono, adiuvante secundo, exuetur formali simplici, pluviali et stola nigri coloris, et ab eisdem induetur stola albi coloris, pluviali simili et formali pretioso. Diaconus primus assistens imponet ei mitram auriphrygiatam. Episcopus baculum sinistra accipiet (a).

115. Interim Clerus processionaliter ordinabitur omnesque bini procedent versus Sacellum SS. Sacramenti, ibique Clerus in ordinem disponetur intra sacellum vel extra ipsum, pro amplitudine loci et numero Cleri. Crux non deferetur ante Clerum, nisi quum esset Crux archiepiscopalis ante Canonicos deferenda.

116. Episcopus cum Diaconis assistentibus sequetur Canonicos; post Episcopum incedent Cappellani a mitra, baculo, libro et scotula, ultimo loco Convisitatores cum Secretario seu scriba S. Visitationis.

117. In accessu Episcopi ad Altare, aderit ibi Parochus vel Sacrista, thuriferarius cum thuribulo et clerici cum intorticiis ardentibus.

118. Progressus ante Altare Episcopus dimittet baculum, secundus Diaconus assistens tollet ei mitram, primus tollet pileolum, quem tradet Cappellano a mitra.

119. Episcopus cum Diaconis assistentibus genuflexionem conficiet uno genu in pavimento et sine pulvino. Deinde Episcopus geniculabit super pulvinum positum in infimo gradu Altaris, ceteri omnes etiam geniculabunt.

(a) Notandum quod Pontificale romanum non praescribit actum obedientiae Episcopo praestandae in ipso S. Visitationis momento.

120. Sacrista, imposita sibi collo stola albi coloris, ascendet ad Altare, explicabit corporale in media mensa, admovebit aliquantulum ad dexteram corporalis vasculum aquae propter purificationem cum purificatorio, accipiet claviculam, ciborium aperiet, contrahet ex uno latere tentoriolum internum, si aderit in ciborio, genuflectet a latere in suppedaneo postea recedet extra ipsum, dimittens de collo stolam.

121. Interim ad Altare accedet Presbyter assistens et prope Diaconum primum consistet.

122. Aperto ciborio seu tabernaculo, in quo custodietur SS. Sacramentum, assurget Episcopus. Diaconi assistentes attollent eius fimbrias pluvialis. Presbyter assistens incensum ministrabit Episcopo sine osculis et Episcopus incensum imponet in thuribulum, quod ei praesentabitur a thuriferario stante.

123. Genuflectet iterum super pulvinum Episcopus, accipiet a Presbytero assistente thuribulum, thurificabit triplici ductu SS. Sacramentum, deinde restituet thuribulum Presbytero assistenti et hic thuriferario, qui referet illud in Sacrarium.

124. Presbyter assistens discedet de Altari et redibit ad locum suum inter Canonicos.

125. Episcopus postquam thurificaverit SS. Sacramentum, intonabit *Tantum ergo*, quod in cantu prosequentur Clerus et populus. Post verba *Veneremur cernui*, ad quae fiet ab omnibus profunda inclinatio, assurget Episcopus, et ab uno clerico amoto pulvino, ascendet ad Altare ac genuflectet in suppedaneo. Approximabunt ad Altare Convisitatores cum Secretario Visitationis et Parochus etiam vel Sacrista, recedentibus aliquantulo Diaconis assistentibus.

126. Episcopus pixidem educet de ciborio seu tabernaculo eamque ponet in Altari et demet operculum; inspiciet pixidem ipsam, tabernaculum et accessiones, ac si opus fuerit, emanabit opportuna decreta, quae a Secretario S. Visitationis notabuntur.

127. Postquam Episcopus adoraverit SS. Sacramentum et rursus texerit pixidem, recedent Convisitatores cum Secretario iterumque accedent ad Episcopum Diaconi assistentes. Cae-

remoniarius in promptu habebit velum humerale. Episcopus geniculabit in suppedaneo cum Diaconis assistentibus, eique a Caeremoniario imponetur humeris velum humerale, quod ante pectus eius alligabit secundus Diaconus assistens. Sacrista rursus sibi collo imponet stolam et approximabit ad Altare.

128. Cantores resument cantum ad ℣. *Genitori genitoque* etc. Postea surget Episcopus et trinam populo benedictionem impertietur, Sacrista porrigente ei, si opus fuerit, S. Pixidem, quae tamen in benedictione contecta erit extremitatibus veli humeralis.

129. Benedictione largita, Episcopus deponet Sacramentum super Altare ac dimittet velum humerale. Sacrista reponet S. Pixidem et claudet ciborium.

130. Episcopus de Altari descendet, genuflectet ante SS. Sacramentum capite nudato et a primo Diacono assistente reponetur ei pileolus et mitra.

131. Accedet ad faldistorium ibique sedens exuetur sacris paramentis. Clerici recipient paramenta episcopalia et super abacum reponent.

132. Episcopus cappam resumet et brevi oratione facta ante SS. Sacramentum, genuflectens in pulvino posito super infimum gradum, comitantibus Convisitatoribus et Secretario Visitationis ac sequente Clero, procedet ad Baptisterium. Praesto ibi erit Parochus, qui aperiet baptisterium, fontem baptismalem et reliqua omnia ibi custodita.

133. Post haec Episcopus eodem ac supra comitatu, accedet ad visitandam custodiam, qua continentur Olea sacra, eaque aperietur a Parocho vel a Sacrista, penes quem erit clavis.

134. Transibit deinde in Sacrarium ibique in promptu stabunt clerici duo cum intorticiis ardentibus et praeparatus erit etiam pulvinus vel genuflexorium cum pulvinis. Aperietur a Sacrista armarium, quo asservantur S. Reliquiae. Episcopus geniculabit in pulvino vel super genuflexorio et orabit ante S. Reliquias: postea visitationem peraget ipsarum.

135. His effectis, poterit Episcopus redire ad residentiam suam et associabitur a Clero, ut supra, ac diebus subsequentibus prosequetur visitationem.

136. Relate ad administrationem S. Confirmationis et ad alias functiones, quae fieri deberent in actu S. Visitationis, observabitur quod praescribetur in relativis capitulis lib. VII.

De functione in Dioecesi

137. In locis distinctioribus Dioecesis, in quibus adsit Clerus numerosus, servabitur methodus eadem, ac si placeret Episcopo visitationem inchoare statim post adventum suum, excipietur cum umbraculo hastili et processionaliter a Clero ad portam civitatis: ideoque Episcopus aliquo ab urbe intervallo induet habitus praelaticios et cappam, atque in porta quum steterit, osculabitur Crucifixum: in reliqua functione observabitur totum id quod praescriptum est in Cathedrali.

138. Locis autem minoribus Dioecesis, nisi possit erigi thronus pro Episcopo, praeparabitur sedes cameralis vel faldistorium in suppedaneo Altaris: Episcopus non utetur cappa, sed mozzeta supra rochetum; et pro absolutione defunctorum atque adoratione SS. Sacramenti, supra mozzetam assumet stolam nigram, deinde stolam albi coloris. Hoc casu poterit observari methodus praescripta pro paroeciis ruralibus Clero carentibus, ut cap. XII. lib. III.

139. In discessu autem, Episcopus indutus habitu viatorio, descendet ad ecclesiam, adorabit SS. Sacramentum et stans deinde in pedes prope Altare in latere Epistolae, recitabit psalmum *De profundis* cum reliquis precibus in Pontificali notatis.

DE EXPOSITIONE AUT REPOSITIONE SS. SACRAMENTI IN ORATIONE QUADRAGINTA HORARUM, PERSOLUTA AB EPISCOPO.

CAPUT XXXVIII.

1. Quibusdam in ecclesiis ad maiorem solemnitatem solet expositio aut repositio SS. Sacramenti in oratione quadraginta horarum celebrari ab Episcopo.

2. Missa celebrabitur semper a Presbytero. Functio tantum post Missam reservabitur Episcopo.

Quae sint praeparanda.

3. In abaco praeparentur ea omnia, quae opus sunt in Missis solemnibus, ut notavimus respectivis capitulis lib. II. addetur autem velum humerale album pro Episcopo, pulvinus in quo geniculabit, scotula cum candela et liber pro recitandis precibus.

4. In Sacrario, praeter paramenta pro Celebrante et Ministris, praeparabitur super illius Altare pluviale cum stola albi coloris, Crux pectoralis, cingulum, alba et amictus, quae contegentur albo velo, et in latere uno mitra pretiosa cum velo pro Cappellano a mitra. Si Episcopus esset ordinarius, praeparabitur etiam formale, et prope Altare baculus pastoralis.

5. In medio Sacrario super exiguo tapeto praeparabitur sedes cameralis vel faldistorium.

6. Si color, qui in Missa requiritur, non erit albus, super alia mensa aderunt in promptu paramenta albi coloris pro Ministris, quae aderunt etiam, si Ministri essent alii ab illis, qui in Missa solemni ministrabunt.

7. In eodem Sacrario in promptu erunt duo thuribula cum naviculis.

8. Episcopus, qui exsequi functionem supradictam debebit, aderit hora praestituta in Sacrario, ne notabile temporis intervallum intersit inter Missam et functionem. Accedet ad Sacrarium per portam privatam, etiamsi esset Episcopus ordinarius: siquidem eius accessus per portam maiorem posset aliquod afferre impedimentum ritibus Missae solemnis et multo magis, si iam adesset expositum SS. Sacramentum. Excipietur in Sacrario a quibusdam digniorum Cleri, prout Episcopus erit ordinarius vel extraneus; ibique immorabitur donec peractum erit Sacrum solemne. Aderunt etiam in Sacrario clerici delecti ad inserviendum Episcopo.

9. Celebrans, peracto Sacro, genuflexionem in suppedaneo conficiet cum Ministris, quibuscum etiam descendet de Altari, et in plano ante infimum gradum genuflexionem iterabunt utroque genu et Celebrans et Ministri: hoc ipsum fiet ab Acolythis, qui ad ultimum Evangelium, candelabris ex abaco sumptis, procedent ante Altare.

10. De choro discedent Acolythi cum candelabris et Celebrans cum Ministris, qui caput bireto cooperient quando erunt extra conspectum SS. Sacramenti.

11. Ubi ventum erit in Sacrarium fiet ab omnibus reverentia ad Episcopum. Acolythi deponent candelabra, quae tamen non extinguent: Ministri comitabuntur Celebrantem ad locum ipsum, ubi induerunt paramenta, dimittent manipulos, salutabunt Celebrantem; accedent ad Episcopum et reverentia facta ante ipsum, consistent a lateribus eius. Si tamen deberent paramenta immutare propter colorem, id exsequentur priusquam veniant ad Episcopum. Celebrans autem, adiuvante clerico aliquo, paramenta dimittet.

12. Si Ministri alii essent a Ministris Celebrantis, possent parari Ministri, deinde Episcopus sub finem Missae solemnis, atque ita, reverso in Sacrarium Celebrante, principium fieri posset reliquae functionis.

13. Quum ad Episcopum accesserint Ministri, in promptu erunt clerici deferentes paramenta episcopalia, quae in ante-

cessum distribuentur eis a Caeremoniario, et unus post alium iunctim procedent ante Episcopum.

14. Episcopus dimittet mantelletum vel mozzetam, expedietur a Cubiculario syrma vestis eius et a Ministris ipsis parabitur amictu, alba, cingulo, Cruce pectorali, stola et pluviali albi coloris. Si erit in sua dioecesi, super pluviali imponetur ei formale a Diacono. Item Diaconus induet eum mitra pretiosa, ac si fuerit in sua dioecesi, tradetur ei a Subdiacono baculus pastoralis, quem sinistra accipiet. Ministri accipient a Caeremoniario biretum, quo caput cooperient, quum egressi fuerint e Sacrario.

15. Sin autem Celebrans esset Archiepiscopus et functionem celebraret in sua metropoli, aderit Subdiaconus paratus alba tunicella, qui se sistet ante ipsum cum Cruce archiepiscopali, dum ei a Diacono imponetur mitra.

16. Episcopus assurget et reverentiam faciet ante Crucem vel ad imaginem praecipuam Sacrarii. Si tamen fuerit Archiepiscopus, reverentiam faciet ad Crucem archiepiscopalem. Ad ecclesiam autem procedetur ordine sequenti:

17. Si expositionis erit functio, anteibunt duo thuriferarii cum thuribulis et naviculis. Duo Acolythi cum candelabris. Clerus, si aderit, et incedent bini. Episcopus medius inter Ministros sustinentes eius fimbrias pluvialis. Sequentur clericus a mitra et clericus caudatarius qui extremitatem posteriorem eius vestis sustentabit.

18. Sin autem fuerit Metropolitanus, anteibunt duo thuriferarii cum thuribulis, si tamen functio erit expositionis; Crucifer indutus tunicella, qui gestabit Crucem archiepiscopalem inter Acolythos; Canonici Cathedralis, si qui erunt; Episcopus medius inter Ministros, sequentibus clerico a mitra et clerico caudatario.

19. Ministri ingressi in conspectum SS. Sacramenti, biretum dimittent ac tradent Caeremoniario. Diaconus autem tollet mitram et pileolum Episcopo, quando aderit prope ingressum Presbyterii.

20. Si Episcopus erit Ordinarius abstinebit a benedicendo adstantes dextera, respectu SS. Sacramenti.

21. Si expositionis erit functio, duo thuriferarii genuflexionem conficient utroque genu et consistent versus cornu Epistolae. Acolythi pariter genuflectent, ut supra, deinde se aggregabunt clerico, qui Crucem in processionem gestabit. Episcopus ante Altare progressus, genuflexionem utroque genu faciet in pavimento ante gradum infimum, non utens pulvino; deinde assurget et incensum sine benedictione immediate imponet in utrumque thuribulum, eique Diaconus ministrabit incensum et thuriferarii stantes successive praesentabunt thuribulum.

22. Interim ordinabitur processio, ut cap. XXXVIII. lib. II. num. 60 et seq.

23. Episcopus, incenso in thuribula iniecto, geniculabit in pulvino posito super gradum infimum et accepto a Diacono thuribulo, SS. Sacramentum thurificabit.

24. Caeremoniarius imponet humeris Episcopi velum humerale, quod ei a Subdiacono alligabitur; Diaconus autem ascendet ad Altare, accipiet Sacramentum, ipsumque tradet Episcopo et reliqua peragentur, ut traditum est supra citato capitulo.

25. Si fuerit Episcopus ordinarius, ante baldachinum praeibit clericus, qui deferet baculum pastoralem. Si fuerit Metropolitanus in sua dioecesi, praeter baculum, curabitur, ut Crux deferatur immediate ante Canonicos, ac si deerunt Canonici, praeibit immediate ante Metropolitanum.

26. In processionis reditu ad Altare, exponetur SS. Sacramentum, cantabitur *Tantum ergo,* Litaniae et preces, tum ordine superius innuto, redibitur in Sacrarium.

27. In functione autem repositionis, Episcopus progressus ante Altare, genuflexionem utroque genu conficiet cum Ministris ante infimum gradum Altaris in pavimento, tum geniculabit super pulvinum positum in medio gradu infimo et incipientur cantari Litaniae.

28. Sub finem cantus Litaniarum thuriferarii pergent in Sacrarium ad accipienda thuribula.

29. Reliqua in functione peragentur ordine supra descripto et citato capitulo XXXVIII. lib. II.

DE PROCESSIONE CUM SS. SACRAMENTO IN DOMINICA TERTIA CUIUSQUE MENSIS.

CAPUT XXXVIII.

1. Usum vetustissimum, in ecclesiis cathedralibus et parochialibus receptum, celebrandi Processionem cum SS. Sacramento in Dominica tertia cuiusque mensis, notavimus iam lib. II. cap. XXXIX.

2. Instructiones pro functione ista persolvenda in ecclesiis cathedralibus non differunt ab illis, quae traditae sunt libro et capitulo praedicto pro ceteris ecclesiis.

3. Fieri quandoque potest, ut Episcopus assistat Missae solemni, deinde intersit etiam processioni. Hoc in casu quaedam brevia documenta sunt tradenda.

4. In Missa consecrabitur S. Hostia in processionem gestanda.

5. Episcopus cappa indutus non sedebit post Communionem et stabit etiam quando, peracto Sacro, Celebrans induetur pluviali.

6. Celebrans postquam indutus erit pluviali, procedet cum Ministris ante Altare, genuflexionem duplicem ante SS. Sacramentum cum ipsis conficiet et super infimum gradum in latere Epistolae genieulabunt.

7. Interim versus latus Evangelii praeparabitur pro Episcopo faldistorium vel genuflexorium, apud quod genibus flexis adstabit cappellanus eius habitu talari sine superpellicio, qui sustinebit intorticium ardens, quod ipsi traditum erit a clerico sub exitum Missae.

8. Dum Celebrans, ut supra, ad Altare procedet, uterque thuriferarius ascendent ad thronum et Episcopus stans adhuc in pedes imponet incensum in utrumque thuribulum sine benedictione. Presbyter assistens conscenso throno a latere, incensum Episcopo sine osculis ministrabit.

9. Episcopus, praeeunte Presbytero assistente et comitantibus Diaconis assistentibus, descendet de throno, veniet ante Altare, genuflexionem duplicem in pavimento faciet, non adhibito pulvino, assurget, geniculabit in pulvino super medium gradum infimum praeparato et SS. Sacramentum incensabit thuribulo, quod ei porriget Presbyter assistens.

10. Thuribulo restituto, assurget Episcopus, iterabit genuflexionem, ut supra, et veniet ad faldistorium seu genuflexorium sibi praeparatum versus latus Evangelii, et in illo geniculabit.

11. Interea clericus unus amovebit a medio gradu pulvinum, quo usus erit Episcopus, Diaconus autem vel Caeremoniarius velum humerale imponet humeris Celebrantis.

12. Genuflexo Episcopo, Presbyter assistens et Diaconi assistentes recedent inter Canonicos ad locum suum et accipient intorticium vel candelam in processionem gestandam.

13. Item genuflexo Episcopo, Celebrans cum Ministris procedent ante Altare et geniculabunt in medio gradu infimo. Diaconus ascendet ad Altare, accipiet SS. Sacramentum, ut ibidem descriptum est, et processionis principium fiet.

14. Episcopus in processionem incedet solus post Celebrantem et intorticium ardens manu dextera sustinebit. Eum comitabuntur Caeremoniarius et sequentur sui familiares nobiles.

15. In processionis reditu ad Altare, collocabitur faldistorium in medio ante Altare, ibique genua flectet Episcopus. Revenient ad assistentiam praestandam Presbyter assistens et Diaconi assistentes, qui clerico alicui tradent intorticium seu candelam, quam gestaverint in processionem.

16. Celebrans, postquam Diaconus Sacramentum super Altare reposuerit, asssurget et cum Ministris veniet geniculatum in latus Epistolae, ne tergum vertat Episcopo.

17. Episcopus, innuente Caeremoniario, assurget, incensum imponet in thuribulum, accedet ad Altare, genua submittet in gradu infimo et SS. Sacramentum thurificabit.

18. Presbyter assistens ministrabit Episcopo incensum ac thuribulum, deinde ad locum suum se recipiet.

19. Benedictione donata et reposito SS. Sacramento, Episcopus de Ecclesia discedet associatus a Clero: tum Celebrans cum Ministris, praecedentibus Acolythis cum candelabris, revertetur in Sacrarium.

20. Si ordinarius erit Metropolitanus, in processionem deferetur Crux ecclesiae ante Clerum, et Crux archiepiscopalis remanebit apud Altare nec gestabitur ante Metropolitanum, qui immediate post Celebrantem comitabitur SS. Sacramentum.

21. Sin autem Episcopus assistet Missae solemni paratus pluviali, peracto Sacro, Celebrans cum Ministris discedent de Altari et redibunt in Sacrarium.

22. Cum initium processionis faciendum erit, Diaconus primus mitram reponet Episcopo, qui stans imponet sine benedictione in utrumque thuribulum incensum, quod ipsi ministrabit Presbyter assistens. Deinde accepto sinistra baculo, praeeunte Presbytero assistente, medius inter Diaconos assistentes, qui fimbrias pluvialis eius sustentabunt, descendet de throno, non benedicet Clerum et procedet ante Altare, ubi dimittet baculum et secundus Diaconus tollet ei mitram, primus Diaconus pileolum.

23. Episcopus ante Altare progressus, genuflexionem duplicem in pavimento faciet, non adhibito pulvino, tum assurget, geniculabit super pulvinum positum in medio gradu infimo, ac thuribulo accepto a Presbytero assistente, thurificabit SS. Sacramentum.

24. Interim a clerico aliquo imponetur primo Diacono stola Diaconalis supra cappam, vel supra insigne chorale, cuius usu gaudebit

25. Presbyter assistens, postquam ab Episcopo receperit thuribulum, se recipiet ad locum suum inter Canonicos; Caeremoniarius autem imponet humeris Episcopi velum humerale albi coloris, quod ipsi a secundo Diacono assistente ante pectus alligabitur.

26. Diaconus primus assistens ascendet in suppedaneum, SS. Sacramentum cum debitis genuflexionibus accipiet, deinde tradet Episcopo. Cantores incipient cantum hymni *Pange lingua*, et processionis initium fiet.

27. Idem Diaconus primus, SS. Sacramento tradito Epi-

scopo, sibi detrahet stolam, quae adhibebitur in reditu processionis, et cum Diacono secundo operam dabit assistendo Episcopo.

28. Si Celebrans fuerit Archiepiscopus, deferetur Crux archiepiscopalis ante Canonicos tantum a Crucifero superpellicio induto, adstantibus ipsi a lateribus duobus Acolythis candelabra gestantibus.

29. In processionis reditu ad Altare, Diaconus primus sibi rursus imponet stolam diaconalem, recipiet ab Episcopo SS. Sacramentum et reponet ipsum super Altare.

30. Postremo benedictionem Episcopus impertietur, et post ipsam redibit in thronum ubi sacras vestes dimittet, vel recedet in Sacrarium ad dimittendas vestes sacras, et a Clero ad suam residentiam associabitur.

DE ANNIVERSARIIS ELECTIONIS ET CONSECRATIONIS EPISCOPI.

CAPUT XXXIX.

1. Singulis annis in diebus electionis et consecrationis proprii Episcopi, in ecclesia cathedrali post Nonam ab Dignitate aut Canonico aliquo, vel etiam ab Episcopo ipso cantabitur Missa solemnis huius commemorationis, quae in Missali recensetur inter Missas votivas cum titulo « In anniversario electionis seu consecrationis Episcopi » Celebrabitur cum paramentis albi coloris, cum *Gloria* et *Credo* cumque unica oratione, ut convenit Missis votivis solemnibus.

2. Episcopus, nisi ipsemet Missam celebrabit, assistet paratus pluviali, vel saltem indutus cappa. Advertetur, ut in oratione nominetur ecclesia, cui praesidet.

3. Si unum ex hisce diebus incideret in diem feriatum,

quo scilicet non liceat Missam votivam solemnem celebrare, adiungetur oratio pro Episcopo in Missa solemni, addendo commemorationem primae orationi Missae sub unica conclusione.

4. In omnibus Collegiatis cantabitur, ut supra, Missa, et in omnibus ecclesiis Dioecesis, comprehensis Regularium ecclesiis, recitabitur praedictis diebus oratio pro Episcopo, post orationes omnes a rubrica praescriptas.

5. Quibus diebus occurrit duplex aliquod primae classis, omittetur supradicta oratio in Missis privatis et in diebus de officio duplici secundae classis recitabitur sub unica conclusione cum oratione prima.

6. Si Episcopus translatus erit ab una in alteram dioecesim, loco diei eletionis cantabitur Missa et respective recitabitur collecta in die translationis.

7. Illud postremo notandum, quod dies anniversarius electionis aut translationis ille quidem est, in quo Episcopus electus fuit aut translatus a Summo Pontifice in Consistorio ad Ecclesiam illam, cui praesidet actualiter

DE SYNODO DIOECESANA.

CAPUT XL.

1. Praesenti capitulo, quo agitur de Synodo dioecesana, pariterque in sequenti, quo tractabitur Concilium provinciale, innuemus tantummodo ritum in utraque functione servandum. De iure autem interveniendi et appellandi, de materiis in Synodo et in Concilio agitandis et quidquid extraneum est Caeremoniis, supersedemus disserere, propterea quod possit quisquis illa discere ex iis scriptoribus, qui ex professo de materiis istis egerunt. Limites, quos nobis ipsi proposuimus in hoc sacrarum Caeremoniarum Manuali, non sinunt ut talia argumenta ingrediamur, quae longum tractatum requirerent.

De dispositionibus
in antecessum Synodi capiendis.

2. Dioecesana Synodus congreganda esset singulis annis, quemadmodum praescribit Concilium Tridentinum sess. XXIV. cap. II. *De reformat.* Solet nunc rarius (ex indulto Pontificio) ab Episcopis haberi, et generatim post primam visitationem Dioecesis, siquidem quum cognitae tunc sint indigentiae dioecesis ipsius, placet iis consulere et mederi celebratione Synodi.

3. Episcopus solet accire suae dioecesis Ecclesiasticos, prudentia, doctrina et moribus spectabiliores, et cum ipsis conferre de materiis subiiciendis Synodi decisionibus. Non excludet tamen ab illis quosdam suae Cathedralis Canonicos. Interea compilabuntur Constitutiones synodales, subiiciendae examini Capituli, ut docebitur inferius.

4. Quum omnia disposita et meditatae difficultates superandae fuerint, poterit indici Synodus, quae celebrabitur post Pascha, vel etiam alio anni tempore, si ita magis conferat ad Synodum ipsam.

5. Itaque die festo Epiphaniae in publicatione festorum mobilium nunciabitur celebratio Synodi, ut praescribit Pontificale, ac si nondum praefinita dies erit qua initium eius fiet, dicetur simpliciter — Post Pascha dioecesana Synodus habebitur.

6. Compilabitur autem latino sermone ac typis excusum vulgabitur Edictum de Synodo, quod affixum portis Cathedralis, Episcopii et ecclesiarum parochialium dioecesis, obligabit omnes illos, qui debebunt intervenire, perinde ac si fuisset singulis indictum. Praefinietur in edicto dies, quo initium Synodi fiet et convocabuntur omnes illi, qui vel iure vel consuetudine intervenire ad Synodum debent; quod si quis legittime impediretur, impedimentum suum tenetur probare formis canonicis; definientur publicae preces faciendae a die denunciationis usque ad complementum Synodi; persuadetur Parochis ceterisque Ecclesiasticis, ut Episcopum vel eius Vicarium doceant de malis et probris, si qua in dioecesim irrepserint, ac de modo quo possint extirpari: demum oratio cunctis fidelibus

commendabitur ad obtinendam Dei super Synodum benedictionem, ut emolumento et utilitati sit dioecesi universae. Porro edictum istud publicabitur et affigetur duobus ferme mensibus ante Synodi ipsius celebrationem.

7. Triginta diebus vel paullo plus ante Synodum, cogentur apud Episcopum Congregationes conciliares in praeparatione rerum gerendarum.

8. Congregationes praedictae habebuntur in Palatio episcopali, iisque praeerit ipse Episcopus, qui interveniet indutus habitu praelatitio, videlicet veste talari, rocheto et mozzeta. Canonici ceterique Ecclesiastici induent vestem talarem cum pallio vel cum alio habitu distinctiori, si huius usu gaudebunt. Episcopus sedebit sede spectabili in capite aulae, ceteri considebunt in lateribus quo ordine singulis conveniet ex antiquitate et dignitate. Aderit mensa ampla, cooperta viridi tapeto, cum atramentariis, calamis, charta etc. et circa ipsam sedebunt saltem Canonici Cathedralis. Prope mensam istam aderunt binae tabulae minores, ad quarum unam sedebit Secretarius, ad alteram Tabularius synodalis. Prope locum Episcopi ponetur tabella cum oratione *Adsumus* etc. imago Crucifixi et campanula. Curae autem erit familiaribus Episcopi vigilare, ne quis inaudiendi caussa quae tractentur in Congregatione, audeat accedere et subsistere ad fores aulae.

9. In una pluribusve Congregationibus habendis, ut supra, deligentur ante omnia Officiales Synodi, deinde legentur Constitutiones, de quibus locum habebit discussio, et reformabuntur, si ita videbitur Episcopo ex consilio Capituli sui. Statuentur etiam ea, quae opus esse poterunt pro regulari processu functionis, pro hospitio Cleri dioecesani, etc.

10. Aequum etiam esset, ut populorum animi disponerentur S. Missionibus, Clerus autem totus una cum Episcopo secederent in aliquod coenobium seu domum Religiosorum, operam dantes Exercitiis spiritualibus.

11. Diebus octo decemve ante Synodum publicabitur typis impressa instructio latina pro iis, qui debebunt Synodo intervenire, et affigetur eodem modo quo de Edicto traditum est.

12. Instructio praedicta continebit quae observanda erunt a Clero, videlicet quod quibus diebus fient sessiones synodales, illi omnes qui adfuturi erunt in Synodo, adsint induti veste talari, superpellicio et bireto in aula Episcopii prima die; reliquis autem diebus in Sacrario Cathedralis; quod Canonici Collegiatarum sive interveniant omnes, sive tantum deputati ad repraesentandam Collegiatam ipsam, adsint et ipsi in aula Episcopii vel in Sacrario ut supra. Beneficiarii qui nondum emiserint Professionem Fidei in Synodo, meminerint secum habere schedulam, in qua notatum sit nomen et cognomen Beneficiarii, cum titulo Beneficii quo gaudent, quam schedulam tradent Tabulario synodali, postquam emiserint Fidei professionem. Quod unusquisque de Clero, quando in fine sessionum appellabitur, debeat respondere *Adsum* et praestare Episcopo obedientiam quo modo a Caeremoniario docebitur. Quod Parochi, qui Synodo interveniendi causa, relinquere paroeciam debent, consulant assistentiae paroeciae suae, committentes eam alicui Presbytero ad excipiendas Confessiones adprobato. Quod actionibus synodalibus incipiendis hora (et loco isto indicabitur hora) omnes in promptu sint et soliciti, quod sive in processionibus, sive in sessionibus occupent locum, qui a Caeremoniarium Magistro ipsis attribuetur, ac si forte locus ille non esset conveniens eorum gradui eorumque iuribus, declaratur nunquam fore, ut ipsis afferre possit praeiudicium, integro relicto iure et rationibus unicuique competentibus. Quod confabulationibus abstineant et silentium servent. Quod unusquisque attendat ad surgendum, ad sedendum vel ad genuflectendum, ut monebitur a clericis ad hoc delectis. Quod nemo de sessione discedat priusquam penitus absolvatur et abierit Episcopus, ac siquis necessitate compulsus recessurus sit, facultatem petat a Vicario generali vel ab alio deputato a Vicario: in discessu post sessiones servetur ordo et vitetur confusio. Quod in processionem incedant prope Crucem, capite cooperto bireto extra ecclesiam, nudato autem intra ecclesiam, et attente cantent hymnos atque psalmos praestitutos. Quod omnes obediant Caeremoniarum Magistro in orando, in processionibus et in quacumque alia actione.

Quod denique abstineant ab iis rebus omnibus, quae dedecere possunt loci et functionum sanctitatem dignitatemque. Qui secus facere audebit, subiicietur poenis quae ab Episcopo praefinientur. Praeterea Vicarii foranei, recipientes instructionem supra dictam, tradent latori illius elenchum Ecclesiasticorum, qui morantur in Vicariatu suo cum notitiis, quae requisitae ab Episcopo fuerint. Parochi et Clerus dioecesis curabunt ut in civitate praesto sint debito tempore, quemadmodum ipsis significabitur.

13. Praeparabitur in ecclesia locus idoneus sessionibus et functionibus, ut inferius docebitur.

14. In Presbyterio, praeter thronum, pannis rubri coloris paratum, et sedilia pro Capitulo Cathedralis, disponentur sedilia seu scamna in usum Cleri dioecesani, quo modo id fieri possit per amplitudinem presbyterii; quod si fuerit angustum, sedilia praedicta statuentur proxima presbyterio ipsi, ita ut sint ferme coniuncta cum ceteris sedilibus seu scamnis iam sitis in presbyterio.

15. In medio navis principalis ecclesiae disponetur ac praeparabitur locus pro consessu sive conventibus synodalibus. Pavimentum totius loci consessus, si fieri poterit, sternetur tapeto, secus curabitur, ut adsit tapetum in utroque loco, quo utetur Episcopus, ut docebitur inferius. In capite consessus versus Altare statuetur faldistorium ornatum veste rubri coloris cum pulvino simili et collocabitur super aliquod suppedaneum contectum tapeto; a lateribus faldistorii, extra suppedaneum, ponentur duo scabella pro Diaconis assistentibus. Seorsim versus cornu Evangelii aderit mensa contecta panno serico rubri coloris, ponenda, quum tempus erit, ante Episcopum. In parte Epistolae aderit breve scamnum cum postergali, paratum panno decenti, pro Diacono et Subdiacono. Sin autem sessio celebrabilur in Presbyterio, faldistorium et scabella, Sacro peracto, disponentur super Altaris suppedaneum. A lateribus faldistorii in longitudinem, per navim prope muros ecclesiae ponentur scamna cum postergali et suppedali pro Canonicis Cathedralis, quae scamna cooperientur pannis laneis sive aulaeis. In extremitatibus inferioribus scamno-

rum eorumdem, versus latus Evangelii praeparabitur pulpitum paratum baldachino, ex quo Episcopus sermonem habebit. Prope pulpitum ipsum a sinistra eiusdem, seu versus scamnum Canonicorum constituetur locus distinctus pro Vicario generali. E regione pulpiti in latere Epistolae aderit Ambo, seu parvum pulpitum sine tabulato superiori seu baldachino, ex quo publicabuntur decreta. Prope pulpitum Episcopi ponetur mensa cooperta panno viridi cum scabellis, seu sedilibus, ad quam considebunt Promotores et Tabularii. Apud ambonem supra dictum altera mensa similis cum scabellis seu sedilibus pro Secretariis Synodi. In mensis antedictis aderunt atramentaria, calami, charta etc. Post pulpitum in longitudinem, unus pluresve ordines scamnorum cum postergali, et cooperientur panno viridi, in usum Canonicorum Collegiatarum civitatis et dioecesis et pro Parochis. Ex parte adversa prope ambonem, scamna similia pro Theologis et Canonistis, nisi forte addicti erunt Capitulis praedictis, et pro Superioribus coenobiorum Regularium, si intervenient Synodo. Beneficiarii Cathedralis et reliquum Cleri urbani et dioecesani disponentur ad scamna, quae statuentur post scamna Canonicorum Cathedralis et Collegiatarum in unum pluresve ordines. In fine consessus ponetur pro Episcopo alterum faldistorium, cum duobus scabellis pro Diaconis assistentibus et prope faldistorium praeparabitur pulvinus, in quo geniculabit Episcopus. Opus erit, ut adsit etiam abacus coopertus alba tobalea, situs versus cornu Epistolae, in quo collocentur quae inferius describemus.

16. Haec quidem est dispositio consessus synodalis, quae tamen, si sufficiens ambitus ecclesiae non esset, alio quodam modo disponetur pro capacitate loci, sed ordo supra descriptus, quoad fieri possit, servabitur. Illo autem casu non dedecens erit uti Presbyterio ipso pro actionibus synodalibus, redacto tamen in formam supra descriptam.

17 Ecclesia autem exornabitur nobiliter eodem modo ac in solemnitatibus maioribus. Oportebit etiam, ut Caeremoniarius distribuat officia et sibi inservientibus utatur aliis clericis, suis nutibus intentis, ad prompte exsequendas actiones omnes quae deinceps notabuntur.

18. Tribus Synodum praecedentibus diebus, quibusdam statutis horis diei, sonabitur in laetitiae argumentum campanis non Cathedralis tantum, sed omnium ecclesiarum etiam civitatis.

19. Functio incipietur summo mane, ideoque pridie in choro Cathedralis post Vesperas et Completorium recitabitur aut cantabitur Matutinum cum Laudibus sequentis diei. Sic etiam mane recitandae aut cantandae sunt Horae minores et cantabitur Missa conventualis. Si tamen Synodus habebitur in die aut intra octavam Pentescostes, omittitur Missa conventualis, quoniam Missa sessionem synodalem praecedens respondet officio, quod fit in die.

20. Missae solemni, quae celebratur pro Synodo, non praemittetur cantus horarum Tertiae aut Nonae, ut maturetur processus functionis.

21. Monebitur etiam Clerus, quod in Missa solemni, quae praecedit aperitionem Synodi, accipere e manibus Episcopi debet S. Communionem.

22. Indicetur Confraternitatibus et Regularibus hora certa, qua debent adesse in Cathedrali, ut sine mora incipiatur processio. Dabitur opera, ut mundentur viae qua transibit processio, et ut habeantur in promptu excusi typis libelli cum psalmis et hymnis cantandis in processionem, distribuendi Clero qui interveniet. Eisdem libellis, vel etiam in aliis, excudentur psalmi cantandi in sessionibus synodalibus, acclamationes et cetera quae respiciunt functionem ipsam.

23. Dabitur etiam opera ut scribantur formulae instantiarum pro Promotoribus, pro Secretario, pro Episcopo etc. ut docebitur inferius.

24. Vicarius generalis in promptu habebit decreta danda Episcopo, qui tradet ipsa Secretario synodali.

De rebus praeparandis.

25. SS. Sacramentum reponetur in Sacello, quoad fieri poterit, remoto a loco sessionum; ornabitur Altare ut festis solemnibus, animadvertendo tamen, ut pallium et conopoeum sint coloris officio respondentis. Ante Altare statuetur genuflexorium cum strato et pulvinis, vel faldistorium cum pulvinis.

26. Altare maius ornabitur septem candelabris nobilibus cum cereis albis et Cruce aequali candelabris, quae collocabitur ante septimum candelabrum in medio: contegetur tobaleis et pallio rubri coloris, gradus sternentur tapeto. Super mensam disponentur pro Episcopo paramenta rubri coloris, videlicet planeta, chirothecae in lance, dalmatica et tunicella, pluviale cum stola, cingulum, alba et amictus, quae cooperientur velo rubri coloris. Mitra pretiosa ponetur in latere Evangelii et auriphrygiata in latere Epistolae. Si fuerit Metropolitanus, praeparabitur etiam in lance S. Pallium velo rubro contectum, cum tribus spinulis.

27. Ante Altare aderit faldistorium cum pulvinis, in quo geniculabit Episcopus.

28. Prope latus Epistolae, scamnum contectum panno laneo pro Ministris Altaris.

29. In eodem latere, abacus coopertus alba tobalea, in quo disponentur res sequentes, videlicet duo candelabra cum cereis pro Acolythis; urceus et pelvis cum duobus mantilibus in lance et velum humerale simplex, si a Magistratu ministrabitur lotio manuum Episcopo; calix cum patena, binis hostiis, purificatorio et palla atque intra bursam corporale; ampullae vini et aquae in pelvicula; patera ad faciendam praegustationem; campanula pro elevatione; sex vel octo intorticia pro elevatione; velum humerale pro Subdiacono; canon; scotula cum candela; Missale pro Episcopo instructum tegumento; Evangeliarium et Epistolarium convestitum, ut supra, et intra Evangeliarium aderit manipulus pro Episcopo; Pontificale (pars. III.) caligae et sandalia cum velis, quibuscum deferentur; pixis cum particulis numero respondenti communicandis; stolae rubri coloris sex numero pro Presbyteris, qui S. Communionem recipient; tobalea alba linea sustinenda ante communicandos; thuribulum cum navicula; manipuli pro Ministris; gremiale aequale paramentis pro Episcopo; cussinus vel legile pro sustinendo Missali.

30. In latere Evangelii praeparabitur Crux processionalis cum sua basi: si tamen Ordinarius fuerit Metropolitanus, non praeparabitur Crux, sed basis tantum.

31. In Sacrario vel alio alió loco, paramenta rubri coloris pro Ministris et Canonicis eodem modo, quo traditum est de Pontificalibus cap. IX. lib. V.

32. Thronus parabitur vestibus rubri coloris, cum tribus scabellis pro Assistentibus et pulvino rubri coloris pro genuflexionibus Episcopi.

33. Ad balaustrium sive in presbyterio, sex vel octo fanalia cum intorticiis aut cereis albi coloris.

34. Locus sessionum praeparabitur, ut supra descriptum est.

DE FUNCTIONE

Sessio prima.

35. Pridie vespere (ut innutum est superius) in choro Cathedralis recitabitur a Capitulo Matutinum cum Laudibus. Mane autem sequenti, mature tamen, recitabuntur Horae minores et cantabitur post horam praestitutam Missa conventualis. De qua tamen observandum, quod superius monuimus, si habebitur Synodus in festo et intra octavam Pentecostes.

36. Hora praestituta congregabuntur in ecclesiam Confraternitates cum insignibus suis et Clerus regularis, delata a singulis Collegiis respectiva Cruce cum panno. Disponentur in ecclesia tali modo, ut facile possint in processionem ordinari.

37. Ad hunc finem, ut iam superius innuimus, Caeremoniarius utetur Presbyteris vel clericis pluribus, qui sint adiumento, et advertet ut ipsis attribuat munia sive officia singulis obeunda.

38. Item in Sacrario Cathedralis, vel in aedibus episcopalibus coibit Clerus urbanus cum Clero dioecesano, qui debebit Synodo intervenire, siquidem prima die associandus est Episcopus a Clero universo. Non esset abs re si manerent in Sacrario Canonici illi duo, qui ministrabunt ad Altare, Subdiaconus Crucem gestaturus et quatuor Cappellani a mitra, a baculo, a libro, a scotula, qui se parabunt, ut in promptu sint ad accedendum debito tempore ad Altare.

39. Expleta recitatione officii, ut supra, sonabitur campanula Sacrarii et Canonici procedent ad Episcopium, associaturi Episcopum.

40. Paullo ante, quam Episcopus ad ecclesiam perveniat, sonabitur festivo more universis campanis Cathedralis, quibus respondebunt ceterae omnes campanae civitatis et continuabitur sonus integram horam.

41. In limine ecclesiae aderit clericus cum vasculo et aspersorio.

42. Quum Clerus et Magistratus (si tamen hic intervenire debebit) pervenerint ad Episcopium, Episcopus induet cappam et procedetur ad ecclesiam ordine sequenti.

43. Magistratus et civiles auctoritates. Episcopus, cuius a caudatario suo sustentabitur extremitas posterior cappae iam expeditae. Sequentur Vicarius generalis: Canonici Cathedralis; Beneficiarii et Mansionarii eiusdem Cathedralis; Canonici Collegiatarum civitatis cum Beneficiariis suis; Canonici seu qui repraesentant Collegiatas dioecesanas; Parochi urbani; Parochi dioecesani; Clerus simplex urbanus et alter dioecesanus iuxta ordinem Hierarchiae; Seminarium et Clerici minoribus ordinibus constituti, tum civitatis, tum dioecesis, si erunt interventuri Synodo; ultimo loco familiares nobiles Episcopi.

44. Episcopus ad portam ecclesiae quum venerit, a prima Dignitate Capituli accipiet aspersorium aqua sancta perfusum, quo signabit seipsum; asperget Clerum sequentem, deinde ceteros qui iam ingressi erunt in ecclesiam.

45. Ingrediente in Ecclesiam Episcopo, sonabitur organis.

46. Episcopus procedet ad Altare SS. Sacramenti ibique orabit donec nunciabitur discedendum esse. Canonici Cathedralis geniculabunt post Episcopum. Ceteri omnes de Clero, ad vitandam perturbationem, quae posset oriri ex multitudine, genuflexionem ordinatim conficient et venient in presbyterium occupantes locum, qui singulis ibi attribuetur.

47. Si processio erit numerosa, statim ac ingressus fuerit in ecclesiam Episcopus, in ordinem dirigentur confraternitates ac regulares et exibunt ex porta ecclesiae principali, unde egressi incipient cantare preces praescriptas. De ordine autem praecedentiae sermo erit inferius.

48. Quum Clerus locum proprium occupaverit, Episcopus cum Canonicis Cathedralis, innuente Caeremoniario, consurgent

atque iterata ad SS. Sacramentum genuflexione, procedent ad Altare maius.

49. Episcopus ad Altare maius quum venerit, salutabit Crucem et geniculabit in faldistorio ibi praeparato.

50. Canonici petent subsellia sua, ubi geniculabunt et consurgent quando assurget Episcopus. Restabunt autem cum Episcopo a lateribus eius duo Diaconi assistentes.

51. Prope abacum praesto erunt clerici delaturi ad thronum paramenta episcopalia.

52. Post brevem orationem assurget Episcopus, reverentiam faciet ad Crucem Altaris, deinde ascendet in thronum quo sedebit, advertens ut priusquam ascendat illuc, benedicat Clerum in choro praesentem.

53. Sedente in throno Episcopo, recedent Canonici in Sacrarium et se parabunt paramentis ordini suo convenientibus, vel se parabunt in ipso choro, methodo tradita in Vesperis pontificalibus cap. VIII. lib. V.

54. Discedent de throno Diaconi assistentes paramenta assumpturi et ascendent illuc ultimi duo Canonici Diaconi succedentes in locum eorum.

55. Ministri sacri, quatuor Cappellani a mitra, a baculo, a libro et a scotula et Subdiaconus gestaturus Crucem se parabunt in Sacrario et intrabunt in chorum, praecedentibus clericis duobus, statim ac Episcopus sederit in throno. Ministri pergent ad scamnum sibi praeparatum, Cappellani consistent prope sinistram throni et Subdiaconus prope Crucem.

56. Canonici revertentur in chorum postquam se paraverint, ac si paramenta assumpserint in subselliis suis, duo Diaconi assistentes redibunt ad thronum, unde discedent Canonici, qui supplebant eorum vicibus, et recedent ad paramenta induenda. Presbyter assistens remanebit in stallo suo cum ceteris Canonicis.

57. Reversis ad thronum Diaconis assistentibus praedictis, distribuentur clericis paramenta Episcopi.

58. Interim accedet ad thronum Cubicularius Episcopi, recepturus cappam.

59. Distributis paramentis clericis, ut supra, Diaconus et

Subdiaconus ascendent ad thronum eosque sequentur clerici antedicti cum paramentis episcopalibus.

60. Ministri praedicti quum pervenerint ante thronum, reverentiam conficient ad Episcopum, clerici autem cum paramentis, genuflexionem.

61. Episcopus, adiuvantibus Diaconis assistentibus, dimittet cappam, quam recipiet Cubicularius et advertet ut expediat eius extremitatem posteriorem vestis.

62. Diaconi assistentes recedent aliquanto a lateribus Episcopi, sed non discedent de throno.

63. Ascendent ad thronum Diaconus et Subdiaconus, mutantes locum, videlicet Diaconus veniet ad dexteram, Subdiaconus ad sinistram Episcopi.

64. Innuente Caeremoniario, Canonici de suis stallis descendent et circulum conficient ante Episcopum, caput cooperientes bireto.

65. Ascendent ad thronum clerici cum paramentis unus post alium, et paramenta Diacono ministrabunt, quibus induet Episcopum et adiuvabitur a Subdiacono, quando opus erit.

66. In promptu stabit thuriferarius cum thuribulo et navicula.

67. Episcopus a Diacono induetur amictu, alba, cingulo, Cruce pectorali, stola et pluviali cum formali. Deinde Diaconus idem mitram pretiosam imponet capiti Episcopi, cui reverentia facta cum Subdiacono discedent de throno et ad locum suum revertentur.

68. Canonici, qui circulum confecerunt, caput aperient et reverentia facta ad Episcopum, redibunt unusquisque ad stallum suum.

69. Subdiaconus Crucifer accipiet Crucem, cum eo coibunt Acolythi cum candelabris et venient ad exitum Presbyterii seu prope ingressum.

70. Profectis de throno Diacono et Subdiacono, ascendet illuc a latere Presbyter assistens et locum sumet a dextris Episcopi.

71. Ascendet ad thronum thuriferarius cum thuribulo ac tradita Presbytero assistenti navicula, genibus flexis prae-

sentabit thuribulum apertum Episcopo, qui, ministrante Presbytero assistente, incensum in thuribulum imponet cum benedictione.

72. Imposito in thuribulum incenso, thuriferarius discedet de throno et se adiunget Subdiacono, qui gestabit Crucem.

73. Praesto erunt prope faldistorium in medio Presbyterio duo Cappellani cum libro et scotula pro Episcopo.

74. Thuriferario de throno profecto, Episcopus sinistra accipiet baculum pastoralem, assurget, de throno descendet, benedicet Clerum et veniet ad faldistorium praeparatum ante Altare, adstantibus a lateribus eius Diaconis assistentibus, qui fimbrias eius pluvialis attollent, praeeunte Presbytero assistente et sequentibus caudatario suo et duobus Cappellanis a mitra et a baculo.

75. Episcopus ante faldistorium dimittet baculum pastoralem et a secundo Diacono nudabitur mitra: Diaconus primus nudabit eum etiam pileolo.

76. Subdiaconus, ministraturus ad Altare, approximabit ad Episcopum eique submissa voce praecinet hymnum *Veni creator* etc.

77. Presbyter assistens accipiet librum a Cappellano libri custode et sustinebit illum ante Episcopum, paullulum a latere, ne directe vertat humeros ad Altare.

78. Episcopus, stans in pedes, intonabit hymnum *Veni creator Spiritus* et immediate geniculabit in faldistorio, perstans eodem statu donec cantabitur integra strophe prima.

79. Cum Episcopo in genua procumbent ceteri omnes, itemque Presbyter assistens librum claudet restituetque Cappellano et geniculabit prope secundum Diaconum assistentem.

80. Diaconi assistentes advertent ut expandant super faldistorium fimbrias pluvialis Episcopi.

81. Post primam stropham praedictam assurget Episcopus et cum ipso Clerus universus, qui ordinabitur in processionem.

82. Hoc tempore Cappellanus a mitra, deponet super Altare mitram pretiosam et accipiet auriphrygiatam, nisi Episcopus velit in processione uti mitra pretiosa. In promptu etiam

stabit prope aditum Presbyterii unus de Magistratibus, sustenturus in processione extremitatem posteriorem pluvialis et vestis episcopalis.

83. Ordo sequens in processione servabitur: Confraternitates laicorum cum suis respectivis signis et unaquaequae occupabit locum, qui ad ipsam spectabit. Post Confraternitates incedent Regulares; singulis corporibus seu collegiis sua erit Crux distincta, cui appensus erit pannus rubri coloris, servato ordine praecedentiae ex epocha, qua unumquodque coenobium erectum est, iuxta constitutionem Gregorii XIII. Post regulares locus erit Magistratui, si aderit. Deinde clavigeri Cathedralis, siqui erunt. Hinc thuriferarius cum thuribulo, quem sequetur Subdiaconus paratus tunicella rubri coloris, qui gestabit Crucem medius inter Acolythos sustinentes candelabra. Clerus occupabit locum post Crucem ordine isto; videlicet clerici minoribus ordinibus constituti, qui sunt dioecesani; clerici minoristae, ut supra, qui sunt urbani; clerici Seminarii; clerici dioecesani ordine sacro insigniti, deinde urbani; Presbyteri qui nullo gaudent beneficio residentiali dioecesis, deinde ceteri urbani; et relate ad Clerum simplicem id praescribitur, si vigebit usus ut interveniant Synodo. Post Clerum, ut supra descriptum est, incedent Parochi dioecesani, deinde urbani et utentur suis insignibus distinctis, si hoc privilegio gaudebunt; Collegiatae dioecesanae cum signis suis, vel repraesentantes ipsarum, de more: quod ad locum praecedentiae, vel attribuetur ipsis ab Episcopo, nullo laeso earum iure, vel stabitur iis, quae servata erunt in aliarum Synodorum circumstantia. Sequentur Collegiatae civitatis, servato ordine usitato in processionibus generalibus. Post Collegiatas praedictas incedent Cappellani Cathedralis, tum Beneficiatii seu Mansionarii cum suis insignibus, post eos Canonici Cathedralis induti paramentis sacris, nempe Canonici Subdiaconi induti tunicellis, Canonici Diaconi dalmaticis, Canonici Presbyteri planetis et Dignitates pluvialibus. Si cuiuscumque ordinis numerus esset dispar, propter paramenta sacra distincta, incedent terni in ultimo loco. Subdiaconus et Diaconus, ministraturi ad Altare, locum sument qui ipsis conveniet ratione praecedentiae in ordinibus respectivis, quod etiam

observabit Presbyter assistens inter Dignitates. Ultimo loco incedet Episcopus, medius inter Diaconos assistentes, qui fimbrias pluvialis eius sustentabunt et dextera benedicet adstantes. Sequetur Episcopum unus ex repraesentantibus Magistratum, qui sustinebit eius vestis extremitatem posteriorem et prope ipsum ibit caudatarius; tum Cappellani a mitra et baculo ac post eos reliqui duo a libro et scotula. Hos sequentur familiares nobiles Episcopi. Locum postremo sibi sument Praelati, siqui aderunt, induti mantelleto et Vicarius generalis, qui nisi fuerit Protonotarius, induet vestem talarem nigram cum pallio simili.

84. In processsionem seniores incedent prope Episcopum: Clerus saecularis caput cooperiet bireto.

85. Si forte fuerit Metropolitanus, thuriferarius, Acolythi et Subdiaconus paratus Crucem deferens, incedent ante Canonicos paratos, et imago Crucifixi versa erit ad Metropolitanum.

86. Completo cantu primae strophae, assurget Episcopus, reponetur ei pileolus a primo Diacono assistente et stabit in pedes ante faldistorium, donec tempus erit discedendi, ut se adiungat Processioni. Tunc Diaconus primus imponet ei mitram auriphrygiatam, vel pretiosam, nisi fuerit ipsi gravi incommodo. Episcopus autem cum in procinctu discedendi erit, accipiet baculum sinistra.

87. Processio dirigetur extra ecclesiam per vias ab Episcopo designatas, quae mundatae in antecessum erunt et in iis spargetur aliquantum herbarum virentium. Viae praecurrendae erunt plus minusve longae pro numero collegiorum processioni intervenientium.

88. Processione profecta de ecclesia, tolletur a clericis duobus faldistorium, quo usus erit Episcopus, et ponetur seorsim.

89. Tempore toto processionis, canentur hymni et psalmi praefiniti, qui notati in libellis separatis, a clericis duobus in ingressu presbyterii stantibus distribuentur singulis de Clero, ipso momento discedendi in processionem.

90. Si fiet in itinere statio in aliqua ecclesia, cantabitur

ibi antiphona cum versiculo et oratione de Sancto Titulari methodo tradita in Processione Litaniarum maiorum cap. XXIX. lib. II. num. 50. et seqq.

91. In processionis reditu ad Cathedralem, Confraternitates in ordinem disponentur secundum navem primariam, vel in navibus minoribus, quod etiam facient collegia Regularium, methodo innuta in processione Corporis Domini cap. XXXIII. num. 124. libri huius.

92. Magistratus petet residentiam suam.

93. Clerus locum sumet ad scamna attributa singulis coetibus, seu collegiis.

94. Thuriferarius, genuflexione facta ad Altare, perget ad deponendum thuribulum, idemque facient Acolythi qui candelabra deponent super abacum. Subdiaconus relinquet Crucem quo loco aderat initio functionis, recedet in Sacrarium et sacra paramenta dimittet. Duo sacri Ministri redibunt ad scamnum suum prope Altare et Presbyter assistens ibit in chorum ad stallum suum cum ceteris Canonicis.

95. Episcopus, reverentia facta ad Crucem, ascendet in thronum cum Diaconis assistentibus, sedebit in illo et dimittet baculum pastoralem. Repraesentans Magistratus, qui sustinuerit extremitatem posteriorem vestis episcopalis, prope Presbyterium statim ac pervenerit, tradet illam caudatario et se recipiet ad locum suum.

96. Si Episcopus usus erit mitra pretiosa in processione, Cappellanus a mitra accipiet ex Altari mitram auriphrygiatam eamque deferet ad thronum ac tradet primo Diacono assistenti. Diaconus secundus assistens tollet Episcopo mitram pretiosam et tradet illam Cappellano, qui referet ipsam super Altare, primus autem Diaconus assistens imponet Episcopo mitram auriphrygiatam.

97. Duo Cappellani a libro et a scotula, statim ac pervenerint cum Episcopo ad Altare, pergent ad abacum, accipient Canonem cum scotula et accedent ad thronum.

98. Sedente Episcopo et commutata mitra, ut supra, se sistent ei praedicti Cappellani cum libro et scotula; Episco-

pus autem e Canone leget praeparationem ad Missam et hoc ipso tempore aderunt apud abacum clerici delaturi paramenta episcopalia ad thronum.

99. Ubi Episcopus inceperit legere psalmos ad praeparationem, Subdiaconus invitatus a Caeremoniario accedet ad abacum, accipiet caligas cum sandaliis et comitantibus clericis quatuor ac Cubiculario Episcopi, ascendet ad thronum ibique imponentur Episcopo caligae et sandalia ut cap. IX. lib. V. Tum Subdiaconus cum clericis redibunt ad locum suum.

100. Ad preces *Kyrie eleison* etc. Episcopus non assurget neque caput aperiet, siquidem indutus est paramentis sacris. Post preces et orationes subiunget etiam orationes ad paramenta praescriptas.

101. Interea distribuentur clericis paramenta episcopalia et invitabitur ad abacum aliquis e Magistratu, qui ministret aquam Episcopo in lotione manuum, ut capitulo supra citato.

102. Quum Episcopus absolverit recitationem precum ad praeparationem Missae, recedent duo Cappellani a libro et scotula, qui haec ad abacum reportabunt.

103. Presbyter assistens de suo stallo discedens, ascendet a latere ad thronum et consistet prope dexteram Episcopi.

104. Ascendent ad thronum Ministri lotionis; Presbyter assistens tollet annulum Episcopo; Diaconi assistentes attollent eius fimbrias pluvialis; Episcopus lavabit manus; Praelati cum Canonicis consurgent et ceteri omnes in genua procumbent ad actionem istam. Presbyter assistens porriget Episcopo mantile, quo manus absterget. Discedent de throno Ministri lotionis, qui referent ad abacum instrumenta in lotione adhibita et unusquisque revertetur ad locum suum.

105. Profectis de throno Ministris praedictis, Presbyter assistens se recipiet ad stallum suum, Diaconi assistentes recedent aliquantulo, sed de throno non abibunt.

106. Ascendent ad thronum Diaconus et Subdiaconus, sequentibus clericis, qui deferent paramenta episcopalia. Diaconus tollet Episcopo mitram, deinde formale ac pluviale, et adiuvante Subdiacono, induet illi paramenta missalia, videli-

cet tunicellam, dalmaticam, chirothecas et planetam, ut eodem cap. IX. lib. II. Si fuerit Metropolitanus, utetur S. Pallio in occasione huiusmodi.

107. Canonici ad circulum descendent ante Episcopum et caput bireto cooperient, innuente Caeremoniario.

108. Postquam Episcopus coopertus erit a Diacono mitra pretiosa, Subdiaconus se adiunget sinistrae Diaconi, reverentiam simul conficient ad Episcopum et revertentur ad scamnum suum, ubi assument manipulum in brachio sinistro, Acolythis adiuvantibus.

109. Canonici, dimisso de capite bireto, iterabunt reverentiam ad Altare et ad Episcopum, discedent de circulo seque recipient ad subsellia.

110. Presbyter assistens ascendet a latere in thronum et annulum cum osculis usitatis inseret digito Episcopi annulari dextero.

111. Subdiaconus, postquam impositus ei fuerit manipulus in brachio sinistro, recipiet Evangeliarium cum manipulo Episcopi, quod sustinebit ante pectus et una cum Diacono redibunt ad thronum, ante quem prius reverentiam conficient ad Episcopum, deinde ascendent et consistent prope Episcopi sinistram.

112. Episcopus baculum sinistra accipiet, assurget et descendet de throno, adstantibus ei Presbytero assistente a dextris, Diacono a sinistris, Subdiacono a sinistris Diaconi. Sequetur eum Caudatarius itemque Diaconi assistentes et post ipsos incedent duo Cappellani a mitra et a baculo.

113. Quum de throno descenderit Episcopus benedicet Clerum et procedet ante Altare, ibique stans inchoabit Missam ritu notato capitulo superius citato.

114. Celebrabitur Missa votiva de Spiritu Sancto, in qua, propterea quod est solemnis, recitabitur *Gloria in excelsis*, *Credo*, unica tantum oratio, praefatio propria, omissis verbis *hodierna die* et omittetur etiam Sequentia. Ad ℣. *Veni Sancte Spiritus* in graduali, relate ad genuflexionem observabitur quod traditum est in festo Pentecostes cap. XXX. huius libri num. 4.

115. Si Synodus habebitur in festo aut in octava Pentecostes, cantabitur Missa officii, ut alias innuimus.

116. In Missa fiet generalis Communio Cleri, quae tractabitur ritu statuto libri V. capit. XI.

117. Cantato a Diacono *Ite Missa est*, Episcopus convertetur ad Altare, recitabit orationem *Placeat* etc. et omittens donare benedictionem, incipiet Evangelium S. Ioannis, quod prosequetur in accessu ad thronum.

118. Sequentur Episcopum clerici recepturi paramenta eius et alii duo, qui pluviale et formale portabunt.

119. Ministri ascendent in thronum cum Episcopo; Canonici paramenta non dimittent.

120. Completa recitatione Evangelii, Episcopus sedebit in throno et deponet baculum pastoralem.

121. Diaconus et Subdiaconus sibi exuent manipulum; deinde Diaconus mitra nudabit Episcopum et adiuvante Subdiacono exuet ipsi planetam, dalmaticam ac tunicellam et induet pluviale, cui apponet formale, tum capiti eius imponet mitram pretiosam.

122. Interim a clericis ponetur faldistorium pro Episcopo in medio consessu cum duobus scabellis pro Diaconis assistentibus et alterum cum duobus similibus scabellis statuetur in suppedaneo Altaris, vel ante Altare ipsum, si Altare esset orientale et locus consessus esset in media ecclesia. Prope utrumque faldistorium aderit pulvinus adhibendus in genuflexionibus Episcopi.

123. Diaconus et Subdiaconus postquam, ut supra, induerint Episcopum pluviali et mitra, redibunt ad scamnum suum, ubi Diaconus subsistet; Subdiaconus autem, acceptis velis cum lance, comitantibus clericis et cubiculario Episcopi, revertetur ad thronum, et Episcopo tollentur caligae et sandalia eique reponentur calceamenta usualia.

124. Subdiaconus, cum eodem ac supra comitatu, reveniet ad abacum, in quo deponet caligas et sandalia, atque coibit cum Diacono ad scamnum Ministrorum prope Altare.

125. Duo Cappellani a libro et a scotula accipient ex abaco pontificale et scotulam tum aderunt prope faldistorium positum in medio consessu.

126. Si consessus synodalis dispositus esset in media ec-

clesia extra presbyterium, Clerus de presbyterio discedet et veniet ad scamna praeparata, initio facto a clericis, deinceps a ceteris subsequentibus, ut de processione traditum est.

127. Sin in presbyterio consessus erit, vel ita dispositus ut unusquisque maneat loco sibi attributo pro Missa, Episcopus tantum accedet ad faldistorium; Secretarii, Tabularii et Promotores accedent ad mensas sibi designatas. Deinde Episcopus, baculo sinistra sumpto, assurget, de throno descendet medius inter Diaconos assistentes, qui sublevabunt eius fimbrias pluvialis, sequentibus caudatario ac duobus Cappellanis a mitra et a baculo, accedet ad faldistorium in medio consessu praeparatum, ibique sedebit, facie versa ad Altare.

128. Approximabit Subdiaconus ad Episcopum eique submissa voce praecinet antiphonam *Exaudi nos, Domine*. Secundus Diaconus assistens mitram tollet Episcopo, qui assurget. Clericus unus deponet ante Episcopum pulvinum, super quo geniculabit.

129. Episcopus, ut supra assurgens, ex libro, quem sustinebit Cappellanus proprius, intonabit antiphonam *Exaudi nos, Domine* et immediate flectet genua.

130. Omnes adstantes in genua procumbent cum Episcopo et Cappellanus a libro, librum claudet et geniculabit cum ceteris.

131. Cantores prosequentur cantum antiphonae, postea intonabunt psalmum *Salvum me fac, Deus* etc.

132. Cappellanus a mitra meminerit referre ad Altare mitram pretiosam et accipere alteram auriphrygiatam.

133. Psalmo intonato, assurget Episcopus et sedebit in faldistorio, ut supra. Diaconus primus assistens reponet eius capiti mitram.

134. Clerus assurget, considebit et alternatim cantabitur psalmus supradictus.

135. Post psalmum repetetur in cantu antiphona a cantoribus.

136. Expleto cantu antiphonae, Diaconus secundus mitram exuet Episcopo, qui assurget et conversus ad Altare cantabit orationem *Adsumus, Domine* etc. iunctis manibus, tono feriali,

nec praemittens *Oremus.* Post orationem istam cantabit iunctis manibus *Oremus* et orationem alteram *Omnipotens sempiterne Deus* etc. tono etiam feriali.

137. Post orationem secundam sedebit Episcopus in faldistorio eique a Diacono primo reponetur mitra.

138. Episcopus rursus assurget, clerici duo faldistorium ponent ante ipsum, clericus alter pulvinum ponet ante faldistorium. Episcopus geniculabit in faldistorio et cum eo procumbent in genua ceteri omnes. Cantores duo superpellicio induti, stantes a latere consessus, cantabunt Litanias, ad quas respondetur ab adstantibus.

139. Postquam cantores cantaverint *Ut omnibus fidelibus defunctis* etc. cessabunt a cantu, Episcopus assurget cum Assistentibus suis et sinistra accepto baculo, dextra benedicet Synodum seu consessum, sicut in Pontificali *Ut hanc praesentem Synodum* etc. ac responso ab adstantibus *Te rogamus* etc. dimittet baculum et genuflectet rursus cum Assistentibus. Cantores tunc resument cantum Litaniarum ad ℣. *Ut nos exaudire* etc. easque absolvent.

140. Post cantum Litaniarum assurget Episcopus et cum ipso ceteri omnes.

141. Clerici faldistorium ante Episcopum positum amovebunt et ponent quo loco erat antea, itemque clericus alter tollet pulvinum et ponet seorsim.

142. Diaconus secundus tollet mitram Episcopo, qui versus Altare iunctis manibus cantabit *Oremus*, primus Diaconus *Flectamus genua,* omnesque genuflectent, excepto Episcopo, et secundus Diaconus *Levate* omnesque consurgent. Deinde Episcopus tono feriali et iunctis manibus recitabit orationem *Da, quaesumus, Ecclesiae tuae* etc.

143. Interim Acolythi manipulos imponent Diacono et Subdiacono, ac thuriferarius in promptu habebit thuribulum cum igne.

144. Post orationem supra nominatam Episcopus sedebit et Diaconus primus reponet ei mitram. Assurget Episcopus et baculo sinistra sumpto, procedet ad Altare medius inter Diaconos assistentes et sequentibus, ut supra innuimus, caudatario

ac quatuor Cappellanis a mitra, a baculo, a libro et scotula. Ubi venerit ante Altare, reverentiam faciet ad Crucem, deinde sedebit in faldistorio et baculum dimittet.

145. Diaconus de suo loco discedet et cum debitis reverentiis veniet ad osculandum manum Episcopi.

146. Presbyter assistens discedet de stallo suo et accedet ad Episcopi dexteram: thuriferarius cum thuribulo et navicula procedet ante Episcopum, ac navicula tradita Presbytero assistenti, praesentabit genuflexus thuribulum Episcopo, qui cum benedictione consueta incensam imponet.

147. Diaconus accipiet Evangeliarium et simul cum Subdiacono atque Acolythis gestantibus candelabra accensis candelis, procedet ante Episcopum.

148. Incenso ab Episcopo benedicto, thuriferarius coibit cum Diacono et ceteris.

149. Presbyter assistens remanebit prope dextram Episcopi.

150. Diaconus profunde inclinatus ante Episcopum, benedictionem ab ipso petet dicens *Iube Domne benedicere*. Episcopus respondebit *Dominus sit* etc. eique benedicet. Acolythi ac thuriferarius manebunt genibus flexis.

151. Accepta benedictione, Diaconus ac Subdiaconus reverentia facta, Acolythi ac thuriferarius, genuflexionem exsecuti ante Episcopum, procedent ad Evangelium cantandum, quo assolet, ritibus pro Missis solemnibus praescriptis.

152. Diacono cum ceteris profectis, secundus Diaconus assistens exuet mitram Episcopo, qui ad cantum Evangelii stabit et baculum pastoralem continebit iunctis manibus.

153. Completo cantu Evangelii, Episcopus dimittet baculum; Subdiaconus afferet ei librum Evangelii, quod osculabitur dicens *Per evangelica dicta* etc. ut in Missis solemnibus. Subdiaconus librum claudet ac tradet clerico alicui, qui referet illum ad abacum. Acolythi candelabra in abaco reponent. Diaconus et Subdiaconus reversi ad scamnum suum manipulos dimittent, adiuvantibus Acolythis. Quando Episcopus osculatus erit Evangelium, Presbyter assistens descendet in planum ante Episcopum, thurificabit ipsum triplici ductu, et redibit ad

locum suum inter Canonicos. Thuriferarius reportabit ad abacum thuribulum, quo non opus est amplius in hac functione.

154. Episcopus, postquam thurificatus erit a Presbytero assistente, convertetur ad Altare. Clericus unus ponet pulvinum ante faldistorium. Primus Diaconus assistens pileolum exuet Episcopo.

155. Episcopus, geniculabit et intonabit hymnum *Veni creator Spiritus*, qui in cantu continuabitur a choro. Omnes cum Episcopo in genua procumbent.

156. Absoluta prima stropha hymni, seu primis quatuor versibus, reponetur a primo Diacono assistente pileolus Episcopo, qui assurget cumque ipso ceteri omnes, et prosequentur cantare hymnum usque ad finem

157. Cantato hymno, Episcopus sedebit in faldistorio et ab eodem primo Diacono assistente reponetur ei mitra.

158. Ostiarii in aditu Presbyterii conversi ad populum indicent adstantibus, ut exeant de ecclesia, dicentes elata voce *Extra omnes.* Educendo populum de ecclesia, curabitur ut actio ista fiat sine strepitu ac sollicite. Ostiarii praedicti claudent portas ecclesiae easque custodient.

159. In ecclesia superesse debent illi tantum, qui vel iure vel consuetudine locum habent in Synodo: ceteri omnes excludendi sunt, non exceptis familiaribus Episcopi, qui immorari poterunt in Sacrario aut alio loco convenienti, ut prompti sint ad redeundum in ecclesiam, quando rursus aperientur portae.

160. Quum populus egressus erit de ecclesia, Episcopus ex Pontificali leget allocutionem *Venerabiles consacerdotes* etc. vel omissa nominata allocutione, ascendet in pulpitum praeparatum et sermonem habebit ad Clerum, praesertim si prima fuerit Synodus, quae ab ipso celebretur. Hoc autem casu comitabuntur eum Diaconi assistentes, qui deducto Episcopo ad pulpitum, nisi locus erit ipsis, se recipient ad sedendum inter alios Canonicos. Episcopus baculum dimittet priusquam ascendat in pulpitum. Oratio seu sermo, quem habebit, congruet circumstantiis.

161. Sin autem sermo fiet ab alio ex mandato Episcopi,

Episcopus manebit sedens in faldistorio, ubi erat, et vir delectus ad sermonem habendum, prius petet ab Episcopo benedictionem cum formula consueta, deinde in pulpitum ascendet, retinens habitum, quo erat indutus a principio functionis.

162. Post sermonem, si hunc habuerit Episcopus, revertentur ad pulpitum Diaconi assistentes, qui comitabuntur eum ante Altare.

163. Clerus transeunte per medium consessum Episcopo, assurget et Episcopus donabit ei benedictionem.

164. Episcopus sedebit in faldistorio et baculum dimittet: sedebunt a lateribus eius duo Diaconi assistentes, in duobus scabellis ibi praeparatis.

165. Clerici duo apprehendent mensam apparatam eamque statuent ante Episcopum.

166. Tum Vicarius generalis se sistet Episcopo eique tradet decreta publicanda. Atque heic notandum occurrit, quod exemplar decretorum, utendum in publicatione eorumdem, scriptum ita sit, ut Episcopus possit illud separatim tradere, ut inferius.

167. Notetur et illud, quod quisquis accedet ad Episcopum, vel discedet ab ipso, faciat ei reverentiam profundam si Canonicus Cathedralis erit; genuflexionem autem faciat nisi fuerit Canonicus, ut supra.

168. Vicarius generalis, postquam Episcopo decreta tradiderit, ad locum suum disctinctum recedet.

169. Secretarius, ad nutum Caeremoniarii, procedet ante Episcopum, recipiet ab ipso decreta, ascendet in ambonem et illa leget alta voce et intelligibili. Secretarius poterit sedere, excepto quod stabit in pedes, dum decretorum eorumdem leget titulos. Advertet autem, ut retineat habitum, quo indutus astiterit Missae. Tum Secretarium, tum Promotores, euntes ad Episcopum, comitabuntur Caeremoniarius unus, ac si fuerint Canonici Cathedralis, clerici etiam duo.

170. Itaque Secretarius, conscenso ambone, leget decreta 1. *de Synodo incepta* 2. *de modo vivendi in Synodo* 3. *de officialibus Synodi* 4. *de praeiudicio non inferendo* 5. *de audiendis querelis et absentium excusationibus* 6. *de non discedendo* 7. *de oratione publica.*

171. De ambone descendet Secretarius, cui se adiungent Promotores et innotim accedent ad Episcopum. Euntes autem Promotores cum Secretario ad Episcopum, singuli obtinebunt locum, qui convenit ipsis iuxta dignitatem qua erunt insigniti.

172. Primus Promotor nomine etiam collegae sui (si duo delecti erunt ad officium istud) postulabit ut legantur decreta S. Concilii Tridentini, ut infra, atque ut emittatur professio Fidei ab illis, qui nulla alia Synodo praestiterunt eam.

173. Episcopus respondebit *Decernimus et ita fieri mandamus* ac decreta tradet Secretario.

174. Promotores revertentur ad locum suum et Secretarius iterum conscenso ambone, leget decretum S. Concilii Tridentini *de professione Fidei* sess. 25. cap. II. et alterum *de residentia* sess. 23. cap. I.

175. Interim Caeremoniarius in promptu habebit librum ad professionem fidei ab Episcopo emittendam in prima Synodo ab ipso congregata, et Evangeliarium vel Missale et monebit duos clericos ut amoveant mensam, quam posuerant ante Episcopum.

176. Lectis a Secretario supradictis decretis, clerici duo praedicti tollent mensam ante Episcopum positam eamque reponent seorsum.

177. Diaconus secundus mitram exuet Episcopo, qui assurget, convertetur ad Altare et geniculabit ante faldistorium super pulvinum, quem apponet clericus unus.

178. Ceteri omnes, qui aderunt in consessu, caput nudabunt et consurgent, respectu Episcopi.

179. Episcopus alta voce leget e tabella formulam sequentem « Ego N. Episcopus N. promitto, spondeo, profiteor, « detestor, anathematizo, voveo et iuro iuxta Professionis Fi- « dei formulam ex Bulla felicis recordationis Pii Papae Quarti, « singula singulis referendo ». Deinde Evangelii libro, quem ei sustinebunt apertum duo Diaconi, imponet utramque manum et subiunget « Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia ».

180. Episcopus assurget, removebitur a clerico pulvinus in quo genuflexerit, sedebit in faldistorio et Diaconus primus reponet ei mitram.

181. Sedente, ut supra, Episcopo, Secretarius denuntiabit omnibus illis, qui beneficio ecclesiastico fruuntur, quique nunquam emiserunt in Synodo professionem fidei, ut prodeant in medium consessum ad emittendam professionem praedictam.

182. Beneficiarii, de quibus supra, procedent in medium, servantes ordinem innutum in processione, videlicet Canonici Cathedralis prope Episcopum, et ceteri eodem modo.

183. Quando omnes erunt in medio consessu, ad nutum Caeremoniarii procumbent in genua. Tabularius Synodi habebit elenchum nominum eorum omnium, qui debebunt professionem emittere et consistet prope Episcopum a dextris primi Diaconi. Secretarius stans in ambone leget elata voce ac pausatim formulam professionis fidei, ut praescripta est a Pio IV. et extat inserta in Pontificali, nempe *Ego firma fide credo et profiteor* etc.

184. Sub finem lectionis formulae antedictae, duo Diaconi assistentes imponent super genua Episcopi librum Evangeliorum apertum ita ut pagina versa sit ad illos, qui debebunt ratam facere professionem supradictam et prope Episcopum aderit clericus qui sustinebit tabellam cum formula, de qua supra, scripta charactere maiori et intelligibili.

185. Postquam Secretarius legerit formulam, descendet de ambone et redibit ad locum suum. Si Secretarius ipse deberet ratificare cum ceteris, lecta formula, descendet de pulpito seque adiunget ceteris eo loco, qui competit ei.

186. Formula ut supra lecta omnes illi qui genibus flexis aderunt in medio consessu, consurgent et unus post alium pergent ante Episcopum, geniculabunt singuli et ratam facient professionem imponentes manus apertas et extensas super Evangelium, quod sustinebit Episcopus et unusquisque recitabit formulam sequentem « Ego idem N. N. spondeo, voveo ac iuro: « sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia. » Post haec unusquisque se recipiet ad locum suum.

187. Postquam ab omnibus emissa fuerit ratificatio supradicta, amovebitur de gremio Episcopi liber a Diaconis assistentibus et duo supradicti clerici reportabunt ac reponent mensam ante ipsum.

188. Revenient ante Episcopum Promotores et primus eo-

rum postulabit ut secundum Constitutionem Bonifacii VIII. deveniatur ad electionem Examinatorum synodalium, Iudicum synodalium ac Testium synodalium.

189. Profectis Promotoribus, Secretarius ad Episcopum redibit eique tradet elenchum Examinatorum et Iudicum atque schedulam seu folium obsignatum cum nominibus testium.

190. Secretarius ascendet in ambonem et publicabit nomina examinatorum synodalium. Deinde subiunget nomina Iudicum synodalium, postremo decretum testium synodalium et in fine lectionis decreti ipsius ostendet Synodo schedulam signatam, quae continebit nomina ipsorum.

191. Interim removebitur a duobus clericis mensa, quae aderit ante Episcopum et Caeremoniarius in promptu habebit librum Evangeliorum et formulam iurisiurandi pro Examinatoribus synodalibus.

192. Postquam Secretarius ostenderit schedulam, ut superius innuimus, vocabit Examinatores nominatos ad iusiurandum praestandum ante Episcopum, et denuntiabit testibus synodalibus, ut praestent et ipsi iusiurandum secreto vel apud Episcopum, vel apud Vicarium generalem. Secretarius de ambone descendet et redibit ad locum suum.

193. Examinatores procedent ante Episcopum et singuli, unus post alium, pronunciabunt formulam iurisiurandi et imponent manus super librum, quem apertum Episcopus sustinebit in gremio. Unusquisque Examinator, postquam iusiurandum praestiterit, revertetur ad locum suum, et a Diaconis assistentibus tolletur liber de gremio Episcopi.

194. Reponetur mensa a clericis ante Episcopum.

195. Se sistent Episcopo Promotores et primus ipsorum instantiam faciet ut promulgentur decreta synodalia. Episcopus respondebit *Promulgari iubemus.*

196. Se recipiet Promotor, seu Promotores ad locum suum et reveniet Secretarius ante Episcopum, a quo receptis decretis, rursus ascendet in ambonem et leget ea. Secretarius poterit habere alium a quo adiuvetur in decretis legendis.

197. Si in promulgatione decretorum vellet quis cum debita convenientia rationem aliquam contra obiicere, diluetur

obiectio, et in casu discrepantiae poterit requiri sententia Synodi, qua prolata, Promotor instantiam faciet Episcopo, ut actum Tabularius conficiat. Episcopus instantiae Promotoris respondebit *Conficiatur* ac Tabularius subiunget *Conficiam.*

198. Continuabitur lectio decretorum donec videbitur Episcopo, qui nutu iubebit finem fieri.

199. Tunc Secretarius promulgabit decretum pro continuatione sessionis in eodem die post Completorium.

200. Postquam de ambone descenderit Secretarius, Promotores cum Tabulario se sistent Episcopo, et Promotores instantiam facient contra absentes: Episcopus autem respondebit *Ita decernimus et declaramus.*

201. Deinde Promotor idem efflagitabit ut conficiantur acta: Episcopus respondebit *Conficiantur* ac Tabularius subiunget *Conficiam.*

202. Revertentur ad locum suum Promotores ac Tabularius, clerici autem amovebunt mensam, quae aderit ante Episcopum.

203. Episcopus assurget ac Synodum dextera benedicet, nullo addito verbo. Clerus congeniculabit, exceptis Canonicis Cathedralis et Praelatis, si forte adessent.

204. Post haec Episcopus de Altari descendet medius inter Diaconos assistentes, salutabit Crucem, baculum sinistra accipiet ac redibit in thronum.

205. Hoc tempore ab Ostiariis reserabuntur portae ecclesiae.

206. Diaconus et Subdiaconus, qui ministraverint ad Missam, sequentur Episcopum simul cum clericis, recepturis paramenta episcopalia.

207. In promptu etiam stabunt clerici alii, qui recipiant paramenta Canonicorum eosque adiuvent in resumendis indumentis choralibus.

208. Episcopus vestes sacras dimittet, quo modo traditum est in Missa pontificali cap. IX. lib. V. et resumpta cappa, se recipiet ad Episcopium, associatus a Canonicis Cathedralis.

CONTINUATIO

SESSIONIS PRIMAE.

De rebus praeparandis.

209. Ad Altare SS. Sacramenti ponetur stratum cum pulvinis in genuflexorio, vel faldistorium pro Episcopo.

210. Ante Altare maius, faldistorium in quo geniculabit Episcopus pro brevi oratione.

211. Super mensam Altaris disponentur paramenta episcopalia rubri coloris, videlicet pluviale et stola, Crux pectoralis, cingulum, alba, amictus et formale pretiosum, et haec cooperientur velo rubri coloris. In lateribus mensae ponentur mitrae, nempe pretiosa et auriphrygiata, prope Altare baculus pastoralis.

212. Si fuerit Metropolitanus, aderit basis pro Cruce archiepiscopali prope latus Evangelii.

213. Thronus paratus erit, ut mane, vestibus rubri coloris, et aderunt faldistoria cum scabellis, ut superius, in loco consessus.

214. In Sacrario aut in respectivis stallis choralibus disponentur paramenta pro Canonicis et in Sacrario pluvialia pro Cappellanis a mitra, baculo, libro et scotula, vasculum aquae sanctae cum aspersorio; ac si fuerit Metropolitanus, praeparabitur etiam tunicella cum cingulo, alba et amictu pro Subdiacono, qui delaturus erit Crucem ad benedictionem in fine sessionis.

215. Super abacum autem praeparabitur scotula cum candela et Pontificale (pars. III.) pro Episcopo.

216. Non oportet ut paramenta induant Diaconus et Subdiaconus, sicut in Missa, siquidem locum non habet cantus Evangelii.

De Functione.

217. Hora praestituta cantantur vel recitantur Vesperae cum Completorio, pro consuetudine illius ecclesiae et qualitate festi incidentis.

218. Interea congregabitur in ecclesiam Clerus, qui Synodo interventurus est, et unumquodque individuum sibi induet superpelliceum aut aliud insigne, cuius usu gaudebit.

219. Absoluta in choro recitatione Completorii et omnibus rite dispositis, sonabitur campanula Sacrarii et Canonici Cathedralis convenient ad associandum Episcopum.

220. Sub ingressum Episcopi in ecclesiam, sonabitur organis et campanis.

221. In accessu autem ad ecclesiam, osservabitur quod notatum est cap. IV. lib. V.

222. Episcopus, postquam oraverit ad Altare SS. Sacramenti, procedet ad Altare maius ibique geniculabit in faldistorio.

223. Hoc ipso tempore se parabunt Canonici Cathedralis paramentis sacris, ut mane, exceptis Diacono et Subdiacono, qui vestes sacras assument in ordine suo cum ceteris Canonicis, quia non cantatur Evangelium, ut supra monitum est. Se parabunt etiam in Sacrario quatuor Cappellani pro libro, scotula, mitra et baculo, qui consistent prope Altare vel apud abacum, ut in Vesperis pontificalibus. Parabitur etiam Subdiaconus, ut supra dictum est, ad Crucem deferendam, si Celebrans erit Archiepiscopus.

224. Episcopus postquam brevi oraverit ante Altare maius, accedet ad thronum, quo priusquam ascendat, Clerum benedicet.

225. Ultimi duo Canonici Diaconi assistent Episcopo ad thronum, donec parati fuerint duo Diaconi assistentes, quibus ad thronum ascendentibus, duo illi Canonici supplentes discedent et pergent ad vestes sacras assumendas.

226. Profecto Episcopo de medio presbyterio, clerici duo removebunt faldistorium, quo usus erit Episcopus in brevi oratione et ponent illud seorsim.

227. Praesto erunt prope Altare clerici delaturi paramenta episcopalia.

228. Statim ac pervenerint ad thronum duo Diaconi assistentes, Caeremoniarius distribuet paramenta clericis, qui deferent illa ad thronum, ordine consueto.

229. Meminerit cubicularius Episcopi ascendere ad thronum et subsistere prope secundum Diaconum assistentem, recepturus cappam episcopalem, quam complicabit, repositurus illam Episcopo, quando exibit de ecclesia.

230. Episcopus, adiuvantibus Diaconis assistentibus, exuetur cappa: cubicularius, ut supra ostendimus, recipiet cappam et expediet extremitatem posteriorem vestis episcopalis.

231. Episcopus a Diaconis assistentibus induetur sacris paramentis, videlicet amictu, alba, cingulo, Cruce pectorali, stola et pluviali cum formali.

232. Hoc tempore a clericis ad hoc delectis ponentur faldistorium et scabella in fine consessus, alterum etiam faldistorium et scabella in suppedaneo vel ante Altare, ut superius descripsimus num. 122. habita ratione Altaris ipsius positionis.

233. Diaconus primus mitram pretiosam imponet Episcopo, qui baculum sinistra accipiet.

234. Duo Cappellani a scotula et a libro accipient haec ex abaco et consistent prope faldistorium collocatum in fine consessus.

235. Parato, ut supra Episcopo, procedetur ad locum consessus, qui si erit in presbyterio, Episcopus tantum cum Assistentibus suis discedet de throno, benedicet Clerum et veniet ad faldistorium collocatum in fine consessus.

236. Promotores, Secretarius ac Tabularius accedent ad mensas sibi praeparatas.

237. Episcopus ad faldistorium quum venerit, sedebit et baculum dimittet.

238. Diaconus secundus assistens exuet mitram Episcopo, qui assurget ac tono feriali cantabit orationem *Adsumus, Domine* etc., quae extat in Pontificali « Ordo ad Synodum » pro sessione prima.

239. Recitante praedictam orationem Episcopo, Clerus stabit in pedes.

240. Cappellanus a mitra deponet super Altare pretiosam et accipiet auriphrygiatam.

241. Recitata, ut supra, oratione, sedebit Episcopus et a primo Diacono reponetur ei mitra auriphrygiata.

242. Episcopus recipiet baculum, assurget ac procedet ad Altare, sedebit in faldistorio ibi posito et baculum dimittet.

243. Diaconi assistentes sedebunt a lateribus Episcopi in scabellis praeparatis.

244. Ostiarii cantabunt *Extra omnes*, dimittetur populus de ecclesia et claudentur portae.

245. Clerici duo ponent mensam ante Episcopum, et Vicarius generalis tradet ei decreta publicanda.

246. Sedenti, ut supra, Episcopo se sistent Promotores et Secretarius. Promotor primus efflagitabit, ut continuetur lectio decretorum, et Episcopus respondebit *Continuetur*. Post haec Episcopus decreta Secretario tradet.

247. Promotores redibunt ad locum suum et Secretarius ascendet super ambonem ac leget, ut supra, decreta sibi tradita ab Episcopo.

248. Expleta decretorum lectione, Secretarius idem leget decretum seu denunciationem sessionis secundae in posterum diem mane, vel alio die, descendet de ambone et se recipiet ad locum suum.

249. Se sistent Episcopo Promotores et primus ipsorum instantiam faciet contra absentes. Episcopus autem respondebit *Ita decernimus et declaramus*.

250. Deinde approximabit ad Episcopum Tabularius synodalis. Post instantiam antedictam fiet a Promotore altera instantia ut scribantur acta: Episcopus dicet *Conficiantur*. Tabularius respondebit *Conficiam*.

251. Post haec ascendet super ambonem Canonicus ad hoc delectus, qui elata voce cantabit triplex caput orationis mentalis, pausam non ita longam interponens inter singula capita.

252. Ad orationem Episcopus assurget, convertetur ad Altare et geniculabit ante faldistorium, ante quod ponetur pulvinus a clerico aliquo. Episcopus genuflectens retinebit in capite mitram: ceteri omnes de Clero geniculabunt capite nudato in locis suis.

253. Absoluta oratione, assurget Episcopus et cum ipso Canonici tantum Cathedralis et Praelati, siqui aderunt.

254. Episcopus donabit benedictionem solemnem *Sit nomen Domini benedictum* etc. Si fuerit Archiepiscopus, dimittet mitram et habebit ante se Crucem archiepiscopalem.

255. Post benedictionem Episcopus de Altari descendet, redibit in thronum, ut supra dictum est, a Diaconis assistentibus exuetur sacris paramentis, tum resumpta cappa, associatus a Canonicis Cathedralis revertetur ad residentiam suam.

256. Notandum, quod post benedictionem non promulgatur indulgentia, ac praeterea nisi sessio continuetur horis pomeridianis, oratio mentalis et benedictio solemnis locum habebit matutino tempore sub finem sessionis.

SESSIO SECUNDA.

De rebus praeparandis.

257. Disponentur omnia quae ad Missam solemnem opus sunt, assistente Episcopo, parato pluviali, ut cap. XVII. lib. V.

258. Praeparabitur praeterea super abacum Pontificale (pars 3.) pro Episcopo.

259. In presbyterio seu loco sessionis statuentur faldistoria, scabella, mensa et reliqua omnia descripta in sessione prima.

260. Missa solemnis erit votiva de Spiritu Sancto; sin autem habebitur Synodus in festo et in octava Pentecostes, cantabitur Missa respondens Officio.

261. In Sacrario, vel alio loco disponentur paramenta sacra, quibus induentur Canonici Cathedralis, peracto Sacro solemni.

De functione.

262. Ante sessionem peragetur Officium regulare, cuius initium fiet hora convenienti. Missa etiam conventualis in choro cantabitur respondens officio, excepto casu supra innuto de Pentecoste.

263. Interim in Sacrarium congregabitur Clerus, qui debebit sessioni intervenire et singuli induent insignia respectiva.

264. Sonabitur festivo more campanis Cathedralis paullo ante, quam incipiatur functio synodalis.

265. Completo officio, sonabitur campanula Sacrarii et Canonici Cathedralis proficiscentur ad associandum Episcopum.

266. Quod ad associationem Episcopi, accessum ad ecclesiam et celebrationem Missae observabitur quod iam descriptum est respectivis capitulis IV. et XVII. eiusdem lib. V.

267. Clerus dioecesanus poterit locum sumere in scamnis ipsi attributis antequam adveniat Episcopus ad ecclesiam, idque ut vitetur confusio.

268. Missa solemnis cantabitur ab una Dignitatum Capituli Cathedralis, assistentibus ei duobus Canonicis eiusdem.

269. Postquam Diaconus cantaverit *Ite Missa est*, Episcopus non donabit benedictionem. Celebrans recitabit orationem *Placeat tibi* etc. deinde ultimum Evangelium S. Ioannis, quo recitato, descendet cum Ministris de Altari, reverentiam faciet ad Crucem, deinde ad Episcopum et cum ipsis recedet in Sacrarium, praecedentibus duobus Acolythis qui non deferent candelabra.

270. Sacro peracto, sedebit Episcopus et a primo Diacono assistente cooperietur mitra pretiosa.

271. Profecto cum Ministris Celebrante, ascendent ad thronum ultimi duo Canonici Diaconi ad assistentiam praestandam Episcopo.

272. Canonici Cathedralis recedent in Sacrarium et induent sibi paramenta sacra ut in prima sessione. Item assument pluviale quatuor Cappellani a mitra, a baculo, a libro et a scotula, ac si absolvetur functio eodem mane, seu nisi protrahatur functio in horas pomeridianas et Episcopus esset Metropolitanus, parabitur etiam Subdiaconus, delaturus Crucem archiepiscopalem ad benedictionem.

273. Celebrans dimittet vestes sacras Missales, induet alterum sacrum habitum, qui competet ipsi et in chorum revertetur ad locum suum.

274. Duo sacri Ministri, manipulo retento, redibunt ad Altare et locum sument ad scamnum sibi praeparatum.

275. Redeuntibus ad thronum Diaconis assistentibus, discedent inde praedicti duo Canonici, qui vice illorum suppleverunt, recedent ad paramenta sibi induenda et revenient in chorum cum ceteris.

276. Interim collocabitur a clericis faldistorium cum scabellis in suppedaneo Altaris et alterum versus finem loci sessionis, cum animadversionibus iam superius notatis.

277. Quum omnia disposita fuerint ad initium functionis faciendum, Episcopus assurget et baculo sinistra sumpto, de throno descendet. Salutabit Crucem Altaris et benedicet Clerum dum transibit per medium consessum.

278. Si locus consessus seiunctus erit a Presbyterio, Episcopus ordinatim antecedetur a Clero, qui occupabit locum singulis attributum.

279. Episcopus incedet medius inter Diaconos assistentes, qui sustentabunt eius fimbrias pluvialis, eumque sequentur caudatarius et duo Cappellani a mitra et a baculo. Reliqui duo Cappellani cum libro et cum scotula praesto erunt apud faldistorium.

280. Promotores, Secretarius ac Tabularius occupabunt locum respectivum ad mensas praeparatas.

281. Episcopus progressus ad faldistorium, sedebit et baculum dimittet.

282. Approximabit ad Episcopum Subdiaconus, qui praecinet ipsi antiphonam *Propitius esto.* Clericus unus pulvinum ponet ante Episcopum. Diaconus secundus mitram exuet Episcopo, qui assurget et intonabit antiphonam praedictam *Propitius esto*, quam prosequetur in cantu chorus cantorum.

283. Episcopus, statim ac intonaverit antiphonam, geniculabit et cum ipso in genua procumbent adstantes universi.

284. Cappellanus a mitra recipiet mitram pretiosam et deferet ad Altare, atque accipiet alteram auriphrygiatam.

285. Absoluto antiphonae cantu, intonabitur ab eisdem cantoribus psalmus *Deus venerunt gentes* etc. qui cantabitur alternatim a Clero.

286. Psalmo intonato, Episcopus assurget, sedebit in faldistorio et a primo Diacono iterum cooperietur mitra.

287. Diaconi assistentes sedebunt scabellis positis a lateribus faldistorii. Clerus consurget et sedebit unusquisque loco suo.

288. Clericus unus tollet pulvinum, in quo genua flexerit Episcopus.

289. Post cantum psalmi repetetur a cantoribus antiphona superius nominata.

290. Interea thuriferarius curabit, ut in promptu sit ignis pro thuribulo.

291. Cantu antiphonae expleto, Diaconus secundus exuet mitram Episcopo, qui assurget; cum ipso consurget etiam Clerus universus.

292. Episcopus ex libro cantabit tono feriali orationem *Oremus. Nostrorum tibi* etc. et orationem alteram *Oremus. Mentibus nostris* etc. Post orationes praedictas Episcopus cantabit *Oremus*, Diaconus primus cantabit *Flectamus genua*, omnesque in genua procumbent, exceptis Episcopo et duobus Cappellanis a libro et a scotula; Diaconus autem secundus subiunget *Levate* et consurgent omnes: tum Episcopus tono feriali prosequetur cantare orationem alteram *Deus, qui nos iustitiam* etc.

293. Post orationem istam sedebit Episcopus, rursus induetur mitra a primo Diacono et sinistra baculum recipiet.

294. Assurget ac procedet ad Altare; transiens autem per medium consessum, benedicet Clerum.

295. Ante Altare quum venerit, reverentiam faciet, sedebit in faldistorio et baculum dimittet.

296. Presbyter assistens de suo stallo discedet et veniet ad dexteram Episcopi.

297. De loco suo proficiscetur Diaconus et veniet ad osculandum manum Episcopi, deinde redibit ad abacum, ex quo accipiet Evangeliarium, seque adiunget Subdiacono atque Acolythis.

298. Postquam Diaconus manum Episcopi osculatus erit, se sistet Episcopo thuriferarius cum thuribulo, quod genuflexus sustinebit ante eum. Presbyter assistens ministrabit incensum, quod Episcopus imponet in thuribulum cum benedictione usitata.

299. Presbyter assistens remanebit prope dexteram Episcopi.

300. Se sistent ante Episcopum Diaconus, Subdiaconus, Acolythi ac thuriferarius, Diaconus autem benedictionem petet atque accipiet ritu consueto.

301. Postea cantabitur Evangelium, ut in Missis solemnibus.

302. Diaconus secundus tollet mitram Episcopo, qui assurget et baculum accipiet, ut in Missis solemnibus.

303. Post cantatum Evangelium, Episcopus dimittet baculum. Subdiaconus afferet ad eum librum Evangelii, quod osculabitur dicens *Per evangelica* etc.

304. Diaconus et Acolythi cum candelabris redibunt ad locum suum.

305. Thuriferarius subsistet ante Episcopum.

306. Subdiaconus, quum Episcopus osculatus erit sacrum textum, librum claudet, redibit ad locum suum, ubi librum tradet clerico seque adiunget Diacono.

307. Presbyter assistens accedet ante Episcopum ac thuribulo a thuriferario recepto, incensabit Episcopum triplici ductu, postea revertetur ad stallum suum inter ceteros Canonicos.

308. Thuriferarius recedet ad deponendum thuribulum, quo non amplius opus est ad functionem.

309. Diaconus et Subdiaconus, adiuvantibus Acolythis, manipulum dimittent.

310. Postquam Episcopus thurificatus erit, convertetur ad Altare, et clericus unus ponet pulvinum ante faldistorium.

311. Episcopus genua flectet atque intonabit hymnum *Veni creator Spiritus*, qui continuabitur a cantoribus. Cum Episcopo geniculabunt adstantes omnes.

312. Absoluta stropha prima, consurgent omnes et stabunt donec completus erit cantus hymni.

313. Post cantum praedictum Episcopus sedebit et a primo Diacono reponetur ei mitra.

314. Ostiarii cantabunt *Extra omnes*: dimittetur populus et claudetur ecclesia, cuius portae custodientur ab Ostiariis ipsis.

315. Duo clerici ponent mensam ante Episcopum.

316. Vicarius generalis tradet Episcopo decreta publicanda.

317. Promotores se sistent ante Episcopum et instantiam facient, ut continuetur promulgatio Decretorum. Episcopus respondebit *Continuetur*; Promotores redibunt ad locum suum.

318. Secretarius se sistet Episcopo, recipiet ab ipso decreta, ascendet in ambonem et leget illa, ut superius declaratum est.

319. Reliqua, videlicet decretum pro continuatione lectionis decretorum, instantia contra absentes, instantia pro actorum scriptione, fient ut traditum est in Sessione prima.

320. Post haec acta Episcopus dextera benedicet Synodum et redibit in thronum, ubi sacra paramenta dimittet.

321. Si continuabitur sessio post Vesperas, observabitur quidquid traditum est alio loco pro continuatione sessionis primae.

322. Sin autem sessio absolvetur ipso mane, acta praescripta ad finem sessionis vespertinae, eodem mane conficientur.

SESSIO TERTIA.

323. In tertia sessione peragentur omnia illa, quae indicata sunt in secunda. Quapropter servabuntur ritus iidem ad secundam diem constituti, exceptis orationibus et precibus, quae inveniuntur in Pontificali parte III. *Ordo ad Synodum*, ad rubricam *Die tertia conventione facta* etc.

324. In ista sessione vel etiam in antecedentibus, ut opportunius videbitur Episcopo, publicabuntur Officiales Cleri, fiet scrutinium Cleri, fiet appellatio illorum, qui debent Synodo intervenire et denunciabitur Clero, ut solvat taxationem Cathedratici atque haec omnia ex instantia Promotorum et ex decretis successivis. Quod ad vocationem sive appellationem Cleri, postquam Secretarius publicaverit decretum, in quo declarabitur, quod unusquisque ex appellatis debeat assurgere et elata voce dicere *Adsum*, Tabularius ascendet super ambonem, et Clerum ut supra appellabit, initium ducens a Capitulo Cathedralis, et singuli observabunt quod traditum est.

325. Completa autem decretorum publicatione, Episcopus poterit allocutionem e pulpito facere ad Clerum quo modo innuimus in sessione prima.

326. Si protrahatur sessio in vespertinas horas, post orationem *Adsumus*, ut supra, poterit Episcopus allocutionem ad Clerum habere.

327. Post haec Promotores instabunt pro conclusione Synodi, Episcopus respondebit *Ita decernimus et declaramus*. Recedent Promotores, Secretarius accedet ad Episcopum, a quo accipiet decretum relativum, ascendet super ambonem, publicabit decretum, deinde redibit ad locum suum.

328. Revenient ad Episcopum Promotores, eique instantiam facient ut indicatur Synodus futura. Episcopus respondebit, ut supra, postmodum publicabitur decretum, ordine innuto.

329. Postremo fiet instantia pro confectione actorum, ut in aliis sessionibus; tum vero portae ecclesiae aperientur.

330. Amovebitur a clericis duobus mensa, quae posita fuerat ante Episcopum et secundus Diaconus assistens mitram exuet Episcopo.

331. Assurget Episcopus, et cum ipso totus consessus, et intonabit *Te Deum* quod a Clero alternatim cantabitur.

332. Ad cantum hymni antedicti sonabitur organis et campanis omnibus Cathedralis.

333. Episcopus in intonatione et in cantu eiusdem hymni conversus stabit ad Synodum; ad cantum autem ℣. *Te ergo quaesumus* etc. geniculabit versus Altare et cum Episcopo ceteri omnes in genua procumbent.

334. Post cantatum *Te Deum*, se sistent Episcopo duo Cappellani cum libro et scotula.

335. Episcopus, conversus ad Synodum, ut supra, cantabit tono feriali orationem *Oremus. Nulla est, Domine* etc.

336. Cappellanus a mitra meminerit relinquere in Altari auriphrygiatam et accipere pretiosam.

337. Tum Episcopus sedebit eique primus Diaconus assistens mitram pretiosam imponet.

338. Ascendet super ambonem Canonicus iam designatus, qui cantabit acclamationes, ad quas respondebit chorus cantorum (*a*).

339. Tempore toto acclamationum Episcopus et Clerus stabunt.

(*a*) Acclamationes fieri solent in Synodo tantum prima, quae ab Episcopo convocatur.

340. Sub finem cantus acclamationum Presbyter assistens, secum ferens formulam Indulgentiarum, accedet prope dexteram Episcopi.

341. Peracto acclamationum cantu, Secretarius ascendet in ambonem et publicabit decretum de Synodi dimissione.

342. Cantu acclamationum absoluto et decreto de dimissione publicato, se sistent Episcopo Cappellani cum libro et scatula; Episcopus quin convertatur ad Altare donabit solemnem benedictionem *Sit nomen Domini* etc.

343. Presbyter assistens post benedictionem publicabit Indulgentias, legens formulam statutam.

344. Primus Diaconus assistens, si fuerit Archidiaconus, secus Archidiaconus ipse, accedens prope Episcopum, convertetur versus Synodum et cantabit *Recedamus cum pace*, Clerus autem respondebit *In nomine Christi*.

345. Episcopus de Altari descendet et redibit in thronum ad sacras vestes dimittendas.

346. Canonici Cathedralis dimittent paramenta et resument habitum choralem.

347. Episcopus, resumpta cappa, comitatus a Clero universo se recipiet ad residentiam suam.

DE CONCILIO PROVINCIALI

CAPUT XLI.

1. S. Concilium Tridentinum sess. XXIV. cap. II. de *reformat.* praescribit, ut Concilium provinciale convocetur a Metropolitano singulis trienniis.

2. Priusquam Metropolitanus ipse formaliter indicat conventionem conciliarem, necesse est, ut in antecessum cum Episcopis comprovincialibus agat de materiis, circa quas san-

ciendae erunt eiusdem Concilii constitutiones. Quum in hanc rem celebrentur conventus privati, nulla potest assignari certa regula de ordine in ipsis servando, eo quod dependeat hoc ab urbanitate et indulgentia Metropolitani ipsius. Quum statutum erit, ut habeatur Concilium, animadvertenda sunt quae sequuntur.

3. Die festo Epiphaniae in publicatione festorum mobilium annuntiabitur celebratio Concilii Provincialis, nempe « Dominica secunda post Pascha, Provinciale Concilium habebitur » vel alio die, quo indictum erit: si tamen in festo supradicto nondum definita esset dies, dicetur » Post Pascha Provinciale Concilium habebitur ».

4. Quatuor aut quinque ante Concilium mensibus typis excudetur edictum, latino sermone exaratum, pro Concilii convocatione, quod affigetur portis Metropolitanae et Cathedralium suffraganearum ceterisque locis consuetis.

5. Idem edictum cum respectivis literis iubebitur afferri ad Episcopos suffraganeos, qui alia epistola significabunt Metropolitano, se illud accepisse.

6. Simul cum edicto et literis officialibus mittetur ad ipsos Episcopos epistola fiduciaria, qua designentur ipsis personae secum ad Concilium ducendae, moneantur etiam de vestiario, quo in functionibus uti debebunt, videlicet habitu praelatitio violacei et nigri coloris cum rocheto et mozzeta, exclusa cappa, simulque insinuetur eis ut secum ferant etiam paramenta, quae opus esse poterunt in functionibus, nempe amictum, pluviale rubri coloris et mitram auriphrygiatam pro sesssionibus, pluviale autem nigrum cum mitra simplici linea albi coloris pro funere solemni Episcoporum omnium defunctorum. Unusquique autem Episcopus poterit secum ducere, praeter familiares, Theologum, et Canonistam unum, quos seliget e Clero dioecesis suae, neque incongruum esset, ut inter theologos ab Episcopis suffraganeis selectos, adessent quidam de Clero Regulari. Idem fieri poterit a Metropolitano ipso, praesertim si in civitate illa extent conspicua Regularium coenobia.

7. Mittentur etiam literae officiales ad Capitula Cathe-

dralium, quarum singulae deputabunt regulariter Canonicos binos, qui sint earum repraesentantes in Concilio. Poterit insuper mitti epistola familiaris ad primam Dignitatem seu Canonicum alium, ut significetur ei quod repraesentantes debent in sessionibus uti habitu chorali respectivo, doceri de hospitio, ac praeterea quod iidem Capitulorum repraesentantes incedent et sedebunt eodem ordine quo Episcopi suffraganei, idque ut vitentur controversiae, quae possent forte oriri de praecedentia in ipso functionis actu.

8. Opportunum erit, ut typis mandentur libelli cum precibus et psalmis recitandis sive cantandis in processionibus; psalmi et preces quae cantantur initio sessionum; acclamationes; capita orationis et breve generale compendium actionum, quae erunt persolvendae.

9. Excudentur etiam formulae pro denunciatione Congregationum particularium et ceterarum Conciliarium, mittendae ad eos qui debebunt illis intervenire, et affigendae etiam portis Metropolitanae ac palatio Archiepiscopi, si opus fuerit.

10. Multum expediet, ut compilentur relativae instructiones pro singulis Concilii officialibus, idque ut unusquisque noscat attributiones suas et sic persolvantur actiones regulariter atque expedite.

11. Constituetur tractatio praestanda Episcopis in eorum ad civitatem adventu, ideoque necesse erit significare ipsis methodum praefinitam, ut notificent diem et horam adventus sui.

12. Poterit etiam parari ipsis hospitium conveniens ac decens vel in ipso Metropolitani palatio, vel in alia domo non longinqua a palatio, ut possint faciliter congregari pro quolibet eventu.

13. Delegabitur qui debeat excipere Episcopos, ducere ipsos ad hospitium omnibusque rebus prospicere, quae forte possent eis opus esse.

14. Parabitur insuper habitaculum pro iis, qui Capitula repraesentant Cathedralium suffraganearum, pro Theologis et Canonistis ac deligetur, ut supra, qui huiusce rei curam gerat.

15. Indicentur publicae in provincia supplicationes, ut Dominus adsit et benedicat coetus conciliares. Toto autem Con-

cilii tempore singulis feriis V. cantabitur in Cathedrali et in collegiatis Missa votiva de Spiritu Sancto, et in Missis privatis adiungetur etiam oratio de Spiritu Sancto.

16. Quum vero cuncti Episcopi apud Metropolitanum convenerint, fieri poterit Novendiale de Spiritu Sancto in Metropolitana, cum interventu Episcoporum omnium.

17. Advertet etiam Metropolitanus ut a Summo Pontifice obtineat Indulgentiam plenariam pro fidelibus cunctis, qui visitabunt Metropolitanam vel aliam ecclesiam, Concilii tempore toto.

18. Excudetur typis et affigetur invitamentum sacrum, seu notificatio, in qua reddetur ratio de functionibus, et docebitur in ipsa, quod populus excludi ab ecclesia debet tempore sessionum conciliarium. Praecipietur Parochis, ut in tribus Dominicis Concilium praecedentibus, explicantes Evangelium, hortentur fideles ad precationem et Sacramentorum frequentationem. Id ipsum commonebuntur Concionatores, ut faciant in sacris concionibus ante Concilium.

19. Istae ferme sunt dispositiones, quae suggeruntur capiendae pro regulari Concilii processu, quae tamen in sequentibus instructionibus evolventur.

De Congregatione particulari in Concilii praeparationem.

20. Expediet ut Metropolitanus convocet Congregationem peculiarem, ut res opportune disponat ac penes ipsum est advocare et admittere quos viros existimabit ad rem.

21. Quum agatur de Congregatione peculiari et privata licebit Metropolitano intervenire induto epitogio, eamque habere in quo cubiculo ei magis placebit.

22. Conficiendus in primis erit elenchus officialium proponendus Episcopis suffrageneis in prima Congregatione praeparatoria, reservando tamen aliquot nominationes quorumdam officiorum etiam pro Canonicis Cathedralium suffraganearum, qui Concilio intervenient.

23. Officiales nominandi, praeter Procuratores Capitulo-

rum, Theologos et Canonistas, sunt — Iudices querelarum — Iudices excusationum — Promotores — Deputatus ad renunciandum et introducendum postulantes audiri in Concilio — Secretarius — Adiutor seu adiutores Secretarii — Notarius — Testes ad acta Synodalia — Magistri Caeremoniarum — Ostiarii — Cursores et Nuncii Concilii — Delectus theologorum et canonistarum ex parte Metropolitani fieri poterit in ista, aut in Congregationibus sequentibus.

24. Expendenda erit methodus servanda tum in functionibus tum etiam in sessionibus, iuxta documenta, quae tradentur deinceps, probabuntur formulae instantiarum, citationum etc.

25. Deligentur Canonici duo Metropolitanae, ac possent deligi ultimi, qui excipiant et comitentur Episcopos, quando accedent ad Congregationes.

26. Constituetur methodus tenenda in excipiendis tractandisque Episcopis, ut in sequenti paragrapho, quae methodus postquam probata fuerit, transmittetur Episcopis ipsis ad normam eorumdem.

Propositio
de modo tractandi Episcopos suffraganeos
in eorum ad Metropolitanam adventu.

27. Aliquo ab urbe intervallo ipsis obviam procedet currus unus Metropolitani.

28. Designabitur unus ex Canonicis Metropolitanae cum Vicario generali Archiepiscopi, qui eos officii causa comitetur et in urbem introducat.

29. Vicarius generalis cum Canonico induent habitum talarem, modo non gaudeant usu alius vestiarii distincti.

30. Constituetur locus aliquis proximus civitati, in quo praesto erit currus supradictus cum Vicario generali cumque Canonico, quo loco possit subsistere et intermittere parumper iter Episcopus atque induere habitum viatorium coloris violacei. Si Episcopus carebit habitu viatorio, induet vestem talarem cum fascia, mantelletum et mozzetam sine rocheto, ut habitus viatorii quamdam speciem praebeat, siquidem Episcopus in itineribus numquam utitur rocheto.

31. Episcopus igitur conscendet currum Metropolitani et introducetur in urbem. Ad currum aderunt famuli duo Metropolitani, familiaribus vestimentis usualibus induti. Currus autem Episcopi poterit servire pompae, nempe sequetur currum Metropolitani.

32. Quum pervenerit ad Metropolitanam, Episcopus de curru descendet et ad portam primariam excipietur a quatuor Canonicis et Beneficiariis seu Mansionariis quatuor, ad hoc deputatis, qui erunt induti habitu chorali. Sacrista indutus superpellicio porriget ei aspersorium, ex quo per contactum accipiet aquam benedictam, non tamen aspergens adstantes, qui actus est iurisdictionis et competit tantum Ordinario.

33. Episcopus orabit ad Altare SS. Sacramenti et ad alterum Sancti Patroni seu Titularis; ad hunc finem praeparabitur ibi genuflexorium instructum strato et pulvinis e panno violaceo et accendentur sex cerei Altaris. Canonici et Beneficiarii, de quibus supra, genieulabunt a tergo eius et post visitationem supradictam, rursus comitabuntur eum ad portam ecclesiae, ubi ipse gratias aget.

34. A famulis Metropolitani, qui ei inservient, a Vicario generali et a Canonico supra dicto deducetur Episcopus ad residentiam Metropolitani. A ceteris famulis Metropolitani, si aderunt, excipietur ad imas scalas, et a familiaribus nobilibus ad portam procaetonis. Metropolitanus aderit in habitu eumque excipiet ad primum procoetonem. Introducet eum in cubiculum salutatorium, concedet ei dexteram et claudetur tentorium ostii. Exiens inde, deducetur ad hospitium sibi attributum.

De Congregationibus praeparatoriis cum Episcoporum interventu.

35. In cubiculo sive aula, in qua conventus fiet Congregationis, praeparabitur sedes una cum fulcris pro Metropolitano, quae sedes aderit ad caput mensae maioris, quae ibi sita erit, et cooperietur tapeto e panno viridi.

36. A lateribus eiusdem mensae disponentur aliae sedes

cum fulcris pro Episcopis suffraganeis, advertendo tamen, ut sint ornatu inferiori sede Metropolitani.

37. Super mensam praedictam ponetur imago Crucifixi, tabella cum oratione *Adsumus* etc. omnia quae scribendo opus sunt, nempe atramentarium, calami scriptorii, charta, pugillar etc. cum campanula.

38. Prope mensam supradictam praeparabitur altera minor distincta pro Secretario, nisi forte complaceat ipsam statuere ad extremitatem mensae maioris e regione Metropolitani.

39. Disponentur circa aulam seu cubiculum, scamna contecta tapeto pro Theologis et Canonistis.

40. Congregatio indicetur cum invitatione particulari vel voce Episcopis, qui monebuntur etiam, quod induendum ipsis erit vestimentum praelatitium, nempe vestis talaris cum fascia, rochetum et mozzeta: indicabitur dies et hora, qua adesse debebunt in diaeta Metropolitani.

41. Nunciabitur etiam Theologis et Canonistis, qui intervenient habitu talari induti, nisi gaudebunt usu alius distincti vestiarii. Ipsi quoque invitabuntur per schedulam vel voce, ut videbitur commodius.

42. In Congregatione ista subiiciendae in primis erunt Episcoporum examini decisiones receptae in Congregatione peculiari superius innuta num. 20. et seq. ac praeterea methodus praefinita pro functionibus et sessionibus Concilii; invitatio Cleri saecularis et regularis atque Confraternitatum ad processiones; nunciatio sonitus campanarum etc. deinde materiae cunctae a Concilio definiendae, quae expendentur in aliis etiam Congregationibus, si opus fuerit, ac postremo literae scribendae Summo Pontifici nomine Episcoporum omnium ad petendam canonum et decretorum synodalium approbationem.

43. Metropolitanus sedebit honoratiori loco mensae, et a lateribus Episcopi suffraganei, qui considebunt servato ordine praecedentiae et antiquitatis, desumendo ex quo die electi fuerunt in Consistorio. Theologi et Canonistae sedebunt scamnis sibi assignatis et Secretarius apud mensam minorem.

44. Principio Congregationis Metropolitanus recitabit ora-

tionem *Adsumus* etc. ad quam omnes stabunt, capite nudato. Deinde, dimissis omnibus iis quibus non est in Congregatione locus, claudetur ianua.

45. Cavendum porro est, ne quis accedat ad ianuas inaudiendi causa quae in Congregationibus tractantur.

46. Sonitu campanulae complebitur Congregatio et aperietur ianua.

De generali Congregatione Conciliari.

47. Congregationibus generalibus conciliaribus, praeter Metropolitanum et Suffraganeos, intervenient Procuratores Episcoporum absentium, Procuratores Cathedralium suffraganearum, Promotores Concilii, Secretarius Concilii, Notarii Concilii, Theologi, Canonistae, Officialis delectus ad admittendos eos, qui postulabunt audiri, et Ostiarii.

48. In capite aulae maioris praeparabitur thronus pro Metropolitano, videlicet postergale cum baldachino rubri coloris, sub quo aderit sedes inaurata cum fulcris, posita super suppedaneum coopertum tapeto. A lateribus throni aderunt sedes camerales pro Episcopis suffraganeis, quae ornatu distinctae erunt a sede Metropolitani.

49. Contra thronum statuentur scamna parata aulaeis seu peristromatis, quibus sedebunt Procuratores Episcoporum absentium et Procuratores seu repraesentantes Capitulorum Cathedralium suffraganearum.

50. A dextra et a laeva throni praeparabuntur mensae duae contectae panno viridi et scabella ad sedendum: apud mensam dextrorsum positam locum sumet Secretarius, ad alteram sinistrorsum Tabularii, seu Notarii.

51. Aderunt scamna alia pro ceteris Officialibus.

52. Relate ad habitum ab illis induendum, qui intervenient Congregationibus istis, observabitur quod superius traditum iam est in altera Congregatione num. 40. et 41. capituli huius.

53. Congregatio seu Congregationes indicentur per schedulam typis impressam, quae affigetur portis Metropolitanae ceterisque locis consuetis.

54. Ubi omnia disposita fuerint, Metropolitanus sequentibus Episcopis veniet ad aulam Congregationi designatam. Metropolitanus accedet ad thronum, Episcopi ad sedes singulis attributas, itemque Secretarius et Notarii. Promotores immorabuntur prope thronum a sinistris.

55. Metropolitanus stans et capite nudato recitabit orationem *Adsumus* etc. ex tabella quam ei sustinebit Caeremoniarius. Episcopi stabunt in pedes capite nudato, ceterique omnes geniculabunt.

56. Post orationem sedebunt Metropolitanus et Episcopi.

57. Ostiarii conciliares dicent *Extra omnes* et claudentur fores, restantibus in aula Episcopis et Officialibus supra nominatis, videlicet Promotoribus, Secretario et Notariis.

58. Postquam clausae fores erunt, Metropolitanus sermonem analogum habebit ad Episcopos, et sermone confecto, se sistent Metropolitano Promotores eique exhibebunt nominationem suam.

59. Recognita nominatione, Promotores ipsi instantiam facient, ut initium fiat Concilii, et recipient se ad locum suum.

60. Secretarius cum Notariis accedent ad Metropolitanum et ad Episcopos poscentque eorum votum: tum redibunt ad Metropolitanum et votorum relationem peragent.

61. Secretarius et Notarii ad locum suum revertentur.

62. Secretarius leget Decretum pro aperitione Concilii.

63. Aperientur fores aulae.

64. Ingredientur omnes illi, qui aderunt extra ipsam: Theologi et Canonistae accedent ad locum sibi attributum et sedebunt: ceteri consistent in vacuo, quod relictum erit inter ianuam et septum scamnorum.

65. Secretarius, petita venia a Metropolitano, dicet alta voce — RR. DD. Si quis est vestrum, qui ad hanc sanctam Synodum aliquid referre velit, datur ei libera facultas dicendi — Haec eadem repetet vulgari sermone Notarius.

66. Brevi interposita mora, nisi quis erit qui prodeat, Secretarius appellabit Procuratores Episcoporum absentium, dicens — Accedant Procuratores R̃morum Episcoporum absentium, qui volunt audiri — Introducentur Procuratores ab Offi-

ciali ad hoc delecto, cum formula ista — Rm̃e Pater, adsunt Procuratores Rm̃orum Episcoporum absentium, qui habent quod ad hanc sanctam Synodum referant — Unusquisque Procurator Metropolitano exhibebit literas procuratorias, quae postquam recognitae erunt legales in formis suis, Procuratores praedicti considebunt locis sibi assignatis.

67. Deinde Secretarius vocabit Procuratores seu Repraesentantes Capitulorum Cathedralium suffraganearum, dicens — Accedant Procuratores Capitulorum, qui volunt audiri — Introducentur, ut supra, ab Officiali, qui dicet — Rm̃e Pater, adsunt Procuratores Cathedralium N. et N. qui volunt audiri. — Procuratores antedicti accedent ordinatim ad Metropolitanum, exhibebunt ei respectivas literas procuratorias, quibus recognitis, ut supra, sedebunt loco qui erit ipsis constitutus.

68. Tunc Canonici Metropolitanae vocabuntur a Secretario qui dicet — Accedant Canonici, qui volunt audiri — quorum siquis erit, prodibit.

69. Postea appellabuntur Parochi ab eodem Secretario dicente — Accedant Parochi, qui volunt audiri — et prodibunt in audientiam, ut ceteri.

70. Clerus deinde a Secretario invitabitur — Accedant Clerici, qui volunt audiri — et prodibit, ut supra, qui volet.

71. Demum vocabuntur laici, si aderunt, cum formula — Accedant laici et alii quicumque volunt audiri — ac si aderunt, admittentur ad audientiam.

72. Fine facto audiendi, Secretarius elata voce dicet — RR. DD. exeant omnes, praeter Procuratores Rm̃orum Episcoporum et Capitulorum — tunc ab Ostiariis claudentur fores. Restabunt tamen Theologi, Canonistae et ceteri Officiales supra nominati.

73. Promotores iterum se sistent Metropolitano et instantiam facient, ne Procuratores admittantur, nisi venia facta, et modo constet de mandato legitimo a iudicibus deputatis recognoscendo.

74. Recedent Promotores, et Secretarius cum Notariis accedent ad Metropolitanum et ad Episcopos audituri votum ipsorum, de quo mox referent ad Metropolitanum.

75. Post haec Metropolitanus interrogabit Episcopos — RRm̃i Patres; scitis an aliquis absit, qui voti decisivi ius, vel privilegium habeat? — Episcopi responsum dabunt.

76. Secretarius leget catalogum Ministrorum seu Officialium Concilii, instantias, si quae aderunt, et decreta promulganda in prima sessione.

77. Postquam legerit decreta, assurget et interrogabit Episcopos, dicens — RRm̃i Patres, decreta et alia modo lecta placentne vobis?

78. Secretarius idem cum Notariis accedet ad Episcopos, colliget vota et referet illa ad Metropolitanum.

79. Deinde idem Secretarius redibit ad locum suum et iussu Metropolitani subiunget — Decreta modo lecta placuerunt Patribus: de eorum ergo assensu illa statuimus, ut lecta sunt — Sin autem esset sententiarum discrepantia, locus erit discussioni.

80. Aperientur fores et absolvetur Congregatio.

81. In aliis Congregationibus generalibus servabitur eadem methodus, exceptis quae praescripta sunt relate ad nominationem Procuratorum Episcoporum et Capitulorum; et continuabitur lectio aliorum decretorum ac discussio alicuius materiae controversae, si opus fuerit.

INCHOATIO CONCILII

Dispositiones.

82. Ad Clerum saecularem, ad Clerum regularem et ad Confraternitates mittetur denunciatio Processionis peragendae, priusquam incipiatur Concilium. Indicabitur hora et locus quo conveniendum erit. In processione autem quae fiet in fine Concilii, locus erit Clero tantum saeculari et regulari, exclusis Confraternitatibus ut processio sit brevior. In secunda processione Clerus congregabitur in Metropolitanam.

83. Cunctis ecclesiis urbanis imperabitur sonus festivus campanarum omnium, triduo praecedenti integram horam ad meridiem, alteram horam ab salutatione Angelica usque ad primam noctis horam. Iisdem ecclesiis imperabitur etiam, ut

campanis sonetur mane tempore processionis, signo dato a Metropolitana, neu cessetur a sonitu donec non desierit Metropolitana ipsa.

84. Parabitur festivo more ecclesia metropolitana et porticus, ut in celebritatibus principalibus: quin etiam in porticu, praeter stemma Metropolitani, possent etiam Episcoporum suffraganeorum stemmata appendi.

85. In eadem ecclesia praeparabitur presbyterium et consessus modo sequenti:

86. Praeter thronum Metropolitani, statuetur a dextra scamnum maius cum suppedali duorum graduum pro Episcopis suffraganeis et scamnum parabitur panno sericeo rubri coloris, suppedale autem seu gradus cooperientur tapeto viridis coloris.

87. Post scamnum Episcoporum, sive a tergo eorum, ponetur scamnum alterum humilius cum uno tantum gradu, panno viridi contectum, quo sedebunt Procuratores Episcoporum absentium.

88. A sinistra throni, vel ferme contra ipsum, si collocatus erit in latere Evangelii, non sub tribuna, statuentur scamna pro Canonicis Metropolitanae, a tergo autem vel post scamna Canonicorum ponetur scamnum alterum distinctum pro Abbatibus, qui vel de iure vel ex usu interveniunt Concilio. Scamna, quibus sedebunt Procuratores Episcoporum, Canonici et Abbates, erunt aequalia, quoad fieri poterit, tum forma tum etiam ornatu.

89. Ad extremitatem scamnorum, quibus Procuratores Episcoporum sedebunt, praeparabitur pulpitum paratum cum baldachino, quo utentur Metropolitanus et Episcopi suffraganei, qui relativos sermones habebunt. Ad extremitatem scamnorum pro Canonicis et Abbatibus ponetur Ambo seu parvum pulpitum sine baldachino, ex quo publicabuntur decreta.

90. Post pulpitum disponentur alia scamna sine suppedali, cooperta panno viridi in usum Procuratorum seu Repraesentantium Capitulorum Cathedralium, et ex parte opposita locus erit Theologis et Canonistis in scamnis similibus.

91. Beneficiarii, seu Mansionarii Metropolitanae, et clerici Seminarii locum sument ad scamna humiliora, e regione Altaris, seu in fine consessus.

92. Haec poterit esse ordinaria dispositio, quae tamen opus erit ut serviat loci capacitati.

93. Prope pulpitum ac prope ambonem aderunt mensae duae contectae panno viridi cum aliquot scabellis ad mensam utramque. Mensae proximae pulpito assidebunt Promotores et Notarii, mensae proximae amboni Secretarius cum substitutis suis. Super mensis aderunt thecae calamariae, pulverariae, calami, charta et reliqua.

94. Praeparabitur etiam mensa cooperta panno sericeo rubri coloris ponenda ante Metropolitanum, faldistoria duo cum vestibus rubri coloris, scabella quatuor pro Diaconis assistentibus, pulvini duo, ad genuflectendum, prope faldistorium et stylobata seu basis pro fulcienda Cruce archiepiscopali.

95. Caeremoniarius utetur adiumento aliis ecclesiasticis, quibus tradet documenta opportuna ad actiones exsequendas, eo quod processus et ordo regularis functionis in totum dependeat a dispositionibus in antecessum constitutis.

De rebus praeparandis.
In diaeta Metropolitani

96. Praeparabitur Sacellum Archiepiscopatus, ex quo initium fiet Processionis, quae praecedet Concilium. Nisi Sacellum esset satis capax, redigetur ad usum istum una ex aulis maioribus Palatii, ibique ponetur Altare cum suppedaneo et decenter exornabitur ita ut a Sacello ipso nequaquam differat.

97. Altare ornabitur sex candelabris cum cereis et Cruce aequali candelabris, item tobaleis, pallio rubri coloris ac tapeto quod cooperiat suppedaneum et pavimentum circa Altare ipsum.

98. Super mensam disponentur paramenta Metropolitani, videlicet pluviale cum stola rubri coloris, Crux pectoralis, cingulum, alba, amictus et formale pretiosum, quae omnia contegentur velo rubri coloris. In latere Evangelii ponetur mitra pretiosa et prope Altare baculus pastoralis.

99. In latere Epistolae ante suppedaneum seu gradus Altaris collocabitur faldistorium cum veste rubri coloris et

in medio suppedaneo vel gradu infimo aderit pulvinus, in quo genua flectet Metropolitanus.

100. In latere eodem aderit abacus contectus alba tobalea, in quo disponentur candelabra cum candelis pro Acolythis, vasculum aquae benedictae cum aspersorio, thuribulum cum navicula, scotula cum candela, liber pro intonatione hymni *Veni creator Spiritus*, canendus a Metropolitano et libri precum distribuendi Episcopis, Canonicis et ceteris.

101. Ex parte Evangelii statuetur scamnum paratum panno sericeo rubri coloris pro Episcopis.

102. In parte eadem aderit abacus maior, alba tobalea coopertus, in quo praeparabuntur paramenta pro Episcopis suffraganeis, videlicet mitra auriphrygiata, pluviale rubri coloris et amictus. Ibi etiam ponentur superpelliceа pro Cappellanis, qui assistent Episcopis, nisi forte videretur opportunius, ut illa induerent extra Sacellum ipsum.

103. In una ex aulis Palatii, proxima Sacello, super tabulas ad hoc comparatas disponentur paramenta pro Canonicis Metropolitanae, et curabitur ut adsint etiam paramenta pro Diacono et Subdiacono, qui ministrabunt ad Missam solemnem, excepto manipulo. In altera tabula, quatuor pluvialia pro Cappellanis a mitra, a baculo, a scotula, a libro, ac tunicella cum cingulo, alba et amictu pro Subdiacono Crucem archiepiscopalem gestaturo.

104. Altera aula Palatii assignabitur Procuratoribus Capitulorum Cathedralium suffraganearum, in qua possint commode induere respectiva insignia choralia.

105. Si tamen Palatium archiepiscopale contiguum esset Metropolitanae, unde esset aditus privatus ad palatium ipsum, possent tum Canonici Metropolitanae, tum etiam Cathedralium suffraganearum induere respectiva insignia et paramenta in Sacrario Metropolitanae, deinde ascendere ad diaetam Archiepiscopi, processionis initium ut fiat.

106. Ornabitur nobiliter ut in festis solemnibus, prout superius innutum est; conopoeum autem et pallium erunt coloris quem requiret Officium.

107. Si Sacellum in quo SS. Sacramentum quotidie asservatur, esset nimis proximum loco consessus, reponetur in Sacellum sive Altare remotius.

108. Statuetur ibi faldistorium cum pulvinis, in quo geniculabit Metropolitanus. Ponetur etiam genuflexorium cum pulvinis, et strato pro Episcopis suffraganeis. Pro Canonicis Metropolitanae, si tamen locus id patietur, constituetur scamnum sine dorsuali, contectum panno laneo, quo utentur cum genua flectent in adoratione SS. Sacramenti.

109. Advertetur a Sacrista, ut in promptu habeatur genuflexorium sufficiens cum strato et pulvinis pro Metropolitano et pro Episcopis, adhibendum post functionem. Duo pulvini in usum Metropolitani, distinctiores quam ceteri statuentur in medio.

Ad Altare maius.

110. Nobiliter instruetur septem candelabris cum cereis et Cruce aequali candelabris ante candelabrum in medio positum

111. Super mensam disponentur paramenta pro Metropolitano, videlicet S. Pallium in lance contectum velo rubri coloris, tres spinulae gemmatae in altera lance, planeta, chirothecae in lance, dalmatica ac tunicella, omnia rubri coloris, contecta velo simili. In latere Evangelii praeparabitur mitra auriphrygiata.

112. Super infimum gradum aderit pulvinus pro Metropolitano, aliique pro Episcopis suffraganeis, qui si tam multi numero essent, ut nequirent commode genuflectere super ipso gradu, ponentur pulvini in plano presbyterii prope Altare.

113. Thronus convestietur tegumentis rubri coloris, cum tribus scabellis pro Assistentibus et pulvinus utendus ab Episcopo in genuflexionibus.

114. Super abacum in latere Epistolae, alba tobalea coopertum praeparabitur quidquid opus erit ad Missam solemnem, nempe caligae et sandalia rubri coloris cum velis similibus quibuscum afferentur ad Metropolitanum; canon pontificalis cum scotula; manipuli pro Ministris; Epistolarium cum veste rubri coloris; Evangeliarium cum veste simili, una cum manipulo Metropolitani; Missale pro Metropolitano instructum veste rubri coloris; gremiale aequale paramentis; velum humerale pro Subdiacono; calix cum purificatoriis duobus, patena cum binis hostiis, et palla, corporale intra bursam; ampullae vini et aquae in pelvicula; patera ad praegustationem faciendam; campanula; intorticia octo pro elevatione; urceus et pelvis: mantilia duo in lance: si lotio manuum ministrabitur a Magistratu, praeparabitur velum humerale simplex sine ullo opere phrygio, instrumentum pacis cum velo, si Magistratus interveniet.

115. Prope latus Evangelii statuetur basis pro Cruce Archiepiscopali.

116. In loco consessus aderit abacus cum Evangeliario ac Pontificali (parte III). praeter mensas superius notatas pro Metropolitano, pro Secretario, Promotoribus et Notario.

117. Aderunt praeterea duo faldistoria collocanda in loco consessus et quatuor scabella, ut docebitur deinceps, et basis pro Cruce archiepiscopali, de qua supra.

118. In exitu presbyterii vel consessus, ponentur octo fanalia cum cereis aut intorticiis ex cera albi coloris.

De Functione.

119. Pridie vespere in choro Metropolitanae praevertetur recitatio Matutini et Laudum. Mane autem sequenti, mature recitabuntur Horae minores et cantabitur Missa conventualis.

120. Si Concilium congregabitur in festis Pentecostes, omittetur in choro Missa conventualis.

121. Hora praestituta in atrium Palatii archiepiscopalis, aut in plateam, vel alio, pro dispositione et capacitate locorum, convenient Confraternitates et Regulares, singulis collegiis propria signa deferentibus.

122. Absoluta recitatione officii in ecclesia, Clerus saecularis congregabitur in Palatium Metropolitani, vel alio modo coibit cum Clero regulari.

123. Festivo campanarum sonitu ex turri Metropolitanae et ex aliis omnibus ecclesiarum civitatis, initium fiet processionis, cuius evolutio ac processus respondebit numero collegiorum, quibus constabit.

124. Supervacaneum esse ducimus hortari, ut viae qua transibit processio, sint emundatae utque spargantur herbae virentes in laetitiae argumentum: itemque domorum seu dominis sive inquilinis suadebitur, ut aulaeis aut tapetis convenientibus exornent fenestras et podia suarum aedium, ante quas praeteribit processio.

125. Deligentur ecclesiastici aliquot, qui iuxta ordinem praecedentiae a Metropolitano constitutum, instruent et conducent processionem. Confraternitates possent recitare Rosarium B. V. si difficile ipsis esset cantare hymnos et psalmos praefinitos. Clerus regularis et saecularis cantabunt hymnos et psalmos, ut supra. Quapropter unus ex ecclesiasticis antedictis, in ordinandis respectivis collegiis, tradet singulis individuis libellum typis excusum, qui continebit preces cantandas aut recitandas.

126. Episcopi suffraganei, nisi hospitio excepti essent in palatio Metropolitani, advertent convenire priusquam fiat initium processionis, qua inchoata, posset eorum accessus in curru perturbationem aliquam afferre, nisi forte accessus alter peculiaris esset, quo uti possent in circumstantia ista.

127. In Sacello Archiepiscopatus locum sument Canonici Metropolitanae sacris paramentis induti et Canonici Cathedralium suffraganearum, si locus fuerit satis capax, sin minus, immorabuntur in aulis attiguis.

128. Nihilominus in eodem Sacello aderunt duo Diaconi assistentes, Presbyter assistens, Diaconus et Subdiaconus, clerici allaturi paramenta ad Metropolitanum, duo Cappellani a mitra et a baculo et Subdiaconus, qui Crucem deferet in processionem, praeter Episcopos suffraganeos, ut inferius docebitur, quibus sui Cappellani assistent.

129. Clericus unus ex abaco accipiet vasculum et subsistet a dextra aditus ipsius Sacelli, ubi etiam aderit dignior Capituli Metropolitani, porrecturus aspersorium Archiepiscopo. Item thuriferarius advertet ut in promptu sit thuribulum cum igne.

130. Episcopi suffraganei induti rocheto et mozzeta convenient in procoetonem Metropolitani.

131. Caeremoniarius, cum tempus erit, invitabit Metropolitanum, ne interrumpatur processio, vel ne Metropolitanus ipse nimium expectet postquam paratus erit.

132. Itaque Caeremoniarius nunciabit Metropolitano initium faciendum esse functionis, et Metropolitanus indutus rocheto ac mozzeta, aliquem obsequii actum praestabit Episcopis suffraganeis, deinde mozzeta dimissa, induetur cappa.

133. Procedetur ad Sacellum Archiepiscopatus ordine sequenti:

134. Anteibunt familiares nobiles Metropolitani; Crucifer indutus crocea, qui gestabit Crucem archiepiscopalem, Metropolitanus sequente caudatario crocea et superpellicio indutus, qui extremitatem posteriorem eius cappae sustentabit; Episcopi suffraganei induti rocheto ac mozzeta, qui bini incedent, seniores autem propiores Metropolitano: antiquitas Episcoporum desumitur ex eorum in Consistorio electione, a lateribus Episcoporum incedent bini Cappellani superpellicio induti.

135. Canonici Metropolitanae, iam parati vestibus sacris, praesto erunt in Sacello, si capax fuerit, vel in cubiculo ante illud sito. Idem fiet a Procuratoribus seu Repraesentantibus Cathedralium suffraganearum.

136. Metropolitanus, quum venerit ad fores Sacelli, accipiet aspersorium a digniore Capituli, quo signabit seipsum, deinde porriget attingendum singulis Episcopis, postremo adstantes extra et intra Sacellum asperget.

137. Ingressus in Sacellum Metropolitanus geniculabit in pulvino super gradum infimum praeparato. Episcopi suffraganei genua submittent versus Altare ante scamnum sibi praeparatum. Crucifer tradet Crucem archiepiscopalem Subdiacono parato, qui aderit ibi prope latus Evangelii. Cappellani Episcoporum

suffraganeorum subsistent apud abacum, in quo disposita erunt paramenta Episcoporum eorumdem.

138. Metropolitanus, brevi facta oratione, assurget, reverentiam faciet ad Crucem Altaris, dein inclinationem ad Episcopos, qui consurgent eiusque salutationi respondebunt.

139. Postea Metropolitanus accedet ad faldistorium, ibique sedebit, versis humeris ad Altare. Cubicularius se sistet post faldistorium, cappam recepturus.

140. Diaconus et Subdiaconus venient ante Metropolitanum, reverentia ipsum honorabunt et consistent a lateribus eius, nempe Diaconus a dextris, Subdiaconus a sinistris, versis humeris ad Altare.

141. Hoc tempore distribuentur paramenta clericis, qui peragent eadem, quae notata sunt in Missa pontificali cap. IX. lib. V.

142. Metropolitanus, adiuvantibus Ministris sacris praedictis, dimittet cappam eamque recipiet Cubicularius, qui vestis eius extremitatem posteriorem expediet. Idem cubicularius meminerit complicare cappam ipsamque in promptu habere in Sacrario, peracta functione.

143. Diaconus, adiuvante Subdiacono, induet Metropolitano amictum, albam, cingulum, Crucem pectoralem, stolam et pluviale, cui apponetur formale.

144. Dum parabitur Metropolitanus, Cappellani Episcoporum suffraganeorum accipient ex abaco paramenta et haec deferent ad eos cum debitis reverentiis: unus tamen e cappellanis deferet paramenta, alter comitabitur eum. Episcopi consurgent: adiuvante Cappellano, qui paramenta non sustinebit, dimittent mozzetam, deinde eodem adiuvante induent amictum et pluviale, accipient manu mitram iterumque sedebunt. Cappellani, manebunt apud ipsos et advertent ut accipiant respectivam mozzetam, tradituri eam alicui familiarium, ut in promptu sit in fine functionis.

145. Diaconus mitram pretiosam imponet Metropolitano, ac tum etiam Episcopi suffraganei sibi ipsi imponent mitram auriphrygiatam. Diaconus et Subdiaconus reverentiam conficient ad Metropolitanum ac recedent, Diaconus ad locum

suum inter Canonicos et Subdiaconus consistet prope Altare. Succedent in assistentiam Archiepiscopi duo Diaconi assistentes et Presbyter assistens.

146. Se sistet Metropolitano thuriferarius, qui navicula tradita Presbytero assistenti, praesentabit genuflexus thuribulum apertum. Metropolitanus, ministrante Presbytero assistente, imponet in thuribulum incensum, quod benedicet cum formula usitata *Ab illo benedicaris* etc.

147. Praesto erunt apud Altare duo Cappellani cum libro et scotula.

148. Metropolitanus baculum sinistra accipiet, assurget et procedet ante Altare, medius inter Diaconos assistentes, qui fimbrias pluvialis eius attollent, caudatarius autem syrmam vestis eius sustentabit.

149. Episcopi suffraganei consurgent ac mitram de capite dimittent, quando mitra exuetur Metropolitanus.

150. Metropolitanus ante Altare quum venerit, dimittet baculum. Subdiaconus ei submissa voce praecinet hymnum *Veni creator Spiritus*, dein se recipiet ad locum suum inter Canonicos Subdiaconos.

151. Metropolitano secundus Diaconus assistens exuet mitram, Diaconus primus pileolum.

152. Metropolitanus stans in pedes, ex libro sustento a Presbytero assistente intonabit hymnum *Veni creator Spiritus* et immediate geniculabit super pulvinum ibi praeparatum. Cum Metropolitano congeniculabunt ceteri omnes, comprehenso Presbytero assistente, qui librum claudet et procumbet in genua a dextris primi Diaconi assistentis. Etiam Episcopi suffraganei dimittent pileolum.

153. A cantoribus continuabitur cantus hymni.

154. Cantatis primis quatuor versibus, seu stropha prima absoluta, consurgent omnes.

155. Diaconus primus reponet Metropolitano pileolum et mitram pretiosam. Episcopi suffraganei sibi reponent pileolum et mitram auriphrygiatam. Presbyter assistens ad locum suum inter Dignitates redibit.

156. Si aderit Magistratus, ille qui primas in Magistratu

obtinet, sustentabit extremitatem vestis Metropolitani in processione et monebitur a Caeremoniario, ut praesto sit in Sacello ad hoc officium praestandum.

157. Metropolitanus et Suffraganei discedent in ordinem processionis, quae tractabitur methodo seguenti.

158. Praecedent Confraternitates laicorum cum signis respectivis, et ordine antiquitatis, qui ad singulas spectat, recitantes Rosarium, vel psalmos praescriptos cum animadversione superius notata: sequentur Collegia Regularium urbana, quae procedent servato ordine praecedentiae ex Constitutione Gregorii XIII alias citata; singula deferent Crucem propriam ornatam panno rubri coloris et cantabunt preces statutas: post Regulares locum sumet Magistratus: succedent clavigeri Metropolitanae, siqui erunt, et post ipsos incedent Officiales Concilii videlicet Ostiarii, Notarii, Canonistae ac Theologi, unusquisque indutus habitu talari vel alio, cuius usu gaudebit; si tamen addicti essent vel omnes, vel partim Capitulo Metropolitanae sive Cathedralium suffraganearum, locum sument inter Capitulum proprium: Procuratores, seu repraesentantes Cathedralium suffraganearum cum suis insignibus; post Officiales, Seminarium, tum Parochi, Mansionarii seu Beneficiarii Metropolitanae, unusquisque cum respectivis insignibus; thuriferarius cum thuribulo: Subdiaconus paratus gestans Crucem archiepiscopalem medius inter duos Acolythos sustinentes candelabra cum cereis: Procuratores Episcoporum absentium, qui supra superpelliceum induent amictum et pluviale rubri coloris, capite cooperto bireto, et incedent iuxta ordinem praecedentiae, quae debetur eorum repraesentatis: Abbates induti superpellicio, amictu et pluviali rubro, gestantes capite mitram lineam albi coloris et incedent cum ordine antiquitatis vel iuxta privilegia suis Congregationibus monasticis concessa: Canonici Metropolitanae distincti paramentis in respectivis ordinibus et inter Subdiaconos incedet Subdiaconus ministrans, itemque inter Diaconos locum sumet Diaconus ministrans: Dignitates Metropolitanae, in quibus loco suo Presbyter assistens: Episcopi suffraganei, quibus duo Cappellani superius nominati adstabunt prope latus seu dexterum sive sinistrum, prout incedent dextrorsum

aut sinistrorsum: Metropolitanus paratus, ut supra qui dextra benedicet adstantes ac sinistra sustinebit baculum pastoralem; incedet medius inter Diaconos assistentes, qui sustentabunt eius fimbrias pluvialis, sequente Caudatario et uno etiam ex Repraesentantibus Magistratus, de quo supra, qui sustentabit extremitatem posteriorem pluvialis et vestis eius: duo Cappellani a mitra et a baculo, et reliqui duo a libro et a scotula ac nobilis familia Metropolitani. Processionem claudent Praelati, si qui aderunt, quos sequetur populus devotus qui Rosarium recitabit.

159. Si processio stationem factura sit in aliqua ecclesia quae occurret in itinere, observabitur quod traditum est in processione Litaniarum maiorum lib. II. cap. XXIX. num. 50. et seq.

160. Quum processio ad Metropolitanam pervenerit, Confraternitates et Clerus regularis ordinatim disponentur in navibus lateralibus et nave principali: Clerus saecularis, genuflexione facta ad SS. Sacramentum, se recipiet in chorum et occupabit locum, qui attribuetur ei.

161. Postquam in ecclesiam ingressus erit Metropolitanus, Clerus regularis dissolvetur, Confraternitates autem cum signis suis revertentur ad proprias ecclesias sive oratoria.

162. Clerus, qui incedet prope Crucem, accedet ad Sacellum SS. Sacramenti ibique in ordinem disponetur iuxta capacitatem loci. Episcopi dimittent mitram et pileolum eaque sustinebunt manu et procedent ad genuflexorium sibi praeparatum. Metropolitanus, ante faldistorium ubi venerit, deponet baculum, eique a secundo Diacono tolletur mitra, a Diacono primo, pileolus. Deinde Metropolitanus, Episcopi et reliqui genuflexionem conficient in pavimento sine pulvino, tum congeniculabunt loco quisque suo et brevi orabunt ante SS. Sacramentum: Diaconi assistentes meminerint super faldistorium extendere fimbrias pluvialis Metropolitani.

163. Innuente Caeremoniario, assurget Metropolitanus cum ceteris omnibus et simul conficient, ut supra, genuflexionem ad SS. Sacramentum. Diaconus primus pileolum et mitram reponet Metropolitano, qui sinistra resumet baculum pasto-

ralem: Episcopi etiam suffraganei sibi reponent pileolum et mitram.

164. Processio dirigetur ad Altare primarium.

165. Thuriferarius, genuflexione facta ad Altare, recedet ad thuribulum deponendum: item Acolythi, genuflexione ad Altare facta, accedent ad abacum ibique candelabra deponent: Crucifer deferet Crucem ad latus Evangelii, firmabit eam in sua basi ibique consistet: Canonici, facta ad Crucem reverentia, venient ad scamna sibi praeparata, Diaconus autem cum Subdiacono ad scamnum suum prope latus Epistolae et Presbyter assistens in chorum seu stallum cum ceteris Canonicis. Episcopi in ingressu presbyterii efficient lineam aequalem inter se divisi et medium accipient Metropolitanum ac procedent ante Altare. Ibi Metropolitanus dimittet baculum, mitra nudabitur a Diacono secundo et Episcopi sibi ipsi mitram capiti exuent: reverentiam iunctim ad Crucem conficient et geniculabunt in pulvinis positis super gradum infimum Altaris. Diaconi assistentes genua submittent in pavimento a tergo Metropolitani, ceteri autem omnes quo loco aderunt.

166. Interim duo Cappellani a libro et a scotula accipient ex abaco canonem et scotulam et praesto erunt apud thronum. Cappellanus a mitra, receptam mitram pretiosam deponet super Altare et accipiet alteram auriphrygiatam. Cubicularius Metropolitani aderit prope abacum. Repraesentans Magistratus relinquet caudatario syrmam vestis Metropolitani et se recipiet ad locum suum extra presbyterium.

167. Metropolitanus cum Episcopis de oratione assurget et cum ipso ceteri omnes de Clero. Metropolitanus et Episcopi salutabunt Crucem. Diaconus primus imponet mitram auriphrygiatam Metropolitano, qui sinistra recipiet baculum pastoralem. Episcopi sibi ipsi mitram reponent.

168. Metropolitanus et Episcopi se ad invicem salutabunt ac dirimentur: Metropolitanus accedet ad thronum et Suffraganei ad scamnum sibi praeparatum.

169. Metropolitanus priusquam ascendat in thronum, benedicet Clerum, tum conscenso throno, sedebit et baculum dimittet.

170. Praesto erunt clerici duo remoturi pulvinos de infimo gradu Altaris eosque ponent seorsim, reposituri ipsos in fine sessionis.

171. In promptu etiam erunt clerici recepturi paramenta archiepiscopalia.

172. Statim ac sederit in throno Metropolitanus, se sistent ei Cappellani cum libro, et scotula; ipse autem sedens semper neque unquam dimittens mitram, recitabit preces ad praeparationem Missae.

173. Sedente ut supra, Metropolitano, Subdiaconus ex abaco accipiet caligas cum sandaliis et comitatus a Caeremoniario, a clericis quatuor et a Cubiculario Metropolitani ipsius ascendet ad thronum, ibique more solito induentur Metropolitano caligae et sandalia, ut in Missa pontificali traditum est cap. IX. lib. V.

174. Interea dum Metropolitano induentur caligae et sandalia, Caeremoniarius alter paramenta distribuet clericis designatis, qui tempore debito illa deferent ad thronum, idem fiet a Subdiacono, qui afferre illuc debebit S. Pallium.

175. Praesto erunt etiam Ministri lotionis, praesertim si hunc obsequii actum praestiturus esset Magistratus.

176. Quum recitationem precum ad Missae praeparationem peregerit Metropolitanus, ascendet ad thronum Presbyter assistens, qui Metropolitano tollet annulum, deinde porriget mantile ad manus abstergendas.

177. Ascendent ad thronum Ministri lotionis, et Diaconi assistentes sublevabunt fimbrias pluvialis Metropolitani, qui lavabit manus.

178. Episcopi suffraganei consurgent, mitram capite retinentes, Canonici, Abbates, Procuratores Episcoporum absentium et ceteri Praelati, siqui aderunt, consurgent capite nudato, ceteri omnes in genua procumbent ad actionem antedictam; quod etiam exsequentur in reliquis tribus lotionibus, videlicet ad offertorium, post thurificationem Oblatorum et post Communionem.

179. Profectis de throno Ministris lotionis, Caeremoniarius signum dabit Canonicis, ut descendant ad circulum, dum

parabitur Metropolitanus. Episcopi suffraganei et reliqui Praelati, qui aderunt, considebunt.

180. Ascendent ad thronum Diaconus et Subdiaconus, sequentibus clericis afferentibus paramenta missalia; Presbyter assistens redibit ad locum suum et Diaconi assistentes recedent aliquantulo, non tamen de throno discedent.

181. Diaconus exuet mitram et formale Metropolitano, deinde adiuvante Subdiacono, exuet etiam pluviale.

182. Cappellanus a mitra advertet, ut referat ad Altare auriphrygiatam et accipiat pretiosam: clericus unus portabit ad abacum formale et pluviale, rursus adhibendum post Missam.

183. Diaconus, adiuvante Subdiacono, induet Metropolitano tunicellam, dalmaticam, chirothecas et planetam, deinde S. Pallium cum spinulis, postremo eius capiti imponet mitram pretiosam.

184. Parato Metropolitano, Canonici cum reverentiis consuetis ad subsellia se recipient.

185. Discedent de throno cum debitis reverentiis Diaconus et Subdiaconus et accedent ad abacum, ubi adiuvantibus Acolythis, sibi inducent brachio sinistro manipulum et Subdiaconus accipiet Evangeliarium, in quo aderit manipulus Metropolitani et sustinebit illud ante pectus, utraque manu extremitatibus inferioribus libri applicita.

186. Profectis duobus praedictis Ministris, accedent ad assistentiam duo Diaconi. Presbyter assistens redibit ad thronum, cum osculis consuetis annulum inseret digito annulari dextero Metropolitani et restabit prope dexteram eius.

187. Postquam sacri Ministri manipulum assumpserint, ut supra, revenient cum debitis reverentiis ad assistentiam, ascendent in planum throni, Diaconus subsistet a sinistris Metropolitani et Subdiaconus a sinistris Diaconi.

188. Metropolitanus baculum sinistra accipiet, assurget ac descendet de throno, adstantibus ei Presbytero assistente a dextris, Diacono a sinistris et a sinistris Diaconi Subdiacono. Duo Diaconi assistentes incedent a lateribus Metropolitani aliquantulo post: Caudatarius sustentabit syrmam vestis eius: duo Cappellani a mitra et a baculo ibunt post Diaconos assi-

stentes et reliqui duo a libro et a scotula post praedictos a mitra et a baculo.

189. Quum descendet de throno Metropolitanus, simul cum Ministris et Assistentibus suis salutabit Suffraganeos, qui consurgentes, pari salutatione respondebunt ei: tum Metropolitanus ipse benedicet Clerum, accedet ad Altare et Sacrum solemne incboabitur, quod peragetur ritibus descriptis eodem cap. IX. lib. V.

190. Episcopi Suffraganei, mitram sibi dum vel imponent vel exuent, congruent cum Metropolitano, mitramque retinebunt etiam cum sedebunt offertorii tempore ante incensationem.

191. Item Suffraganei recitabunt inter se Confessionem, *Kyrie, Gloria* etc. ut fiet a ceteris in choro.

192. Dum cantabitur ℣. *Veni Sancte Spiritus, reple* etc. quoad genuflexionem observabitur quod traditum est die festo Pentecostes cap. XXX. num. 4. libri huius.

193. Unusquisque Episcopus suffraganeus poterit habere ad pedes sedentem Cappellanum superpellicio indutum, qui ipsi assistat, quemque esse peritum oportet, ut sciat ei tempore opportuno suggerere quae sint agenda.

194. Thurificatio autem tractabitur modo sequenti. Diaconus, ministrans Altari thurificabit triplici ductu Metropolitanum, duplici ductu Presbyterum assistentem, Diaconum primum assistentem, et Diaconum secundum. Accedet dein ad chorum ac triplici ductu adolebit singulos Episcopos suffraganeos, qui postquam incensati fuerint capite nudato, nisi inceptus erit cantus praefationis, sedebunt et mitram sibi rursus capiti imponent, Diaconus idem incensabit Dignitates et Canonicos Metropolitanae, tum Abbates, Procuratores Episcoporum absentium, postea ceteros Praelatos, siqui aderunt, singulos duplici ductu: redibit ad Altare et adolebit Subdiaconum duplici ductu, ac thuribulo tradito thuriferario vel Caeremoniario alicui, se recipiet ad locum suum et ipse duplici ductu incensabitur.

195. Idem deinde seu Caeremoniarius sive thuriferarius accedet ad chorum et adolebit uno tantum ductu Canonicos procuratores seu repraesentantes Cathedralium suffraganearum

ceterosque Concilii Officiales, nempe Theologos, Canonistas, Promotores, Secretarios etc. tum Mansionarios seu Beneficiarios Metropolitanae. Postea praeteriens incensabit clericos Seminarii et si qui alii aderunt, postremo populum.

196. Relate ad Magistratum et publicos Repraesentantes servabitur methodus laudabiliter recepta in unaquaque ecclesia.

197. In donanda Pace, Presbyter assistens accipiet illam a Metropolitano, qui praebebit eamdem Diaconis assistentibus et Ministris sacris, ut in aliis Missis pontificalibus. Presbyter assistens veniet in chorum et pacem donabit primo Episcopo suffraganeo, primae Dignitati, primo Canonico Presbytero, primo Canonico Diacono, primo Canonico Subdiacono, primo Abbati, primo Procuratori Episcoporum absentium et primo Praelato, si aderit; deinde unusquisque successive communicabit eam Collegis suis.

198. Reversus apud Altare Presbyter assistens pacem donabit uni ex Caeremoniariis, qui afferet illam primo Canonicorum repraesentantium Cathedralium suffraganearum, primo Theologorum seu Canonistarum, primo ceterorum Officialium, primo Mansionariorum et Seminario, ordine consueto.

199. Quod ad Magistratum, servabitur methodus recepta, eique pax donabitur cum Instrumento usitato.

200. Postquam Diaconus cantaverit *Ite Missa est*, Metropolitanus ad Altare conversus recitabit orationem *Placeat tibi* etc. et osculabitur Altare.

201. Diaconus exuet S. Pallium Metropolitano, qui benedictionem omittens signabit Altare ac seipsum et incipiet recitare Evangelium S. Ioannis *In principio erat Verbum* etc.

202. Diaconus reponet mitram pretiosam Metropolitano, qui baculum sinistra recipiens, recta perget ad thronum, recitans praedictum Evangelium, ibique complebit.

203. Ministri comitabuntur Metropolitanum venientem ad thronum, ut in accessu ad Altare, eumque sequentur clerici, relaturi ad Altare paramenta missalia. Clericos istos sequentur alteri clerici duo, quorum unus portabit pluviale Metropolitani, alter ipsius formale.

204. Ministri ad thronum quum venerint, dimittent ma-

nipulum, quem tradent clericis. Tum Diaconus exuet Metropolitano mitram, Subdiaconus manipulum: postmodum Diaconus idem, adiuvante Subdiacono exuet Metropolitano planetam, dalmaticam ac tunicellam, deinde induet eum pluviali, cui applicabit formale, eique reponet mitram pretiosam.

205. Duo praedicti Ministri reverentia Metropolitanum honorabunt, descendent de throno et revertentur ad scamnum suum prope Altare.

206. Interim se sistent Metropolitano duo Cappellani cum scotula et canone, ex quo ille leget ant. *Trium puerorum* cum cantico *Benedicite* et orationes quae sequuntur.

207. Quum ad locum suum venerint Ministri, Diaconus sedebit scamno et Subdiaconus accipiet ex abaco vela et comitatus a Caeremoniario, a clericis quatuor et a cubiculario Metropolitani, redibit cum debitis reverentiis ad thronum, ubi Metropolitano exuentur sandalia et caligae eique a cubiculario suo reponentur calceamenta usualia.

208. Subdiaconus, cum eodem ut supra comitatu, redibit ad abacum in quo deponet caligas et sandalia, tum reveniet ad scamnum et sedebit cum Diacono.

209. Subdiacono de throno profecto, cessabit Metropolitanus a recitandis precibus: Cappellani a libro et scotula, relicto canone super abaco, accipient pontificale et accedent prope faldistorium positum in exitu consessus.

210. Dum Metropolitanus dimittet caligas, clerici duo advertent, ut ponant faldistorium cum scabellis duobus in fine consessus et alterum faldistorium simile cum scabellis statuant in suppedaneo Altaris, vel ante Altare, si hoc versum esset ad populum, vel si locus consessus esset totaliter seiunctus a Presbyterio. Meminerint etiam apponere pulvinum ad genuflectendum prope utrumque faldistorium.

211. Quum omnia disposita fuerint, Metropolitanus, baculo sinistra sumpto, de throno descendet, salutabit Episcopos, qui consurgent, reverentiam ad Altare faciet, benedicet Clerum, qui et ipse stabit in pedes, et veniet sessum ad faldistorium positum in exitu consessus: adstabunt ipsi a lateribus Diaconi assistentes, qui fimbrias pluvialis eius sustine-

bunt, sequente caudatario, qui vestis eius extremitatem posteriorem sustentabit, ac duobus Cappellanis a mitra et a baculo.

212. Promotores, Secretarius et Notarius, dum de throno descendet Metropolitanus, accedent ad mensas officio suo designatas et retinebunt habitum, quo quisque erit indutus.

213. Si locus consessus erit totaliter seiunctus a presbyterio, Clerus ordinatim se movebit et unusquisque occupabit locum sibi attributum. Subdiaconus Crucifer advertet hoc casu, ut deferat Crucem ante Metropolitanum eamque, postquam pervenerit ad faldistorium, collocabit in capite consessus a latere.

214. Quum Metropolitanus venerit ad faldistorium, sedebit humeris versis ad portam ecclesiae, facie autem versa ad consessum et Altare, ac dimittet baculum.

215. Accedet ad Metropolitanum Subdiaconus eique praecinet ant. *Exaudi nos*, *Domine.*

216. Diaconus secundus tollet mitram Metropolitano et clericus unus apponet ipsi pulvinum, in quo genuflexurus erit. Metropolitanus ex libro, quem ei sustinebit Cappellanus, intonabit ant. *Exaudi nos*, *Domine* et immediate geniculabit super pulvinum. Cum eo procumbent in genua cuncti assistentes et omnes ii qui aderunt in consessu, non excepto Cappellano a libro, qui intonata a Metropolitano antiphona, statim claudet librum et geniculabit loco suo.

217. Chorus cantorum prosequetur cantum antiphonae qua absoluta, intonabit psalmum *Salvum me fac*, *Deus*, qui alternatim cantabitur a Clero.

218. Cappellanus a mitra advertet ut mitram pretiosam afferat ad Altare, accipiat auriphrygiatam et redeat apud Metropolitanum.

219. Post primum psalmi versiculum, Metropolitanus assurget et sedebit faldistorio: Clerus etiam et Assistentes consurgent atque unusquisque respective sedebit et cooperiet caput.

220. Diaconus primus mitram auriphrygiatam reponet Metropolitano, statim ac sederit, et Diaconi assistentes sedebunt a lateribus eius in scabellis suis.

221. Post psalmum a cantoribus eadem antiphona in cantu repetetur.

222. Supervacuum esse ducimus monere, ut Episcopi suffraganei retineant mitram capite, quando retinebitur a Metropolitano, ut superius ad Missam monitum est.

223. Repetita a cantoribus antiphona, secundus Diaconus mitram exuet Metropolitano, qui assurget et ceteri omnes cum eo consurgent.

224. Metropolitanus e libro sustento a Cappellano, cantabit tono feriali orationem *Adsumus, Domine Sancte Spiritus* etc. non praemittens *Oremus*. Responso *Amen* a Clero rursus Metropolitanus cantabit tono feriali *Oremus. Omnipotens sempiterne Deus* etc.

225. Post orationem Metropolitanus sedebit iterumque cooperietur mitra auriphrygiata a Diacono primo assistente. Deinde assurget et clerici duo statuent ante eum faldistorium cum pulvino in quo geniculabit et procumbet super faldistorium. Diaconi assistentes animadvertent ad extendendas super faldistorium fimbrias eius pluvialis. Ceteri omnes suo quisque loco geniculabunt.

226. Cantores duo, genibus flexis in uno ex lateribus consessus, immediate incipient cantum Litaniarum, quibus respondebit Clerus cum adstantibus, easque prosequentur usque ad ℣ *Ut omnibus fidelibus defunctis* etc. inclusive.

227. Hoc versiculo cantato, assurget Metropolitanus cum iis assistentibus, quibus opus est ad actionem istam, ceteris omnibus manentibus genuflexis, et baculo sinistra sumpto, benedicet Concilium, eodem tono cantans *Ut hanc praesentem Synodum* etc. Responso ab adstantibus *Te rogamus* etc. dimittet baculum iterumque procumbet super faldistorium, geniculantibus etiam illis, qui consurrexerant cum eo.

228. Cantores recipient cantum Litaniarum ad ℣. *Ut nos exaudire digneris* et prosequentur usque ad finem.

229. Post cantum Litaniarum Metropolitanus assurget omnesque adstantes cum ipso.

230. Clerici duo removebunt faldistorium cum pulvino, quo usus erit Metropolitanus, et reponent illud quo loco prius erat.

231. Diaconus secundus assistens exuet mitram Metropolitano qui cantabit *Oremus*. Primus Diaconus assistens cantabit *Flectamus genua*, et genuflectent omnes, exceptis Metropoli-

tano ac duobus Cappellanis a libro et scotula. Secundus Diaconus assistens immediate subiunget *Levate*, omnesque consurgent. Metropolitanus cantabit tono feriali orationem *Da, quaesumus, Ecclesiae tuae* etc.

232. Advertet thuriferarius, ut in promptu habeat thuribulum; duo autem Acolythi manipulum brachio inducent Diaconi et Subdiaconi.

233. Post orationem sedebit Metropolitanus eique a primo Diacono assistente reponetur mitra auriphrygiata deinde baculum sinistra accipiet, assurget ac medius inter Diaconos assistentes, sequentibus Cappellanis supra nominatis, procedet ad Altare. Transiens per consessum benedicet Clerum et salutabit Episcopos suffraganeos; progressus ante Altare, reverentiam ad Crucem faciet, sedebit faldistorio ibi praeparato et baculum dimittet.

234. Diaconus, qui ministraverit in Missa, discedet de loco suo, veniet ante Metropolitanum. Interim Presbyter assistens accedet ad Altare et consistet prope dexteram Metropolitani. Thuriferarius sequetur Diaconum, deferens thuribulum et naviculam.

235. Ubi Diaconus osculatus erit Metropolitani manum, thuriferarius cum debitis genuflexionibus se sistet Metropolitano et naviculam tradet Presbytero assistenti. Thuriferarius genibus flexis thuribulum praesentabit Metropolitano, qui cum benedictione usitata imponet incensum, a Presbytero assistente ministratum. Thure imposito, thuriferarius recipiet naviculam a Presbytero assistente, seque adiunget ceteris Ministris, ut infra.

236. Presbyter assistens manebit prope dexteram Metropolitani.

237. Diaconus ad abacum reversus, accipiet Evangeliarium cumque ipso coibunt Subdiaconus et Acolythi candelabra gestantes. Venient iunctim ante Metropolitanum eisque se adiunget thuriferarius. Diaconus benedictionem a Metropolitano petet, deinde cantabit Evangelium eodem ritu quo in Missis solemnibus.

238. Diaconus secundus mitram exuet Metropolitano, qui ad cantum Evangelii assurget et baculum iunctis manibus re-

tinebit, ut in Missis solemnibus. Postquam autem Diaconus cantaverit Evangelium, Metropolitanus baculum dimittet.

239. Subdiaconus afferet S. Textum osculandum Metropolitano, qui manus imponet libro et dicet *Per Evangelica dicta* etc. Subdiaconus librum claudet ac reverentia facta, redibit ad locum suum et librum tradet clerico alicui.

240. Diaconus cum Acolythis, dum Subdiaconus librum afferet, ut supra ad Metropolitanum, redibunt ad locum suum cum debitis reverentiis aut genuflexionibus.

241. Ascendente ad Metropolitanum Subdiacono, descendet de Altare Presbyter assistens eique se adiunget thuriferarius, a quo ille accepto thuribulo, triplici ductu incensabit Metropolitanum. Thuriferarius adstabit Presbytero assistenti dextrorsum eiusque attollet fimbriam dexteram pluvialis, dum thurificabit.

242. Metropolitanus postquam thurificationem acceperit, benedicet Presbyterum assistentem, qui se recipiet ad stallum suum inter Canonicos. Thuriferarius deponet thuribulum, quo non opus est amplius ad functionem istam.

243. Acolythi, postquam super abacum, candelabra reposuerint, advertent ut exuant Diacono et Subdiacono manipulos, quos pariter super abacum reponent.

244. Metropolitanus convertetur versus Altare et clericus unus ponet ante faldistorium pulvinum, in quo geniculabit Metropolitanus ipse et intonabit hymnum *Veni creator Spiritus*, quem Clerus in cantu prosequetur. Ante intonationem primus Diaconus assistens tollet ei pileolum.

245. Ad intonationem hymni cum Metropolitano in genua procumbent adstantes omnes, qui perstabunt genibus flexis ad primos quatuor versus, idest ad cantum totius strophae primae.

246. Post primam stropham, Diaconus primus reponet pileolum Metropolitano, qui assurget ac stabit ad Altare conversus, dum totus cantabitur hymnus. Item consurgent adstantes omnes.

247. A clerico uno tolletur pulvinus, in quo geniculaverit Metropolitanus.

248. Absoluto cantu hymni, Metropolitanus sedebit faldistorio, eique a primo Diacono reponetur mitra auriphrygiata.

249. Se sistent Ostiarii in aditu consessus, et cantato *Extra omnes*, populus de ecclesia dimittetur, claudentur portae, earumque custodia Ostiariis ipsis committetur.

250. Portis ecclesiae clausis, Metropolitanus baculum sinistra accipiet, assurget, descendet de Altari et comitantibus Diaconis assistentibus ac sequentibus Caudatario et duobus Cappellanis a mitra et a baculo, accedet ad pulpitum. Priusquam illuc ascendat, dimittet baculum, ac si locus in pulpito non erit Diaconis, ipsi recedent sessum ad subsellia sua inter Canonicos. Metropolitanus pulpito sedens sermonem analogum ad Patres Concilii exordietur.

251. Post sermonem redibit Metropolitanus ad Altare cum eodem, ut supra, comitatu, sedebit faldistorio, dimittet baculum et a clericis duobus ante eum statuetur mensa in antecessum praeparata.

252. Caeremoniarius in eo ponet decreta, quae divisa erunt ordine publicationis, insuper et responsa ab Episcopo emittenda.

253. Clericus unus basim statuet in medio consessus et Subdiaconus illuc afferet Crucem archiepiscopalem, quam in basi firmabit, imagine Crucifixi ad Metropolitanum versa; tum uterque se recipiet ad locum suum.

254. Se sistet Metropolitano Secretarius cum uno e Caeremoniariis, et ab illo recipiet decretum de inchoando Concilio.

255. Generatim, quotiescumque Promotores vel Secretarius se sistent Metropolitano, comitabuntur eos unus ex Caeremoniariis et quatuor etiam clerici atque unusquisque eorum reverentiam conficiet vel genuflexionem ad Metropolitanum dum vel accedet ad ipsum vel ab ipso discedet.

256. Secretarius, recepto decreto, ascendet super ambonem ibique stans capite nudato publicabit nomine Metropolitani decretum de inchoando Concilio. Postea Secretarius ipse de ambone descendet, Notarius et unus ex Caeremoniariis coibit cum eo et venient ante Episcopos suffraganeos, vota collecturi. Singuli Episcopi mediocri voce dicent *Placet*. Id ipsum observabunt deinceps quotiescumque sententiam suam roga-

buntur; quod si quis contrariae sententiae esset, dicet *Non placet.*

257. Votis collectis, accedent ad Metropolitanum et ad eum referent de votis.

258. Metropolitanus elata voce dicet *Decretum placuit omnibus Patribus: itaque decernimus primae* (vel secundae, tertiae etc.) *Provincialis nostrae Synodi initium fieri et iam factum esse.*

259. Notarius redibit ad locum suum et Secretarius a Metropolitano recipiet reliqua decreta publicanda in antecessum Concilii, eaque erunt 1. *De ratione vivendi in Synodo* etc. 2. *De ministris synodalibus.* 3. *De praeiudicio non afferendo* 4. *De non discedendo.*

260. Secretarius redibit super ambonem et publicabit decreta, de quibus supra. Titulos illorum leget stans et capite nudato, decreta vero ipsa leget sedens et capite cooperto. Postquam decreta legerit, assurget capite nudato et rogabit sententiam Episcopos, dicens *Reverendissimi Patres, placentne vobis haec decreta?* et de ambone descendet.

261. Secretarius et Notarius cum uno ex Caeremoniariis accedent simul ad Episcopos eosque sententiam rogabunt.

262. Revertentur ad Metropolitanum et referent ad eum de votis Episcoporum; ipse autem elata voce dicet *Decreta placuerunt Patribus, ideoque agendae sunt Deo gratiae* Episcopi elata pariter voce dicent *Deo gratias.*

263. Post haec Notarius se recipiet ad locum suum et Promotores coeuntes cum Secretario accedent ad Metropolitanum. Promotor primus instantiam faciet pro vocatione Patrum aliorumque, qui ius habere possunt interveniendi Concilio.

264. Metropolitanus respondebit *Ita decernimus et declaramus* ac decretum tradet Secretario.

265. Promotores ad locum suum redibunt, Secretarius autem ascendet super ambonem et publicabit decretum *de vocatione Patrum.*

266. Post publicationem decreti, de ambone descendet Secretarius et redibit ad locum suum.

267. Notarius veniet prope Metropolitanum, suum ferens elenchum Episcoporum eosque vocabit nominatim cum respe-

ctivis ipsorum titulis. Singuli Episcopi, non assurgentes, respondebunt *Adsum*, quod etiam fiet ab Abbatibus ordinariis dependentibus a Metropolitano, si aderunt. Absente Episcopo aliquo, respondebit eius Procurator qui praesens erit.

268. Si quis eorum, qui Concilio debent intervenire, forte abesset, Promotores revenient ante Metropolitanum et primus illorum instantiam faciet contra absentes.

269 Metropolitanus respondebit *Admittimus et committimus.*

270. Deinde Promotores iidem instantiam facient pro denunciatione secundae sessionis.

271. Metropolitanus respondebit *Habeatur Reverendissimorum Patrum sententia.*

272. Secretarius ascendet super ambonem ibique stans capite nudato, ut superius de aliis decretis notatum est, rogabit Episcopos de sessione secunda et descendet de ambone.

273. Secretarius cum Notario coibit, simulque accedent ad Episcopos collecturi vota, deinde referent ad Metropolitanum.

274. Secretarius accipiet decretum, Notarius redibit ad locum suum.

275. Secretarius ascendet in ambonem et publicabit decretum, quo indicetur secunda sessio.

276. Idem de ambone descendet et se recipiet ad locum suum.

277. Promotores cum Notario se sistent Metropolitano. Promotor primus instantiam faciet pro confectione actorum. Notarius respondebit *Conficiam.*

278. Reserabitur porta ecclesiae et clerici duo amovebunt mensam positam ante Metropolitanum eamque reponent quo loco prius erat.

279. Canonicus designatus ad proponenda capita orationis mentalis, ascendet super ambonem.

280. Metropolitanus assurget, convertetur ad Altare et geniculabit ante faldistorium, ubi clericus unus ponet pulvinum. Ceteri omnes, qui aderunt in consessu, pariter geniculabunt suo quisque loco, nudato capite.

281. Canonicus ex ambone proponet in cantu triplex ora-

tionis caput, atque inter unum et alterum caput efficiet, ut intersint duo vel tria temporis minuta.

282. Sub finem orationis Subdiaconus crucifer advertet ut praesto sit ad afferendam Crucem archiepiscopalem ad benedictionem. Item in promptu stabunt duo Cappellani allaturi scotulam et canonem pontificalem.

283. Expleta oratione, Canonicus supradictus de ambone descendet: Metropolitanus, Episcopi suffraganei, Canonici Metropolitanae, Abbates et Praelati, siqui aderunt, consurgent. Clericus unus tollet pulvinum, super quo genuflexerit Metropolitanus.

284. Metropolitanus convertetur versus consessum et Diaconus secundus exuet ei mitram, Subdiaconus accipiet Crucem archiepiscopalem, quam deferet ad Altare et genuflexus in medio gradu infimo sustinebit ante Metropolitanum: Cappellani a libro et scotula sustinebunt ei canonem apertum. Tunc Metropolitanus donabit benedictionem solemnem *Sit nomen Domini benedictum* etc. ritu consueto, eaque donata, non publicabitur Indulgentia.

285. Episcopi et Abbates ad benedictionem praedictam sibi exuent mitram.

286. Cappellanus a mitra advertet ut deponat super Altare mitram auriphrygiatam et accipiat pretiosam.

287. Clericus unus de medio consessus tollet basim Crucis et reponet eam quo loco erat.

288. Diaconus primus mitram pretiosam reponet Metropolitano, qui baculum pastoralem sinistra retinens, descendet de Altari, reverebitur Crucem, dein salutabit Episcopos, benedicet Clerum et redibit in thronum, medius inter Diaconos assistentes.

289. Diaconus et Subdiaconus sequentur Metropolitanum simul cum clericis, qui paramenta Metropolitani ipsius referre debebunt ad Altare.

290. Item in promptu erunt Cappellani recepturi paramenta Episcoporum suffraganeorum eisque reposituri mozzetam.

291. Canonici Metropolitanae, Abbates et ceteri paramentis induti, recedent in Sacrarium ibique dimittent indumenta sacra et resumptis insignibus suis, redibunt in presbyterium.

292. Diaconus et Subdiaconus exuent vestes sacras Metropolitano, qui deinde adiuvantibus Diaconis assistentibus, resumet cappam.

293. Ministri praedicti, postquam exuerint Metropolitano vestes sacras, comitantibus clericis duobus recedent in Sacrarium ad vestimenta sacra dimittenda.

294. Dum cappam resumet Metropolitanus, clerici duo super infimum gradum reponent pulvinos pro Metropolitano et pro Episcopis.

295. Quum Canonici reversi fuerint in chorum et Episcopi mozzetam resumpserint, Metropolitanus de throno descendet et procedet ante Altare, faciens prius ad Episcopos reverentiam. Episcopi de suo loco discedent et venient geniculatum super gradum infimum, occupantes singuli locum sibi convenientem, videlicet Episcopus, qui primas obtinet, a dextris Metropolitani, secundus a sinistris eiusdem, tertius a dextris primi, quartus a sinistris secundi et ita porro. Si numerus Episcoporum dispar esset, Episcopus primus adstabit sinistrae Metropolitani, secundus a dextris Metropolitani, tertius a sinistris primi, quartus a dextris secundi, quintus a sinistris tertii et sic de reliquis, si aderunt.

296. Post brevem orationem Metropolitanus et Episcopi consurgent et servantes ordinem supra demonstratum, accedent ad Sacellum SS. Sacramenti, geniculabunt in genuflexorio ibi praeparato et brevi tempore orabunt.

297. Post haec Metropolitanus, adstantibus ei a lateribus Episcopis suffraganeis, ordine supra descripto, se recipiet ad residentiam suam, associatus a Canonicis Metropolitanae tantum et antecedente Cruce a Crucifero eius sustenta.

298. In reditu Metropolitani et Episcoporum ad residentiam suam, sonabitur organis et campanis quoque, dum de ecclesia discedent.

299. Quum Metropolitanus ascenderit ad diaetam suam, gratias aget Episcopis, deinde Canonicos Metropolitanae dimittet.

Dispositiones.

300. Missa solemnis conciliaris cantabitur ab Episcopo suffraganeo, qui a Metropolitano invitabitur. Episcopus ille parabitur in Sacrario, vel in Sacello laterali dedita opera praeparato, si forte Sacrarium non satis sufficiens esset, propter non exiguum Cleri numerum, qui Concilio interveniet.

301. Recitatio officii, Matutini nempe et Laudum poterit anticipari pridie vespere, die autem sessionis recitandae erunt in choro Horae minores, et bene mane cantabitur Missa conventualis.

302. Missa conciliaris erit votiva de Spiritu Sancto; sin autem Concilium celebraretur intra octavam Pentecostes, omittetur in choro Missa conventualis et in sessione cantabitur Missa officii currentis.

303. Canonici Metropolitanae assistent Episcopo celebranti, fungentes officium Presbyteri assistentis, Diaconi et Subdiaconi.

De rebus praeparandis.

304. Ad Altare SS. Sacramenti praeparabitur genuflexorium cum strato et pulvinis pro Metropolitano et Episcopis.

305. Ad Altare maius praeparabuntur omnia ea, quae opus sunt ad Missam, ut cap. XIV. lib. V.

306. Faldistorium pro oratione Metropolitani non ponetur ante Altare sed praeparabitur seorsim, ponendum tamen ante Altare quando opus erit in Missa. Vice illius aderunt pulvini super gradu infimo in usum Metropolitani et Episcoporum.

307. Quod ad sessionem, disponentur omnia ut prima die; addetur autem super abacum liber cum formula professionis Fidei et formula quoque ratificationis professionis eiusdem.

308. In Sacrario praeparabuntur paramenta pro Episcopis Suffraganeis et pro Canonicis Metropolitanae, comprehensis quatuor Cappellanis a mitra, baculo, scotula, libro et Subdiacono crucifero, item pro Abbatibus et Procuratoribus Episcoporum absentium.

309. Hora praestituta sonabitur festivo more campanis Metropolitanae, quod Episcopis suffraganeis, indutis rocheto et mozzeta, signum erit conveniendi in aedes Metropolitani, descensuri deinde cum ipso in ecclesiam ad sacram functionem peragendam.

310. Canonici suffraganearum Cathedralium convenient in Sacrarium Metropolitanae, ubi sibi induent propria insignia.

311. Episcopus celebrans accedet in antecessum ad ecclesiam, excipietur a Canonicis duobus et a quatuor clericis Seminarii, adorabit SS. Sacramentum, dein recedet in Sacrarium, vel Sacellum, in quo dabit operam praeparationi et sacris vestibus induetur.

312. Peracta officii recitatione, sonabitur campanula Sacrarii, ut signum detur Canonicis adesse tempus associandi Metropolitanum. Cavebit tamen Caeremoniarius, ne det signum, nisi certior factus erit in promptu esse Celebrantem cum Ministris sacris.

313. Canonici Cathedralium suffraganearum expectabunt Metropolitanum in ecclesia una cum Clero Metropolitanae, idemque facient Officiales Concilii.

314. Accessus Metropolitani ad ecclesiam tractabitur ritu consueto, ut praescriptum est cap. IV. lib. V. eo tantum discrimine, quod Episcopi suffraganei incedent a lateribus Metropolitani eodem ordine, quo supra num. 134. In limine ecclesiae Metropolitanus, accepto aspersorio, signabit seipsum aqua benedicta, tum porriget aspersorium Episcopis, incipiens a seniori, et singuli eorum accipient aquam benedictam per contactum, seque signabunt; postremo autem Metropolitanus asperget adstantes.

315. In adoratione SS. Sacramenti Metropolitanus et Episcopi genua flectent in genuflexorio eodem, itemque progressi ad Altare maius, reverentiam conficient ad Episcopum celebrantem, si ibi aderit, et congeniculabunt super gradum infimum in pulvinis iam praeparatis.

316. Post brevem orationem Metropolitanus et Episcopi

consurgent, iunctim salutabunt Crucem, sibique facta ad invicem reverentia, Metropolitanus ascendet in thronum, Episcopi autem accedent ad scamnum suum.

317. Metropolitanus tantum induet vestimenta sacra, servato ritu praescripto cap. XIV. lib. V. et Canonici Metropolitanae tantummodo efficient circulum ut quando parabitur archiepiscopus, ita ad *Kyrie*, ad *Gloria* etc.

318. Missa cantabitur ritu descripto in capitulo supra citato. Metropolitanus advertet, ut salutet Episcopos tum descendens de throno tum ascendens ad ipsum, excepto tempore quo aderit SS. Sacramentum, a consecratione ad Communionem.

319. Thurificatio autem tractabitur ordine sequenti: Diaconus, qui ministrabit ad Altare, triplici ductu incensabit Celebrantem; deinde veniet ante thronum ac thuribulum tradet Presbytero assistenti, qui Metropolitanum ipsum triplici ductu adolebit. Recepto thuribulo e manibus Presbyteri assistentis, duplici ductu eumdem Presbyterum thurificabit, tum primum Diaconum assistentem, postea Diaconum assistentem secundum. Accedet inde ad chorum et incensabit triplici ductu Episcopos suffraganeos, deinde duplici ductu Praelatos, siqui aderunt, duplici ductu Dignitates et Canonicos Metropolitanae, Abbates et Procuratores Episcoporum absentium, si aderunt. Redibit ad Altare et duplici ductu incensabit Presbyterum assistentem Celebranti et Subdiaconum. Thuribulum tradet Caeremoniario vel thuriferario, a quo ipse incensabitur duplici ductu, idemque Caeremoniarius sive thuriferarius prosequetur thurificationem, ut in prima sessione docuimus.

320. Quoad pacem donandam methodus ista observabitur: Presbyter assistens Metropolitano pacem accipiet a Celebrante, communicabit eam ipsi Metropolitano, hic autem duobus Diaconis assistentibus. Postea Presbyter assistens Celebranti pacem accipiet a Presbytero assistente Metropolitano eamque afferet ad primum Episcopum suffraganeum, ad primum Praelatum, si aderunt, ad primam Dignitatem Capituli Metropolitanae, ad Canonicum primum qui aderit in choro post Presbyterum assistentem Metropolitano, ad primum Abbatem et

primum Procuratorem Episcoporum absentium, siquis erit. Pacem deinde dabit Caeremoniario vel alii clerico, qui eum comitabitur, et hic donabit ceteris, ut in sessione prima. Presbyter assistens Celebranti redibit ad Altare, pacem praebebit Diacono, qui communicabit Subdiacono, hic autem clerico et ab ipso accipient Acolythi et clerici inservientes, qui stabunt prope abacum.

321. Cantato a Diacono *Ite Missa est*, Celebrans dicet orationem *Placeat tibi* etc. atque osculatus Altare, immediate recitabit Evangelium S. Ioannis et redibit in Sacrarium sive in Sacellum ubi paramenta assumpsit, ibique dimittet vestes sacras. Acolythi qui Celebrantem cum Ministris comitabuntur, candelabra non deferent sed relinquent super abacum.

322. Episcopus qui Missam solemnem celebraverit, postquam exuerit etiam caligas et sandalia, induet supra rochetum amictum et pluviale rubri coloris ac sustinens manu mitram auriphrygiatam, comitantibus duobus cappellanis suis superpellicio indutis, veniet in consessum, salutabit Altare, Metropolitanum et Episcopos ac sedebit quo loco ipsi conveniet inter Suffraganeos.

323. Sacri Ministri Celebrantis, postquam ipsum exuerint sacris paramentis, comitantibus clericis duobus, redibunt in presbyterium et post debitas reverentias accedent ad scamnum suum ibique sedebunt: clerici qui eos reducent ad presbyterium, advertent ut secum ferant manipulos et reponant ipsos super abacum.

324. Postquam Episcopus Celebrans de presbyterio discesserit, ultimi duo Canonici ex ordine Diaconorum venient ad thronum ut assistant Metropolitano, et discedent Diaconi duo assistentes, qui post debitas reverentias recedent in Sacrarium ad assumendas vestes sacras rubri coloris: post Diaconos assistentes ibunt Dignitates et ceteri Canonici Metropolitanae, quatuor Cappellani a mitra, baculo, scotula et libro, Subdiaconus Crucifer, insuper Abbates et Procuratores Episcoporum, si aderunt.

325. Interim a duobus vel pluribus clericis removebitur ex Altari faldistorium adhibitum ab Episcopo celebrante et po-

nentur duo faldistoria et scabella in extremo loco sessionis et in suppedaneo Altaris; prope utrumque faldistorium pulvinus unus.

326. In Sacrarium venient etiam respectivi Cappellani Episcoporum, accepturi paramenta eorumdem et delaturi in presbyterium, ut infra.

327. Quum parati fuerint Canonici et ceteri supra nominati, redibunt ordinatim in presbyterium et praecedent Diaconi assistentes, tum Dignitates, Canonici, Abbates, Procuratores Episcoporum absentium, Cappellani, Subdiaconus et postremo accedent Cappellani Episcoporum cum paramentis.

328. Diaconi assistentes cum debitis reverentiis recta pergent ad thronum et inde discedent Canonici, qui eis suppleverint, ac recedent in Sacrarium, ubi sacra paramenta assument et revertentur in chorum. Dignitates, Canonici et reliqui supra nominati cum debitis reverentiis ad locum quisque suum se recipient.

329. Si aderunt in choro Praelati, qui sederint supra Canonicos, redeuntibus his indutis vestibus sacris, recedent et locum digniorem cedent Canonicis et ceteris etiam, respectu vestium sacrarum, quibus illi erunt induti.

330. Cappellani Episcoporum, facta genuflexione ad Altare et ad Metropolitanum ac reverentia ad Episcopos, accedent ad suum quisque Episcopum, et monebunt ut dimittat mozzetam, induat deinde amictum et pluviale, postea sibi capiti imponat mitram auriphrygiatam.

331. Subdiaconus crucifer tunicella indutus consistet prope Crucem, duo Cappellani a mitra et baculo prope thronum, reliqui duo a libro et scotula, accepto ex abaco pontificali et scotula, se sistent prope faldistorium in exitu consessus collocatum.

332. Quum omnia disposita fuerint ad initium functionis faciendum, Metropolitanus accepto sinistra baculo, assurget ac descendet de throno. Ante Altare salutabit Crucem, convertetur ad Episcopos, salutabit eos et transiens per medium presbyterium benedicet Clerum. Adstabunt lateribus eius Diaconi assistentes, qui fimbrias pluvialis sustinebunt, sequentur

caudatarius sustentans extremitatem posteriorem vestis eius et duo Cappellani a mitra et a baculo.

333. Quando de throno discedet Metropolitanus, Promotores, Secretarius, et Notarius accedent ad locum singulis in consessu attributum.

334. Si locus consessus a presbyterio esset seiunctus, servabitur in accessu ordo innutus in sessione prima num. 213. capituli praesentis.

335. Quum Metropolitanus venerit ad faldistorium, sedebit et baculum deponet. Approximabit ad eum Subdiaconus, qui praecinet illi antiphonam *Propitius esto*. Diaconus secundus mitram exuet Metropolitano, qui postquam assurrexerit, intonabit antiphonam praedictam et immediate procumbet in genua super pulvinum, qui a clerico apponetur.

336. Cum Metropolitano congeniculabunt adstantes universi et a cantoribus antiphona supra dicta cantabitur.

337. Cappellanus a mitra, acceptam a secundo Diacono mitram pretiosam afferet ad Altare et deponet in ipso, accipiet auriphrygiatam et cum ipsa revertetur ad tergum Metropolitani.

338. Cantores, postquam cantaverint antiphonam, intonabunt psalmum *Deus venerunt gentes* etc. Psalmo intonato, assurget Metropolitanus, sedebit in faldistorio et a primo Diacono rursus cooperietur mitra auriphrygiata. Assurget etiam Clerus in consessu et sedebit. Psalmus a Clero alternatim cantabitur. Clericus tollet pulvinum, quo usus erit Metropolitanus in genuflectendo.

339. Post psalmum repetetur a cantoribus eadem antiphona.

340. Diaconus secundus mitram exuet Metropolitano, qui assurget et cum ipso consurgent adstantes omnes.

341. Metropolitanus cantabit tono feriali orationes *Nostrorum tibi, Domine* etc. et *Mentibus nostris* etc. Deinde subiunget in cantu *Oremus*, primus Diaconus assistens *Flectamus genua* et genuflectetur ab omnibus adstantibus, excepto Metropolitano et Cappellanis a libro et a scotula, Diaconus secundus cantabit *Levate* et consurgent universi. Metropolitanus item tono feriali subiunget alteram orationem *Deus, qui nos iustitiam* etc.

342. Duo Acolythi reponent manipulum Diacono et Subdiacono; thuriferarius autem in promptu habebit thuribulum cum igne.

343. Post orationem sedebit Metropolitanus et a primo Diacono reponetur ei mitra: accipiet sinistra baculum, assurget ac procedet ad faldistorium alterum ante Altare positum: transiens per medium consessum benedicet Clerum et salutabit Episcopos: ante Altare quum venerit, reverentiam faciet ad Crucem, sedebit faldistorio ibi praeparato et baculum dimittet.

344. Presbyter assistens de suo loco discedet, veniet ad Altare et consistet prope dexteram Metropolitani.

345. Sedente, ut supra Metropolitano, Diaconus qui ministraverit in Missa, de suo loco discedens ad Metropolitanum accedet eiusque manum osculabitur.

346. Thuriferarius sequens Diaconum veniet ad Metropolitanum.

347. Profecto Diacono, se sistet thuriferarius, qui navicula tradita Presbytero assistenti, genibus flexis thuribulum obiiciet Metropolitano, qui cum benedictione consueta incensum in thuribulum imponet.

348. Diaconus postquam manum Metropolitani, ut supra, osculatus erit, redibit ad abacum, accipiet Evangeliarium et cum ipso coibunt Subdiaconus et Acolythi cum candelabris. Procedent ante Metropolitanum, ibique se adiunget eis etiam thuriferarius. Diaconus benedictionem petet, stantibus praedictis Ministris aut inclinatis aut genibus flexis, ut in Missis solemnibus,

349. Cantabitur Evangelium ritu iam praescripto pro Missis solemnibus.

350. Diaconus secundus tollet mitram Metropolitano, qui ad cantum Evangelii assurget et baculum pastoralem iunctis manibus continebit.

351. Omnes adstantes ad cantum Evangelii stabunt.

352. Post Evangelium cantatum, Metropolitanus deponet baculum.

353. Subdiaconus afferet librum osculandum Metropolitano, qui utramque manum imponet libro et osculans illum

dicet *Per Evangelica dicta* etc. Subdiaconus librum claudet, descendet de Altari, debitam faciet reverentiam, redibit ad locum suum et librum tradet clerico, qui reponet illum super abacum.

354. Diaconus medius inter Acolythos, facta respective reverentia vel genuflexione ad Metropolitanum, revertetur ad locum suum, Acolythi, autem ad abacum, in quo deponent candelabra. Acolythi postquam candelabra deposuerint super abacum, detrahent Ministris manipulos, quos item super abacum deponent.

355. Presbyter assistens, dum Subdiaconus ascendet ad Altare afferens librum apertum, descendet ante Altare et profecto Subdiacono eodem, thurificabit triplici ductu Metropolitanum, qui post thurificationem acceptam benedicet eum.

356. Presbyter assistens redibit ad locum suum inter Dignitates seu Canonicos, thuriferarius autem reportabit in Sacrarium, vel ad abacum, thuribulum quo non est amplius opus in functione ista.

357. Metropolitanus convertetur ad Altare et geniculabit ante faldistorium in pulvino, quem ei clericus apponet; Diaconus primus exuet ei pileolum. Metropolitanus intonabit hymnum *Veni Creator Spiritus*, quem prosequentur cantores et adstantes omnes in genua procumbent.

358. Post primos quatuor versus, seu post primam stropham, assurget Metropolitanus et cum ipso adstantes omnes. Diaconus primus pileolum reponet Metropolitano, qui in toto cantu hymni praedicti stabit in pedes conversus ad Altare. Clericus amovebit pulvinum, in quo Metropolitanus genuflexerit.

359. Absoluto hymni cantu, Metropolitanus sedebit in faldistorio et a primo Diacono reponetur ei mitra.

360. Ostiarii in aditu consessus, conversi ad populum, cantabunt *Extra omnes*; populus de ecclesia dimittetur et claudentur portae, quae ab Ostiariis custodientur.

361. Populo de ecclesia dimisso, habebitur ad Patres oratio ab uno ex Episcopis suffraganeis, qui priusquam ascendat in pulpitum, non petet a Metropolitano benedictionem.

362. Sermone autem peracto, unus e clericis collocabit basim Crucis in medio consessu. Subdiaconus crucifer accipiet Crucem archiepiscopalem eamque firmabit in sua basi, imagine Crucifixi ad Metropolitanum versa.

363. Sin autem Metropolitanus ipse censeret omittendum esse sermonem ne retardentur actiones Concilii, statim ac clausae fuerint portae ecclesiae, se sistent Metropolitano Promotores et Secretarius, comitati ut in sessione prima ab uno ex Caeremoniariis.

364. Promotor primus postulabit, ut fiat professio Fidei a Metropolitano et ab Episcopis suffraganeis.

365. Metropolitanus respondebit *Ita decernimus et declaramus.*

366. Promotores redibunt ad locum suum; Caeremoniarius autem decretum praebebit Metropolitano, qui Secretario tradet illud.

367. Secretarius in ambonem ascendet, publicabit decretum et ad locum suum redibit.

368. Caeremoniarius ex abaco accipiet librum cum formula professionis Fidei et librum Evangeliorum. Innuet Episcopis suffraganeis, ut consurgant et ad Metropolitanum appropinquent.

369. Episcopi dimittent mitram, approximabunt ad Altare et semicirculum efficient ante Metropolitanum.

370. Diaconus secundus assistens exuet mitram Metropolitano, qui assurget et convertetur ad Episcopos.

371. Caeremoniarius librum cum formula professionis Fidei tradet Diaconis assistentibus, qui sustinebunt illum apertum ante Metropolitanum et ipse iunctis manibus atque elata voce professionis praedictam formulam leget ab initio ad finem.

372. Dum Metropolitanus et Episcopi emittent professionem Fidei, Clerus stabit in pedes, capite nudato.

373. Postquam Metropolitanus totam legerit formulam supra dictam, Caeremoniarius recipiet a Diaconis assistentibus librum formulae et dabit eis alterum cum textu Evangelii; quem pariter apertum sustinebunt. Metropolitanus imponet illi apertam utramque manum et dicet *Sic me Deus adiuvet et haec Sancta Dei Evangelia.* Caeremoniarius recipiet a Diaconis Evangeliarium.

374. Metropolitanus sedebit et a primo Diacono reponetur ei mitra.

375. Caeremoniarius tradet Evangeliarium secundo Diacono assistenti, qui porriget apertum Metropolitano ita ut vertex paginae versus sit ad Metropolitanum ipsum. Diaconi assistentes attollent eius fimbrias pluvialis.

376. Metropolitanus sustinebit librum supradictum utraque manu.

377. Primus Episcopus suffraganeus approximabit ad Metropolitanum et leget formulam ratificationis, nempe — Et ego N. Episcopus N. recipio, promitto, spondeo, profiteor, detestor, anathematizo, voveo et iuro in formula professionis Fidei modo lecta, singula singulis referendo — et imponens utramque manum apertam super librum Evangeliorum a Metropolitano sustentum, adiunget — Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia — Idipsum successive fiet ab unoquoque Episcopo, servato ordine antiquitatis.

378. Episcopi se recipient ad locum suum, sedebunt et caput mitra cooperient. Tunc etiam Clerus considebit.

379. A clericis duobus ponetur mensa ante Metropolitanum, super qua Caeremoniarius ponet exemplar decretorum, quae erunt publicanda.

380. Se sistent Metropolitano Promotores et Secretarius. Promotor primus postulabit, ut publicentur decreta. Respondebit Metropolitanus - Ita decernimus et mandamus - atque exemplar decretorum, quae super mensam ante se habebit, tradet Secretario.

381. Promotores revertentur ad locum suum: Secretarius ascendet super ambonem et leget decreta: adiuvabitur ab alio in lectione et in publicatione ipsorum, servato ordine superius innuto in sessione prima.

382. Lectis decretis pro sessione ista assignatis, Secretarius rogabit Episcopos assensum eorum, utens formula superius expressa num. 260. et de ambone descendet.

383. Secretarius coibit cum Notario, simulque accedent ad Episcopos et colligent eorum vota, tum redibunt ad Metropolitanum, referentes ad eum de votis.

384. Metropolitanus, audita relatione, dicet elata voce - Decreta placuerunt Patribus, ideo agendae sunt Deo gratiae - et Episcopi elata pariter voce dicent *Deo gratias.*

385. Promotores cum Secretario revenient ad Metropolitanum et postulabunt ut fiat prorogatio sessionis post Vesperas.

386. Metropolitanus respondebit *Habeatur sententia Patrum.*

387. Promotores ad locum suum revertentur et Secretarius ascendet super ambonem atque Episcopos rogabit assensum formula seqnenti, vel alia consimili - Rmi Patres, quum omnia, quae in hac sessione peragenda sunt, prae temporis brevitate hac mane absolvi non possint, placetne Vobis hanc ipsam sessionem prorogari hodie post Vesperas? - et de ambone descendet.

388. Secretarius additus Notario, accedet ad Episcopos vota colliget ac de illis ad Metropolitanum referet.

389. Metropolitanus tradet Secretario decretum de sessione post Vesperas continuanda.

390. Notarius se recipiet ad locum suum; Secretarius autem ascendet iterum super ambonem, ibique publicabit decretum de continuatione sessionis, ut supra.

391. Promotores una cum Notario se rursus sistent Metropolitano et instantiam facient adversus absentes, si qui forte abessent, et Metropolitanus respondebit *Admittimus, committimus et iubemus.*

392. Deinceps Promotores instantiam facient pro confectione actorum. Metropolitanus subiunget *Conficiantur.* Notarius respondebit *Conficiam.* Recedent Promotores ad locum suum, et Notarius etiam ad locum suum se recipiet.

393 Postea Secretarius redibit ad Metropolitanum et recipiet ab ipso decretum de discessu. Secretarius ascendet super ambonem, decretum publicabit et redibit ad locum suum.

394. Duo clerici amovebunt mensam quam, ut supra, posuerant ante Metropolitanum.

395. Portae ecclesiae ab Ostiariis aperientur.

396. Tunc Metropolitanus assurget, sinistra accipiet bacu-

lum et nullam proferens formulam, Crucis signum super Concilium efficiet, ad quem actum Episcopi, Canonici, Praelati et Abbates stabunt capite nudato, ceteri omnes procumbent in genua.

397. Subdiaconus crucifer tollet de medio consessu Crucem archiepiscopalem eamque reponet quo loco prius erat. Clericus unus removebit de medio basim Crucis et seorsim ipsam collocabit.

398. In promptu erunt Cappellani Episcoporum sustinentes ipsorum mozzetas itemque alii Cappellani recepturi paramenta.

399. Metropolitanus de Altari descendet, salutabit Crucem, deinde Episcopos, benedicet Clerum et ascendet in thronum, medius inter Diaconos assistentes, sequentibus clericis, quorum officium paramenta referre ad Altare.

400. Throno a Metropolitano conscenso, Canonici Metropolitanae, Abbates, Procuratores Episcoporum, si aderunt, Cappellani Metropolitani et Subdiaconus crucifer recedent cum debitis reverentiis in Sacrarium, ubi sacra indumenta dimittent, resument insignia sua et revertentur in chorum.

401. Metropolitanus conscenso throno, sedebit, dimittet baculum pastoralem et a Diaconis assistentibus exuetur paramentis sacris quae recepta a clericis referentur ad Altare.

402. Interim unus vel duo clerici reponent in suppedaneo pulvinos, super quos genua submittent Metropolitanus et Episcopi.

403. Quo tempore vestes sacras dimittet Metropolitanus, dimittent pariter Episcopi suffraganei suo quisque loco, adiuvantibus eorum Cappellanis et mozzetam supra rochetum resument; deinde Cappellani iidem reportabunt in Sacrarium indumenta sacra Episcoporum.

404. Metropolitanus, postquam dimiserit vestes sacras, induet cappam et discedet de throno Diaconi assistentes, qui recedent in Sacrarium ad sacra paramenta exuenda.

405. Metropolitanus de throno descendet, salutabit Episcopos qui discedentes de loco suo coibunt cum ipso: procedent iunctim ad Altare et genibus flexis super gradum infi-

mum brevi tempore orabunt. Postea venient ad SS. Sacramentum adorandum et simul proficiscentur de ecclesia, associati a Canonicis Metropolitanae, ut superius descriptum est num. 299.

SESSIONIS SECUNDAE

post Vesperas

CONTINUATIO.

De rebus praeparandis.

406. Ad Altare SS. Sacramenti praeparabitur genuflexorium cum strato et pulvinis pro Metropolitano atque Episcopis suffraganeis.

407. Ad Altare maius super gradum infimum ponentur pulvini pro Metropolitano et pro Episcopis. Super mensam disponentur paramenta Metropolitani, eaque sunt mitra pretiosa et altera auriphrygiata, pluviale cum stola rubri coloris, Crux pectoralis, cingulum, alba, amictus et formale in lance, quae tamen paramenta contegentur velo coloris eiusdem.

408. Prope Altare aderit baculus pastoralis et in latere Evangelii basis, qua deinceps firmabitur Crux archiepiscopalis.

409. Super abacum praeparabitur canon pro benedictione, pontificale (pars. 3.) et scotula cum candela.

410. In promptu insuper aderunt duo faldistoria et quatuor scabella, ponenda in consessu, ut inferius docebitur.

411. In Sacrario autem disponentur paramenta pro Episcopis suffraganeis, videlicet amictus, pluviale rubri coloris et mitra auriphrygiata pro singulis eorum; paramenta pro Canonicis Metropolitanae; exceptis paramentis Ministrorum, quae opus non sunt, quoniam Evangelium non cantatur; paramenta pro Abbatibus et pro Episcoporum absentium Procuratoribus, si aderunt; paramenta pro Cappellanis a mitra, a baculo, et a libro, a scotula et pro Subdiacono delaturo Crucem archiepiscopalem.

412. Hora praestituta Capitulum Metropolitanae recitabit aut cantabit in choro Vesperas cum Completorio. Campanis omnibus Metropolitanae eiusdem sonabitur festivo more, quod signum erit functionis incipiendae.

413. Interim in palatium Metropolitani convenient Episcopi suffraganei, rocheto et mozzeta induti, cum ipso coituri in accessu ad ecclesiam.

414. In Sacrarium convenient Canonici Cathedralium suffraganearum et ceteri Officiales Concilii : unusquisque induet habitum sibi competentem.

415. Peracta recitatione Completorii, rebusque omnibus ita dispositis, ut fieri possit functionis initium, sonabitur campanula Sacrarii et Canonici Metropolitanae procedent ad associandum Archiepiscopum. Ceteri de Clero manebunt in ecclesia, ut supra.

416. Nulla occurrit variatio de associatione Metropolitani et Episcoporum comprovincialium, de eorum accessu ad ecclesiam, de adoratione SS. Sacramenti et Altaris maioris visitatione, quae omnia peragentur, ut num. 314. capitis huius traditum est.

417. Post brevem orationem ad Altare maius consurgent Metropolitanus et Episcopi, qui facta prius ad Crucem, dein sibi ad invicem reverentia, Metropolitanus accedet ad thronum et Episcopi suffraganei ad locum suum.

418. Canonici Metropolitanae, Abbates, Procuratores Episcoporum absentium, Cappellani Metropolitani saepius nominati et Subdiaconus crucifer convenient in Sacrarium, ubi sacras vestes induent sibi quisque convenientes. Convenient etiam Cappellani Episcoporum suffraganeorum, accepturi eorumdem Episcoporum sacra indumenta.

419. Ultimi duo Canonici ex ordine Diaconorum supplebunt in assistentia Metropolitani.

420. Statim ac parati fuerint Canonici et ceteri supra nominati, revertentur in presbyterium et cum debitis reverentiis, singuli occupabunt locum suum.

421. Diaconi duo assistentes, qui praecedent ceteros omnes,

recta pergent ad thronum, unde discedent Canonici illi duo, qui supplebant. Hi recedent in Sacrarium, paramenta induent, redibunt in presbyterium ad locum suum inter Canonicos.

422. Statim ac Diaconi assistentes ad thronum pervenerint paramentis induti, unus ex Caeremoniariis paramenta Metropolitani tradet clericis, qui ea deferent ad thronum.

423. Metropolitanus, adiuvantibus Diaconis assistentibus, dimittet cappam, quam recipiet cubicularius advertens ut expediat extremitatem posteriorem vestis.

424. Diaconi assistentes induent Metropolitano amictum, albam, cingulum, Crucem pectoralem, stolam et pluviale cum formali.

425. Dum parabitur Metropolitanus, Canonici ad circulum descendent.

426. Eodem tempore ingredientur in presbyterium Cappellani Episcoporum suffraganeorum afferentes paramenta, quae cum debitis reverentiis eisdem Episcopis porrigent. Episcopi autem, dimissa mozzeta, induent supra rocheto amictum et pluviale rubri coloris et sument mitram auriphrygiatam.

427. Quando parabitur Metropolitanus, a duobus pluribusve clericis ponetur faldistorium cum duobus scabellis in exitu consessus, item faldistorium alterum cum scabellis similibus in suppedaneo Altaris vel ante Altare ipsum et prope faldistorium istud ponetur etiam pulvinus ad genuflectendum.

428. Cappellani a scotula et a libro accipient ex abaco pontificale et scotulam et venient ad faldistorium positum in exitu consessus, ubi consistent.

429. Postquam Metropolitanus indutus erit paramentis supra indicatis, Diaconus primus assistens imponet ei mitram pretiosam, tum Metropolitanus sinistra accipiet baculum pastoralem.

430. Ad nutum Caeremoniarii Canonici de circulo redibunt ad subsellia sua.

431. Metropolitanus innuente Caeremoniario, descendet de throno medius inter Diaconos assistentes, qui fimbrias pluvialis eius attollent, sequente caudatario sustentante extremitatem posteriorem eius vestis et duobus Cappellanis a mitra

et a baculo. De throno quum descenderit, reverebitur Crucem ante Altare, salutabit Episcopos suffraganeos, benedicet Clerum et accedet ad faldistorium in exitu consessus praeparatum.

432. Si locus consessus a presbyterio seiunctus esset, observabitur quod notatum est num. 213. capituli huius.

433. Promotores, Secretarius et Notarius petent loca sibi attributa.

434. Metropolitanus ubi venerit ad faldistorium, sedebit et baculum dimittet.

435. Diaconus secundus assistens mitram exuet Metropolitano et Cappellanus a mitra advertet ut illam ad Altare referat et accipiat auriphrygiatam.

436. Metropolitanus assurget ac tono feriali cantabit orationem *Adsumus*, *Domine Sancte Spiritus* etc. non praemittens *Oremus*, quae oratio notata est in Pontificali ad sessionem primam.

437. Post orationem supra dictam rursus sedebit Metropolitanus, cooperietur mitra auriphrygiata a secundo Diacono assistente et sinistra recipiet baculum pastoralem.

438. Tum assurget, procedet ad Altare maius ac transiens per presbyterium benedicet Clerum et salutabit Episcopos. Progressus ante Altare, salutabit Crucem, sedebit faldistorio et deponet baculum.

439. Ubi sederit Metropolitanus, duo Ostiarii se sistent in aditu Presbyterii et cantabunt *Extra omnes*; dimittetur populus de ecclesia, cuius portae claudentur earumque custodiae invigilabunt Ostiarii.

440. Clericus unus basim Crucis statuet in medio consessu et Subdiaconus Crucifer afferet illuc Crucem Archiepiscopalem quam in eadem basi firmabit, imagine Crucifixi ad Metropolitanum versa.

441. Clerici duo mensam ponent ante Metropolitanum et Caeremoniarius super illam collocabit exemplar decretorum, quae publicanda erunt.

442. Populo dimisso et clausis ecclesiae portis, se sistent Metropolitano Promotores et Secretarius.

443. Promotor primus postulabit, ut continuetur lectio

decretorum. Metropolitanus respondebit *Ita decernimus et mandamus.*

444. Promotores redibunt ad locum suum et Secretarius, accepto e manibus Metropolitani decretorum exemplari, ascendet super ambonem et publicabit decreta, qua in re ab alio adiuvabitur, ut alias monuimus.

445. Postquam Secretarius legerit totam decretorum partem, iam designatam pro sessione ista, Secretarius stans capite nudato, interrogabit Patres, seu Episcopos suffraganeos, sententiam eorum, utens solita formula *Rm̃i Patres* etc. ut superius num. 260. et de ambone descendet.

446. Secretarius cum Notario accedent ad Episcopos, collecturi vota, quibus auditis, revertentur ad Metropolitanum et referent ad eum.

447. Metropolitanus elata voce dicet—Decreta placuerunt Patribus, ideo agendae sunt Deo gratiae — Episcopi autem unanimiter respondebunt et alta voce *Deo gratias.*

448. Secretarius rursus ascendet super ambonem et Concilio indicabit diem, quo solemne funus celebrabitur pro cunctis Episcopis comprovincialibus ab epocha novissimi Concilii defunctis, quae denunciatio fiet in sessione, quae funus antedictum praecedet.

449. Promotores cum Secretario se sistent Metropolitano et Promotor primus instantiam faciet pro sessione tertia.

450. Metropolitanus respondebit *Habeatur sententia Patrum.*

451. Promotores redibunt ad locum suum et Secretarius, conscenso ambone, interrogabit Patres placeatne ipsis indicere sessionem tertiam.

452. Descendet de ambone Secretarius, coibit cum Notario, accedet ad Episcopos, quorum assensum requiret. Item una cum Notario se sistet Metropolitano et ad eum referet de votis.

453. Metropolitanus tradet Secretario decretum. Notarius redibit ad locum suum. Secretarius, conscenso ambone, publicabit decretum, quo sessio tertia indicetur.

454. Publicato decreto, Secretarius se recipiet ad locum suum. Promotores cum Notario revenient ante Metropolitanum.

455. Promotor primus instantiam faciet adversus absentes contumaces, si qui fuerint, et Metropolitanus respondebit *Admittimus et committimus.*

456. Promotor idem instantiam faciet pro confectione actorum eiusque instantiae Notarius dicet *Conficiam.*

457. Promotores redibunt ad locum suum: Notarius quoque ad locum suum recedet.

458. Aperientur ecclesiae portae.

459. Clerici duo amovebunt mensam, quae posita fuerat ante Metropolitanum eamque reponent quo loco erat ab initio.

460. Canonicus praepositurus capita orationis ascendet super ambonem.

461. Metropolitanus assurget, convertetur ad Altare et perstans ante faldistorium, geniculabit super pulvinum, quem ipsi clericus apponet. Ceteri omnes, qui aderunt in consessu, suo quisque loco geniculabunt, capite nudato.

462. Canonicus de ambone proponet in cantu triplex orationis caput atque inter unum et alterum caput efficiet ut duo aut tria temporis minuta intercedant.

463. Quum in eo erit ut compleatur oratio, Subdiaconus procedet in medium consessum ad accipiendam Crucem archiepiscopalem propter benedictionem, et Cappellani a libro et a scotula in promptu erunt cum canone et scotula pro eadem actione.

464. Oratione absoluta, de ambone Canonicus descendet. Metropolitanus assurget et cum ipso consurgent Episcopi suffraganei, Canonici Metropolitanae, Abbates et Praelati, si aderunt. Clericus unus amovebit pulvinum a Metropolitano in oratione adhibitum.

465. Metropolitanus convertetur versus consessum, et a secundo Diacono nudabitur mitra. Cappellanus a mitra advertet ut reponat super Altare auriphrygiatam et accipiat pretiosam. Subdiaconus, genuflexus in medio gradu infimo Altaris, sustinebit ante Metropolitanum Crucem archiepiscopalem.

466. Metropolitanus impertietur benedictionem solemnem *Sit nomen Domini* etc. ritu consueto, sed indulgentia non publicabitur.

467. Curae erit clerico alicui removere basim Crucis de medio consessus eamque reponere quo loco aderat a principio.

468. Benedictione impertita, Diaconus primus mitram pretiosam reponet Metropolitano, qui retinens baculum pastoralem, descendet de Altari, reverebitur Crucem, deinde Episcopos, benedicet Clerum et medius inter Diaconos assistentes redibit ad thronum.

469. Clerici, paramenta recepturi et relaturi ad Altare, sequentur Metropolitanum.

470. In promptu etiam erunt Cappellani Episcoporum, recepturi paramenta eorumdem et reposituri eis mozzetam.

471. Canonici Metropolitanae, Abbates et ceteri qui vestibus sacris erunt induti, recedent in Sacrarium ibique depositis paramentis et resumptis insignibus suis, revertentur in presbyterium.

472. Dimittente paramenta Metropolitano, clerici duo pulvinos super gradum infimum Altaris pro Metropolitano et pro Episcopis reponent.

473. Postquam Canonici reversi fuerint in chorum et Episcopi resumpserint mozzetam, Metropolitanus descendet de throno, salutabit Episcopos, qui se adiungent ei, procedent ante Altare et brevi orationi operam dabunt eadem methodo, qua superius num. 295.

474. Eodem ordine adorabunt SS. Sacramentum et associati a Canonicis Metropolitanae revertentur ad Palatium archiepiscopale.

475. Si sessionis fieret finis mane eodem nec protraheretur post Vesperas, omittetur totum id, quod traditum est a num. 396. ad num. 444. et absolvetur methodo descripta a num. 445. ad 474.

De solemnibus exequiis
pro cunctis Episcopis defunctis
comprovincialibus.

476. Uno ex diebus conciliaribus celebrabitur solemne funus pro Episcopis omnibus comprovincialibus a novissimo Concilio usque ad praesens defunctis.

477. Statuetur in media ecclesia decens castrum doloris, ornatum pannis nigris et circum dispositis luminibus cereis, in cuius vertice poni poterit pileus pontificalis viridi colore ornatus, proprium et exclusivum Episcoporum insigne.

478. Curandum, ut ornamentum ecclesiae respondeat functioni funereae, quae celebrabitur, ideoque parietes navis principalis et presbyterii convestiendi essent pannis nigri coloris; thronus et scamnum Episcoporum cooperientur pannis violaceis, cera Altaris et abaci, intorticia presbyterii et elevationis erunt lutea sive e cera non purgata, paramenta Celebrantis, Episcoporum, Canonicorum, ceterorum denique Ministrorum sunto nigri coloris, tapeta Altaris et presbyterii violacea, et Metropolitanus cum Episcopis utentur mitra simplici damascena albi coloris. Tum Metropolitanus, tum suffraganei induent habitum praelatitium nigri coloris.

479. Ab uno Episcopo comprovinciali, induto pluviali et mitra, funebris oratio latino sermone confecta habebitur, ex pulpito, quod ornabitur pannis violaceis aut nigris.

480. Post Missam, quae a Metropolitano celebrabitur, et post funebrem laudationem, de qua supra, peragetur absolutio solemnis a Metropolitano ipso et ab Episcopis quatuor senioribus provinciae, quibus licebit assumere stolam nigram intra pluviale usque ab initio functionis.

481. Cantabitur Missa, quae prima extat in Missali inter Missas *pro Defunctis* cum oratione *Deus, qui inter Apostolicos . . . . pontificali fecisti* etc. pluraliter. In absolutione praeponetur oratio *Non intres*, singulariter, ut in pontificali, et orationes dicentur numero plurali.

482. Ritus Missae solemnis pontificalis et absolutionis supersedemus describere, propterea quod utrique separatim descripti sunt capitulis XXII et XXIII lib. V.

483. Notandum tantum, quod Episcopi paramenta assumere debent in presbyterio, Canonici et reliqui in Sacrario. Episcopi absolventes utentur altero etiam Cappellano, qui prope unumquemque illorum sustinebit intorticium ardens, toto absolutionis ritu.

484. Cantabitur Missa ab uno ex Episcopis suffraganeis et omnia tractabuntur quo ordine descripta sunt in sessione secunda, exceptis antiphona, psalmo, orationibus et Evangelio, quae cantabuntur notata in pontificali *Die tertia* etc. Eodem pariter modo tractabitur processus sessionis conciliaris, excepto quod traditum est ad professionem Fidei. Relate ad testes synodales in ultima sessione eligendos, servabitur usus provinciae cuiusque.

485. Si Concilium absolvetur in sessione tertia, protrahetur post Vesperas eodem modo ac supra, et in antecessum indicetur processio Clero regulari et saeculari, significata ipsis hora, qua adesse debeant in Metropolitana.

CONTINUATIO

SESSIONIS ULTIMAE POST VESPERAS

Ad Concilium dimittendum.

De rebus praeparandis.

486. Sessio ultima continuabitur post Vesperas propter Processionem, quae celebrabitur pro conclusione seu fine Concilii.

487. Praeparabitur quidquid superius descriptum est num. 406. ad continuationem secundae sessionis et praeterea candelabra cum cereis pro Acolythis super abacum; formula indulgentiae, iuxta concessionem a Summo Pontifice largitam; thuribulum et navicula.

488. Processio autem constabit tantummodo ex Clero regulari et saeculari, dummodo non vigeret alia consuetudo, et fiet tantum per aream adiacentem Metropolitanae, vel per vias eidem ecclesiae proximas.

489. Super Altare maius in latere Evangelii ponetur pugillar maioris formae, ne maculetur tobalea, et supra pugillar acta seu decreta originalia Concilii, discus cum atramentario, theca pulveraria et calami scriptorii in usum Episcoporum.

490. Associatio Metropolitani et Episcoporum, accessus ad ecclesiam, visitatio SS. Sacramenti et ad Altare maius, assumptio sacrarum vestium et oratio *Adsumus*, *Domine* etc. in principio sessionis tractabitur, ut superius innutum est num. 412. et seq.

491. Metropolitano sedente faldistorio posito in suppedaneo Altaris, claudenda esset ecclesia et dimittendus populus. Quum tamen in sessione ista agatur de actionibus simplicis formalitatis, poterit admitti populus in ecclesiam, quae relinquetur aperta etiam in commodum Cleri regularis et ceterorum, qui processioni intervenient.

492. Itaque sedenti, ut supra, Metropolitano apponetur mensa et Caeremoniarius in ea ponet decreta ex ambone publicanda. Se sistent illi Promotores cum Secretario et promotor primus postulabit ut subscribatur decretis Concilii. Metropolitanus respondebit *Monemus, praecipimus et fieri mandamus.* Promotores redibunt ad locum suum, Secretarius autem accepto e manibus Metropolitani decreto pro subscriptione, ascendet super ambonem, publicabit decretum et ad locum suum se recipiet.

493. Decreto publicato, Notarius procedet ad Altare et consistet prope latus Evangelii.

494. Metropolitanus, deinde Episcopi unus post alium accedent ad Altare et subscribent decretis conciliaribus. Si aderunt Procuratores Episcoporum absentium, et ipsi subscribent decretis nomine eorum, quos repraesentant, sed post Episcopos in Concilio praesentes. Notarius accipiet decreta subsignata, ut illis addat authenticum testimonium suum. Clericus unus tollet de Altari pugillar, atramentarium etc.

495. Promotores cum Secretario revenient ante Metropolitanum et postulabunt ab ipso, ut priusquam dimittatur Concilium praesens, indicatur proximum futurum Concilium, triennio post celebrandum.

496. Metropolitanus respondebit *Ita decernimus et mandamus.* Promotores recedent ad locum suum. Secretarius accipiet a Me-

tropolitano decretum relativum, ascendet super ambonem et ibi decretum ipsum publicabit.

497. Promotores cum Secretario revertentur ad Metropolitanum et flagitabunt ipsum, ut iubeat Concilio finem imponi. Respondebit Metropolitanus *Ita decernimus et mandamus, si Patribus placet.*

498. Ad locum suum se recipient Promotores: Secretarius ascendet super ambonem et in ipso, conversus ad Episcopos, dicet *Rmi Patres, placetne Vobis ad Dei omnipotentis laudem huius provincialis Synodi finem iam fieri?* et de ambone descendet.

499. Secretarius cum Notario accedet ad Episcopos eorumque assensum requiret; una deinde redibunt ad Metropolitanum, relationem votorum facturi. Metropolitanus elata voce dicet *Placuit omnibus Patribus; itaque decernimus huic primae* (vel secundae, tertiae etc.) *provinciali Synodo nostrae finem fieri et iam esse factum.*

500. Secretarius a Metropolitano decretum accipiet, accedet ad ambonem, ascendet, publicabit decretum, dein ad locum suum recedet.

501. Promotores cum Notario accedent ad Metropolitanum et Promotor primus instantiam faciet pro confectione actorum. Notarius dicet *Conficiam.*

502. Promotores et Notarius recedent ad locum suum.

503. Unus ex Episcopis suffraganeis ascendet in pulpitum et sermonem latinum ad Patres habebit gratulatorium de Concilio absoluto.

504. Post orationem, Episcopus redibit ad locum suum et mensa, quae posita fuerat ante Metropolitanum, a duobus clericis amovebitur et seorsim ponetur.

505. Interim ordinabitur expedite processio extra ecclesiam et constabit Clero regulari ac saeculari, ut alio loco monuimus.

506. Praesto erunt apud abacum Acolythi delaturi candelabra ac thuriferarius cum thuribulo.

507. Si aderit Magistratus, monebitur ut unus repraesentantium Magistratus ipsius praesto sit in ingressu presbyterii, sustenturus in processionem extremitatem posteriorem vestis et pluvialis Metropolitani.

508. Statim ac de ecclesia exibit processio, sonabunt festivo more campanae Metropolitanae.

509. Antecedent collegia coenobitarum cum Crucibus suis, quibus erit appensus pannus rubri coloris, cum ordine praecedentiae praescripto in saepius citata Constitutione Gregorii XIII. Deinde Magistratus, si aderit. Clavigeri ecclesiae, siquem habebit, Officiales Concilii, Repraesentantes Cathedralium suffraganearum, Seminarium, Parochi et Mansionarii seu Beneficiarii Metropolitanae, unusquisque cum suis respectivis insignibus.

510. Dum in processionem disponentur Parochi, approximabunt ad Metropolitanum Presbyter assistens ac thuriferarius. A Metropolitano imponetur in thuribulum incensum, ministrante Presbytero assistente, qui postea recedet ad locum suum inter Canonicos.

511. Subdiaconus accipiet Crucem archiepiscopalem positam in medio consessus et clerico alicui curae erit removere de medio basim Crucis eamque reponere in latere Evangelii.

512. Subdiacono se adiungent Acolythi ac thuriferarius, postquam a Metropolitano benedictum fuerit incensum.

513. In ipso discessus momento, Metropolitanus assurget eique exuetur mitra a secundo Diacono assistente; convertetur ad Altare et intonabit *Te Deum*, quod prosequentur in cantu cantores et Clerus alternatim.

514. Metropolitanus convertetur versus consessum.

515. Sequetur processio ordine sequenti, videlicet post Beneficiarios Metropolitanae, thuriferarius cum thuribulo, Acolythi gestantes candelabra cum cereis et medius inter eos Subdiaconus paratus, qui deferet Crucem Archiepiscopalem, imagine Crucifixi versa ad Metropolitanum. Post Crucem incedent Procuratores Episcoporum absentium, induti pluviali rubri coloris supra superpelliceum et supra amictum, bireto cooperto capite; Abbates parati superpellicio, amictu et pluviali capite gestantes mitram lineam albi coloris, succedent Canonici Metropolitanae parati et distincti in suos respectivos ordines Subdiaconorum, Diaconorum et Presbyterorum; tum Dignitates Metropolitanae induti pluviali; Episcopi suffraganei supra rochetum parati amictu et pluviali, gestantes capite mitram auriphrygiatam, adstantibus eorum lateri cappellanis indutis superpellicio;

incedet postremo Metropolitanus, mitram in capite, baculum sinistra sustinens, dextra benedicens adstantes; Diaconi assistentes fimbrias eius pluvialis elatas sustinebunt. Caudatarius vel unus de Magistratu, ut supra, sustentabit extremitatem posteriorem vestis eius. Metropolitanum sequentur duo Cappellani a mitra et baculo ac reliqui duo a scotula et libro et familiares eius nobiles. Ultimo loco ibunt Praelati induti mantelleto, si aderunt, et populus.

516. In reditu processionis ad ecclesiam, ordinabitur Clerus regularis in nave principali ibique manebit usque ad benedictionem Metropolitani, si tamen per multitudinem populi id fieri non posset, manebit in nave principali usquedum ad Altare redibit Metropolitanus ipse.

517. Clerus se recipiet ad locum suum, thuriferarius recedet ad deponendum thuribulum, Acolythi relinquent candelabra super abacum et Subdiaconus reportabit Crucem ad latus Evangelii ac prope illam subsistet propter benedictionem, ut inferius.

518. Metropolitanus redibit ante Altare et dimittet mitram, qua exuetur a secundo Diacono assistente, perstans ibi in pedes donec completus erit cantus hymni *Te Deum.* Immo curabunt cantores, ut ℣. *Te ergo quaesumus* cantetur prorsus quum Metropolitanus pervenerit ante Altare, ubi geniculabit in pulvino et cum ipso ceteri omnes in genua procumbent.

519. Ad cantum huius hymni poterit etiam sonari organis.

520. Duo Cappellani a libro et scotula, sub finem hymni praedicti, pontificale et scotulam ex abaco recipient et in promptu erunt prope Metropolitanum.

521. Post cantum hymni, Metropolitanus stans adhuc conversus ad Altare, cantabit tono feriali orationem *Oremus. Nulla est, Domine* etc.

522. Oratione absoluta, Metropolitanus ascendet ante faldistorium super suppedaneum Altaris et convertetur versus consessum.

523. Unus ex Episcopis suffraganeis ascendet in ambonem et cantabit acclamationes, quibus respondebunt in cantu Episcopi: poterunt iis addi duo quatuorve cantores.

524. Post acclamationes Metropolitanus stabit. Episcopi unus post alium accedent ad eum, non excepto Episcopo, qui cantaverit acclamationes et sibi ad iuvicem pacis amplexum dabunt.

525. Interim Presbyter assistens veniet prope Metropolitanum et secum retinebit formulam Indulgentiae publicandae. Item in promptu erit Subdiaconus cum Cruce delaturus ipsam ante Metropolitanum, statim ac Episcopus ultimus de amplexu discesserit.

526. Post pacis amplexum, Metropolitanus habens ante se Crucem archiepiscopalem, sustentam a Subdiacono genuflexo in medio gradu infimo Altaris, impertietur solemnem benedictionem *Sit nomen Domini* etc. ritu consueto.

527. Benedictione a Metropolitano largita, Presbyter assistens conversus ad populum publicabit Indulgentiam, quam Summus Pontifex concesserit, vel consuetam, quam concedet Metropolitanus.

528. Publicata indulgentia, primus Diaconus assistens conversus ad consessum elata voce cantabit *Recedamus cum pace* et Clerus respondebit *In nomine Christi.*

529. A Diacono primo mitra pretiosa reponetur Metropolitano, qui baculo sinistra sumpto, de Altari descendet et veniet in thronum ad sacras vestes dimittendas.

530. Reliquae actiones omnes peragentur ut extant notatae a num. 468. usque ad 474 capituli huius. Animadvertendum illud tantummodo quod Metropolitanus et Episcopi in reditu ad Palatium Archiepiscopale associandi erunt non solum a Canonicis Metropolitanae, sed a Canonicis etiam Cathedralium suffraganearum et ab Officialibus Concilii.

DE VARIATIONIBUS QUAE IN CONCILIO PROVINCIALI ADMITTENDAE SUNT SI METROPOLITANUS INSIGNITUS SIT DIGNITATE CARDINALITIA.

CAPUT XLII.

1. Currus, qui a Metropolitano mittetur occursum et exceptum Episcopos, destitutus erit ornamentis et distinctionibus illis, quae propriae sunt Cardinalium tantummodo.

2. Emus Metropolitanus ne domi quidem suae cedet dexteram Episcopis suffraganeis in visitationibus officiosis.

3. Quamquam Episcopi respectu dignitatis Cardinalitiae debent coram ipsis uti mantelleto, tamen in circumstantia Concilii provincialis, etiam coram Metropolitano Cardinali et aliis quoque Cardinalibus, utentur rocheto cum mozzeta.

4. In formula, quae dirigetur ad Metropolitanum sive in Congregationibus sive in sessionibus, loco dicendi *Reverendissime Pater*, dicetur *Eminentissime ac Reverendissime Pater et Domine.*

5. In Sacello SS. Sacramenti, Metropolitanus genuflectet genuflexorio vel faldistorio, sibi praeparato in medio. Episcopi geniculabunt in alio genuflexorio posito a latere post genuflexorium antedictum, quod non erit instructum strato, sed tantum pulvinis e panno violaceo ad genua et brachia.

6. Ad Altare maius tum in prima tum in ceteris sessionibus praeparatum aderit faldistorium, quo geniculabit Emus Metropolitanus. Episcopi suffraganei geniculabunt super pulvinos e panno violaceo positos in pavimento paullo post faldistorium ipsum. Hoc autem intelligendum est in unaquaque sessione, quando Metropolitanus iunctim cum Episcopis orabunt genibus flexis vel in faldistorio vel in infimo gradu Altaris.

7. Emus Metropolitanus induet rubri coloris habitum, cappam et calceos quoque.

8. In solemnibus exequiis Episcoporum omnium defun-

ctorum, Emus Metropolitanus utetur habitu et cappa violacei coloris.

9. In pacis amplexu Emus Metropolitanus sedebit faldistorio cum mitra in capite.

10. Monemus postremo, quod in titulis decretorum, instructionum, etc. innuendus est titulus Cardinalitius Metropolitani Cardinalis, videlicet — *N.* tituli Sancti *N.* S. R. E. Presbyter Cardinalis *N.* Dei et Apostolicae Sedis gratia Archiepiscopus *N.* —

DE VARIATIONIBUS QUAE LOCUM HABENT IN CONCILIO PROVINCIALI, SI PRAETER CARDINALEM METROPOLITANUM ADSIT ALTER EPISCOPUS SUFFRAGANEUS INSIGNITUS ET IPSE DIGNITATE CARDINALITIA.

CAP. XLIII. (*a*)

(n. 27.)

1. Cardinales Episcopi suffraganei in accessu ad Metropolitanam excipientur eodem ferme modo, quo indicavimus de Episcopis: hoc tantum adiiciendum, quod equis currus, qui mittetur eis obviam ab Emo Metropolitano, addenda sunt ornamenta rubri coloris; quod in limine ecclesiae Metropolitanae Cardinalis Episcopus suffraganeus excipietur a Capitulo toto; quod genuflexorium parabitur pannis rubri coloris; quod poterit sonari organis in accessu ad ecclesiam, quod familiares nobiles Emi Metropolitani praesto erunt officii causa ad imas scalas Palatii et Metropolitanus ipsemet veniet obvius eis usque ad ostium aulae primae, cedens eis dexteram in domo sua.

(*a*) Ne frustra eadem repeteremus; notavimus inter parenthesim numerum paragraphorum illarum, quae in circumstantia, de qua agitur, subiiciuntur variationibus in praesenti capitulo indicatis.

(n. 35)

2. In capite aulae, ubi Congregationes praeparatoriae cum interventu Episcoporum habebuntur, disponentur sedes aequales inauratae cum fulcris pro Emo Metropolitano, proque Emis Suffraganeis.

3. In ipsis locus honoratior et praeminentia semper erit Metropolitano, licet ad Cardinalitiam Dignitatem assumptus esset post Suffraganeos. Cardinales suffraganei, si plures erunt numero, observabunt praecedentiae ordinem inter se, quam desument a sua quisque assumptione ad Sacrum Collegium.

(n. 48.)

4. Pro generalibus Congregationibus conciliaribus praeparabitur thronus, ut num. cit. sed infra thronum ponentur sedes aequales inauratae cum fulcris pro Cardinalibus Suffraganeis. Locus autem honoratior, ut supra, spectabit ad Metropolitanum.

(n. 66.)

5. In formulis, quibus interrogabuntur Episcopi, dicetur — Emi et Rmi Patres ac Domini, Rmi Patres etc. — idque tum in Congregationibus, cum in sessionibus.

(n. 86.)

6. Contra thronum Metropolitani, si aderit in latere Evangelii, sin minus alio distinctiori Presbyterii loco construetur thronus alter, numero graduum, altitudine et ornatu aequalis throno Metropolitani, sed loco Cathedrae ponentur in eo sedes camerales inauratae cum fulcris quae respodebunt numero Cardinalium suffraganeorum.

(n. 101.)

7. In latere Evangelii prope Altare ponentur sedes camerales inauratae pro Cardinalibus suffraganeis, qui sedebunt ibi dum parabitur Metropolitanus; aderunt etiam pulvini ad genuflectendum.

(n. 109.)

8. In Sacello SS. Sacramenti ponentur tot faldistoria ad genuflectendum, quot erunt Cardinales, vel ponetur in medio genuflexorium unum contectum strato et pulvinis aequalibus e serico villoso vel sericeis, in quo geniculabit Emus Metropolitanus cum Emis suffraganeis.

(n. 112.)

9. Ante Altare maius quoque ponentur faldistoria respondentia numero Cardinalium cum pulvinis ad orationem peragendam.

(n. 117.)

10. In sessionibus Cardinales suffraganei sedebunt in faldistorio a lateribus Metropolitani. Hoc casu praeparabuntur faldistoria aequalia, ponenda tum in fine consessus, cum in suppedaneo Altaris vel ante Altare, ut supra monuimus. Singulis faldistoriis suus erit pulvinus ad genuflectendum.

11. Curandum etiam, ut in Sacrario praeparentur paramenta pro Cardinalibus suffraganeis, quibus induentur post Missam eaque sunt amictus, pluviale et mitra auriphrygiata; insuper ut pluviale Cardinalium eorumdem ornatu et opere phrygio distinguatur a pluviali Episcoporum.

(n. 130.)

12. Cardinales suffraganei convenient in Palatium Metropolitani et quando ipse assumet cappam, illi quoque induent cappam rubri coloris; calceis item rubri coloris utentur.

(n. 134.)

13. Emũs Metropolitanus cum Cardinalibus suffraganeis procedent ad Sacellum iunctim in eadem linea eosque sequentur Episcopi suffraganei etc.

(n. 137)

14. Metropolitanus cum Cardinalibus suffraganeis geniculabunt in pulvinis positis super gradum infimum Altaris, si capax erit, secus Cardinalis Metropolitanus geniculabit in gradu infimo et Cardinales suffraganei in pulvinis positis ante sedes pro ipsis praeparatas.

(n. 144.)

15. Cardinales suffraganei non dimittent cappam rubri coloris, eaque soluta utentur in diaeta Metropolitani.

(n. 158.)

16. In processione post Episcopos suffraganeos incedent Cardinales suffraganei induti cappa rubri coloris cum familiaribus nobilibus a latere, sequente Caudatario induto superpellicio, sustinente syrmam cappae. Post Cardinales suffraganeos incedet Emũs Metropolitanus, ut loco cit.

(n. 169.)

17. Cardinales suffraganei ascendent in thronum sibi praeparatum et singulis assistent singuli Caeremoniarii, qui doceant eos de actionibus peragendis.

(n. 178.)

18. Cardinales antedicti sedebunt, dum Metropolitanus lavabit manus.

(n. 179.)

19. Canonici nullum efficient circulum ante Metropolitanum.

(n. 189.)

20. Metropolitanus quum de throno descenderit, reverebitur Episcopos suffraganeos, deinde benedicet Clerum, tum reverebitur Cardinales et postremo procedet ante Altare. In reditu de Altari ad thronum, salutabit Cardinales, benedicet Clerum, salutabit Episcopos et ascendet in thronum. Hic ordo servabitur etiam deinceps.

(n. 191.)

21. Cardinales inter se recitabunt Confessionem, *Kyrie* etc. Si unus tantum erit, recitabit illa cum Caeremoniario, qui ipsi assistet.

(n. 194.)

22. Diaconus postquam thurificaverit Metropolitanum, Presbyterum assistentem et duos Diaconos assistentes, adolebit triplici ductu Cardinales, qui assurgent et biretum manu sustinebunt. Postea sedebunt et Diaconus prosequetur thurificationem, incensans Episcopos suffraganeos etc.

23. Clericis designatis curae erit ponere in presbyterio faldistoria, quibus geniculabunt Cardinales ad *Sanctus* et elevationem, ac removere illa, quum reversi fuerint in thronum.

24. Pacem eis praebebit Presbyter assistens, postquam acceperit illam a Metropolitano; advertet autem ut manus supponat brachiis eorum.

(n. 206.)

25. Quando Metropolitanus dimittet paramenta sacra post Missam et induetur pluviali, Cappellani Cardinalium suffraga-

neorum, sequentibus respectivis Cubiculariis afferent ad ipsos paramenta sacra. Cardinales, dimissa cappa, quae recipietur a Cubiculario, supra rochetum induent amictum, pluviale et mitram auriphrygiatam, adiuvantibus iisdem Cappellanis.

(n. 210.)

26. In fine consessus et in suppedaneo Altaris, vel ante Altare ponentur a clericis faldistoria pro Metropolitano et Cardinalibus suffraganeis: ita tamen collocabuntur ut inter singula intercedat spatium sufficiens. In fine consessus ponentur scabella pro Diaconis assistentibus duos tresve passus post faldistorium Metropolitani; super Altare autem ponentur faldistoria tantummodo et Diaconi sedebunt scabellis, positis in lateribus Altaris extra gradus omnes.

(n. 211.)

27. In accessu Metropolitani ad locum sessionis versus finem consessus, Cardinales se adiungent ei incedent iunctim a lateribus et sedebunt faldistoriis praeparatis. Cardinales suffraganei suis utentur Cappellanis, qui assistent ipsis quo modo Diaconi assistentes servient Metropolitano.

(n. 219.)

28. Quando sedebit Metropolitanus, duo Diaconi sedebunt in scabellis a tergo eius, quoniam in eadem linea Metropolitani erunt Cardinales suffraganei.

(n. 227.)

29. Metropolitanus solus assurget ad ℣. *Ut hanc praesentem Synodum* etc. in Litaniis.

(n. 233.)

30. Quando ad Altare procedet Metropolitanus, coibunt cum eo Cardinales etiam et sedebunt faldistoriis ibi praeparatis.

(n. 250.)

31. Si Metropolitanus sermonem habebit de pulpito, Cardinales suffraganei manebunt in Altari quo loco erunt.

(n. 284.)

32. Ad benedictionem Metropolitani, Cardinales stabunt in pedes sine mitra.

(n. 288.)

33. Cardinales suffraganei de Altari descendent una cum

Metropolitano et singuli accedent ad thronum suum, ubi paramenta dimittent et cappam resument.

(n. 294.)

34. Metropolitanus et Cardinales suffraganei orationi vacabunt ad faldistoria, ut in principio.

(n. 309.)

35. Cardinales suffraganei induti cappa rubri coloris descendent in ecclesiam una cum Metropolitano. Missae solemni assistent in suo throno induti cappa. Metropolitanus induet paramenta, sed Canonici in Missa circulos non efficient.

(n. 319.)

36. Diaconus thurificabit Cardinales, postquam incensaverit Presbyterum assistentem et Diaconos assistentes Metropolitano. Pax eis praebebitur a Presbytero assistente Celebranti, postquam acceperit illam a Presbytero assistente Metropolitano et advertet ut brachiis eorum supponat manus.

(n. 324.)

37. Cappellani Cardinalium accipient paramenta, quae aderunt praeparata in Sacrario vel super abaco prope thronum, et induent eos. Cubicularii accipient cappam, quam illi dimittent.

(n. 333.)

38. In sessione Cardinales se adiungent Metropolitano, ut in sessione prima, quod facient etiam in reliquis.

(n. 371.)

39. Diaconi assistentes sustinebunt librum Metropolitano dum professionem peraget Fidei, sed advertent ut stent in gradu superiori, non vero a lateribus eius. Postquam Metropolitanus emiserit iusiurandum, Cardinales ratificationem facient et manus imponent Evangeliario, quod eis praesentabit Metropolitanus. Postea sedebunt cum mitra in capite et fiet a ceteris Episcopis ratificatio.

(n. 476.)

40. Thronus Cardinalium parabitur pannis violacei coloris et eiusdem coloris erunt pulvini sedium. Induent habitus violaceos cum cappa violacea. Ad absolutionem non discedent de throno. Ad orationem et quando genuflectendum erit pro-

cedent ante Altare ad faldistoria ipsis praeparata, quae erunt etiam instructa pulvinis violaceis.

(n. 494.)

41. In subscriptione decretorum scribent = Ego *N*. Cardinalis, Episcopus *N*.

(n. 515.)

42. In processionem incedent induti pluviali et mitra in capite post Episcopos et ante Metropolitanum. Habebunt a latere familiam nobilem, praeter Cappellanos.

(n. 544.)

43. Amplexum accipient a Metropolitano qui stabit in pedes capite nudato,eoque accepto sedebunt faldistorio et caput mitra cooperient.

Methodus ista observata est in Concilio provinciali a Card. Clarissimo Falconieri Archiepiscopo in Metropolitana Ravennati habito diebus 28. 29. 30. et 31. Maii an. 1855. cui Concilio intervenerunt Cardinales duo suffraganei; mihique ex mandato Summi Pontificis commissum fuit honorificum dirigendi munus.

DE VARIATIONIBUS IN CONCILIO PROVINCIALI ADMITTENDIS SI CARDINALIS SUFFRAGANEUS ADSIT ET METROPOLITANUS SIT PRAELATUS (*)

CAPUT XLIV.

1. Oportet hoc casu principium poni, quod iam sacri Canones definierunt, ut Concilium provinciale convocetur a Metropolitano eique praesit ipse. In circumstantia ista Suffraganei dependent ab Archiepiscopo Metropolitano, ideoque Cardi-

(*a*) Instructiones praesentes desumptae sunt ex opere P. Bartholomaei Gavanto, cui titulus *Manuale Episcoporum*.

nali Episcopo, Suffraganeo Praelati Metropolitani et subiecto huic iure Metropolitico, nunquam poterit competere praeminentia honoris, quae pro dignitate illi competeret extra Concilium.

2. Hinc innuentur respectivae variationes methodo qua usi sumus in paragrapho praecedenti.

(n. 27.)

3. In excipiendo Emo Suffraganeo in suo ad urbem accessu poterit servari ordo sequens.

4. Praesul Metropolitanus curru magnificentiori vectus, obviam procedet Emo Suffraganeo. Uterque induent rochetum cum mozzeta. Emus Suffraganeus ascendet in currum Metropolitani, qui dexteram ei cedet eumque precabitur, ut benedicat populum.

5. Si soleat Metropolitanus praemittere sibi per viam Crucem archiepiscopalem etiam quum vehatur curru, in hac circumstantia abstinebit (*a*).

6. In limine ecclesiae Metropolitanae praesto erit Capitulum universum, quod eos excipiat, sonabitur festivo more campanis et organis; dignior Capituli offeret aspersorium Cardinali, qui porriget illud Metropolitano, deinde signabit seipsum tantum neque asperget adstantes.

7. Genuflexoria duo praeparabuntur ante Altare SS. Sacramenti et ante cetera Altaria, apud quae orabunt. Illud a dextera instructum strato et pulvinis nobilioribus erit in usum Emi suffraganei, alterum a sinistra, Metropolitani.

8. Capitulum associabit ad Palatium Emum Suffraganeum et Metropolitanum.

(n. 35.)

9. Pro Congregationibus praeparatoriis in capite aulae praeparabuntur duae sedes aequales distinctae a sedibus Episcoporum, et in illis sedebunt Metropolitanus et Cardinalis Suffraganeus. In Congregationibus Metropolitanus stabit a dextris,

(*a*) Sacra Rituum Congregatio, decreto edito die 18. Septembris an. 1666. prohibuit Archiepiscopis quominus iubeant ante se praeferri Crucem, quando utuntur curru

recitabit orationem *Adsumus, Domine* etc. proponet materias etc. ut brevi comprehendam, praeerit Congregationi.

(n. 47.)

10. Pro Congregationibus generalibus conciliariis praeparabitur thronus in capite aulae cum sedibus duabus aequalibus; a dextris sedebit Metropolitanus, a sinistris Cardinalis suffraganeus.

11. Metropolitanus praeerit Congregationi, ut supra notatum est.

12. In formula qua Episcopi rogabuntur assensum in Congregationibus conciliaribus et in sessionibus, Secretarius dicet *Eme et Rme Pater ac Domine*, *Rmi Patres* etc.

(n. 101.)

13. In Sacello Archiepiscopatus praeparabitur a latere Evangelii sedes inaurata cum fulcris et pulvinis e serico villoso seu damasceno rubri coloris, quae applicita erit parieti, in usum Cardinalis suffraganei.

(n. 108.)

14. Ad Altare SS. Sacramenti praeparabuntur faldistoria duo, unum pro Metropolitano, alterum pro Cardinali.

(n. 109.)

15. In latere Epistolae praeparabitur thronus aequalis throno Metropolitani pro Cardinali suffraganeo, in quo throno loco cathedrae ponetur sedes cameralis inaurata cum fulcris et cum pulvinis rubri coloris. Prope eumdem thronum aderit abacus, in quo disponentur paramenta pro Cardinali, videlicet mitra auriphrygiata, pluviale rubri coloris et amictus. Etiam ante Altare maius praeparabuntur duo faldistoria, quibus geniculabunt Metropolitanus et Cardinalis, ordine superius descripto. Ceteri Episcopi suffraganei geniculabunt ante scamnum ipsis praeparatum. Si Altare versum esset ad populum, thronus Cardinalis suffraganei collocabitur distinctiori loco, iuxta dispositionem presbyterii.

(n. 130.)

16. Episcopi in procoetonem Metropolitani convenient et Metropolitanus ipse accedet ad diaetam Cardinalis (ponimus hospitio exceptum esse in eodem palatio) eumque invi-

tabit. Metropolitanus et Cardinalis suffraganeus in eodem procoetone salutabunt Episcopos, dimittent mozzetam, induentque cappam, quam explicabunt. Metropolitanus utetur cappa violacea, Cardinalis cappa rubri coloris.

17. Praecedente Cruce archiepiscopali, progredientur ad Sacellum Archiepiscopatus, et Metropolitanus incedet a dextris Cardinalis. Sequentur Episcopi. Ad fores Sacelli praedicti Metropolitanus accipiet aspersorium a digniori Capituli, et porriget illud Cardinali, qui dextra accipiet aquam benedictam seque signabit; Metropolitanus deinde signabit seipsum, tum porriget aspersorium Episcopis, postremo asperget adstantes.

18. Notandum autem, quod haec eadem methodus, ne frustra repetamus alias, servandus erit in accessu ad ecclesiam pro ceteris functionibus.

19. Metropolitanus et Cardinalis genuflexi super gradus ante Altare orabunt, consurgent, salutabunt Crucem, sibique facta ad invicem reverentia, Metropolitanus accedet ad faldistorium et parabitur, Cardinalis autem ad sedem ipsi praeparatam, et sedebit in ea.

(n. 152.)

20. Ad intonationem hymni *Veni creator* etc. Cardinalis geniculabit super pulvinum positum prope sedem suam.

(n. 158.)

21. In processione Cardinalis indutus cappa et cum bireto in capite incedet a sinistris Metropolitani. Diaconi assistentes, qui sublevabunt fimbrias pluvialis Metropolitani, advertent ut paullo retro incedant, ita ut Metropolitanus et Cardinalis iunctim incedentes nullum alium habeant ad lineam.

(n. 163.)

22. In adoratione ad Altare SS. Sacramenti, Metropolitanus genuflectet in faldistorio posito a dextra, Cardinalis in alio a sinistra.

(n. 165.)

23. Eodem ordine procedent ad Altare maius et geniculabunt respectivis faldistoriis ibi praeparatis.

24. Post orationem consurgent sibique facta ad invicem reverentia, Metropolitanus accedet ad thronum collocatum in

latere Evangelii, Cardinalis ad alterum in latere Epistolae. Missae tempore Cardinalis retinebit cappam, neque ullo utetur Canonico assistente. Non leget introitum, Epistolam, Evangelium etc. sed recitabit Confessionem, *Kyrie*, *Gloria*, *Credo*, *Sanctus* et *Agnus Dei* cum Caeremoniario, qui assistet ei. Thurificabitur triplici ductu a Diacono, et pacem accipiet a Presbytero assistente, ut supra. Ad *Sanctus* genuflectet in faldistorio, quod ponetur in medio presbyterio ante Altare, ideoque clerici cum intorticiis consistent a lateribus Altaris.

(n. 206.)

25. Quando Metropolitanus dimittet paramenta missalia, resumpturus pluviale, Cardinalis dimittet cappam et induet amictum cum pluviali: Caeremoniarius, qui assistet ei, mitram auriphrygiatam eius capiti imponet, quod poterit etiam facere deinceps.

(n. 210.)

26. Faldistoria duo praeparabuntur in fine consessus et alia duo in suppedaneo Altaris, vel ante Altare, pro Metropolitano a dextra, pro Cardinali a sinistra. Scabella Assistentium ponentur post faldistoria in fine consessus, et ad Altare a latere ut monuimus etiam superius.

27. Cardinalis suffraganeus in omnibus actionibus stabit, sedebit ac genuflectet a sinistris Metropolitani, qui si sermonem de pulpito habebit, Cardinalis sedebit faldistorio in Altari posito.

28. Decreta legentur nomine Metropolitani, qui praesidebit Concilio a se convocato.

(n. 267.)

29. Notarius cum vocabit Cardinalem suffraganeum, reverebitur eum, neque Cardinalis respondebit *Adsum*.

(n. 289.)

30. Metropolitanus et Cardinalis dimittent paramenta in throno, ubi illa induerint.

(n. 294.)

31. Discessus de ecclesia tractabitur ut accessus ad ipsam.

(n. 309.)

32. De accessu ad ecclesiam diebus aliarum sessionum, servabuntur ea ipsa, quae tradita sunt in prima sessione.

33. Missa solemnis cantabitur ab Episcopo suffraganeo. Metropolitanus Missae assistet paratus pluviali. Cardinalis suffraganeus cappa indutus assistet in throno suo. Functio peragetur ritu praescripto cap. XVIII. lib. V. cum ea tantum exceptione, quod Canonici, respectu Cardinalis praesentis, non efficient circulos ante Metropolitanum.

34. Incensabitur a Diacono, postquam thurificaverit Assistentes Metropolitani.

35. Ad *Sanctus* genuflectent Metropolitanus et Cardinalis suis respectivis faldistoriis in presbyterio, primus a dextra, alter a sinistra.

36. Pacem accipiet a Presbytero assistente Celebranti.

37. Post Missam parabitur Cardinalis in throno suo, in consessu deinde se adiunget Metropolitano, ut in prima sessione traditum est.

(n. 371.)

38. In professione Fidei, Cardinalis ratificationem faciet post Metropolitanum, qui stans praesentabit ei Evangeliarium, cui manus imponet ac dicet *Sic me Deus* etc. postea sedebit cum Metropolitano et mitra cooperietur.

(n. 476.)

39. In exequiis pro Episcopis defunctis, thronus Cardinalis et ornatus sedis erit coloris violacei. Cardinalis induet habitum et cappam coloris violacei, et assistentiam praestabit Missae, laudationi funebri et absolutioni de throno suo.

(n. 494.)

40. In sessione ultima post Vesperas, Cardinalis firmabit decreta Concilii post Metropolitanum, utens verbis sequentibus — Ego *N.* Cardinalis *N.* Episcopus *N.* —.

(n. 515.)

41. In processionem incedet Cardinalis, pluviali et mitra paratus, post Episcopos suffraganeos et ante Metropolitanum, habens a lateribus praeter Cappellanos cum superpellicio, suos etiam familiares nobiles.

(n. 524.)

42. Recipietur ad amplexum a Metropolitano, qui stabit in pedes et mitra de capite dimissa. Deinde sedebit cum Me-

tropolitano in faldistorio suo, cooperietur mitra, et amplexum ab Episcopis suffraganeis non accipiet.

DE ANNIVERSARIO EPISCOPI PRAEDECESSORIS.

CAPUT XLV.

1. Celebrandum ab Episcopo est anniversarium in suffragium animae antecessoris sui, qui decessit regens Ecclesiam illam, quamvis ante ipsum in ea sede fuerit et alter Episcopus, ad aliam sedem translatus.

2. Post Nonam a Dignitate vel a Canonico aliquo cantabitur Missa solemnis de requie, cui assistet Episcopus cappa indutus.

3. Post Missam, profecto de Altari Celebrante, Episcopus parabitur pluviali et peraget absolutionem super pannum nigrum, vel super tumulum, positum ante thronum in presbyterio.

4. In functione ista observabitur ritus, quem superius descripsimus in capitulis XXVII. et XXIII. lib. V.

5. Monemus id tantum, quod in hoc anniversario locus non est funebri laudationi.

DE ANNIVERSARIO EPISCOPORUM ET CANONICORUM OMNIUM DEFUNCTORUM.

CAPUT XLVI.

1. In uno ex diebus octavarii defunctorum celebrabitur anniversarium in suffragium Episcoporum omnium defunctorum. Missa celebrabitur a Dignitate aut a Canonico aliquo et assistet Episcopus, qui post Missam peraget, ut supra notatum est, absolutionem.

2. Alio die celebrabitur anniversarium pro Canonicis omnibus defunctis Cathedralis. Missa cantabitur a Canonico et aequum esset, ut Episcopus Missae assisteret indutus cappa. Absolutio persolvetur ab eodem Celebrante, praesente Episcopo, ritu statuto superius cap. XXV. lib. V.

DE OBITU ET EXEQUIIS EPISCOPI ET DE SUPPLICATIONIBUS PRO NOVO EPISCOPO ELIGENDO.

CAPUT XLVII.

1. De supremo morbo, de obitu et de exequiis Episcopi agitur Libri secundi capitulo ultimo Caeremonialis Episcoporum; quocirca rem esse inutilem existimamus repetere quae ibi sapientissime suggeruntur in aegrotatione Episcopi et in administratione Sacramentorum, quae peragenda est a prima Capituli Dignitate

2. Ne pauca quidem censemus dicenda de aperitione te-

stamenti et de aliis curis suscipiendis ab herede vel a testamenti curatore, aut a quocumque alio, cui commissum sit negotium tuendi rem familiarem, spectantem ad defunctum et ad curationem domesticam. Operam dabimus tantum notandis functionibus peragendis iuxta finem quem nobis ipsi proposuimus in hoc opere, cuiuscumque demum pretii futurum sit atque utilitatis.

3. Durante Episcopi morbo, praescribentur ab eius Vicario generali publicae supplicationes ad omnia urbana et dioecesana templa et in coenobiis utriusque sexus. Esset etiam res optimi exempli si publicis supplicationibus interesset non modo Capitulum Cathedralis, sed Magistratus etiam et publici Repraesentantes, interveniendo formaliter.

4. Postquam Episcopus Sanctissimum Christi Corpus in viaticum acceperit, indicetur collecta per omnes ecclesias *pro Episcopo infirmo*, et recitabitur oratio in Missali praescripta. Quum vero administrata ipsi erit extrema Unctio, substituetur collecta altera pro *Episcopo infirmo morti proximo*, quae pariter notata in Missali est.

5. Statim ac Episcopus animam efflaverit, Canonici qui morti eius aderunt, recitabunt unusquisque super cadaver versiculos *A porta inferi* etc. cum oratione notata in Caeremoniali capitulo supra citato num. 18.

6. Vicarius generalis mandabit per ecclesias omnes, ut ad sonum e turri Cathedralis ceterae omnes ecclesiae urbanae annuncient obitum Episcopi lugubri campanarum sonitu per aliquod temporis spatium determinatum, ac deinceps, sonantibus campanis Cathedralis, debeant eodem tempore sonare ecclesiae reliquae omnes.

7. Interim cubicularii Episcopi cum omni decentia curabunt cadaver. Si heredi placebit iubere balsamo illud illini aut iniectare, id fiet semper postquam ab obitu elapsum erit tempus aliquod determinatum, ut indicabunt artis periti; quod tamen caveatur, ut cum omni decentia pertractetur.

8. Necesse etiam esset, ut sine mora legeretur testamentum ad agnoscendas dispositiones defuncti, praesertim si de funere suo cavisset. Utcumque sit, sive spectet ad hereditatem,

sive ad mensam episcopalem, sive ad quemquam alium, detur opera, ut funus sit conveniens dignitati et personae quam gessit, vitando ut nimium luxum, sic nimiam parsimoniam.

9. Itaque a Vicario generali, a prima Dignitate Capituli et a Caeremoniarum Magistro capientur concorditer dispositiones sequentes.

10. Curandum, ut cadaver conservari possit usque ad asportationem in ecclesiam: quod si difficile factu erit, efficiatur ut maturo tempore construatur arca lignea, in qua condatur. Arca autem erit longior cadavere tres ferme palmos, ut condi possit capite cooperto mitra: item erit latior a vertice et angustior versus talos. Intra arcam aderit pulvinus laneus coloris violacei, subiiciendus capiti cadaveris. In operculo autem picta erit Crux. Praeparabuntur praeter vestes usuales praelatitias nigri coloris, paramenta omnia coloris violacei, quibus induatur ac sepeliatur, comprehensa Cruce pectorali, annulo, ac tribus etiam spinulis S. Pallii, si fuerit Archiepiscopus.

11. Fiet Clero regulari et Clero saeculari denunciatio pro cantu vigiliarum priusquam asportetur cadaver, indicato ordine quo erunt celebrandae.

12. Invitabuntur etiam Confraternitates laicorum, quae debebunt intervenire asportationi cadaveris.

13. Construetur lectus ligneus, in quo exponetur in palatio et alter ponendus in ecclesia. Lectus constabit duobus canteriis, uno palmos quinque alto, altero palmos sex, cum tabulis super ipsum longis palmos duodecim et super tabulatum ponetur culcitra linea, subtili stramine plena: lectus totus cooperietur lodice sericea vel lanea cum pulvinis similibus, supponendis capiti cadaveris. Praeparabitur insuper parva tabula iuxta mensuram cadaveris cum capulis e chordula violacea in quatuor extremitatibus, in qua ponatur cadaver ipsum, ut possit moveri facile ac decenter.

14. Praeparabitur cerae copia sufficiens pro expositione cadaveris in palatio et pro asportatione ad ecclesiam. Numerus intorticiorum in hac circumstantia adhibendorum desumetur ex usu cuiusque loci et ex dispositionibus etiam testamentariis defuncti. Comparabitur insuper cera distribuenda illis, qui funeri intervenient.

15. Ex Cathedrali accipientur candelabra mortuaria ferrea vel scamna perforata ad firmanda intorticia, seu cereos circa cadaver, duo candelabra cum abaco collocando ad pedes lecti, pluviale nigri coloris cum stola, superpellicea, thuribulum cum navicula, vasculum cum aspersorio, legile maioris formae cum graduali in usum cantorum, et Missale aut Rituale pro oratione post vigilias.

16. Illa palatii pars, quae propter expositionem oportebit ut pateat, expoliabitur omni ornamento et in aula maiori sive in procoetone praeparabitur lectus supradictus.

17. Si Cathedralis ornata esset festive pro aliqua circumstantia solemnitatis, tolletur ornamentum omne. Thronus poterit relinqui paratus pannis violaceis, siquidem mors Episcopi non efficit ut esse desinat ecclesia cathedralis.

18. Congregabitur etiam Capitulum Cathedralis pro eligendo, termino praescripto a iure canonico, Vicario capitulari, qui participabit nominationem suam et consequenter decessum Episcopi ad S. Sedem.

19. Deputabitur a Capitulo Cathedralis vel ab herede ecclesiasticus quidam doctus, qui funebrem laudationem habeat in exequiis super cadaver peragendis.

20. Praeparabitur etiam feretrum, quo asportandum cadaver ad ecclesiam erit.

21. Vicarius capitularis, vel alius quispiam hortabitur Clerum et fideles, ut suffragentur animae Episcopi et disponet etiam, ut in ecclesiis omnibus celebretur ei funus die septimo aut tricesimo.

22. In ecclesia cathedrali praeparabitur lectus funebris eiusdem magnitudinis atque alter supra notatus pro domo et apponetur ille cereorum aut intorticiorum numerus, qui praestitutus erit, ut ibidem notatum est.

23. Licebit celebrare Missas in sacello Episcopii, sed alia erigere Altaria in diaeta episcopali ad Missas celebrandas non licebit, nisi ex speciali concessione S. Sedis.

24. In diaeta praedicta praeparabuntur scamna parata panno nigro pro Canonicis Cathedralis, pro Magistratu ceterisque, qui vigiliis erunt interventuri. In dispositione illorum ra-

tio habebitur capacitatis loci, et curabitur ut locus sit Canonicis Cathedralis, Magistratui et saltem Regularibus, ad quos spectabit cantare in vigilia ipsis assignata, animadvertendo ut sint circa lectum.

25. Si cadaver fuerit balsamo illitum, privatim et noctu ad ecclesiam asportabitur vas clausum et signatum cum visceribus, quod comitabitur cappellanus defuncti cum famulis duobus funalia sustinentibus, statimque condetur sepulcro.

26. Postquam curatum erit cadaver, induetur subucula, caligis nigris, femoralibus, collari nigro, veste talari nigra cum syrma, fascia nigra simili et rocheto. Cappellani deinde eius induti superpelliceo, vestient ipsum caligis et sandaliis, amictu, alba, cingulo, Cruce pectorali ex auricalcho inaurato et sine Reliquiis, appensa chordulae sericae viridi, stola, tunicella, dalmatica, chirothecis, planeta et manipulo; inserent deinde annulum eius digito annulari dextro et manus component in pectore, quas iungent simul ope unius taeniae violaceae firmatae pulsis, ac super pectore eius ponetur exigua Crux lignea cum Crucifixo, quam continebit utraque manu. Deinde imponetur cadaver tabulae supra descriptae, cui erunt obstacula ad pedes ne cadaver excurrat, quaeque cooperietur prorsus habitu et vestibus quibus corpus erit indutum. Si fuerit Archiepiscopus in sua dioecesi aut provincia, imponent etiam humeris eius s. Pallium cum tribus spinulis; sin autem erit extra provinciam aut honoratus fuerit altero Pallio in altera ecclesia, supponetur plicatum capiti eius.

27. A lateribus lecti aderunt scabella gradata, ut super illum possit collocari corpus.

28. Quando igitur in promptu erit lectus, collocabitur in eo cadaver et capiti imponetur mitra linea coloris albi aut damascena, postquam in lecto compositum fuerit, pulvinis capiti suppositis, nam movendo cadaver posset forte delabi mitra.

29. Si lectus in promptu non erit, relinquetur cadaver in uno ex cubiculis Palatii et ardebunt in candelabris duobus candelae, una ad caput, altera ad pedes.

30. Exposito supra lectum cadavere, appendetur pileus pontificalis viridis coloris ad pedes lecti super lodice, et ante

lectum ipsum ponetur parvus abacus contectus alba tobalea, in qua aderunt superpellicia tria, stola cum pluviali nigro, Caeremoniale pro oratione, vasculum aquae benedictae cum aspersorio ac thuribulum cum navicula. Ignis deinceps utendus aderit seorsim in alio cubiculo. Accendentur intorticia seu cerei positi circa lectum in scamnis perforatis, vel saltem fanalia quatuor a lateribus lecti cum intorticiis aut cereis singulis.

31. Aperietur diaeta et providebitur, ut adsit qui bono ordini invigilet, clausa vero erunt cubicula, in quibus asserventur quae ad hereditatem spectant.

32. In aula prima aderunt famuli habitu familiari induti, et familiares nobiles habitu formali in procaetone et cubiculis prioribus.

33. Asportatio ab aedibus ad ecclesiam fieri debet mane; ante asportationem autem celebrandae sunt in ipsis aedibus vigiliae. Animadvertatur tamen ut inchoentur tempore debito.

34. Vigiliae celebrandae essent a familiis fratrum mendicantium, si fuerint, vel saltem ab aliis. Si numerus familiarum regularium satis non erit, poterunt ab una cantari vigiliae duae, sed in fine cuiusque fiet absolutio, ut declarabitur inferius.

35. Item si plures erunt coenobitarum familiae, ut nequeat a singulis una vigilia cantari, poterunt colligi simul plures familiae in celebratione vigiliae unius. Ad familiam digniorem spectabit ultima vigilia. Atque heic notandum, quod dignitas desumenda est ex praecedentia, qua fruuntur in processionibus generalibus, videlicet ex institutione coenobii, vel ex eo quod sanxerit usus laudabilis.

36. Hora praestituta, quando collecti simul erunt qui interfuturi sunt vigiliis vel saltem pars eorum, Caeremoniarius in aulam, ubi expositum erit cadaver, invitabit fratres quibus attributa est vigilia prima. Hi disponentur apud scamna praeparata circa lectum; primus ipsorum, habens ante se legile cum libro chorali, incipiet antiphonam *Placebo Domino*, quam prosequentur ceteri cum psalmis et antiphonis Vesperarum pro Defunctis. Antiphonae canentur ritu duplici, ante et post psalmos. Intonata praedicta antiphona, sedebunt omnes et a clerico uno singulis distribuetur candela. In promptu etiam erunt

alteri clerici duo induti superpelliceo, ad afferendum vasculum ac thuribulum.

37. Quum incipietur canticum *Magnificat*, omnes consurgent et interim Superior fratrum, qui cantaverint vigiliam primam seu vesperas, accedet ad pedem lecti, adiuvantibus clericis duobus, induet superpelliceum, stolam, pluviale nigri coloris ibique ad pedem lecti remanebit.

38. Duo praedicti clerici accipient unus vasculum cum aspersorio, alter thuribulum cum igne et naviculam. Alterius clerici officium erit accendere candelas eis, quibus fuerint distributae.

39. Dum repetetur antiphona, Caeremoniarius vel alter Cappellanus, superpellicio indutus, ministrabit sine osculis incensum Superiori, de quo supra, qui imponet illud in thuribulum a thuriferario sustentum.

40. Completo supradictae antiphonae cantu, Superior, idem, iunctis manibus dicet *Pater noster* et aspersorio accepto a Caeremoniario seu Cappellano, qui sublevabit eius fimbriam dexteram pluvialis, procedens a dextris suis asperget cadaver circumiens lectum, prius versus pedem sinistrum, deinde versus medium, tum versus humerum sinistrum: rediens autem per latus alterum lecti, asperget illud versus humerum dextrum, deinde versus medium, postremo versus pedem dexterum.

41. Transiens ante Canonicos Cathedralis, reverebitur eos. Sin autem lectus non posset circumiri, asperget cadaver in medio, a sinistris et a dextris suis.

42. Reversus ad pedem lecti, restituet aspersorium et accepto thuribulo, adolebit cadaver eodem modo quo asperserit.

43. Reddito thuribulo, perstans ad pedem lecti cantabit versiculos *Et ne nos* etc. et orationem notatam in Caeremoniali capitulo citato, cum conclusione brevi. Post orationem subiunget alterum versiculum *Requiem aeternam* etc. et a cantoribus cantabitur ℣. *Requiescat in pace* omnesque respondebunt *Amen*.

44. Fratres deinde extinguent candelas, quas tempore absolutionis sustinuerint manu, Superior dimittet pluviale, stolam et superpelliceum super abacum; discedent ex aula aliique succedent ad secundam vigiliam designati.

45. In vigilia secunda cantabitur invitatorium et primum nocturnum Officii pro Defunctis cum antiphonis de ritu duplici. Ad invitatorium et ad *Pater noster* ante lectiones, stabunt omnes; ad cantum psalmorum, lectionum et responsoriorum sedebunt. Distribuetur cera, ut superius, et ad cantum responsorii tertii, Superior induet pluviale, tum peraget absolutionem, ut in prima vigilia traditum est.

46. In tertia vigilia cantabitur nocturnum secundum, in quarta nocturnum tertium cum Responsorio *Libera me Domine de morte aeterna*; in quinta autem Laudes.

47. Dum cantabitur ultima vigilia seu Laudes, disponetur asportatio cadaveris. Ad hanc rem ut invitentur illi, qui asportationi praedictae interventuri sunt, non esset abs re dare signum campanis Cathedralis, quibus poterunt reliquarum ecclesiarum campanae respondere.

48. Corpora seu collegia interventura processioni in asportatione cadaveris, convenire debent in Cathedralem, discessura inde ordinatim, quum nunciabitur eis.

49. Interim praesto erunt Presbyteri superpellicio induti ac sine stola, delaturi super feretrum cadaver. In promptu erit feretrum nobile et unus ex familiaribus, qui distribuet intorticia ferenda circum cadaver iis quibus attributum erit officium, itemque candelas tradet illi, cuius officium erit distributionem facere singulis, pompae funebri intervenientibus.

50. Capitulum Cathedralis congregabitur in diaetam episcopalem associaturum cadaver, quod fiet etiam a Magistratu aliisque publicis repraesentantibus, qui aliunde tenerentur vigiliis interesse.

51. Dignior Capituli Cathedralis supra rochetum vel superpelliceum assumet stolam cum pluviali nigri coloris.

52. Vigiliis expletis, adstantes de diaeta dimittentur, a Presbyteris indutis superpellicio demittetur de lecto cadaver et componetur in feretro.

53. Disponetur processio, quae percurret vias primarias et dirigetur ad Cathedralem. Asportationis tempore sonabunt luctuoso more campanae Cathedralis et reliquarum omnium ecclesiarum.

54. Officians in functione ista priusquam domo efferatur cadaver, asperget ipsum et recitabit antiphonam *Si iniquitates* cum psalmo *De profundis*, ut notatur in Rituali. Deinde in itinere recitabitur psalmus *Miserere* cum reliquis in Rituali notatis.

55. Processio ordinabitur sequenti modo. Anteibunt Confraternitates laicorum iuxta ordinem antiquitatis uniuscuiusque, et singulae deferent propriam Crucem aut signum, quo utuntur in associatione mortuorum. Tum Crux ecclesiae cathedralis delata a clerico, post ipsam incedent familiae coenobitarum, ordine ab ipsis servato in processionibus generalibus. Post collegia Regularium incedet Seminarium, cuius alumni induti erunt superpellicio et bireto; clericis Seminarii succedent Parochi urbani, superpellicio pariter ac bireto induti, vel alio insigni regulariter eis concesso; tum Collegiatae, si quae fuerint; Beneficiarii deinde seu Mansionarii, postremo Canonici Cathedralis, quorum in fine incedet Dignitas, de qua supra, indutus superpellicio et pluviali. Cadaver in feretro deferetur a quatuor Presbyteris, ac si opus fuerit, aderunt alii substituendi primis. Circa feretrum ardentia intorticia deferentur aut a quibusdam confratrum praedictarum Confraternitatum, aut a Mansionariis seu Beneficiariis, vel ab aliis de more cuiusque loci. Familiares nobiles Episcopi incedent immediate post feretrum vel a lateribus illius et unus eorum deferet pileum pontificalem, appendendum deinceps in ecclesia ad pedem lecti. Sequentur ultimo loco Magistratus et publici Repraesentantes quo ordine solent incedere in functionibus publicis, post eos autem famulitium defuncti in habitu familiari.

56. Si mos erit ut unusquisque in processionem gestet candelam ardentem, poterit servari, secus in ingressu ecclesiae distribuetur candela singulis individuis, quam sustinebunt ardentem in absolutione, quae ibi persolvetur, ut infra.

57. In ecclesia aderunt clerici tres unus cum thuribulo, alter cum vasculo aquae benedictae, tertius cum libro absolutionis. Item accendentur cerei sive intorticia circa lectum in ecclesia et advertetur ut circa illum adsint scabella gradata ad collocandum in eo cadaver.

58. Ubi ad ecclesiam pervenerit processio, Confraternitates instruentur in unum pluresve ordines circa lectum; ante Confraternitates disponentur Regulares et ante Regulares Clerus saecularis. Crux consistet ad caput cadaveris, ad pedes autem ipsius dignior Capituli qui functionem peraget. Magistratus stabit post Officiantem. Presbyteri, delatores feretri, collocabunt ipsum capite verso ad Altare, pedibus versis ad portam: delatores intorticiorum subsistent a lateribus cadaveris.

59. Deposito in media ecclesia feretro cum cadavere, repetetur antiphona *Exultabunt Domino* etc. deinde cantabitur ℟. *Subvenite Sancti Dei* etc. Sub finem Responsorii Officians imponet incensum in thuribulum cum benedictione et completo cantu Responsorii, cantabit *Pater noster*, et asperget ac thurificabit deinde cadaver, quemadmodum descriptum est superius in domo, et cantabit versiculos *Et ne nos* etc. cum oratione.

60. Discedent de ecclesia confraternitates et regulares. Magistratus locum sumet in scamno suo et Clerus in choro. Presbyteri cadaver tollent de feretro et imponent lecto, tum ad pedes lecti appendent pileum pontificalem.

61. Parabitur in Sacrario dignior Cleri et cantabitur Missa solemnis.

62. Post Missam recitabitur laudatio funebris et persolventur quinque absolutiones ritu descripto cap. XXIII. lib. V. eo tantum discrimine, quod Celebrans, quum non sit Episcopus, sedebit in scabello, ceterique absolventes sibi ipsi sustinebunt intorticium vel candelam ardentem.

63. Clausis ecclesiae portis, deponetur a Presbyteris de lecto cadaver et condetur in arca, ubi claudetur etiam intra tubum vitreum charta pergamena inscripta nomine aliisque notitiis defuncti. Cadaver sepelietur cum paramentis supra indicatis; quod si planeta nobili indutum fuerit, poterit exui illa et vestiri alia minoris pretii. Priusquam operculo claudatur arca, contegetur os defuncti sudariolo albi coloris. Deinde arca lignea cum cadavere claudetur in altera arca plumbea, in cuius operculo incisa erit Crux, epigraphe cum nomine etc. et stemma gentilitium. Cadaver sepelietur aut in sepulcro Episcoporum aut in alio, quod sibi delegerit defunctus. Pileus pontificalis su-

spendetur ad absidem seu lacunar ecclesiae versus locum sepulturae.

64. Si qua de caussa rationabili non poterit celebrari Missa solemnis super cadaver, non omittetur solemne funus die tertia aut septima cum absolutionibus indicatis. Immo si quis Episcopus limitrophus esset non ita longe a dioecesi, posset a Capitulo invitari ad functionem in funere Episcopi persolvendam.

65. Condito Episcopi cadavere, Vicarius capitularis praefiniet publicas preces ad obtinendam quamprimum electionem novi Pastoris, qui digne ac fructuose administret ecclesiam et ad salutem dirigat animas suae curae commissas. Itaque servabitur usus cuiusque dioecesis quod attinet ad preces supra nominatas; et quibusdam diebus vel circumstantiis fiet etiam processio Regularium ad Cathedralem, in qua simul cum Clero saeculari exorent Deum, ut sanctis Patronis intercedentibus, dignetur ecclesiae preces exaudire.

66. Quum vero officialiter communicata fuerit notitia electionis in Consistorio secutae, observabitur totum id, quod traditum est cap. I. lib. V.

APPENDIX

DE EMINENTISSIMIS AC REVERENDISSIMIS S. ROM. ECCLESIAE CARDINALIBUS.

CAPUT I.

1. Non est animus hoc loco tractatum addere de Emis ac Rmis S. Ecclesiae Cardinalibus, de quorum honorificentiis, praerogativis et dignitate tam multi scripserunt clarissimi viri. Quia vero forte posset evenire, ut quidam Cardinalium moraretur extra Urbem et invitaretur ad assistendum functioni alicui, innuemus tantummodo regulas quasdam in circumstantia praedicta sequendas pro decore Dignitatis Cardinalitiae, cui Emi ac Rmi Domini Cardinales se ipsi obligant solemni iureiurando.

2. Ac primo quidem loco notandum, quod Dominis Cardinalibus non licet privatim in ecclesiis interesse sacris functionibus, neque ingredi licet quacumque circumstantia in habitu privato. Solet Ipsis voce indulgere Summus Pontifex, ut visitent ecclesias, dummodo nullum ibi fiat officium et dum non adsit fidelium multitudo. Licet Eis accedere ad ecclesias in aliquam tribunam seu chorulum munitum transennis seu fenestris cancellatis, quo non ascendatur ex interna parte ecclesiae, sed ex alio loco separato.

3. Praeterea animadvertendum, quod Domini Cardinales, si extra Urbem induere habitum Cardinalitium debeant, numquam induunt mantelletum, sed mozzetam tantum supra rochetum, excepto tantummodo casu, quo in loco ipso eorum mansionis adesset Summus Pontifex, siquidem casu isto rochetum cooperiunt mantelleto ac mozzeta.

4. Neque erit heic abs re significare, quod habitus cardinalitius duplicis est coloris, rubri nempe et violacei. Adhibentur eadem regula ac superius tradita pro Episcopis cap. II.

lib. V. videlicet quum Episcopis praescribitur habitus violaceus, Cardinales utuntur rubri coloris et quum Episcopis praescribitur niger, Cardinales induunt violaceum.

5. Forma habitus est aequalis in utrisque, videlicet vestis talaris rubri coloris cum syrma, fascia sericea rubra cum floccis aureis in extremitatibus, rochetum cum suis paramanibus rubris infra reticulum in extremitatibus manicarum et mozzeta rubri coloris. Caligae autem et collarium sunt rubri coloris ut reliquum indumentum. Hyemis tempore habitus supra descriptus erit e panno exornato serico rubro in ocellis, in orbiculis, in marginibus et cum paramanibus similibus, itemque ex toto subsuta erit serico rubri coloris mozzeta, quae habebit orbiculos, ocellos et margines e serico rubro. Color autem qui vulgo appellatur *ponsò*. Aestivo tempore poterit esse ex lana leviori, ornatus, ut supra, serico, vel etiam totus sericeus, nempe ex panno sericeo, vulgo dicto *amuerro*, erit autem undulatus, exclusis prorsus sericis villosis et rasilibus.

6. Alter violaceus est aequalis illi, quem descripsimus pro Episcopis cum reflexibus, orbiculis, ocellis et marginibus, seu orae textibus coloris rubri et fasciae violaceae erunt flocci aurei. Adhibendo habitum huiusmodi, paramanus rocheti erunt coloris rubini. Color caligarum et collarii colori habitus respondeat oportet.

7. In Dominicis tertia Adventus et quarta Quadragesimae, quae dicuntur *Gaudete* et *Laetare*, Domini Cardinales in Urbe morantes, utuntur habitu coloris rosae siccae, cuius generis sunt etiam ornamenta illius, videlicet ocelli, orbiculi, orae textus, pannus subsutus et fascia cum floccis aureis. Aequum esset, ut etiam extra Urbem habitus iste adhiberetur.

8. Cappa vero, qua induti intersunt sacris functionibus, est e serico coloris rubri vel violacei, cum pellibus mustelae alpinae in caputio, hyberno tempore; aestivo autem, cappa rubri coloris habet sericum rubrum, violacea sericum coloris rubini. Feria sexta in Parasceve induunt cappam laneam violaceam cum pellibus mustelae alpinae in caputio.

9. Biretum autem et pileolus quocumque tempore et qualibet circumstantia erit semper rubri coloris (ponsò) utrum-

que ex panno laneo vel sericeo pro temporibus anni. In bireto est usus vulgo receptus, ut nullus adsit in medio floccus, ut esse solet in biretis Cleri saecularis. Pileus quoque utendus cum vestiario descripto erit semper rubri coloris, ornatus taenia seu lemnisco aureo in extremitate orae et cum flocco rubro intertexto auro.

10. Insuper utuntur calceis rubri coloris, quorum usus locum habet in diebus et celebritatibus solemnibus, nunquam vero quum habitus est coloris violacei. Aliis diebus calcei in summitate orae sunto coloris rubri.

11. Cardinales assumpti ex Ordinibus regularibus retinebunt tum in vestibus, tum in cappa colores habitus instituti sui, ut innutum est pro Episcopis cap. II. lib. V, neque eis licebit uti alio ornamento rubri coloris, praeter pileum, biretum et pileolum, qui erit aequalis pileolo aliorum, ut paulo ante monuimus, eo tamen discrimine, quod qualitas panni, quo confectum erit biretum et pileolus, esse debet semper lanea. Cardinales, qui addicti sunt alicui Congregationi Clericorum regularium, utentur rubro et violaceo habitu, ut ceteri, sed pannus vestium, cappae etc. semper erit laneus.

12. Altera occurrit opportuna animadversio, quod super habitum Cardinalibus supra descriptum nullum licet apponere decoramentum seu insigne ordinum equestrium laicorum, quamvis sint nobilissimi. Ratio est, quod dignitas Cardinalitia, propter quam qui assequuntur ipsam fiunt principes electores et eligibiles, superior est quocumque alio decoramento aut insigni; quocirca Emi Cardinales praecedentiam non cedunt, nisi Regibus et Principibus hereditariis.

13. Neque erit incongruum monere de qualitate stemmatum sive armorum Cardinalium, quod nempe ipsis interdicitur apponere quodcumque insigne laicum, excepto scuto seu parma, ideoque stemma gentilitium seu familiae debet aeque ab omnibus decorari pileo cardinalitio tantummodo (*a*).

14. Cardinales autem in publicum prodeuntes vel assisten-

(*a*) Inspiciatur Constitutio Innocentii X. *Militantis Ecclesiae* die 19. Decembris an. 1644. ad quam observandam Emi Cardinales se iureiurando obstringunt.

tes actui alicui solemni tum civili, tum religioso, cedere dexteram nemini possunt, neque a latere eorum potest adstare aut incedere quisquam. Quapropter locus eorum erit semper dignior et honoratior.

15. His praemissis, animadvertendum est, quod si Episcopus ordinarius insignitus erit etiam dignitate Cardinalitia, poterit uti throno parato textili aureo vel argenteo, scilicet serico albo, argento intexto, pro colore albo; et serico rubro, auro intexto, pro colore rubro; et serico violaceo, auro intexto, vel villoso violaceo pro colore isto.

16. Genuflexorium ad Altare SS. Sacramenti contectum erit strato et pulvinis villosis aut sericeis rubri aut violacei coloris, secundum colorem, quo Cardinalis Episcopus utetur in habitu, itemque eiusdem generis ac vestium throni, poterunt esse pulvini, in quibus geniculabit, quum accesserit ad faldistorium.

17. Quando pontificabit Missas solemnes aliasque functiones, si Magistratus intererit, ad ipsum spectat aquam eius manibus ministrare in singulis lotionibus.

18. In abaco, praeter vasa notata in singulis functionibus, poni poterunt alia vasa argentea vel inaurata, magnificentiae gratia et simplicis ornamenti.

19. Coram Cardinali, Episcopus in sua dioecesi abstinebit a benedictione largienda tum solemni, tum privata; Archiepiscopus etiam in sua provincia nec donabit, ut supra; benedictionem, neque ante se gestari iubebit Crucem archiepiscopalem, si aderit Cardinalis (Caerem. lib. I. cap. IV. num. 2.) excepto casu Concilii provincialis, ut cap. XLIII. libri huius innutum est.

20. Episcopus vel Archiepiscopus, si Cardinalis intersit sacrae functioni, cedet ipsi exercitium sui muneris episcopalis; sin autem Cardinalis renuerit illud exsequi, postquam officiatus fuerit, fiet id ab Episcopo sive Archiepiscopo (Caerem. loc. cit.)

21. Si Episcopus vel Archiepiscopus esset etiam Cardinalis et praesens adesset Cardinalis alter, qui simul cum eo Missae solemni assisteret, precari Cardinalem praesentem de-

et ut exerceat functiones omnes, quae ad ipsum spectant, benedicendi nempe incensum, aquam, Ministros etc. Si Cardinalis praesens renuerit, fiet ab Episcopo Cardinali, qui in fine Missae donabit etiam benedictionem non ex throno sed ex Altari, respectu Collegae sui praesentis (Caerem. loc. cit. num. 3.)

22. Si Episcopus vel Archiepiscopus Cardinalis celebraret Missam solemnem et Cardinalis alter adesset, non insignitus repraesentantia Legati S. Sedis, Cardinalis Episcopus vel Archiepiscopus exsequetur benedictiones omnes, quae spectant ad Celebrantem, ac si fuerit Archiepiscopus, adhibebit etiam Crucem archiepiscopalem ad benedictionem (Caerem. loc. cit. num. 4.)

23. Cardinalis qui aderit in aliqua urbe, in qua sedes sit Episcopi, abstinebit ab interveniendo publice functionibus episcopalibus, quae possent aliquo modo impediri praesentia eius (Caerem. loc. cit. num. 5.)

24. Quod attinet ad locum Cardinalis in sacris functionibus, constitutum etiam est a Caeremoniali quid sit peragendum. Ad Cardinalem spectat sedes seu thronus Episcopi. Si Episcopus cantabit Missam, sedebit in faldistorio in latere Epistolae ante gradus Altaris; si Missam non cantabit, sedebit in primo chori stallo, quod ornabitur paratu distincto in postergali; in sedili et in genuflexorio si aderit, ponentur etiam pulvini ad genuflectendum (Caerem. loc. cit. cap. XIII. num. 4.)

25. Si plures aderunt Cardinales, sedebunt sedibus aequalibus in latere Evangelii et Cardinalis Episcopus ordinarius, nisi celebrabit, erit semper ultimo loco, quamvis esset praesentibus antiquior respectu promotionis Cardinalitiae. Committet exercitium suae repraesentationis Cardinali seniori; si hic renuerit, faciet id Episcopus Cardinalis et in fine Missae donabit etiam benedictionem ex Altari (Caerem. loc. cit. num. 5. 6.)

26. Quotiescumque Cardinalis quispiam accedet in ecclesiam cathedralem interfuturus functionibus sacris, excipietur in limine ecclesiae ab Episcopo ordinario, cappa induto, et ab omni Capitulo. Si Episcopus celebraturus sit Missam, obviam Cardinali procedetur a Capitulo tantummodo. Si Cardinalis decoratus erit munere Legati S. Sedis, Episcopus praesens of-

feret ei in limine aspersorium, quo Cardinalis Legatus sig bit seipsum, porriget illud Episcopo, tum asperget adstant Sin autem Legatus non fuerit, dignior Capituli porriget e aspersorium, quamvis ibi adesset Episcopus, et Cardinalis signabit seipsum tantum, quin aspergat adstantes (Caerem. loc. cit. cap. XV. num. 4.)

27. De Ritu servando in Missa solemni coram Cardinali, tractabimus sequenti capitulo.

DE EMINENTISSIMI CARDINALIS MISSAE SOLEMNI ASSISTENTIA.

CAP. II.

1. Instructiones, quae traduntur in capitulo praesenti, formulatae sunt super decretis S. Congregationis Caeremonialis, quae sequens regulas a Caeremoniali Episcoporum statutas, praescripsit ritum in circumstantia ista servandum. Decretum S. Congregationis referetur in fine praesentis capituli.

2. Si functioni locus erit in Cathedrali et interveniet etiam Episcopus ordinarius, ad Altare SS. Sacramenti praeparabitur genuflexorium ornatum strato et pulvinis pro Cardinali, coloris rubri vel violacei, quali ipse utetur in habitu.

3. Pro Episcopo autem pulvinus in pavimento a latere Cardinalis.

4. Ad Altare maius praeparabitur quidquid opus est ad Missam solemnem et in medio Presbyterio pro Cardinali statuetur genuflexorium eiusdem coloris, ut supra.

5. Praeparabitur thronus cum cathedra, paratus colore quem requirit officium et a lateribus cathedrae ponentur scabella duo pro totidem Canonicis, qui assistent Cardinali. Prope cathedram aderit pulvinus adhibendus in genuflexione ad ℣. *Et incarnatus* in Credo.

6. Pro Episcopo ordinario parabitur stallum primum in choro cum augmento in sedili et cum paratu sericeo in postergali ac pulvino in sedili: si ante stalla in choro aderunt

genuflexoria, in loco quem occupabit Episcopus, ponetur pulvinus super genuflexorium cum panno sericeo, qui pendebit a parte anteriori.

7. Si functio peragetur in ecclesia, quae non sit cathedralis, Episcopus non interveniet, et in latere Evangelii statuetur thronus cum sede camerali, loco cathedrae pro Cardinali.

8. Quando functio fiat in Cathedrali, Episcopus praeoccupabit adventum Cardinalis et indutus cappa morabitur in Sacrario cum Capitulo universo.

9. Quum nunciabitur adesse iam Cardinalem ad ecclesiam, Episcopus incedens in fronte Capituli sui veniet ad limen ecclesiae, excepturus Cardinalem, et aderit clericus deferens vasculum aquae benedictae cum aspersorio.

10. Cardinalis in limine ecclesiae induet cappam, deinde a digniore Capituli (nunquam vero ab Episcopo) accipiet aspersorium, quo signabit seipsum tantum, neque ullo modo adstantes asperget.

11. Procedet ad SS. Sacramentum adorandum, genuflectens in genuflexorio praeparato, et Episcopus geniculabit super pulvinum positum extra genuflexorium ipsum. Advertet ne dextra benedicat adstantes dum incedet in ecclesia.

12. Postea transibit ad Altare maius ubi orabit brevi tempore in genuflexorio, quod ibi praeparatum fuerit, et Episcopus cum Capitulo accedet in chorum ad stallum quo geniculabit.

13. Celebrans cum Ministris stabunt in pedes, quum adveniet Cardinalis, quem reverebuntur et ipse cum inclinatione respondebit eis.

14. Post orationem, Cardinalis assurget, salutabit Crucem Altaris seque inclinabit Celebranti et Ministris, qui reverentia respondebunt ei, procedet ad thronum, quo priusquam ascendat se inclinabit Episcopo ordinario, qui pariter ei respodebit cum reverentia.

15. Conscenso throno, sedebit brevi tempore et Canonici duo assistent ei a lateribus.

16. Celebrans, quin petat in antecessum permissionem, accedet cum Ministris ad Altare, peragens debitas reverentias ad chorum et ad Cardinalem atque exordietur Sacrum ad

pedem Altaris in medio, quamquam thronus situs esset in n. io e regione Altaris, si Altare ipsum versum esset ad populu.

17. Cardinalis cum Canonicis assistentibus recitabit Confessionem.

18. Si Celebrans gaudebit privilegio scotulae, abstinebit eius usu

19. Cardinalis cum assistentibus suis recitabit *Kyrie*, *Gloria*, *Credo*, *Sanctus* et *Agnus Dei*.

20. Quaecumque benedictio Ministrorum, thuris et aquae fiet a Celebrante.

21. Cardinali non erit Presbyter assistens, nec leget introitum, Epistolam, Graduale, Evangelium et versiculos Offertorii et Communionis.

22. Diaconus et Subdiaconus osculabuntur manum et accipient benedictionem a Celebrante.

23. Post cantum Evangelii, Subdiaconus librum osculandum afferet ad Cardinalem et Celebrans thurificabitur a Diacono.

24. Cardinalis thurificabitur solum a Diacono post Oblata.

25. Ad *Sanctus* descendet ad geniculandum in medium presbyterium ad genuflexorium ibi praeparatum, comitatus a duobus praedictis Canonicis assistentibus.

26. Clerici cum intorticiis ad elevationem consistent in lateribus Altaris, ne tergum vertant ad Cardinalem, qui ibi aderit genuflexus.

27. In fine Sacri benedictio donabitur a Celebrante, qui postquam dixerit *Omnipotens Deus*, convertetur ad Cardinalem, salutabit ipsum, deinde benedictionem versus populum donabit.

28. Non publicabuntur Indulgentiae nomine Cardinalis.

29. Profecto de Altari Celebrante cum Ministris, Cardinalis, de throno descendet, comitatus ab Episcopo et a Clero, ac brevi facta oratione ad Altare maius et ad Altare SS. Sacramenti, ut in accessu, discedet de ecclesia.

30. Methodus haec observabitur a quovis Cardinali, qui nulla gaudeat iurisdictione in eo loco quo forte moratur, quamvis esset ex ordine Cardinalium Episcoporum vel ex ordine Cardinalium Presbyterorum, in quo etiam ordine insignitus esset charactere episcopali.

31. In aliis ecclesiis, praeter Cathedralem tantum, serva-

bitur idem ordo, excepto quod non habebit Assistentes throno, siquidem non aderunt Canonici, et excipietur atque associabitur ab illo collegio, quod ipsam ecclesiam custodiet atque officiabit.

32. Sin autem in Cathedrali celebraretur Missa ab Episcopo ordinario, observabitur quod prescribetur sequenti capitulo *de Missa ab Episcopo ordinario ad faldistorium celebrata.*

33. Quare animadvertendum erit ut Cardinalis debito tempore adveniat ad ecclesiam, scilicet post cantum Tertiae; grave enim esset incommodum, si Episcopus ordinarius, cum suo Clero parato expectaturus esset diutius et in publico adventum Cardinalis.

34. Hoc igitur casu Canonici quatuor excipient Cardinalem in limine ecclesiae cum quibusdam Beneficiariis, seu Mansionariis, qui deducent eum ad Altare SS. Sacramenti et ad Altare maius.

35. Canonici qui comitabuntur Cardinalem, statim ac venerint illuc, induent vestes sacras.

36. Cardinalis nullo utetur Canonico assistente throno.

37. Episcopus non utetur scotula.

38. Liber Evangelii, post cantum ipsius afferetur ad Cardinalem qui illum osculabitur.

39. Quando Episcopus lavabit manus tum ante Offertorium, tum post thurificationem et post Communionem, Ministri qui lotionem ei praebebunt, stabunt, neque assurgent Canonici nec genuflectent ceteri de choro.

40. Post offertorium, procedente ad Altare Episcopo, Cardinalis caput bireto nudabit et assurget in pedes, respondens sic inclinationi, qua ipsum salutabit Episcopus.

41. Episcopus antequam donet benedictionem in exitu Missae, inclinationem faciet versus Cardinalem.

42. Sacro peracto, Episcopus redibit ad faldistorium et postquam discesserit Cardinalis dimittet paramenta sacra.

43. Quatuor supradicti Canonici, qui Cardinalem exceperint in accessu ad ecclesiam, advertent ut mature dimittant paramenta et resumant habitum choralem, rursus eum comitaturi ad portam ecclesiae simul cum ceteris de Clero, qui prius ipsum exceperunt.

DECRETA

S. Congregationis Caeremonialis
Habitae die 14. Decembris an. 1837.

Quum S. Congregatio Caeremonialis animadverterit, maxime opportunum fore, si methodus praefiniretur in Pontificalibus aliisque Missis solemnibus, quae in Cathedrali Ecclesia eius Urbis, ubi Emus Dominus Provinciae Legatus residet, ipso praesente, celebrantur, servanda, ut uniformitas tum in omnibus tum in sacris praecipue caeremoniis adeo commendanda hac quoque in re servaretur, omnibus rationum momentis hinc inde serio perpensis, ut Cardinalitiae simul et Episcopali dignitati foret consultum, sequentes regulas censuit decernendas:

Emus Legatus Rei Divinae in Cathedrali Ecclesia interfuturus ab Episcopo, si adsit, a Capitulo, nec non a Magistratu in Ecclesiae porta excipitur. Si tamen Episcopus ipse sit celebraturus, Emo Legato obviam ire non tenetur.

Aspersorium a digniore Canonico recipiet, quo se tantum signat, alios vero non aspergit.

Missam cum Celebrante, quisquis is sit, non incipit.

Sedem Episcopalem occupat, ubi, si non celebret Episcopus, Canonicum vel Canonicos assistentes potest habere, celebrante tamen Episcopo, non potest. Neutro autem in casu Presbyterum assistentem proprie dictum habere valet.

Hymnum Angelicum et Epistolam non legit; recitat tantummodo Hymnum praedictum ac Symbolum cum eo vel iis qui assistunt.

Benedictiones omnes et singulas Celebranti remittit.

Post Evangelium librum a Subdiacono porrectum osculatur.

Post oblata tantum thurificatur per Diaconum.

Pacem recipit per Presbyterum Episcopo assistentem, si Episcopus celebret; per Subdiaconum vero, si alius.

Indulgentiam publicare nequit iure ordinario.

Discedens ab Episcopo, Capitulo, et Magistratu ad portam deducitur, si Episcopus adsit, neque celebraverit; si vero celebraverit Episcopus, aliqui tantum ex Canonicis, qui antea sacris exuti sint paramentis, cum Magistratu Legatum comitantur.

Eadem tamen S. Congregatio declaravit, regulas praedictas ad Eminentissimos Dominos Legatos Ferrariensem, Foroliviensem, Ravennatem, atque Urbinatem et Pisauriensem tantummodo pertinere: ad Emum enim Legatum Bononiae quod spectat, causis sibi notis, rei huiusce examen differri voluit.

(Omittitur tenor aliorum decretorum)

Facta autem SSmo Domino Nostro ***GREGORIO PP. XVI.*** *per me infrascriptum Secretarium de praemissis omnibus relatione, idem SSmus Dominus Noster praefata Decreta non solum approbavit, sed inviolabiliter ab omnibus et singulis, ad quos ea spectant, servari praecepit: ne vero eorum ignorantia posset adduci, ea ipsa publicari atque opportune significari iussit. Hac die* 16. *Decembris anni* 1837. *SSmi Domini Nostri Pontificatus anno septimo.*

B. CARD. PACCA S. C. DECANUS ET S. C. CAEREMONIALIS PRAEF.

L. ✠ *S.*

Josephus de Ligne Secretarius.

DE MISSA PONTIFICALI AB EPISCOPO ORDINARIO AD FALDISTORIUM CELEBRATA.

CAPUT III.

1. Fieri forte potest, ut quadam circumstantia extraordinaria Episcopus ordinarius, cantans Missam solemnem, sedere faldistorio debeat, quemadmodum contigeret, si Cardinalis quidam Missae solemni interesset. In casu praedicto sequens methodus servabitur.

De rebus praeparandis.

2. Apud Altare SS. Sacramenti praeparabitur genuflexorium cum strato et pulvinis.

3. Altare maius ornabitur candelabris septem cum cereis et Cruce aequali candelabris ante candelabrum septimum posita: praeter tobaleas, pallium ac tapetum, super mensam Altaris disponentur paramenta missalia pro Episcopo, videlicet planeta, chirothecae, dalmatica, tunicella, pluviale, stola, Crux pectoralis, cingulum, alba, amictus et formale, quae contegentur velo coloris respondentis colori paramentorum: in latere Evangelii praeparabitur mitra pretiosa cum vimpa, seu velo pro Cappellano illius et in latere Epistolae altera mitra, idest auriphrygiata. Si fuerit Archiepiscopus, praeparabitur etiam s. Pallium in lance et tres spinulae in lance altera.

4. Ante gradus Ataris in latere Epistolae praeparabitur faldistorium cum veste concolori ceteris paramentis, et faldistorio ipsi supponetur suppedaneum ligneum, ut aliquantum extet ex pavimento, quod suppedaneum cooperietur tapeto laneo decenti.

5. Super abaco contecto alba tobalea in latere Epistolae, duo candelabra cum cereis aderunt pro Acolythis; antiphonarium pro intonatione et oratione Tertiae; canon pontificalis; scotula; caligae et sandalia cum duobus velis consuetis; urceus

cum pelvi; Epistolarium, Evangeliarium cum manipulo pro Episcopo; Missale in usum Episcopi cum cussino seu legili pro Altari; manipuli pro Ministris; thuribulum cum navicula; calix cum purificatoriis duobus; patena cum duabus hostiis, palla corporale intra bursam; gremiale aequale paramentis pro Episcopo; velum humerale pro Subdiacono; ampullae vini et aquae in pelvicula, in qua aderit etiam patera vitrea ad praegustationem faciendam; campanula; intorticia ad elevationem et formula Indulgentiarum. Si Magistratus intererit, praeparabitur etiam instrumentum pacis cum velo.

6. Prope Altare aderit baculus pastoralis, ac si fuerit Archiepiscopus, collocabitur versus latus Evangelii basis ad firmandam Crucem archiepiscopalem.

7. In latere Epistolae, scamnum usitatum pro Ministris, coopertum panno laneo, et pulvinus etiam utendus a Celebrante in genuflexione ad *Incarnatus*.

8. Ante Altare in medio Presbyterio, genuflexorium cum strato et pulvinis.

9. Ad cancellos presbyterii fanalia sex vel octo cum intorticiis aut cereis.

10. Thronus ornabitur lodicibus et pannis sericeis eius coloris, quem requirit officium itemque cathedra, prope quam ponetur pulvinus utendus in genuflexione ad *Incarnatus*: non tamen aderunt tria scabella pro Assistentibus.

11. In sedilibus chori vel alio loco praeparabuntur paramenta pro Canonicis et in promptu etiam erunt canistri ad recipiendam cappam vel superpellicium aut aliud insigne, cuius usu gaudebunt, quodque dimittent ut sibi induant amictum et paramenta.

12. In Sacrario disponentur paramenta pro sacris Ministris, videlicet pluviale pro Presbytero assistente; dalmatica, stola, cingulum, alba et amictus pro Diacono; tunicella, cingulum, alba et amictus pro Subdiacono. Cappellani a mitra, a baculo, a libro et scotula non induent pluviale. Aderit etiam vasculum aquae sanctae cum aspersorio, praeter superpellicea sufficienti numero pro inservientibus.

13. Si Ordinarius erit Archiepiscopus, praeparabitur etiam tunicella, cingulum, alba et amictus pro Subdiacono Crucifero.

14. Quum omnia quae ad Missam pontificalem pertinent, singillatim descripta sint capitulo IX. libri V. quin frustra repetamus eadem, innuemus actiones illas tantummodo, in quibus esse potest a rebus ibi descriptis aliquod discrimen.

15. Semel aut pluries in antecessum sacrae functionis sonabitur festivo more campanis.

16. Hora praestituta, expleta recitatione Officii usque ad horam canonicam, quae debebit Missam solemnem praecedere, sonabitur campanula Sacrarii et Canonici proficiscentur ad associandum Episcopum.

17. Hoc tempore se parabunt in Sacrario Presbyter assistens, Diaconus et Subdiaconus, qui parati quum erint, procedent ad Altare maius, praeeuntibus clericis et post reverentiam debitam Altari, sessum ibunt ad scamnum ipsis praeparatum.

18. Episcopus cappa indutus, associabitur a Canonicis: in ingressu ecclesiae accipiet aspersorium a digniore Capituli, se signabit et asperget adstantes. Adorabit SS. Sacramentum et procedet ad Altare maius, ante ipsum geniculabit utens genuflexorio ibi praeparato.

19. Interea Canonici induent sibi paramenta sacra respondentia eorum ordinibus. Parabitur etiam in Sacrario Subdiaconus crucifer, si Ordinarius erit Archiepiscopus et postquam paratus erit, accedet prope Altare.

20. Episcopus assurget, salutabit Crucem et veniet ad faldistorium, comitatus a Caeremoniario suo et sequente Caudatario, qui cappae extremitatem posteriorem sustentabit. Diaconis autem assistentibus non utetur.

21. Episcopus in faldistorio sedebit versis humeris ad Altare et a lateribus habebit Diaconum et Subdiaconum, qui iunctis manibus stabunt in pedes eodem statu. Presbyter assistens consistet prope Subdiaconum.

22. Quando parati erunt Canonici, Episcopus bireto caput nudabit, assurget, convertetur ad Altare et intonabit Horam tertiam. Presbyter assistens substinebit ei librum, dum cantabit *Deus in adiutorium.*

23. Primo psalmo intonato, sedebit et bireto cooperto capite, leget psalmos praeparationis *Quam dilecta*, alternatim cum Diacono et Presbytero assistente.

24. Subdiaconus perget ad abacum, accipiet caligas et sandalia contecta duplici velo et comitantibus quatuor clericis cum cubiculario, redibit ante Episcopum, qui caligis et sandaliis induetur.

25. Postquam Episcopus induerit caligas et sandalia, Subdiaconus ad abacum reportabit lancem cum duobus velis et redibit ad sinistram Episcopi, qui caput aperiet, assurget ad Altare convertetur ad *Kyrie* et ad reliquas preces. Chorus sedere perget.

26. Episcopus deinde sedens recitabit orationes ad paramenta.

27. Hoc tempore distribuentur clericis paramenta episcopalia.

28. Absoluta orationum praedictarum recitatione, recedent cappellani a libro et scotula; tum Episcopus, adiuvantibus Diacono et Subdiacono, dimittet cappam, quam recipiet cubicularius eius, qui advertet ut expediat vestis eius extremitatem posteriorem.

29. Presbyter assistens tollet annulum Episcopo et consistet prope dexteram eius.

30. Episcopus sedens lavabit manus eique porrigetur mantile a Presbytero assistente, qui post actionem istam recedet versus scamnum Ministrorum.

31. Ad lotionem manuum Episcopi, Canonici et Praelati, si aderunt, consurgent, ceteri autem geniculabunt.

32. Post haec Diaconus, adiuvante Subdiacono, parabit Episcopum amictu, alba, cingulo, Cruce pectorali, stola et pluviali, cui apponet formale. Deinde imponet ei mitram auriphrygiatam eique facta cum Subdiacono reverentia, perget iunctim cum Subdiacono eodem ac Presbytero assistente ad scamnum ipsis praeparatum, ibique sedebunt usquedum absolutus erit cantus psalmorum Tertiae.

33. Notandum autem, quod tres praedicti Ministri in sedendo debent animadvertere, ut Presbyter assistens stet propius Episcopum, Diaconus in medio sive a dextris sive a si-

nistris Presbyteri assistentis et Subdiaconus post Diaconum sive a sinistris sive a dextris eius, pro scamni eiusdem positione.

34. Canonici consuetum circulum efficient, quando parabitur Episcopus.

35. Dum in cantu repetetur antiphona post psalmos Tertiae, venient supradicti Ministri ante Episcopum, quem reverentia salutabunt; ipse autem, completo cantu antiphonae, assurget et ad Altare convertetur.

36. Subdiaconus cantabit Capitulum Tertiae.

37. Cantores duo, superpellicio iuduti, in medio presbyterio cantabunt Responsorium.

38. Ad versiculum Diaconus exuet mitram Episcopo.

39. Accedent ad Episcopum duo Acolythi cum candelabris.

40. Episcopus cantabit orationem Tertiae et Presbyter assistens substinebit ei librum.

41. Deinde clericis distribuentur reliqua paramenta.

42. Interim Diaconus exuet Episcopo formale et pluviale, atque adiuvante Subdiacono, induet eum tunicella, dalmatica, chirothecis et planeta.

43. Si fuerit Archiepiscopus, Subdiaconus a Cruce ascendet ad Altare, accipiet s. Pallium et cum clerico uno, qui accipiet lancem cum spinulis, accedent ad Episcopum, cui Diaconus imponet s. Pallium.

44. Diaconus induet ei mitram pretiosam et cum Subdiacono reverebitur eum.

45. Presbyter assistens annulum inseret digito annulari dextro Episcopi, tum consistet a dextris eius.

46. Episcopus baculum pastoralem sinistra accipiet.

47. Diaconus cum Subdiacono manipulum assument prope abacum et Subdiaconus accipiet etiam Evangeliarium cum manipulo Episcopi; redibunt ad eum, Diaconus consistet a sinistris eius et Subdiaconus a sinistris Diaconi.

48. Episcopus procedet ad Altare medius inter Ministros, ordine supradicto, benedicet Clerum et ante Altare dimittet baculum, tum a Diacono nudabitur mitra.

49. Exordietur Missam ritu usitato. Quum ascendet ad Al-

tare, Diaconus transibit ad eius dexteram et Subdiaconus approximabit ad sinistram. Presbyter assistens transibit in latus Evangelii, praesentaturus ei textum Evangelii, quod osculabitur.

50. Diaconus ministrabit incensum et Episcopus ritu consueto adolebit Altare.

51. Thuribulo Diacono restituto, mitra pretiosa ei rursus imponetur a Caeremoniario.

52. Postquam thurificatus fuerit, recipiet baculum, reverebitur Crucem Altaris et revertetur ad faldistorium, medius inter Ministros, de Altari descendens a latere.

53. Sedebit faldistorio, nudabitur mitra a Diacono, assurget, convertetur ad Altare, leget introitum et recitabit *Kyrie.*

54. Intonabit deinde *Gloria in excelsis* et ad intonationem Presbyter assistens sustinebit ei librum, Diaconus stabit a tergo eius et Subdiaconus post Diaconum.

55. Post intonationem Diaconus et Subdiaconus accedent ad latera eius et Presbyter assistens librum relinquet respectivo Cappellano.

56. Recitato *Gloria* cum Ministris, sedebit et a Diacono reponetur ei mitra auriphrygiata et gremiale.

57. Ministri quoque sessum ibunt ad scamnum praeparatum, ordine supra innuto.

58. Cappellani ceterique clerici sedebunt in gradibus lateralibus Altaris.

59. In fine hymni angelici redibunt Ministri ante Episcopum et Diaconus tollet ei gremiale ac mitram.

60. Ad *Pax vobis* et orationes, ut ad intonationem *Gloria.*

61. Post orationes sedebit Episcopus et a Diacono reponetur ei mitra et gremiale,

62. Diaconus cum Presbytero assistente sessum recedent.

63. Subdiaconus cantabit Epistolam ritu consueto.

64. Post Epistolam, Subdiaconus osculabitur manum Episcopi eique sustinebit Missale, ex quo leget Epistolam, Graduale, *Munda cor meum* et Evangelium. Presbyter assistens, post cantatam Epistolam, accedet ad sinistram Episcopi eique monstrabit quae sint legenda.

65. Diaconus, quum tempus erit, Evangeliarium afferet ad Altare, deinde accedet ad dexteram Episcopi.

66. Postquam Episcopus legerit Evangelium, Diaconus ei ministrabit incensum, tum revertetur ad Altare, recitabit *Munda cor meum*, accipiet librum, veniet ante Episcopum et benedictionem ab ipso petet; benedictione autem accepta, osculabitur manum eius.

67. Ritu consueto cantabitur Evangelium.

68. Caeremoniarius ante cantum Evangelii tollet Episcopo gremiale et mitram.

69. Episcopus ad cantum Evangelii assurget, convertetur versus Diaconum, signabit se, baculum accipiet eumque iunctis manibus continebit, donec Evangelii cantus absolutus erit. Tum dimittet baculum, osculabitur librum ac thurificabitur.

70. In intonatione *Credo* observabitur quod innuimus in intonatione hymni *Gloria*.

71. Episcopus ad cantum *Credo* sedebit itemque Ministri et clerici.

72. Sub finem *Credo* redibunt Ministri ante Episcopum et Diaconus tollet ipsi gremiale et mitram.

73. Ad *Dominus vobiscum* et ad *Oremus* fiet idem ut in intonatione *Gloria*. Presbyter assistens, postquam Episcopus cantaverit *Oremus*, relinquet Missale in manu Cappellani a libro.

74. Postquam Episcopus legerit ℣. Offertorii, sedebit et Diaconus reponet ei mitram pretiosam. Deinde Diaconus veniet ad dexteram, Subdiaconus ad sinistram Episcopi, Presbyter assistens tollet ei annulum, Ministri chirothecas. Episcopus lavabit manus; ad actionem istam consurgent Canonici, ceteri geniculabunt. Presbyter assistens porriget Episcopo mantile et eius digito reponet annulum.

75. Postea Presbyter assistens et Subdiaconus pergent ad abacum; primus accipiet cussinum vel legile cum Missali et portabit ad Altare, comitatus a Cappellano cum scotula: Subdiacono autem imponetur velum humerale: accipiet calicem eumque deferet ad Altare, quando illuc ascendet Episcopus.

76. Ad nutum Caeremoniarii, videlicet quum Presbyter assistens collocaverit super Altare et aperuerit Missale, Episcopus accipiet baculum, assurget, de faldistorio discedet, benedicet Clerum et procedet ante Altare. Quo quum venerit,

baculum dimittet; a Diacono ei tolletur mitra, ascendet ad Altare, quod osculabitur in medio, et prosequetur Missam ritu consueto, sed cum exceptionibus quae sequuntur.

77. Caeremoniarius reponet Episcopo mitram post thurificationem eique tollet eam postquam laverit manus.

78. Diaconus adolebit Episcopum, deinde Presbyterum assistentem. Accedet ad chorum, incensabit Dignitates et Canonicos: redibit ad Altare, incensabit Subdiaconum et restituet thuribulum Caeremoniario vel thuriferario, a quo ipse thurificabitur.

79. Episcopus pacem praebebit Presbytero assistenti, Diacono et Subdiacono. Si duo praedicti Ministri S. Eucharistiam accipient, pacem eis praebebit postquam de sacra mensa paverit ipsos.

80. In fine Missae, si fuerit Archiepiscopus, Subdiaconus crucifer genibus flexis sustinebit Crucem archiepiscopalem ante Altare, ad quam conversus Archiepiscopus benedictionem donabit, non utens mitra.

81. Indulgentia publicabitur a Presbytero assistente.

82. Post benedictionem, Episcopus Altare et seipsum signans, incipiet recitare Evangelium S. Ioannis, a Diacono rursus cooperietur mitra, accipiet baculum sinistra et medius inter Ministros redibit ad faldistorium, recitans Evangelium praedictum, ubi illud complebit. Si fuerit Archiepiscopus, Pallium dimittet super Altari, postquam donaverit benedictionem et publicatae fuerint indulgentiae.

83. Ministri dimittent manipulos et Episcopum exuent sacris paramentis, quae a clericis recipientur et referentur ad Altare.

84. Episcopo sacris vestibus exuto alligabitur a Cubiculario extremitas posterior vestis et a Ministris ipsis, adiuvante Cubiculario, reponetur cappa.

85. Canonici sive in choro sive in Sacrario dimittent paramenta et resument habitum choralem unicuique proprium. Etiam Presbyter assistens deponet pluviale et habitum choralem resumet.

86. Postquam Ministri cappam Episcopo reposuerint, Subdiaconus perget ad abacum, recipiet lancem cum velis et co-

mitantibus clericis quatuor cum cubiculario, redibit ante Episcopum, qui dimittet sandalia et caligas et a cubiculario suo reponentur ei calceamenta usualia.

87. Subdiaconus reportabit ad abacum caligas cum sandaliis, redibit ad sinistram Episcopi, eique assistere cum Diacono prosequetur, donec absolverit recitationem precum ad gratiarum actionem.

88. Post haec Episcopus associatus, ut in principio, revertetur ad residentiam suam.

89. Episcopo de Altari profecto, Ministri sacri, clericis comitantibus, se recipient in Sacrarium, ubi vestes sacras dimittent.

SACRA SUPPELLEX
QUAE OPUS EST EPISCOPO
AD FUNCTIONES ECCLESIASTICAS PERAGENDAS

CAP. IV.

Vasa sacra ex argento inaurato.

Calix cum patena.

Pixis cum operculo.

Baculus pastoralis in partes plures resolvendus ad maiorem commoditatem.

Vasculum aquae sanctae cum aspersorio. Globus perforatus, qui est in summitate aspersorii, aperietur in binas partes, ut possit abstergi.

Capsula rotunda cum operculo ad conservandas hostias et particulas, quae quum non adhibeatur ad reponendam S. Eucharistiam, carebit Cruce in summitate.

Scotula.

Urceus cum pelvi.

Lances orbiculati sex numero, qui adhibentur pro caligis et sandaliis, pro chirothecis, pro annulo, pro pileolo, pro mantilibus, pro medulla panis et mali medici.

Ampullae vini et aquae.

Pelvicula formae ovatae pro ampullis antedictis.

Campanula pro elevatione.

Cochleare parvum cum patera perexigua ad infundendam aquam in calicem.

Alterum cochleare maioris formae ad extrahendam e calice S. Particulam in consecratione Episcoporum.

Cochleare ingens ad effundendos odores super ignem in benedictione campanarum.

Cochleare conchatum cum manubrio ad fundendam aquam in administratione baptismatis.

Ligula, seu cochleare exiguum cum manubrio eburneo ad instar illius, quo utuntur fabri caementarii, quod adhibendum est in demittendo caemento in sepulcrum Reliquiarum, quum consecrantur Altaria.

Altera ligula seu cochleare simile maioris formae cum manubrio ex ebeno ad iniiciendam calcem in Altare, cuius mensa erit operculum sepulcri Reliquiarum.

Phialae duae vitreae cum operculis binis, quorum alterum erit in cochleam retortum ad afferendum vinum et aquam, quibus opus est in Missa.

Forfices e chalybe cum manubrio argenteo inaurato ad primam tonsuram signandam.

Vascula numero tria cum operculis similibus, adhibenda pro sacris Oleis, distincta literis, unum CHR. alterum CAT. tertium INF. quae literae oportet ut sint incisae in vasculo ipso, non vero in operculo, excepto casu quo vasculo coniuncta ita essent opercula, ut nullus esset errori locus de sacrorum Oleorum qualitate.

Pelvicula formae ovatae pro vasculis praedictis.

Ampullae duae cum manubriis, cum operculis et cum epistomiis subtilibus, una distincta literis CHR. altera literis CAT. quorum usus in consecratione Altarium et in benedictione fontis baptismalis.

Pelvicula formae ovatae pro ampullis huiusmodi.

Vasculum operculo instructum, quo contineatur sal utendus in administratione baptismatis et intra illud aderit vas vitreum, ne argentum sale corrodatur.

Formale seu rationale pro pluviali, et habebit unculum maiorem in parte aversa, ut apponi possit fibulae pluvialis ipsius. Poterit in eo expressa esse imago Spiritus Sancti, vel Sancti Patroni vel sacri alius obiecti et poterit etiam distingui gemmis et unionibus.

Instrumentum Pacis, in quo figurata erit Resurrectio vel aliud mysterium Passionis divini Redemptoris.

Rudicula ad miscendum balsamum in consecratione S. Chrismatis.

Patera cum operculo, qua contineatur balsamum in consecratione S. Chrismatis.

Cuspis e chalybe, ponenda in extremitate inferiori baculi pastoralis, ad signanda super cinerem bina alphabeta in consecration ecclesiarum.

Paterae duae sine operculo ad praegustationem in pontificalibus faciendam a Sacrista et a structore mensae.

Thuribulum cum navicula et cochleari.

Vasa argentea non inaurata pro officiis ferialibus et mortuariis.

Calix cum patena.

Capsula cum operculo ad conservandas hostias.

Scotula.

Urceus cum pelvi.

Duae lances orbiculatae pro mantili et pro pileolo.

Campanula.

Ampullae vini et aquae.

Pelvicula ovatae formae pro ampullis.

Cochleare ad infundendam aquam in calicem.

Phialae duae pro vino et aqua cum operculis binis, quorum alterum in cochleam retortum, argenteis.

Formale pro pluviali, in quo sit expressa aliqua imago sacra, sed sine ornamento gemmarum.

Vasculum aquae sanctae cum aspersorio.

Res omnes supra descriptae custodientur in vagina instar

arcae, quae convestiri solet pelle colorata cum stemmate in medio. In parte inferiori vaginae ipsius solet esse vacuum quoddam cum duplici arcula ad reponenda paramenta functioni necessaria.

Res lintearia.

Amictus quatuor cum exiguo textili pinnato in extremitatibus et cum taeniis sericeis, quas licebit variare pro colore paramentorum.

Alba una nobilis, quae in textili pinnato manicarum habebit interne paramanus coloris rubini, ad conservandum ipsum textile pinnatum (*a*).

Alba altera minus nobilis cum paramanibus ut supra, coloris violacei, pro functionibus ferialibus et mortuariis.

Purificatoria numero decem e tela subtili, ornata textili pinnato.

Mantilia seu manutergia numero quatuor, e tela subtili, ornata textili pinnato.

Corporalia duo e tela subtilissima ornata exiguo textili pinnato lineo in extremitatibus.

Pallae duae similes corporalibus (*b*).

Gremiale ex tela linea instructum pariter textili pinnato in extremitate, cum taeniis sericeis albi coloris, cuius usus est in ordinationibns, consecrationibus etc. tempore sacrarum unctionum.

Tobalea ex tela subtili cum opere phrygio lineo vel textili pinnato in extremitatibus, ponenda super genua Episcopi

(*a*) Probari nullo modo potest immodicus usus reticulorum, vulgo *merletti*, ita ut quandoque alba praeter perparvam telae partem, sit ferme tota ex reticulo seu textili pinnato. Hac in re videtur non parum levitatis apparere, praesertim si textile pinnatum magni pretii saltem non esset.

(*b*) In memoriam revocamus, quod interdicitur palla contecta charta crassa, vulgo *cartone,* et panno serico phrygiato ornata in parte superiori. Eo demum processit rerum novarum effraenata cupido, ut quadam in ecclesia, ubi Missa de requie celebrata fuit ab Episcopo, adhiberi viderim pallam contectam panno nigro cum Cruce in medio phrygiata argento, similem lodici nigrae, qua solet exornari feretrum mortuarium.

quum distribuit candelas, cineres et palmas in respectivis functionibus.

Superpellicea crispata pro cappellanis, distincta exiguo textili pinnato.

Paramenta

Planeta nobilis albi coloris cum aequali suo complemento, stola videlicet, manipulo, velo calicis, bursa corporalis, gremiali, veste Missalis et cussino pro Missali eodem.

Planeta rubri coloris cum omni instrumento simili praecedenti. Planetae istae duae nobilissimae essent oporteret, quoniam adhibentur diebus solemnioribus. Ceterae quae infra notantur, sunto minus nobiles; videlicet

Planeta viridis coloris cum ornamento superius notato;

Planeta coloris violacei cum ornamentis, ut supra;

Planeta nigra in totum, ut supra (*a*)

Canistri plani (vulgo *zaine*) ad paramenta, cum opus sit, deferenda, cum velis maioribus sericeis cooperiendi causa paramenta ipsa. Solent huiusmodi canistri cooperiri panno serico concolore paramentis. Color vestis et velorum in praedictis canistris parvi referet qualis sit, siquidem adhibenda non sunt in actu functionis.

Caligae et sandalia ornata taeniis ex auro lamato, coloris albi, rubri, viridis et violacei (*b*)

Chirothecae sericeae ansulatae, phrygiatae auro in medio et in extremitatibus, coloris albi, rubri, viridis et violacei.

Dalmatica ac tunicella e panno levi ornatae taenia aurea, et

(*a*) Visum est quibusdam Episcopum dedecere usum coloris nigri in paramentis sacris. Id autem obstat rubricis, Caeremoniali Episcoporum et disciplinae veteri ac recenti, quae constanter eadem ab Ecclesia servata est. Inspiciatur opusculum Praesulis Dominici Giorgi de vestibus sacris violaceis et nigris Summi Pontificis. Huic tamen rei consuluit recenter S. Rituum Congregatio, decreto a nobis relato in libro primo pag. 375.

(*b*) Errant qui putant super sandalium ponendam esse Crucem phrygiatam, hoc enim ornamentum proprium est tantum Summi Pontificis, cuius osculantur pedes. Contra regulam etiam est apponere florem formae quadratae, in similitudinem Crucis, propter aequivocationem, quae inde oritur.

coloris albi, rubri, viridis, violacei et nigri. Advertatur differentia manicarum; videlicet latiores erunt et breviores in dalmatica, angustiores et longiores in tunicella.

Velum sericeum albi coloris subtile in formam stolae latae et longae cum laciniis aureis in extremitatibus, quae *vimpa* vulgo dicitur, et ipsa utitur Cappellanus quum defert mitram.

Cingula sericea auro intexta coloris albi, rubri, viridis. violacei et nigri.

Mitra pretiosa e serico argenteo, illusa auro et distincta gemmis.

Mitra auriphrygiata, sive e serico aureo cum ornamentis taeniae lamatae in extremitatibus et cum laciniis aureis in fine vittarum.

Tum pretiosa, tum auriphrygiata subsutae erunt serico rubro coccineo.

Mitra simplex damascena albi coloris, vel ex tela alba, cum laciniis rubri coloris coccinei in extremitate vittarum (*a*).

Vagina ad reponendas et portandas mitras.

Pluvialia ex lama, auro distincta, coloris albi, rubri, violacei et nigri. Illa duo coloris albi et rubri adhibenda in solemnitatibus, erunt nobiliora. Pluviale autem viridis coloris, quia videtur inutile, supersedimus recensere.

Velum humerale albi coloris cum opere phrygio aureo, in processionibus et in benedictionibus cum SS. Sacramento adhibendum.

Paramanus, seu velum albi coloris cum lemniscis ornatum aurea lacinia, apponendum cereo in festo Purificationis B. Virginis et Cereo paschali in benedictione fontis baptismalis.

(*a*) Inscitia phrygionum seu tapetium institorum invectus est (non multis abhinc annis) usus mitrae ex lama argentea sine opere phrygio, cum fimbriis aureis in usum Episcoporum in suis dioecesibus loco mitrae simplicis lineae aut damascenae. Perpendantur expressiones Caeremonialis Episcoporum et inde apparebit, quam dedecens et abusiva sit consuetudo ista, ideoque reiicienda.

Libri

Pontificale in partes quatuor divisum.

Canon pontificalis.

Missale.

Manuale chorale, pro antiphonis, hymnis et orationibus in Vesperis, Matutinis et Laudibus.

Reliqua suppellex

Crux pectoralis aurea vel argentea inaurata aut metallica inaurata, in qua conditae erunt Reliquiae Sanctorum martyrum. Crux erit ex toto clausa sine crystallo, ne Reliquiae conspici possint. Poterit etiam ornari gemmis. Habebit chordulam sericeam viridis coloris, auro intextam, ut collo possit suspendi (*a*).

Annulus nobilis utendus super chirothecis in functionibus pontificalibus.

Faldistorium cum singulis vestibus coloris albi, rubri, viridis et violacei (*b*).

Bina vela et serico simplici in singulos colores, album nempe, rubrum, viridem et violaceum, ad caligas et sandalia deferenda.

Si Magistratui mos erit ministrandi lotionem Episcopo, comparanda sunt vela humeralia sericea sine opere phrygio et cum tenui ornamento laciniae aureae in fimbria, quorum colores erunt albus, rubrus et violaceus (*c*).

(*a*) Non ita pridem chordulae sericeae substituta est catena aurea. Servari usus chordulae in functionibus sacris saltem posset.

(*b*) Quandoquidem faldistorium vice fungitur throni, ideo secundum regulas a Caeremoniali Episcoporum statutas, convestiendum esset lodicibus tantum sericeis, non vero lamatis, siquidem Episcopis interdicuntur in throno lodices lamatae, quae conveniunt Cardinalibus tantummodo. Et quia thronus nunquam convestitur lodicibus nigri coloris, sic faldistorium in Missis mortuariis cooperiendum esset vestibus violaceis. Haec ratio est, cur in paragrapho ista de veste nigri coloris pro faldistorio mentionem non fecimus.

(*c*) Raro admodum contingit, ut Episcopus solemniter pontificet quo die color officii sit viridis, ideoque de velo humerali simplici huius coloris nulla

Si fuerit Archiepiscopus, opus est Crux archiepiscopalis argentea inaurata, Crucis autem hasta ad maiorem commoditatem poterit in plures partes resolvi.

Capsula cum operculo formae oblongae, subsuta serico ad custodiendum S. Pallium.

Tres spinulae aureae, gemmatae in summitate, figendae S. Pallio (a).

Vela exigua quatuor sericea ornata taenia aurea, in singulos colores, album, rubrum, viridem et violaceum ad contegendum S. Pallium.

Velum ex villoso serico violaceo ornatum auro in fimbriis ad convestiendam Crucem archiepiscopalem tempore Passionis. Velum hoc instructum erit lemniscis similibus ex parte interiori extrahendis in Dominica Palmarum ad ligandam palmam Cruci eidem, tempore functionis.

Res Sacello privato necessariae.

Altare cum sex candelabris, Cruce, charte gloriis, tobaleis, legili, Missali ac tapeto.

Ceterae tobaleae variandae, quando opus est.

Genuflexorium parvum cum pulvinis duobus, uno videlicet brachiis, altero genibus supponendum.

Abacus contectus alba tobalea.

Altera tobalea substituenda in abaco.

Una duaeve mappulae pro Communione.

mentio facta est. Item non praescripsimus velum humerale nigri coloris, quoniam in officiis mortuariis nullus est veli humeralis usus. Si Magistratus in functione Feriae VI. in Parasceve aut in aliqua Missa de requie ministraret lotionem Episcopo, suppleri posset velo humerali violaceo, quod velum a Magistratu laico adhibetur observantiae gratia.

(a) Spinulae Pallii habere debent tres lapides pretiosos in summitate, unum praestantiorem altero, ut possint gradatim poni super pectus et super humeros. Forma illarum erit similis non spinae, sed potius gladiolo, ut sint visibiles, quemadmodum apparet ex ocellis, qui in Pallio ipso conspiciuntur.

In usum Episcopi.

Planeta stola, manipulus, bursa corporalis et velum calicis omnia e serico et subsuta serico simili cum ornatibus aureis, coloris albi.

Altera similis coloris rubri.

Altera coloris viridis

Altera coloris violacei.

Altera coloris nigri (*a*).

Crux pectoralis aurea vel inaurata cum chordula sericea viridi.

Cingula sericea colorum eorumdem.

Albae ex tela subtili cum exiguo reticulo.

Numerus sufficiens amictuum ex tela subtili sine reticulo.

Numerus sufficiens purificatoriorum, ut supra.

Mantilia seu manutergia ex tela subtili sine reticulo.

Corporalia cum pallis.

Calix cum patena ex argento.

Pelvicula ovata pro ampullis.

Ampullae vitreae.

Campanula.

Scotula.

Urceus cum pelvi

Lances duae pro pileolo et pro manutergio.

Instrumentum pacis.

Canon pontificalis.

Mitra auriphrygiata pro Confirmatione.

Rochetum simplex pro Missa, pro confirmatione, benedictione rerum sacrarum etc.

Vasculum argenteum S. Chrismatis cum lance aequali.

Capsula ad continendum gossipium.

(*a*) Improbandus est malus usus a quibusdam invectus, utendi una tantum planeta coloris flavi vel una virgata lineis versicoloribus. Leges ecclesiasticae colorem flavum non admittunt, planetae versicolores, quum absit color definitus, nullius coloris sunt. Episcopus, quum abusiones in ecclesiis et Sacellis privatis tollat oporteat, cavebit illas ne admittat in suum.

Libellus cum ritu Confirmationis.

Stola albi coloris distincta ad rem eamdem.

Faldistorium cum veste albi coloris utendum in Confirmatione.

Tela stragula pro Altari.

Tentoriolum violaceum seu velum ad velandam imaginem sacram Passionis tempore.

Velum Crucis violaceum eodem tempore adhibendum.

Vasculum aquae sanctae cum aspersorio.

Concha aquae sanctae in ingressu Sacelli.

In usum Cappellani.

Planeta albi coloris cum stola, manipulo, velo calicis et bursa corporalis cum ornatibus sericeis et cum panno ex tela subsuto.

Altera similis rubri coloris.

Altera coloris viridis.

Altera coloris violacei

Altera nigri coloris.

Cingula linea.

Albae et amictus.

Purificatoria, corporalia et pallae.

Mappullae pro ampullis.

Calix cum patena.

Capsula ad custodiendas hostias.

Pelvicula formae ovatae cum ampullis distinctis.

Superpellicia usualia pro Cappellanis.

Armarium ad custodienda omnia quae descripta sunt, quod poterit esse usui Cappellano ipsi, quum induturus erit vestes sacras ad rem divinam peragendam. (a)

(a) Utensilia sacra, cuiusque generis ea sint, ab Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Commendatariis ac quibusque beneficiatis in eorum obitu relicta, debentur cathedralibus, collegiatis et ecclesiis, quarum beneficium obtinuerunt, ex constitutione s. Pii V. *Romani Pontificis providentia* dat. 18 Septembris 1567.

CAPUT V.

Visitatorum utilitati consulentes, praemonuimus capite XXXVI. num. 3. libri huius, in calce eiusdem insertum iri instructiones desumptas ex opere P. Bartholomaei Gavanto, cui titulus Praxis compendiaria Visitationis. *Aliter tamen egimus, et loco earum referimus brevem methodum sacrae Visitationis, quae inter opuscula Benedicti XIII. extat concinnata pro Ecclesia Beneventana, eo quod utilior nobis visa est.*

BREVIS METHODUS SACRAE VISITATIONIS

Localis Realis et Personalis.

VISITATIO LOCALIS ET REALIS

PARS PRIMA

§ I.

De sanctissima Eucharistia

Pyxis.
Auro linita intus.
Particulae :
Fragmenta :
Renovatio.
Velum sericum album externum Pyxidis.
Pyxis pro infirmis.
Corporale stratum pro capacitate cellulae Tabernaculi.
Vestis interior alba.
Tabernaculum.
Clavis argentea.
Basis tabernaculi vacua, nisi sit intra gradus.
Conopoeum et an quatuor colorum ?.
Vas pro purificatione cum pelvicula.
Scabellum.
Lampas ardens cum pomulo ex auricalco.
Tabernaculum gestatorium pro Processione, sive sphera cum tegumento.
Monumentum pro feria V. in Coena Domini.
Velum album pro humeris longum pal. 9.
Bursa cum chordulis alba pro rurali Communione.
Baldachinum pro expositione.
Baldachinum pro ministratione Ss. Viatici in domo infirmi.
Umbella gestatoria alba.
Baldachinum hastatum.
Laternae saltem tres et hastatae cum earum basi immobili foraminata pro conservatione.
Intorticia saltem sex.

§ II.

De Baptisterio.

Qualis fons.

Aqua.
An renovetur bis in anno ?
Cochlear argenteum pro infundenda aqua, in baptisteriis aptatis ad Baptismum per infusionem.
Vasa, saltem stamnea, cum bombacio madido sacrorum Oleorum Chrismatis et Cathecumenorum.
Pelvicula saltem stamnea pro sale.
Lintea crispata ad tegenda capita loco vestis candidae.
Ciborium fontis ligneum cum veste interiori alba.
Stolae duae acuminatae, una violacei et altera albi coloris.
Conopoeum.
Imago Sancti Ioannis Baptistae Christum baptizantis ornamento circumdata.
Umbella.
Sacrarium.
Cancelli.

§ III.

De Oleis sacris.

Armarium in Ecclesia a latere Evangelii Altaris maioris.
Inscriptio impressa maiusculis literis.
Ornatus exterior et interior bipartitus coloribus albo et violaceo respective.
Vas cum bombacio madido Olei Infirmorum et siccum superius, intus capsulam corio coopertam.
Bursa violacea.
Ampullae tres pro deferendis a Cathedrali Oleis sacris.
Arcula cum clavi: et si mittatur; qui deferat ad tenorem Constitutionum Synodalium.
Renovatio.
Combustio veterum Oleorum in lampade Sacramenti.

§ IV.

De sedibus Confessionalibus.

Sedes in publico.
An sera claudi queat, ne laici sedeant?
Lamina forata.
Velum spissum, vel crates ligneae.
Imago pia ex parte poenitentis circumdata ornamento.
Casus Bullae Coenae, et casus Episcopo reservati, hinc inde interius affixi.
Stola violacea propria.

§ V.

De Sacris Reliquiis.

Armarium.
Inscriptio.
Claves.
Vestis interior.
Thecae propriae.
Nomina Reliquiarum.
Approbatio.
Expositio.
Officia divina.
Festa.

§ IV.

De Altari necessariis.

Patronus.
Dos Altaris pro reparatione.

Onera Missarum cum redditu correspondenti.
Satisfactio.
Titulus beneficii, si adsit.
Festum.
Privilegium defunctorum.

§ VII.

De ipso Altari.

Gradus ad illud.
Suppedaneum ligneum.
Pallia varia.
Stipes cum angulis lapideis.
Fenestellae nullae in eo.
Tela stragula,
Pulvinaria, sive legile ligneum.
Mappae tres sine Cruce, vel una duplicata, altera longa desuper expansa.
Earum benedictio.
Mutatio mapparum,
Ara lapidea expolita.
Consecratio totius, sive Altare portatile.
Tela cerata, si totum Altare sit sacratum.
Gradus in eo.
Crux.
Candelabra.
Vasa florum similia.
Instrumentum rotundum ligneum pro firmandis candelis.
Tabella secretarum.
Tabella ultimi Evangelii.
Icon.
Statuae.
Umbella.
Fenestra urceorum extra stipitem, sive abacus lapideus in cornu Epistolae.
Emunctorium cum hasta, vulgo *smoccolatoio*.
Clavus pro bireto Sacerdotis, nisi sufficiat abacus.
Campanula.
Cerostata, vel saltem unum pro Cereo Paschali in Altari maiori.
Cancelli.

§ VIII.

De Ecclesiae necessariis.

Titulus Ecclesiae.
Dedicatio.
Festum utriusque.
Alia festa propria.
An illicita in ipsis?
Indulgentiae.
Stationes.
Oratio XL. horarum.
Patronus.
Dos pro reparatione.

§ IX.

De ipsa Ecclesia.

Tectum.
Annua pensio ad sarta tecta.
Contignatio, vel fornix.
Parietes.
Fenestrae.
Imagines sanctorum.
Naves ecclesiae.
Pavimentum.

§ X.

De sepulturis.

Sepulturae pro Clero.
Pro viris.
Pro mulieribus.
Pro pueris.
Duplices lapides.

Inscriptio.

§ XI.

De nonnullis in aliquibus Ecclesiis.

Confessio sub Altari maiore.
Crux magna in alto loco cum Salvatoris imagine.
Sedes pontificalis cum gradibus et umbella.
Genuflexorium pro Episcopo.
Scabellum pro concionibus parochialibus.
Cathedrae pro disputationibus Doctrinae Christianae.
Pulpitum.
Organum.
Epistomium, vulgo *Coretto*.

§ XII.

De reliquis omni Ecclesiae communibus.

Divisio sexus.
Sedes mulierum et populi.
Armaria.
An profana serventur ibi?
Arculae eleemosynarum.
Inscriptio Dedicationis ornata.
Epitaphia indecora.
Vasa aquae benedictae.
Porta.
Super eam imago.
Crux in culmine.
Parietes externi crustati, vulgo *arricciati*.
Fovea exterior, ut aqua decurrat.
Remotio arborum.

§ XIII.

De Choro.

Sedes.
Legilia.
Psalterium.
Antiphonarium.
Graduale.
Breviaria.
Martyrologium.
Calendarium expositum.
Pontificale.
Caeremoniale.
Directorium.
Rituale pro Processionibus.

§ XIV.

De Sacristia.

Portae.
Claves.
Tectum.
Contignatio, vel fornix.
Parietes.
Fenestrae tutae.
Pavimentum.
Labrum ad lavandas manus.
Trochlea, vulgo *girella*.
Manutergia.
Oratorium.
Imagines devotae cum ornamento.
Tabellae precum ante et post Missam cum ornamento.
Tabellae onerum Missarum.
Tabella pro clerico parochiano.
Edictum pro Processione SS. Viatici.
Distributio tabellarum.
Calendarium.
Rituale Romanum.
Armaria ad formam (*Rettore co-*

clesiastico tit. 19. num. 10. e seg.)
Inscriptio colorum.
Pannus super mensam.
Archivium.
Arcae.
Pennularium.

§ XV.

De sacra suppellectili Missali.

Missalia.
Signacula.
Calices.
Patenae.
Thecae eorum.
Purificatoria.
Corporalia et pallae.
Vela.
Bursae.
Cotyla hostiarum cum plumbo.
Amictus.
Albae.
Cingula.
Manipuli, stolae et casulae quinque colorum.
Dalmaticae.
Tunicellae.
Planetae plicatae.
Pluvialia.
Vela pro humeris.
Pallia quinque colorum.
Vestes pro Crucibus violaceae in hebdomada Passionis.
Pulvinaria pro genibus.
Superpellicia.
Mappulae ad manus tergendas.
Aliae ad usum Communionis.
Urceoli et pelviculae.
Campanulae.
Vas ad lavanda corporalia.
Piscina sacra.

§ XVI.

De ceteris suppellectilibus ecclesiasticis.

Crux processionalis cum hasta palmorum septem.
Thuribulum cum navicula.
Vexilla in Ecclesiis inferioribus.
Vas aquae benedictae cum aspergillo.
Tabella pacis.
Vasa florum fictorum.
Instrumentum conficiendarum hostiarum et particularum.
Duo alia instrumenta pro tondendis hostiis et particulis.
Capsula pro praedictis.
Cribrum pro particulis.
Legilia.
Triangulum pro triduo hebdomadae maioris.
Tabula pro strepitu.
Feretrum.
Candelabra mortualia.
Pannus mortuorum sine Crucibus.
Pellis mortualis.
Scopae, penniculi, vulgo *spazzarine*.
Inventarium praedictorum.

§ XVII.

De campanili.

Clavis.
Ostium.
Pavimentum.
Scalae lapideae.
Parietes crustati.
Tectum.
Culmen.

Crux in eo.
Campanae.
Earum benedictio.
Usus earum, an ad laicorum negotia ?
Funes.

§ XVIII.

De Coemeterio.

Clausura.
Arbores nullae.
Crux lignea.
Benedictio.

§ XIX.

De Aedibus ecclesiasticis.

Distantia ab Ecclesia.
Quot cellae et officinae ?
Reparatio.
Incolae.
An cohabitatio feminarum ?
An facinorosorum latibulum ?

§ XX.

De Oratoriis Confraternitatum, ultra ea quae de Ecclesiis.

Vexillum cum sua veste.
Crux processionalis cum labaro, vulgo *panno pendente.*
Baculi Priorum.
Cappae, vulgo *sacchi colle mozzette.*
Fundatio.
Aggregationis diploma et an in Archivo ?
Tabella indulgentiarum et an decenter exposita ?
Statuta, sive regulae synodales.
Inventarium bonorum mobilium.
An onera Missarum ?
Satisfactio eorum.

§ XXI.

De Hospitalibus.

Porta.
Inscriptio.
Cellae.
Distinctio sexus.
Lecti.
Supellex.
Ministri.
Fundatio.
Statuta, sive regulae.
Privilegia, si adsint.
Onera, an exposita in tabella ?
Inventarium bonorum mobilium.
An onera Missarum ?
Satisfactio eorum.

§ XXII.

De Oratoriis viarum.

Altaria nulla.
Imagines.
Clausura a bestiis.
Reparatio.

§ XXIII.

De Monasteriis Monialium.
1. *De Ecclesiis.*
Ultra quae de aliis.

Crates ferreae duplices
Rotae.
Fenestellae Communionis et Confessionis.

Claves earum et penes quos?
Aliae fenestrae; an cum cancellis?

2. *De clausura exteriori.*

Portae.
Collocutoria.
Crates ferreae duplices.

3. *De clausura interiori.*

Claustrum.
Hortus.
Officinae variae.
Cella vinaria.
Cella lignaria.
Promptuaria, vulgo *dispense.*
Coquina.
Refectorium.
Mensa et scamna.
Scalae.
Aula operum manualium.
Chorus.
Dormitorium.
Cellae.
Fenestrae.
Vestiarium.
Supellex.
Libri.
Peristilium craticulatum, vulgo *belvedere.*

VISITATIO PERSONALIS

PARS SECUNDA

§ I.

De Clero in communi.

Nomen, Cognomen.
Patria, aetas.
Ordines.
Habitus.
Subcollaria.
Superpelliceum et biretum.
Tonsura.
Patrimonium.
Servitium Ecclesiae.
Cantus Gregorianus.
Confessio frequens.
Communio de quindena in quindenam pro Clericis non Presbyteris.
Congregatio casuum et rituum.
Studia.
Experimentum super ritibus Missae pro Presbyteris: super methodo orationis mentalis: super Doctrina Christiana et an coadiuvent Parochos in eam docendo iuxta Constitutiones Synodales et super lingua latina.
Breviarium et Calendarium.
Officium parvum B. M. V. pro Clericis in minoribus.
Synodi Provinciales et Diocesanae.
Catalogus librorum.
Mores.
Negotiatio-Venatio.
Ludus.
Spectacula-Larvae.
Cohabitatio.
Conversatio; an cum personis suspectis?

§. II.

De Beneficiatis, ultra praedicta.

Titulus Beneficii.
Bulla: possessio: professio Fidei.
Servitium.
Pluralitas beneficiorum.
Pensiones activae et passivae.

De statu oeconomico.

Redditus.
Onera.
Satisfactio.
Lites.
Locatio bonorum, an consanguineis ?
Inventarium bonorum, vulgo *platea*.

§ III.

De Capitulo et Collegiis.

Origo.
Numerus Canonicorum.
Dignitates quot et quae ?
Distinctio praebendarum.
Theologalis.
Poenitentiaria.
Magister Caeremoniarum et an socius?
Habitus choralis.
Servitium chori.
Chori disciplina.
Cantus.
Horae Canonicae et an statis horis ?
Missae solemnes } Anniversaria pro defunctis } Missae planae } Numerus earum
Satisfactio.
Festa } Officia } propria.
Processiones extraordinariae et an abusus in ipsis ?
Conciones.
Residentia.
Punctatores.
Sacrista maior.
Officiales Capituli qui ? praecipue de Archivista et Secretario.
Munera eorum.
Conventus capitulares.
Acta : an in Archivo ?
Statuta capitularia.
Consuetudines Ecclesiae non redactae in capitularibus statutis.
Sigillum, et penes quem ?

De statu oeconomico.

Redditus.
Distributiones quotidianae.
Onera.
Lites.
Inventarium bonorum, et an in archivo ?

§ IV.

De Collegio Mansionariorum.

Origo.
Numerus.
Habitus choralis.
Servitium chori.
Cantus.
Numerus Missarum et Anniversariorum.
Satisfactio.
Residentia.
Punctatores.
Officiales.
Conventus pro negotiis Collegii.
Acta an in Archivo?
Statuta propria.
Consuetudines propriae an redactae in statutis?

De statu oeconomico.

Redditus.
Distributiones quotidianae.

Onera.
Lites.
Inventarium bonorum et an in archivo?

§ V.

De ceteris Clericis inservientibus.

Sacrista minor Clerici missales Clerici chorales Musici Organistae Campanarii Scopatores	Merces eorum.

§. VI.

De Parochis.
Ut de Clericis et de Beneficiatis; praeterea.

1. *De Parochis ipsis.*

Residentia intra fines Paroeciae.
Notitia pro S. Visitatione ad tenorem Edicti vel Synodi.
Decreta Visitationum praeteritarum.
Libri sex parochiales, videlicet
1. Baptizatorum.
2. Confirmatorum.
3. Matrimoniorum.
4. Status animarum.
5. Defunctorum.
6. Decimarum.
Liber satisfactionis Missarum.
Liber edictorum.
Inventarium bonorum.

2. *De exercitio parochiali.*

Doctrinam Christianam an doceant post prandium diebus festivis?
An utantur libro Bellarmini?
An alta et modulata voce post Evangelium edoceant praescripta capita eiusdem Doctrinae?
An idem faciant Cappellani in altera Missa et in ecclesiis ruralibus?
An doceant actum contritionis?
Conciones post Evangelium in diebus festivis.

Festorum, Vigilarum, Indulgentiarum, Edictorum.	publicatio

Abusus circa Concionatores et an sermones post vigesimam quartam diei horam?
Stipendium et habitatio pro Concionatore.

3. *De Sacramentorum administratione.*

Baptismus: an differatur ultra vigintiquatuor horas, exceptis hebdomada maiori et ante Pentecosten?
Benedictio fontis: an fiat in utroque Sabbato Paschae et Pentecostes?
Baptismus solemnis in dictis Sabbatis.
An Obstetrix sit instructa?
Confirmatio. An confirmandos instruant?
Eucharistia. An prima vice communicandos doceant tempore debito?
An frequentetur a populo?
An in deferendo Viatico servetur edictum et consuetudines synodales?

Poenitentia. An administretur cum stola et superpelliceo?
An poenitentes interrogentur super mysteriis Trinitatis et Incarnationis?
An pueri primo ad confessionem admittendi instruantur?
Extrema unctio. An deferatur ad infirmos tempore a Synodo praescripto?
Ordo. An in attestationibus servetur Synodus?
Matrimonium. De cohabitatione post peracta sponsalia.
De benedictione et quando omittatur?
De experimento sponsi et sponsae super Doctrina Christiana.

4. *De commendatione animae.*

An per se ipsum?
Coadiutores?
Quo libro utantur?

5. *De exequiis.*

An servetur Rituale Romanum?
Experimentum super rubricis in huiusmodi functione.

6. *De sacris functionibus.*

Benedictiones Candelarum, Cinerum et Palmarum an fiant iuxta rubricas?
Processiones quae? et an abusus?
Ritus et caeremoniae sacrae, an adamussim serventur ad praescriptum Rubricarum?
Experimentum super praxi Caeremoniarum.
Consuetudines et abusus in ritibus ecclesiasticis an adsint?

7. *De moribus populi.*

Status spiritualis animarum.
Festa } an serventur edicta
Usurae } synodalia.
Ludi, comessationes, bravia in diebus festis, an circa Ecclesias?
An praedicta expensis Confraternitatum?

8. *De statu oeconomico.*

Annui redditus parochiales.
Decimae praediales et personales.
Obventiones, vulgo *Stola.*
Onera certa, scilicet
Cera,
Quarta Episcopalis,
Cathedraticum,
Clericus parochialis,
Sacrista. An ipsum edoceant duo ultima capitula *Rectoris ecclesiastici* pro munditia Ecclesiae et sacrae suppellectilis?
Spolia et triremes.
Visitationis procuratio.
Onera extraordinaria.
Subsidium charitativum.

§ VII.

De Eremitis.

Nomen, cognomen et patria.
An sint coniugati?
Literae patentales.
Habitatio et cum quibus?
An hospites ultra unum diem admittant.

Habitus.

An caputia ad formam Regularium?

Tonsura capillorum ad formam Conversorum Regularium.

Servitium.

Assisteutia in Paroecia festivis diebus pro doctrina Christiana addiscenda.

Exercitia spiritualia.

Experimentum super Doctrina Christiana et methodo orationis mentalis.

Confessio frequens.

Communio menstrua.

Eleemosynae.

Rationum redditio de eisdem.

§ VIII.

De Monialibus in communi.

1. *Circa numerum et regulam.*

Numerus Choralium et Conversarum.

Quot numerariae, quot supranumerariae?

Catalogus earum immediate tradendus Visitatori.

Regula et Constitutiones.

An impressae vernaculo idiomate?

An plura exemplaria?

2. *Circa vota.*

Obedientia.

Paupertas.

Exproprium singulis annis.

An depositum in capsa communi?

An largitio munerum sine licentia?

Modestia.

Epistolae, an cum licentia Praelatae?

3. *De exercitiis spiritualibus.*

Chori disciplina.

An Breviarium et Calendarium proprium?

Oratio mentalis.

Examen conscientiae de sero.

Exercitia spiritualia quolibet anno.

Sacramentorum frequentia.

Confessarius ordinarius et extraordinarius.

Conciones.

Instructio Doctrinae Christianae diebus festivis.

Silentium in choro, in dormitorio et in refectorio.

Capitulum culparum.

4. *De mensa.*

An victus communis et omnino uniformis?

An abusus circa illum?

An permittantur fercula particularia et ab exteris accepta.

Ieiunia regularia.

An permittantur particularia pro asserta devotione speciali in iis, quae communia non servant, aut nequeunt observare?

Lectio spiritualis, vel regulae.

5. *De exercitiis manualibus.*

Quae communia?

Quae particularia?

An horis chori exercitia impedientibus?

An de licentia Praelatae?

An abusus, vel quaestus in emptione et venditione praedictorum operum manualium ?

6. *De accessu Monialium ad crates.*

An ibi cum licentia Praelatae ?
Auscultatrices.
Accessus exterorum cum licentia Curiae, a Confessario revisa et Rotariae exhibita ?
Crates an clausae horis vetitis ?
Item tempore Adventus et Quadragesimae.
Item tempore Divinorum Officiorum.
Ingressus exterorum intra septa Monasterii.
An vagentur ultra proprium ministerium ?

7. *De infirmis.*

Earum cura.
An a Monialibus charitative visitentur ?
Victus particularis.
Conversa deputata pro servitio.
Solicitudo Praelatae circa praedicta.

8. *De Officialibus intra Monasterium.*

Praelata. Vicaria. Magistra Novitiarum. Sacristiae Praefecta. Infirmaria. Ianitrices. Rotariae. Oeconoma, sive Celleraria. Capsaria. Officiales minores.	Scrutentur circa propria officia.

Earum electio.
Duratio officii.

9. *De Monialibus in particulari.*

Nomen, Cognomen, Patria, Aetas.
Professio et a quo tempore ?
Benedictio.
Novitia et a quot mensibus ?
Conversa, Novitia, an Professa et a quo tempore ?
An numeraria, vel supranumeraria ?
Dos allata.
Renunciatio.
Reservatio census vitalitii.
Quantus, a quibus et quo tempore solvendus ?
An inexacti et ad quam summam ascendant ?
Habitus.
Manicae thoracis an clausae ne subucula appareat ?

Chirothecae. Annuli Manicae pelliceae immodestae. Flabella irreligiosa.	Abusus

Tibialia lanea, cuius coloris ?
Calceamenta praeter usum feminarum saecularium.
Tonsura capillorum.
Velum capitis. Nigrum pro benedictis.
Alterum subgutturale album, vulgo *Soggolo*.
Cella separata.
Suppellex : an irreligiosa ?

Munus et officium.
Exercitia manualia.

An canes ? An aves ? An speculum ? An instrumenta musica ?	Abusus

Librorum catalogus omnino tradendus Visitatori.

10. *De officialibus extra monasterium.*

Confessarius. Cappellani. Sacrista. Protector. Advocatus. Procurator. Exactor. Notarius. Medici. Chirurgus. Famulae.	Scrutentur circa propria Officia

Earum electio.
Duratio officii.
Salaria.

11. *De statu oeconomico.*

Redditus.
Onera.
Satisfactio.
Lites.
Inventarium bonorum, vulgo *Platea.*
Aliud inventarium bonorum mobilium.
Liber introitus et exitus.
Liber expensarum pro victu quotidiano.
Redditio annua computorum Ministro a Curia deputato.

§ IX.

In visitatione Praefecti spiritualis et Oeconomorum, sive Administratorum Confraternitatum, Hospitalium, ceterorumque locorum piorum.

1. *A Praefecto.*

An exercitia spiritualia a Confratribus peragantur ad tenorem Synodalium Regularum ?

2. *Ab Officialibus.*

Officiales qui et an sint debitores ?
Electio ipsorum, an iuxta regulas synodales ?
An confirmati a Curia ?
Iuramentum de fideli administratione, ac computorum redditione, an praestitum ?

3. *De statu oeconomico.*

Redditus.
Onera.
Satisfactio.
Lites.
Eleemosynae et quae ?
Quaestores qui ?
A quo tempore et cui rationem reddiderint ?
Liber introitus et exitus.
An significatoriae contra Administratores.
Notula debitorum.
Notula legatorum non solutorum.
Instrumenta et scripturae locationum et contractuum in fasciculis.

Inventarium bonorum, vulgo *Platea*.
Salaria Ministrorum.
Stipendia pro exactoribus redditaum inexactorum.
Comessationes, fragores bellici, vulgo *fuochi artificiali*, bravia et alia ludrica, an expensis locorum piorum?
An sumptus superflui?
Mutuationes frumenti: an in his servetur Synodus pro usurarum coercitione? et an licentia Curiae impetretur?
Redditio computorum Ministro a Curia deputato.

DE SEMINARII VISITATIONE

PARS TERTIA

§ I.

Visitatio localis.

Clavis.
Porta tuta.
Impluvium, vulgo *Cortile*.
Officinae variae.
Cella vinaria.
Cella lignaria.
Promptuaria, vulgo *Dispense*.
Coquina.
Refectorium.
Mensae et sedilia.
Pulpitum pro lectione mensae vel pro sermonibus domesticis.
Scalae.
Deambulatoria, vulgo *Corridori*.
Aulae communes.
Scholae cantus Gregoriani cum libris et legili,
Philosophiae,
Theologiae scholasticae,
Theologiae moralis,
Sacrorum rituum.
Cathedrae pro Magistris.
Scamna et pugillaria pro scholaribus.
Archivum.
Bibliotheca.
Dormitoria saltem tria
pro adolescentibus,
pro maiori aetate provectis,
pro provectioribus.
An ibi lampades accensae de nocte?
Cella Rectoris,
Cellae Magistrorum.
Cellae aliae particulares seorsim a dormitoriis

pro Presbyteris pro Ordinandis pro spiritualibus exercitiis ordinandorum,	ibi pro ecclesiastica disciplina adipiscenda degentibus.

Cellae pro officialibus inferioribus.
Perystilium, vulgo *Loggia Belvedere*.

Carcer Tecta Contignationes vel fornices. Fenestrae Parietes interni et externi crustati. Pavimenta.	in omnibus supradictis locis animadvertendum.

§ II.

Visitatio realis.

Supellex communis.
Lecti distincti.
An separati in dormitoriis?
An uniformes?

An quotidie complicentur et decenter cooperiantur ?
Genuflexoria cum Imagine sacra.
Libri.
Arculae particulares.

§ III.

Visitatio personalis.

1. *De ipsis seminaristis, ultra ea quae de Clero in communi.*

Alumni et quot ?
An bonae, vel malae indolis ?
An perspicacis, vel rudis ingenii ?
An saltem annorum 12 ?
An pauperes et dioecesani ?
An de oppidis, quorum Confraternitates contribuunt alimenta ?
Convictores et quot ?
An clerici, vel laici ?
An solvant ratam anticipatam ?
Vestes violaceae talares.
Subcollaria.
Cingulum item violaceum.
Supravestes, vulgo *zimarre* nigri coloris.
Thoraces, Femoralia, Tibialia } modesti coloris, sed non nigri ad usum Clericorum regularium.
Calceamenta nigri coloris modesta et uniformia.
Discursus per civitatem et extra.
An cum licentia et socio ?
An cum debita modestia ?
An amicorum domos adeant ?
An semel in hebdomada ad campos cum tota communitate accedant ?
An epistolae accipiantur, vel mittantur sine Rectoris licentia ?
Arma, Ludi } an procul a Seminario ?

2. *De mensa.*

An victus communis et omnino uniformis ?
An abusus circa illum ?
An permittantur fercula particularia et ab exteris accepta ?
Lectio spiritualis, vel historica, vel regularum.

3. *De infirmis.*

Cura.
Victus.
Famulus deputatus.

4. *De exercitiis spiritualibus.*

Oratio mentalis de mane.
Experimentum quotidianum super punctis meditatis.
Officium B. Virginis singulis diebus.
Missa quotidiana.
Rosarium B. V. de sero.
Examen conscientiae ante cubitum.
Servitium in Cathedrali diebus festis.
An exercitia spiritualia quolibet anno, quo tempore et per quot dies ?
Profectus in moribus exquirendus a Rectore.

5. *De exercitiis literariis.*

Profectus in literis a Magistris exquirendus.
Examen bis in anno, assistentibus Deputatis.
Cantus Gregorianus.
An exercitium quotidie in ipso per horam post prandium?
An profectus in eodem?
Silentium tempore studii.

6. *De feriis aestivis.*

Quo et pro quanto tempore concedantur?
An recto tramite domus suas adeant?
An cum epistolis ad Parochos, vel Vicarios foraneos directis mittantur.

7. *De officialibus.*

Rector Praefecti Magistri Lectores artium Theologiae Casuum conscientiae. Instructor sacrorum rituum Magister cantus Gregoriani Deputati	scrutentur circa eorum officia.

8. *Ab ipsis Deputatis.*

An congregatio hebdomadaria ab ipsis habeatur?
An decisiones in dictis Congregationibus factae in libro registrentur?

9. *De ministris inferioribus.*

Qui et eorum ministeria?
Ab bonis moribus praediti?
An quotidie Missam audiant?
An diebus festis Doctrinae Christianae intersint?
An saltem in mense sacra Synaxi reficiantur?
An diligenter et charitative inserviant?

10. *De statu oeconomico.*

Redditus.
Onera.
Satisfactio.
Lites.
Inventarium bonorum, vulgo *Platea.*
Aliud inventarium suppellectilium communium.
Instrumenta et scripturae locationum et contractuum ordinata in fasciculis et in Archivo asservata.
Libri introitus et exitus, sive dati et accepti.
Significatoriae adnotatae in praedicto libro.
Liber pro expensis quotidianis victus.
Liber pro aliis expensis extraordinariis.
Liber salariorum Ministrorum.
Liber Alumnorum et Convictorum.
Redditio menstrua computorum coram Deputatis.
Annua ministro a Curia deputato.

INDEX

LIBRI VI.

APPENDIX

ERRATA				CORRIGE
Pag. 13	linea	2.	inde aut candelabra	inde candelabra
» 18	»	5.	violacem	violaceum
» 32	»	16.	funalia	fanalia
» 38	»	10.	Celebrans procedet	Episcopus procedet
» 65	»	18.	pelvicula et cochleare maius	rudicula et cochleare maius
» 67	»	21.	pluresve urcei	pluresve pelves
» 69	»	15.	ad Altare recitabit	ad Altare assurget, recitabit
» 78	»	29.	mitra et baculo	mitra auriphrygiata et baculo
» 98	»	18.	acolythi et redibunt	acolythi, qui deponent candelabra super abacum. Redibunt
» 126	»	13.	separabit	se parabit
» 136	»	29.	tollet de pede Crucem: quam de Altari	tollet de pede Crucem et postquam de Altari
» 147	»	4.	si S. Hostia; erat	si S. Hostia erat
» 244	»	27.	Diaconus stans	Subdiaconus stans
» 267	»	22.	accipiet Cereum	accipiet Crucem
» 273	»	6.	capit. XIII et XVI	cap. XIV.
» 309	»	6.	Dominationi suae	Dominationis suae
» 366	»	8.	Sacristra	Sacrista
» 376	»	14.	eletionis	electionis
» 396	»	13.	*fidlibeus*	*fidelibus*
» 453	»	16.	ne det signum	ne detur signum
» 463	»	33.	et discedet	et discedent
» 467	»	25.	popolus	populus
» 480	»	26.	respodebunt	respondebunt
» 485	»	10.	(544)	(524)
» 540	»	14.	col. 2. vigilarum	vigiliarum

VENIA SUPERIORUM

MANUALE
SACRARUM CAEREMONIARUM

LIBER VII.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS AB EPISCOPO SOLEMNITER CONFERENDO.

CAPUT I.

1. Quum Episcopo visum erit opportunum solemniter conferre Sacramentum Confirmationis, in uno aut duobus festis praecedentibus nunciabitur a Parochis dies et hora, qua unusquisque confirmandorum adesse debebit in Cathedrali, sive in ecclesia primaria cuiusque loci, simul cum Compatre suo. Singuli candelam afferent, si vigebit usus illam offerendi Episcopo; scriptam afferent testificationem Parochi sui, qua declaretur, confirmandum esse idoneum ad Sacramentum istud accipiendum, et expressum erit nomen parentum nomenque compatris et commatris confirmandi; afferent etiam fasciolam, quae circumduci fronti Confirmati solet.

2. Servabitur etiam consuetudo, si vigebit, affigendi portis Cathedralis significationem diei et horae, qua solemniter Sacramentum istud conferetur.

3. Functio in commodum populorum peragetur semper matutino, nunquam vespertino tempore, et insuper die festo qui praefinietur ab Episcopo, neque potest assignari certa regula, quum hoc dependeat a circumstantiis locorum.

4. Prout erit maior minorve numerus confirmandorum, sumentur etiam dispositiones opportunae. Si forte esset peri-

culum, ne quis Confirmandus superveniret et se ceteris aggregaret, quum inchoata iam erit functio, vel posset discedere priusquam functio absolvatur, necesse erit ut claudantur omnes fores, unde aditus in ecclesiam est, neque aperiantur prius, quam absolutus prorsus sit actus administrationis Sacramenti praedicti. Sin autem tanto essent numero Confirmandi, ut una vice nequiret universis conferri Confirmatio, poterunt dividi in plures vices, atque ita confirmatis, exempli gratia, centum primis et his dimissis, succedent alii et sic deinceps de ceteris, si supererunt.

5. Si Episcopus Sacramentum hoc in Cathedrali conferret, aequum esset, ut ei assisterent Canonici duo.

6. Poterit conferri ad Altare maius vel in alio Sacello praesertim si esset maiori commoditati, modo adessent cancelli claudendi, quod hoc casu deceret magis, quam claudere portas ecclesiae.

7. Altare instruetur sex candelabris cum cereis et Cruce, pallio albi coloris; gradus sternentur tapeto et faldistorium cum veste albi coloris statuetur im medio suppedaneo Altaris.

8. Super infimum gradum ponetur pulvinus albus, in quo genuflectet Episcopus.

9. In Altari vel super abaco disponentur paramanta episcopalia, videlicet pluviale albi coloris cum stola simili, formale pretiosum et amictus. In latere Evangelii praeparabitur mitra auriphrygiata cum velo seu vimpa pro cappellano mitram delaturo.

10. Prope Altare baculus pastoralis.

11. Super abacum alba tobalea coopertum ponentur urceus cum pelvi et mantilia in lance: pontificale (pars I.) instructum veste albi coloris: scotula cum candela: vasculum S. Chrismatis in lance: medulla panis et mali medici in lance: aliquantulum gossipii soluti; acus crassior cum filo longo ad colligendas schedulas Confirmandorum: vasculum aquae benedictae cum aspersorio, utendum in ingressu Episcopi in ecclesiam.

12. Prope abacum aderit canistrum ad reponendas candelas.

13. Quod si commodius videbitur erigere Altare in media

ecclesia, praeparabitur simul cum abaco eodem modo ac supra.

14. Si numerus confirmandorum esset ingens, in navi principali disponentur bini ordines scamnorum sine postergali, qui ex Altari pertingant ad portam ferme ecclesiae, et apud illa locum sument Confirmandi, videlicet mares dextrorsum, foeminae sinistrorsum; scamnis sedebunt Confirmandi et a tergo ipsorum stabunt singuli compatres et commatres.

15. Praeparabitur etiam genuflexorium ornatum strato et pulvinis pro Episcopo ante Altare SS. Sacramenti, ac si Sacellum in quo SS. Sacramentum asservabitur, esset in conspectu functionis, vel timeretur irreverentia, collocabitur in alio Sacello aut in Altari remotiore.

16. Rebus hoc modo dispositis, hora praestituta praesto erunt in ecclesia Confirmandi simul cum compatribus et commatribus suis, eritque unius aut plurium clericorum officium disponere illos loco praeparato, ut supra. Signum dari poterit campanarum sono, quo confirmandis et compatribus significetur hora qua functionis fiet initium.

17. Aderunt ut supra dictum est, Canonici duo aliique clerici superpellicio induti, videlicet a mitra, a baculo, a libro, a scotula et a S. Chrismate, itemque alter clericus delegatus colligendis schedulis confirmandorum, et unus vel duo recipiendis candelis.

18. Episcopus indutus rocheto et mozzeta excipietur in limine ecclesiae a Canonicis supra dictis et a clericis, quos paullo ante notavimus. Si fuerit Archiepiscopus, praecedet eum Crux archiepiscopalis.

19. A digniore Canonicorum accipiet aspersorium aqua sancta perfusum, asperget seipsum et adstantes.

20. Deinde adorabit SS. Sacramentum apud Altare sive Sacellum, in quo asservabitur, et procedet ad Altare, sive sacellum, in quo administranda erit Confirmatio.

21. Ibi genuflectet in pulvino ac brevi tempore orabit. Iterabit ante Crucem reverentiam, et amoto pulvino ab uno clericorum, ascendet ad Altare et sedebit in faldistorio.

22. Interim in promptu erunt ministri lotionis et clerici deferentes paramenta

23. Canonici exuent mozzetam Episcopo, qui lavabit manus, deinde parabitur amictu, stola et pluviali cui apponetur formale pretiosum, a Canonico digniori imponetur eius capiti mitra et sinistra accipiet baculum pastoralem.

24. Sedens Episcopus, sermonem admonitionis habebit, ut notatur in Pontificali, vel omissa admonitione, si ita expedire censuerit, initium fiet Confirmationis administrandae claudendo portas ecclesiae sive Sacelli vel dabitur opera, nequis Confirmandorum exeat, neve ingredi possint alii (*a*).

25. Episcopus dimittet baculum et Canonicus dignior exuet ipsi mitram.

26. Praesto erunt a sinistris Episcopi duo Cappellani, alter cum libro, alter cum scotula.

27. Confirmandi omnes geniculabunt una cum compatribus suis.

28. Episcopus assurget atque elata voce dicet *Spiritus Sanctus* etc. ut in Pontificali.

29. Postea dicet *Adiutorium nostrum* etc. se dextera signans et prosequetur versiculos reliquos recitare, vel etiam cantabit illos tono feriali simul cum oratione. Deinde expansis manibus versus Confirmandos, dicet orationem *Omnipotens sempiterne Deus* etc.

30. Canonici attollent fimbrias pluvialis Episcopi recitantis orationem praedictam.

31. In promptu erunt Clerici collecturi candelas, alter secum habens acum filo traiectum ad iungendas schedas sive attestationes Confirmandorum, et alter etiam cum vasculo S. Chrismatis in pelvicula.

32. Si Confirmandi parvo erunt numero, poterunt praesentari Episcopo sedenti faldistorio in suppedaneo Altaris, secus Episcopus ipse accedet ad singulos quo loco aderunt eosque confirmabit.

33. Dum Episcopus confirmabit singulos confirmandorum, compater seu commater debebit dexteram imponere hu-

(*a*) Nonnullis in locis mos est, ut quidam ecclesiasticus edoceat atque exerceat Confirmandos antequam ad ecclesiam adveniat Episcopus.

mero dextero confirmandi, deinde in huius fronte ligabit fasciolam (*a*).

34. Si numerus confirmandorum erit maior, poterunt post orationem praedictam consurgere, sed unusquisque eorum genibus flexis insistet quo tempore confirmabitur.

35. Post orationem Episcopus sedebit faldistorio et mitra cooperietur a praedicto Canonico, ut supra, atque accipiet sinistra baculum pastoralem.

36. Clericus cum vasculo Chrismatis consistet a dextris Episcopi. Canonici attollent fimbrias pluvialis. Ceteri duo clerici consistent prope clericum sustinentem S. Chrisma, recepturi unus candelas, alter attestationes, quas acu traiiciet in medio, ne dilabantur.

37. Episcopus faldistorio sedens confirmationem conferet singulis confirmandis, qui successive accedent ad Altare: quod si magno essent numero, Episcopus ipse assurget, et quin confirmandi de suo loco abscedant, confirmabit eos successive, prius mares, postea foeminas. Hoc casu praecedet clericus, qui recipiet candelas easque ponet in canistro, sequetur deinde alter qui recipiet attestationes; advertent autem, ne illas accipiant a secundo, nisi confirmatus fuerit primus, neque a tertio nisi confirmatus erit secundus, atque ita porro.

38. Episcopus sacram Confirmationem conferens, intinget pollicem in S. Chrisma et manu extensa imposita super caput confirmandi, percontatus nomen eius ex patrino, unctionem in formam Crucis pollice efficiet in fronte dicens *N. Signo te* etc. (*b*)

(*a*) Praescripsimus, ut compatres dexteram imponant dextero Confirmandorum humero. Huic praescriptioni videtur obstare rubrica, in qua praecipitur ut *Adulti ponant pedem suum super pedem dexterum patrini sui.* Sed in praxi fieri non potest quod praecipit rubrica, quae, quum desumpta sit ex antiquis libris pontificalibus, fortasse innuit ritum servatum superioribus saeculis, quibus Sacramenta, quae vivorum dicuntur, accipiebantur a fidelibus stantibus.

(*b*) In pontificali Romae edito an. 1725. ex typographia Hieronymi Mainardi, Benedicti XIII. Sum. Pontificis permissu, rubrica addit quae sequuntur: *pollice manus dexterae Chrismate intincto confirmat, dicens* N. signo te signo Crucis, *et dum hoc dicit, imposita eadem manu dextera super caput confirmandi, producit pollice signum Crucis in fronte illius.*

dextera faciens triplex Crucis signum dum dicet *In nomine Patris* etc. demum leviter percutiet eius genam sinistram et dicet *Pax tecum*, cui non respondebitur *Et cum spiritu tuo.*

39. Sub finem Confirmationis in promptu erunt Ministri lotionis, qui cum urceo, pelvi et mantilibus afferent etiam medullam panis et mali medici.

40. Quum confirmati fuerint omnes illi, qui ad Confirmationem accipiendam venerint, redibit Episcopus ad Altare, sedebit faldistorio et lavabit manus.

41. Hoc tempore vel cantabitur a Clero, qui aderit, vel legetur antiphona *Confirma hoc Deus* etc. ut in Pontificali.

42. Lavante manus Episcopo, genuflectent omnes, exceptis Canonicis, et Confirmati prosequentur genibus flexis insistere in reliqua functione.

43. Lotis manibus, mitra exuetur Episcopus, qui conversus ad Altare cantabit tono feriali, vel recitabit versiculos *Ostende nobis* etc. cum oratione *Deus qui Apostolis tuis* etc. et post ipsam dicet *Ecce sic benedicetur omnis homo qui timet Dominum*, tum conversus ad confirmatos benedicet eos dicens *Benedicat vos Dominus ex Sion* etc.

44. Rursus faldistorio sedebit et cooperietur mitra, accipiet sinistra baculum pastoralem, admonebit patrinos, ut in Pontificali, et recitabit cum ipsis, *Credo*, *Pater noster* et *Ave Maria.* Benedicet eos dextera, nullam proferens formulam.

45. Aperientur portae ecclesiae vel Sacelli et Confirmati discedent; quod si et alii essent Confirmandi, repetentur actiones omnes, quas supra descripsimus a num. 25. ad 44. capituli huius.

46. Sacra Confirmatione peracta, Episcopus vestes sacras dimittet, ac resumpta mozzeta, eodem ordine quo descriptum est in ingressu, nempe oratione facta ad Altare functionis et adoratione SS. Sacramenti, proficiscetur ex ecclesia.

47. In privata huius Sacramenti administratione, Episcopus induet stolam albi coloris supra rochetum et utetur mitra, dum unctionem peraget in fronte confirmandi.

ORDINATIO GENERALIS
HABITA PRIVATIM.

CAPUT II.

De rebus praeparandis.
Ad Altare maius.

1. Super Altari ponentur sex candelabra cum Cruce aequali candelabris, ac si Ordinans erit Ordinarius, ponetur Crux ante septimum candelabrum cum cereo. Gradus Altaris sternentur tapeto itemque tapeto sternetur presbyterium pro Ordinandorum prostratione.

2. In media Altaris mensa disponentur paramenta Episcopalia, eaque sunt planeta, chirothecae in lance, dalmatica, tunicella, stola, Crux pectoralis, cingulum, alba et amictus, quae omnia cooperientur velo concolore paramentis ipsis. Color paramentorum in quatuor temporibus et in Sabbato *Sitientes*, esto violaceus, quodcumque sit officium, quod celebretur illo die: quatuor temporibus aestivis color esto rubrus, quoniam incidunt intra octavam Pentecostes. In latere Evangelii ponetur mitra auriphrygiata: in Sabbato quatuor temporum Pentecostes adhibebitur etiam pretiosa, quae praeparabitur in latere Evangelii et auriphrygiata in latere Epistolae. In eodem Epistolae latere aderit Missale cum cussino vel legili. Advertatur, ut signaculum positum sit ad orationem pro Ordinandis, vel ut oratio eadem scripta sit in tabella. Si Ordinans fuerit Archiepiscopus ac si deget in provincia sua, praeparabitur S. Pallium in lance coopertum velo et in altera lance tres eius spinulae.

3. Prope Altare aderit baculus pastoralis.

4. In medio gradu infimo ponetur pulvinus in quo geniculabit Episcopus, et in latere Epistolae ante gradus Altaris faldistorium cum tegumento, quod sit concolor ceteris paramentis.

5. In latere Epistolae, super abacum alba tobalea contectum disponentur quae sequuntur: duo candelabra cum cereis pro Acolythis: calix cum purificatorio, patena, hostia, palla et corporale intra bursam: pyxis cum particulis pro Communione Ordinandorum omnium: tobalea linea coloris albi pro Communione: ampullae vini et aquae, utendae in Missa: campanula: urceus et pelvis ac mantilia duo seu manutergia in lance: in altera lance medulla panis et mali medici: caligae et sandalia eiusdem coloris ut reliqua paramenta, contecta velis concoloribus paramentis eisdem: liber Evangeliorum cum manipulo Episcopi: gremiale Episcopi concolor paramentis: Pontificale (pars I.): canon pontificalis: scotula cum candela: gremiale seu cincticulus lineus cum lemniscis, quo utetur Episcopus, dum sacram unctionem peraget: forfices in lance; claves committendae ostiariis; liber lectionum, vel Missale, quod poterit esse usui lectoribus, exorcistis, Subdiaconis et Diaconis: ampulla vacua et candelabrum parvum cum candela extincta: ampullae vini et aquae in pelvicula cum manutergio: calix cum patena: alter calix cum vino et paucis aquae guttis et patena cum hostia: stolae saltem tres concolores reliquis paramentis pro Presbyteris, qui manus imponent super novos Ordinandos ad Presbyteratum: vasculum cum Oleo sacro Catechumenorum in lance cum aliquantulo gossipio soluto: pontificale in commodum Archidiaconi, sive illius qui vocare debebit Ordinandos.

6. In latere Evangelii praeparabitur alter abacus contectus alba tobalea et super ipsum ponentur urcei cum pelvibus et medulla panis ac mali medici pro manuum ablutione Presbyterorum recentium.

7. Praeter scamna in usum Cleri, praeparabuntur alia etiam scamna panno viridi cooperta pro Ordinandis et unum praeterea vel etiam plura sine dorsali, contecta panno viridi, apud quae geniculabunt Presbyteri recentes in Missa.

Apud Altare SS. Sacramenti.

8. Praeparabitur faldistorium cum pulvinis, vel genufle-

xorium, strato et pulvinis ornatum, pro Episcopo et accendentur Altaris cerei, quando ibi orabit Episcopus ipse.

In Sacrario.

9. Vasculum aquae benedictae cum aspersorio, quo utetur Episcopus ingrediens in ecclesiam; superpellicia sufficienti numero pro inservientibus.

10. Praeparabitur aliquod cubiculum, in quo possint ordinandi decenter induere vestes sacras respondentes Ordini, quem accepturi erunt. Si paramenta praedicta suppeditabuntur a Cathedrali, disponentur ibi pridie; secus unusquisque afferet sua et erunt propria ordinis illius, quem accepturus est.

In Functione.

11. Hora ferme dimidia ante horam praefinitam, Ordinandi veste talari induti congregabuntur in Sacrarium, ubi aderit Notarius sive alius a Curia Episcopali deputatus, qui recognoscat eos.

12. Ordinandi induent habitum sacrum respondentem Ordini, ad quem erunt promovendi, videlicet tonsurandi superpelliceum replicatum brachio sinistro sustinebunt et manu dextera gestabunt candelam ardentem; Ordinandi ad minores induent superpelliceum et dextera sustinebunt candelam ardentem; Ordinandi ad Subdiaconatum induent amictum, albam, cingulum, brachio sinistro impositum ferent manipulum ac tunicellam, manu dextera sustinebunt candelam ardentem, et advertent ut amictus non stet circa collum, sed paullulum extra albam, ut Episcopus illum possit capiti eorum imponere: Ordinandi ad Diaconatum induent amictum, albam, cingulum et manipulum brachio sinistro, in quo ferent dalmaticam et stolam replicatam, dextera autem candelam ardentem; Ordinandi ad Presbyteratum induent amictum, albam et cingulum, manipulum in brachio sinistro, stolam Diaconali more in humero sinistro, firmatam super latus dexterum, planetam replicatam super brachium sinistrum, sudarium albi coloris firmatum cin-

gulo et candelam ardentem dextera sustinebunt. Missalia pro singulis Ordinandis ad Presbyteratum disponi poterunt in presbyterio locis eorum respectivis.

13. Induti, quo modo innuimus, Ordinandi deducentur in presbyterium, ubi locum quisque sibi attributum occupabunt.

14. Episcopus peracta adoratione apud Altare SS. Sacramenti, transibit ad Altare maius, in quo habebitur ordinatio, ac brevi tempore ibi orabit genibus flexis in pulvino praeparato in medio gradus infimi.

15. Assistent ei duo Cathedralis Canonici, qui propter hoc officium induent superpelliceum, et Archidiaconus, praesentaturus ei deinceps Ordinandos. Aderunt clerici, qui numero satis sint inserviendo Episcopo et assistendo Ordinandis, ut inferius describetur.

16. Advenienti ad Altare Episcopo assurgent Ordinandi et geniculabunt quo momento ipse transiens ante ipsos, impertietur eis benedictionem.

17. Episcopus, brevi facta oratione ante Altare, assurget, salutabit Crucem, accedet ad faldistorium ibique sedebit et caput cooperiet bireto.

18. Assistentiam ei praestabunt duo praedicti Canonici, qui stabunt a lateribus eius.

19. Se sistent Episcopo duo Cappellani, unus cum scotula alter cum libro, ex quo ipse leget preces ad praeparationem *Ne reminiscaris* etc. cum psalmis *Quam dilecta* etc. et sequentibus..

20. Clericus unus ex abaco accipiet sandalia et caligas cum velis praeparatis et simul cum eo ibit cubicularius Episcopi. Geniculabunt ambo ante Episcopum; cubicularius exuet ei calceos usuales et inducentur ei caligae et sandalia. Clericus reportabit ad abacum lancem et vela, quibuscum attulerit caligas.

21. Repetita antiphona *Ne reminiscaris* etc. Episcopus sibi ipse biretum exuet, assurget, convertetur Altare versus et stans recitabit preces atque orationes. Post orationes Episcopus sedebit et recitabit preces ad paramenta praescriptas.

22. Hoc tempore distribuentur clericis paramenta episcopalia et in promptu stabunt familiares nobiles vel clerici duo cum instrumentis lotionis manuum.

23. Episcopus, recitatis orationibus ad paramenta, sibi detrahet de capite biretum, dimittet Crucem pectoralem, quam ei tollet primus Canonicorum assistentium, sibi de digito extrahet annulum, quem tradet eidem primo Canonico ac deponet mozzetam, quae recipietur a cubiculario.

24. Cooperiet caput bireto et lavabit manus. Ad actionem istam genuflectent omnes, exceptis Canonicis et Praesulibus, si forte adessent.

25. A duobus praedictis Canonicis assistentibus parabitur amictu, alba, cingulo, Cruce pectorali, stola, tunicella, dalmatica, chirothecis et planeta, servatis regulis ad Missam pontificalem traditis cap. IX. lib. V.

26. Si Ordinans fuerit Archiepiscopus et aderit in loco suae iurisdictioni subiecto, Canonicus secundus ascendet ad Altare, accipiet s. Pallium et ipsi se adiunget clericus, qui deferet lancem cum tribus spinulis. Primus Canonicus assistens accipiet Pallium et imponet illud super humeros Episcopi, deinde infiget illi tres spinulas quo modo descriptum est capitulo citato.

27. Canonicus primus assistens imponet Episcopo mitram pretiosam, si licebit uti, secus auriphrygiatam et cum osculis consuetis annulum inseret eius digito annulari dextero. Canonicus secundus porriget ei baculum pastoralem,

28. Clericus unus accipiet librum Evangeliorum cum manipulo Episcopi et consistet prope secundum Canonicum assistentem.

29. Innuente Caeremoniario, assurget Episcopus et procedet ante Altare, adstantibus ei a lateribus duobus praedictis Canonicis et sequentibus Cappellanis a mitra et a baculo atque clerico deferente Evangeliarium cum manipulo Episcopi.

30. Episcopus transiens ante Ordinandos et Clerum, si aderit, in choro, donabit eis benedictionem, ad quam Canonici se profunde inclinabunt, ceteri omnes genuflectent.

31. Priusquam Episcopus adveniat ad Altare, curae erit clerico alicui ponere Canonem apertum ad *Ordinem Missae* in medio Altari applicitum basi Crucis et prope Canonem ipsum ponere scotulam ardentem.

32. Progressus ante Altare Episcopus dimittet baculum et a secundo Canonico assistente exuetur mitra: salutabit Crucem et Sacrum exordietur. Canonici qui Episcopo assistent, confessionem cum ipso recitabunt nixi genibus, siquidem Missa non cantatur sed legitur, Canonici autem supradicti non sunt vestibus sacris induti.

33. Clerus si in choro aderit, observabit regulas traditas in Missis pontificalibus relate ad recitationem Confessionis, ad standum, ad geniculandum et ad sedendum, ut cap. III. libri I.

34. Clericus, qui deferet Evangeliarium cum manipulo Episcopi, geniculabit prope secundum Canonicum assistentem, cui tradet manipulum Episcopi, ut infra.

35. Ad *Indulgentiam* etc. Canonicus secundus assistens assurget, accipiet a clerico manipulum Episcopi, cui post recitationem antedictae orationis inducet illum brachio sinistro.

36. Postquam Episcopus dixerit *Oremus*, ascendet ad Altare medius inter Canonicos assistentes una cum clerico sustinente Evangeliarium.

37. Episcopus osculabitur Altare, deinde principium Evangelii in libro, quem ei praesentabit Canonicus secundus.

38. Clericus cum debitis genuflexionibus de Altari descendet et super abacum reponet librum Evangeliorum.

39. Episcopus accedet ad Missale praeparatum in latere Epistolae, et leget introitum Missae eique a Caeremoniario vel a praedictis Canonicis assistentibus monstrabitur quid legendum sit.

40. Unus vel duo clerici in promptu stabunt, posituri in medio suppedaneo Altaris faldistorium, quo sessurus erit Episcopus.

41. Episcopus, lecto introitu, sedebit faldistorio, si Ordinatio habebitur in Sabbato *Sitientes*; secus recitabit *Kyrie* cum Assistentibus saepius nominatis, deinde sedebit faldistorio.

42. Interim Archidiaconus appropinquabit ad Altare et consistet in extremitate suppedanei a latere Evangelii.

43. Episcopo, statim ac sederit faldistorio, Canonicus primus assistens imponet mitram auriphrygiatam.

44. Post haec Archidiaconus invitabit Ordinandos, dicens elata voce; *Accedant omnes qui ordinandi sunt.* Ordinandi discedent de locis suis et venient geniculatum ante Altare quemdam efficientes semicirculum, ea tamen animadversione, ut tonsurandi sint propiores Altari, deinde Minoristae, postremo Ordinandi ad ordines sacros. Id vero fiet, si loci amplitudo et numerus Ordinandorum patietur; sin minus, poterunt etiam genuflectere loco ipso, quem occupabunt.

45. Archidiaconus percontabitur, ecquis sit inter tonsurandos nondum confirmatus, cui Sacramentum Confirmationis conferendum erit. Quocirca siquis erit sacra Confirmatione inaugurandus, Episcopus dimittet chirothecas, lavabit manus eique conferet Sacramentum istud quo modo innutum est capitulo I. libri huiusce. Tamen, si fieri posset, expediret magis, ut tonsurandus acciperet Sacramentum praedictum antecedenter.

46. Sedente Episcopo et mitra cooperto capite, Notarius accedet ad gradum infimum Altaris, appellaturus Ordinandos. Advertet autem in actione ista, ne tergum vertat ad Altare. Absentiae Notarii supplere poterit clericus quidam vel alius, secundum dispositionem ab Episcopo datam.

47. Archidiaconus, conversus ad Ordinandos, leget ex Pontificali inhibitionem, seu mandatum nomine Episcopi, idest « *Reverendissimus in Christo Pater et Dominus, Dominus* N. *Dei et Apostolicae sedis gratia Episcopus* N. *sub excommunicationis poena praecipit* etc. Si Episcopus esset Cardinalis, exprimetur dignitas, dicendo *Emus et Rmus in Christo Pater et Dominus, Dominus* N. *tituli Sancti* N. *S. R. E. Cardinalis* N. *Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopus* N. *sub excommunicationis poena* etc. Si ordinatio perageretur ab Episcopo extraneo, ex mandato Episcopi ordinarii, legetur semper praedictum mandatum nomine Episcopi ordinarii.

48. Post haec Archidiaconus invitabit tonsurandos, dicens: *Accedant qui promovendi sunt ad primam clericalem tonsuram.* Ceteri

ordinandi consurgent et redibunt sessum ad locum suum (*a*). Notarius immediate appellabit nomine tonsurandos, exprimens latine et nomen et cognomen singulorum, non praemittens titulum *Domini* neque alium quemquam, licet inter eos forte adesset aliquis vir nobilitate insignis. Advertet etiam Notarius tum hac vice, tum reliquis ne secundum appellet, nisi cum primus responderit *Adsum* et de suo loco surrexerit progressurus ad Altare. Omnibus appellatis tonsurandis, Archidiaconus redibit in chorum ad locum suum, quod faciet etiam deinceps Notarius.

49. Ad imum Altaris praesto erit Caeremoniarius, qui disponet ordinandos ante infimum gradum, aderuntque etiam duo quatuorve clerici (pro numero ordinandorum) qui candelas suo tempore accipiant et restituant ordinandis.

50. In promptu erunt Cappellani cum pontificali et scotula, qui stabunt prope sinistram Episcopi, clericus unus cum lance pro chirothecis, alter cum pelvi et forficibus cumque mantili imponendo super genibus Episcopi.

51. Genuflexis ante Altare tonsurandis, Episcopus assurget mitram capite gestans, recitabit ℣. *Sit nomen Domini* etc. deinde invitationem ad orationem *Oremus, fratres carissimi* etc. Postea sedebit et cum assistentibus recitabit antiphonam *Tu es, Domine* etc. cum versiculis psalmi *Conserva me*, *Domine* etc.

52. Interim ab assistentibus ponetur mantile super genua Episcopi, cui si difficile esset tondere capillos cum chirothecis, poterit eas deponere adiuvantibus assistentibus praedictis. Assistens primus meminerit ei tollere annulum, deinde reponere.

53. Repetita antiphona *Tu es, Domine*, se sistet Episcopo tonsurandus primus, et geniculabit ante eum. Episcopus ton-

(*a*) Secundum rubricam Pontificalis Romani deduci posset, ut Ordinandi omnes starent genibus flexis toto ordinationis tempore. At cum in rubricis subsequentibus dicatur quod Ordinati « redeunt ad loca sua » quod Archidiaconus « vocat ordinandos » id videtur esse inutile, si iam adessent genibus flexis ante Altare; ideoque rubrica superior videtur intelligenda esse pro illo tantum actu, in quo legitur interdictum sive mandatum. Talis est etiam praxis communiter servata.

debit illius capillos in formam Crucis, videlicet super frontem, super occipitium, super aurem dexteram, super sinistram et in medio, capillos autem postquam totonderit, deponet in lance. Tonsurandus, quum ei tondentur capilli super frontem, dicet *Dominus pars*, super occipitium *haereditatis meae*, super aurem dextram *et calicis mei* super aurem sinistram, *tu es qui restitues*, in medio capitis *haereditatem meam mihi*. Non esset abs re, ut Episcopus suggereret praedicta verba, quae repetentur a tonsurando. Eodem modo prosequetur Episcopus ceteris omnibus tonsurandis tondere capillos.

54. Clerici designati Ordinandis, accipient candelam ab unoquoque tonsurando, quum ascendet ad Altare et singulis illam restituent, quum descendent. Id ipsum observabunt deinceps relate ad reliquos Ordinandos, quum tangere instrumenta debebunt respectivi ordinis, quum vestientur ab Episcopo, et sic de reliquo.

55. Episcopus, si deposuerit chirothecas, recipiet illas, adiuvantibus assistentibus, quorum primus reponet etiam annulum eius digito, et secundus exuet ei mitram: assurget et conversus ad tonsurandos, dicet orationem *Oremus. Praesta quaesumus* etc.

56. Sedebit iterum Episcopus eique reposita a primo assistente mitra, recitabit cum ipsis assistentibus antiphonam *Hi accipient*, cum psalmo *Domini est terra* etc.

57. Interea clerici delecti assistendo ordinandis, advertent ut superpellicia tonsuratorum explicent, aperiant ac tradant singulis ita ut facile possit accipere Episcopus quum illa tonsuratis erit induturus.

58. Repetita supradicta antiphona, assistens secundus mitram exuet Episcopo, qui assurget, convertetur ad Altare et dicet *Oremus*. Assistens primus subiunget *Flectamus genua* et genuflectent universi uno tantum genu, exceptis Episcopo et duobus Cappellanis a libro et a scotula; secundus assistens immediate dicet *Levate* omnesque consurgent. Episcopus convertetur ad tonsuratos ac dicet orationem *Adesto Domine supplicationibus* etc.

59. Episcopus sedebit eique reponetur mitra a primo assi-

stente. Tonsuratus primus se sistet Episcopo, qui accepto superpelliceo, quod ille manu gestabit, induet ipsum recitans formulam *Induat te Dominus* etc. (*a*).

60. Omnibus tonsuratis superpellicio indutis, assistens secundus exuet mitram Episcopo, qui assurgens et conversus ad tonsuratos dicet orationem *Oremus. Omnipotens sempiterne Deus* etc.

61. Postea sedebit ac resumpta mitra, quam ei reponet primus assistens, admonebit novos clericos, legens e Pontificali formulam *Filii dilectissimi animadvertere debetis* etc.

62. Interim Archidiaconus redibit ad Altare et, peracta ab Episcopo admonitione, quam supra innuimus, dimittet ordinatos, dicens elata voce *Ad loca vestra*, vel *Recedant qui ordinati sunt clerici*. Quod si unus tantum erit ordinatus, tum hac vice tum deinceps, Archidiaconus dicet *Ad locum tuum*, vel *Recedat qui ordinatus est clericus*. Itaque tonsurati consurgent et debitis peractis reverentiis aut genuflexionibus, revertentur ad locum suum.

63. Profectis Ordinatis, si fuerit Sabbatum *Sitientes*, Episcopus dimittet mitram, assurget, removebitur faldistorium de medio Altaris, et ipse ad Altare conversus recitabit cum assistentibus *Kyrie* in Missa. Sin autem Ordinatio habebitur in quatuor temporibus, Episcopus dimissa mitra assurget, accedet ad Missale, dicet *Oremus*, assistentes autem *Flectamus genua* et *Levate*, leget orationem primam et primam lectionem, qua lecta, redibit ad medium Altaris, sedebit faldistorio, cooperietur mitra auriphrygiata ab assistente primo et super genibus eius ponetur gremiale.

64. Archidiaconus redibit ad Altare et invitabit Ordinandos ad ostiariatum, dicens *Accedant qui ordinandi sunt ad Officium Ostiariorum*. Notarius vocabit singulos Ordinandos eadem methodo, qua tonsurandos, et unusquisque illorum respondebit *Adsum* ac veniet geniculatum ante Altare.

(*a*) In Pontificali reperitur rubrica sequens, quae respicit circumstantiam illam, in qua unum sit tantum superpelliceum, tonsuratis induendum: *Et mox imponit illud* (superpelliceum) *cuique, repetendo* Induat te Dominus etc. *immittens usque ad scapulas et immediate trahens, si unum tantum sit superpelliceum: sicque facit usque ad ultimum, qui eo totaliter induitur.*

65. Episcopus admonitionem eis habebit *Suscepturi*, *filii carissimi* etc. quam leget ex Pontificali et interim a Caeremoniario vel a clerico aliquo habebuntur in promptu claves, tangendae deinde ab Ordinandis.

66. Admonitione peracta, Episcopus dextra accipiet claves, ascendent ad Altare duo tresve Ordinandi, qui dimissa candela, geniculabunt super gradum superiorem ante Episcopum, qui porriget eis claves et recitabit formulam *Sic agite* etc. et singuli Ordinandi imponent dextram manum super claves neque removebunt eam priusquam Episcopus recitaverit totam formulam supra innutam. Hoc autem successive fiet a reliquis, si qui supererunt.

67. Clavibus ab omnibus Ordinandis contactis, discedet de Altari Archidiaconus. Consurgent Ordinati et cum debitis reverentiis de Altari discedent et sequentur Archidiaconum, qui deducet eos ad portam primariam vel etiam ad lateralem ecclesiae, quam claudent et aperient; tum ab ipso Archidiacono ad turrim campanarum ducentur, ubi singulis tradet chordam unius campanae, quam pulsabunt uno tinnitu sive ictu mallei: si tamen difficilis erit ascensus ad praedictam turrim, ducet eos ad ostium Sacrarii, ubi tradita singulis fune campanulae ad ostium illud appensae, iubebit singulos pulsare campanulam uno tinnitu.

68. Redibit ad Altare Archidiaconus, sequentibus ordinatis ostiariis et conficient debitas reverentias vel genuflexiones. Archidiaconus redibit ad locum suum in chorum; ordinati autem, resumpta candela, geniculabunt ante Altare.

69. Episcopus dimittet gremiale, quod ei tolletur ab assistente secundo, assurget retinens capite mitram et leget invitationem ad orationem *Deum Patrem omnipotentem* etc. Secundus deinde assistens mitram exuet Episcopo, qui conversus ad Altare dicet *Oremus* (assistentes autem *Flectamus genua* et *Levate*, ut supra) et conversus ad Ordinatos recitabit orationem *Domine sancte* etc.

70. Archidiaconus redibit ad Altare. Post orationem Episcopus sedebit et rursus cooperietur mitra ab assistente primo. Tunc Archidiaconus dimittet Ordinatos cum formula *Ad*

loca vestra, vel cum altera *Recedant qui ordinati sunt ostiarii.* Ordinati consurgent, conficient debitas genuflexiones aut reverentias ad Episcopum et ad Altare ac revertentur ad locum suum.

71. Si fuerit Sabbatum *Sitientes*, procedetur immediate ad ordinationem Lectorum, ut infra: in quatuor temporibus Episcopus deponet mitram, redibit ad Missale, leget versiculum qui sequitur lectionem primam, subiunget deinde secundam orationem et leget lectionem secundam, ut in Missali.

72. Post lectionem secundam redibit Episcopus ad medium Altaris, sedebit in faldistorio, cooperietur mitra ab assistente primo, a quo recipiet etiam gremiale super genua. Archidiaconus reveniet ad Altare et vocabit ordinandos ad lectoratum, dicens *Accedant qui ordinandi sunt ad officium lectorum.* Notarius eos nomine appellabit, ipsi respondebunt *Adsum* et procedent ad Altare geniculatum, ut superius de tonsurandis.

73. Clericus unus aut Caeremoniarius in promptu habebit Missale tradendum Ordinandis et Archidiaconus postquam appellati fuerint, redibit ad locum suum.

74. Genuflexis ante Altare Ordinandis, Episcopus admonitionem habebit eamque leget ex Pontificali, post ipsam tolletur ei gremiale ab assistente secundo, et ipse ambabus manibus accipiet Missale, quod sustinebit super genibus. Ordinandi, bini vel terni iunctim, depositis candelis ascendent ad Altare, geniculabunt super gradum superiorem ante Episcopum, qui praesentabit eis Missale, cui singuli imponent dextram, neque eam removebunt priusquam Episcopus totam recitaverit formulam *Accipite et estote* etc. Profectis primis, ascendent reliqui, et Missale manu tangent, ut de primis dictum est, et ab Episcopo recitabitur formula, quam innuimus.

75. Tradito omnibus Missali, genuflexi ante Altare recipient candelam ardentem. Episcopus assurget et conversus ad Ordinatos recitabit invitationem ad orationem *Oremus*, *fratres carissimi* etc. Ab assistente secundo mitra nudabitur Episcopus, qui ad Altare conversus dicet *Oremus*, (assistentes autem *Flectamus genua* et *Levate*) iterumque ad Ordinatos conversus recitabit orationem *Domine sancte* etc. Tum sedebit Episcopus et ab assistente primo rursus cooperietur mitra auriphrygiata.

76. Archidiaconus redibit ad Altare et dimittet Ordinatos, dicens *ad loca vestra*, vel *recedant qui ordinati sunt lectores*. Ordinati consurgent et cum debitis reverentiis aut genuflexionibus ad locum suum se recipient.

77. Si Ordinatio locum habebit in Sabbato *Sitientes*, Episcopus prosequetur sedere faldistorio, processurus ad ordinationem Exorcistarum ; sin autem habebitur ordinatio in Sabbato quatuor temporum, secundus assistens mitram exuet Episcopo, qui assurget, accedet ad Missale et leget versiculum post lectionem secundam, recitabit orationem tertiam ac tertiam lectionem et post ipsam revertetur ad faldistorium.

78. Sedente in faldistorio Episcopo et a primo assistente cooperto mitra et accepto gremiali super genibus, Archidiaconus, qui ad Altare redierit, invitabit ordinandos ad exorcistatum, dicens *Accedant qui ordinandi sunt ad officium Exorcistarum*. Notarius appellabit ordinandos, qui respondebunt *Adsum* et geniculatum venient ante Altare, ut superius.

79. Clericus unus in promptu habebit Missale tradendum ordinandis.

80. Ordinandis genuflexis, Episcopus admonitionem habebit, quam leget ex Pontificali, videlicet *Ordinandi filii carissimi* etc. post quam, dimisso gremiali, accipiet ambabus manibus Missale et sustinebit ipsum super genibus. Duo tresve ordinandi, dimissa candela, ascendent iunctim ad Altare, geniculabunt super gradum infimum ante Episcopum, et manum dexteram imponent Missali nec removebunt eam, nisi quum Episcopus totam recitaverit formulam *Accipite et commendate memoriae* etc.

81. Missale traditum omnibus ordinatis, qui redeuntes geniculatum ante Altare candelam recipient, ab uno clerico reportabitur ad abacum; Episcopus assurget, et quin dimittat mitram, conversus ad Ordinatos leget invitationem ad orationem *Deum Patrem omnipotentem* etc. Dimissa autem mitra ope secundi assistentis, convertetur ad Altare, dicet *Oremus* (assistentes autem *Flectamus genua* et *Levate*) ac rursus ad ordinatos conversus, recitabit orationem *Domine sancte* etc.

82. Episcopus sedebit et mitra rursus cooperietur. Ar-

chbidiaconus, iam reversus ad Altare, dimittet Ordinatos proferens formulam *ad loca vestra*, vel *recedant qui ordinati sunt Exorcistae.* Ordinati consurgent et cum debitis genuflexionibus aut reverentiis redibunt ad locum suum

83. In Sabbato *Sitientes* procedetur immediate ad ordinationem Acolythorum; in Sabbato quatuor temporum, Episcopus mitra nudatus ab assistente secundo, assurget, redibit ad Missale et leget versiculum qui sequitur lectionem tertiam, deinde recitabit quartam orationem et subiunget lectionem quartam, post quam redibit sessum ad faldistorium positum in medio Altaris.

84. Sedens faldistorio Episcopus cooperietur mitra auriphrygiata ab assistente primo, a quo recipiet etiam gremiale super genibus. A clerico aliquo ponetur in Altari ampulla vacua et candelabrum cum candela extincta. Archidiaconus redibit ad Altare, invitabit Ordinandos ad Acolythatum utens formula consueta *Accedant qui ordinandi sunt ad officium Acolythorum.* Notarius appellabit Ordinandos, qui respondebunt *Adsum* et geniculatum venient ante Altare.

85. Admonebit eos Episcopus, recitans formulam in Pontificali praescriptam, nempe *Suscepturi filii carissimi* etc. Post admonitionem Episcopus dimittet gremiale et iunctim ad Altare ascendent duo tresve Ordinandi, deposita prius candela. Episcopus candelabrum accipiet cum candela extincta, ipsumque porriget Ordinandis, qui pollice manus dexterae tangent candelabrum et indice manus eiusdem contingent candelam, durante recitatione formulae *Accipite ceroferarium* etc. quam proferet Episcopus. Candelabrum cum candela, postquam ab omnibus Ordinandis contactum erit, vel traditum, Episcopus deponet et accipiet ampullam vacuam. Redibunt iunctim duo tresve Ordinandi ad Altare, genuflectent ante Episcopum, qui praesentabit eis ampullam vacuam, cui imponent digitos duos, indicem et medium dextrae neque removebunt eos, nisi quum Episcopus recitare totam desiverit formulam *Accipite urceolum* etc.

86. Genuflexis ante Altare Ordinatis, receptaque ab ipsis candela, assurget Episcopus et mitram capite gestans leget invitationem *Deum Patrem Omnipotentem* etc. Dimissa dein mitra

ope secundi assistentis, convertetur ad Altare, dicet *Oremus* (assistentes autem *Flectamus genua* et *Levate*) et conversus ad Ordinatos recitabit orationem *Domine Sancte* etc. Subiiciet deinde reliquas duas orationes, perstans eodem statu.

87. Sedebit Episcopus, mitra cooperietur ab assistente primo, et Archidiaconus reversus ad Altare, dimittet Ordinatos cum formula consueta *ad loca vestra* vel *recedant qui ordinati sunt Acolythi.* Ordinati consurgent et cum debitis reverentiis vel genuflexionibus revertentur ad locum suum.

88. Profectis Ordinatis, Episcopus dimittet mitram, qua exuetur a secundo assistente et redibit ad Missale. Si Ordinatio habebitur in Sabbato quatuor temporum, leget versiculum post quartam lectionem, deinde subiunget quintam orationem et lectionem quintam. Si erit in Sabbato *Sitientes*, exutus mitra ut supra, ad remoto faldistorio de medio Altari, Episcopus Altare osculabitur et conversus ad populum dicet *Dominus vobiscum.* Postmodum accedet ad Missale, leget orationem Missae, cui adiunget alteram orationem pro Ordinandis sub unica conclusione, quam sequentur orationes reliquae a rubrica praescriptae.

89. Post haec reveniet ad faldistorium, quod repositum erit in medio Altaris, sedebit, cooperietur iterum mitra ab assistente primo, a quo recipiet gremiale, et reversus Archidiaconus ad Altare invitabit Ordinandos ad Subdiaconatum, proferens formulam *Accedant qui ordinandi sunt Subdiaconi.* Notarius appellabit eos, nomini et cognomini adiungens titulum, ad quem ordinabuntur, exempli gratia *patrimonii sui*, vel *pensionis ecclesiasticae* vel *beneficii* aut *cappellaniae*, vel *paroeciae*; ac si ordinandus erit regularis, dicetur *Frater N. N. professus ordinis Sancti N. ad titulum paupertatis*, vel *ad titulum Missionum* aut *mensae communis*, secundum privilegia a S. Sede concessa diversis Regularium familiis. Ordinandi autem respondebunt *Adsum*, procedent ante Altare, restantes longe ab infimo gradu passibus duobus tribusve, ibique stabunt in pedes. Episcopus admonebit eos de obligatione, quam in se recepturi sunt per ordinationem, legens ex Pontificali formulam *Filii dilectissimi, ad sacrum* etc. Post admonitionem, Ordinandi approximabunt ad Altare et geniculabunt.

90. Notandum autem est, quod admonitio antedicta locum habet quum ordinandi sunt clerici saeculares tantum; si cuncti ordinandi essent regulares, admonitio omittetur.

91. Archidiaconus invitabit reliquos ordinandos ad Diaconatum et ad Presbyteratum, dicens *Accedant qui ordinandi sunt Diaconi et Presbyteri* et ipsi procedent ante Altare, eo tamen discrimine, ut ordinandi Subdiaconatu genuflectant in latere Epistolae, ordinandi Diaconatu in latere Evangelii, ordinandi autem Presbyteratu in medio ante Altare, si poterit id commode fieri et si numerus ordinandorum patietur, secus disponentur ut commodius videbitur.

92. Clerici designati, candelas recipient ab omnibus ordinandis et extinguent, advertentes ut eas iterum accendant sub finem Litaniarum.

93. Ordinandis hoc modo dispositis, Episcopus assurget ac retinens mitram capite, convertetur ad Altare et geniculabit in faldistorio, ante quod apponetur ad hanc rem a clerico pulvinus. Ordinandi procumbent super pavimentum, quod erit coopertum tapeto, quemadmodum monuimus superius, ceteri omnes geniculabunt.

94. Episcopus genuflexus recitabit Litanias, ut in Pontificali, eique respondebunt assistentes et ceteri adstantes. Cappellanus a baculo in promptu habebit baculum sub finem Litaniarum, itemque praesto erit Cappellanus a libro, sustenturus eum Episcopo in benedictione, quam impertietur ordinandis. Postquam Episcopus totum recitaverit versiculum *Ut omnibus fidelibus defunctis* etc. eique responsum fuerit *Te rogamus audi nos*, assurget, stantibus adhuc genibus flexis ceteris omnibus, convertetur ad ordinandos et baculo sinistra accepto, benedicet ipsos ut in Pontificali *Ut hos electos* etc. Dimittet baculum, convertetur ad Altare, genuflectet iterum et recitationem Litaniarum explebit.

95. Litaniis recitatis, assurget Episcopus et cum ipso ceteri omnes qui genuflexerant. Ordinandi de prostratione assurgent et clerici restituent illis candelas ardentes. Archidiaconus ex Altari ad ordinandos conversus, dicet *Recedant qui ordinandi sunt Diaconi et Presbyteri*, qui consurgent in pedes et

cum debitis reverentiis redibunt ad loca sua, exceptis ordinandis ad Subdiaconatum, qui perstabunt nixi genibus ante Altare.

96. Episcopus, ubi recitatis litaniis surrexerit, sedebit faldistorio et a primo assistente reponetur ei gremiale. Caeremoniarius in promptu habebit calicem cum patena, qui tradendus erit Ordinandis. Quum ceteri Ordinandi, ut supra dictum est, recesserint, Episcopus admonebit promovendos ad Subdiaconatum, legens formulam in Pontificali praescriptam *Adepturi filii carissimi* etc.

97. Clerici designati ad assistentiam ordinandorum, tollent eis candelas ardentes et aptabunt ipsis amictum extra albam, ut commode possit Episcopus illum imponere singulorum capiti. Clericus unus accipiet ampullas vini et aquae plenas, cum pelvicula et manutergio et consistet prope Altare, traditurus eas debito tempore Archidiacono.

98. Post admonitionem, secundus assistens tollet gremiale Episcopo, qui ambabus manibus calicem cum patena accipiet. Duo tresve ordinandi ascendent iunctim ad Altare et congeniculabunt ante Episcopum, qui porriget eis calicem cum patena. Apponent pollicem dextrum cuppae calicis, indicem autem et medium quoque pariter dextrum, super patenam, neque removebunt digitos nisi quum Episcopus pronuntiaverit formulam integram *Videte cuius ministerium* etc.

99. Ordinati, tacto calice cum patena, consurgent et venient versus latus Evangelii, ubi aderit Archidiaconus, qui offeret ei tangendas ampullas vini et aquae et manutergium cum pelvicula. Postea redibunt geniculatum ante Altare.

100. Hisce duabus actionibus ab omnibus peractis, omnibusque genuflexis, ante Altare, Episcopus assurget et mitram capite gestans recitabit invitationem ad orationem *Oremus Deum ac Dominum* etc. Dimittet mitram, qua exuetur ab assistente secundo, convertetur ad Altare, dicet *Oremus* (assistentes *Flectamus genua* et *Levate*) iterumque conversus ad ordinatos subiiciet orationem *Domine sancte* etc. Hoc tempore clerici ad hoc delecti explicabunt et aptabunt tunicellam et manipulum super brachia ordinandorum, ut faciliter ab Episcopo unusquisque eorum possit vestiri.

101. Episcopus sedebit in faldistorio et ab assistente primo rursus cooperietur mitra. Ordinati consurgent et unus post alium accedent ad Altare ac geniculabunt ante Episcopum, qui accipiens amictum imponet eum singulis in capite, dicens *Accipe amictum* etc. Manipulum deinde accipiet et singulis ponet in brachio sinistro, dicens *Accipe manipulum* etc. Postremo tunicellam accipiet eamque induet unicuique eorum, dicens *Tunica iucunditatis* etc. (*a*). Clericus unus in promptu habebit Missale tradendum ordinatis.

102. Postquam induti erunt omnes Ordinati, redibunt iunctim duo tresve ipsorum ad Episcopum, quibus ante ipsum genuflexis, praesentabit Epistolarium vel Missale cui manum dextram imponent, neque eam removebunt a libro nisi quum Episcopus integram recitaverit formulam *Accipite potestatem* etc. Ordinati, tacto vel tradito Epistolario, resument candelam; Archidiaconus autem dimittet eos cum formula *ad loca vestra*, vel *recedant qui ordinati sunt Subdiaconi*. Consurgent Ordinati et cum praescriptis reverentiis vel genuflexionibus ad locum suum revertentur.

103. Episcopus mitra nudatus ab assistente secundo, assurget de faldistorio et accedet ad Missale. In Sabbatis quatuor temporum hiemis, autumni et veris leget canticum *Benedictus es, Domine* post lectionem quintam, deinde in medio Altaris dicet *Dominus vobiscum* conversus ad populum, et conversus ad Missale leget orationem, cui adiunget collectam pro Ordinandis sub unica conclusione, et reliquas orationes a rubrica praescriptas. Postea leget Epistolam.

104. In Sabbato quatuor temporum aestatis leget *Alleluia* cum cantico *Benedictus es*, deinde in medio Altaris recitabit *Gloria in excelsis*, tum *Pax vobis*, orationes et Epistolam, ut supra.

105. In Sabbato *Sitientes* leget tantum Epistolam. (*b*).

(*a*) Advertatur rubrica Pontificalis, ut iam notavimus de tonsurandis agentes « *Si unica tantum sit* (tunica) *immittit illam usque ad scapulas ac retrahit, postremo totaliter induens*.

(*b*) Praescribitur a Pontificali, ut Epistola cantetur *per unum ex Subdiaconis noviter ordinatis*. Quum autem fiet ordinatio sine cantu, non videtur posse locus esse huic rubricae. In Laterana Basilica, ubi celebrantur or-

106. Lecta Epistola, redibit Episcopus ad faldistorium, ubi sedebit, cooperietur mitra ab assistente et super genibus recipiet gremiale. Archidiaconus redibit ad Altare et invitabit Ordinandos ad Diaconatum, utens formula *Accedant qui ordinandi sunt ad Diaconatum*. Notarius eos nomine compellabit, nullo addito ordinationis titulo, iique singuli respondebunt *Adsum*, procedent ante Altare et geniculabunt.

107. Archidiaconus postulabit ab Episcopo ut velit ad ordinationem procedere, dicens *Reverendissime Pater postulat* etc. (*a*). Episcopus interrogabit Archidiaconum *Scis illos dignos esse*? Respondebit Archidiaconus *Quantum humana fragilitas* etc. Episcopus subiunget *Deo gratias*, eosque nunciabit Clero et populo, dicens *Auxiliante Domino* etc. Lecta annunciatione, post brevem interpositam moram admonebit Ordinandos, admonitionem legens ex Pontificali *Provehendi, filii dilectissimi* etc. Interim clerici tollent candelas Ordinandis et disponent ipsis paramenta, ut Episcopus faciliter eos possit induere.

108. Episcopus post admonitionem perget sedere et mitram in capite retinens, prosequetur alteram exhortationem ad Clerum et ad populum *Commune votum* etc. Dimittet gremiale, assurget ac mitram in capite retinens leget invitationem ad orationem *Oremus fratres carissimi* usque ad verba *vivit et regnat Deus*, post quae per assistentem secundum dimittet mitram, et stans in pedes manibusque ante pectus expansis, recitabit

dinationes cum cantu, vidi, dum Epistola a Subdiacono cantatur, stare in pedes omnes ordinatos ad Subdiaconatum, ut indicetur fortasse illo actu, quod illorum esset officium cantare Epistolam. Hic tamen est usus illius Basilicae specialis, quem non ausim suadere aliis, ut admittant; siquidem non satis regulare videtur, quod una chori pars stet in pedes, dum sedeant ceteri omnes. Praeterea stando obsistitur auctoritati rubricae illius, cuius talis non videtur esse sensus. In aliqua privata unius Subdiaconi ordinatione, vidi a Subdiacono eodem legi Epistolam simul cum Episcopo celebrante. Porro ego praxim refero; iudicium autem penes auctoritatem sit. Videtur tamen, quod lectio Epistolae aut Evangelii simul cum Celebrante, proprie spectet ad ritum concelebrationis. Diaconi et Subdiaconi nunquam possunt nec poterunt concelebrare defectu ordinis debiti.

(*a*) Si ordinans erit Cardinalis, Archidiaconus dicet *Eminentissime et Reverendissime Pater, postulat* etc.

praefationem usque ad finem partis primae, videlicet ad verba *agenda concedere.*

109. Consurgent ordinandi: unus post alium ascendent ad altare et geniculabunt ante Episcopum, qui singulis imponet capiti dexteram manum, dicens *Accipe Spiritum Sanctum* etc. Unusquisque ordinatorum post impositionem manus Episcopi redibit ad locum suum ante Altare et geniculabit.

110. Postquam Episcopus dextram imposuerit singulis ordinatis, sinistram applicabit pectori et dexteram sustinebit elatam et extensam ferme ad altitudinem vultus sui versus ordinatos ac prosequetur legere secundam praefationis partem *Emitte in eos, quaesumus, Domine* etc. Iunget autem manus ad conclusionem *Per eumdem Dominum* etc. quam leget submissa voce, ut vix audiri possit ab adstantibus.

111. Episcopus faldistorio sedebit eique reponetur mitra ab assistente primo. Consurgent ordinati, et singuli sive unus post alium ascendent ad Altare et geniculabunt ante Episcopum. Episcopus stolam accipiet, porriget osculandam Ordinato et super eum faciens Crucis signum, imponet illam super eius scapulam sinistram, dicens *Accipe stolam candidam* etc. Praesto ibi erit clericus unus, qui statim cingulo cohibebit utramque partem stolae super latus dexterum ordinati. Episcopus accipiet dalmaticam, eamque induet ordinato, dicens *Induat te Dominus* etc. Clericus unus advertet ut ordinato extrahat manipulum ex manica sinistra dalmaticae (*a*). Curae etiam erit clerico alicui habere in promptu apud Altare Evangeliarium aut Missale, tradendum ordinatis.

112. Omnibus indutis novis Diaconis, duo tresve illorum simul ascendent ad Episcopum, qui utraque manu sustinens Evangeliarium vel Missale, iubebit eos imponere libro ipsi dexteram manum, quam inde non removebunt, nisi quum Episcopus expleverit recitationem formulae *Accipite potestatem.* etc.

113. Ordinati revenient ante Altare et geniculabunt, ut in principio functionis, et clerici supra dicti restituent eis can-

(*a*) Eadem pro Diaconis, ut pro tonsurandis et Subdiaconis, est rubrica, si unica tantum esset dalmatica.

delam ardentem. Post Evangeliarii traditionem omnibus ordinatis, Episcopus ab assistente secundo nudabitur mitra. Tum assurget, convertetur ad altare, dicet *Oremus*, assistentium alter *Flectamus genua* alter *Levate*. Episcopus rursus ad ordinatos conversus, dicet orationem *Exaudi Domine* etc. Subiunget deinde orationem alteram *Oremus. Domine Sancte* etc. Sedebit Episcopus et mitra iterum cooperietur ab assistente primo. Archidiaconus reversus ad Altare dimittet ordinatos cum formula usitata *Ad loca vestra*, vel *Recedant qui ordinati sunt Diaconi*. Ordinati consurgent et cum debitis reverentiis vel genuflexionibus redibunt ad locum suum.

114. Episcopus nudabitur mitra a secundo assistente, assurget, redibit ad Missale et leget Tractum usque ad ultimum versiculum et in Sabbato quatuor temporum Pentecostes leget Sequentiam exclusive usque ad ultimum versiculum.

115. Redibit ad medium Altaris, sedebit faldistorio, cooperietur mitra ab assistente primo et ab eodem imponetur ei gremiale super genua. Archidiaconus redibit ad Altare, invitabit ordinandos ad Presbyteratum, dicens *Accedant qui ordinandi sunt ad ordinem Presbyteratus*. Notarius appellabit eos, singuli respondebunt *Adsum* et geniculatum procedent ante Altare. Omnibus ordinandis appellatis et ante Altare genuflexis, ut supra, Archidiaconus conversus ad Episcopum, postulabit ab ipso ordinationem, dicens *Reverendissime Pater*, *postulat* etc. Episcopus quaeret *Scis illos dignos esse*? Respondebit Archidiaconus, *Quantum humana fragilitas* etc. Subiunget Episcopus *Deo gratias*. Tunc de Altari recedet Archidiaconus, et Episcopus ordinationem Clero ac populo nunciabit, legens ex Pontificali formulam *Quoniam fratres carissimi*, *rectori navis* etc. Brevissima interposita mora, admonitionem habebit ad ordinandos, nempe *Consecrandi*, *filii dilectissimi* etc.

116. Interim a clericis designatis tollentur ordinatis candelae; a clerico altero distribuentur stolae tribus Presbyteris, qui manus debebunt ordinandis imponere, postquam ipsis suas imposuerit Episcopus; aptabitur stola unicuique ordinando ita ut facile illi possit replicari super pectus et accomodabitur etiam planeta quo modo ipsam Episcopus erit illi impositurus.

117. Admonitione absoluta, Presbyteri supra dicti stolam sibi collo imponent et accedent ad Altare, non tamen ascendentes ad ipsum. Ordinandi consurgent et unus post alium ascendent ad Altare et geniculabunt ante Episcopum. Episcopus assurget et singulis Ordinandis utramque manum imponet nullam proferens formulam. Novi Presbyteri, postquam Episcopus manus eis imposuerit, redibunt geniculatum ante Altare. Episcopus, posteaquam omnibus Ordinandis imposuerit manus, prosequetur stare et manum dexteram extensam et apertam sustinebit versus eosdem. Presbyteri qui stolam collo imposuerint et praesto erunt apud Altare, imponent successive manum utramque super singulos Ordinandos, deinde quemdam ferme semicirculum efficientes, consistent a tergo ipsorum, sustinentes dexteram extensam versus eosdem quo modo suam sustinebit Episcopus. Tunc Episcopus stans adhuc ad ordinandos conversus, dicet *Oremus fratres carissimi* etc.

118. Episcopus dimittet mitram: Presbyteri sibi tollent e collo stolam et revertentur ad loca sua. Episcopus convertetur ad Altare, dicet *Oremus*, assistentes *Flectamus genua* et *Levate*, atque iterum ad Ordinatos conversus Episcopus recitabit orationem *Exaudi nos quaesumus* etc. dein prosequetur praefationem, quam recitabit manibus ante pectus apertis et voce submissa ut ab adstantibus tantum audiri possit.

119. Rursus sedebit Episcopus et mitra cooperietur a primo assistente. Consurgent Ordinati et unus post alium ascendent ad Altare et geniculabunt ante Episcopum, qui accipiet partem dexteram stolae, quae aderit super scapulis, eamque replicabit super pectus unicuique ex Ordinatis, dicens *Accipe iugum Domini* etc. Unus clericorum advertet ut singulis ordinatis firmet cingulo partem dexteram stolae super latus sinistrum. Episcopus accipiet planetam replicatam et convolutam in parte posteriori, eamque induet singulis Ordinatis dicens *Accipe vestem sacerdotalem* etc. Ordinatus respondebit *Deo gratias*. Planeta pendebit ex parte anteriori tantum et firmabitur lemniscis ante pectus; pars autem posterior erit involuta et replicata super humeros. De Altari descendet qui primus est ordinatus et geniculabit quo loco prius erat eodemque tempore ascendet ad Al-

tare secundus qui induetur eadem ratione ac primus atque ita porro de ceteris.

120. In promptu aderit pelvicula ad ponendas chirothecas Episcopi, gremiale lineum, ponendum super genua Episcopi et laux cum vasculo Olei sacri Catechumenorum et aliquanto gossipio soluto.

121. Omnibus Ordinatis indutis, secundus assistens tollet mitram Episcopo, qui assurget in pedes, et non praemittens *Oremus*, dicet conversus ad Ordinatos orationem *Deus sanctificationum* etc. Postea conversus ad Altare genua flectet in pulvino, quem ipsi apponet clericus ante faldistorium ac dimisso etiam pileolo per primum assistentem, recitabit cum assistentibus supradictis hymnum *Veni creator Spiritus* quo absoluto, reponetur ei pileolus, assurget, removebitur pulvinus et sedebit in faldistorio. Assistens primus reponet ei mitram, deinde annulum educet e digito eius: postmodum ab utroque assistente tollentur ei chirothecae, quae ponentur in lance sustenta ab aliquo clerico. Primus assistens ei reponet annulum et adiuvante secundo extendetur gremiale lineum super genua, quod lemniscis poterit cohiberi nodis faldistorii.

122. Consurgent Ordinati et unus post alium ascendent ad Altare et geniculabunt ante Episcopum. Genuflexus primus ex ordinatis advertet ut attollat super pulsos manicas albae et vestis talaris, si opus fuerit, et sustineat manus apertas cum digitis et pollicibus simul iunctis. Episcopus autem intinget pollicem dexterum in oleum sacrum Catechumenorum, quod ei sustinebitur a clerico genuflexo a dextris eius, et unctionem peraget super manus ordinati, dicens *Consecrare et sanctificare* etc.

123. Episcopus unctionem peraget in modum Crucis efficiendo binas lineas rectas super manus Ordinati, primam earum a pollice manus dextrae usque ad indicem sinistrae, alteram a pollice sinistrae ad indicem dexterae, deinde prosequetur inungere palmas manuum ordinati, donans benedictionem *et per nostram benedictionem*, nullaque alia facta unctione

prosequetur *ut quaecumque benedixerit* etc. (*a*). Ordinatus respondebit *Amen*.

124. Episcopus claudet manus ordinati et unus ex cappellanis vel assistentibus accipiet sudarium, quod ordinatus appensum habebit ad cingulum et ipso ligabit ei manus, ne fluere per brachium vel etiam in terram possit Oleum sacrum, quo facta erit unctio.

125. Descendet de Altari primus ordinatus et ascendet secundus, cui fiet unctio eodem modo ac primo, et sic de ceteris.

126. Interim in promptu habebitur calix cum vino et patena cum hostia, tradenda ordinatis, instrumenta lotionis manuum pro Episcopo et altera pro ordinatis: poterit etiam poni ante Altare scamnum coopertum panno viridi sine postergali, super quo praeparata aderunt Missalia utenda ab ordinatis in concelebratione, et praesto erunt Presbyteri superpellicio induti, qui assistere ordinatis debebunt.

127. Post unctionem ultimi ordinati, Episcopus absterget suum pollicem dexterum aliquantulo gossipio; accipiet calicem cum vino in manum sinistram et patenam cum hostia in manum dexteram et advertet ut admoveat hostiam ad marginem patenae versus ordinatum, patenam autem sustinebit superpositam calici.

128. Ascendet ad Altare primus ordinatus et geniculabit ante Episcopum, qui praesentabit ipsi patenam cum hostia et calicem cum vino; ordinatus, manibus adhuc sudario involutis tanget hostiam et patenam duobus digitis indicibus, cuppam autem calicis duobus digitis mediis, dum Episcopus recitabit formulam *Accipe potestatem* etc. Descendente primo, ascendet

(*a*) Satis patet rubrica Pontificalis Romani de modo, quo debeat Episcopus unctionem peragere super manus novorum Presbyterorum. *Pontifex cum Oleo Catechumenorum inungit unicuique ambas manus simul iunctas* IN MODUM CRUCIS, *producendo cum pollice suo dextero* DUAS LINEAS, *videlicet a pollice dexterae manus usque ad indicem sinistrae, et a pollice sinistrae usque ad indicem dexterae, ungendo mox totaliter palmas, dicens* etc. Si fiat unctio alio modo, non fit amplius in modum Crucis, neque efficiuntur amplius duae lineae, sed potius duo circuli, contra quod a Pontificali dilucide praescribitur.

alter atque ita deinceps reliqui, advertendo tamen ut haec actio fiat unicuique Ordinato singillatim, siquidem quum habeant manus involutas, difficile esset et ferme impossibile, ut eodem tempore a pluribus illorum fieret secure et commode.

129. Postquam Ordinati tetigerint calicem et patenam, accedent ad abacum ipsis praeparatum, ibique lavabunt manus medulla panis et mali medici, easque abstergent sudario, quo erant involutae, vel manutergiis, si aderunt praeparata. Aliquot clerici fundent aquam super manus eorum, dum lavabunt.

130. Post haec Ordinati venient geniculatum ad scamnum cum Missalibus, quae ipsis erunt ibi praeparata, et a clericis accipient candelam ardentem.

131. Episcopus manus lavabit, adhibens pro pollice dextero medullam panis et mali medici: dimittet gremiale, extrahetur annulus ex eius digito, reponentur ei chirothecae, dein annulus a supradictis assistentibus.

132. Abluente manus Episcopo, assurgent in pedes Canonici, ceteri omnes genua submittent.

133. Manibus ab Episcopo ablutis, tolletur ei mitra, assurget et accedet ad Missale, unde leget ultimum versiculum Tractus vel Sequentiae. A clericis removebitur faldistorium de medio Altari.

134. Episcopus transibit ad medium Altaris et dicet *Munda cor meum* etc. interea dum ab uno ex cappellanis Episcopi transferetur Missale cum cussino vel legili ad latus Evangelii.

135. Transibit Episcopus in latus Evangelii et Evangelium leget ex Missali (*a*) quam ad lectionem stabunt universi. Lecto et osculato Evangelio, redibit Episcopus ad medium Altaris, ac si fuerit Sabbatum quatuor temporum Pentecostes, recitabit *Credo*, in aliis autem Sabbatis omittetur: postea osculatus Altare, convertetur ad populum, dicet *Dominus vobiscum* et conversus ad Altare, dicet *Oremus* ac leget offertorium.

136. Interim praesto erunt clerici, reposituri fàldistorium in suppedaneo Altaris. Caeremoniarius vel unus de Cappel-

(*a*) Monet Pontificale, quod *aliquis de novis ordinatis dicit Evangelium:* Perpendatur quod relate ad Subdiaconos notavimus num. 105. capituli huius.

lanis Episcopi afferet ad Altare calicem etc. cum pyxide, explicabit corporale in medio Altari, et prope ipsum collocabit calicem et pyxidem. In promptu erunt Ministri soliti, ministraturi Episcopo lotionem manuum. Clericus unus afferet ampullas vini et aquae in pelvicula easque deponet in latere Epistolae.

137. Episcopus, lecto offertorio, recedet aliquantulum de medio Altari, ut locum praebeat clericis reponendi faldistorium; posito faldistorio praedicto, sedebit et a primo assistente cooperietur mitra pretiosa in Sabbato quatuor temporum Pentecostes, in aliis autem sabbatis assumet mitram auriphrygiatam. Sedente Episcopo, consurgent omnes Ordinati, et unus post alium ascendent ad Altare et singuli offerent candelam Episcopo, cuius manus osculabuntur, dum eam accipiet. Primi erunt Presbyteri, secundi Diaconi, deinde Subdiaconi, sequentur Minoristae, postremo accedent novi clerici. Episcopus singulas candelas tradet assistenti a sinistris, hic autem uni vel pluribus clericis, qui eas extinguent et ponent super abacum, vel alio loco alioque modo. Novi Presbyteri redibunt ad scamnum, ubi iam erant genuflexi, recitaturi Missam simul cum Episcopo. Reliqui Ordinati redibunt ad loca sua.

138. Episcopus, accepta ab Ordinatis oblatione candelae, deponet annulum et chirothecas ac lavabit manus. Canonici stabunt, ceteri omnes genua flectent ad actionem istam. Ablutis ab Episcopo manibus, assistens primus reponet eius digito annulum, secundus autem exuet ei mitram. Episcopus assurget, de medio Altari tolletur faldistorium a clericis, convertetur ad Altare et accepta patena cum hostia, recitabit cum novis Presbyteris elata voce totam Missam, comprehensis verbis consecrationis. Novi Presbyteri stabunt semper iunctis manibus, neque ullum Crucis signum efficient, ut faciet Episcopus celebrans.

139. Ad lotionem manuum post offertorium, Episcopus utetur mitra pretiosa vel auriphrygiata, secundum regulam superius traditam, et Canonici stabunt, ceteri omnes genua flectent.

140. Advertetur ad secretam dicendam pro Ordinatis cum prima secreta Missae sub eadem conclusione.

141. Ad elevationem accendentur intorticia quatuor, quae ardebunt usque ad totam Communionem, etiam in Sabbato quatuor temporum Pentecostes, propter Communionem, quam excipient Ordinati.

142. Post *Agnus Dei* et post orationem primam *Domine Iesu Christe qui dixisti* etc. Episcopus osculabitur Altare et pacem praebebit omnibus Ordinatis ad ordines sacros, qui separatim unus post alium ascendent ad Altare, genuflexionem facient in suppedaneo, osculabuntur Altare et recipient pacem ab Episcopo, qui singulis dicet *Pax tecum* et singuli respondebunt *Et cum spiritu tuo.*

143. Sin autem multi essent Ordinati praedicti ad ordines sacros, Episcopus pacem donabit primo cuiusque ordinis, qui ascendet ad Altare et peraget quae supra descripta sunt; ipse pacem ab Episcopo acceptam afferet ad reliquos Ordinatos ordinis sui, qui successive sibi ad invicem communicabunt illam. Presbyteri, qui aderunt genuflexi ante Altare, consurgent accepturi pacem, deinde rursus in genua procumbent, prosecuturi Missam. Ultimus ex Ordinatis Subdiaconis pacem donabit primo Acolytho ordinato, et hic eam communicabit reliquis promotis ad ordines minores et ad tonsuram.

144. Advertet Episcopus ne prosequatur Missam, nisi postquam Presbyteri sibi ad invicem pacem praebuerint ac rursus genua submiserint.

145. Dum Episcopus calicem sumet, clerici accedent ad Altare et alter ipsorum afferet tobaleam sustinendam ante communicandos, conficient genuflexionem, ascendent ad Altare, geniculabunt in extremitatibus lateralibus suppedanei et extendent tobaleam propter Communionem. Ordinati ad Presbyteratum consurgent et accedent ad Altare, ordine descripto lib. II. capit. V. de Communione.

146. Episcopus, calice sumpto et palla cooperto, genuflexionem faciet ad Sacramentum, pyxidem accipiet, eique tollet operculum, iterabit genuflexionem, accipiet sinistra pyxidem supra nodum, dextera accipiet particulam unam, convertetur ad novos Presbyteros et signum Crucis efficiens particula, communicabit eos, proferens formulam *Corpus Domini nostri Iesu*

Christi custodiat te in vitam aeternam. Unusquisque respondebit *Amen*, osculabitur manum Episcopi et recipiet S. Particulam.

147. Communicatis Presbyteris, convertetur ad Altare Episcopus, deponet in medio pyxidem et genuflexionem exsequetur. Convertetur deinde ad reliquos Ordinatos, qui genuflexi ante Altare dicent *Confiteor*, cui Episcopus adiiciet *Misereatur vestri* etc. et *Indulgentiam* etc. Episcopus convertetur ad Altare, genuflectet iterum, resumet pyxidem et conversus ad Ordinatos, communicabit eos, dicens, ut supra de Presbyteris, formulam *Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat te in vitam aeternam.* Unusquisque communicandus respondebit *Amen* et manum Episcopi osculabitur. Communioni non praemittet Episcopus *Ecce Agnus Dei* etc. neque alteram precationem *Domine non sum dignus* etc. quum in hac re sit explicita rubrica. In communione Ordinatorum ad minores ordines dicet *Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat animam tuam in vitam aeternam. Amen.*

148. Post communionem discedent clerici cum intorticiis.

149. Episcopus purificabit calicem et pyxidem; reponetur ei mitra pretiosa vel auriphrygiata, secundum regulam superius traditam, lavabit manus, stantibus Canonicis et reliquis geniculantibus. Advertet unus ex Cappellanis, ut calicem abstergat et cum accessoriis reportet ad abacum. Super legile seu cussinum loco Missalis ponetur Pontificale.

150. Episcopus ablutis manibus, dimittet mitram, convertetur ad Altare et stans in latere Epistolae, leget una cum assistentibus ℟. *Iam non dicam vos servos* etc. Novi Presbyteri assurgent et stabunt ante Altare. Interim reponetur faldistorium in medio suppedaneo.

151. Lecto responsorio supradicto, in quo omittetur *Alleluia* a Septuagesima usque ad Pascha, Episcopus veniet ad faldistorium, sedebit et a primo assistente reponetur ei mitra auriphrygiata. Tum assurget ac novi Presbyteri simul recitabunt *Credo*, quod legent ex Pontificali. Pronunciato ab ipsis *Credo*, sedebit Episcopus et novi Presbyteri, unus post alium ascendent ad Altare et geniculabunt ante Episcopum, qui singulorum capiti imponet utramque manum, dicens *Accipe Spiritum Sanctum, quorum* etc. Remotis de capite manibus, explicabit unicuique

partem posteriorem planetae, quae erit super scapulas, dicens *Stola innocentiae* etc. Post haec Ordinatus, interponens iunctas manus manibus Episcopi interrogationi, quam faciet *Promittis mihi et successoribus meis reverentiam et obedientiam?* respondebit *Promitto.* Episcopus osculabitur eum in gena sinistra, dicens *Pax Domini sit semper tecum.* Assurget primus Ordinatus, descendet de Altari et redibit ad locum suum, ubi rursus geniculabit. Ascendet ad Altare ordinatus secundus, cui Episcopus faciet eadem quae primo, et sic porro de ceteris. Advertet tamen Episcopus, quod varianda est expressio in interrogatione *Promittis* etc. si inter Ordinatos adessent regulares vel non essent dioecesi eius subiecti, ut notatur in Pontificali.

152. Genuflexis omnibus ad Presbyteratum ordinatis, Episcopus accipiet baculum sinistra, eosque admonebit, ut in Pontificali *Quia res, quam tractaturi estis* etc. Post haec assurget et benedictionem eis donabit, dicens *Benedictio Dei* etc. Notandum, quod ad benedictionem istam genuflexi esse debent soli Presbyteri, quibus impertitur.

153. Episcopus dimittet baculum, exuetur mitra ab assistente secundo, accedet ad Missale, leget ℣. *Communio* et prosequetur Missam una cum ordinatis ad Presbyteratum usque ad finem. Interim amovebitur faldistorium de medio suppedaneo.

154. Benedictio donabitur a solo Episcopo, et novi Presbyteri, qui cum ipso recitaverint Missam, tacebunt ad actionem istam. Si Episcopus erit Ordinarius, concedet Indulgentias consuetas; formula autem legetur ab uno assistentium. Si fuerit Archiepiscopus et in sua provincia, benedictionem donabit sine mitra et conversus ad Crucem archiepiscopalem, quam habebit ante se.

155. Benedictione largita, recedet Episcopus ab uno latere, et reponetur faldistorium in medio. Episcopus faldistorio sedebit et mitra cooperietur ab assistente primo, si benedictionem donaverit sine mitra. Retinens baculum sinistra, leget admonitionem Ordinatis *Filii dilectissimi* etc.

156. Ordinatis ad Diaconatum et ad Subdiaconatum constituet Episcopus cuius feriae dicere debeant nocturnum.

157. Dimittet baculum et mitram, ac si fuerit Archiepi-

scopus, exuetur ei S. Pallium cum spinulis; assurget, removebitur faldistorium, et conversus Episcopus ad Altare dicet *Dominus vobiscum*, signabit se atque incipiet Evangelium S. Ioannis *In principio erat Verbum* etc. Resumet mitram et baculum, ac recitans Evangelium idem de Altari descendet, reverebitur Crucem, benedictionem donabit Ordinatis et redibit ad faldistorium, ubi dimissa mitra, genuflectet versus Altare, dicens *Et Verbum caro factum est*: postea sedebit faldistorio.

158. Ordinati ad Presbyteratum recitabunt praedictum Evangelium S. Ioannis una cum Episcopo.

159. Praesto erunt clerici recepturi paramenta episcopalia.

160. Episcopus faldistorio sedens, adiuvantibus assistentibus, dimittet paramenta sacra et resumet mozzetam.

161. Ordinati revertentur bini in Sacrarium; praecedent autem novi Presbyteri; discedentes de presbyterio, genuflexionem facient ad Crucem et ad Episcopum.

162. Episcopus sedens faldistorio, dimittet caligas et sandalia, eique reponentur calceamenta usualia, ordine superius descripto, dum leget preces pro gratiarum actione, qua absoluta, procedet ante Altare, geniculabit super pulvinum ac brevi tempore orabit. Postremo adorabit SS. Sacramentum apud ipsius Altare et eodem ordine, quo ingrediens exceptus fuit, de ecclesia discedet.

DE ORDINATIONE GENERALI AB EPISCOPO ORDINARIO IN ECCLESIA CATHEDRALI CELEBRATA SOLEMNITER.

CAPUT III.

1. Ordinatio generalis solemnis habebitur ab Episcopo in Sabbatis quatuor temporum, in Sabbato *Sitientes* et in Sabbato Sancto. De hac postrema iam quaedam innuimus Cap. XX.

lib. VI. Praeterea in capitulo XXIII. addita sunt praecepta nonnulla, si forte illo die haberetur Ordinatio privata.

2. Si debebit interdum Episcopus peragere Ordinationem seu generalem seu partialem extra tempora supra recensita, cum approbatione Apostolica, poterit id facere cum minori solemnitate et privatim etiam in suo sacello, ideoque satis esse poterunt quae notata sunt capitulo praecedenti *de Ordinatione generali celebrata sine cantu.*

3. Ordinatio generalis in temporibus statutis, regulariter peragenda est ab Episcopo in sua cathedrali coram Capitulo; ut praescribit S. Concilium Tridentinum sess. XXIII. Cap. VIII. *de reformatione.* Pro eadem ordinatione celebranda est Missa ferialis, quodcumque sit officium, quod incidere possit in diem illum, licet secundae vel etiam primae classis. Si habebitur extra tempora statuta, legetur Missa de officio currente.

4. Utcumque sit, celebrabitur semper post Horam nonam, quae cantabitur ante Missam supradictam, quumque officium sit non solemne, sed feriale, cantabitur ad Altare ipsum, ubi celebrabitur functio, quum processio a Secretario ad Altare non fiat.

De rebus praeparandis.
Ad Altare maius.

5. Septem candelabra cum cereis super Altari et Crux aequalis candelabris ponetur ante candelabrum medium. Inter candelabra nec Reliquiarum thecae, nec vasa cum floribus, nec signa Sanctorum. Altare, praeter consuetas tobaleas, ornabitur pallio violaceo, sed in Sabbato quatuor temporum Pentecostes, pallio rubri coloris.

6. Gradus cooperientur amplo tapeto et in presbyterio quoque sternetur tapetum propter prostrationem Ordinandorum.

7. Super mensam disponentur paramenta episcopalia coloris vel violacei, vel rubri, secundum distinctionem supra innutam, eaque sunt planeta, chirothecae in lance, dalmatica, tunicella, stola, Crux pectoralis, cingulum, alba et amictus, quae

omnia contegentur velo concolore ceteris paramentis. Si Ordinans erit Archiepiscopus ac si aderit in sua provincia, praeparabitur etiam s. Pallium cum tribus spinulis. In latere Evangelii ponetur mitra auriphrygiata et in Sabbato quatuor temporum Pentecostes praeparabitur pretiosa in latere Evangelii, auriphrygiata in latere Epistolae.

8. Ante Altare praeparabitur faldistorium cum pulvinis, in quo Episcopus vacabit orationi, et prope Altare ponetur baculus pastoralis.

9. Prope abacum statuetur faldistorium ornatum veste concolore paramentis, quo utetur Episcopus in ipso Ordinationis actu; itemque aderit pulvinus eiusdem coloris.

10. Abacus ponetur in latere Epistolae alba tobalea contectus, in quo disponentur quae sequuntur: candelabra duo cum candelis pro Acolythis; calix cum purificatoriis duobus, patena cum binis hostiis, palla et corporale intra bursam; pyxis cum particulis numero respondenti Ordinandis: tobalea linea albi coloris sustinenda ante communicandos; ampullae vini et aquae in pelvicula, adhibendae in Missa et patera praegustationis; campanula et intorticia ad elevationem; gremiale Episcopi concolor paramentis; urceus et pelvis pro lotione manuum Episcopi ac mantilia duo seu manutergia in lance; medulla panis et mali medici in lance, caligae et sandalia in lance cum velis amplis duobus concoloribus paramentis; Missale in usum Episcopi, Evangeliarium cum manipulo Episcopi et Epistolarium, qui libri convestiti erunt veste aequali paramentis; Pontificale (pars I.) chorale sive antiphonarium pro Episcopo; scotula cum candela; velum humerale pro Subdiacono; manipuli pro Ministris, et planetae etiam plicatae ac stola latior, si paramenta fuerint coloris violacei; canon pontificalis; Breviarium aut liber cum Capitulo Nonae in usum Subdiaconi; libellus seu tabella cum formula Indulgentiarum; pontificale aut liber utendus ab Archidiacono quum invitabit Ordinandos; velum humerale simplex pro lotione manuum Episcopi, si ministrabitur a Magistratu.

11. Alter autem abacus proximus huic praeparabitur contectus, ut supra, in quo disponentur quae opus sunt ad Or-

dinationem, videlicet gremiale lineum cum taeniis pro Episcopo; forfices in lance: claves tradendae Ostiariis: Missale adhibendum Lectoribus, Exorcistis, Subdiaconis et Diaconis: ampulla una vacua et candelabrum parvum cum candela extincta: calix vacuus cum patena: ampullae plenae vino et aqua in pelvicula et mappula posita in eadem pelvicula: calix alter cum vino et aliquot aquae guttis et patena cum hostia: vasculum Olei sacri Catechumenorum in lance et aliquantulum gossipii soluti. Super eodem abaco praeparabuntur plures urcei cum pelvibus et manutergiis ad manus Ordinandorum lavandas cum aliquantula medulla panis et mali medici.

12. In Presbyterio statuentur scamna cooperta panno viridi, quibus sedebunt Ordinandi, nisi sedeant in choro, propter ipsius capacitatem. Praeparabitur autem unum vel plura scamna sine postergali convestita panno viridi, ante quae geniculabunt novi Presbyteri concelebraturi cum Episcopo, et super eadem scamna ponentur Missalia cum signaculis positis ad Missam currentem, in usum eorundem Presbyterorum.

13. Prope Altare in latere Epistolae praeparabitur scamnum exiguum pro Ministris sacris.

14. Thronus ornabitur lodicibus coloris respondentis officio et gradus eius sternentur tapeto. Aderunt ibi tria scabella pro Assistentibus et pulvinus utendus ab Episcopo, quum geniculandum erit.

15. In Presbyterio sive ad cancellos ponentur fanalia sex cum intorticiis aut candelis.

16. Praeparabitur in medio choro vel ex una parte legile nudum cum Missali ad cantandas lectiones, in Sabbatis quatuor temporum. Si Ordinans erit Archiepiscopus, prope latus Evangelii ponetur basis ad firmandam Crucem archiepiscopalem.

Ad Altare SS. Sacramenti.

17. Praeparabitur genuflexorium cum strato et pulvinis, ut Cap. IV. lib. V. Ardebunt sex cerei in Altari, quando Episcopus adorationem faciet ante et post functionem.

In Sacrario.

18. In promptu aderunt paramenta pro sacris Ministris, videlicet amictus, albae et cingula duo, stola pro Diacono et, si paramentum erit rubri coloris, praeparabitur etiam dalmatica ac tunicella.

19. Praeparabuntur paramenta pro Canonicis, videlicet pluviale pro Presbytero assistente, pluvialia pro Dignitatibus, planetae pro Canonicis Presbyteris, dalmaticae ac tunicellae pro Canonicis Diaconis et Subdiaconis, si color erit rubrus, sin minus, planetae ante pectus plicatae pro eisdem, dalmaticae vel planetae plicatae pro Diaconis assistentibus, quae paramenta induèntur, quum tempus erit, a Canonicis in Sacrario ipso, vel praeparabuntur ordinatim in canistris deferendis in chorum, ut inferius docebitur. Unicuique ex praedictis paramentis suus adiungetur amictus.

20. Item quatuor pluvialia simplicia pro Cappellanis, a libro, a scotula, a mitra, a baculo; tunicella vel planeta plicata ante pectus cum amictu, alba et cingulo pro Subdiacono crucifero, si Ordinans fuerit Archiepiscopus.

21. Superpellicea pro inservientibus.

22. Vasculum aquae sanctae cum aspersorio, adhibendum pro ingressu Episcopi in ecclesiam.

23. In eodem Sacrario, vel in alio cubiculo disponentur mensae tapetis coopertae, in quibus aderunt paramenta pro Ordinandis, videlicet planetae, stolae et manipuli pro Ordinandis ad Presbyteratum, dalmaticae, stolae et manipuli pro Ordinandis ad Diaconatum, tunicellae et manipuli pro Ordinandis ad Subdiaconatum, praeterea cingula, albae et amictus pro singulis ipsorum. Pro Ordinandis ad Minores et ad tonsuram praeparabuntur superpellicea; pro novis Presbyteris, etiam Missalia et sudarium albi coloris ad alligandas eorum manus post unctionem. Unusquisque autem Ordinandus feret manu candelam.

De Functione.

24. Absoluta in choro recitatione horae Sextae, sono cam-

panulae Sacrarii signum dabitur Canonicis et Clero ad associandum Episcopum.

25. Interim Ordinandi praesto erunt in Sacrario vel alio loco designato, ubi vocabuntur, et indutis respectivis vestibus sacris deducentur ad Altare a Notario et ab altero ecclesiastico ab Episcopo deputato.

26. Tonsurandi gestabunt superpelliceum replicatum super brachium sinistrum et candelam ardentem in manu dextera: Ordinandi ad Minores induent superpelliceum et manu dextera gestabunt candelam ardentem; Ordinandi ad Subdiaconatum induentur amictu, alba et cingulo, gestabunt manipulum, ac tunicellam super brachium sinistrum et candelam ardentem in manu dextera; advertent autem ut habeant amictum extra collum, ut eum possit Episcopus ipsorum capiti imponere: Ordinandi ad Diaconatum induent amictum, albam, cingulum, et manipulum ligatum brachio sinistro, in quo habebunt stolam atque dalmaticam, et in manu dextera candelam ardentem: Ordinandi autem ad Presbyteratum induentur amictu, alba, cingulo, manipulo, ligato brachio sinistro, stola diaconali more super humerum sinistrum ligata lateri dextero, planeta super brachium sinistrum, candelam ardentem sustinebunt manu dextera, et cingulo firmatum erit sudarium pro unctione. Missalia vero poterunt praeparari super scamnum, de quo superius (*a*).

27. Parabitur etiam amictu, alba et cingulo, et in Sabbato Pentecostes etiam tunicella rubri coloris Subdiaconus, ad Altare ministraturus.

28. Antequam ad ecclesiam perveniat Episcopus, Ordinandi convenient in chorum et sua loca occupabunt, itemque Subdiaconus sessum ibit ad scamnum pro Ministris praeparatum.

29. Adveniente ad ecclesiam Episcopo, pulsabuntur festivo

(*a*) Cuius coloris oporteat ut sint Ordinandorum paramenta, Pontificale non praescribit. Id credo reliquisse liberum, propterea quod difficile admodum sit, ut habeantur uniformia, praesertim si Ordinandorum numerus non esset exiguus. Romae in Lateranensi Basilica, ubi celebrantur ordinationes, utuntur paramentis concoloribus officio, quae hac de caussa suppeditata fuerunt a Sum. Pont. Benedicto XIII. Hinc opera dabitur, ut quoad fieri possit, quaedam adsit uniformitas.

more campanae. Organis sonabitur tantum in Sabbato Pentecostes

30. Postquam Episcopus adoraverit SS. Sacramentum, procedet ad Altare maius, geniculabit in faldistorio ibi praeparato et brevi tempore orabit.

31. Diaconi duo assistentes habitu chorali induti consistent a lateribus eius.

32. Ceteri Canonici accedent in chorum ad loca sua.

33. Assurget Episcopus de oratione, iterabit ante Crucem reverentiam, et comitatus a Diaconis assistentibus ac sequente caudatario, qui sustentabit eius cappae fimbriam, ad thronum accedet. Transiens ante Clerum, dextra illum benedicet.

34. Quum Episcopus de faldistorio discesserit, clerici duo faldistorium ipsum removebunt de medio presbyterio et seorsim reponent.

35. Dum Episcopus orabit ut supra, ad faldistorium, Cappellani a libro et scotula, superpellicio induti, accipient ex abaco librum choralem et scotulam, sequentur Episcopum ad thronum procedentem et consistent prope secundum Diaconum assistentem.

36. Episcopus, conscenso throno, sedebit paulisper et interea Presbyter assistens habitu chorali indutus, de stallo suo ascendet a latere ad thronum et consistet prope Episcopum a dextris.

37. Episcopus caput nudabit bireto, quod tradet primo Diacono assistenti et assurget, choro universo consurgente cum ipso.

38. Recitabitur ab Episcopo et a Clero *Pater noster* et *Ave Maria* secreto; Presbyter assistens librum a Cappellano acceptum praesentabit Episcopo, qui signans se cantabit *Deus in adiutorium meum intende*, et Presbyter assistens immediate restituet librum Cappellano praedicto, qui recedet prope secundum Diaconum assistentem, extra planum superius throni cum altero Cappellano a scotula, ut supra.

39. Clerus in choro respondebit *Domine ad adiuvandum* etc.

40. Post *Gloria Patri*, Presbyter assistens redibit in chorum ad locum suum, eodem modo ac supra.

41. Interea cantabitur hymnus, qui intonabitur a cantoribus, et antiphona quoque intonabitur ab hebdomadario vel ab alio, iuxta morem cuiusque ecclesiae.

42. Cantores duo superpelliceo, vel habitu chorali induti si fuerint Mansionarii seu Beneficiarii, genuflexione facta ad Episcopum, intonabunt psalmos Nonae.

43. Clericus unus hoc tempore deferet ad thronum Canonem pontificalem, nisi iam secum attulerit illum Cappellanus a libro.

44. Intonato primo Nonae psalmo, Episcopus sedebit in throno et caput operiet bireto, quod ei cum osculis porriget Diaconus primus assistens.

45. Sedebit etiam Clerus in choro et canentur psalmi maiori minorive pausa, iuxta signum quod dabitur a Caeremoniario assistenti Episcopo.

46. Item, intonato psalmo primo, Subdiaconus, qui aderit ad scamnum Ministrorum prope Altare, deponet biretum super scamnum ipsum et perget ad abacum. Ibi Caeremoniarius imponet ei super brachia velum coloris congruentis colori Missae, et velo ipsi supreponet caligas et sandalia Episcopi, quae cooperiet altero velo. Quatuor, ad summum sex Acolythi, vel clerici superpellicio induti et Cubicularius Episcopi habitu formali indutus, se adiungent Subdiacono.

47. Sedenti in throno Episcopo, post intonationem praedicti psalmi primi Nonae, se sistent duo Cappellani cum canone et scotula, atque Episcopus alternatim cum Diaconis assistentibus recitabit psalmos praeparationis.

48. Diaconi assistentes, dum respondebunt aut recitabunt psalmos cum Episcopo, stabunt.

49. Sedente, ut supra, Episcopo, Subdiaconus medius inter supradictos quatuor vel sex clericos, sequente Cubiculario Episcopi, procedent in medium presbyterium; Subdiaconus, utpote Canonicus reverentiam, ceteri autem genuflexionem conficient ante Crucem Altaris: deinde accedent ad thronum, quo priusquam ascendant, facient ante Episcopum respective reverentiam vel genuflexionem.

50. Ubi ad thronum ascenderint praedicti ministri, Cap-

pellani a libro et a scotula recedent aliquantulum ad sinistram Episcopi. Clerici attollent et extendent cappam Episcopi, quam sustentabunt genuflexi, et ipsa cooperient Subdiaconum, qui geniculabit ante Episcopum, ac Cubicularium, qui et ipse genuflexus exuet Episcopo calceum dextrum. Subdiaconus accipiet caligam dexteram eamque induet cruri dextero, deinde sandalium dexterum, et inducet pedi dextero Episcopi, adiuvante Cubiculario. Deinde Cubicularius tollet calceum sinistrum Episcopo et a Subdiacono ponetur ipsi caliga et sandalium, ut supra. Cubicularius accipiet calceos usuales Episcopi, eosque suo pallio coopertos abducet de throno, deinde subter abacum deponet. Subdiaconus, receptis velis, et clerici dimissis extremitatibus cappae, ordine supra innuto, simul cum Cubiculario peractis debitis reverentiis vel genuflexionibus ad Episcopum et ad Altare, revertentur ad abacum. Subdiaconus ibi deponet vela, redibit ad locum suum et sedebit: clerici consistent apud abacum, vel ibunt ad locum suum.

51. Episcopus post repetitionem antiphonae *Ne reminiscaris* etc. caput nudabit bireto, assurget ac recitabit versiculos et orationes.

52. Clerus in choro perget sedere.

53. Episcopus post preces et orationes sedebit iterum et sedens recitabit orationes ad paramenta praescriptas (*a*).

54. Ascendent ad thronum ultimi duo Canonici ex ordine Diaconali, vel ultimi duo minus antiqui, aut alii iuxta morem ecclesiae et locum Diaconorum assistentium occupabunt.

55. Diaconi duo assistentes descendent de throno, et Diaconus ministraturus in Missa, descendet de stallo suo, tum coeuntes in medium presbyterium, reverentiam conficient ad Episcopum, dein ad Altare: recedent in Sacrarium, ubi Diaconus se induet amictu, alba, cingulo et stola, ac si color paramentorum erit rubrus, etiam dalmatica. Diaconi assistentes supra rochetum aut superpelliceum induent amictum et dalmaticam rubri coloris vel planetam plicatam coloris violacei. Quum parati fuerint, ibi morabuntur expectantes donec nunciabitur eis ut ad Altare revertantur.

(*a*) Vide adnotationem subiectam num 42. cap. IX. lib. V.

56. Absolutis ab Episcopo orationibus, Cappellanus vel alter clericus afferet ad abacum canonem et ad thronum reportabit librum choralem propter orationem.

57. Cantu psalmorum expleto, repetetur a cantoribus antiphona in cantu.

58. Caeremoniarius vel alius accipiet ex abaco Breviarium seu librum et ipsum tradet Subdiacono, qui capite nudato bireto assurget ac reverentia facta ad Altare et ad Episcopum, procedent ad locum, quo cantanda erit Epistola.

59. Qui duo cantores intonabunt psalmos, exsequentes debitas genuflexiones procedent ante Altare vel in medium chorum.

60. Presbyter assistens ascendet a latere ad thronum et consistet ad scabellum suum.

61. Antiphona cantata a cantoribus, Episcopus caput nudabit et assurget.

62. Item assurget chorus universus.

63. Subdiaconus librum sibi ipse sustinens, cantabit Capitulum Nonae, quo cantato, reverentiis iteratis ad Episcopum et ad Altare, ad locum suum redibit.

64. Duo cantores ante Altare vel in medio choro cantabunt versiculos responsorii.

65. Duo Acolythi accipient ex abaco candelabra cum cereis et statim ac *Gloria Patri* responsorii cantatum erit, accedent ad thronum et consistent ante ipsum, peractis prius debitis genuflexionibus ad Altare et ad Episcopum, quum pervenerint ante thronum.

66. Presbyter assistens a Cappellano libri accipiet Breviarium seu librum choralem ipsumque sustinebit ante Episcopum, qui cantabit *Dominus vobiscum* et orationem Nonae, post quam repetet *Dominus vobiscum* et cantores antedicti cantabunt tono feriali *Benedicamus Domino*.

67. Quum Episcopus cantaverit *Dominus vobiscum* post orationem, Acolythi cum genuflexionibus, ut supra, reportabunt ad abacum candelabra.

68. Episcopus post *Benedicamus Domino* non dicet ℣. *Fidelium animae* etc. quoniam immediate sequitur Missa.

69. Si officium erit feriale et recitandae essent preces ante orationem, statuetur a clericis faldistorium in medio Presby-

terio. Episcopus, quando repetetur versiculus post responsorium, praeeunte Presbytero assistente, comitantibus Diaconis assistentibus et sequentibus Cappellano sustentante eius cappae extremitatem posteriorem, et Cappellanis cum libro et scotula, de throno descendet ac geniculatum veniet ad faldistorium. Geniculabunt cum eo chorus etiam et assistentes. Huc venient Acolythi candelabra gestantes, qui stabunt in pedes a lateribus Episcopi, facie ad invicem conversa. Cappellani a libro et scotula sustinebunt librum ante Episcopum, qui recitabit preces, et Presbyter assistens assurget quando Episcopus dicet *Dominus vobiscum*; assurget etiam Episcopus et stans cantabit orationem ex libro, quem sustinebit Presbyter assistens. Genuflectet iterum Episcopus, postquam repetiverit *Dominus vobiscum*, deinde quum responsum fuerit a choro *Deo gratias* ad versiculum *Benedicamus Domino*, assurget ac redibit in thronum. Dum Episcopus in thronum redibit, clerici immediate removebunt faldistorium.

70. Quando cantabitur oratio, in promptu erunt Ministri lotionis manuum Episcopi.

71. Praesto erunt etiam in aditu Presbyterii Diaconi duo assistentes parati, qui medium inter se habebunt Diaconum ministrantem.

72. Clerici delecti deferendis in chorum paramentis pro Canonicis et alii Clerici destinati in ipsorum adiumentum, in promptu stabunt cum paramentis repositis in canistris.

73. Presbyter assistens non discedet de throno, vel redibit illuc cum Episcopo, si cantata fuerit ad faldistorium oratio Nonae, ut supra notavimus pro officio feriali.

74. Completo in totum cantu Nonae, intrabunt in chorum Diaconi duo assistentes et Diaconus, qui cantare Evangelium debebit. Reverentia ad Crucem facta, hic se adiunget Subdiacono, qui aderit ad scamnum prope Altare, et Diaconi assistentes ascendent in thronum ad assistendum Episcopo.

75. Distribuentur clericis paramenta episcopalia. Ministri lotionis manuum Episcopi sequentur supradictos Diaconos et accedent ad thronum.

76. Qui duo Canonici supplebunt in assistentiam Epi-

scopi, postquam in thronum redierint duo Diaconi assistentes, de throno discedent et in chorum redibunt ad locum suum.

77. Cubicularius Episcopi sequetur Diaconos assistentes quando redibunt in thronum.

78. Diaconi iidem, conscenso throno, exuent Episcopo cappam, quae recipietur a Cubiculario, qui adstans post secundum Diaconum assistentem expediet extremitatem posteriorem vestis episcopalis.

79. Ascendent ad thronum Ministri lotionis: Diaconi assistentes extendent unum ex mantilibus super genua Episcopi: Presbyter assistens annulum cum osculis Episcopo tollet et alterum mantile accipiet: Episcopus lavabit manus; Presbyter assistens porriget ei mantile ad manus abstergendas.

80. Dum Episcopus lavabit manus, genuflectent omnes, exceptis Praesulibus, si qui aderunt, et Canonicis, qui stabunt in pedes.

81. Statim ac Episcopus laverit manus, ingredientur clerici cum paramentis pro Canonicis, qui dimissis insignibus choralibus, immediate et expedite supra rochetum vel superpelliceum sibi induent amictum et paramentum Ordini suo respondens, et a clericis ipsis in eisdem canistris referentur in Sacrarium praedicta choralia insignia a Canonicis dimissa. Presbyter etiam assistens se parabit in stallo suo, neque inde discedet iturus in thronum, nisi quum vestibus sacris indutus erit Episcopus, ut docebitur inferius.

82. Interea de throno discedent Ministri lotionis.

83. Canonici, quum parati fuerint, descendent de stallo chorali et circulum efficient circa thronum quo tempore sacris vestibus parabitur Episcopus.

84. Diaconus et Subdiaconus cum debitis reverentiis, sequentibus clericis qui afferent paramenta episcopalia, accedent ad thronum ibique praesto erunt, quum discedent Ministri lotionis.

85. Diaconi assistentes recedent aliquantulum a locis suis, non discedentes de throno.

86. Quatuor Cappellani a mitra, a baculo, a libro et scotula, ubi Nona expleta erit, recedent in Sacrarium, induent sibi

pluviale et redibunt statim ad Altare, functuri officio suo. Idem faciet Subdiaconus a Cruce, si Celebrans erit Archiepiscopus.

87. Diaconus, adiuvante Subdiacono, parabit Episcopum amictu, alba, cingulo, Cruce pectorali, stola, tunicella, dalmatica, chirothecis et planeta.

88. Quando Episcopus induere incipiet paramenta sacra, Caeremoniarius innuet Canonicis in circulo, ut caput bireto operiant.

89. Si Celebrans erit Archiepiscopus, Subdiaconus Crucifer procedet ad Altare, uno comitante clerico, recipiet a Caeremoniario S. Pallium in lance, coopertum exiguo velo concolore ceteris paramentis, et clericus qui comitabitur eum, accipiet tres spinulas pariter in lance, et simul accedent ad thronum, dum Episcopus chirothecas assumet.

90. Diaconus induet S. Pallium Archiepiscopo qua methodo traditum est cap. IX. lib. V.

91. Idem Diaconus imponet Episcopo mitram auriphrygiatam, vel in Sabbato Pentecostes, pretiosam.

92. Canonici, qui aderunt in circulo, caput nudabunt et sibi facta ad invicem reverentia, tum ad Episcopum, postremo ad Altare, se recipient in chorum ad subsellia sua.

93. Presbyter assistens, qui secum retinuerit annulum episcopalem, non redibit ad locum suum, sed ascendet ad thronum, consistens prope dexteram Episcopi.

94. Diaconus et Subdiaconus, postquam Episcopum induerint, cum debitis reverentiis redibunt ad abacum et ab Acolythis induentur planetis plicatis et assument manipulum: sed in Sabbato Pentecostes, quum iam induerint dalmaticam et tunicellam, assument manipulum tantummodo. Subdiaconus accipiet Evangeliarium, intra quod erit manipulus Episcopi, et ambabus manibus illud sustinebit pectori applicitum. Postea iunctim revertentur in thronum.

95. Presbyter assistens annulum cum osculis inseret Episcopi digito, postquam Diaconus mitram ipsi imposuerit.

96. Episcopus baculum pastoralem sinistra accipiet, assurget, descendet de throno et procedet ad Altare.

97. Praeibit Subdiaconus, qui deferet Evangeliarium cum

manipulo Episcopi, deinde Presbyter assistens cum Diacono a sinistris, sequetur Episcopus medius inter Diaconos assistentes, Caudatarius post Episcopum, cuius extremitatem posteriorem vestis sustentabit, duo Cappellani a mitra et a baculo sequentur Caudatarium.

98. Episcopus, postquam de throno descenderit, transiens per chorum, benedicet Clerum: Canonici se profunde inclinabunt, ceteri autem genuflectent.

99. Quum ventum erit ante Altare, Subdiaconus consistet a latere Evangelii, a dextris eius Diaconus, Presbyter assistens a latere Epistolae. Episcopus se sistet medium inter Presbyterum assistentem et Diaconum. Diaconi duo assistentes stabunt a tergo Episcopi post Caudatarium, Cappellani a mitra et a baculo a tergo Diaconorum assistentium.

100. Episcopus ante Altare progressus, dimittet baculum pastoralem et Diaconus ministrans exuet ei mitram.

101. Tum Episcopus cum Ministris antedictis salutabit Crucem et inchoabit Missam.

102. Clerus in choro servabit omnes standi, sedendi ac genuflectendi regulas, ut in aliis Missis solemnibus.

103. Cantores cantabunt introitum et *Kyrie* quoque excepto Sabbato *Sitientes*.

104. Interim in promptu stabit prope Altare a latere Epistolae thuriferarius cum thuribulo et navicula.

105. Episcopus prosequetur Missam solemnem et peraget Altaris thurificationem methodo tradita pro aliis Missis solemnibus et reversus in thronum leget Introitum et recitabit etiam *Kyrie eleison* excepto Sabbato *Sitientes*.

106. Profecto de Altari Episcopo, in thronum redituro, clerici duo faldistorium ponent in medio suppedaneo.

107. Episcopus, postquam legerit introitum et *Kyrie* quoque, ut supra, coopertus mitra et baculo sinistra sumpto, praecedente Presbytero assistente, comitantibus Diaconis assistentibus, sequentibus Caudatario et quatuor Cappellanis a mitra, baculo, libro, et scotula, procedet ad Altare. Transiens per chorum benedicet Clerum, idque faciet etiam deinceps, quum redibit in thronum vel accedet ad Altare.

108. Diaconus et Subdiaconus aderunt ante Altare, excepturi Episcopum.

109. Quum ante Altare pervenerit Episcopus, duo Diaconi assistentes recedent, et in assistentiam eius succedent duo Ministri Altaris.

110. Diaconi assistentes se recipient in chorum ad locum suum.

111. Episcopus medius inter Diaconum et Subdiaconum ascendet ad Altare et sedebit faldistorio versis humeris ad Altare.

112. Presbyter assistens, nisi hic fuerit Archidiaconus nec suppleverit pro eodem, perget et ipse in chorum ad locum suum.

113. Archidiaconus, quo habitu erit indutus, accedet ad Altare et consistet a dextris Episcopi, stans tamen a latere dextero Diaconi.

114. Episcopus baculum pastoralem dimittet.

115. Si erit Sabbatum Pentecostes, Diaconus exuet ei mitram pretiosam et reponet auriphrygiatam.

116. Cappellanus a libro ex abaco accipiet Pontificale ipsumque afferet ad Altare in usum Episcopi et se adiunget alteri a scotula super gradus laterales a latere Epistolae. Item reliqui duo Cappellani a mitra et a baculo stabunt super gradus laterales a latere Evangelii.

117. Notarius habitu talari indutus, vel alius qui poterit fungi vices illius, se sistet ante gradus Altaris a latere Epistolae, cavens ne tergum vertat ad Altare neque ad Episcopum, quando nomine appellabit Ordinandos.

118. Caeremoniarius ex abaco sumptum Pontificale seu librum tradet Archidiacono, qui utetur eo.

119. Quum omnia disposita fuerint, Archidiaconus invitabit Ordinandos, dicens *Accedant omnes qui ordinandi sunt.*

120. Ordinandi omnes se movebunt de loco suo, procedent in medium Presbyterium et geniculabunt in semicirculum tonsurandis stantibus propius Altari. Id fiet si capax erit locus ac si numerus Ordinandorum patietur, qui secus geniculabunt in locis suis.

121. Archidiaconus quaeret ecquis sit inter tonsurandos, qui nondum acceperit Sacramentum Confirmationis, ac si quis aderit, Episcopus illi conferet Sacramentum istud, ut capitulo I. libri huius, advertens ut dimittat chirothecas, lavet manus etc. Attamen sine absoluta necessitate videtur magis expedire, ut clericus ordinandus hoc Sacramentum acciperet ante actum Ordinationis.

122. Deinde Archidiaconus conversus ad Ordinandos, vel alius ad quem spectabit de more uniuscuiusque ecclesiae, leget elata voce ex Pontificali inhibitionem seu mandatum nomine Episcopi, videlicet « Reverendissimus in Christo Pater « et Dominus, Dominus N. Dei et Apostolicae Sedis gratia Epi« scopus N. sub excommunicationis poena praecipit etc. » Si Ordinans esset etiam Cardinalis, advertetur etiam variatio facienda in formula praedicta, ut superius cap. praeced. num. 47.

123. Lecto mandato supradicto, redibunt Ordinandi ad loca sua, ut observatum est in adnotatione num. 68. subiecta capituli eiusdem; et Archidiaconus invitabit tonsurandos, dicens *Accedant qui promovendi sunt ad primam clericalem tonsuram.* Immediate Notarius appellabit singulos nomine et cognomine latine, quin praemittat titulum *Domini* aut alium, licet adesset quispiam nobilissimo genere natus. Notarius postquam appellaverit primum, expectabit dum ille assurgat, respondeat *Adsum*, discedat de loco suo et veniat ante Altare geniculatum. Hoc ipsum faciet relate ad secundum, tertium, quartum etc. et sic deinceps quum appellaverit ceteros Ordinandos ad alios ordines.

124. Notarius, appellatis Ordinandis, recedet de Altari et consistet loco sibi attributo, fortasse prope abacum, ubi aderunt familiares Episcopi, vel etiam manere poterit in aditu Presbyterii.

125. Archidiaconus, praesentatis Episcopo Ordinandis, recedet de Altari, sessum ibit ad locum suum, et ad Altare reveniet sub finem cuiusque ordinationis, dimissurus Ordinatos.

126. Caeremoniarius unus disponet Ordinandos ante Altare et utetur clericis quatuor in adiumentum suum, vel etiam pluribus, si opus fuerit, ad recipiendas candelas ab Ordinandis, ad aptandos ipsis habitus sacros etc. et peragenda quae poterunt opus esse, ut docebitur inferius.

127. Duo insuper clerici accipient ex abaco lancem cum forficibus, cum mantili uno pro Episcopo et lancem alteram, in qua ponentur chirothecae Episcopi eiusdem. Iidem clerici aderunt prope Altare, ut statim ascendere illuc possint, quum erit necesse.

128. Genuflexis ante Altare tonsurandis, Episcopus assurget mitram in capite retinens, et cantabit versiculos *Sit nomen Domini benedictum* etc. cum invitatione ad orationem idest *Oremus fratres carissimi* etc. (*a*).

129. Episcopus sedebit et cantores immediate cantabunt antiphonam *Tu es Domine* cum versiculis psalmi *Conserva me Domine* etc. et in fine repetent antiphonam praedictam.

130. Imponetur a Ministris mantile unum super genua Episcopi, cui Diaconus porriget forfices, deinde simul cum Subdiacono sustinebunt ei pelvim super genibus.

131. Si non ita facile esset Episcopo tondere capillos cum chirothecis, poterit eas dimittere et casu isto Diaconus tollet ei cum osculis annulum et chirothecam dextram, Subdiaconus tollet chirothecam ex manu eius sinistra, et Diaconus annulum ei reponet cum osculis. Id fiet priusquam imponatur mantile super genibus eius.

132. Ascendet ad Altare tonsurandus primus et geniculabit ante Episcopum, qui tondebit illi capillos instar Crucis in locis quinque, nempe in fronte, in occipitio, in aure dextera, in aure sinistra et in medio capitis. Capilli tonsi ponentur ab Episcopo in lance. Tonsurandus, quum ei tondentur capilli in fronte dicet *Dominus pars,* in occipitio *haereditatis meae,* in aure dextera *et calicis mei* in aure sinistra *Tu es qui restitues* et in medio capitis *haereditatem meam mihi.* Caeremoniarius vel etiam ipse Episcopus verba ista suggeret tonsurando.

133. Assurget primus tonsurandus et ad Altare ascendet secundus, atque ita deinceps ceteri, quibus ab Episcopo capilli tondentur, ut dictum est de primo.

(*a*) Notandum, quod tum invitatio ad orationes, tum omnes orationes in actu ordinationis, cantandae sunt tono feriali.

134. Clerici designati assistendo Ordinandis, animadvertent tollere eisdem candelas, quando ascendent ad Altare, easque ipsis restituere quum redibunt ante Altare geniculatum. Hoc autem observabunt etiam deinceps relate ad reliquos Ordinandos.

135. Post omnium tonsuram, clericus supra indicatus referet ad abacum lancem cum capillis et forficibus, ac mantile, quo usus erit Episcopus.

136. Si Episcopus dimiserit chirothecas, Diaconus prius ei tollet annulum, deinde ipsi reponet chirothecam dexteram, Subdiaconus autem chirothecam in manum sinistram, postremo Diaconus cum osculis annulum rursus inseret digito eius.

137. Idem Diaconus Episcopo mitram exuet. Episcopus assurget et stans conversus ad tonsuratos cantabit orationem *Oremus. Praesta quaesumus* etc.

138. Post orationem iterum sedebit Episcopus et Diaconus reponet illi mitram.

139. Cantores cantabunt antiphonam *Hi accipient* cum psalmo *Domini est terra.*

140. Interim clerici delecti assistendo Ordinandis, explicabunt superpellicium unicuique tonsurato, ipsumque eis ita tradent, ut Episcopus possit facile accipere et singulis induere.

141. Repetita deinde in cantu a cantoribus antiphona supra innuta, Diaconus Episcopo mitram exuet. Episcopus assurget, convertetur ad Altare, cantabit *Oremus.* Diaconus cantabit *Flectamus genua* (omnesque genuflectent, praeter Episcopum et Cappellanos a libro et scotula, idque observabunt etiam postea) Subdiaconus cantabit *Levate* (et consurgent universi). Episcopus conversus iterum ad tonsuratos cantabit *Adesto, Domine, supplicationibus nostris* etc. Post orationem sedebit Episcopus et Diaconus reponet ei mitram.

142. Ascendet ad Altare tonsuratus primus et geniculabit ante Episcopum, qui superpellicium, quod ille manu sustinebit, accipiet eique imponet, dicens *Induat te Dominus* etc. (*a*) Descendet de Altari primus et ascendet alter tonsuratus, quem

(*a*) Perpendatur rubrica Pontificalis, si forte unum esset superpellicium, tonsurandis induendum, ut notatum est in adnotatione num. 79. cap. praec.

Episcopus induet superpellicio, ut primum, et ita porro de reliquis.

143. Superpellicio indutis et ante Altare genuflexis tonsuratis omnibus, Diaconus mitram exuet Episcopo, qui assurgens et conversus ad tonsuratos eosdem cantabit orationem *Oremus. Omnipotens sempiterne Deus* etc. Post orationem Episcopus sedebit faldistorio et Diaconus reponet ei mitram.

144. Postremo Episcopus admonebit Ordinatos seu tonsuratos, admonitionem legens ex Pontificali *Filii dilectissimi, animadvertere* etc.

145. Redibit ad Altare Archidiaconus, qui consistens prope Diaconum, postquam Episcopus legerit admonitionem antedictam, dicet conversus ad Ordinatos *Ad loca vestra* vel *Recedant qui ordinati sunt clerici.* Si unus tantum erit ordinatus, observetur quod num. 82. cap. praeced. traditum est.

146. Tonsurati consurgent et cum debitis reverentiis redibunt ad loca sua.

147. Profectis tonsuratis descedent de stallo suo chorali duo Diaconi assistentes cum Presbytero assistente et procedent ante Altare.

148. Item in promptu stabunt Cappellani a mitra, baculo, libro et scotula, secuturi Episcopum. Cappellanus a libro relinquet Pontificale super abacum et accipiet Missale, delaturus illud ad thronum.

149. Episcopus, quum redierint Diaconi assistentes ante Altare, accipiet baculum sinistra, assurget et de Altari descendet medius inter Diaconum et Subdiaconum. Ad pedem Altaris quum venerit, convertetur ad ipsum, salutabit Crucem, deinde ordine supra innuto redibit in thronum.

150. Diaconus et Subdiaconus comitati Episcopum ad pedem Altaris et peracta cum ipso ad Crucem reverentia, relinquent eum medium inter Diaconos assistentes et recedent ad scamnum suum prope latus Epistolae.

151. Archidiaconus quoque, profecto de Altari Episcopo, redibit in chorum ad locum suum.

152. Reversus in thronum Episcopus sedebit et baculum dimittet. Secundus Diaconus assistens exuet ei mitram. Presbyter assistens se sistet eidem cum Missali aperto.

153. Episcopus assurget et cantabit *Oremus*, primus Diaconus assistens *Flectamus genua*, secundus Diaconus *Levate*. Postea Episcopus manibus apertis cantabit orationem primam. In quatuor temporibus Pentecostes omittetur *Flectamus genua*, quod subauditur etiam in reliquum tempus. In Sabbato *Sitientes* recitabit *Kyrie* una cum assistentibus et Choro, dum cantabitur a cantoribus, nec Presbyter assistens sustinebit ei Missale.

154. Interim in promptu erit cantor delectus ad primam lectionem cantandam, qui superpellicio erit indutus etiamsi esset Beneficiarius seu Mansionarius. Praesto erit etiam clericus ad ponendum in medio choro legile cum Missali, si forte collocari non potuisset ante functionem propter formam Presbyterii. Id observabitur etiam deinceps, siquidem cantata lectione, amovebitur de medio legile, deinde reponetur ibi quum Episcopus in thronum rediverit.

155. In promptu stabit clericus cum gremiali, qui sequetur Episcopum tum ad Altare cum ad thronum, ibique non longe consistet, illud traditurus vel recepturus.

156. Dum Episcopus cantabit orationem, Caeremoniarius unus vel alius, vice illius, invitabit cantorem, qui cum ipso progressus in medium chorum, reverentiam faciet ad Altare et ad Episcopum et consistet ante legile.

157. Cantata prima oratione vel recitato *Kyrie* Episcopus sedebit et a primo Diacono assistente reponetur ei mitra ac gremiale.

158. Cantor primam cantabit lectionem, quae legetur etiam ab Episcopo, sustinente ipsi Missale Cappellano a libro. Assistentes stabunt dum Episcopus lectionem leget, postea sedebunt.

159. Cantor, cantata lectione prima, genuflexionem faciet ante Altare, deinde veniet ante thronum, quo priusquam ascendat, genuflexionem faciet ante Episcopum, et conscenso throno manum eius osculabitur, tum descendet, genuflexionem iterabit ad Episcopum, dein ad Altare et revertetur ad locum suum.

160. Interea, ut superius innutum est, removebitur legile cum Missali de medio choro.

161. Cantore de throno profecto, secundus Diaconus assistens tollet Episcopo gremiale.

162. Tunc Episcopus resumet baculum et assurgens de throno descendet ac redibit ad Altare eodem ordine quo supra.

163. Cappellanus a libro deferet Missale ad abacum et resumet Pontificale, quod faciet etiam deinceps.

164. Praesto ibi erunt Diaconus et Subdiaconus, qui eum deducent et assistent ad Altare; Presbyter assistens et Diaconi assistentes se recipient ad locum suum in chorum.

165. Cappellanus a libro deponet Missale super abacum, accipiet Pontificale et ascendet ad Episcopum.

166. Clericus unus in promptu stabit prope Altare cum gremiali Episcopali.

167. Caeremoniarius vel clericus quispiam accipiet librum, utendum ab Archidiacono.

168. Appropinquabit ad Altare Notarius cum elencho ordinandorum.

169. Sedenti faldistorio Episcopo Diaconus imponet gremiale super genibus.

170. Archidiaconus redibit ad Altare prope Episcopum et, sedente Episcopo eique super genibus imposito gremiali a Diacono, invitabit Ordinandos ad Ostiariatum, dicens *Accedant qui ordinandi sunt ad officium Ostiariorum.*

171. Notarius, stans ut supra prope Altare, appellabit nominatim unumquemque Ordinandorum, qui respondebit *Adsum* et veniet geniculatum ante gradus Altaris. Notarius, appellatis Ordinandis, redibit ad locum suum.

172. Quum genuflexi erunt omnes Ordinandi, Episcopus leget eis admonitionem ex Pontificali *Suscepturi filii carissimi* etc.

173. Interim clericus unus in promptu habebit claves in lance tradendas Ordinandis.

174. Admonitione absoluta, Diaconus accipiet claves sine lance easque tradet Episcopo. Consurgent Ordinandi et primi duo vel tres ascendent ad Altare et genuflectent ante Episcopum. Episcopus porriget illis claves, quibus ipsi imponent dexteram vel duos tresve digitos eiusdem manus et Episcopus recitabit formulam *Sic agite* etc. Descendent primi et ascendent alteri atque ita deinceps reliqui, omnesque tangent claves et Episcopus recitabit cunctis formulam praedictam.

175. Postquam Ordinandi omnes tetigerint claves, discedet de Altari Archidiaconus et a sinistris eius incedet Caeremoniarius unus vel clericus, qui claves easdem deferet in lance. Ordinati bini iunctis manibus sequentur Archidiaconum et discedentes ex Altari debitas reverentias conficient ad Altare ipsum et ad Episcopum.

176. Accedet Archidiaconus ad portam ecclesiae, quam iubebit claudi et aperiri ab unoquoque illorum: deinde ducet eos ad turrim et singulis eorum tradens funem campanae, iubebit ipsos pulsare campanam uno tinnitu seu ictu; quod si turris nimis distaret et difficili ascensu esset, ducet eos ad fores Sacrarii ac tradens eis funem campanulae ibi appensae, faciet ut singuli illam pulsent.

177. Redibit ad Altare Archidiaconus sequentibus ordinatis. Ipse, facta ad Altare et ad Episcopum reverentia, recedet ad stallum suum et sedebit: Ordinati autem rursus genuflectent ante Altare.

178. Diaconus tollet gremiale Episcopo, qui assurget et conversus ad Ordinatos recitabit invitationem ad orationem *Deum Patrem Omnipotentem* etc. Postea sedebit eique Diaconus exuet mitram. Episcopus assurget et conversus ad Altare cantabit *Oremus*, Diaconus *Flectamus genua*, Subdiaconus *Levate* et conversus iterum ad Ordinatos, cantabit orationem *Domine sancte* etc.

179. Interea revertetur, ut antea, ad Altare Archidiaconus ad dimittendos Ordinatos.

180. Cantata oratione praedicta, Episcopus sedebit et Diaconus ei reponet mitram.

181. Archidiaconus dimittet Ordinatos, dicens *Recedant, qui ordinati sunt Ostiarii*, vel *Ad loca vestra* et Ordinati redibunt ad loca sua.

182. Si erit Sabbatum *Sitientes*, remanebit Episcopus apud Altare, prosecuturus ordinationem reliquorum ordinum minorum, ut infra. In aliis Sabbatis redibit in thronum eodem modo ac supra num. 149. et seqq. ibique sedebit.

183. Episcopus reversus in thronum et sedens dimittet baculum eique primus Diaconus ponet gremiale.

184. Restituetur in medio choro legile cum Missali.

185. Cantores cantabunt versiculum post lectionem primam et Episcopus praedictum versiculum leget ex Missali quod sustinebit Cappellanus a libro.

186. Completo eiusdem versiculi cantu, Diaconus secundus assistens tollet gremiale et mitram Episcopo, cui se sistet Presbyter assistens cum Missali.

187. Episcopus assurget, cantabit *Oremus*, primus Diaconus assistens *Flectamus genua*, secundus *Levate* et Episcopus subiunget orationem.

188. Interim in promptu erit cantor alterius lectionis, qui prorsus peraget omnia, ut primus.

189. Oratione ab Episcopo cantata, Presbyter assistens tradet Missale Cappellano a libro et recedet ad scabellum suum.

190. Episcopus sedebit et a primo Diacono cooperietur mitra et ab eodem recipiet super genua gremiale.

191. Mitra cooperto Episcopo, cantor lectionem cantabit, eamque leget Episcopus ex Missali sustento a Cappellano. Cantu lectionis finito, veniet cantor ad osculandum Episcopi manum, ut supra.

192. Interim si opus erit, removebitur de medio choro legile.

193. Profecto cantore supradicto, Diaconus secundus tollet gremiale Episcopo, qui sumpto sinistra baculo, assurget, descendet de throno, accedet ad Altare et sedebit in faldistorio.

194. Ibi sedens dimittet baculum et Diaconus imponet genibus eius gremiale.

195. Archidiaconus et Notarius, ut supra, accedent ad Altare et ad subsellia sua redibunt Diaconi assistentes cum Presbytero assistente.

196. Archidiaconus ex libro sibi tradito a Caeremoniario invitabit Ordinandos ad Lectoratum dicens *Accedant qui ordinandi sunt ad officium Lectorum*, et unusquisque eorum appellatus a Notario respondebit *Adsum* et ante Altare genuflectet.

197. Clericus quispiam in promptu habebit Missale, traditurus ipsum Diacono, ut infra.

198. Notarius et Archidiaconus recedent, ut supra.

199. Ordinandis ante Altare genuflexis, Episcopus leget admonitionem ex Pontificali *Electi filii carissimi* etc.

200. Post admonitionem Diaconus Episcopo tollet gremiale et tradet Missale, quod sustinente utraque manu Episcopo super genibus, ascendent ad Altare et genuflectent ante eum tres vel quatuor Ordinandi, a quibus imposita Missali manu dextera, Episcopus proferet formulam *Accipite et estote* etc. Descendent isti de Altari genuflectent iterum ante gradus et ascendent reliqui ad Episcopum, tacturi Missale eodemque modo fiet deinceps, donec ab omnibus tactum erit.

201. Omnibus Ordinandis ante Altare genuflexis, assurget Episcopus cum mitra et cantabit invitationem ad orationem dicens *Oremus, fratres carissimi* etc. Sedebit deinde Episcopus et a Diacono nudabitur mitra. Assurget iterum et conversus ad Altare, cantabit *Oremus* (Diaconus *Flectamus genua* et Subdiaconus *Levate*) et conversus iterum ad Ordinatos cantabit orationem *Domine sancte* etc.

202. Interim redibit ad Altare Archidiaconus.

203. Post orationem sedebit Episcopus et Diaconus reponet ei mitram.

204. Archidiaconus dimittet Ordinatos, dicens *Recedant qui ordinati sunt Lectores*, vel *Ad loca vestra*.

205. Ordinati consurgent, ac debitis reverentiis ad Altare et ad Episcopum peractis, revertentur ad loca sua.

206. Nisi fuerit Sabbatum *Sitientes* (quoniam Episcopus procedet ad ordinationem Exorcistarum, ut docebitur inferius) aderunt ante Altare Diaconi assistentes et Presbyter assistens, reducturi Episcopum ad thronum.

207. Ubi Episcopus in thronum pervenerit ordine supra innuto, cantabitur a cantoribus versiculus post lectionem secundam, quae legetur ab Episcopo ex Missali quod ei sustinebit Cappellanus a libro,

208. Statuetur legile in medio choro, et in promptu erit, ut supra, cantor tertiae lectionis.

209. Cantato versiculo supradicto, Diaconus secundus tollet gremiale, dein mitram Episcopo. Episcopus assurget et cantabit *Oremus*, primus Diaconus assistens *Flectamus genua*, secundus *Levate* et Episcopus prosequetur orationem in cantu. Post orationem sedebit eique reponetur mitra deinde etiam gremiale a primo Diacono assistente.

210. Cantabitur lectio tertia, quae legetur etiam ab Episcopo, ut supra, et osculata a cantore manu Episcopi procedetur ad ordinationem Exorcistarum.

211. Quapropter reverso ad Altare Episcopo et faldistorio sedente, Archidiaconus invitabit Ordinandos, *Accedant, qui ordinandi sunt ad officium Exorcistarum*, qui appellati a Notario, quum singuli responderint *Adsum*, genuflectent ante Altare.

212. Ordinandis genuflexis, Episcopus ex Pontificali leget admonitionem *Ordinandi filii carissimi* etc.

213. In promptu habebitur a clerico aliquo Missale tradendum Ordinandis.

214. Lecta ab Episcopo admonitione, Diaconus tollet ei gremiale ac tradet Missale quod tangetur ab Ordinandis, Episcopo recitante formulam *Accipite et commendate memoriae* etc. servata methodo in ordinatione Lectorum superius tradita.

215. Missali omnibus ordinatis tradito, iisque iterum genuflexis ante Altare, Episcopus assurget et cantabit invitationem ad orationem *Deum Patrem omnipotentem* etc.

216. Postea sedebit Episcopus et a Diacono nudabitur mitra. Assurget et conversus ad Altare, cantabit *Oremus* (Diaconus *Flectamus genua* et Subdiaconus *Levate*) iterumque conversus ad Ordinatos prosequetur in cantu orationem *Domine sancte* etc. Post orationem rursus sedebit et a Diacono cooperietur mitra.

217. Archidiaconus iam reversus ad Altare, dimittet Ordinatos dicens *Recedant qui ordinati sunt Exorcistae*, vel *Ad loca vestra*.

218. Episcopus (nisi fuerit Sabbatum *Sitientes*, quo die manebit apud Altare, prosecuturus ordinationem Acolythorum) descendet de Altari eodemque ordine, ut superius dictum est, redibit in thronum, ubi sedens leget versiculum post lectionem tertiam, quae cantabitur a cantoribus.

219. In promptu erit cantor quartae lectionis et reponetur legile, ut supra.

220. Expleto cantu tertii versiculi, secundus Diaconus assistens gremiale et mitram Episcopo tollet. Episcopus assurgens, ex Missali quod sustinebit Presbyter assistens, cantabit *Oremus* (primus Diaconus assistens cantabit *Flectamus genua*, se-

cundus *Levate*) tum expansis manibus cantabit orationem quartam. Post orationem sedebit Episcopus eique primus Diaconus assistens reponet mitram et gremiale.

221. Cantor quartam lectionem cantabit et post ipsam osculabitur manum Episcopi.

222. Episcopus, ut supra, leget lectionem quartam ex Missali, quod ei sustinebit Cappellanus a libro.

223. Postea redibit ad Altare atque ordine saepius innuto sedebit faldistorio, ordinaturus Acolythos.

224. Archidiaconus invitabit Ordinandos, dicens *Accedant qui ordinandi sunt ad officium Acolythorum.* Notarius eos nomine appellabit ut supra; unusquisque nominatorum respondebit *Adsum*: omnesque geniculabunt ante Altare.

225. Episcopus sedens admonebit eos legens ex Pontificali *Suscepturi filii carissimi* etc.

226. Clericus unus in promptu habebit ampullam vacuam et candelabrum cum cereo extincto, Episcopo a Diacono tradendum.

227. Admonitione finita, Diaconus tollet Episcopo gremiale eique tradet candelabrum cum cereo.

228. Ascendent ad Altare duo tresve Ordinandi et genuflectent ante Episcopum, qui porriget eis candelabrum cum cereo. Ordinandi tanget utrumque, videlicet pollice dextero tangent candelabrum et indice eiusdem manus cereum atque Episcopus proferet formulam. *Accipite ceroferarium* etc.

229. Discedent primi, qui candelabrum cum cereo tetigerint et ascendent ad Altare alteri, atque ita deinceps.

230. Tacto ab omnibus candelabro cum cereo, Diaconus recipiet ab Episcopo candelabrum eique tradet ampullam vacuam.

231. Ascendent iterum primi Ordinandi, eodem numero ac supra, et Episcopus praesentabit eis ampullam quam tangent apponentes digitos indicem et medium dexterae manus et Episcopus leget formulam *Accipite urceolum* etc.

232. Quum primi de Altari descenderint, ascendent alteri et fiet ut de primis.

233. Post haec omnibus Ordinatis ante Altare genuflexis,

assurget Episcopus mitram capite gestans, recitabit invitationem ad orationem *Deum Patrem omnipotentem* etc. Episcopus postea sedebit et a Diacono nudabitur mitra. Assurget et conversus ad Altare cantabit *Oremus*, Diaconus *Flectamus genua*, Subdiaconus *Levate* et Episcopus conversus denuo ad Ordinatos, cantabit orationem *Domine sancte* etc. Deinde adhuc conversus ad Ordinatos, cantabit reliquas orationes duas in Pontificali notatas, praemittens *Oremus* utrisque.

234. Post orationes sedebit Episcopus et a Diacono cooperietur mitra.

235. Archidiaconus dimittet Ordinatos, dicens *Recedant qui ordinati sunt Acolythi*, vel *Ad loca vestra*. Ordinati consurgent et cum reverentiis Altari et Episcopo debitis redibunt ad loca sua.

236. Profectis Ordinatis, revertetur Episcopus in thronum, ordine supra notato.

237. In ordinatione habita in Sabbatis quatuor temporum, cantabitur versiculus post quartam lectionem, quae legetur etiam ab Episcopo.

238. Deinde ordine supradicto Episcopus cantabit orationem quintam et cantabitur quinta lectio.

239. Si fuerit Sabbatum *Sitientes*, Episcopus cantabit orationem Missae cum collecta sive oratione pro Ordinandis, sub unica conclusione primae orationis, postea reliquas orationes a rubrica praescriptas.

240. Post quintam lectionem, seu post orationes praedictas, redibit Episcopus ad Altare et sedebit faldistorio.

241. Archidiaconus ad Altare reversus invitabit Ordinandos ad Subdiaconatum, dicens *Accedant qui ordinandi sunt Subdiaconi*.

242. Notarius nomine appellabit singulos Ordinandos adiungens tamen nomini et cognomini titulum, quo ordinabuntur, exempli gratia *ad titulum beneficii*, vel *paroeciae* vel *cappellaniae* vel *patrimonii sui*. De Regularibus dicet *Frater* N. N. *professus Ordinis* S. N. *ad titulum paupertatis* vel *missionum* vel *mensae communis*, secundum varia instituta. Ordinandi appellati, statim respondebunt *Adsum* et procedent ante Altare, stantes in pedibus longe ab ipso quatuor aut quinque passus.

243. Appellatis omnibus ad Subdiaconatum Ordinandis, Episcopus admonebit eos ut in Pontificali *Filii dilectissimi, ad sacrum* etc. Admonitione peracta, accedent Ordinandi ad gradus Altaris et geniculabunt.

244. Si Ordinandi omnes essent Regulares, omittetur admonitio praedicta, quae respicit clericos saeculares tantummodo.

245. Archidiaconus invitabit reliquos Ordinandos, dicens *Accedant qui ordinandi sunt Diaconi et Presbyteri*, iique accedent ante Altare et geniculabunt.

246. Clerici recipient ab eis candelas.

247. Ordinandi ad Subdiaconatum locum sument versus latus Evangelii, ad Diaconatum versus latus Epistolae, ad Presbyteratum autem in medio. Si tamen propter numerum Ordinandorum vel propter angustias Presbyterii non posset id fieri, disponentur Ordinandi, ut commodius videbitur.

248. Diaconus Episcopo tollet gremiale; Episcopus assurget et conversus ad Altare, geniculabit in pulvino posito ante faldistorium.

249. A lateribus eius geniculabunt Diaconus et Subdiaconus.

250. Ceteri omnes de Choro submittent genua suo quisque loco.

251. Ordinandi omnes procumbent super pavimentum.

252 Cantores duo genuflexi in medio Presbyterio, vel ex una parte, pro amplitudine ipsius, cantabunt Litanias, quibus adstantes respondebunt.

253. Sub finem Litaniarum, in promptu erunt Cappellani a baculo et a libro, ille cum baculo, hic cum Pontificali.

254. Cantato a cantoribus versiculo *Ut omnibus fidelibus defunctis* etc. assurget Episcopus cum Ministris tantum, et baculo sinistra sumpto, conversusque ad Ordinandos, ex Pontificali, quod ei sustinebit Cappellanus a libro, tribus vicibus cantabit *Ut hos electos* etc. eosque benedicet, ut in eodem Pontificali.

255. Episcopus dimittet baculum, genuflectet iterum cum Ministris et cantores resument cantum Litaniarum ad versiculum *Ut nos exaudire* etc. easque complebunt.

256. Litaniis absolutis, consurgent omnes et Episcopus rur-

sus sedebit faldistorio, eique Diaconus reponet super genua gremiale.

257. Ordinandi consurgent de prostratione et clerici restituent eis candelas ardentes.

258. Archidiaconus reversus ad Altare, dicet eis *Recedant qui ordinandi sunt Diaconi et Presbyteri* ac remanebit ibi propter actiones sequentes.

259. Consurgent Ordinandi ad Diaconatum et ad Presbyteratum debitisque peractis reverentiis revertentur ad locum suum.

260. Ordinandi autem ad Subdiaconatum remanebunt genuflexi ante Altare. Episcopus admonebit eos, legens ex Pontificali admonitionem *Adepturi filii dilectissimi* etc.

261. Interea clerici designati ad assistendum Ordinandis, ita accommodabunt eis amictum extra albam, ut facile possit ab Episcopo capiti eorum imponi.

262. A Caeremoniario vel etiam a clerico alio in promptu habebitur Calix cum patena tradendus Ordinandis.

263. Clericus alter se sistet prope Archidiaconum sustinens pelviculam cum ampullis vini et aquae et cum manutergio.

264. Episcopus, admonitione peracta, dimittet gremiale, quod ipsi tollet Diaconus, et ab eodem accipiet Calicem vacuum cum patena vacua. Ascendent ad Altare duo tresve Ordinandi et geniculabunt ante Episcopum, qui porriget eis calicem cum patena. Unusquisque Ordinandus ponet indicem digitum manus dexterae super patenam et pollicem eiusdem manus ad cuppam calicis, Episcopo interim recitante formulam *Videte cuius ministerium* etc. Descendent de Altari primi et succedent alteri Ordinandi itemque deinceps omnes et singuli tangent calicem cum patena.

265. Ordinandi, qui tetigerint calicem cum patena, consurgent, accedent versus latus Evangelii, ubi aderit Archidiaconus, qui praesentabit eis singulis ampullas vini et aquae plenas cum pelvicula et manutergio, et ipsi tangent illa omnia. Redibunt ad locum suum ante Altare ac genuflectent. Archidiaconus, ista actione peracta, revertetur ad locum suum.

266. Episcopus restituet Diacono Calicem cum patena, et genuflexis iterum ante Altare Ordinandis, assurget retinens in capite mitram, recitabit invitationem ad orationem, dicens *Oremus Deum ac Dominum* etc. Postea sedebit et Diaconus tollet ei mitram. Assurget iterum, convertetur ad Altare, cantabit *Oremus* (Diaconus *Flectamus genua*, Subdiaconus *Levate*,) deinde rursus conversus ad Ordinandos prosequetur cantare orationem *Domine sancte* etc.

267. Interea clerici delecti ad assistendum Ordinandis, explicabunt tunicellas novis Subdiaconis ita, ut facile possit Episcopus ipsas accipere et induere Ordinandis.

268. Post orationem sedebit Episcopus et Diaconus reponet ei mitram.

269. Ascendet ad Altare primus Ordinandus et geniculabit ante Episcopum, qui accipiens amictum, qui circa humeros Ordinandi iacebit, imponet capiti ipsius, dicens *Accipe amictum* etc. Deinde Episcopus manipulum accipiet eiusque brachio sinistro inducet, Ordinando prius osculante Crucem, quae extat super manipulo, et Episcopus dicet *Accipe manipulum* etc. Postremo Episcopus accipiet tunicellam eamque induet Ordinando, dicens *Tunica iucunditatis* etc. Hoc modo indutus primus Subdiaconus de Altari descendet et rursus genuflectet ante Altare loco suo.

270. Ascendet Ordinandus secundus, qui ab Episcopo induetur, ut primus, eodemque modo deinceps reliqui omnes (*a*).

271. Clericus unus in promptu habebit Missale tradendum Ordinandis.

272. Omnibus Ordinandis indutis, Diaconus accipiet Missale, quod tradet Episcopo, et hic sustinebit illud utraque manu. Ascendent ad Altare duo tresve ex novis Ordinandis et genuflexi ante Episcopum imponent dexteram Missali, dum Episcopus dicet *Accipite potestatem* etc. Postquam isti tetigerint Missale, descendent de Altari et succedent alteri, idemque facient ceteri omnes.

(*a*) Recole et heic quod notavimus in subiecta adnotatione num. 121 cap. praeced. de rubrica, quae supponit unam tantum esse tunicellam, singulis Ordinandis induendam.

273. Hac actione peracta, Archidiaconus iam reversus ad Altare, dimittet Ordinatos, dicens *Recedant qui ordinati sunt Subdiaconi*, vel *Ad loca vestra.*

274. Consurgent Ordinati et cum debitis genuflexionibus aut reverentiis redibunt ad locum suum.

275. Episcopus redibit in thronum ordine superius innuto, ibique sedebit; si fuerint quatuor tempora, leget canticum *Benedictus es Domine* etc. quod hoc tempore cantabitur a cantoribus.

276. In Sabbato *Sitientes*, loco cantici istius, cantabitur Epistola, ut inferius num. 282.

277. Cantato cantico praedicto, Diaconus secundus assistens tollet gremiale et mitram Episcopo, qui assurget.

278. Si fuerit Sabbatum Pentecostes, Presbyter assistens praesentabit Episcopo Missale, ex quo intonabit *Gloria in excelsis*, servato ritu praescripto in aliis Missis solemnibus. Postquam cantatus erit hymnus *Gloria in excelsis*, Episcopus stans et conversus ad populum cantabit *Pax vobis.*

279. In aliis Sabbatis quatuor temporum, assurgens Episcopus, ut supra, cantabit conversus ad populum *Dominus vobiscum.*

280. Deinde Episcopus ex Missali, ut supra, sustento a Presbytero assistente, cantabit orationem respondentem, cui adiunget sub unica conclusione orationem seu collectam pro Ordinatis. Postea subiiciet reliquas orationes a rubrica praescriptas.

281. Post orationes Episcopus sedebit, eique primus Diaconus assistens reponet mitram et gremiale.

282. Cantabitur deinde Epistola Missae aut a Subdiacono ministrante ad Altare, vel ab aliquo ex novis Subdiaconis, iuxta morem cuiusque ecclesiae, ritu iam praescripto Cap. IX. lib. V.

283. Interim ab Episcopo legetur etiam Epistola, sustinente ei librum Cappellano, et stantibus Assistentibus throno, donec Epistolam leget Episcopus, postea sedebunt et ipsi.

284. Post Epistolam Subdiaconus osculabitur manum Episcopi ritu usitato.

285. Profecto de throno Subdiacono, redibit ad Altare

ordine supra demonstrato Episcopus, processurus ad ordinationem Diaconorum.

286. Archidiaconus invitabit Ordinandos dicens *Accedant qui ordinandi sunt ad Diaconatum*. Notarius Ordinandos appellabit nomine et cognomine, tacens titulum ordinationis.

287. Unusquisque ex Ordinandis assurget de loco suo, respondebit *Adsum* et veniet ante Altare ibique geniculabit.

288. Ordinandis omnibus ante Altare genuflexis, Archidiaconus petet ab Episcopo ordinationem, dicens *Reverendissime Pater postulat* etc. (*a*). Episcopus autem quaeret: *Scis illos dignos esse*? Archidiaconus respondebit: *Quantum humana fragilitas* etc. Episcopus subiunget *Deo gratias*; postea nunciabit Clero et populo ordinationem, dicens *Auxiliante Domino Deo* etc.

289. Archidiaconus manebit apud Altare quoadusque Episcopus ordinationem nunciaverit, ut supra, deinde ad locum suum se recipiet in chorum.

290. Episcopus post annunciationem supradictam, brevissimam interponet moram, deinde leget Ordinandis admonitionem *Provehendi filii dilectissimi* etc. ut in Pontificali.

291. Hoc tempore opus esset ut clerici paramenta disponerent Ordinandis, ut Episcopus possit eis facile induere.

292. Post admonitionem, pergens Episcopus sedere, leget adstantibus alteram invitationem *Commune votum, communis oratio* etc.

293. Postmodum Diaconus tollet gremiale Episcopo, qui assurget mitram capite gestans, et recitabit invitationem ad orationem *Oremus fratres carissimi* etc. usque ad verba *qui vivit et regnat Deus*, post quae stans adhuc dimittet mitram per Diaconum, postea tono feriali cantabit praefationem, manibus ante pectus expansis. Post primam praefationis partem, Episcopus cessabit a cantu et Ordinandi consurgent ac singuli sive unus post alium ascendent ad Altare et geniculabunt ante Episcopum. Episcopus, sinistra applicita pectori suo, dexteram imponet uniuscuiusque capiti, dicens *Accipe Spiritum Sanctum* etc. atque Ordi-

(*a*) Si Episcopus fuerit Cardinalis, tum in ista, tum in ordinatione Presbyterorum observetur monitum traditum num. 127. capituli praecedentis.

nandus quisque post manuum impositionem redibit ad locum suum et geniculabit. Postquam Episcopus manum imposuerit omnibus cum formula praescripta, sustinens dexteram versus eos extensam, prosequetur cantare secundam praefationis partem *Emitte in eos* etc. Recitabit deinde submissa voce et iunctis manibus conclusionem praefationis *Per eundem Dominum* etc.

294. Responso *Amen* a choro, Episcopus sedebit et Diaconus reponet ei mitram. Consurgent Ordinandi et unus post alium ascendent ad Altare et genuflectent ante Episcopum. Episcopus singulis porriget osculandam stolam eamque humero sinistro eorum imponet, signum Crucis manu efficiens, dum dicet *Accipe stolam* etc. Unus ex clericis delectis inserviendo Ordinandis, consistet a dextra ipsorum, videlicet prope Subdiaconum, ut cingulo firmet stolam in latere dextro uniuscuiusque Ordinandi. Actionem istam oportet exsequi expedite. Postmodum Episcopus accipiet dalmaticam eamque induet unicuique Ordinando, dicens *Induat te Dominus* etc. Id fiet omnibus singulis (*a*).

295. In promptu etiam erit Missale sive Evangeliarium Ordinandis tradendum.

296. Posteaquam induti erunt Ordinandi omnes, Diaconus tradet Evangeliarium seu Missale Episcopo, qui sustinebit ipsum utraque manu. Tum duo tresve Ordinandi ascendent ad Altare, geniculabunt ante Episcopum, iisque manum dexteram libro imponentibus, dicet *Accipite potestatem* etc. Post primos ascendent alteri ac tangent librum; hac actione peracta, et genuflexis omnibus Ordinatis, Diaconus exuet mitram Episcopo.

297. Assurget Episcopus et conversus ad Altare cantabit *Oremus*, Diaconus *Flectamus genua*, Subdiaconus *Levate*; deinde Episcopus conversus ad Ordinatos, cantabit orationem *Exaudi Domine* etc. Stans adhuc ad eosdem Ordinatos conversus, cantabit *Oremus* cum altera oratione *Domine sancte* etc. Post orationem istam Episcopus, sedebit, eique a Diacono reponetur mitra.

298. Archidiaconus iam reversus ad Altare, dimittet Or-

(*a*) Si forte una tantum esset dalmatica, confer quae num. 121. c. praec. notata sunt.

dinatos dicens *Recedant qui ordinati sunt Diaconi*, vel *Ad loca vestra*.

299. Ordinatis de Altari profectis, redibit in thronum Episcopus, cantores cantabunt tractum, quem Episcopus leget usque ad ultimum versiculum exclusive; in Sabbato autem Pentecostes legetur ab Episcopo et cantabitur a cantoribus Sequentia usque ad ultimum versiculum exclusive.

300. Cantu absoluto, Episcopus discedet de throno, redibit ad Altare eodem ordine ac supra et sedebit faldistorio.

301. Archidiaconus invitabit Ordinandos ad Presbyteratum dicens *Accedant qui ordinandi sunt ad ordinem Presbyteratus*.

302. Notarius appellabit Ordinandos, ut supra, videlicet non nominans titulum ordinationis, unusquisque Ordinandus assurget, respondebit *Adsum* et geniculatum procedet ante Altare.

303. Ordinandis omnibus ante Altare genuflexis, Archidiaconus conversus ad Episcopum, instantiam ipsi faciet pro ordinatione, dicens *Reverendissime Pater, postulat* etc. Quaeret Episcopus *Scis illos esse dignos?* Respondebit Archidiaconus *Quantum humana fragilitas* etc. Episcopus subiiciet *Deo gratias*. Postea Clero et populo ordinationem nunciabit, dicens *Quoniam fratres carissimi* etc. manente apud Altare Archidiacono, dum compleatur nunciatio praedicta.

304. Nunciata populo ordinatione, Episcopus, brevi interposita mora, admonitionem Ordinandis leget ex Pontificali *Consecrandi filii dilectissimi* etc.

305. Interim clerici, qui Ordinandis assistent, aptabunt planetam novis Presbyteris, idest complicabitur pars superior, quae opus est ut restet super scapulis; stola insuper ita accommodabitur, ut eius pars dextera, quae est post scapulas, facile possit super pectus reduci.

306. Admonitione peracta, Diaconus tollet Episcopo gremiale. Assurget Episcopus et ascendent ad eum Ordinandi, unus post alium, ac geniculabunt ante ipsum super infimum gradum. Episcopus ambas manus imponet singulis, nihil dicens.

307. Presbyter assistens et post illum ceteri omnes Canonici Presbyteri, planeta parati, de suis stallis descendent,

et unusquisque eorum utramque manum imponet Ordinandis, postquam ipsis suas imposuerit Episcopus.

308. Episcopus itemque Canonici antedicti, postquam Ordinandis utramque manum imposuerint, sustinebunt dexteram versus eos extensam.

309. Canonici stabunt post Ordinandos efficientes post ipsos semicirculum, si tamen locus non patietur, redibunt ad subsellia sua, vel consistent a lateribus Altaris, continuantes sustinere dextram extensam, eoque statu manebunt, donec absolvatur oratio, ut infra.

310. Postquam manus imposuerint Canonici Presbyteri omnes praesentes, Episcopus, dextera elata et distenta versus Ordinandos (quod facient etiam Canonici) recitabit invitationem ad orationem, dicens *Oremus fratres carissimi* etc.

311. Post orationem seu invitationem ad orationem, Episcopus et Canonici demittent dexteram, quam distentam sustinebant, Canonici autem redibunt ad subsellia sua , si manserint, ut supra, apud Ordinandos.

312. Episcopus sedebit et mitram per Diaconum dimittet. Tum assurget, convertetur ad Altare et cantabit *Oremus* (Diaconus *Flectamus genua*, Subdiaconus *Levate*) et conversus iterum ad Ordinandos, cantabit orationem *Exaudi nos quaesumus* etc. post quam prosequetur in cantu praefationem tono feriali , sustinens manus ante pectus apertas. Conclusionem autem praefationis *Per eumdem* etc. dicet submissa voce et iunctis manibus.

313. Absoluta praefatione, sedebit Episcopus faldistorio eique a Diacono reponetur mitra. Ascendet ad Episcopum Ordinandus primus et geniculabit ante ipsum. Episcopus accipiet stolae partem illam, quam unusquisque Ordinandus retinebit super scapulis, ducet eam circum collum et complicabit super pectus illius, dicens *Accipe iugum Domini* etc. Aderit clericus unus prope Ordinandum, aptaturus stolam circa collum eius eamque firmaturus super latere sinistro. Deinde Episcopus accipiet planetam convolutam in parte posteriori, eamque induet Ordinando , dicens *Accipe vestem Sacerdotalem* etc. Ordinandus respondebit *Deo gratias.* Planeta erit explicata in parte

anteriori tantum; in posteriori autem relinquetur involuta super scapulis, ut supra dictum est. Descendet de Altari Ordinandus primus et ascendet alter, qui eodem prorsus modo induetur ab Episcopo, atque ita porro ceteri omnes.

314. Indutis Ordinandis omnibus et suo loco genuflexis, Diaconus exuet mitram Episcopo qui assurget et conversus ad Ordinandos recitabit orationem *Deus sanctificationum omnium auctor* etc. non praemittens *Oremus*.

315. Interim a clerico aliquo in promptu habebitur vasculum Olei sacri Catechumenorum, positum in lance cum aliquantulo gossipio, et gremiale lineum cum lemniscis.

316. Post orationem Episcopus convertetur ad Altare, geniculabit in pulvino posito ante faldistorium et genibus flexis intonabit hymnum *Veni creator Spiritus*, quem in cantu prosequentur cantores. Diaconus tollet ei pileolum ante intonationem praedictam. Post cantum quatuor primorum versuum, seu strophae primae, Diaconus reponet pileolum Episcopo, qui assurget ac removebitur pulvinus, in quo geniculaverit.

317. Episcopus sedebit faldistorio et Diaconus reponet ei mitram. Idem deinde Diaconus tollet ei annulum et chirothecam dextram eodemque tempore tolletur ei chirotheca sinistra a Subdiacono. Diaconus annulum eius digito rursus inducet, acceptumque gremiale imponet genibus Episcopi, et simul cum Subdiacono gremiale ipsum alligabit nodis anterioribus faldistorii.

318. Se sistet Episcopo Ordinandus primus, qui geniculabit ante ipsum, apertas sustinens manus cum digitis et pollicibus iunctis. Episcopus pollicem dexterum intinget in Oleum sacrum Catechumenorum et inunget manus Ordinandi, dicens *Consecrare* etc. Unctio peragetur in modum Crucis, efficiendo primam lineam rectam a pollice sinistrae usque ad indicem dextrae Ordinandi, et lineam secundam a pollice dextrae ad indicem sinistrae Ordinandi ipsius, cuius deinde perget inungere integre palmas manuum et donans ei postremo benedictionem quum dicet *et nostram benedictionem* (a) Nulla alia facta unctione, sequetur formula *Ut quaecumque benedixerit* etc.

(a) Vide adnotationem subiectam num. 162. capit. praeced.

319. Unctione peracta, Episcopus claudet manus Ordinando, qui dextram imponet sinistrae et unus ex Cappellanis seu clericis ligabit ei manus sudario lineo albi coloris, quod secum habebit Ordinandus.

320. Descendet de Altari Ordinandus primus qui geniculabit iterum ante Altare et ascendet secundus, cui Episcopus peraget unctionem ut primo, idemque faciet deinceps reliquis omnibus.

321. Hoc tempore in promptu habebitur a clerico calix cum vino et patena cum hostia tradenda Ordinandis. Disponetur unum vel plura scamna sine postergali prope Altare cum Missalibus apertis, ex quibus legent Missam novi Presbyteri, et aderunt alii Presbyteri superpellicio induti, qui assistent eis: in promptu etiam erunt urcei cum pelvibus et medulla panis ac mali medici ad lavandas novorum Presbyterorum manus.

322. Sub finem unctionis Ordinandorum in promptu stabunt Ministri lotionis manuum Episcopi, methodo iam tradita in Missa pontificali, praesertim si actionem istam fungeretur Magistratus.

323. Quum Episcopus unctionem peregerit cunctis Ordinandis, pollicem absterget gossipio. Diaconus accipiet calicem cum vino et patenam cum hostia, eaque tradet Episcopo. Ascendet ad Altare Ordinandus primus et geniculabit ante Episcopum, qui porriget ei calicem et patenam cum hostia, quam admovebit versus labrum patenae. Ordinandus, manibus adhuc involutis, tanget digitis mediis cuppam calicis et ponet digitos indices super patenam superque hostiam: Episcopus proferet formulam *Accipe potestatem* etc.

324. Deinde assurget Ordinatus primus, descendet de Altari, perget ad abacum et lavabit manus, easque absterget sudario quo erunt involutae, vel manutergio, si aderit, et procedet ad scamnum superius nominatum, concelebraturus Missam cum Episcopo.

325. Ubi primus Ordinatus de Altari descenderit, ascendet Ordinandus secundus, qui peraget omnia illa, quae tradita sunt de primo, itemque deinceps reliqui.

326. Sub finem Ordinationis redibit ad Altare Presbyter assistens.

327. Peracta omnium Presbyterorum Ordinatione, procedent ad Altare Ministri lotionis et Episcopus lavabit manus, ministrante ipsi mantile Presbytero assistente.

328. Lavante manus Episcopo, Canonici et Praelati, si aderunt, stabunt capite nudato, ceteri omnes geniculabunt.

329. Episcopo, postquam abluerit manus, Diaconus reponet chirothecam in manu dextra et Subdiaconus chirothecam in manu sinistra, Diaconus deinde reponet ei annulum, ac removebitur gremiale lineum, quod habebat super genibus.

330. Episcopus postea redibit in thronum, ut supra, et quum pervenerit illuc, cantabitur a cantoribus ultimus versiculus Tractus et Sequentiae, quam etiam leget Episcopus ex Missali, simul cum *Munda cor meum* et Evangelio.

331. Cantabitur deinde Evangelium a Diacono, qui ministrabit ad Altare, vel ab uno ex novis Diaconis, ritu praescripto in Missa pontificali, in Sabbato quatuor temporum Pentecostes cantabitur etiam *Credo*, et procedetur in Missa solemni usque ad Offertorium, servato ritu ibidem descripto.

332. Novi Presbyteri ad cantum Evangelii consurgent.

333. Cantato *Oremus* ante Offertorium et lecto versiculo analogo, Episcopus sedebit, eique a primo Diacono assistente reponetur mitra auriphrygiata; in Sabbato autem Pentecostes assumet pretiosam.

334. Ordinati, unus post alium, ascendent ad thronum, genuflexione prius facta ad Altare. Praecedent Presbyteri, tum Diaconi, deinceps Subdiaconi, Acolythi, Exorcistae, Lectores, Ostiarii, postremo Clerici, candelam ardentem manu sustinentes (*a*). Prope thronum aderunt clerici iam delecti ad assistendum Ordinatis, recepturi candelas. Unusquisque Ordinatus ante thronum quum venerit, genuflexionem faciet ad Episcopum, ad thronum ascendet, geniculabit super gradulum cathedrae et candelam offeret Episcopo, cuius manum, dum

(*b*) Si Ordinandorum ingens esset numerus, posset ab uno tantum in singulis Ordinibus praesentari cereus, quaemadmodum fit Romae in Lateranensi Basilica.

candelam accipiet, osculabitur. Episcopus candelam accipiet, quam tradet primo Diacono assistenti, hic autem clericis supra dictis, qui eas extinguent et ad abacum portabunt. Unusquisque Ordinatus, candela Episcopo tradita, assurget, genuflexionem ante Episcopum iterabit a latere in plano throni, descendet de throno a latere transiens ante secundum Diaconum assistentem et redibit ad locum suum, exsequens etiam genuflexionem ad Altare, si ante ipsum transibit.

335. Candela a cunctis Ordinatis, ut supra, oblata, Episcopus dimittet annulum et chirothecas, ut in aliis Missis pontificalibus, lavabit manus, omnibus ad actionem istam genuflectentibus, exceptis Canonicis, deinde procedet ad Altare, ordine usitato in Missis pontificalibus.

336. Missa procedet ritu pro Missis pontificalibus praescripto, excepto quod recitabit elata voce Secreta omnia simul cum Ordinatis ad Presbyteratum, qui genuflexi aderunt, ut supra dictum est, apud Altare. Hi tamen animadvertent, ut recitent tantum orationes praedictas, sed ne faciant ullum signum Crucis aut aliam caeremoniam, quae fiet a Celebrante, et ipsi stabunt semper iunctis manibus.

337. Notandum, quod afferenda est ad Altare pyxis cum particulis consecrandis pro Communione Ordinatorum.

338. Ad Altaris thurificationem Episcopus tantum recitabit submissa voce orationem *Per intercessionem* etc. et reliquas *Incensum istud* etc. *Dirigatur Domine* etc. *Accendat in nobis* etc.

339. Quando Episcopus cantabit Praefationem, *Pater noster*, *Pax Domini* et reliquas orationes Postcommunionis, Ordinati legent aut recitabunt illas una cum Episcopo, sed sine cantu.

340. *Sanctus*, *Agnus Dei* et versiculus Communionis recitabitur prius ab Episcopo cum novis Presbyteris, postea cantabitur a choro.

341. Presbyteri modo Ordinati recitabunt pausatim et iunctim cum Episcopo verba consecrationis Hostiae et Calicis.

342. Episcopus, posteaquam recitaverit orationem *Domine Iesu Christe qui dixisti* etc. donabit pacem Presbytero assistenti, Diaconis assistentibus, Diacono et Subdiacono, deinde primo Presbytero, primo Diacono et primo Subdiacono ex novis Or-

dinatis, qui reversi ad loca sua, pacem praebebunt deinceps ceteris Ordinatis, ad ordinem eumdem; postea Subdiaconus ultimus praebebit primo Acolytho, hic ceteris; Acolythus ultimus primo Exorcistae, hic ceteris; item Exorcista ultimus primo Lectori, hic ceteris, ultimus Lector primo Ostiario, hic ceteris; postremo ultimus Ostiarius primo Clerico et hic reliquis.

343. Episcopus prosequetur Missam, quum novi omnes Presbyteri pacem receperint.

344. Calice ab Episcopo consummato, clerici duo pro Communione afferent ad Altare mappam lineam.

345. Calicem palla cooperiet Diaconus vel Subdiaconus (nisi ad Altare rediverit Presbyter assistens) deinde Episcopus, Diaconus et Subdiaconus, genuflexione facta, convertentur ad populum, seu ad Presbyteros recens ordinatos, qui genibus flexis insistent super extremitate suppedanei. Diaconus pyxidem accipiet eique adimet operculum, sustinens ipsam a dextris Episcopi, Subdiaconus patenam accipiet ac mento Communicandorum supponet. Episcopus communicabit Ordinatos ad Presbyteratum, signum Crucis S. Particula efficiens, dum dicet *Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat te in vitam aeternam*. Unusquisque Ordinatus, antequam accipiat S. Particulam, osculabitur Episcopi manum et respondebit *Amen*. In accessu ad mensam eucharisticam servabitur methodus descripta Cap. V. lib. II.

346. Communicatis novis Presbyteris, Episcopus cum Diacono et Subdiacono convertentur ad Altare, in quo Episcopus ponet pixidem, Subdiaconus patenam.

347. Episcopus una cum Diacono et Subdiacono genuflexionem conficiet ad Sacramentum, deinde convertetur versus Ordinatos, stans aliquantulum conversus ad latus Evangelii, ne tergum vertat ad SS. Sacramentum; Ministri autem praedicti locum commutabunt, videlicet Subdiaconus consistet prope Episcopum a latere Evangelii, Diaconus a latere Epistolae, et inclinatus versus Episcopum cantabit *Confiteor*, quod submissa voce recitabitur ab Ordinatis ad Diaconatum et ad Subdiaconatum. Cantato *Confiteor*, Episcopus subiunget in cantu duas orationes *Misereatur vestri* etc. *Indulgentiam, absolutionem* etc.

348. Dum cantabitur *Confiteor* genuflexi erunt Communicandi omnes, ceteri autem stabunt.

349. Completis duabus praedictis orationibus, Diaconus redibit in latus Evangelii, Subdiaconus in latus Epistolae; Episcopus convertetur ad Altare et genuflexione facta ad SS. Sacramentum, Diaconus resumet Pyxidem, Subdiaconus patenam et Episcopus cum ipsis conversus ad Communicandos, non praemittens orationem *Ecce Agnus Dei* etc. neque alteram *Domine, non sum dignus* etc. communicabit eos recitans formulam supra dictam.

350. Si praeter Ordinatos ad Ordines maiores, communicarent etiam ceteri ad minores ordinati (quod quidem esset maxime conveniens) Episcopus utetur formula *Corpus . . . . custodiat animam tuam* etc. neque communicandi respondebunt *Amen*.

351. Communione peracta, convertetur ad Altare Episcopus, discedent clerici cum mappa et reliqui clerici cum intorticiis, quae attulerint ad elevationem.

352. Episcopus purificabit pyxidem et prosequetur Sacrum usque ad lotionem manuum inclusive post Communionem, quam ad actionem genuflectetur ab omnibus, exceptis Canonicis, qui stabunt et Praelatis, si qui adessent.

353. Lotis ab Episcopo manibus, Diaconus tollet ei mitram. Episcopus convertetur ad Altare et stans in latere Epistolae intonabit Responsorium *Iam non dicam*, quod in cantu continuabitur a cantoribus.

354. Interim consurgent novi Presbyteri et procedent ante gradus Altaris, ubi stabunt.

355. Statuetur faldistorium pro Episcopo super suppedaneum in medio Altaris.

356. Absoluto cantu responsorii praedicti, accedet Episcopus ad faldistorium, ibique sedebit. Diaconus reponet ei mitram auriphrygiatam. Episcopus assurget et stabit ad novos Presbyteros conversus. Novi Presbyteri recitabunt iunctim *Credo* quod legent ex Pontificali.

357. Episcopus sedebit et novi Presbyteri unus post alium ascendent ad Altare ac geniculabunt ante Episcopum. Genu-

flexo primo ex novis Presbyteris, Episcopus imponet capiti eius utramque manum, dicens *Accipe Spiritum Sanctum* etc. Deinde expediet ei planetam, quae involuta erat super scapulas eius, dicens *Stola innocentiae* etc. Postmodum Ordinatus interponens manus suas iunctas inter manus Episcopi, interrogationi *Promittis mihi et successoribus meis reverentiam et obedientiam?* respondebit *Promitto*, Episcopus autem osculans eum in gena sinistra, dicet *Pax Domini sit semper tecum*. Assurget Ordinatus primus, de Altari descendet et redibit geniculatum ad locum suum. Ascendet ad Altare secundus, tum reliqui et fiet ipsis ut descriptum est de primo. Episcopus animadvertet, quod varianda est interrogatio clericis, qui vel regulares, vel sui dioecesani non erunt, ut notatum est in Pontificali.

358. Ordinatis omnibus genuflexis, Episcopus baculum sinistra accipiet eosque admonebit, ut in Pontificali, dicens *Quia res, quam tractaturi estis* etc. Admonitione peracta, assurget et benedictionem donabit novis Presbyteris, dicens *Benedictio Dei omnipotentis* etc. Advertendum, quod Presbyteri recens Ordinati tantummodo genuflexi esse debent, non vero ceteri omnes.

359. Episcopus baculum pastoralem deponet, Diaconus exuet ei mitram; transibit ad Missale, ubi una cum Ordinatis leget versiculum *Communio*, quod lectum ab Episcopo et ab Ordinatis, cantabitur a cantoribus. Amovebitur faldistorium de medio Altaris. Episcopus veniet ad medium Altare, cantabit *Dominus vobiscum*, deinde ad Missale cantabit orationes *Postcommunionis*, quae legentur ab Ordinatis, ut supra, et sic deinceps alterum *Dominus vobiscum*. Diaconus cantabit *Benedicamus Domino*, vel si fuerit Sabbatum Pentecostes, *Ite Missa est*.

360. Orationem deinde *Placeat* etc. dicet Episcopus cum Ordinatis, et post ipsam donabit benedictionem solemnem, ut in Missis pontificalibus, advertendo etiam ut adsit Crux Archiepiscopalis, si Celebrans erit Metropolitanus.

361. Post benedictionem Presbyter assistens publicabit consueta formula Indulgentias.

362. Episcopus recedet versus latus Evangelii et reponetur faldistorium in suppedaneo ad medium Altaris. Episcopus sedebit faldistorio, omnes autem Ordinati manebunt genibus flexis.

363. Episcopus Ordinatis leget admonitionem *Filii dilectissimi* etc. Ordinatis autem ad Diaconatum et ad Subdiaconatum constituet cuius feriae nocturnum putabit esse opportunius, quod recitent. Dimittet deinde baculum et Diaconus exuet ei mitram. Si Ordinans erit Archiepiscopus, exuet etiam S. Pallium, quod reponetur super Altare.

364. Assurget Episcopus et removebitur faldistorium de medio Altari.

365. Episcopus convertetur ad Altare et simul cum Ordinatis Presbyteris dicet *Dominus vobiscum*, signabit Altare ac seipsum, dicens *Initium sancti Evangelii* etc. Post haec a Diacono cooperietur mitra et resumet baculum. Prosequens recitare praedictum Evangelium, descendet de Altari, salutabit Crucem et accedet ad thronum, benedicet Clerum dum transibit per chorum. Presbyter assistens praecedet Episcopum, qui medius ibit inter Diaconum et Subdiaconum, sequentur Diaconi assistentes, Cappellani a mitra, baculo, libro et scotula atque clerici, paramenta super Altare relaturi.

366. Interim in promptu erunt alii clerici sustinentes canistros cum indumentis canonicalibus et recepturi in eisdem canistris paramenta Canonicorum.

367. Presbyter assistens et Diaconi assistentes, comitati Episcopum ad thronum, recedent in chorum ad subsellia sua, dimissuri paramenta.

368. Episcopus, conscenso throno, convertetur ad Altare, Diaconus exuet ei mitram; ipse autem genuflectens cum ceteris versus Altare, dicet *Et Verbum caro factum est* et absolvet Evangelium.

369. Tum ascendet in cathedram, benedicet Ordinatos, dextera efficiens signum Crucis versus illos, dimittet baculum pastoralem et sedebit.

370. Ordinati discedent bini, initium facientes Presbyteri, tum Diaconi et Subdiaconi, deinceps reliqui, exsequentes debitas Episcopo et Altari genuflexiones.

371. Ministri sibi exuent manipulum et planetam plicatam, si usi fuerint, tum exuent Episcopum, observando in reliquis quae descripta sunt in Missis solemnibus Pontificalibus Cap. IX. lib. V. a num. 152. ad num. 161.

DE CONSECRATIONE EPISCOPI
PRIVATIM PERSOLVENDA.

CAPUT IV.

1. Consecratio Episcopi iuris exclusivi est Summi Pontificis, nec sine eius explicito mandato licet illam peragere.

2. Romae solet a Summo Pontifice committi Cardinali, qui gradu Episcopali sit insignitus, cum mandato, quod dicitur - vivae vocis oraculo.

3. De methodo, quae Romae servatur, opus non est heic disserere, quoniam functio ista, quum sit papalis, dirigenda exclusive est ac tractanda a Caeremoniariis Pontificiis etiam in ecclesiis maxime privilegiatis. Finis huiusce, quodcumque sit, operis, respicit commodum ecclesiarum extra Urbem, ad obtinendam uniformitatem (quoad fieri possit) in sacris ritibus et caeremoniis persolvendis.

4. Quod spectat ad consecrationes, quae fiunt extra Urbem, mittitur Bulla Apostolica ad Electum, in qua Summus Pontifex concedit ipsi indultum recipiendi « munus consecrationis « a quocumque, quem maluerit, Catholico Antistite gratiam « et communionem Sedis Apostolicae habente, accitis et in « hoc ipsi assistentibus duobus vel tribus aliis Catholicis Epi« scopis vel Archiepiscopis similem gratiam et communionem « habentibus » atque in eadem Bulla permittitur Episcopo, qui consecrare debet, pontificia facultas procedendi ad consecrationem, recipiendi ab Electo iusiurandum fidelitatis etc.

5. Ad consecrationem autem requiritur assistentia aliorum duorum Episcoporum, qui appellantur assistentes, de quorum officio sermo erit inferius in describenda functione ista. Delectus Episcoporum istorum et relativa invitatio dependebit a Consecrante cum communi consensu Electi ipsius.

6. Consecratio persolvenda est in una ex Dominicis aut in festo Apostolorum. Si quis alio die festo, praeter indicatos,

vellet eam persolvere, opus esset specialis summi Pontificis permissus.

7. Pridie eius diei, quo peragenda erit Consecratio, tam Episcopus consecrans, quam Consecrandus aequum est, ut agant ieiunium.

De rebus praeparandis.

8. Ecclesia, in qua fiet functio antedicta, poterit parari et ornari festivo more, dummodo id patiatur officium, quod incidit in diem consecrationis.

9. Ante Altare SS. Sacramenti, quod oportet ut sit distinctum et remotum a primario seu maiori, statuetur genuflexorium cum strato et pulvinis octo, videlicet quatuor ad brachia et quatuor ad genua, et in ipso orabunt Episcopus consecrans, Episcopi assistentes et Electus. Quod ad qualitatem strati et pulvinorum observabitur quod traditum est Cap. IV. lib. V.

10. Sex cerei in candelabris maioribus super Altari ardebunt saltem quo tempore a praedictis Episcopis ante SS. Sacramentum orabitur.

11. Altare maius, in quo persolvetur functio, instruetur Cruce et sex candelabris plus minusve nobilibus, secundum qualitatem officii, cum cereis albi coloris; candelabris poterunt interponi Reliquiaria cum S. Reliquiis aut signa Sanctorum aut vasa cum floribus, si hoc patietur ritus officii. Ornabitur pallio eius coloris, quem requirit officium, tribus tobaleis et tapeto, quod cooperiat totos eius gradus.

12. Si Episcopus consecrans erit Ordinarius, apponetur septimum candelabrum in medio et Crux ante ipsum candelabrum.

13. Super mensam disponentur paramenta, coloris congruentis officio, pro Episcopo consecrante, videlicet planeta, chirothecae in lance, dalmatica, tunicella, stola, Crux pectoralis, cingulum, alba et amictus, quae paramenta contegentur velo sericeo concolore ipsis. In lateribus mensae ponentur mitrae, nempe pretiosa cum vimpa, seu velo pro Cappellano, in latere Evangelii, et auriphrygiata seu sericea auro intexta, in latere Epistolae. Si paramenta fuerint violacei coloris, praeparabitur tantum

mitra auriphrygiata cum vimpa in latere Evangelii, exceptis Dominicis tertia Adventus et quarta Quadragesimae, in quibus adhibebitur etiam mitra pretiosa cum paramentis violaceis.

14. Si Consecrans erit Archiepiscopus ac si aderit in sua civitate, dioecesi seu provincia, praeparabitur etiam super Altari S. Pallium cum tribus spinulis.

15. In latere Epistolae super Altari aderit cussinus seu legile cum Missali aperto in usum Consecrantis, cum tabella in qua scripta erit oratio recitanda in Missa cum secreta, cum *Postcommunio* et cum *Hanc igitur* pro Electo. In latere Evangelii ponetur alterum Missale, signaculo posito ad Missam currentem, quod Consecrans osculabitur, quum ascendet ad Altare post confessionem et adhibebitur etiam quando imponendum erit super scapulas Electi. Prope Missale istud praeparabitur etiam manipulus pro Consecrante.

16. Super gradum infimum in medio disponentur pulvini quatuor, in quibus geniculabunt Episcopi supradicti, brevem orationem acturi ad Altare in accessu et in discessu post functionem.

17. In latere Epistolae ante gradus praeparabitur faldistorium cum veste eiusdem coloris ut paramenta, quo sedebit Consecrans. Quod si esset Episcopus Ordinarius, praeparabitur thronus in latere Evangelii, et faldistorium, ut supra, statuetur in suppedaneo Altaris, versus cornu Evangelii.

18. In latere Evangelii et a latere Altaris primarii praeparabitur alterum Altare minoris formae, quod habebit suppedaneum contectum tapeto, pallium coloris, ut supra, respondentis officio, lapidem sacrum, tres tobaleas, Crucem et candelabra quatuor cum cereis albi coloris.

19. Super mensam huius altaris ponetur legile cum Missali signato et aperto, sed ita inclinato, ut supra ipsum ponantur paramenta pro Electo. Cum Missali aderit tabella cum orationibus supra notatis, pro ipso Electo recitandis. Supra Missale erunt paramenta omnia albi coloris, quodcumque sit officium quod celebrabitur, eaque sunt manipulus, planeta, dalmatica, tunicella, Crux pectoralis aurea vel inaurata cum Reliquiis in ipsa inclusis et cum chordula sericea viridis coloris auro

intexta, Pontificale vel liber pro examine, pluviale, stola, cingulum, alba et amictus. Curabitur, ut paramenta Electi sint ornatu paullo inferiori paramentis, quibus utetur Consecrans.

20. In lateribus altaris huius disponentur paramenta pro Assistentibus, videlicet Pontificale (pars I.) mitra simplex linea albi coloris, pluviale cum stola coloris officii et amictus. Etiam quoad paramenta Assistentium, eadem animadversio quae supra notata est de ornatu ipsorum.

21. Ante hoc Altare statuentur tria scabella simplicia lignea, sine pulvinis, aequalia illis, quae adhibentur a Canonicis Assistentibus throno, in usum Electi et duorum Episcoporum assistentium.

22. Si adesset thronus pro Episcopo consecrante, neque angustiae presbyterii sinerent, ut poneretur Altare Electi in latere Evangelii, poterit altare istud praeparari in latere Epistolae (*a*).

23. Abaci duo maiores statuentur in lateribus Altaris maioris, contecti alba tobalea, in quibus disponentur quae sequuntur. In abaco a latere Epistolae, in usum Consecrantis, candelabra duo cum cereis; calix cum duobus purificatoriis, patena, hostia, palla et corporali intra bursam; cochleare parvum cum altera patena; ampullae vini et aquae in pelvicula; phiala plena vino ad infundendum in ampullam, si opus fuerit; campanula; vasculum s. Chrismatis in lance; aliquantulum gossipii soluti; gremiale seu mantile lineum albi coloris cum taeniis; urceus cum pelvi et manutergium in lance; medulla panis et mali medici in lance; caligae cum sandaliis in lance; gremiale aequale paramentis; canon pontificalis; scotula cum candela; pontificale (pars I.) et intorticia pro elevatione.

24. Prope abacum istum ponetur baculus pastoralis pro Consecrante.

(*a*) In Pontificali non praescribitur quo in latere praeparandum sit Sacellum sive Altare pro Electo. Solet plerumque praeparari in latere Evangelii, quae pars est dignior. Si forte ibi adesset thronus, nihil obstat quominus altare praedictum collocetur in latere Epistolae et contra thronum ipsum. Hoc pendet ex forma presbyterii. Item si presbyterium esset valde angustum, poterit extra balaustrium et prope ipsum collocari.

25. In altero abaco a latere Evangelii, praeparato pro Electo seu Consecrando, urceus cum pelvi et manutergium in lance; medulla panis et mali medici in lance; chirothecae albi coloris; annulus aureus gemmatus; mitra auriphrygiata; caligae et sandalia albi coloris, vittae duae ex tela subtili, altera pro capite, altera pro manibus; purificatorium unum ad abstergendam capitis unctionem; duo doliola vini plena, alterum auro, alterum argento coloratum, cum utroque stemmate, Consecratoris et Electi; panes duo, alter auratus, alter argentatus, uterque cum stemmate, ut supra; intorticia duo pro oblatione; mandatum Apostolicum, seu Breve, quo fit potestas exsequendi consecrationem, et calix unus cum exigua quantitate vini ac purificatorium.

26. Prope abacum eumdem praeparabitur baculus pastoralis pro Electo et pulvini duo utendi ab ipso in prostratione.

27. Scabellum insuper cum pulvino, Missale unum et liber cum formula iurisiurandi.

28. Loco opportuno statuetur legile cum pontificali in usum cantorum.

29. In Sacrario autem erunt in promptu superpellicea pro respectivis Cappellanis et vasculum aquae benedictae cum aspersorio, quod ponetur postea super abacum Consecrantis, si facienda erit benedictio annuli, baculi, chirothecarum et mitrae.

30. Si Electus et Assistentes non convenient in palatium Consecrantis, praeparabuntur in Sacrario tres sedes camerales pro eisdem.

In Functione.

31. Paullo ante horam praestitutam Clerus in Sacrarium congregabitur et unusquisque inservientium induet superpelliceum.

32. Notandum autem, quod qui Consecranti inserviant, opus sunt sex Cappellani seu clerici et cubicularius habitu formali indutus; singulis Episcopis assistentibus bini Cappellani seu clerici; Electo autem alii duo Cappellani seu clerici et cubicularius in habitu formali, qui tempore debito imponat ei caligas

et sandalia. Cappellani isti poterunt coire cum Episcopis antedictis, vel adesse in Sacrario, in quo induent superpellicium, prout videbitur magis expedire.

33. Episcopi assistentes et Electus convenient in Sacrarium aut in domicilium Consecrantis, prout videbitur eis magis convenire, utque in antecessum statutum erit.

34. Clerus procedet ad portam principalem ecclesiae, excepturus Episcopos. Si fuerit ecclesia cathedralis et functio persolveretur ab Episcopo ordinario, associabitur Episcopus ipse a Clero suo, ut in aliis solemnitatibus.

35. Si Episcopi assistentes et Electus adessent iam in ecclesia, procedent et ipsi ad portam principalem obviam Consecranti et consistent a sinistra ingressus in parte interna portae eiusdem. Episcopi assistentes et Electus induent mantelletum, rochetum et mozzetam quoque, ut Cap. II. lib. V. Eodemque modo induetur Consecrans, qui si fuerit Ordinarius, assumet cappam, et in ecclesiam ipso ingrediente, sonabitur campanis et organis quoque, si tamen id patietur officii ritus. Sin fuerit Archiepiscopus in sua dioecesi seu provincia, utetur etiam Cruce archiepiscopali.

36. Si Assistentes et Electus ad ecclesiam accedent simul cum Consecrante, a sinistris ipsius incedet primus Assistens, a dextris autem secundus Assistens, et a sinistris primi Assistentis ibit Electus (*a*).

37. Quum ventum erit ad portam ecclesiae, Superior ipsius aspersorium praesentabit Consecranti, qui signabit seipsum, deinde porriget illud Assistenti primo, Assistenti secundo et Electo. Si fuerit Episcopus ordinarius, asperget etiam adstantes, sin minus, abstinens ab aspergendo adstantes, restituet aspersorium Superiori, a quo acceperit.

38. Praeibunt familiares Episcoporum, deinde Episcopi ipsi, ordine iam innuto, quos sequetur Clerus.

(*a*) Praecedentia Assistentium desumetur ex electione habita in Consistorio. Si Assistentium unus erit Archiepiscopus, alter Episcopus, praecedentiam obtinebit Archiepiscopus, licet electus esset in Consistorio posteriori illo, in quo Episcopus electus fuit.

39. Episcopi ad Altare SS. Sacramenti progressi, conficient genuflexionem in pavimento, deinde observantes ordinem indicatum geniculabunt in genuflexorio, brevi tempore orabunt, iterabunt genuflexionem et procedent ad Altare primarium.

40. Si Consecrans fuerit Ordinarius, benedicet populum dextra dum transibit per ecclesiam.

41. Ubi ad Altare maius pervenerint Episcopi, reverentiam facient ad Crucem, geniculabunt in pulvinis praeparatis super infimum gradum et brevi tempore orabunt.

42. Interim in promptu erunt Cappellani Consecrantis cum scotula et canone, et unus Cappellanorum Electi cum canone tantum (*a*).

43. Post brevem orationem consurgent Episcopi atque iterata ante Crucem reverentia, se ad invicem salutabunt. Consecrans accedet ad faldistorium in latus Epistolae, si non fuerit Ordinarius, ibique sedebit, quod si fuerit Ordinarius ad thronum ascendet, et in eo sedebit. Duo Episcopi Assistentes, a lateribus Electi quum steterint, deducent eum ad cappellam minorem, ibique conficient reverentiam ad Crucem, sedebunt scabellis praeparatis, Electus in medio, primus Assistens a dextris, secundus a sinistris Electi eiusdem, humeris versis ad Sacellum sive Altare pro Electo ipso praeparatum.

44. Se sistent Consecranti duo Cappellani cum scotula et cum canone, ex quo ille leget psalmos praeparationis ad Missam. Suus etiam Cappellanus cum canone se sistet Electo, qui et ipse leget ex libro psalmos praeparationis, ut supra.

45. Hoc tempore cubicularius Consecrantis imponet ipsi caligas et sandalia, demptis prius calceis usualibus; hoc idem faciet Electo cubicularius suus, qui postquam ei dempserit calceos, reponet ipsi caligas et sandalia albi coloris.

46. Absoluta recitatione psalmorum et repetita antiphona *Ne reminiscaris* etc. Consecrans et Electus caput bireto nudabunt, assurgent et recitabunt *Kyrie eleison* cum precibus et orationibus. Consecrans convertetur versus Altare et Electus manebit suo statu, non conversus ad Altare.

(*a*) Aequum esset, ut Electus respectu Consecrantis, non uteretur scotula.

47. Assistentes etiam caput nudabunt et assurgent.

48. Post orationes sedebunt iterum Consecrans, Electus et Assistentes: Consecrans et Electus recitabunt orationes ad paramenta, namque, ut alio loco notatum est (a) esset admodum difficile in praxi paramenta induere et legere ex libro orationes. Electus autem omittet recitare aut legere orationes praescriptas pro chirothecis, mitra et annulo, siquidem haec ornamenta debebit a Consecrante accipere cum formulis assignatis.

49. Recitatis hisce orationibus, recedent Cappellani supradicti: Consecrans caput nudabit, dimittet mozzetam et mantelletum sive cappam, Crucem pectoralem et annulum, et capite rursus bireto cooperto, sedens lavabit manus, ministrantibus ei lotionem suis nobilibus familiaribus.

50. Eodem tempore Electus dimittet mozzetam et mantelletum ac bireto retento in capite, lavabit manus eique ministrabitur aqua a suis familiaribus nobilibus, vel a Cappellanis.

51. Tum Consecrans a Cappellanis suis parabitur amictu, alba, cingulo, Cruce pectorali, stola, tunicella, dalmatica, chirothecis et planeta: deinde Cappellanus primus imponet eius capiti mitram et digito annulari dextero annulum; Cappellanus autem secundus porriget ei baculum, quem accipiet sinistra. Si fuerit Archiepiscopus in sua dioecesi seu provincia, induetur etiam S. Pallio cum spinulis, priusquam ei mitra imponatur.

52. Dum Consecrans parabitur, Electus dimittet biretum et pileolum, quae a Cappellano ponentur cum mitra super abacum, et a Cappellanis suis parabitur amictu, alba, cingulo, stola super pectus decussata et pluviali: biretum recipiet et manu sustinebit.

53. Assistentes etiam dimittent mozzetam et mantelletum atque induentur amictu, stola et pluviali ac mitram manibus tenebunt. Quum Consecrans mitra coopertus erit, Assistentes etiam caput cooperient mitra, Electus bireto.

54. Assistentes autem non per Cappellanos, sed ipsi sibi imponent aut exuent mitram, quum opus fuerit.

55. Prope Assistentes adstabunt semper Cappellani duo,

(a) Cap. IX lib. V.

quorum alter sustinebit librum, alter recipiet ac sustinebit mitram, quando ab eisdem Assistentibus dimittetur.

56. Etiam prope Electum sui stabunt Cappellani, inservientes ei, ut infra.

57. Consecrans assurgens de faldistorio, vel descendens de throno, aliquot passus procedet versus medium Altaris, et in conspectu Episcoporum assistentium atque Electi, qui stabunt, (Electus autem iam dimiserit biretum) salutabit eos, qui salutationi respondebunt.

58. A Cappellanis Consecrantis statuetur faldistorium in medio suppedaneo Altaris.

59. Consecrans progressus ante Altare, salutabit Crucem, ascendet in suppedaneum, sedebit faldistorio versis humeris ad Altare, et deponet baculum. Si utetur mitra pretiosa, Cappellanus primus exuet ei mitram istam et reponet ei auriphrygiatam; deinde recipiet gremiale super genua.

60. Assistentes cum Electo, postquam salutationi Consecrantis responderint, manentes eodem vestigio, convertentur ad Altare, ubi stabunt et reverentiam facient ad Crucem; deinde ad Altare primarium procedent et facta iunctim reverentia ad Crucem et ad Consecrantem sedebunt in plano ante gradus scabellis illuc allatis a Cappellanis suis. Electus consistet contra Consecrantem et Assistentes a lateribus Electi, aliquantulum conversi alter alteri ita ut quemdam semicirculum efficiant.

61. In promptu erunt Cappellani cum libro et scotula in usum Consecrantis, qui consistent a sinistris eius, Cappellani autem primi Assistentis consistent a dextris, Cappellani secundi assistentis, a sinistris: unus ex Cappellanis Electi consistet a sinistris eius, quando incipietur legi Examen.

62. Ab uno Cappellanorum Consecrantis ponetur scabellum pulvino instructum, cum Missali et libro iurisiurandi ante Consecrantem super gradum superiorem Altaris. Unus ex Cappellanis Electi accipiet Breve, seu Mandatum Apostolicum et tradet ipsum primo Assistenti.

63. Assistentes et Electus postquam sederint brevissimo tempore, nudabunt caput et assurgent. Primus Assistentium postulabit a Consecrante ut exsequatur consecrationem, ad-

hibens formulam in Pontificali praescriptam, nempe - Reverendissime Pater, postulat Sancta Mater Ecclesia etc. - Consecrans respondebit - Habetis mandatum Apostolicum? - Idemque Assistens subiiciet - Habemus - approximabit ad Consecrantem eique reverenter tradet Breve Pontificium. Consecrans tradet Breve uni ex suis Cappellanis ac dicet - Legatur.

64. Assistentes et Electus sedebunt et caput respective cooperient mitra aut bireto.

65. Unus ex Cappellanis Consecrantis leget elata voce Mandatum seu Breve Apostolicum et quando proferet nomen Summi Pontificis, Electus caput nudabit bireto, Consecrans et Assistentes inclinabunt caput, non tamen dimittent mitram. Legendo autem Breve praedictum, animadvertatur ut prius nominetur Summus Pontifex, postea nomen illius, cui Breve inscriptum est, quod nomen a tergo Brevis ipsius extat scriptum: exempli gratia *Pius Papa Nonus Venerabili Fratri N. Archiepiscopo N. Venerabilis Frater salutem et Apostolicam benedictionem* etc.

66. Si in Brevi praescriptum erit, ut Electus consuetum iusiurandum praestet ante Consecrantem, absoluta illius lectione, Electus nudabit caput, biretum tradet Cappellano sibi assistenti, assurget, accedet ad Consecrantem, geniculabit in pulvino ante scabellum et elata voce leget formulam supradictam.

67. Postquam Electus legerit formulam iurisiurandi, tolletur ab uno ex eius Cappellanis scabellum cum libro, in quo legerit formulam et Cappellanus alter ponet Missale apertum super genibus Consecrantis, qui sustinebit illud utraque manu. Electus Missali aperto imponet manus ac dicet *Sic me Deus adiuvet* etc. Consecrans autem elata voce respondebit *Deo gratias*.

68. Sin autem Electus iam praestiterit iusiurandum, neque praescriptum erit in Brevi, ut praestetur in functionis actu, postquam lectum fuerit Breve, Consecrans dicet *Deo gratias*, et omittetur quae praecedentibus num. 62. 66. et 67. innuta sunt de iureiurando.

69. Post iusiurandum Electus redibit sessum ad scabellum et bireto operiet caput.

70. Episcopi assistentes advertent ut voce submissiori legant illa omnia, quae leget Consecrans relate ad consecrationem.

71. Itaque singulis sedentibus locis supra indicatis, Consecrans legere incipiet examen *Antiqua sacrorum Patrum* etc. In fine uniuscuiusque interrogationis Electus nudabit caput, assurget ac respondebit, ut in Pontificali. Cappellanus, assistens Electo, attollet eius fimbriam pluvialis dexteram, quando nudabit caput. Ad illa verba *Haec omnia et cetera bona* etc. et ad illa *Haec tibi fides* etc. respondebitur ab omnibus *Amen*, neque caput nudabit Electus, neque assurget.

72. Sub finem examinis ab uno ex Cappellanis Consecrantis ponetur pulvinus unus ante Consecrantem ipsum in medio gradu superiori.

73. Examine absoluto, Electus nudabit caput et biretum tradet Cappellano suo,, deducetur ab Assistentibus ante Consecrantem, cuius manum dexteram Electus osculabitur genibus flexis in pulvino. Deinde Electus assurget et consistet ante gradus Altaris, aliquantulum versus latus Evangelii.

74. Pulvinus, quo usus erit Electus, ab uno ex Cappellanis Consecrantis de medio gradu amovebitur.

75. Consecrans, dimisso gremiali, descendet de Altari et quum ad ipsum conversus erit, exuetur mitra ab uno ex Cappellanis suis. Deinde, facta simul cum Electo reverentia ad Crucem, initium faciet Missae, cui respondebit Electus

76. Assistentes, postquam Electus manum Consecrantis osculatus erit, recedent ad locum, ubi erant, dimittent mitram et cum suis quisque Cappellanis recitabunt confessionem.

77. Hoc tempore reponentur tria scabella ante Altare seu Cappellam Electi, ut in principio functionis. Removebitur de medio Altari faldistorium et ponetur versus latus Epistolae super eodem suppedaneo.

78. Consecrans post *Indulgentiam* etc. recipiet manipulum in brachio sinistro et dicto *Oremus*, ac facta inclinatione ad Electum, ascendet ad Altare et ipsum osculabitur in medio quando recitabit verba *quorum reliquiae hic sunt*, osculabitur deinde textum Evangelii, quod ei praesentabitur ab uno ex eius Cappellanis et faldistorio reposito in medio suppedaneo sedebit, versis humeris ad Altare, eique a Cappellano primo reponetur mitra auriphrygiata et gremiale.

79. Ascendente ad Altare Consecrante, Electus consistens in medio ante Altare ipsum, cum Assistentibus a lateribus, salutabit Crucem, et perget ad Altare seu Cappellam suam, ibique pariter salutabit Crucem et sedebit, ut supra, in scabello.

80. Advertent Episcopi assistentes, ut servent ordinem debitum inter se, videlicet ut senior stet a dextris, secundus a sinistris Electi, ideoque quando opus sit, commutent semper locum ut ordo iste servetur.

81. Sedente in scabello Electo, sedebunt etiam Episcopi assistentes, ut autea. Electus a cappellanis suis exuetur pluviali, quod reponetur super abacum, eique a primo cappellano imponetur collo Crux pectoralis, advertendo tamen ut expediatur stola, quam habebit decussatam in pectore, et pendeat de collo, sed firmetur cingulo: deinde ab eodem cappellano primo, adiuvante secundo, parabitur tunicella, dalmatica et planeta; postremo a primo cappellano inducetur manipulus eius brachio sinistro.

82. Electo tali modo parato, tolletur gremiale et mitra Consecranti, qui assurget et accedet in latus Epistolae ad incipiendum Missae introitum ex Missali ibi praeparato. Ab uno ex eius Cappellanis transferetur faldistorium super suppedaneum ipsum versus latus Evangelii.

83. Electus assurget, convertetur ad Altare suum cum Assistentibus, ac dicens orationem *Aufer a nobis*, ascendet ut ipsi, in suppedaneum, osculabitur Altare ipsum in medio et interea unus ex cappellanis eius attollet legile cum Missali, quod erit semper in medio Altari.

84. Consecrans et Electus voce intelligibili Missam simul inchoabunt ad introitum, eamque prosequentur usque ad ultimum versiculum gradualis, vel tractus, vel sequentiae. Consecrans transibit ad medium Altaris recitaturus *Kyrie* et *Gloria in excelsis*, si recitabitur illo die, et convertetur ad populum quando dicet *Pax vobis* vel *Dominus vobiscum*. Electus autem nunquam movebit se de medio altaris sui et post *Kyrie* aut *Gloria in excelsis*, priusquam dicat *Dominus vobiscum*, osculabitur Altare, sed non convertetur ad populum. Ad primam Missae orationem a Consecrante et ab Electo recitabitur sub unica conclusione collecta pro Electo praescripta, deinde recitabuntur reliquae orationes, si secundum rubricam recitandae erunt.

85. Quum usus Canonis multum incommodet Electo, ipse leget orationes omnes in Missali, ideoque Cappellanus eius advertet, ut ad hanc rem positum sit signaculum etiam *ad Ordinem Missae.*

86. Cessabit recitatio Missae exclusive ad ultimum versiculum gradualis, vel tractus, vel sequentiae, ut supra innutum est, et interea reponetur in medio suppedaneo faldistorium pro Consecrante.

87. Consecrans redibit ad medium Altaris, sedebit faldistorio, ut prius, eique reponetur mitra auriphrygiata a primo Cappellano suo.

88. Electus cum Assistentibus descendet de sua Cappella sive Altari et cum eisdem conficiet reverentiam ad Crucem. Assistentes caput rursus cooperient mitra, Electus bireto et revertentur ad Altare primarium. Cappellani eorum advertent, ut reponant scabella ante Altare, ut in examine, et Cappellani Assistentium deferent secum etiam pontificale.

89. Quum pervenerint ante Altare, Electus caput bireto nudabit et Assistentes, retinentes mitram in capite, salutabunt Crucem Altaris et Consecrantem iunctim. Sedebunt scabello quisque suo ordine supradicto in examine et Electus rursus sibi imponet biretum.

90. Consecrans et Assistentes legent admonitionem *Episcopum oportet* etc.

91. Interim ab uno ex Cappellanis Electi ponentur pulvini duo super gradus anteriores Altaris in latere Evangelii, unus super gradum infimum aut super pavimentum, alter in suppedaneo aut in gradu superiori, pro numero graduum Altaris ipsius. Unus ex Cappellanis Consecrantis et alteri Assistentium in promptu etiam habebunt pulvinum, ut infra.

92. Post admonitionem Electus deteget caput et Cappellano suo tradet biretum, quo in functione ista opus amplius non est. Assurget etiam Consecrans et Assistentes retinentes mitram in capite. Consecrans, conversus ad Electum, recitabit invitationem ad orationem *Oremus fratres carissimi* etc.

93. Responso *Amen,* accedet Electus ac procumbet in latere Evangelii super pulvinos ibi praeparatos, unum nempe

sub genibus, alterum sub capite. Assurget Consecrans et conversus ad Altare geniculabit in pulvino ante faldistorium, mitram in capite retinens: Assistentes, et ipsi retinentes mitram in capite, assurgent et geniculabunt versus Altare super pulvinum ante proprium scabellum.

94. Cantores duo immediate cantabunt Litanias, quibus respondebunt adstantes, non tamen duplicabuntur (*a*).

95. Sub finem Litaniarum a secundo Consecrantis Cappellano in promptu habebitur baculus pastoralis.

96. Post cantatum ℣. *Ut omnibus fidelibus defunctis* etc. assurget Consecrans et baculo pastorali sinistra sumpto, convertetur aliquantulum ad Electum et benedicet ipsum, dicens *Ut hunc praesentem Electum* etc. ut notatum est in Pontificali. Assistentes, non assurgentes, recitabunt submissa voce versiculos indicatos, et Electum ipsi quoque benedicent.

97. Post benedictionem tertiam, Consecrans dimittet baculum ac rursus geniculabit; cantores prosequentur Litanias ad ℣. *Ut nos exaudire* etc. easque complebunt.

98. Interim a Cappellano secundo Consecrantis in promptu habebitur Missale vel liber Evangeliorum, imponendus humeris et capiti Electi.

99. Completo Litaniarum cantu, consurgent omnes, et a respectivis Cappellanis tollentur pulvini adhibiti ab Episcopis in cantu Litaniarum. Consecrans consistet super suppedaneum ante faldistorium, versis humeris ad Altare: Assistentes ascendent in gradum superiorem ad latera Consecrantis, advertendo, quod Assistens primus adstare debet dexterae Consecrantis, secundus sinistrae: Electus de prostratione assurget et veniet geniculatum super gradum superiorem ante Consecrantem.

100. Consecrans a Cappellano suo accipiet librum Evangeliorum vel Missale, quod apertum iunctim cum Assistentibus imponet scapulis et capiti Electi, cui sustinebit illud Cappellanus suus stans a tergo eius. Pars superior Missalis, quae respondet primae lineae ac numero paginae, insistet super humeris, pars autem inferior, cui respondebit ultima linea, insistet capiti Electi.

(*a*) Defectu cantorum, recitabuntur Litaniae a Consecrante et Assistentibus, ac respondebitur ab adstantibus.

101. Missali posito super humeros et caput Electi, Consecrans et duo Assistentes utrasque manus iunctim imponent capiti Electi ipsius et tempore eodem elata et clara voce dicent *Accipe Spiritum Sanctum.*

102. Assistentes redibunt ad scabella sua et dimittent mitram: Electus assurget, descendet de Altari et geniculabit in medio gradu infimo. Cappellanus primus exuet mitram Consecranti. Deinde Consecrans et Assistentes legent iunctim orationem *Propitiare Domine* etc. non praeponentes *Oremus.* Praefatio cantabitur a Consecrante tono feriali et manibus ante pectus expansis (*a*). Assistentes illam legent iunctis manibus.

103. Hoc tempore ab uno ex Cappellanis Electi circumdabitur vitta capiti Electi ipsius, et firmabitur ei super occipitium.

104. In promptu erit clericus unus cum vasculo S. Chrismatis in lance, prope dexteram Consecrantis, et alter cum gremiali lineo.

105. Respectivi Consecrantis et Assistentium Cappellani in promptu habebunt pulvinos, super quos geniculare illi debebunt, ut infra.

106. Post primam Praefationis partem, seu post verba illa *coelestis unguenti rore sanctifica,* Consecrans convertetur ad Altare et geniculabit ante faldistorium in pulvino; Assistentes geniculabunt in pulvino, loco suo, itemque in genua procumbent ceteri omnes. Consecrans intonabit hymnum *Veni creator Spiritus*, quem prosequentur cantores; poterit etiam cantui sonus organorum adiungi. Consecrans et Assistentes dimittent etiam pileolum.

107. Prima stropha cantata, consurgent omnes, Consecrans sedebit faldistorio eique reponetur mitra a primo Cappellano suo: Assistentes sedebunt respectivo scabello et caput sibi mitra cooperient. Cappellani ipsorum amovebunt pulvinos, qui adhibiti erunt in genuflexione ad principium hymni. Consecrans, adiuvantibus suis Cappellanis, dimittet annulum et chi-

(*a*) Si Consecratio erit privatissima, Praefatio legetur, itemque deinceps quae cantanda praescribuntur.

rothecas, quae ponentur super Altare; Cappellanus primus ei reponet annulum et adiuvante secundo, imponet super eius genua gremiale lineum, quod firmabitur taeniis ad nodos faldistorii.

108. Electus assurget, ascendet ad Altare et geniculabit ante Consecrantem. Approximabit ad Consecrantis dexteram clericus cum vasculo S. Chrismatis, quo, intincto pollice dextro, Consecrans ipse peraget unctionem in capite seu in tonsura Electi, recitans formulam *Ungatur et consecretur* etc. Assistentes recitabunt formulam eamdem. Advertet Consecrans, ut unctionem faciat in formam Crucis, deinde inungat tonsuram totam. Consecrans pollicem suum gossipio absterget eique tolletur gremiale a Cappellanis suis. Clerici duo cum S. Chrismate et cum gremiali remanebunt eodem loco prope dexteram Consecrantis. Electus assurget, de Altari descendet et redibit geniculatum in medium gradus infimi: Cappellanus, qui sustinebit Missale super humeros et caput eius, cavebit ne libro ipso tangat tonsuram eius post unctionem.

109. Absoluto hymni cantu, Cappellanus primus exuet mitram Consecranti. Assistentes sibi ipsi mitram exuent. Consecrans et Assistentes consurgent et prosequentur secundam Praefationis partem ad illa verba *Hoc Domine, copiose* etc. ritu superius innuto, videlicet Consecrans expansis manibus, Assistentes iunctis.

110. Interim ab uno ex Cappellanis imponetur collo Electi altera vitta, quae pendebit ante pectus eius propter unctionem manuum.

111. Conclusio Praefationis *Per Dominum nostrum* etc. submissa voce sine cantu recitabitur.

112. Praefatione absoluta, Consecrans intonabit antiphonam *Unguentum in capite*, quam prosequentur cantores cum cantu psalmi *Ecce quam bonum* etc. Consecrans sedebit faldistorio et a primo Cappellano suo mitra rursus cooperietur. Assistentes sedebunt scabellis et mitra sibi caput cooperient. Reponetur, ut antea, super genua Consecrantis gremiale lineum. Electus assurget, ascendet ad Altare, geniculabit iterum ante Consecrantem et manus apertas sustinebit, iunctis autem digitis.

Consecrans intinget pollicem in S. Chrisma et unctionem peraget super manus Electi, dicens *Ungantur manus istae* etc. Unctionem autem exsequetur efficiens lineas duas super manus Electi, primam a pollice eius dextro directam ad indicem sinistrae, alteram a pollice sinistro ad indicem dextrum ita ut efformet Crucem quandam, postea palmas manuum inunget, eaque peracta unctione, pollicem suum gossipio absterget (*a*). Post formulam praedictam immediate subiiciet alteram *Deus et Pater* etc. Recitatis formulis istis, Electus, seu potius Consecratus claudet per se ipse manus, imponens dexteram super sinistram, easque applicabit vittae, quae pendebit e collo eius.

113. Recedet clericus cum vasculo S. Chrismatis, quod reportabit ad abacum, et in promptu stabit clericus alter cum annulo et baculo pastorali tradendo Consecrato. Si haec benedicenda essent, praesto erit etiam alter clericus prope dexteram Consecrantis cum vasculo aquae sanctae et aspersorio.

114. Repetita in cantu antiphona *Unguentum* etc. post psalmum, Consecrans accipiet baculum pastoralem et recitans formulam *Accipe baculum* etc. tradet illum Consecrato, qui non disiungens manus, accipiet illum inter digitos indices et medios, qui actus est facillimus, quum dextera imposita sit sinistrae.

115. Nisi benedictus esset baculus pastoralis, Consecrans tantum, dimissa mitra, assurget, benedicet illum recitans orationem praescriptam, eumque asperget aqua benedicta, deinde sedebit, resumpta mitra, et baculum, ut supra, tradet Consecrato.

116. Formula recitata, repetetur baculus a Consecrato, et Consecrans annulum dextra sumptum inseret digito annulari dextero Consecrati, dicens *Accipe annulum* etc.

117. Nisi benedictus fuerit annulus, Consecrans unus benedicet illum eodem modo, quo baculum, deinde tradet illum, ut supra.

118. Assistentes, postquam recitaverint ipsi quoque formulam statutam pro traditione baculi et annuli, consurgent et accedent ad latera Consecrantis, primus nempe ad dexteram, secundus ad sinistram. Una cum Consecrante accipient

(*a*) Inspiciatur adnotatio subiecta num. 123. capit. II. libri huius.

Missale de humeris Consecrati; tum claudent librum eumque ponent super genua Consecrantis et simul cum eo porrigent Consecrato, qui manus imponet libro non disiungens eas, et interim Consecrans cum Assistentibus recitabunt formulam *Accipe Evangelium* etc.

119. Recitata formula antedicta, removebitur Missale seu liber Evangeliorum de gremio Consecrantis, qui non assurgens amplectetur Consecratum, dicens *Pax tibi*, ille autem respondebit *Et cum spiritu tuo*. Consecratus assurget et pacem praebebit Assistenti primo et secundo dicens singulis *Pax tibi*, ipsique amplectentur eum ac respondebunt *Et cum spiritu tuo*. Consecratus dum pacem accipiet a Consecrante et praebebit illam Assistentibus, animadvertet, ne disiungat manus.

120. Dum Assistentes ad Altare ascendent propter innutas actiones, a respectivis Cappellanis referentur scabella ad Altare seu cappellam minorem Consecrati et reponentur ante suppedaneum Altaris illius. In promptu erunt familiares nobiles vel clerici cum instrumentis lotionis pro Consecrante et Consecrato.

121. Descendet de Altari Consecratus medius inter Assistentes et facta contextim ad Crucem et ad Consecrantem reverentia, redibit cum ipsis ad Altare seu Cappellam suam. Illuc quum venerint, salutabunt Crucem et sedebunt in scabellis, ut antea, versis humeris ad Altare ipsum.

122. Consecrans, profecto Consecrato, dimittet annulum, lavabit manus, abstergens pollicem medulla panis et mali medici, easque terget: tolletur ipsi a Cappellanis suis gremiale lineum et chirothecae cum annulo reponentur.

123. Consecrato autem solvetur de capite vitta a Cappellano suo, et unctio tonsurae abstergetur purificatorio. Tolletur ei vitta quoque pendens ex collo et annulus e digito. Lavabit manus easque mundabit medulla panis ac mali medici et absterget. Deinde unus ex Cappellanis suis ei reponet annulum.

124. Manibus a Consecrante et Consecrato ablutis, Cappellanus primus mitram exuet Consecranti, qui assurget, transibit ad Missale in latus Epistolae et prosequetur Missam ad versiculum ultimum gradualis, vel tractus, vel sequentiae.

125. Unus vel duo Clerici faldistorium amovebunt de medio Altari et ponent seorsim.

126. Consecratus assurget iunctim cum Consecrante, ascendet simul cum Assistentibus ad Altare suum, ibique stans in medio prosequetur Missam, ut supra, simul cum Consecrante.

127. Tum Consecrans veniet ad medium Altaris, recitabit submissa voce *Munda cor meum*, deinde in latere Evangelii leget Evangelium, osculabitur librum dicens submissa voce *Per Evangelica dicta* etc. redibit ad medium Altaris, recitabit *Credo* osculabitur Altare, convertetur ad populum, dicet *Dominus vobiscum*, rursusque ad Altare conversus, *Oremus* et versiculum Offertorii.

128. Consecratus autem leget omnia in medio Altaris sui, ex composito tamen cum Consecrante; recitabit *Munda cor meum* submissa voce, osculabitur librum dicens pariter submissa voce *Per Evangelica dicta* etc. recitabit *Credo*, osculabitur Altare et perstans eodem vestigio dicet *Dominus vobiscum*, postea *Oremus* et versiculum Offertorii.

129. Hoc tempore accendentur duo intorticia praeparata in abaco Consecrati, et disponentur quinque clerici vel Cappellani cum oblationibus, videlicet tradentur primo duo intorticia iuncta, secundo panis inauratus, tertio panis argentatus, quarto laguncula inaurata, quinto laguncula argentata. Stabunt ad lineam unus post alium inter abacum et Altare Consecrati.

130. Item unus ex Cappellanis Consecrantis calicem afferet ad Altare, explicabit corporale in medio illius et iubebit etiam a clerico afferri ampullas vini et aquae: deferet patenam quoque cum cochleari inaurato, utendo ut infra.

131. Lecto offertorio, Consecrans recedet aliquantulum versus latus Evangelii et ab uno aut duobus clericis reponetur faldistorium in medio suppedaneo. Consecrans faldistorio sedebit versis humeris ad Altare et a primo Cappellano suo rursus cooperietur mitra pretiosa, si licebit uti, secus auriphrygiata.

132. Consecratus descendet de Altari medius inter Assistentes et salutabit Crucem Altaris sui. Assistentes caput sibi mitra cooperient et ante Consecrantem deducent Consecratum, quem sequentur clerici seu Cappellani, qui deferent oblationes.

133. Quum ventum erit ante Altare primarium, Consecratus et Assistentes conficient reverentiam ad Crucem et ad Consecrantem, clerici autem seu Cappellani oblationes deferentes, genuflexionem.

134. Assistentes restabunt ante infimum gradum, Consecratus ascendet ad Altare et geniculabit in pulvino ante Consecrantem. Cappellani cum oblationibus unus post alium ascendent ad dexteram Consecrati eique porrigent oblationes, quas unusquisque eorum statim ac tradiderit Consecrato, prompte transibit ad sinistram eius, recepturus illas. Consecratus offeret duo intorticia iuncta, panem inauratum, panem argentatum, doliolum inauratum et alterum argentatum et dum Consecrans recipiet illa, osculabitur manum ipsius. Consecrans oblationes tradet cappellano suo, qui adstabit a dextris eius, hic autem restituet clericis, qui eas attulerint quique recipient et reponent super abacum eumdem, ex quo desumptae fuerunt.

135. Hoc tempore unus ex Cappellanis Consecrati ex Altari minore ad Altare maius transferet legile cum Missali ac ponet ipsum in latere Epistolae.

136. Consecratus, praesentatis oblationibus, assurget, descendet de Altari, se adiunget Assistentibus et cum ipsis conficiet reverentiam ad Crucem et ad Consecrantem iunctim. Transibit cum eisdem ad latus Epistolae in gradum superiorem infra suppedaneum, habebit ante se Missale cum legili ibique stabit in pedes, iunctis manibus. Assistentes, mitris dimissis, consistent in gradu superiori a tergo Consecrati, stantes primus a dextris, secundus a sinistris eius ibique manebunt usque ad exitum Missae, ut inferius,

137. Consecrans, profecto Consecrato, adiuvantibus Cappellanis suis, dimittet annulum et chirothecas: lavabit manus et a primo Cappellano suo reponetur ei annulus et exuetur mitra. Deinde Consecrans ipse assurget, amovebitur faldistorium de suppedaneo, et convertetur ad Altare.

138. Consecrans et Consecratus Missam simul celebrabunt usque ad finem cum animadversionibus, quae sequuntur. Consecratus nunquam se movebit de loco suo omnesque actiones exsequetur, quas Consecrans. Una tantum adhibebitur hostia et in calicem infundetur sufficiens quantitas vini pro Communione duorum. Ad *Lavabo* Consecrans tantum lavabit manus et utetur mitra pretiosa, vel auriphrygiata, prout ritus requiret. Ad *Orate fratres*, uterque osculabitur Altare, sed solus Consecrans convertetur ad populum. Advertetur ad secre-

tam propriam recitandam a Consecrato et a Consecrante, quam legent ex tabella respectiva, qua opus erit etiam ad *Hanc igitur* etc. In Canone post nominatum Pontificem regnantem *una cum famulo tuo Papa nostro N.* Consecratus subiiciet *et me indigno servo tuo et omnibus orthodoxis* etc. Oratio *Hanc igitur* est propria, atque heic in subiecta nota referimus ipsam pro festo Paschatis et Pentecostes, si forte hisce diebus peragenda esset Episcopi consecratio (*a*). Consecratus in actione ista extendet manus apertas versus hostiam et versus calicem. Ad *Qui pridie* Consecratus non absterget digitos pollicem et indicem, quia manu sumere Hostiam non debet. Consecrabit, recitans verba consecrationis iunctim cum Consecrante, paullulum inclinatus et iunctis manibus. Statim ac pronunciata fuerint verba Consecrationis, Consecratus geniculabit, itemque Assistentes; et quando Consecrans post elevationem reponet Hostiam super corporale, Consecratus assurget et in loco suo genuflexionem faciet simul cum eo. Hoc ipsum observabit in consecratione Calicis. Post consecrationem, manus iunctas vel apertas habebit, ut praescribit rubrica Missae, sed pollicem iunctum indici non sustinebit, quia sacras species attingere non debet.

(*a*) *Infra actionem.*

Hanc ígitur oblatiónem servitútis nostrae, sed cunctae famíliae tuae, quam tibi offérimus pro his quoque quos regeneráre dignátus es ex aqua et Spíritu Sancto, tribuens eis remissiónem ómnium peccatórum, ac etiam pro hoc fámulo tuo (*vel* pro me fámulo tuo) quem ad Episcopátus órdinem promovére dignátus es, quaésumus Dómine, ut placátus accípias et propítius in eo (*vel* in me) tua dona custódias, ut quod divíno múnere consecútus est (*vel* consecútus sum) divínis efféctibus exequátur (*vel* éxequar); diésque nostros in tua pace dispónas, atque ab aeterna damnatióne nos éripi et in electórum tuórum iúbeas grege numerári. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

Ad illa verba *Per ipsum et cum ipso* etc. iunctis adhuc manibus, nullum Crucis signum efficiet, itemque quum dividetur Hostia et immergetur particula in Calicem, nullum faciet signum Crucis. Recitato *Agnus Dei* et prima oratione *Domine Iesu Christe, qui dixisti* etc. Consecratus ascendet in suppedaneum, approximabit ad Consecrantem, et osculato Altari ab utroque, accipiet ab illo Pacem cum formula *Pax tecum*, cui respondebit *Et cum spiritu tuo*; rediens autem ad locum suum pacem praebebit Assistenti primo, deinde secundo, quibus dicet *Pax tibi* atque illi respondebunt *Et cum spiritu tuo.* In Communione Consecrans se signabit Hostia, dicens *Corpus Domini nostri* etc. Consecratus autem eamdem recitabit formulam, seipsum autem non signabit. Consecrans, postquam se S. Hostia signaverit, deponet supra corporale dimidium illius, cui non deest particula immersa in Calicem, seque communicabit altero dimidio: postea fragmenta colliget patena seque communicabit Calice, advertens ut illum convertat ex ea parte ubi adest particula immersa, ut eam sumat iunctim, et specierum consecratarum dimidium consummabit. Ad illa etiam verba *Sanguis Domini nostri* etc. Consecratus non signabit se. Si superfuisset in Calice particula post sumptionem, Consecrans extrahet eam cochleari (de quo supra diximus) consummabit ipsam et cochleare diligenter detersum ponet super alteram patenam supradictam, quae reposita erit super corporali. Tunc Consecratus ascendet in suppedaneum et approximabit ad dexteram Consecrantis qui, posito super patenam dimidio S. Hostiae, quod reposuerat super corporali, conversus ad Consecratum, communicabit ipsum eodem Hostiae dimidio, nihil dicens neque ullum Crucis signum efficiens; Consecratus stabit in pedes et iunctis manibus, neque ante communionem osculabitur manum aut annulum Consecrantis. Post haec Consecrans Calicem accipiet ac tradet Consecrato, qui manibus suis accipiet eum, consummabit sacras species, quae in ipso supererunt, restituet calicem Consecranti et redibit ad locum suum. Consecrans fragmenta colliget in corporali, ubi posuerat dimidium S. Hostiae, et patenam super calicem purificabit. Accipiet deinde purificationem, dicens *Quod ore sumpsimus* etc.

advertens ut purificet etiam cochleare, si eo usus esset ad extrahendam S. Particulam. Consecratus quoque purificationem accipiet ex alio calice et absterget os purificatorio, quod ipsi praesentabitur ab uno ex Cappellanis suis (*a*). Consecrans tantum purificabit digitos super calicem, accipiet ablutionem, deinde coopertus mitra pretiosa, vel auriphrygiata, prout superius innuimus, lavabit manus ritu consueto in latere Epistolae. Recitata a Consecrato cum Consecrante oratione *Corpus tuum, Domine* etc discedet Consecratus medius inter Assistentes de loco suo, et transibit in alterum latus Altaris, quo Missale cum legili afferetur ab uno ex Cappellanis suis. Unus item ex Cappellanis Consecrantis legile cum Missali eius transferet in latus Epistolae, alter autem absterget calicem, complicabit corporale et omnia reportabit ad abacum. Postquam Consecrans abluerit manus et dimiserit mitram, continuabitur Missa ritu usitato et Consecrans tantum veniet ad medium Altaris et convertetur ad populum, dicturus *Dominus vobiscum*. Recitata oratione *Placeat tibi*, *Sancta Trinitas* etc. Consecrans tantum, resumpta mitra pretiosa vel auriphrygiata, ut supra, et sinistra recepto baculo pastorali, impertietur benedictionem sine cantu; Consecratus et Assistentes ad benedictionem non genuflectent, sed accipient illam profunde inclinati.

139. Si Consecrans fuerit Archiepiscopus in sua dioecesi seu provincia, benedictionem donabit sine mitra, conversus ad Crucem archiepiscopalem, quae sustinebitur a Cappellano in medio gradus infimi genuflexo.

140. A Cappellanis Consecrati in promptu habebuntur chirothecae, mitra et baculus pastoralis ipsius, quae si benedicenda erunt, in promptu stabit clericus unus cum vasculo aquae sanctae et aspersorio.

141. Consecrans, benedictione impertita, dimittet baculum

(*a*) Rubrica pontificalis praescribit, ut Consecratus accipiat purificationem de Calice ipso Consecrantis, qui debet ei porrigere illam. Solet Romae ad hanc rem adhiberi calix alter, quod videtur invectum esse ad maiorem convenientiam, neque obstare purificationis ritui.

et recedet aliquantulum de medio Altaris, donec faldistorium reponatur in medio suppedaneo.

142. Idem sedebit faldistorio, versis humeris ad Altare eique adstabunt a sinistris duo Cappellani cum pontificali et scotula.

143. Si fuerit Archiepiscopus et benedictionem donaverit dimissa mitra, quum sederit faldistorio, reponetur ei a primo Cappellano suo mitra pretiosa, vel auriphrygiata, ut superius declaratum est.

144. Consecratus, medius inter Assistentes, qui mitram per se ipsi resumpserint, procedent ante Altare, conficient iunctim reverentiam ad Crucem et Consecrantem, atque ascendent ad Altare. Consecratus geniculabit ante Consecrantem, et Assistentes manebunt a lateribus Consecrati, habentes apud se Cappellanos cum pontificali. Consecrato unus ex Cappellanis suis reponet pileolum.

145. Consecrans, nisi benedicta fuerit mitra Consecrati, benedicet illam, ut superius dictum est de annulo et pastorali, deinde sedens cum mitra in capite, accipiet mitram Consecrati et duo Assistentes vittas eiusdem mitrae eamque imponent capiti Consecrati, dicentes *Imponimus Domine* etc.

146. Unus ex Cappellanis Consecrantis tollet annulum Consecrato et retinebit illum apud se, traditurus eumdem, ut infra.

147. Consecrans benedicet chirothecas Consecrati, nisi iam fuerint benedictae, deinde sedens, adiuvantibus Assistentibus, inducet illas manibus Consecrati, prius manui dextrae, deinde sinistrae, dicens simul cum Assistentibus *Circumda, Domine, manus* etc.

148. Recitata praedicta formula, Consecrans a Cappellano suo accipiet annulum Consecrati eumque inseret digito annulari dextero Consecrati ipsius.

149. Secundus Assistens recedet versus latus Evangelii, primus Assistens transibit ad sinistram Consecrati, adhuc genuflexi. Consecrans assurget, recedet extra faldistorium super dexteram suam, accipiet Consecratum per manum dexteram et primus Assistens per sinistram. Consecratus assurget et addu-

cetur sessum ad faldistorium a primo Assistente et a Consecrante. Assistens primus recedet versus latus Evangelii cum secundo Assistente. Consecrans accipiet baculum pastoralem Consecrati, eique tradet illum in manu sinistra.

150. Consecrans recedet aliquantulum versus latus Evangelii in suppedaneo et prope ipsum adstabunt Assistentes, qui deponent mitram simul cum Consecrante. Consecrans aliquantulum conversus ad Altare, intonabit *Te Deum.* Continuabitur hymnus in cantu, cui poterit coniungi sonus organorum.

151. Intonito *Te Deum,* Assistentes sibi reponent mitram in capite et descendent ante gradus Altaris. Consecratus assurget de faldistorio, descendet medius inter Assistentes et conversus ad Altare, conficiet cum ipsis reverentiam ad Crucem, dein ad Consecrantem.

152. Assistentes medium inter se deducent per ecclesiam Consecratum, qui egressus de presbyterio, dextera aperta benedicet adstantes, nihil dicens.

153. In reditu ad Altare conficient reverentiam ad Crucem, deinde ad Consecrantem, ac si nondum cantatus fuerit ℣. *Te ergo quaesumus* etc. consistent ante gradum infimum in medio: Assistentes sibi exuent mitram: Consecratus mitra exuetur a Cappellano suo. Ad cantum versiculi supra innuti geniculabunt super pulvinos positos in infimo gradu, Consecrans geniculabit in pulvino posito super suppedaneum. Consecrans, Consecratus et Assistentes dimittent etiam pileolum.

154. Post cantum versiculi praedicti, consurgent omnes. Mitra a Cappellano suo reponetur Consecrato, qui rursus ascendet ad Altare et faldistorio sedebit, ut antea, versis humeris ad Altare. Assistentes, mitra adhuc dimissa, pergent ad latus Evangelii in gradum superiorem prope Consecrantem, consistentes primus a dextris Consecrantis eiusdem, secundus prope dextram primi Assistentis.

155. Completo cantu hymni *Te Deum*, Consecrans intonabit antiphonam *Firmetur manus tua* quam prosequetur chorus in cantu cum *Gloria Patri* et repetitione antiphonae ipsius. Post antiphonam hanc, Consecrans cantabit versiculos praescriptos et orationem *Deus omnium fidelium* etc. quam submissa voce recitabunt etiam Assistentes.

156. Cantata oratione, Consecratus dimittet baculum pastoralem, assurget et clericus unus amovebit faldistorium, quod reponet in latere Epistolae ante gradus Altaris. Consecratus convertetur super sinistram suam ad Altare, quod osculabitur in medio, et benedictionem donabit, cantans *Sit nomen Domini benedictum* etc. sed priusquam dicat *Pater* et dum convertetur ad populum, resumet baculum.

157. Benedictione impertita, Consecrans rursus cooperietur mitra. Item Assistentes sibi mitram capiti reponent et manentes loco suo, stabunt cum Consecrante conversi ad latus Epistolae. Consecratus mitram in capite et baculum sinistra sustinens geniculabit in extremitate suppedanei versus Consecrantem eique cantabit acclamationem *Ad multos annos*. Hoc repetet secunda vice in medio Altari super suppedaneum genuflexus versus Consecrantem, paullo amplius attollens vocem; tertia autem vice elevans vocem etiam paullo amplius, cantabit id ipsum ante Consecrantem. Tum assurget, baculum tradet uni ex Cappellanis suis et excipietur ad amplexum a Consecrante; descendet in gradum primum et excipietur ad amplexum ab Assistentibus.

158. Post amplexum, Consecratus resumet baculum pastoralem sinistra et medius inter Assistentes descendet de Altari, simulque conversi ad illud, reverentiam ad Crucem et ad Consecrantem conficient. Pergent ad Altare seu Cappellam minorem Consecrati, ubi Assistentes deponent mitras suas, Consecratus dimittet baculum et exuetur mitra; salutabunt Crucem et ascendent in suppedaneum Altaris. Consecratus stans in medio eiusdem Altaris, recitabit ultimum Evangelium.

159. Consecrans, respondens reverentiae sibi factae a Consecrato et ab Assistentibus, convertetur ad Altare, nudabitur mitra et una cum Consecrato recitabit ultimum Evangelium.

160. Si Consecrans erit Archiepiscopus in sua dioecesi seu provincia, priusquam incipiat Evangelium ultimum, tolletur ei S. Pallium, quod reponetur in lance super Altari eodem.

161. Recitato Evangelio, Consecratus rursus cooperietur mitra et resumet baculum pastoralem; Assistentes sibi mitram in capite reponent et consistent ante scabella, versis humeris

ad Altare. Consecrans mitra iterum induetur, accipiet sinistra baculum, de Altari descendet, salutabit Crucem, convertetur versus Consecratum et Assistentes, quos reverebitur et veniet ad faldistorium in latus Epistolae, ibique dimittet paramenta sacra: reponetur ei mantelletum aut mozzeta, vel cappa, sive habitus, quo usus fuerit in accessu ad ecclesiam.

162. Quod si fuerit Episcopus ordinarius aderitque thronus, ascendet in thronum ad sacras vestes dimittendas, et cappam resumet.

163. Consecratus sedebit scabello et exuetur paramentis sacris, videlicet dimittet baculum, tolletur ei annulus, tum chirothecae, mitra, manipulus, planeta et altera paramenta ordine consueto, resumet deinde mantelletum et mozzetam, super quam ponetur ei Crux pectoralis et annulus digito rursus inseretur.

164. Assistentes, dum exuetur Consecratus, dimittent paramenta sacra et resument mantelletum, mozzetam et Crucem pectoralem.

165. Paramenta reponentur super respectiva Altaria, ut ibi erant ante functionem.

166. Post haec Consecrans, stantibus ante ipsum duobus Cappellanis suis cum canone et scotula, et Consecratus ex canone sustento ab uno ex Cappellanis suis, legent preces pro gratiarum actione, quo tempore a respectivis cubiculariis exuentur eis sandalia et caligae ac reponentur calceamenta usualia.

167. Interea disponentur in infimo Altaris gradu quatuor pulvini, adhibendi ab Episcopis in brevi oratione peragenda.

168. Absoluta gratiarum actione, Consecrans, Assistentes et Consecratus redibunt ante Altare et genibus flexis vacabunt brevi orationi, ordine notato in accessu ad ecclesiam. Accedent deinde ad Altare SS. Sacramenti et ante ipsum orabunt genibus flexis in genuflexorio. Postremo eodem ordine, comitante Clero, de ecclesia discedent.

169. Si Consecratus et Assistentes Consecrantem ad residentiam eius non comitabuntur, quum venerint ad limen, Consecratus gratias aget Consecranti, qui discedet ab eis. Postmodum Consecratus gratias aget etiam Assistentibus, et unusquisque redibit ad habitaculum suum.

DE CONSECRATIONE ELECTI IN EPISCOPUM AB ALTERO EPISCOPO IN SUA CATHEDRALI SOLEMNITER EXSEQUENDA.

CAPUT V.

1. Omittuntur animadversiones in capitulo praecedenti praemissae a num. 1. usque ad num. 7. inclusive.

De rebus praeparandis.

2. Ecclesia cathedralis ornabitur more festivo, si fieri poterit per ritum officii.

Ad Altare SS. Sacramenti.

3. Praeparabitur genuflexorium maioris formae pro quatuor Episcopis, quod ornabitur strato et pulvinis octo, quatuor nempe ad brachia et totidem ad genua, ut cap. IV. lib. V.

4. In Altari ardebunt sex cerei, quando saltem ibi orabunt Episcopi.

Ad Altare maius.

5. Super Altare ponentur septem candelabra cum cereis et ante candelabrum medium aderit Crux. Candelabra sunto plus minusve nobilia, prout requiret qualitas officii. Si licebit per ritum, poterunt candelabris interponi signa Sanctorum, aut reliquiaria cum S. Reliquiis, aut vasa cum floribus. Gradus sternentur tapeto amplo et ipsum Altare, praeter tobaleas, ornabitur pallio nobili coloris, quem requirit officium.

6. Super mensam disponentur paramenta Episcopi Consecrantis, videlicet planeta, chirothecae in lance, dalmatica, tunicella, stola, Crux pectoralis, cingulum, alba et amictus, quae omnia contegentur velo coloris respondentis paramentis ipsis.

7. Si officium erit solemne, praeparabitur etiam pluviale cum formali ad cantandam orationem post Horam tertiam: si officium erit classis non solemnis, non opus erit pluviali, siquidem oratio cantabitur ab Episcopo cappa induto.

8. Si Consecrans erit Archiepiscopus aderit etiam super Altari S. Pallium in lance argentea, contectum velo sericeo concolore paramentis, cum tribus spinulis gemmatis ipsi Pallio figendis.

9. A lateribus mensae aderunt mitrae, videlicet pretiosa in latere Evangelii, auriphrygiata in latere Epistolae. Si color, quem requirit officium, esset violaceus, praeparabitur mitra tantum auriphrygiata, exceptis Dominicis tertia Adventus et quarta Quadragesimae, in quibus uti licet etiam mitra pretiosa.

10. Super gradum infimum Altaris disponentur pro Episcopis pulvini quatuor.

11. Prope latus Epistolae aderit scamnum paratum pro Ministris.

12. Ex eodem latere, vel alio loco statuetur basis ad firmandam Crucem archiepiscopalem, si Consecrans fuerit Archiepiscopus.

13. Prope latus Evangelii Altaris praeparabitur baculus pastoralis pro Episcopo consecrante.

14. Thronus parabitur conopoeis, baldachino et lodicibus eiusdem coloris quem requirit officium; aderunt tria scabella pro Assistentibus, et pulvinar prope cathedram, utendum ab Episcopo in genuflexionibus. Gradus sternentur tapeto convenienti.

15. Aequum esset, ut planum Presbyterii totaliter contegeretur tapeto viridi.

Ad Altare Electi.

16. Si thronus situs esset e regione Altaris, casu quo Altare ipsum esset orientale, seu versum ad populum, statuetur Altare Electi in choro prope latus Evangelii; sin autem thronus situs erit a latere Evangelii, ponetur Altare Ele-

cti contra thronum, vel alio loco, ut videbitur magis expedire (a).

17. Altare istud amovibile instructum erit sacro lapide, tribus tobaleis, pallio coloris officii, suppedaneo cooperto tapeto, ac desuper quatuor candelabris cum cereis et Cruce.

18. Super mensam altaris huius disponentur paramenta albi coloris pro Electo, videlicet legile cum Missali, in quo posita erunt signacula praeter Missam currentem, ad *ordinem Missae* et ad collectam pro Electo, manipulus, planeta, dalmatica, tunicella, Crux pectoralis, liber pro Examine seu Pontificale, pluviale, stola, cingulum, alba et amictus. Paramenta haec, quicumque sit color officii, semper esse debent albi coloris.

19. Canon apertus ad pedem Crucis, vel super abaco.

20. A lateribus Altaris huius disponentur paramenta pro Episcopis assistentibus, nempe mitra simplex linea albi coloris, pluviale cum stola coloris officii, amictus et pontificale.

21. Ante Altare idem, aderunt scabella tria pro Assistentibus et Electo, forma aequalia scabellis throni.

In abacis.

22. Abaci duo maiores aderunt contecti alba tobalea, in quibus disponentur omnia ea, quae ad functionem opus sunt. Alter in latere Epistolae praeparabitur pro Consecrante, alter in latere Evangelii, pro Electo; hic autem, pro amplitudine presbyterii, poterit alio etiam loco collocari.

23. In abaco designato pro Consecrante aderunt duo candelabra cum cereis pro Acolythis; calix cum purificatoriis duobus, patena cum hostiis duabus, cum palla et corporali intra bursam; cochleare inauratum cum altera patena; ampullae vini et aquae in pelvicula; cochlerare ad infundendam aquam in calicem ac patera praegustationis, campanula; vasculum cum S. Chrismate in lance et aliquantulum gossipii soluti; gremiale lineum albi coloris cum taeniis; urceus cum pelvi et mantilia duo in lance; medulla panis et mali medici in lance;

(a) Vide adnotationem subiectam numero 22. cap. praeced. lib. huius.

velum humerale simplex, si lotio manuum ministrabitur Episcopo a Magistratu; caligae cum sandaliis in lance ac vela duo ad illa cooperienda, quando afferentur a Subdiacono; canon pontificalis; scotula cum candela; pontificale (pars. I.); Missale sua veste instructum et legile seu cussinus pro Episcopo; Evangeliarium sua veste instructum; velum humerale pro Subdiacono; gremiale aequale paramentis; instrumentum Pacis, si donanda erit Pax laicis; thuribulum cum navicula; intorticia pro elevatione; breviarium vel manuale chorale pro oratione Tertiae; breviarium vel libellus pro cantu Capituli Tertiae; formula indulgentiarum.

24. In altero abaco posito ex latere Evangelii vel alio loco, in usum Electi ponentur urceus cum pelvi et mantilia; medulla panis et mali medici cum aliquantulo gossipio soluto; caligae et sandalia albi coloris; mitra auriphrygiata et pileolus; chirothecae albi coloris; vittae duae ex tela subtili, altera pro capite, altera pro manibus, purificatorium ad abstergendum caput; doliola duo vini plena, alterum auro alterum argento coloratum, cum utroque stemmate Consecrantis et Electi; panes duo, alter auratus, alter argentatus, uterque cum stemmate, ut supra; intorticia duo; calix cum aliquanto vino et purificatorium; Missale imponendum humeris Electi; canon pontificalis, nisi praeparatus fuerit in Altari; vasculum aquae benedictae cum aspersorio.

25. Prope abacum praeparabitur baculus pastoralis pro Electo, pulvini duo propter prostrationem, faldistorium cum veste coloris officii, utendum a Consecrante, postea ab Electo, et scabellum unum cum pulvino et cum libro formulam iuramenti continente, si Electus praestiturus erit iuramentum.

26. Praeparabuntur etiam canistri ad deferenda in Sacrarium indumenta canonicalia Canonicorum, quando, se parabunt.

In choro.

27. Paramenta canonicalia super sedilibus, videlicet tunicellae pro Canonicis Subdiaconis, dalmaticae pro Canonicis

Diaconis, comprehensis Assistentibus, planetae pro Presbyteris et pluvialia pro Dignitatibus comprehenso pluviali pro Presbytero assistente. Quod si utendae essent planetae plicatae, loco tunicellarum et dalmaticarum, utentur planetis praedictis, quo casu paramenta omnia praeparabuntur in canistris, transferendis tempore debito ex Sacrario ad Altare. Singulis paramentis suus etiam erit amictus. Super abacum autem praeparabitur stola latior quoque pro Diacono et planetae plicatae pro Ministris, si hoc requireret ritus officii.

28. Ad balaustrium seu cancellos Presbyterii disponentur fanalia sex vel octo cum cereis aut intorticiis.

In Sacrario.

29. Paramenta pro Diacono et Subdiacono, videlicet amictus, albae et cingula duo; pro Diacono stola cum dalmatica; pro Subdiacono tunicella.

30. Si planetae plicatae a Ministris adhibendae erunt, disponentur super abacum una cum stola latiori pro Diacono, ut supra.

31. Pluvialia quatuor pro quatuor Cappellanis a mitra, baculo, libro et scotula.

32. Si Consecrans erit Archiepiscopus, praeparabitur amictus, alba, cingulum ac tunicella, vel planeta plicata pro Subdiacono Crucifero.

33. Vasculum aquae sanctae cum aspersorio, adhibendum in ingressu Episcopi.

34. Focus cum igne et forcipes ad eum sumendum.

35. Superpellicea pro Cappellanis Electi et Assistentium.

De Functione.

36. Recitabitur in choro Matutinum cum Laudibus et Prima, qua absoluta, si fuerit Hora statuta ad functionem incipiendam, sonabitur campanula Sacrarii et Canonici proficiscentur ad Episcopium, associaturi Episcopum, ut cap. IV. lib. V. descriptum fuit.

37. Diaconus et Subdiaconus parabunt se in Sacrario simul cum Cappellanis a mitra, baculo, libro et scotula. Accedent ad Altare cum clericis, ibique respectivis locis suis expectabunt adventum Episcopi.

38. Sin autem Canonici pararent se post Tertiam, accedet ad Altare Subdiaconus tantum, paratus amictu, alba et cingulo, qui consistet apud scamnum in latere Epistolae. Ceteri omnes se parabunt, ut infra.

39. Episcopi assistentes et Electus simul cum Cappellanis suis congregabuntur ad horam praestitutam in Episcopium. Electus meminerit tradere cuidam ex Cappellanis suis Breve Apostolicum.

40. Ordine innuto in capitulo supra citato, accedetur ad ecclesiam, excepto quod Episcopus induet cappam et a sinistris eius incedet primus Episcopus assistens, a dextris secundus Episcopus assistens, et a sinistris primi Assistentis Electus. Episcopi praedicti cum Electo induent rochetum cum mantelleto, et mozzetam quoque, ut notatum est lib. V. cap II. num. 10. Cappellani eorumdem Episcoporum coibunt cum familia nobili Episcopi dioecesani, itemque famuli eorum antecedent famulos Dioecesani eiusdem.

41. Ingrediente in ecclesiam Episcopo cum Assistentibus et Electo, sonabunt festivo more sacra aera turris. Sonabitur etiam organis, si licebit per ritum officii.

42. Episcopus a digniore Capituli accipiet aspersorium, quo signabit seipsum, deinde porriget illud tangendum Assistenti primo, Assistenti secundo et Electo: postmodum asperget adstantes.

43. Episcopi eodem ordine, quo incedent, pergent ad Altare SS. Sacramenti ibique orabunt.

44. Cappellani Assistentium et Electi recedent in Sacrarium, induent sibi superpellicium et revertentur ad Presbyterium ac consistent prope Altare Electi, ne tamen ad Altare ipsum vertant humeros directe.

45. Episcopi et Electus procedent ad Altare maius, ibique geniculabunt super pulvinos positos in infimo gradu, eumdem servantes ordinem ac brevi tempore orabunt.

46. Canonici petent subsellia sua; si officium erit festivum, dimittent habitus chorales et supra rochetum vel superpelliceum induent sibi amictum et paramentum ordini suo respondens.

47. Sin autem esset una ex Dominicis Adventus, Septuagesimae, Sexagesimae, Quinquagesimae aut Quadragesimae, geniculabunt suo quisque stallo ac deinceps induent sibi paramenta. Diaconi assistentes, habitu chorali induti, consistent prope Episcopum.

48. Ad nutum Caeremoniarii, quando parati erunt Canonici, si tamen parandi erunt, assurgent Episcopi de oratione, et reverentia profunda salutabunt Crucem. Episcopus consecrans, inclinatione facta ad Assistentes et Electum, discedet ab ipsis et ascendet in thronum; transiens autem ante chorum, dextra benedicet Clerum. In eius accessu ad thronum se adiungent ei Diaconi assistentes.

49. Episcopi Assistentes se sistent a lateribus Electi et cum ipso procedent ad Altare seu Cappellam Electi ipsius, ubi reverentia facta ad Crucem in illo Altari positam, sedebunt in scabellis, versis humeris ad Altare. Electus sedebit in medio, a dextris eius primus Episcopus assistens, a sinistris secundus Episcopus assistens (*a*).

50. Episcopus, quum ascenderit in thronum, sedebit et Presbyter assistens, habitu chorali indutus, ascendet ad thronum a latere.

51. Duo Cappellani a libro et scotula, sumpto ex abaco canone pontificali cum scotula, exsequentes debitas reverentias, accedent ad thronum et consistent in gradu superiori a latere, adstantes secundo Diacono assistenti.

52. Ministri, Cappellani, clerici aliique inservientes meminerint salutare Episcopos assistentes cum Electo, quum transituri erunt ante eos.

53. Episcopus brevi tempore sedebit in throno, tum caput aperiet, biretum tradet primo Diacono assistenti, assurget et recitabit secreto *Pater noster* et *Ave Maria*.

(*a*) De praecedentia Episcoporum vide adnotationem num. 36. subiectam capit. praeced.

54. Interim se sistent ante Episcopum Cappellani cum libro et scotula.

55. Presbyter assistens se sistet ante Episcopum eique sustinebit librum quem ipsi tradet apertum Cappellanus a libro.

56. Episcopus signabit se et cantabit *Deus in adiutorium meum intende* et Chorus respondebit *Domine, ad adiuvandum* etc.

57. Presbyter assistens relinquet librum Cappellano, qui cum altero a scotula recedet, ut supra, ad latus throni.

58. Post *Gloria Patri* Presbyter assistens descendet a latere de throno et redibit ad locum suum.

59. Postea cantabitur hymnus, intonabitur antiphona ab eo, cuius erit officium de more ecclesiae et cantores duo, superpellicio induti, in medio choro intonabunt primum psalmum Tertiae, deinceps reliquos duos psalmos.

60. Intonito primo Tertiae psalmo, sedebit Episcopus et caput cooperiet bireto, quod ipsi tradet primus Diaconus assistens.

61. Redibunt ante Episcopum Cappellani a libro et scotula, et sustinebunt Canonem apertum ante eum, ex quo leget psalmos et preces ad praeparationem ut in Missa pontificali lib. V. cap. IX.

62. Intonito, ut supra, psalmo primo, Subdiaconus perget ad abacum et ordine innuto cap. IX. lib. V. afferet ad thronum caligas et sandalia, quae induet Episcopo.

63. Si Missa erit festiva, initio psalmi tertii distribuentur clericis paramenta Episcopalia, secus distribuentur quum absolutus erit cantus Tertiae.

64. Item, si cantabitur oratio Tertiae ab Episcopo cum pluviali, principio tertii psalmi alteri duo Canonici ascendent ad thronum propter assistentiam Episcopi; Diaconi assistentes una cum Diacono, qui ministrare ad Altare debebit, recedent in Sacrarium ibique induent paramenta sacra ut traditum est capit. III. huius libri de ordinatione solemni.

65. Parabitur deinde Episcopus, sive sub finem Tertiae, sive post Tertiam, quo modo descriptum est in duobus praedictis capitulis, cantabitur Capitulum, Responsorium et oratio, ut ibi praescriptum est.

66. Statim ac distributa fuerint clericis paramenta epi-

scopalia, unus, vel duo clerici statuent in medio suppedaneo Altaris faldistorium pro Consecrante.

67. Clerici delecti ad officium assistendi Canonicis, advertent ut tempore debito afferant paramenta pro Canonicis eisdem, quando se post Tertiam parare debebunt, hoc ipsum advertetur a Cappellanis a mitra, baculo libro et scotula, qui pluviale debebunt induere, et a Subdiacono Crucifero, qui afferet Pallium ad thronum, si Consecrans fuerit Archiepiscopus.

68. Quum Episcopus parabitur, meminerint Canonici ad circulum descendere.

69. Dum Episcopus consecrans post cantatam Tertiam induetur paramentis missalibus, Electus et Assistentes dimittent mantelletum et mozzetam.

70. Electus, postquam dimiserit mantelletum et mozzetam, coopertus bireto et sedens scabello, lavabit manus; Cappellani, vel Cubicularius, qui lotionem ei porrigent, ministrabunt illam stantes, non genuflexi.

71. Postmodum Electus a Cappellanis suis induetur amictu, alba, cingulo, stola in pectore decussata et pluviali. Idem accipiet manu biretum, quo se cooperiet ut infra.

72. Duo Episcopi assistentes, quando incipietur parari Electus, adiuvantibus Cappellanis suis, mozzeta et mantelleto dimisso, induent amictum, stolam et pluviale. Accipient manu mitram, quam semper sibi ipsi imponent aut exuent, eaque se cooperient, ut infra.

73. Cappellani Episcoporum assistentium accipient Pontificale in usum eorum, itemque unus ex Cappellanis Electi accipiet Pontificale utendum in examine. Ceteri Cappellani transportabunt scabella, ut infra.

74. Quum Episcopo consecranti imponetur mitra a Diacono, Electus caput sibi cooperiet bireto, et Episcopi assistentes, mitra.

75. Postquam Episcopus consecrans a Diacono et Subdiacono indutus erit paramentis, Presbyter assistens imponet ipsi annulum, ut in Missa pontificali.

76. Diaconus et Subdiaconus non assument in brachio sinistro manipulum, nec Subdiaconus deferet Evangeliarium cum manipulo Episcopi. Si Ministri praedicti induere planetas pli-

catas deberent, pergent ad abacum ibique illas assument sine manipulis et ad thronum revertentur.

77. Paratus, ut supra, Episcopus accipiet sinistra baculum pastoralem, assurget ac descendet de throno, iturus ad Altare.

78. Quum Episcopus de throno assurget, iturus ad Altare, consurget Chorus omnis et caput nudabit. Assurgent etiam Electus, qui caput bireto nudabit, et Episcopi assistentes, qui tamen mitram non dimittent.

79. Episcopus ad Altare procedet ordine sequenti. Praeibit Subdiaconus iunctis manibus; sequetur Diaconus a sinistris Presbyteri assistentis; tum Episcopus medius inter Diaconos assistentes, sequente Caudatario, qui sustinebit eius vestis extremitatem posteriorem; post Caudatarium duo Cappellani a mitra et a baculo; postremo alteri duo a libro et scotula.

80. Episcopus transiens per chorum, benedicet Clerum, salutabit Episcopos assistentes et Electum.

81. Interim in promptu erunt prope Altare clericus unus cum gremiali Episcopi, et alter cum mitra auriphrygiata, statim tradenda Cappellano a mitra, si Episcopus mitra pretiosa utetur.

82. Quum ventum erit ante Altare, Diaconus et Subdiaconus ad pedem Altaris consistent, et medius inter eos Episcopus, recedentibus Presbytero assistente et Diaconis assistentibus.

83. Episcopus cum Ministris ceterisque Assistentibus reverentiam faciet ad Altare.

84. Presbyter assistens et Diaconi assistentes recedent in chorum ad subsellia sua.

85. Episcopus ad Altare ascendet, sedebit faldistorio, versis humeris ad Altare et baculum dimittet.

86. Diaconus se sistet a dextris, Subdiaconus a sinistris Episcopi.

87. Cappellani a libro et scotula accipient pontificale cum scotula et consistent prope Episcopum a latere Subdiaconi.

88. Si Episcopus utetur mitra pretiosa, postquam sederit, Diaconus exuet ei mitram illam et imponet alteram auriphrygiatam. Gremiale deinde ponet super genua ipsius.

89. Quum ad Altare Episcopus ascenderit, Electus una cum Episcopis assistentibus convertetur ad Altare suum; sa-

lutabunt Crucem, deinde procedent ad Altare primarium, dum Electus incedet medius inter Episcopos assistentes.

90. Cappellani eorum, vel clerici ad hoc designati, advertent ut transferant tria scabella et collocent ipsa ante gradus Altaris, ita tamen ut scabellum Electi stet e regione Consecrantis, scabella autem Episcoporum assistentium sita sint a lateribus Electi, sed aliquantulum conversa inter se ut efficiant quemdam semicirculum.

91. Electus cum Episcopis assistentibus, ubi venerint ante Altare, conficient reverentiam contextim ad Crucem et Episcopum consecrantem, tum sedebunt brevi tempore et Electus caput bireto cooperiet.

92. Si Electus praestiturus erit iuramentum, unus ex Cappellanis eius ante Episcopum consecrantem ponet scabellum cum Pontificali desuper aperto et pulvinum ante scabellum, in quo genuflectet Electus.

93. Postquam Electus et Episcopi assistentes sederint brevi tempore, tam Electus quam Episcopi praedicti caput aperient et assurgent.

94. Primus Episcopus assistens rogabit Consecrationem ab Episcopo consecrante, *Reverendissime Pater postulat* etc. Consecrans quaeret *Habetis mandatum Apostolicum*? Et Episcopus praedictus accepto Brevi Apostolico a Secretario aut ab altero familiari Electi, respondebit *Habemus* et tradet Breve Consecranti, qui postquam acceperit et inspexerit illud dicet *Legatur* ac tradet vel tradetur alicui ex Cappellanis suis, qui leget illud.

95. Electus et Episcopi assistentes sedebunt et caput cooperient.

96. Cappellanus supradictus, stans prope Altare, non vero super gradus, leget Breve et advertet, ut nominet prius Summum Pontificem, postea nomen illius, cui directum Breve est, quod nomen scriptum extat a tergo Brevis, exempli gratia; *Pius Papa Nonus Venerabili Fratri N. Episcopo N. Venerabilis Frater salutem et Apostolicam Benedictionem* etc.

97. Si praescriptum sit in Brevi, ut Electus praestet consuetum iuramentum ante Consecrantem, completa lectione Brevis, nudabit caput Electus, tradet biretum Caeremonia-

rio vel Cappellano, qui assistet ipsi, assurget, procedet ad Altare, genuflectet super pulvinum ante scabellum et elata voce leget formulam antedictam.

98. Interim unus ex Cappellanis eius in promptu habebit Missale, quod accipiet ex abaco praeparato pro Electo.

99. Lecta ab Electo iuramenti formula, amovebitur ab uno ex Cappellanis eius scabellum cum libro, ex quo legerit formulam et Cappellanus alter ponet apertum super genua Consecrantis Missale, quod ipse Consecrans sustinebit utraque manu. Electus manus imponet super illud et dicet *Sic me Deus adiuvet* etc. Consecratus autem respondebit *Deo gratias*.

100. Cappellanus recipiet Missale, quod iterum ponet super abacum, ex quo acceperit et Electus redibit sessum ad scabellum suum et caput operiet bireto.

101. Sin autem in Brevi non praescriptum erit, ut Electus praestet iuramentum in ipso Consecrationis actu, postquam lectum erit Breve ipsum, Consecrans dicet *Deo gratias* et omittentur omnia ea, quae relate ad iuramentum tradita sunt num. 97. 98. et 99 (*a*).

102. Cappellanus Electi cum Pontificali consistet a sinistris eius, sustinens ei a latere Pontificale apertum.

103. Episcopi assistentes advertent, ut legant omnia ea, quae leget Episcopus consecrans relate ad Consecrationem.

104. Omnibus suis locis sedentibus, Consecrans leget Examen *Antiqua Sanctorum Patrum* etc. quod idem facient Episcopi assistentes.

105. Electus in fine cuiusque interrogationis nudabit caput, assurget et respondebit ut in Pontificali. Caeremoniarius vel Cappellanus alter, qui assistet ei, quando Electus nudabit caput, attollet pluvialis eius fimbriam dexteram.

106. Post verba *Haec omnia et cetera bona* etc. ac post altera *Haec tibi fides* etc. Electus non assurget neque caput aperiet, sed adstantes omnes respondebunt *Amen*.

107. Sub finem examinis huius, unus ex Cappellanis Electi ponet pulvinum super gradum ante Consecrantem.

(*a*) Vide adnotationem subiectam num. 68. cap. praeced.

108. Item in promptu erunt Acolythi cum manipulis Ministrorum, clericus alter in promptu etiam habebit Evangeliarium cum manipulo Episcopi ac thuriferarius praeparabit thuribulum.

109. Redibunt interim ad Altare Presbyter assistens, qui consistet a latere Altaris ex parte Epistolae, et duo Diaconi assistentes, qui locum sument in latere opposito, ne tamen transitum impediant Electo et Episcopis assistentibus.

110. Absoluto examine, Electus caput aperiet ac biretum tradet Caeremoniario, seu Cappellano ipsi assistenti. Electus et Episcopi assistentes consurgent, iidemque Episcopi ducent Electum ante Consecrantem.

111. Electus geniculabit super pulvinum et osculabitur manum Consecrantis, deinde assurget ac recedet in planum ante Altare versus latus Evangelii. Cappellanus unus Electi amovebit pulvinum ibi positum sub finem Examinis.

112. Quum Electus manum Consecrantis osculatus erit, Diaconus et Subdiaconus de Altari descendent et reverentia contextim facta ad Consecrantem et ad Altare, pergent ad abacum, ubi manipulum sibi imponent brachio sinistro. Subdiaconus accipiet etiam Evangeliarium cum manipulo Episcopi, quod utraque manu sustinebit ante pectus.

113. Revertentur ad Episcopum; Diaconus tollet ei gremiale; tunc Episcopus de faldistorio assurget, descendet de Altari et convertetur ad ipsum.

114. Presbyter assistens statim accedet ad dexteram Episcopi, sed aliquanto retro, Electus consistet a sinistris Episcopi et a sinistris Electi consistent Diaconus cum Subdiacono, sed aliquanto retro, ut Presbyter assistens. Diaconi assistentes stabunt a tergo Episcopi, post Diaconos assistentes, Cappellani a mitra, baculo etc.

115. Episcopus ad Altare conversus exuetur mitra a Diacono.

116. Episcopus, reverentia facta ante Crucem, inchoabit Sacrum, seu Confessionem, et cantores cantabunt Introitum, deinde *Kyrie*.

117. Electus respondebit Episcopo, itemque Ministri et ceteri assistentes.

118. Episcopi duo assistentes, aliquanto longe ab Altari stantes, sibi mitram exuent et uterque cum respectivis Cappellanis suis, qui genibus flexis insistent, recitabunt Confessionem.

119. Interim unus vel duo clerici removebunt faldistorium de medio Altaris; Cappellanus a libro deponet pontificale super abacum et accipiet Missale; Cappellani Episcoporum, vel Clerici aliquot ante Altare Electi reponent tria scabella, pro Electo nempe et Episcopis assistentibus.

120. Subdiaconus post *Indulgentiam* etc. manipulum inducet brachio Celebrantis; ad quam actionem opus est ut Electus recedat aliquantulum; deinde iterum proximabit ad sinistram Celebrantis, prosecuturus cum ipso Missam.

121. Dicto *Oremus* a Consecrante, Episcopi assistentes approximabunt ad Electum. Consecrans et Electus sibi ad invicem reverentiam conficient, atque Electus se adiungens Episcopis assistentibus reveniet ad Altare suum. Consecrans autem cum Ministris et Assistentibus suis prosequetur Sacrum ritu pro Missa Pontificali praescripto.

122. Electus cum Episcopis assistentibus, reversus ad Altare suum, salutabit Crucem et sedebit scabello, versis humeris ad Altare ipsum. Episcopi assistentes sedebunt, ut Electus, scabellis suis, senior tamen a dextris, alter a sinistris Electi et sibi ipsi mitra caput operient.

123. Se sistet Electo Cappellanus cum Canone, ex quo ille leget psalmos *Quam dilecta* etc. Hoc tempore ipsi Cubicularius suus educet calceos usuales et inducet caligas cum sandaliis albi coloris.

124. Interea continuabitur Missa pontificalis ordine praestituto, et quando Episcopus, thurificato Altari, accedet ad thronum, transiens ante Electum, nullam faciet ei reverentiam, eo quod is occupatus sit in recitatione psalmorum etc.

125. Postquam Electus indutus erit caligis ac sandaliis, et compleverit recitationem ceterarum precum, Cappellani assistentes sui, exuent eum pluviali, imponent ipsi Crucem pectoralem e collo pendentem, expedient stolam, quae decussata erat in eius pectore, eamque relinquent pendentem sed firmabunt cingulo; postea induent ei tunicellam, dalmaticam et planetam, ac brachio eius sinistro inducent manipulum.

126. Electo tali modo parato, Episcopi assistentes sibi exuent mitram, tum assurgent cum Electo ipso, convertentur ad Altare et reverentia facta ad Crucem illius, ascendent in suppedaneum. Iidem Episcopi assistentes, iuxta ordinem antiquitatis, consistent a dextris Electi unus, a sinistris alter, quod semper observabunt in actionibus sequentibus.

127. Electus dicet orationem *Aufer a nobis*, osculabitur Altare et nunquam se movens de medio ipsius, Missam leget ex Missali cum legili collocato in ipso medio Altaris.

128. Notabitur quo processerit Missa solemnis; namque si, exempli gratia, nondum recitatum erit *Kyrie*, Electus expectabit ibi, recitaturus illud submissa voce, eodem tempore cum Consecrante, item omnia ea, quae Episcopus Consecrans cantabit in Missa, Electus recitabit submissa voce, simul cum eodem Episcopo Consecrante. Ad *Gloria in excelsis*, si recitandum erit, Electus eodem statu, ut supra, perstabit, ac recitabit ipsum cum Assistentibus, deinde sedebit, ut antea, caput operiens bireto et congruens cum Choro in cantu verborum *Adoramus te* etc. ad nudandum caput.

129. Absoluto cantu hymni *Gloria in excelsis*, si cantandus erit, Electus cum Episcopis assistentibus ascendet iterum ad Altare suum, et osculato Altari, non conversus ad populum dicet *Dominus vobiscum* itemque orationes et reliqua. Advertetur oratio pro Electo recitanda cum prima oratione Missae *sub unica conclusione*. Postea rursus sedebit et completo Epistolae cantu, redibit ad Altare suum, ubi simul cum Episcopo leget Epistolam et Graduale usque ad ultimum versum ipsius, vel tractus aut Sequentiae.

130. Etiam Episcopus Consecrans, post cantum Epistolae, quum Subdiaconus osculatus erit manum eius, leget Graduale, ut supra.

131. Electus postquam legerit Graduale modo supradicto, descendet de Altari suo et consistet in pedes ante scabellum, versis humeris ad Altare ipsum: idem facient Episcopi assistentes, qui caput mitra cooperient.

132. Episcopus, postquam legerit Graduale, ut supra, dempto ei gremiali a secundo Diacono assistente, accipiet sinistra

baculum pastoralem, surget de throno, descendet et ad Altare procedet.

133. Presbyter assistens praeibit Episcopo, qui incedet medius inter Diaconos assistentes, et benedicet Clerum dum transibit per chorum; Caudatarius sequetur Episcopum, cuius extremitatem posteriorem vestis sustinebit, et apud caudatarium ibunt quatuor Cappellani, a mitra, baculo, libro et scotula, insuper clericus qui referet gremiale super abacum.

134. Episcopus transiens ante Electum et Episcopos assistentes, salutabit eos.

135. Interim ab uno aut duobus clericis reponetur faldistorium pro Episcopo in medio suppedaneo Altaris maioris.

136. Diaconus cum Subdiacono procedent ad pedem Altaris, ut se adiungant Episcopo.

137. Cappellanus a libro deponet Missale super abacum et accipiet pontificale, adhibendum in Consecratione.

138. Electus cooperiet caput bireto: praesto erunt Cappellani respectivi, translaturi scabella ante Altare maius, collocanda ut supra traditum est in principio functionis.

139. Quum Episcopus venerit ante Altare, recedet Presbyter assisteus et Diaconi assistentes. Diaconus et Subdiaconus succedent in assistentiam Episcopi.

140. Episcopus ante Altare, quum steterit, cum Ministris suis et Assistentibus reverentiam conficiet ad Crucem. Episcopus ascendet ad Altare cum Diacono et Subdiacono, sedebit faldistorio et dimittet baculum. Presbyter assistens cum Diaconis assistentibus recedent in chorum ad loca sua cum ceteris Canonicis.

141. Sedente in faldistorio Episcopo, Electus cum Episcopis assistentibus procedent ante Altare, sequentibus Cappellanis, deferentibus scabella et pontificale pro Assistentibus.

142. Ante Altare quum venerint, Electus sibi exuens biretum et Assistentes retinentes mitram, conficient contextim reverentiam ad Crucem et Episcopum ac sedebunt scabellis dispositis, ut superius traditum est in examine.

143. Interea ponentur pulvini duo super gradus Altaris in latere Evangelii propter prostrationem Electi, praeparabitur

pulvinus pro Consecrante et pulvini pro Episcopis assistentibus.

144. Sedente Electo cum Assistentibus, Episcopus ex Pontificali leget admonitionem *Episcopum oportet* etc.

145. Deinde assurgente Episcopo, Electus caput nudabit bireto: assurgent etiam Assistentes, retinentes mitram in capite et Episcopus elata voce ac tono feriali recitabit invitationem ad orationem *Oremus, fratres carissimi* etc.

146. Responso a choro *Amen*, Electus, tradito bireto cuidam ex Cappellanis suis, procumbet in latere Evangelii (erit autem a sinistris Episcopi genuflexi). Episcopus assurget, convertetur ad Altare et, pulvino ante faldistorium posito, geniculabit ante faldistorium ipsum; Episcopi assistentes conversi ad Altare, geniculabunt, quo loco erunt, in pulvino posito ante scabellum.

147. Prostrato Electo et genuflexis ceteris omnibus, cantores duo genuflexi in medio choro cantabunt Litanias, quibus respondebunt adstantes.

148. Sub finem Litaniarum in promptu habebitur baculus pastoralis et Pontificale.

149. Clericus etiam vel Cappellanus unus Electi praesto erit, traditurus Missale imponendum scapulis Electi.

150. Postquam cantores cantaverint ℣. *Ut omnibus fidelibus defunctis* etc. assurget Episcopus consecrans cum Ministris suis, genuflexis adhuc ceteris omnibus.

151. Episcopus, sumpto sinistra baculo et conversus ad Electum, qui adhuc prostratus erit, cantabit tribus vicibus tono Litaniarum ℣. *Ut hunc praesentem Electum* etc. eumque benedicet, ut in Pontificali.

152. Etiam Episcopi assistentes genuflexi recitabunt sine cantu versiculos praedictos et benedicent Electum.

153. Episcopus dimittet baculum, eoque rursus genuflexo cum Ministris, cantores resument cantum Litaniarum ad ℣. *Ut nos exaudire* etc. easque absolvent.

154. Litaniis absolutis, omnes consurgent; Consecrans ascendet in suppedaneum et consistet ante faldistorium, versis humeris ad Altare; Diaconus se sistet a dextris Episcopi et Subdiaconus a sinistris; Electus de prostratione assurget

et geniculabit in gradu superiori ante Episcopum: primus Episcopus assistens locum sumet a dextris Episcopi consecrantis recedente aliquantum Diacono, secundus Episcopus assistens accedet ad sinistram Consecrantis, recedente aliquantulum Subdiacono.

155. Episcopus consecrans accipiet a Diacono Missale, quod sustinens apertum, adiuvantibus Episcopis assistentibus, imponet super scapulas et caput Electi, advertendo quod pars superior Missalis, quae respondet primae lineae ac numero paginae, insistat super scapulis, pars autem inferior, cui respondet ultima linea, insistat capiti Electi. Unus ex Cappellanis Electi adstans a tergo eius, sustentabit Missale, dum fiet Consecratio.

156. Missali imposito humeris et capiti Electi, Consecrans cum duobus Assistentibus utrasque manus iunctim imponent capiti Electi et eodem tempore clara voce dicent *Accipe Spiritum Sanctum*.

157. Episcopi assistentes redibunt immediate ad scabella sua et sibi exuent mitram: Electus de Altari descendet et geniculabit in medio gradu infimo: Diaconus mitram exuet Consecranti, qui simul cum Episcopis assistentibus cantabit tono feriali orationem *Propitiare Domine* etc. non praeposito *Oremus*. Postea Consecrans cantu feriali et manibus ante pectus expansis, prosequetur Praefationem, quae ab Episcopis assistentibus legetur.

158. Hoc tempore Caeremoniarius vel unus ex Cappellanis Electi circumdabit vittam capiti illius, et in promptu stabunt clerici tres, unus cum vasculo S. Chrismatis in lance cum aliquantulo gossipii soluti, alter cum gremiali lineo taeniis instructo, ac tertius cum lance ad recipiendas chirothecas Episcopi.

159. Cantatis praefationis verbis illis *coelestis unguenti rore sanctifica*, Consecrans cum Ministris convertetur ad Altare et genuflectent ante faldistorium et Episcopi assistentes geniculabunt in locis suis. Diaconus exuet pileolum Consecranti, qui genuflexus in pulvino intonabit hymnum *Veni creator Spiritus* et continuabitur a cantoribus; poterit etiam coniungi or-

ganorum sonus, quamvis officium Missae id non requireret. Etiam Episcopi assistentes dimittent pileolum.

160. Completo cantu primorum quatuor versuum, seu strophae primae, consurgent Consecrans et Assistentes. Episcopus sedebit faldistorio, Episcopi assistentes sedebunt scabellis suis. Diaconus reponet mitram Episcopo et Assistentes etiam sibi reponent mitram.

161. Diaconus tollet annulum Episcopo, deinde Diaconus cum Subdiacono exuent ei chirothecas, quas reponent in lance, et clericus huic rei designatus deferet eas ad abacum. Tum Diaconus reponet annulum Episcopo, postea sumptum gremiale lineum, adiuvante Subdiacono, ponet super genua Episcopi et firmabit taeniis ad nodos faldistorii.

162. Clericus cum vasculo S. Chrismatis consistet prope Diaconum, et genuflexus sustinebit Episcopo vasculum praedictum. Electus ascendet iterum ad Altare et geniculabit in gradu superiori ante Episcopum.

163. Episcopus intincto pollice dextro in S. Chrisma, unctionem peraget in capite Electi, recitans formulam *Ungatur et consecretur* etc. Unctionem autem peragens, inunget prius tonsuram in formam Crucis, postea tonsuram totam. Episcopi assistentes, sedentes adhuc scabellis suis, formulam eamdem recitabunt. Episcopus pollicem suum gossipio absterget et removebitur ab eius genibus gremiale lineum. Electus reveniet geniculatum super gradum inferiorem Altaris, et Cappellanus qui sustinebit Missale super scapulis eius, cavebit ne Missali ipso tangat locum unctionis.

164. Expleto hymno, Diaconus exuet mitram Episcopo, qui assurget; Episcopi assistentes sibi ipsi tollent mitram et consurgent: Consecrans prosequetur in cantu manibus ante pectus expansis, secundam praefationis partem, nempe *Hoc, Domine, copiose* etc. quae legetur etiam a praedictis Episcopis assistentibus.

165. Interim a Caeremoniario vel ab uno ex Cappellanis imponetur collo Electi vitta, quae pendebit ante pectus eius.

166. Conclusio praefationis *Per Dominum* etc. recitabitur ab Episcopo consecrante voce submissa et sine cantu.

167. Praefatione absoluta, Consecrans intonabit antiphonam *Unguentum in capite*, quam prosequentur cantores cum psalmo *Ecce quam bonum*, cui poterit organorum sonus interponi, ut supra de hymno *Veni creator* etc.

168. Consecrans sedebit faldistorio et Diaconus reponet ei mitram. Episcopi assistentes pariter sedebunt scabellis suis et caput mitra cooperient.

169. Diaconus una cum Subdiacono reponent super genua Episcopi gremiale lineum, quod taeniis firmabunt ad nodos faldistorii.

170. Electus assurget, ascendet ad Altare, geniculabit ante Episcopum eique praesentabit manus apertas simul iunctas cum digitis etiam coniunctis. Episcopus Consecrans intinget pollicem dexterum in S. Chrisma et unctionem peraget super manus Electi, recitans formulam *Ungantur manus istae* etc. Unctionem autem exsequetur efficiens binas lineas super manus Electi, ducens primam a pollice dextrae manus eius directam ad indicem sinistrae, alteram a pollice sinistrae ad indicem dextrae ita ut efformet Crucem, deinde prosequetur inungere palmas manuum, et unctione peracta, absterget pollicem suum gossipio (*a*). Post formulam antedictam subiunget alteram *Deus et Pater* etc. Post haec Electus seu potius Consecratus claudet per se ipse manus suas, imponens dexteram sinistrae easque applicans vittae, quae de collo eius pendebit.

171. Interim ab uno ex Cappellanis in promptu habebitur baculus et annulus tradendus Consecrato, et clericus unus deferet ad Altare vasculum aquae benedictae cum aspersorio, si res supra notatae benedicendae erunt.

172. Repetita a cantoribus post psalmum antiphona *Unguentum* etc. nisi benedictus erit baculus pastoralis, Diaconus cum Subdiacono tollent gremiale Episcopo, deinde Diaconus exuet ei mitram, ipse autem assurgens, non vero Episcopi assistentes, recitabit orationem super baculum, et asperget illum aqua benedicta, quam ei porriget Diaconus.

173. Diaconus Episcopum sedentem rursus cooperiet

(*a*) Inspiciatur adnotatio subiecta num 123. cap. II. huiusce libri.

mitra, eique tradet baculum. Episcopus baculum accipiet ac tradet Consecrato, dicens *Accipe baculum* etc. Consecratus non aperiens manus, baculum accipiet inter digitos medios et indices. Tum Episcopus tollet Consecrato baculum, quem restituet Diacono, hic autem Cappellano.

174. Nisi annulus benedictus esset, Episcopus exutus mitra a Diacono, assurget et orationem super annulum recitabit, deinde illum aqua benedicta asperget, ministrante eam, ut supra, Diacono. Episcopi assistentes orationem istam non recitabunt.

175. Postea sedebit Episcopus et mitra iterum cooperietur a Diacono. Hic tradet Episcopo annulum, quem ille inseret digito annulari dextero Consecrati, dicens *Accipe annulum* etc.

176. Episcopi assistentes, postquam recitaverint formulam ad annulum spectantem, consurgent de scabellis suis, ascendent ad Altare et consistent a lateribus Consecrantis, primus nempe a dextris, secundus a sinistris eius, qui simul cum Consecrante ipso, sumptum de humeris Consecrati librum Evangeliorum sustinebunt iunctim super genua Consecrantis; Consecratus autem libro imponet manus non disiungens eas, dum Consecrans cum Episcopis assistentibus, tradentes ei librum clausum, recitabunt formulam *Accipe Evangelium* etc.

177. Formula recitata, removebitur a Diacono Missale seu liber Evangeliorum de gremio Consecrantis, qui dabit Consecrato amplexum, dicens *Pax tibi* et Consecratus non aperiens manus, respondebit *Et cum spiritu tuo.* Assurget Consecratus et pacem praebebit Episcopis assistentibus, dicens *Pax tibi;* illi autem respondebunt *Et cum spiritu tuo.* Episcopi iidem amplectentur eum, sed ipse non aperiet manus.

178. Dum consurgent Episcopi assistentes, ascensuri ad Altare propter actiones supra descriptas, referentur scabella ad Altare Consecrati et in promptu habebitur lotio pro Consecrante et Consecrato.

179. Descendet de Altari Consecratus, medius inter Episcopos assistentes, qui facta contextim reverentia ad Crucem Altaris et ad Consecrantem procedent ad supradictam Cap-

pellam minorem ac reverentia facta ad Crucem Altaris huius, sedebunt, ut antea.

180. Profectis de Altari tribus praedictis Episcopis, redibunt apud Altare Diaconi assistentes cum Presbytero assistente, qui ascendet ad Altare et consistet prope Diaconum. Ascendet illuc etiam clericus, qui deferet lancem cum chirothecis.

181. Ascendent ad Consecrantem ministri lotionis, et Presbyter assistens tollet annulum Episcopo, qui lavabit manus, adhibens medullam panis et mali medici ad abstergendum pollicem.

182. Ad actionem istam Canonici consurgent, ceteri omnes adstantes in genua procumbent.

183. Presbyter assistens mantile porriget Episcopo, cui, lotis manibus, tolletur gremiale lineum, Diaconus cum Subdiacono reponent chirothecas, Presbyter assistens annulum digito restituet.

184. Cappellanus a libro deponet super abacum Pontificale et recipiet Missale utendum ab Episcopo.

185. Consecrato in scabello sedenti exuetur vitta e collo et ex capite ab uno ex Cappellanis eius, qui absterget etiam caput ipsius purificatorio. Ille dimittet annulum et lavabit manus utens medulla panis et mali medici. Lotionem ei ministrabunt Cappellani sui stantes. Postquam manus abluerit, reponetur annulus digito eius.

186. Lotis a Consecrato manibus, Episcopus consecrans sinistra accipiet baculum, assurget, descendet de Altari cum Ministris et ad Altare conversus, salutabit Crucem.

187. Episcopus, praeeunte Presbytero assistente, medius inter Diaconos assistentes, sequentibus Caudatario, quatuor Cappellanis et clerico deferente gremiale, redibit ad thronum. Transiens ante Consecratum et Assistentes eius salutabit eos, ipsi autem consurgent eiusque salutationi respondebunt. Item transiens ante chorum, dextera Clerum benedicet.

188. Diaconus et Subdiaconus postquam comitati erint Episcopum ante gradus Altaris, conficient cum eo reverentiam ad Crucem et revertentur ad scamnum suum prope latus Epistolae.

189. Episcopus, conscenso throno, sedebit in ipso, dimittet baculum, reponetur ei gremiale a primo Diacono assistente, eique se sistent Cappellani cum Missali et scotula; ipse vero leget ultimum versiculum Gradualis vel Tractus aut Sequentiae, postea *Munda cor meum* et Evangelium.

190. Consecratus cum Episcopis assistentibus ascendet ad Altare suum, leget ultimum versiculum Gradualis vel Tractus aut Sequentiae, *Munda cor meum* et Evangelium, quod tamen non osculabitur, nec dicet *Per Evangelica dicta* etc. Deinde redibit sessum, ut antea, cumque ipso etiam Episcopi assistentes.

191. Interim a choro cantabitur versiculus Gradualis, seu Tractus, sive Sequentiae.

192. Dum ab Episcopo consecrante legetur Evangelium, Diaconus afferet librum ad Altare et fient illa omnia, quae in Missa pontificali praescripta sunt.

193. Ad cantum Evangelii, Consecratus cum Episcopis assistentibus stabunt, manentes apud scabellum suum et conversi Diaconum versus. Quando Episcopus Consecrans intonabit *Credo,* Consecratus et Episcopi assistentes ascendent ad Altare suum, et conversi ad ipsum recitabunt *Credo,* postea redibunt sessum, ut in principio.

194. Sub finem Symboli disponentur oblationes, videlicet Caeremoniarius tradet duo intorticia ardentia uni ex Cappellanis Consecrati, vel clerico alicui, alteri panem inauratum, alteri panem argentatum, quarto doliolum inauratum, quinto doliolum argentatum, eosque ita disponet, ut quoad sinat dispositio Presbyterii, possint ordinatim sequi Consecratum, quando ad thronum accedet.

195. In promptu etiam erit qui ministrare Episcopo Consecranti lotionem debebit, praesertim si actionem istam fungeretur Magistratus.

196. Absoluto cantu Symboli, secundus Diaconus assistens tollet gremiale et mitram Episcopo, qui assurgens cantabit *Dominus vobiscum, Oremus* et leget versiculum Offertorii.

197. Consecratus cum Episcopis assistentibus ascendet ad Altare suum, quod osculabitur, dicet *Dominus vobiscum,* non conversus ad populum, et leget Offertorium.

198. Diaconus primus assistens cooperiet Episcopum mitra pretiosa, si uti licebit, secus auriphrygiata, eique reponet gremiale. Ponetur etiam pulvinar super gradulum cathedrae Episcopi.

199. Consecratus cum Episcopis Assistentibus de suo Altari descendet et cum ipsis salutabit Crucem Altaris eiusdem; deinde Episcopi assistentes mitra caput operient et medium inter se deducent Consecratum ad thronum: si transeundum esset ante Altare maius, conficient reverentiam, itemque salutabunt Episcopum consecrantem, quum pervenerint ante thronum. Cappellani seu Clerici cum oblationibus, unus post alium, ordine supra descripto, sequentur Consecratum : genuflexionem conficient ad Altare maius et ad Episcopum, ut supra.

200. Consecratus deducetur in thronum ante Consecrantem ab Episcopis assistentibus, et geniculabit in pulvino ante Consecrantem. Clerici cum oblationibus ascendent ad thronum, approximabunt ad dexteram Consecrati, oblationes ei porrigent et immediate transibunt ad sinistram eius. Consecratus praesentabit intorticia Episcopo, eiusque manum, dum illa accipiet, osculabitur. Episcopus intorticia tradet primo Diacono assistenti, iste clerico seu Cappellano, qui illa detulerit, hic autem reportabit ad abacum; id ipsum fiet de panibus et doliolis.

201. Oblationibus praesentatis, Consecratus assurget et una cum Episcopis assistentibus de throno descendet atque iterata reverentia ad Episcopum, procedet ad Altare maius ibique consistet a latere in cornu Epistolae.

202. Episcopi assistentes, comitantes eum, quum pervenerint ante Altare, dimittent mitras et locum sument a lateribus Consecrati, stantes tamen uno gradu infra locum, quo constiterit Consecratus.

203. Legile cum Missali afferetur ad Altare maius in usum Consecrati ab uno ex Cappellanis eius.

204. Quum de throno Consecratus descenderit, secundus Diaconus assistens tollet gremiale Episcopo, qui dimittet annulum et chirothecas.

205. Ministri lotionis ad thronum ascendent, postquam descenderit Consecratus.

206. Ad lotionem manuum Episcopi, Canonici et Praelati, si qui aderunt, stabunt; ceteri omnes adstantes geniculabunt.

207. Episcopus posteaquam manus abluerit, recepto annulo ac sumpto baculo, descendet de throno et procedet ad Altare, prosecuturus Missam pontificalem, observatis omnibus iis, quae praescripta sunt cap. IX. lib. V. exceptis animadversionibus, quae sequuntur.

208. Organa, si sonabitur illis pro qualitate ritus, cessabunt pulsari statim ac pervenerit Episcopus ad Altare.

209. Episcopus elata voce recitabit secretas omnes, easque recitabit etiam Consecratus, qui simul cum ipso concelebrabit

210. Una tantum hostia praeparabitur et infundetur in calicem quantitas vini sufficiens pro Communione utriusque.

211. Benedictio thuris cum precibus pro thurificatione oblatorum et Altaris praescriptis, recitabuntur tantum ab Episcopo consecrante.

212. Postquam Diaconus thurificaverit Consecrantem, incensabit Consecratum, post eum duos Episcopos assistentes, qui thurificationem accipient retinentes mitram in capite, eam tamen post thurificationem statim dimittent.

213. Consecrans non ante actionem istam lavabit manus.

214. Ad *Orate fratres*, Consecratus osculabitur Altare, sed non convertetur ad populum.

215. Praefatio, *Pater noster* et *Pax Domini* cantabitur a Consecrante, Consecratus autem recitabit illa elata voce, sequens cantum.

216. Postquam Consecratus et Consecrans recitaverint *Sanctus* et *Agnus Dei*, cantabitur utrumque a choro, postea continuabitur Missa elata voce.

217. Consecrans pacem praebebit Consecrato, deinde Ministris et Assistentibus, ut praescriptum est in Missa pontificali solemni.

218. Exceptis hisce peculiaribus animadversionibus, de reliquo Missae Consecrans et Consecratus peragent quae iam descripta fuerunt cap. praeced. num. 138.

219. Advertetur etiam, ut cantores cantent ℣. *Communio*, postquam illum legerint Consecrans et Consecratus.

220. Postquam Consecrans donaverit benedictionem solemnem et publicata fuerit indulgentia a Presbytero assistente, reponetur faldistorium in medio suppedaneo Altaris et in eo sedebit Episcopus consecrans, qui baculum dimittet et a lateribus suis habebit Diaconum et Subdiaconum.

221. Cappellanus a libro meminerit recipere ex abaco Pontificale, praesentandum Episcopo, ut infra.

222. Presbyter assistens cum Diaconis assistentibus se recipient ad loca sua.

223. In promptu erunt Cappellani Consecrati cum mitra, cum chirothecis et cum baculo et clericus cum vasculo aquae sanctae et aspersorio.

224. Sedente Episcopo, deducetur ante ipsum ab Episcopis assistentibus Consecratus, qui reverentia facta contextim ad Crucem Altaris et ad Episcopum ipsum, geniculabit ante Consecrantem eumdem.

225. Caeremoniarius vel unus ex Cappellanis imponet capiti Consecrati pileolum.

226. Nisi benedicta fuerit mitra, Diaconus mitram exuet Episcopo consecranti, qui assurget atque orationem super illam recitabit, post quam, accepto a Diacono aspersorio, asperget illam aqua benedicta, sedebit rursus et Diaconus reponet ei mitram. Notandum autem quod in benedictione mitrae et chirothecarum, Episcopi assistentes recitare orationes praescriptas non debent.

227. Episcopus mitram accipiet e manibus Diaconi: Episcopi assistentes vittas accipient eiusdem mitrae eamque imponent capiti Consecrati, recitantes formulam *Imponimus, Domine* etc.

228. Caeremoniarius vel alter Cappellanus tollet annulum Consecrato.

229. Chirothecas, nisi benedictae fuerint, benedicet Episcopus, ut supra de mitra.

230. Episcopus a Diacono accipiet chirothecam dexteram et adiuvante primo Episcopo assistente, imponet illam dexterae Consecrati, deinde a Diacono eodem accipiet sinistram, quam adiuvante secundo Episcopo assistente induet sinistrae

Consecrati, recitans interea cum eisdem Episcopis assistentibus formulam *Circumda Domine* etc.

231. Diaconus annulum Consecrati tradet Episcopo, qui eius digito inseret illum.

232. Assurget Episcopus consecrans: primus Episcopus assistens ad sinistram Consecrati accedet, secundus recedet aliquantulum versus partem Evangelii super gradus ipsos Altaris.

233. Episcopus consecrans accipiet Consecratum per manum dexteram, primus Episcopus assistens per manum sinistram, ille autem assurget et deducetur ab eis sessum ad faldistorium. Post haec Episcopus consecrans, acceptum e manibus Diaconi baculum pastoralem tradet Consecrato, qui sinistra illum recipiet.

234. Subdiaconus, statim ac de faldistorio surget Episcopus, meminerit transire in latus Evangelii.

235. Consecrato inthronizato ab Episcopo consecrante, Diaconus Consecranti exuet mitram.

236. Episcopi assistentes sibi ipsi exuent mitram et consistent prope Consecrantem, videlicet primus a dextris eius in gradu infra suppedaneum, secundus a dextris primi Assistentis efficientes cum eodem quamdam ferme lineam, habentes Altare a sinistris suis.

237. Diaconus et Subdiaconus stabunt a tergo Episcopi consecrantis.

238. Episcopus intonabit *Te Deum* et cantores prosequentur; poterit adiungi organorum sonus, licet id non sineret ritus Missae.

239. Intonito *Te Deum*, Episcopi assistentes sibi mitram capiti reponent et descendent ante Altare, Consecratus surget de faldistorio, de Altari descendet, convertetur ad ipsum, et reverentia facta cum praedictis Assistentibus ad Crucem Altaris et ad Consecrantem, Assistentes, exeuntes de Presbyterio, medium inter se deducent Consecratum, qui egressus de presbyterio, dextera aperta benedicet adstantes. Tres praedictos Episcopos praecedent duo saltem Cappellani et sequentur quatuor alteri Cappellani.

240. Ad ℣ *Te ergo quaesumus* geniculabunt Episcopus, Ministri et reliqui. Si Consecratus et Episcopi assistentes rediverint ad Altare ante versiculum praedictum, morabuntur ante Altare et ad cantum versiculi illius, mitra dimissa, genuflectent in infimo gradu super pulvinos ibi appositos.

241. Episcopi assistentes ante Altare reversi, sibi exuent mitram et una cum Consecrato reverentiam conficient ad Crucem Altaris et Consecrantem.

242. Consecratus ascendet ad Altare et sedebit faldistorio; Episcopi assistentes stabunt prope Consecrantem, ut in intonatione hymni *Te Deum*.

243. Completo cantu *Te Deum*, Consecrans intonabit antiphonam *Firmetur*, quam prosequentur cantores cum *Gloria Patri*.

244. Antiphona a cantoribus repetita, Episcopus consecrans cantabit ℣. *Domine exaudi* etc. *Dominus vobiscum* et orationem *Deus omnium* etc. quae recitabitur etiam ab Episcopis assistentibus.

245. Cantata praedicta oratione, Consecratus dimittet baculum, assurget et super sinistram suam convertetur ad Altare, a clerico aliquo remoto faldistorio. Deinde osculabitur Altare et impertietur benedictionem, cantans *Sit nomen Domini* etc. ac priusquam dicat *Pater*, accipiet baculum sinistra et benedicet adstantes trina benedictione.

246. Benedictione a Consecrato impertita, Diaconus reponet mitram Episcopo consecranti, et Episcopi assistentes sibi rursus reponent mitram conversi ad Consecratum.

247. Consecratus, nec mitram nec baculum dimittens, transibit in latus Epistolae super suppedaneum et conversus ad Consecrantem geniculabit et cantabit *Ad multos annos*, tono in Pontificali notato. Id repetet secunda vice in medio Altari super ipsum suppedaneum et conversus ad Consecrantem, vocem tamen efferens hemitonio, postremo repetet verba eadem tertia vice, altero etiam hemitonio efferens vocem, genuflexus ante Consecrantem. Assurget ac dimisso pastorali, amplexum accipiet a Consecrante, deinde a duobus Episcopis assistentibus.

248. Post amplexum Consecratus de Altari descendet me-

dius inter Episcopos assistentes, et cum ipsis salutabit Crucem Altaris et Consecrantem. Procedent iunctim ad Altare seu Cappellam minorem, ubi dimisso baculo et mitra, facta etiam reverentia ad Crucem Altaris huius, ascendent in suppedaneum.

249. Si Consecrans fuerit Archiepiscopus, postquam responderit salutationi Consecrati et Episcoporum assistentium, convertetur ad Altare et Diaconus exuet ei mitram, deinde S. Pallium, quod super Altare deponet. Si usu Pallii non gaudebit, Diaconus exuet ei mitram tantum.

250. Consecrans incipiet ultimum Evangelium S. Ioannis et signabit Altare, postea Diaconus reponet ei mitram. Recepto pastorali, recitans Evangelium praedictum redibit in thronum, medius inter sacros Ministros, praeeunte Presbytero assistente, et sequentibus Diaconis assistentibus et Cappellanis a mitra, baculo etc. Absoluto autem Evangelio, sacra paramenta dimittet.

251. Consecrans recitabit integrum Evangelium idem in suo Altari, tum descendet inde cum Episcopis assistentibus, salutabit Crucem eiusdem Altaris et sedens scabello, a Caeremoniario et Cappellanis suis exuetur sacris paramentis, annulo nempe, chirothecis, mitra, manipulo, planeta et reliquis: postmodum induetur mantelleto et mozzeta.

252. Episcopi assistentes etiam exuent paramenta et resument mantelletum et mozzetam.

253. Canonici paramenta dimittent et recipient habitum choralem. Praesto erunt clerici cum canistris allaturi indumenta praedicta et recepturi paramenta.

254. Episcopus, exutus paramentis rursus induet cappam, deinde a Subdiacono dementur ei caligae et scandalia, ut in Missis pontificalibus.

255. Id ipsum fiet Consecrato a Cubiculario suo.

256. Tum Consecrans, cum Consecratus recitabunt preces ad gratiarum actionem.

257. Interim referentur quatuor pulvini super gradum infimum in usum Episcoporum, qui peracta gratiarum actione, orabunt apud Altare maius, postea ad SS. Sacramenti, eodemque ordine, quo accesserunt, de ecclesia discedent.

DE PLURIUM EPISCOPORUM CONSECRATIONE.

CAPUT VI.

1. Fieri quandoque potest, ut eodem die et ab eodem Episcopo consecrante peragenda sit Consecratio Episcoporum plurium electorum.

2. Super methodum, sequendam in circumstantia ista, quasdam regulas generales tradere, censemus opportunum, quin repetamus eadem, quae duobus praecedentibus capitulis fuse tradita sunt.

De rebus praeparandis.

3. Ad Altare SS. Sacramenti praeparabitur genuflexorium cum strato et pulvinis, quod sufficiens sit pro cunctis Episcopis.

4. Relate ad ornatum et ad praeparationes in Altari maiore, nihil variandum occurrit. Dabitur opera tantum, ut augeatur ante Altare ipsum pulvinorum numerus, qui numero Episcoporum respondeat.

5. Praeparabitur Altare unum, quod augebitur in longitudinem, prout opus fuerit. Quamquam plures sint Episcopi consecrandi, Altare instruetur Cruce et quatuor tantum candelabris cum cereis. Super mensam tamen praeparabitur pro singulis Episcopis legile cum Missali et paramenta iam pro Episcopo notata; quo autem ordine disponenda sint, docebitur inferius.

6. Ante idem Altare ponentur tot scabella quot erunt Episcopi, comprehensis duobus Assistentibus, quorum numerus nunquam augetur, licet plures sint Electi Consecrandi.

7. Praeparabitur etiam pro singulis Electis Canon pontificalis, ex quo quisque leget praeparationem ad Missam et gratiarum actionem post Missam.

8. Quod attinet ad apparatus abacorum, nil prorsus immutatis quae superioribus capitulis tradita sunt, dabitur opera, ut hostia adhibenda in Missa sit formae maioris, quam consuetae, eo quod illius dimidium dividendum sit in tot particulas, quot erunt Episcopi consecrandi; itemque maioris formae erit calix et praeparabitur una pluresve ampullae vini, quod satis esse possit ad Communionem Episcoporum eorumdem.

9. Aderunt etiam faldistoria plura cum vestibus albis, pro numero Episcoporum, et adhibebuntur in eorum inthronizatione in exitu functionis. Quocirca curabitur, ut in longitudinem augeantur gradus Altaris maioris et eius quoque mensa, ut commode possint Episcopi consecrati manere apud ipsum, tum in concelebratione, tum etiam in inthronizatione praedicta.

10. In abaco Electi sive Electorum praeparabitur, praeter ea quae ibidem notata sunt, urceus, pelvis et mantile pro singulis Episcopis, ac si numerus respondens haberi non posset, urceus unus adhiberi poterit pro duobus ac tribus etiam Episcopis eoque casu manutergium seu mantile erit ingens, vel etiam singula mantilia in singulos Episcopos; insuper aderunt chirothecae albi coloris, mitra, caligae, sandalia et annulus pro unoquoque illorum, atque expediet, ut haec sint signata, ut quisque possit uti illis, quae sunt ei propria seu magis idonea. Praeparabuntur etiam pro singulis Episcopis binae vittae, purificatoria singula ad abstergendum caput et singuli calices cum purificatoriis pro purificatione eorumdem.

11. Relate ad oblationes, in promptu erunt pro singulis Electis intorticia, panes et doliola, vel etiam quae adhibebit unus, poterunt iis uti et alteri, ut loco suo docebitur.

12. Prope abacum eumdem praeparabuntur pulvini sufficienti numero propter prostrationem et baculus pastoralis pro unoquoque Episcopo consecrando.

13. In Sacrario autem numerus sedium (si illuc Episcopi congregabuntur) respondeat ipsorum numero, itemque superpellicia pro Cappellanis.

14. Si Episcopi assistentes et Electi in accessu ad ecclesiam expectabunt Episcopum consecrantem in ipsius ecclesiae limine (prout in antecessum statutum erit) Assistentes stabunt a sinistra portae. Assistens primus stabit prope portam, secundus a sinistris primi; a sinistris secundi Assistentis, primus Episcopus Electus; a sinistris huius, secundus atque ita porro.

15. Si Electi et Assistentes in accessu ad ecclesiam coibunt cum Consecrante, servabitur methodus sequens. Si duo fuerint Electi, Consecrans ibit medius inter eos, a dextris eius primus Assistens, a sinistris Assistens secundus; primus Electus a dextris primi Assistentis, secundus a sinistris Assistentis secundi. Si Electi tres fuerint numero, Consecrans incedet medius inter Assistentes, quorum primus a sinistris eius, a dextris autem secundus: Electus primus a sinistris primi Assistentis, Electus secundus a dextris Assistentis secundi, tertius Electus a sinistris primi Electi. Si plures fuerint Electi methodus eadem servabitur.

16. In adoratione SS. Sacramenti et in brevi oratione apud Altare maius, eumdem ordinem servabunt, ut incedentes per ecclesiam.

17. Quoad praeparationem ad Missam, sive functio celebretur cum cantu sive fiat sine cantu, servabitur quidquid traditum est capitulis superioribus. Nisi ad manus erit sufficiens numerus Canonum pontificalium, unus illorum poterit adhiberi a duobus Episcopis.

18. Caligae et sandalia induentur unicuique Electo a respectivis cubiculariis, quando eis innuetur a Caeremoniario, quum actio ista dependeat etiam a modo quo tractabitur functio, nempe cum cantu aut sine ipso.

19. Electi lavabunt manus et relate ad urceum et pelvim observabitur quod superius dictum est de Canone. Deinde respectivi Cappellani Electos induent sacris paramentis.

20. Postquam Consecrans ascenderit ad Altare et Electi cum Assistentibus ituri erunt ante Altare maius, non immutabunt locum, id enim posset ordinem turbare; sed quo loco

erunt tam Assistentes, quam Electi convertentur ad Crucem Altaris sui, conficient reverentiam, deinde eodem ordine, quo stabunt, procedent ante Altare maius.

21. Electi in examine sedebunt ad unam eamdemque lineam e regione Consecrantis, Assistentes autem facie aliquantulum ad invicem conversa, ut notatum est capitulis praecedentibus.

22. Si Electi praestituri erunt iuramentum, genuflectent iunctim ordine eodem super infimum gradum ante Episcopum consecrantem, ante quem positum erit scabellum cum libro continente formulam iuramenti. Dignior Electorum formulam leget elata et clara voce; qua lecta, unus ex Cappellanis amovebit scabellum cum libro et Consecrans super genua sustinebit Missale apertum. Electus primus manus extensas imponet super Missale ac dicet *Sic me Deus adiuvet* etc. Assurget, salutabit Episcopum et sedebit scabello suo. Electus secundus geniculabit ante Consecrantem ac dicet - Et ego N. Electus Ecclesiae N. iuro in omnibus et per omnia, ut supra, in forma iuramenti iam lecta, facere et observare pro ecclesia N. mihi commissa - Tum imponet manus super Missale ac dicet - Sic me Deus adiuvet etc. - Assurget, salutabit Consecrantem et sedebit scabello suo. Haec eadem deinceps exsequentur singuli, qui supererunt . Si inter Electos adesset quidam destinatus Ecclesiae *in partibus infidelium,* recitabit formulam iuramenti, sed omittet legere quae respiciunt Episcopos residentiales.

23. Sedentibus post iuramentum Electis, Consecrans leget examen *Antiqua Sanctorum Patrum* etc. singulari numero. Ad responsa unusquisque Electus, unus post alium, assurget, nudabit caput et respondebit ut in Pontificali: Consecrans tantum plurali numero dicet - Haec omnia et cetera bona tribuat vobis Dominus etc. - et reliquum - Haec vobis fides augeatur a Domino etc. -

24. Electi, unus post alium, initio facto a seniore, osculabuntur manum Consecrantis, recedent versus latus Evangelii, ut stent a sinistris Consecrantis et in ordinem disponentur, ut infra.

25. Consecrans descendet de Altari et conversus ad ipsum,

incipiet Confessionem. Electi respondebunt, stantes omnes a sinistris eius hoc ordine. Electus primus stabit a sinistris Consecrantis, secundus Electus a sinistris primi, tertius a sinistris secundi, quartus a sinistris tertii et sic de reliquis, si aderunt.

26. Quum Consecrans ascendet ad Altare, Electi se disponent eodem ordine, quo erant principio, dum processerunt ante Altare maius, et reverentia facta ad Altare, redibunt ad Sacellum suum, sedebunt scabellis et exuti pluviali, a Cappellanis suis induentur aliis paramentis ibidem indicatis.

27. Postquam Electi induti fuerint paramentis missalibus, quum ascendere debeant ad Altare suum, servabunt methodum sequentem ad confusionem vitandam. Consurgent itaque cum Assistentibus et convertentur ad Altare suum; Assistens primus, qui aderit a latere Evangelii, transibit super suppedaneum et veniet in latus Epistolae; prope Assistentem primum ibit Electus, qui sedebat a sinistris eius, et consistet in latere Epistolae ad Missale praeparatum; prope Electum praedictum ibit alter qui sedebat a sinistris eius, et accedet ad Altare versus latus Epistolae et consistet a sinistris Electi, qui stabit prope Assistentem primum, eodemque modo reliqui ac postremo ibit secundus Assistens, qui consistet in latere Evangelii. Quando autem redire ante Altare ipsum debebunt, se movebit primus Assistens, post eum Electus qui proximus erit ei, deinceps reliqui et ultimo secundus Assistens.

28. Ad admonitionem *Episcopum oportet* etc. Assistentes et Electi se disponent ut in examine.

29. Invitatio ad orationem recitabitur plurali numero, videlicet *Oremus fratres carissimi, ut his Electis utilitati Ecclesiae providens.* etc.

30. Ad Litanias procumbent Electi a sinistris Consecrantis ordine isto; Electus primus a sinistris Consecrantis, secundus Electus a sinistris primi, tertius a sinistris secundi et ita porro, si qui supererunt.

31. Formula benedictionis in Litaniis dicetur plurali numero, *Ut hos praesentes Electos.*

32. Impositio Evangelii super scapulas et impositio manuum super caput cuiusque Electi fiet successive singulis. Ita-

que primus ascendet ad Altare, geniculabit ante Consecrantem, accipiet utramque impositionem, descendet ante Altare ibique in genua procumbet. Deinde secundus, tum tertius et ita porro.

33. Praefatio cantabitur plurali numero et durante cantu illius, Electi aderunt genuflexi ante Altare eodem ordine, quo erant tempore Examinis.

34. In unctione capitis cuiusque Electi fiet ut in impositione manuum.

35. Post secundam praefationis partem, quae cantabitur etiam numero plurali, fiet unctio manuum primi Electi, tum secundi et deinceps reliquorum.

36. Expleto cantu psalmi *Ecce quam bonum* et repetita in cantu antiphona *Unguentum* etc. ascendet ad Altare primus Electus et genibus flexis accipiet baculum, annulum et Evangelium atque admittetur ad amplexum. Descendet de Altari et consistet loco suo, stans in pedes. Tum ascendet Electus secundus, qui et ipse, ut primus, accipiet baculum, annulum Evangelium atque amplexum, et sic deinceps reliqui.

37. Peracta omnium consecratione, Electi redibunt ad Altare suum, Cappellani abstergent eorum caput, lavabunt manus et exsequentur quidquid praescriptum superioribus capitulis fuit.

38. Ad praesentandas oblationes methodus sequens servabitur. Si obiecta oblationum erunt propria singulis Episcopis, curabitur, ut disponantur eorum delatores ita ut possint commode se adiungere proprio Episcopo: sin autem praedicta obiecta fuerint unica et in usum omnium, delatores disponentur quo modo innutum est capitulis superioribus. Itaque Consecrati, lecto Offertorio, redibunt ante scabella sua methodo superius tradita. Sedente Consecrante faldistorio in medio Altari, duo Episcopi assistentes mitra caput operient et medium inter se primum Consecratum deducent ante Consecrantem. Primum Consecratum sequentur Cappellani quinque, deferentes intorticia, panes et doliola. Tum secundus Consecratus, quem item sequentur Cappellani sui deferentes obiecta modo nominata propter oblationem. Pari modo tertius Consecratus cum Cappellanis suis, ut supra, et sic reliqui si aderunt.

39. Quod si obiecta primi Episcopi Consecrati adhibenda essent etiam a ceteris Episcopis, secundus, tertius ceterique Episcopi Consecrati sequentur primum, ut supra, non vero habebunt apud se Cappellanos praedictos.

40. Quum ante Consecrantem venerit primus Episcopus cum Assistentibus, consistent isti in plano ante gradus Altaris et Consecratus, conscensis gradibus, geniculabit ante Consecrantem. Cappellani cum oblationibus incedent a dextris Consecrati, eique tradito obiecto praesentando, dextere transibunt ad sinistram eius ut obiectum ipsum recipiant e manibus Consecrantis, relaturi illud ad abacum. Si tamen res, ab uno adhibitae, ab aliis etiam adhibebuntur, non referentur ad abacum, sed Cappellani receptis obiectis e manibus Consecrantis redibunt in latus Epistolae prope medium Altaris, ut praesto sint ad ea tradenda successive reliquis Episcopis.

41. Episcopus primus consecratus, praesentatis oblationibus, assurget ac recedet in latus Epistolae et in eius locum succedet secundus Episcopus consecratus, qui suam oblationem peraget, ut primus, idemque facient reliqui.

42. Episcopi consecrati aderunt apud Altare post Offertorium eodem ordine, quo innutum est in Litaniis, videlicet Episcopus primus adstabit propius dexteram Consecrantis, secundus Episcopus a dextris primi Consecrati, tertius Episcopus a dextris secundi atque ita reliqui si aderunt.

43. Advertetur ut infundatur in calicem quantitas vini sufficiens, quae satis esse possit tam Consecrantis, quam Consecratorum communioni.

44. Advertent etiam Episcopi, ut verba Consecrationis proferant iunctim cum Consecrante.

45. Pax a Consecrante donabitur unicuique Episcopo consecrato et quisque Episcopus consecratus donabit eam singulis Assistentium.

46. Consecrans meminerit dividere integrum dimidium Hostiae in tot aequales particulas, quot erunt Episcopi consecrati.

47. Unusquisque Episcopus se communicabit prius Hostia, dein Calice; advertent autem in sumendo calice, ut supersit

quod sumant reliqui; Episcopus ultimus sumet totum. Postquam Communionem acceperint, quisque Episcopus se purificabit ex calice, qui praeparatus erit pro singulis ipsorum.

48. Post Communionem, quando Episcopi transibunt in alterum latus Altaris, primus ipsorum aderit prope medium, secundus a sinistris primi, tertius a sinistris secundi, atque ita reliqui, si aderunt.

49. Benedictione Missae a Consecrante donata, reponetur faldistorum in medio Altaris, ut sedeat Consecrans.

50. Cappellani cuiusque Episcopi accipient chirothecas et mitras cum pileolis eorum, ab eisdem imponetur pileolus capiti Consecrati cuiusque.

51. Assistentes deducent ante Consecrantem primum Episcopum consecratum, cui ipse imponet mitram et chirothecas cum annulo. Deinde idem Episcopus primus assurget, descendet de gradibus et consistet in pedes ante Altare. Duo Assistentes ducent ante Consecrantem secundum Episcopum, cui pariter imponet mitram et chirothecas ut primo. Hoc ipsum fiet ceteris.

52. Interim a respectivis Cappellanis in promptu habebitur faldistorium et baculus pastoralis adhibendus a singulis Episcopis.

53. Postquam mitra, chirothecae et annulus impositus erit Episcopis omnibus, Consecrans assurget ac recedet in latus Evangelii.

54. Cappellani Episcoporum consecratorum ponent faldistoria in suppedaneo et faldistorium adhibitum a Consecrante, erit in loco digniori.

55. Episcopi consecrati stabunt unus post alium ante Altare, iuxta ordinem consecrationis.

56. Collocatis, ut supra, faldistoriis, accedet ad Altare Episcopus primus: Consecrans accepta eius dextra ac primus Assistens sinistra, ducent eum sessum ad faldistorium quo ordine docebitur infra. Inthronizato Episcopo primo Consecrans tradet baculum pastoralem in sinistram. Postea sessum ducet secundum, ut supra, eique tradet baculum, itemque tertium et reliquos, si aderunt.

57. Quod ad ordinem sedendi, Episcopi regulam sequentem observabunt. Si duo fuerint Episcopi, primus sedebit versus latus Evangelii, secundus a sinistris primi versus latus Epistolae. Si tres fuerint Episcopi, primus sedebit in medio, secundus a dextris primi, tertius a sinistris primi. Si fuerint quatuor, primus habebit a sinistris suis secundum, a dextris tertium; quartus autem adstabit secundo a sinistris, et idem servabitur ordo si plures numero fuerint.

58. Intonito a Consecrante *Te Deum*, duo Assistentes procedent ante Altare, primus videlicet in latus Evangelii, secundus Assistens versus latus Epistolae. Episcopi consecrati consurgent iunctim et quin mutent locum, descendent de Altari seque adiungent Assistentibus. Servantes locum eumdem, convertentur ad Altare, reverentiam conficient ad Crucem et ad Consecrantem, dein convertentur versus populum eoque modo procedentes ad lineam, incedent per ecclesiam et benedicent adstantes.

59. In reditu ad Altare, subsistent ante ipsum et expectabunt dum cantetur ℣. *Te ergo quaesumus,* ut genuflectant, si nondum cantatus fuerit. Sin autem versiculus iste cantatus iam fuerit, post reverentiam ad Crucem et Consecrantem, unus post alium sessum redibunt ad faldistorium, ut supra traditum est, et Assistentes recedent apud Consecrantem.

60. Cantata plurali numero a Consecrante oratione *Deus, omnium fidelium pastor* etc. consurgent Episcopi de respectivo quisque faldistorio, in quo sederant, et unus post alium descendent in planum a latere Altaris in partem Epistolae. Episcopus primus stabit propius Altari, secundus a sinistris primi, tertius a sinistris secundi et ita porro.

61. Cappellani amovebunt faldistoria de suppedaneo et reponent illa seorsim.

62. Amotis a suppedaneo faldistoriis, ascendet ad Altare ipsum primus Episcopus consecratus, qui benedictionem impertietur, deinde acclamationes faciet Consecranti.

63. Quando Episcopus primus benedictionem donabit, ceteri Episcopi mitra nudabuntur a Cappellanis suis et ad benedictionem perstabunt in pedes.

64. Postquam primus Episcopus acceperit amplexum a Consecrante et ab Assistentibus, descendet de Altari et consistet in latere Evangelii.

65. Tunc ad Altare ascendet Episcopus secundus, qui donabit benedictionem, deinde acclamationes faciet, ut primus.

66. Episcopus primus ad benedictionem, quam donabit secundus, nudabitur mitra a Cappellano suo; hoc ipsum exsequentur reliqui.

67. Episcopus secundus, postquam amplexum, ut supra, acceperit, descendet in latus Evangelii et consistet a dextris primi Episcopi.

68. Ascendet ad Altare tertius Episcopus, qui benedictionem impertietur, acclamationes faciet et post amplexum consistet a dextris secundi. Id ipsum fiet respective a ceteris.

69. Postquam Episcopi omnes donaverint benedictionem, acclamationes fecerint et admissi fuerint ad amplexum, una cum Assistentibus redibunt ante Altare, ordine saepius innuto, conficient reverentiam ad Crucem et Consecrantem et revertentur ad Altare suum. Ibi dimittent baculum et mitram ac methodo iam demonstrata legent ultimum Evangelium: deinde reversi ante scabella respectiva, mitra in capite et baculo sinistra resumpto, salutabunt Consecrantem, qui accedet ad thronum vel ad faldistorium, dimissurus vestes sacras.

70. Adiuvantibus Cappellanis suis, dimittent sacra paramenta ac resumpto mantelleto et mozzeta, exuentur sandaliis et caligis a Cubiculariis suis, atque ut in principio, legent e Canone pontificali preces gratiarum actionis.

71. Postremo quo ordine accesserunt ad ecclesiam, discedent ex ipsa et Consecrati in limine ecclesiae ipsius approximabunt ad Consecrantem, cui gratias agent pro Consecratione quam ipsis impertitus erit.

QUAE SINT ANIMADVERTENDA SI CONSECRANS ESSET CARDINALIS, CONSECRANDUS AUTEM PRAESUL; SI CONSECRANS ET CONSECRANDUS ESSENT AMBO CARDINALES; SI CONSECRANS ESSET PRAESUL, CONSECRANDUS VERO CARDINALIS.

CAPUT VII.

§. 1.

1. Si Consecrans erit Cardinalis et Consecrandus erit Praesul, poterit Consecrans uti throno in praeparatione ad Missam, in induendis ac dimittendis paramentis sacris et in recitandis precibus gratiarum actionis.

2. Praeparabitur ad Altare SS. Sacramenti genuflexorium cum strato et pulvinis pro Cardinali, et in pavimento a lateribus genuflexorii pulvini tres pro Electo et Assistentibus.

3. Ad Altare maius praeparabitur faldistorium cum pulvinis pro Cardinali, ante illud, et in pavimento Presbyterii a lateribus eiusdem faldistorii, pulvini tres pro Electo et Assistentibus. Doliolis autem et panibus apponetur stemma tantum Consecrantis.

4. Aequum esset, ut Electus et Assistentes convenirent in residentiam Cardinalis, coituri cum ipso ad ecclesiam. Si hoc fieri non posset, expectabunt eum in limine ecclesiae, ut notatum est in capitulis superioribus.

5. Cardinalis, quum steterit in limine ecclesiae, induet cappam et aspersorio accepto a Superiore ecclesiae, signabit seipsum, deinde porriget illud primo Assistenti, secundo Assistenti et Electo. Si Cardinalis fuerit Episcopus ordinarius, asperget etiam adstantes, sin minus, restituet aspersorium Superiori ecclesiae et abstinebit aspergendo adstantes.

6. In accessu ad ecclesiam et incedendo in ipsa, praecedet Cardinalis et post ipsum Episcopi, servato ordine antiquitatis, videlicet primus Assistens in medio, secundus a dextra primi et Electus a sinistra primi.

7. Ad Altare SS. Sacramenti, Cardinalis geniculabit in genuflexorio et Episcopi in pulvinis ad hanc rem praeparatis in pavimento, videlicet primus Assistens a sinistra genuflexorii, secundus Assistens a dextra genuflexorii et Electus a sinistra primi Assistentis.

8. Eadem methodus servabitur in brevi precatione ante Altare maius: de oratione autem assurgens cum Episcopis, Cardinalis salutabit Crucem, dein Episcopos et procedet ad thronum, si aderit, vel ad faldistorium positum in latere Epistolae. Tunc duo Assistentes medium inter se accipient Electum eumque ducent ad Sacellum sive Altare pro ipso praeparatum.

9. In functione nulla occurrit variatio.

10. Advertet primus Assistens, ut in formula postulationis dicat - Eminentissime ac Reverendissime Pater, postulat etc.

11. Electus, seu potius Consecratus quum daturus erit benedictionem in fine functionis, postquam cantaverit *Benedicat vos omnipotens Deus* et sinistra acceperit baculum pastoralem, convertetur ad Cardinalem consecrantem eique se inclinabit

12. In oratione ante Altare maius et ante Altare SS. Sacramenti et in discessu de ecclesia, servabitur methodus indicata in accessu.

§ 2.

13. Si Consecrans et Electus fuerint ambo Cardinales, ad Altare Sacramenti praeparabitur genuflexorium cum strato et pulvinis quatuor, nempe binis ad brachia et binis ad genua. Pro Episcopis assistentibus pulvini duo praeparabuntur a lateribus genuflexorii in pavimento.

14. Cardinalis consecrans, respectu Electi, non utetur throno, sed sedebit faldistorio in latere Epistolae ante gradus Altaris. Pro Electo in suo Sacello, loco scabelli praeparabitur sedes cameralis inaurata cum pulvinis rubri coloris, cum postergali sed sine fulcris, qua utetur quum sedendum erit. In ipso Altari seu Sacello Electi ponentur sex candelabra cum cereis et Cruce. Electus utetur chordula rubri coloris auro intexta, cui appensa erit Crux pectoralis, et scotula cum candela tem-

pore functionis. Super panes et doliola apponentur stemmata respectiva Electi et Consecrantis. Aderit etiam scabellum, adhibendum in prostratione, ut docebitur infra.

15. Electus se adiunget Assistentibus in diaeta Consecrantis, iturus iunctim ad ecclesiam.

16. Duo Cardinales incedent iunctim et induent cappam notando quod praecedentia inter eos desumenda est ex die assumptionis ad Cardinalatus dignitatem. Duo Assistentes sequentur duos Cardinales in accessu ad ecclesiam et in incessu per ipsam. Si Consecrans fuerit Archiepiscopus in sua dioecesi seu provincia, non iubebit ante se deferri Crucem archiepiscopalem, quae tamen praeparabitur in ecclesia, quoniam utenda erit ad benedictionem in exitu Missae. Cardinalis consecrans, si fuerit in dioecesi sua, rogabit alterum Cardinalem ut dextra benedicat adstantes: hic autem non patietur id fieri nisi ab Cardinali Episcopo ordinario. In ingressu ecclesiae Superior praesentabit aspersorium illi Cardinali, qui gaudebit praecedentia, hic autem porriget illud Cardinali alteri, deinde signabit seipsum, dabit illud tangendum Assistentibus, postremo si fuerit Episcopus ordinarius, asperget adstantes.

17. In adoratione SS. Sacramenti, Cardinalis uterque geniculabunt in genuflexorio et Assistentes in pulvinis ad hanc rem praeparatis extra genuflexorium, nempe Assistens primus a dextra, secundus a sinistra genuflexorii.

18. Hoc ipsum fiet in brevi oratione apud Altare maius, siquidem Cardinales geniculabunt in faldistoriis praeparatis et Episcopi in pulvinis.

19. Quum Cardinales ambo consurrexerint de oratione et confecerint reverentiam ante Crucem, se ad invicem salutabunt ac dirimentur. Consecrans perget ad faldistorium et Electus, adstantibus ei a lateribus duobus Assistentibus, accedet ad Cappellam suam.

20. Electus dum leget, utetur etiam scotula. Cappellani a libro tum Consecrantis, tum etiam Electi stabunt.

21. Si Electus utetur annulo cardinalitio, dimittet illum antequam lavet manus, neque amplius eum resumet in functione.

22. Familiares nobiles Consecrantis et Electi, qui respective ministrabunt lotionem manuum, quacumque circumstantia fungantur hoc officio, stabunt semper.

23. Electus, postquam paratus fuerit pluviali, caput bireto rubro cooperiet.

24. Advertet Consecrans, ut quando Electus procedet ad Altare, assurgat ac respondeat eius salutationi; quod etiam faciet quotiescumque Electus accedet ad Altare vel ab eo discedet.

25. In examine et in altera admonitione ante Litanias, Electus sedebit in eadem sede, qua usus erit in cappella sive Altari suo.

26. In postulatione primus Episcopus assistens utetur formula ista - Eminentissime ac Reverendissime Pater, postulat Sancta Mater Ecclesia Catholica, ut hunc praesentem Eminentissimum ac Reverendissimum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem ad onus Episcopatus sublevetis - Electus in actu postulationis stabit in pedes et capite detecto.

27. Iuramentum ab Electo praestabitur antecedenter. Quum responsurus erit in examine, non assurget, sed sedens caput aperiet ac respondebit. Post examen non osculabitur manum Consecrantis.

28. In Litaniis ponetur scabellum in gradu superiori Altaris a sinistris Consecrantis cum pulvinis duobus, uno ad brachia, altero ad genua, in quibus procumbet Electus.

29. In praesentandis oblationibus Consecratus stabit nec manum Consecrantis osculabitur.

30. In acclamationibus Consecratus stabit; cantans autem *Ad multos annos* se inclinabit Consecranti.

31. In reliqua functione peragentur omnia ea, quae respective praescripta sunt in capitulis superioribus.

32. In discessu de ecclesia observabitur quidquid innutum est in accessu.

§ 3.

33. Quod si Consecrans esset Praesul, Electus autem Cardinalis, locus erit animadversionibus sequentibus.

34. Apud Altare SS. Sacramenti praeparabitur genuflexorium cum strato et pulvinis pro Cardinali. Praeparabuntur etiam pulvini tres ad lineam genuflexorii super pavimentum pro Consecrante et Assistentibus.

35. Item ad Altare maius aderit in presbyterio faldistorium pro Electo et pulvini tres ad lineam faldistorii ipsius pro Consecrante et Assistentibus.

36. Electus, quamvis sit Cardinalis, non sedebit in throno. Episcopus consecrans, etiamsi esset Ordinarius, sedebit faldistorio, neque utetur scotula.

37. In Altari seu Cappella Electi ponentur candelabra sex cum cereis et Cruce; scabello substituetur sedes cameralis sine fulcris. Electus utetur chordula rubri coloris auro intexta, cui appensa erit Crux pectoralis, et scotula quando legendum erit. Panibus et doliolis apponetur stemma Electi solum.

38. Consecrans cum Assistentibus convenient in diaetam Electi et cum ipso descendent ad ecclesiam. Electus induet cappam, itemque Consecrans si fuerit Ordinarius, sin minus induet mantelletum et mozzetam. Assistentes utentur mantelleto et mozzeta. Si Consecrans erit Archiepiscopus et aderit in sua dioecesi seu provincia, non iubebit ante se praeferri Crucem Archiepiscopalem, quae tamen praeparabitur in ecclesia, ut adhibeatur ad benedictionem in exitu Missae.

39. In accessu ad ecclesiam praecedet Electus, post ipsum Consecrans cum Assistentibus. In limine ecclesiae Electus a Superiore ecclesiae ipsius accipiet aspersorium, quo signabit seipsum, illud porriget Consecranti et Assistentibus, neque ullo modo asperget adstantes, nisi fuerit Ordinarius.

40. Ad Altare SS. Sacramenti, Electus geniculabit in genuflexorio, Consecrans a sinistris, primus Assitens a dextris et Assistens secundus a sinistris Consecrantis extra genuflexorium super pulvinos praeparatos.

41. Id ipsum observabitur in brevi oratione ante Altare maius.

42. Quum Consecrans, Electus et Assistentes surrexerint de oratione et reverentiam confecerint ad Crucem, se ad in-

vicem salutabunt. Electus, adstantibus a lateribus eius duobus Assistentibus, procedet ad Cappellam sive Altare suum, Consecrans autem accedet ad faldistorium.

43. Consecrans non utetur scotula: Cappellanus vel clericus, qui sustinebit ei librum, stabit. Electus vero utetur scotula.

44. Si Electus utetur annulo Cardinalitio, dimittet illum antequam lavet manus, nec toto functionis tempore resumet ipsum.

45. Familiares nobiles Consecrantis, dum ei ministrabunt lotionem, stabunt in pedes, nec solum prima vice, sed etiam in reliqua functione.

46. Electus postquam paratus erit pluviali, caput operiet bireto rubri coloris.

47. Consecrans, si fuerit Archiepiscopus in sua dioecesi seu provincia, utetur S. Pallio.

48. Meminerit singulis vicibus assurgere Consecrans et respondere salutationi Electi, quando hic accedet ante Altare vel ab ipso discedet.

49. In examine et in admonitione ante Litanias, Electus sedebit in sede eadem, qua sederit in Cappella sive Altari suo.

50. In postulatione primus Episcopus assistens utetur formula sequenti - Reverendissime Pater, postulat Sancta Mater Ecclesia Catholica, ut hunc praesentem Eminentissimum ac Reverendissimum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem ad onus Episcopatus sublevetis - Electus in postulationis actu stabit in pedes et capite nudato.

51. Iuramentum praestabitur ab Electo antecedenter. Quando respondebit in examine, non assurget, sed sedens caput nudabit tantum ac respondebit. Post examen manum Consecrantis non osculabitur.

52. In Litaniis ponetur scabellum in gradu superiori Altaris, a sinistris Consecrantis cum pulvinis duobus, uno ad brachia, altero ad genua, super quos procumbet Electus.

53. In praesentandis oblationibus Consecratus stabit nec manum Consecrantis osculabitur.

54. In acclamationibus Consecratus stabit; cantans autem *Ad multos annos* se inclinabit Consecranti.

55. In reliqua functione observabitur totum id, quod superius exposuimus in capitulis respectivis.

56. In discessu denique de ecclesia servabitur methodus eadem, quae in accessu.

DE S. PALLII TRADITIONE ELECTO ARCHIEPISCOPO.

CAPUT VIII.

1. Archiepiscopus Electus, qui Romae non aderit, debet intra statutum tempus S. Pallium petere per Procuratorem suum. Quum autem receperit S. Pallium cum relativo Diplomate Pontificio, invitabit Episcopum aliquem, ut nomine Summi Pontificis imponat sibi Pallium et recipiat iuramentum fidelitatis. Aequum esset, ut actus impositionis fieret in ipsa ecclesia metropolitana, vel saltem in aliqua eiusdem dioecesis seu provinciae. Functio ista persolvenda est tempore matutino, quoniam hunc actum praecedere debet Missa, quae iuxta regulam celebranda esset ab Episcopo commissario.

De rebus praeparandis.

2. Ante Altare SS. Sacramenti praeparabitur genuflexorium cum strato et pulvinis pro Electo et Commissario. Ardebunt in Altari sex cerei saltem quando ibi orabunt ambo Episcopi.

3. Altare maius ornabitur sex candelabris cum cereis et Cruce simili candelabris, quae erunt plus minusve nobilia, iuxta ritum officii. Gradus cooperientur tapeto et apponetur pallium respondens colori officii. Si Episcopus commissarius celebrabit Missam, praeparabuntur in media mensa Altaris para-

menta missalia eius coloris, quem requirit officium diei, nempe planeta, stola, Crux pectoralis, cingulum, alba, amictus et versus latus Evangelii ponetur manipulus. In latere Epistolae aderit Missale cum legili seu cussino.

4. Ante Altare disponetur genuflexorium cum strato et pulvinis pro Electo et Commissario. In abaco a latere Epistolae disponentur quae opus sunt ad Missam, nempe calix cum purificatorio, patena, hostia, palla et corporale intra bursam; ampullae vini et aquae in pelvicula; campanula; intorticia pro elevatione; urceus cum pelvi et manutergium in lance; instrumentum pacis; canon pontificalis et scotula cum candela. Insuper praeparabitur stola cum pluviali albi coloris, mitra auriphrygiata et pontificale (pars I.) pro Commissario. Nisi hic celebrabit Missam, praeparabitur etiam amictus cum stola et pluviali albi coloris et scotula cum candela. Hoc casu quum Missa celebretur ab alio, praeparabuntur in Sacrario paramenta Missalia et super Altare disponetur Calix pro Celebrante.

5. In latere Epistolae ante gradus Altaris statuetur faldistorium instructum veste albi coloris pro Commissario, et prope abacum scabellum unum cum pulvino, Missali et Pontificali utendo in iuramento Electi.

6. In latere Evangelii praeparabitur abacus alter, in quo disponentur paramenta coloris albi ab Electo adhibenda, nempe caligae cum sandaliis, amictus, alba, cingulum, Crux pectoralis, stola, tunicella, dalmatica, planeta et manipulus albi coloris, mitra pretiosa et S. Pallium positum in pelvi inaurata contecta albo velo ac prope eamdem pelvim aderit lanx altera cum tribus spinulis.

7. Si Electus aderit in sua Metropolitana seu dioecesi seu provincia, ponetur thronus paratus albo colore et praeparabitur etiam Crux archiepiscopalis et baculus pastoralis. Si functio persolvetur extra locum iurisdictionis eius, ponetur faldistorium convestitum alba veste prope parietem presbyterii in latere Evangelii.

8. Canonici duo et Cappellani duo superpellicio induti assistent Commissario, quoad librum et scotulam.

9. Electo quoque assistent Canonici duo et clerici induti superpellicio, qui paramenta sacra ipsi ministrabunt.

10. In Sacrario, superpellicia pro inservientibus, vasculum aquae sanctae cum aspersorio, et paramenta pro Celebrante, nisi Missa a Commissario celebrabitur.

De functione.

11. Hora praestituta, si Electus aderit in sua Metropolitana, sonabitur campanula Sacrarii et Canonici procedent ad associandum eum, ut cap. IV. lib. V.

12. Nisi Missam celebrabit Commissarius, dum Capitulum proficiscetur ad associandos Episcopos, parabitur in Sacrario Celebrans, qui iunctis manibus procedet ad Altare, ibique expectabit dum Episcopi perveniant.

13. Commissarius aderit in diaeta Metropolitani, cumque ipso accedet ad ecclesiam. Electus, si erit in dioecesi seu provincia sua, induet rochetum cum mozzeta; Commissarius autem, quum sit extra iurisdictionem suam, utetur etiam mantelleto.

14. In accessu ad ecclesiam, Electus incedet a dextris Commissarii in casu expresso, secus si Commissarius aderit in dioecesi sua, incedet a dextris Electi.

15. In limine ecclesiae Electus aspersorium accipiet a digniore Capituli, porriget illud Commissario deinde signabit seipsum, tum asperget adstantes. Si tamen Commissarius deget in dioecesi sua, quod praescriptum est pro Electo, exsequetur ipse.

16. In accessu Episcoporum ad ecclesiam sonabunt festivo more campanae et organa quoque, si hoc patietur ritus officii, quod celebrabitur.

17. Adorabunt SS. Sacramentum, geniculantes in genuflexorio, ordine supra notato; deinde procedent ad Altare maius et reverentia ad Crucem facta, geniculabunt in genuflexorio ibi apposito.

18. Si Commissarius celebrabit Missam, statim ac genuflexerit in genuflexorio, se sistent ei duo Cappellani cum canone et scotula, ipse autem leget psalmos, preces et orationes ad praeparationem. Electus manebit genibus flexis loco suo.

19. Absolutis precibus supradictis, assurget Commissarius,

salutabit Electum, procedet ante Altare, ibique induetur vestibus sacris et celebrabit Missam. Librum Evangelii osculabitur Celebrans. Unus ex Cappellanis post *Agnus Dei*, accipiet ex abaco instrumentum Pacis, dabit illud osculandum Celebranti, deinde osculandum afferet Electo. Celebrans donans benedictionem in exitu Missae nullam inclinationem aut reverentiam faciet versus Electum.

20. Si Missa a Commissario non celebrabitur, Celebrans (qui oporteret ut esset Dignitas, vel saltem unus e Canonicis senioribus) aderit apud Altare, quum illuc advenient Episcopi, et facta ad eos reverentia, initium faciet Missae, quam prosequetur ritu praescripto cap. XXIII. lib. I. Librum Evangelii osculabitur dignior Episcoporum et pax praebebitur per instrumentum successive utrique.

21. Post consummationem, amoto calice de Altari, quicumque sit Celebrans, unus ex Canonicis Subdiaconis, iam indutus superpellicio, discedet de stallo suo, perget ad abacum in quo positum erit S. Pallium, accipiet utraque manu lancem cum Pallio et velo, deferet illam elatam ad altitudinem vultus sui et ponet super mediam mensam Altaris, coopertam, ut erit, velo eodem: clericus accipiet tres spinulas in lance easque afferet ad Altare cum Canonico Subdiacono et ponet prope Pallium.

22. Interim in promptu stabunt duo Canonici, quorum officium assistere Electo, aliique duo, qui assistent Commissario, et clerici functuri officia sua. Canonici praedicti erunt induti superpellicio. Ad pedem Crucis relinquetur Canon apertus pro benedictione.

23. Sacro peracto, assurget Electus, et comitantibus antedictis Canonicis, accedet ad thronum vel ad faldistorium suum, ut superius monuimus, ubi cum omni dexteritate detrahentur ei a cubiculario suo calcei usuales et inducentur caligae cum sandaliis, postea dimissa mozzeta, parabitur a Canonicis amictu, alba, cingulo, Cruce pectorali, stola, tunicella, dalmatica et planeta, imponetur brachio eius sinistro manipulus et cooperietur caput eius mitra pretiosa.

24. Commissarius, si celebraverit Missam, accedet ad faldi-

storium in latus Epistolae, ubi assistentibus et duobus aliis Canonicis, dimittet manipulum et planetam, stolamque etiam nisi fuerit albi coloris, et induet stolam cum pluviali albi coloris eique imponetur mitra auriphrygiata. Quod si Missam non celebraverit, accedet ad faldistorium, ut supra, ac dimissa mozzeta et mantelleto, induetur amictu, stola et pluviali albi coloris et cooperietur mitra auriphrygiata. Commissarius ibi sedens expectabit dum paretur Electus omnibus vestibus sacris superius descriptis.

25. Interim in promptu erit clericus translaturus faldistorium in suppedaneum Altaris, praeterea duo cum libro et scotula pro Commissario, et alter cum scabello, pontificali et pulvino, positurus haec ante Commissarium ipsum.

26. Electus, postquam imposita ei fuerit mitra, si fuerit in iurisdictione sua, baculum pastoralem sinistra accipiet ac descendet de throno vel discedet de faldistorio. Discedet eodem tempore de faldistorio Commissarius, et facta ad invicem reverentia inter Electum et Commissarium, hic procedet ante Altare, salutabit Crucem, ascendet in suppedaneum ac sedebit in faldistorio ibi posito in latere Epistolae, humeris ad Altare conversis.

27. Statim ac sederit Commissarius, clericus ponet ante ipsum in gradu superiori Altaris scabellum cum pontificali aperto et ante scabellum apponet pulvinum, in quo geniculaturus erit Electus.

28. Commissario, ut supra, sedente, procedet Electus ante Altare, dimittet baculum, si uti licebit, nudabitur mitra et reverentia facta ad Crucem Altaris et ad Commissarium, genua submittet ante illum et formulam iuramenti fidelitatis leget ex Pontificali ad titulum *De Pallio.* Circa finem lectionis eius, clericus unus in promptu habebit Missale apertum. Electus in legenda formula praedicta poterit uti scotula.

29. Postquam Electus legerit formulam, clericus amovebit scabellum cum pontificali, Commissarius autem acceptum Missale apertum sustinebit utraque manu in gremio suo et praesentabit ipsum Electo, qui libro impositis ambabus manibus, dicet *Sic me Deus adiuvet et haec Sancta Dei Evangelia.* Commissarius restituet Missale clerico, a quo acceperit.

30. Postea Commissarius assurget et appropinquans ad Altare amovebit velum a Pallio, accipiet Pallium ipsum utraque manu, advertens ut manu dextera accipiat partem duplicem illius, et recitans formulam *Ad honorem omnipotentis Dei* etc. imponet illud super scapulas Electi. Canonici duo supradicti, assistentes Commissario, advertent in actu isto, ut fimbrias pluvialis eius attollant. Commissarius ipse curabit, ut pars duplex Pallii, quam dextera tenebit, respondeat super humerum sinistrum Electi, ac priusquam illi imponat Pallium idem, porriget ei osculandam Crucem, quae aderit in parte posteriore Pallii. Commissarius item accipiet tres spinulas easque infiget Pallio, videlicet pectori, scapulae sinistrae et a tergo.

31. Electus, imposito ipsi S. Pallio, assurget et a clerico aliquo tolletur pulvinar, in quo genuflexerit. Commissarius autem, comitantibus duobus Canonicis supradictis, transibit in latus Evangelii supra suppedaneum Altaris, ubi exuetur ei mitra.

32. Unus ex Cappellanis Electi, seu potius Archiepiscopi, accipiet Crucem Archiepiscopalem et genuflexus in medio infimo gradu, sustinebit eam ante ipsum.

33. Electus seu Archiepiscopus ascendet ad Altare, quod osculabitur in medio, tum conversus ad Crucem Archiepiscopalem, benedictionem solemnem populo impertietur.

34. Benedictione ab Archiepiscopo impertita, discedet Cappellanus cum Cruce Archiepiscopali, et reponetur mitra Archiepiscopo atque Commissario, qui de Altari iunctim descendent et ante Crucem Altaris reverentiam conficient, deinde sibi ad invicem salutatione facta, redibunt ad sacras vestes dimittendas quo loco eas induerunt, ac resument eumdem habitum, quo induti accesserunt ad ecclesiam.

35. Postremo revertentur ad genuflexorium et brevi orabunt ante Altare SS. Sacramenti, eodemque ordine quo accesserunt, discedent de ecclesia, et ante Archiepiscopum praeferetur Crux Archiepiscopalis.

36. Si Pallii impositio fieret extra dioecesim seu provinciam Archiepiscopi, hic accepto Pallio, benedictionem non donabit, sed vestes sacras statim dimittet, ut supra, neque in discessu de ecclesia praeferetur ante ipsum Crux Archiepiscopalis.

37. Si Commissarius fuerit Cardinalis, aut si Commissarius Praelatus esset, Archiepiscopus autem Cardinalis observabitur, servata proportione, quod in talibus adiunctis traditum est de Consecratione Episcopi cap. VII. libri huius.

38. Conferatur Caeremoniale Episcoporum lib. I. cap. XVI. Pontificale Romanum parte I. tit. *de Pallio*, quibus diebus S. Pallium utendum sit.

DE BENEDICTIONE ABBATIS.

CAPUT IX.

1. In Pontificali Romano duplex praescribitur ritus pro Benedictione Abbatis; unus nempe de Abbate benedicendo *auctoritate Apostolica,* alter *auctoritate Ordinarii.*

2. Quia parvum inter utrumque extat discrimen, describemus tantummodo ritum pro benedictione Abbatis a Sede Apostolica constituti.

3. In ista autem benedictione omittemus totum id, quod ibi praescribitur de professione monastica Abbatis, siquidem in actuali disciplina Ecclesiae solet Abbas eligi Monachus iam professus.

4. Conveniens est, ut cum Episcopus, qui benedictionem impertietur, tum Abbas qui accepturus illam erit, ieiunium pridie servent. Notandum est etiam, quod Abbas Electus in benedictione sua debet divino Eucharistiae Sacramento muniri.

5. Benedictio haec die Dominico seu festivo persolvetur.

6. Describetur functio ista exsequenda sine cantu. Sequenti autem capitulo eadem functio describetur solemniter exsequenda cum cantu, servata methodo, qua usi sumus capitulis superioribus de Consecratione Electi in Episcopum.

De rebus praeparandis.

Ad Altare SS. Sacramenti.

7. Altare SS. Sacramenti erit distinctum a principali, in quo peragetur functio. Apponetur genuflexorium cum strato et pulvinis, ut cap. IV. lib. V. praeterea pulvini tres pro Electo ac duobus Abbatibus assistentibus, qui pulvini oportet ut sint e panno laneo, non sericeo.

8. Ardebunt in Altari cerei sex super candelabris maioribus, saltem quando ibi orabit Episcopus.

Ad Altare maius.

9. Gradus Altaris sternentur amplo tapeto: Altare ipsum instruetur tobaleis et pallio eius coloris, quem requirit officium, et desuper ponentur candelabra septem cum cereis et Crux ante septimum candelabrum, si Episcopus erit Ordinarius, sin minus, locus non est candelabro septimo. Si ritus officii patietur, poterunt candelabris interponi Reliquiaria aut vasa cum floribus.

10. Super mensam Altaris disponentur Episcopalia paramenta coloris officii currentis, videlicet planeta, chirothecae in lance, dalmatica, tunicella, stola, Crux pectoralis, cingulum, alba et amictus, quae paramenta cooperientur velo concolore ceteris paramentis.

11. Si Episcopus, qui functionem persolvet, erit Metropolitanus, non utetur S. Pallio, excepto casu quo benedictio incideret in diem, quo permitteretur usus eiusdem.

12. In latere Epistolae praeparabitur pulvinus vel legile cum Missali et utraque mitra, pretiosa nempe in latere Evangelii et auriphrygiata in latere Epistolae. Sed quibus diebus adhibetur color violaceus in vestibus sacris abstinebitur usu mitrae pretiosae, exceptis Dominicis III. Adventus et IV. Quadragesimae. Prope Missale aderit tabella cum oratione pro Electo, ut infra.

13. In latere Evangelii ponetur Missale clausum, signatum ad Missam currentem, quod osculabitur Episcopus, quum ascendet ad Altare, et cum Missali aderit etiam manipulus Episcopi.

14. Super infimum gradum praeparabitur pulvinus, in quo geniculabit Episcopus.

15. In plano presbyterii pulvini tres lanei pro Abbate Electo et Abbatibus assistentibus.

16. In latere Epistolae ante gradus collocabitur faldistorium pro Episcopo, instructum veste concolore ceteris paramentis.

17. In latere Evangelii constituetur alterum Altare, sufficienti intervallo ab Altari principali et a latere ipsius, instructum suppedaneo cooperto tapeto, pallio coloris quem requirit officium, lapide sacro cum tobaleis, et ornabitur Cruce ac quatuor candelabris cum cereis (*a*).

18. Super mensam Altaris huius ponetur legile cum Missali aperto et signato, sed ita inclinato, ut super ipsum possint disponi paramenta pro Electo. Missali inseretur tabella cum oratione pro Electo. Paramenta autem albi coloris pro Electo, quae ponentur super Missale, erunt manipulus, planeta, dalmatica, tunicella et Crux pectoralis aurea, sine ornatu gemmarum, quae clausas continebit Reliquias Sanctorum et appensa erit chordulae sericeae nigri coloris sine ullo auri ornamento, pontificale seu liber utendus in examine, pluviale, stola, cingulum, alba, amictus et superpelliceum. Paramenta haec erunt simplicia, neque ita ornata ut paramenta episcopalia.

19. Quod nisi Abbas gauderet usu Pontificalium, dalmatica, tunicella et Crux pectoralis non praeparabuntur.

20. Ad pedem Crucis Altaris ponetur apertus Canon pontificalis utendus in praeparatione et in gratiarum actione.

21. In lateribus Altaris huius disponentur paramenta pro Abbatibus assistentibus, videlicet mitra linea coloris albi, pluviale cum stola coloris officii et superpelliceum. Si Abbas benedicendus non gaudebit usu Pontificalium, praeparabuntur tantum pluvialia et superpellicea duo, adhibenda a Priore et Decano Monasterii, qui Electum comitabuntur et praesentabunt ante Episcopum.

22. Ante Altare istud ponentur scabella tria, aequalia

(*a*) Vide adnotationem num. 22. cap. IV. huiusce libri.

scabellis, quae in throno adhibentur, pro Electo et Assistentibus.

23. In eodem presbyterio statuentur abaci duo maiores, contecti alba tobalea, in quibus disponentur quae opus sunt, ut infra. Abacus in latere Epistolae erit in usum Episcopi, alter in latere Evangelii serviet Electo, et erit minor si usu Pontificalium Electus non gaudebit.

24. In abaco qui serviet Episcopo, in latere Epistolae, praeparabuntur candelabra duo cum cereis; Calix cum purificatoriis duobus, patena cum hostia et particula una, palla, corporale intra bursam; ampullae vini et aquae in pelvicula; campanula; cochleare ad infundendam aquam in calicem, si opus fuerit; urceus et pelvis cum mantili in lance; caligae cum sandaliis in lance pro Episcopo, gremiale concolor paramentis; canon pontificalis; scotula cum candela; pontificale (pars I.) intorticia pro elevatione. Prope abacum praeparabitur baculus pastoralis.

25. In altero abaco a latere Evangelii, qui serviet Electo, ponetur calix cum aliquanto vini et purificatorium, mappa linea propter Communionem, intorticia duo, totidem panes, alter inauratus, alter argentatus, doliola pari numero, alterum inauratum, alterum argentatum, super panes autem et doliola aderit stemma Episcopi et Monasterii; si Abbas gaudebit usu Pontificalium, caligae cum sandaliis sericeis albi coloris, non vero lamatis; chirothecae albi coloris sine opere phrygio; annulus cum unica gemma; mitra auriphrygiata cum pileolo laneo coloris nigri; ac si benedictio peragetur post emissum mandatum Apostolicum, praeparabitur in eodem abaco Mandatum seu Breve, tempore debito legendum.

26. Prope abacum eumdem praeparabitur scabellum, in quo genuflectet Electus in Missa, pulvini duo ex panno propter prostrationem, ac si gaudebit usu Pontificalium, praeparabitur pastorale cum velo appenso.

27. Loco opportuno statuetur legile cum Pontificali pro cantoribus.

28. Intra presbyterium, vel extra ipsum, nisi locus fuerit capax, praeparabuntur scamna contecta panno viridis coloris, quibus sedebunt Monachi, dum persolvetur functio.

29. Ad balaustrium seu cancellos Presbyterii disponentur fanalia sex cum intorticiis vel cereis.

30. Si benedictio fieret in Ecclesia monasterii, cui praeficitur Abbas, praeparabitur sedes choralis ornata strato et lodicibus consuetis, qua inthronizabitur novus Abbas.

In Sacrario.

31. Vasculum aquae sanctae cum aspersorio et superpellicia pro inservientibus.

De functione

32. Hora praestituta convenient in Sacrarium Monachi induti cucullo sive habitu, quo utuntur in assistendo fuctionibus. Aderit etiam Abbas benedicendus, una cum aliis duobus, eum praesentaturis Episcopo, indutis mantelleto et mozzeta eiusdem coloris, quo utuntur in habitu monastico. Si usu pontificalium Abbas non gauderet, qui duo Monachi comitabuntur Abbatem, induent habitum monasticum, ut ceteri. Clerici assistentes induent superpelliceum.

33. Quum perventurus ad ecclesiam erit Episcopus, praedicti duo Abbates, medium inter se habentes Electum, accedent in limen ecclesiae, sequentibus Monachis binis, senioribus prope Abbatem incedentibus. Accedet etiam clericus unus superpellicio indutus, qui deferet vasculum aquae benedictae.

34. Clerici induti superpellicio procedent ad Altare et consistent apud abacos in latere Epistolae et in latere Evangelii, iuxta officium cui delecti erunt.

35. In accessu Episcopi ad ecclesiam, sonabitur festivo more campanis, ac si licebit per ritum officii, sonabunt organa quoque.

36. Episcopus induetur cappa, si erit Ordinarius, secus mantelleto et mozzeta.

37. Subeunti limen ecclesiae Episcopo Abbas, si aderit in ecclesia sua, secus Superior porriget cum osculis aspersorium aqua sancta perfusum, qua ille signabit seipsum et asperget

adstantes. Nisi fuerit Episcopus ordinarius, adstantes non asperget.

38. Episcopus ingredietur in ecclesiam, sequentibus Abbatibus et Monachis ordine iam innuto, et adorabit SS. Sacramentum.

39. Episcopus geniculabit in genuflexorio, Abbates super pulvinos post Episcopum et Monachi post Abbates. Si Electus non gaudebit usu Pontificalium, pulvini minime apponentur.

40. Eodem ordine procedent ad Altare maius; Episcopus genua flectet in pulvino posito super infimum gradum, Abbates post Episcopum, Monachi autem accedent ad scamna pro ipsis praeparata.

41. Post orationem assurget Episcopus atque iterata ad Crucem reverentia, sessum veniet ad faldistorium, versis humeris ad Altare: Abbates etiam, medium inter se accipientes Electum, accedent ad alterum Altare ibi praeparatum et facta ad Crucem reverentia, sedebunt scabellis, humeris ad ipsum Altare conversis.

42. Episcopo assistent Cappellani duo superpellicio induti, caudatarius et quatuor soliti Cappellani a mitra, baculo, libro et scotula, induti et ipsi superpellicio: aderunt etiam alteri clerici duo, cum superpellicio, qui operam suam praestabunt, quum opus fuerit.

43. Abbas electus utetur Cappellanis duobus cum superpellicio, et Converso uno, qui caligas et sandalia induat ei, si gaudebit usu Pontificalium. Abbates assistentes habebunt singuli uterque Cappellanum suum superpellicio indutum.

44. Cappellani cum Canone pontificali et scotula se sistent Episcopo, qui leget psalmos praeparationis ad Missam.

45. Hoc tempore cubicularius exuet Episcopo calceos eique induet caligas et sandalia.

46. Clerici duo sustinebunt hoc tempore elatam cappam Episcopi, ut in Pontificalibus.

47. Se sistet etiam Electo Cappellanus suus cum Canone, ex quo leget psalmos, ut Episcopus.

48. Si Abbas supradictus gaudebit usu Pontificalium, Conversus, de quo supra, tollet ei calceos usuales et induet caligas cum sandaliis albi coloris.

49. Quum Episcopo caligae et sandalia imposita fuerint, itemque Electo, si uti licebit, absoluta recitatione psalmorum et repetitione antiphonae *Ne reminiscaris* etc. Episcopus nudabit caput, assurget, convertetur versus Altare et recitabit preces cum orationibus.

50. Electus etiam cum Assistentibus caput aperiet, assurget et quin convertatur ad Altare suum, recitabit preces et orationes, ut Episcopus.

51. Post orationes redibunt sessum, et Episcopus cum Electo recitabunt orationes ad paramenta. Electus omittet orationes ad chirothecas, ad mitram et ad annulum. Quod si usu Pontificalium non gaudebit, recitabit orationes communes Presbyteris.

52. Episcopus dimittet cappam, vel mozzetam cum mantelleto, Electus autem mantelletum cum mozzeta.

53. Episcopus tantum lavabit manus, quam ad actionem si erit Ordinarius, geniculabunt omnes, exceptis Canonicis Cathedralis, si aderunt, et Abbatibus, qui stabunt.

54. Post haec a Cappellanis suis Episcopus parabitur amictu, alba, cingulo, Cruce pectorali, stola, tunicella, dalmatica, chirothecis et planeta, Caeremoniarius seu Cappellanus, qui a dextris ei assistet, imponet ipsi mitram, deinde annulum.

55. Abbas, quin lavet manus, a Cappellanis suis induetur superpellicio, amictu, alba, cingulo, stola in pectore decussata ac pluviali albi coloris, et manu accipiet biretum.

56. Assistentes sibi induent superpelliceum, stolam, pluviale et mitram lineam albi coloris: nisi tamen Electus gaudebit usu Pontificalium, duo Monachi assistentes induent superpelliceum et pluviale. Notandum autem, quod Abbates assistentes sibi ipsi mitram debent imponere ac tollere.

57. Episcopo mitra cooperto, Electus caput operiet bireto et Assistentes mitra, vel bireto iuxta distinctionem traditam superius.

58. Episcopus baculum sinistra accipiet, assurget ac procedet ad Altare. Transiens ante Monachos et Clerum, dextera eos benedicet, si erit Ordinarius, et accedens ad Altare salutabit Electum cum Assistentibus.

59. Interea ponetur faldistorium in medio suppedaneo Altaris.

60. Episcopus salutata Cruce, ascendet ad Altare, sedebit faldistorio et baculum dimittet; Caeremoniarius autem vel Cappellanus suus imponet ei mitram auriphrygiatam, si tamen utetur pretiosa, et gremiale super genua.

61. Electus cum Assistentibus, postquam salutaverint Episcopum, salutabunt Crucem Altaris sui et procedent in medium ante Altare maius ibique contextim salutabunt Crucem et Episcopum.

62. Cappellani respectivi afferent tria scabella pro Electo et Assistentibus; scabellum Electi ponent in plano Presbyterii in conspectu Episcopi, reliqua duo Assistentium, a lateribus Electi aliquantulum conversa ad invicem ita ut efficiant quemdam ferme semicirculum.

63. Cappellani a libro et a scotula consistent prope Episcopum a sinistris eius.

64 Cappellanus primi Assistentis accipiet ex abaco Pontificale, utendum in postulatione.

65. Si Electus praestiturus erit iuramentum, unus ex Cappellanis Episcopi accipiet scabellum unum, quod ponet in secundo gradu Altaris: super eodem scabello ponet Missale apertum, quod notavimus superius praeparandum esse in Altari et osculandum ab Episcopo, dein ponet pulvinar super gradum primum ante scabellum.

66. Postquam Electus et Assistentes perbrevi tempore consederint, aperient caput et consurgent.

67. Senior Assistentium postulabit ab Episcopo benedictionem, legens formulam ex Pontificali, nempe *Adest, Reverendissime Pater, Electus Monasterii* (et hoc loco indicabitur Monasterium) *Ordinis Sancti* (et proferetur nomen Sancti seu Sanctorum, quorum Electus profitebitur institutum) *dioecesis* (et nominabitur dioecesis) vel dicetur *vestrae dioecesis*, *quem* etc. cum iis quae sequuntur in Pontificali.

68. Episcopus quaeret *Habetis mandatum Apostolicum?* Assistens supradictus respondebit *Habemus*: Episcopus subiunget *Legatur.*

69. Electus cum Assistentibus sedebunt et cooperient caput.

70. Monachus cancellarius seu secretarius Ordinis tradet Breve Apostolicum uni ex Cappellanis Episcopi, qui stans in plano prope Altare a latere Epistolae, facie versa ad latus Evangelii, leget Breve praedictum. Advertet Cappellanus iste, ut legat prius nomen Summi Pontificis, postea nomen illius, cui Breve directum est, quod nomen a tergo Brevis scriptum extat. Quando in lectione Brevis nominabitur Summus Pontifex, Episcopus et Assistentes, si utentur mitra, inclinabunt caput, Electus autem sibi detrahet de capite biretum.

71. Lecto Mandato, seu Brevi Apostolico, Electus nudabit caput, assurget et bireto tradito Caeremoniario aut Cappellano, qui ipsi assistet, leget iuramentum formula in Pontificali praescripta, posito ad hanc rem super scabellum Pontificali quod adhibitum fuit in postulatione.

72. Absoluta lectione iuramenti, amovebitur Pontificale a Caeremoniario seu Cappellano, Episcopus accipiet Missale, quod apertum sustinebit genibus suis et a clerico uno tolletur scabellum, in quo erat liber.

73. Electus imponet manus Missali et dicet *Sic me Deus adiuvet et haec Sancta Dei Evangelia;* Episcopus subiunget *Deo gratias.*

74. Assurget Electus, redibit sessum ad scabellum suum et caput operit bireto.

75. Sedente Electo, cui a latere sinistro adstabit Cappellanus cum Pontificali aut cum libro Examinis, Episcopus tantum non vero Assistentes (ut praescriptum est in consecratione Episcopi) leget Examen, et in fine singularum interrogationum Electus nudabit caput, assurget ac respondebit quemadmodum notatur in eodem Pontificali.

76. Advertet Episcopus variationem in ultima interrogatione, quum id pendeat a qualitate Abbatis, utrum nempe sit subiectus S. Sedi, an Episcopo, qui exsequetur benedictionem, an alii Episcopo; ideoque non esset abs re, si interrogatio praedicta, accurate scripta in chartae plagula, Pontificali ipsi insereretur Episcopi commoditati.

77. Examine peracto, Electus aperiet caput, biretum tradet Cappellano suo, procedet ad Altare, geniculabit ante Episcopum eiusque manum osculabitur.

78. Assistentes caput nudabunt, consurgent et manebunt apud scabella sua, quin Electum ante Episcopum comitentur.

79. Electus, osculatus manum Episcopi, assurget et consistet ante Altare, versus latus Evangelii.

80. Episcopus dimittet gremiale, assurget, descendet de Altari, convertetur ad ipsum, ibique dimissa mitra per Caeremoniarium aut per primum Cappellanum suum, facta cum Electo ante Crucem reverentia, exordietur Missam, adstante a sinistris eius Electo, qui respondebit.

81. Interim faldistorium removebitur de medio Altari et statuetur versus latus Epistolae.

82. Referentur a respectivis Cappellanis tria scabella ad Altare Electi.

83. Assistentes etiam poterunt recitare Confessionem cum Cappellano proprio, vel etiam respondere Episcopo, ut Electus.

84. Episcopus post *Indulgentiam* etc. recipiet manipulum brachio sinistro et dicto *Oremus*, nulla salutatione Electo facta, ascendet ad Altare, osculabitur ipsum ad verba *Quorum Reliquiae hic sunt*, dein osculabitur Missale seu textum Evangelii ac reposito faldistorio in medio Altaris sedebit, ut antea, et a Caeremoniario aut a primo Cappellano suo reponetur ei mitra auriphrygiata et gremiale super genua.

85. Quando Episcopus, dicto *Oremus*, ascendet ad Altare, Electus medium locum sumens inter Assistentes suos, reverebitur Crucem Altaris eiusdem et accedet ad Altare suum ibique salutata Cruce sedebit ut antea.

86. Assistentes in hac et in actionibus sequentibus advertent, ut servetur ordo antiquitatis, quum adstare debeat senior eorum a dextris, alter a sinistris Electi, ideoque quum opus erit, locum commutabunt, ut hunc ordinem servent.

87. Electus sedens scabello suo, a Caeremoniario seu Cappellano exuetur pluviali, imponetur ei Crux pectoralis, expedietur stola, ut a lateribus ei pendeat super pectus, et firmabitur cingulo, induetur tunicella, dalmatica, planeta, et postremo recipiet manipulum in brachio sinistro.

88. Sin autem Electus carebit usu Pontificalium, exuetur pluviale, recipiet manipulum in brachio sinistro et induetur planeta.

89. Parato Electo, tolletur a Caeremoniario aut a primo Cappellano gremiale et mitra Episcopo, qui surget de faldistorio et transibit ad legile inchoaturus Missam.

90. Electus assurget, convertetur cum Assistentibus ad Altare suum, removebitur scabellum, ac dicens orationem *Aufer a nobis* etc. ascendet cum Assistentibus ad Altare, quod osculabitur in medio et interim in promptu ibi erit legile cum Missali, quod semper aderit in media mensa.

91. Episcopus et Electus voce intelligibili incipient Missam ab introitu eamque prosequentur usque ad ultimum versiculum Gradualis vel Tractus aut Sequentiae, cum animadversionibus sequentibus; videlicet Episcopus vadet in medium Altaris ad *Kyrie*, ad *Gloria in excelsis*, si recitandum erit; ad *Pax vobis* vel *Dominus vobiscum* convertetur ad populum. Electus autem nunquam discedet de medio Altaris sui, osculabitur Altare priusquam dicat *Dominus vobiscum* post *Kyrie* et post *Gloria in excelsis*, sed in salutatione ista non convertetur ad populum.

92. Ad primam Missae orationem recitabitur oratio propria *pro Electo* et dicetur sub unica conclusione eiusdem primae orationis, deinde recitabuntur orationes reliquae, secundum qualitatem officii.

93. Interim super gradus anteriores Altaris maioris a latere Evangelii ponentur pulvini adhibendi in prostratione Electi ac restituentur ante Altare ipsum duo scabella pro Assistentibus.

94. Legetur Missa usque ad versiculum supradictum, post quem veniet Episcopus ad medium Altaris, sedebit faldistorio eique reponetur mitra auriphrygiata a Caeremoniario, vel a primo Cappellano suo.

95. Electus cum Assistentibus descendent de Altari suo, conficient reverentiam ante Crucem et caput cooperient, Assistentes tamen mitra, si eius usu gaudebunt, prout superius distinctum est.

96. Quum venerint ante Altare primarium, Electus et Assi-

stentes reverentiam contextim conficient ad Crucem et Episcopum.

97. Electus accedet ad latus Evangelii et procumbet super gradus in pulvinis ibi praeparatis. Assistentes geniculabunt apud scabella ibi posita. Episcopus assurget, convertetur ad Altare et geniculabit in pulvino posito ante faldistorium.

98. Episcopus intonabit antiphonam *Ne reminiscaris,* quam prosequentur cantores simul cum psalmis poenitentialibus, vel isti legentur ab Episcopo cum Cappellanis, et a Monachis respondebitur alternatim.

99. Repetita antiphona praedicta, cantores duo Litanias cantabunt, in quorum fine post versiculum *Ut omnibus fidelibus defunctis* etc. assurget Episcopus tantum et baculo sinistra sumpto, conversus ad Electum benedicet eum duobus vicibus, dicens *Ut hunc Electum* etc. ut in pontificali.

100. Litaniis absolutis, assurget Episcopus cum adstantibus cunctis, sed Electus manebit prostratus.

101. Caeremoniarius aut Cappellanus exuet mitram Episcopo, qui convertetur versus Electum et cantabit versiculos, ut in Pontificali, atque orationem *Concede, quaesumus* etc. Postea subiiciet orationem alteram *Cunctorum bonorum* usque ad conclusionem *Quod ipse praestare digneris, qui vivis et regnas Deus.*

102. Electus assurget de prostratione et geniculabit ante Episcopum, qui manibus ante pectus apertis, cantabit praefationem tono feriali.

103. Postmodum Episcopus ad praefationis verba *Ut qui per manus nostrae* etc. (quam prosequetur cantare, ut supra) imponet utramque manum capiti Electi usque ad verba *separetur indignus* inclusive. Deinde manibus ante pectus extensis cantabit ultimam eiusdem praefationis partem *Suscipiat te, Domine* etc. Conclusionem autem praefationis dicet submissa voce et iunctis manibus.

104. Post haec Episcopus recitabit reliquas tres orationes.

105. Interim ab uno ex Cappellanis Episcopi in promptu habebitur liber Regulae, baculus pastoralis et annulus tradendus Electo, si tamen gaudebit usu Pontificalium, atque vasculum aquae sanctae cum aspersorio, si benedicendus erit baculus et annulus.

106. Praefatione finita, Episcopus sedebit et Caeremoniarius vel primus eius Cappellanus reponet ipsi mitram.

107. Caeremoniarius porriget Episcopo librum Regulae, quem praesentabit Abbati et hic imponet libro manus, recitante Episcopo formulam *Accipe regulam a sanctis Patribus* etc.

108. Deinde Episcopus restituet librum Regulae Caeremoniario ac nisi baculus benedictus erit, Caeremoniarius idem exuet mitram Episcopo.

109. Assurget Episcopus et recitabit orationem super baculum sibi praesentatum ab uno ex Cappellanis Abbatis. Post orationem Caeremoniarius vel Cappellanus suus praesentabit ei cum osculis aspersorium et Episcopus baculum aqua sancta asperget.

110. Episcopus sedebit et Caeremoniarius reponet ei mitram.

111. Tum Episcopus accipiet baculum eumque tradet Abbati qui accipiet illum utraque manu, dicens ei *Accipe baculum*. etc.

112. Nisi annulus erit benedictus ac si Abbas gaudebit usu Pontificalium, Caeremoniarius tollet mitram Episcopo, qui assurget et orationem recitabit super annulum, sibi praesentatum ab uno ex Cappellanis Abbatis in lance, deinde asperget illum, ut supra.

113. Post haec sedens Episcopus cum mitra in capite, inseret annulum digito dextero annulari Abbatis, dicens *Accipe annulum* etc.

114. Caeremoniarius aut Cappellanus exuet mitram Episcopo, qui assurget et conversus ad Abbatem recitabit alteram orationem *Te omnipotens* etc.

115. Post orationem Episcopus sedebit: Caeremoniarius vel Cappellanus reponet ei mitram: Assistentes appropinquabunt ad ipsum: Episcopus amplexum praebebit Abbati, qui amplexu. Episcopi accepto, assurget et amplectetur Abbates assistentes, prius seniorem, deinde alterum.

116. Descendent de Altari Abbas cum Assistentibus, et reverentia facta contextim ad Episcopum et ad Altare, accedent ad Altare suum, ibique salutabunt Crucem et ascendent ad illud.

117. Caeremoniarius vel Cappellanus mitram exuet Episcopo, qui assurgens redibit ad Missale in latus Epistolae et simul cum Abbate Missam prosequetur ab ultimo versu Gradualis vel Tractus aut Sequentiae usque ad totum versiculum Offertorii.

118. Interim faldistorium de Altari removebitur.

119. Episcopus et Abbas in isto Missae tractu observabunt modum praescriptum in Consecratione Episcoporum cap. IV. num. 126 et seqq. libri huius.

120. Disponentur etiam oblationes deferendae a Monachis quinque, videlicet tradentur primo duo intorticia ardentia, secundo panis inauratus, tertio panis argentatus, quarto doliolum auratum, quinto doliolum argentatum. Hi consistent ad lineam prope Abacum vel prope Altare Abbatis.

121. Ad Altare autem primarium afferetur calix cum patena et reliquis, ampullae vini et aquae; advertetur autem, ut cum hostia sit etiam particula consecranda.

122. Lecto Offertorio, Episcopus recedet aliquantulum versus latus Evangelii, et reponetur faldistorium in medio suppedaneo.

123. Episcopus sedebit faldistorio et a Caeremoniario aut Cappellano cooperietur mitra pretiosa, si licebit uti, secus auriphrygiata.

124. Abbas medius inter duos Assistentes de suo Altari descendet, salutabit Crucem et sequentibus Monachis oblationes deferentibus, ordine superius descripto, accedet ad Altare maius.

125. Interim unus ex Cappellanis Abbatis ponet in medio presbyterio scabellum, in quo aderit Missale apertum et pulvinus quoque ad geniculandum.

126. Quum ante Altare venerit Abbas cum Assistentibus, conficiet contextim reverentiam ad Altare et Episcopum, ascendet in suppedaneum et geniculabit ante Episcopum. Assistentes consistent ante infimum gradum. Monachi, oblationes deferentes, accedent unus post alium ad dexteram Abbatis eique porrigent oblationes, quas statim ac Abbas tradiderit, transibunt ad sinistram eius, recepturi easdem et ad abacum relaturi. Abbas offerens Episcopo intorticia, panes et doliola, oscula-

bitur manum eius, dum singula praesentabit. Episcopus tradet ea Cappellano suo, qui adstabit dextrae, hic autem Monacho, qui eadem attulerit. Praesto erunt interea Ministri lotionis.

127. Abbas, postquam praesentaverit oblationes, assurget et perget geniculatum apud scabellum supradictum ibique manebit tempore Missae.

128. Assistentes, dempta sibi mitra, si utentur, consistent a lateribus, sed stabunt; genua tantum submittent, quum geniculabit Chorus.

129. Episcopus postquam discesserit Abbas, dimittet annulum et chirothecas, eique se sistent Ministri lotionis, et lavabit manus.

130. Ad hunc actum, ut alias notatum est, genuflectent adstantes omnes, exceptis Praelatis, si qui aderunt, et Canonicis Cathedralis, qui stabunt capite nudato, dummodo Episcopus sit Ordinarius.

131. Deinde Caeremoniarius vel Cappellanus reponet annulum Episcopo, eique exuet mitram.

132. Episcopus assurget ac remoto faldistorio, convertetur ad Altare et simul cum Abbate prosequetur Missam elata voce.

133. Abbas recitabit totum id, quod dicet Episcopus, exceptis Consecrationis verbis, quae solus Episcopus secreto pronunciabit. Abbas autem assistet semper iunctis manibus neque faciet Crucis signum aliamve actionem. Simul cum Hostia consecrabitur etiam particula una. Episcopus dum lavabit manus, utetur mitra, ut in Pontificalibus, genuflectentibus ad actionem istam cunctis adstantibus, ut saepius monuimus. Abbas in Canone non dicet *et me indigno servo tuo,* sed nominabit Episcopum ordinarium dioecesis, in qua fiet benedictio. Recitato *Agnus Dei* cum prima oratione, quae sequitur, Abbas assurget, accedet ad Altare, ascendet in suppedaneum et genuflexione facta ad Sacramentum, osculabitur Altare iunctim cum Episcopo et ab ipso pacem accipiet. Tum iterabit genuflexionem ad Sacramentum, descendet de Altari et reversus ad scabellum, stans praebebit pacem Assistenti seniori, deinde alteri Assistenti, et rursus genuflexus prosequetur Missam usque ad totam sumptionem Calicis. Clerici duo afferent ad Altare mappam et Abbas

genua flectet in extremitate suppedanei. Unus ex Cappellanis Abbatis in promptu habebit calicem cum vino et purificatorio. Episcopus, Calice palla cooperto, genuflectet ad Sacramentum, ponet S. Particulam in patena, genuflectet iterum atque accepta Particula manu dextra, patena sinistra, convertetur ad Abbatem, cui ministrabit divinam Eucharistiam, dicens *Corpus Domini nostri* etc. Abbas osculabitur manum Episcopi, antequam S. Communionem accipiat. Episcopus convertetur ad Altare; Abbas assurget, descendet de Altari, accipiet purificationem et redibit geniculatum ad scabellum usque ad exitum Missae, quam cum Episcopo recitare prosequetur ad orationem *Placeat* etc. inclusive. Episcopus in ultima lotione manuum utetur mitra pretiosa vel auriphrygiata, iuxta distinctionem superius innutam, et ad actionem istam genuflectent adstantes omnes; exceptis Canonicis Cathedralis et Praelatis, si aderunt, ut saepius notavimus.

134. Dicta oratione *Placeat,* Episcopus osculatus Altare, mitram resumet per Caeremoniarium aut Cappellanum et benedictionem donabit, utens etiam Pastorali.

135. Si fuerit Archiepiscopus, impertietur benedictionem sine mitra sed cum Pastorali, conversus ad Crucem archiepiscopalem, quae sustentabitur ab uno ex eius Cappellanis, genuflexo ante Altare.

136 Interim praeparabuntur mitra et chirothecae imponendae Abbati, si gaudebit usu Pontificalium, quae si non erunt benedictae, afferetur ad Altare vasculum aquae sanctae cum aspersorio.

137. Benedictione impertita, Episcopus recedet aliquantulum in latus Evangelii, et reponetur faldistorium in medio suppedaneo Altaris.

138. Episcopus cum mitra in capite sedebit faldistorio et baculum dimittet.

139. Abbas, accepto in capite pileolo, ascendet ad Altare et genuflectet ante Episcopum.

140. Si mitra, Abbati imponenda, nondum erit benedicta, Caeremoniarius vel Cappellanus exuet mitram Episcopo.

141. Tunc Episcopus assurget, benedicet mitram, quam ei

praesentabit unus ex Cappellanis Abbatis, deinde asperget eam aqua benedicta.

142. Postea sedebit Episcopus et a Caeremoniario vel Cappellano cooperietur mitra.

143. Accipiet mitram eamque imponet capiti Abbatis, dicens *Imponimus Domine*, etc.

144. Tum, nisi fuerint benedictae chirothecae, Caeremoniarius vel Cappellanus exuet mitram Episcopo, qui assurgens benedicet illas atque asperget, ut supra, deinde rursus sedebit et reponetur eius capiti mitra.

145. Caeremoniarius annulum e digito Abbatis educet, et Episcopus acceptam chirothecam dexteram induet manui dexterae Abbatis, deinde sinistram manui sinistrae, dicens *Circumda Domine* etc. Postea Episcopus annulum ei super chirothecam reponet in digito dextro annulari.

146. Si benedictio fiet in ecclesia Abbatis, sonabunt ad actum istum campanae omnes festivo more, et Episcopus assurgens, cumque ipso Abbas venient in chorum, et Episcopus sessum adducet Abbatem ad sedem, quae propria Abbatis est. Sedente ibi Abbate eique tradito pastorali in sinistram, Episcopus dicet *Accipe plenam et liberam* etc.

147. Quod si benedictio in ecclesia Abbatis non fiet, Episcopus assurget et Abbatem inthronizabit faldistorio, eique tradito baculo, dicet *Sta in iustitia et sanctitate* etc.

148. Episcopus recedens in latus Evangelii vel ad dextram Abbatis in choro, dimittet mitram et intonabit *Te Deum* quod in cantu cantores prosequentur.

149. Si Abbas usu Pontificalium gaudebit intonito *Te Deum*, assurget, de sua sede descendet sive de Altari, reverentiam faciet ad Episcopum dein ad Altare, et medius inter Assistentes suos incedet per ecclesiam et benedictionem donabit adstantibus. Redibit ad Altare vel in chorum et sedebit faldistorio vel in sede sua.

150. Sin usum Pontificalium non habebit, omittentur quae supra descripta sunt hac de re, et Episcopus, benedictione in exitu Missae impertita, inthronizabit Abbatem vel sedi vel faldistorio et recitabit alterutram ex formulis praedictis. Abbas

ab Episcopo inthronizatus caput sibi cooperiet bireto. Postea Episcopus intonabit *Te Deum*.

151. Abbati sedenti, sive post benedictionem donatam per ecclesiam, si utetur pontificalibus, sive post intonationem *Te Deum*, si pontificalium usu carebit, se sistent Monachi unus post alium, reverentiam ante eum facient eiusque manum et vultum osculabuntur. Advertent Monachi ut reverentiam facient etiam Episcopo et Altari.

152. Hoc tempore Assistentes Abbatis stabunt prope Episcopum a dextris eius.

153. Absoluto *Te Deum*, perstans Episcopus sive in latere Evangelii, sive a dextris Abbatis, conversus ad Abbatem ipsum recitabit in cantu versiculos cum oratione, qua completa, si Abbas aderit in choro, Episcopus mitra et baculo resumptis, redibit ad Altare et consistet in latere Evangelii. Abbas autem sequens Episcopum, procedet ad Altare.

154. Episcopus, si Abbas usu Pontificalium gaudebit, dimittet mitram et baculum, secus retinebit ea propter acclamationem, ut docebitur infra.

155. Quum ad Altare pervenerit Abbas, Assistentes recedent apud Episcopum et sibi dement mitram, si utentur.

156. Sin Abbas sedebit faldistorio, assurget, convertetur ad Altare et removebitur faldistorium.

157. Abbas qui gaudebit usu Pontificalium, donabit benedictionem, cantans *Sit nomen Domini* etc. Dictis autem verbis *Benedicat vos omnipotens Deus*, accipiet sinistra baculum et priusquam donet benedictionem, salutabit Episcopum, deinde trinam populo benedictionem impertietur.

158. Post benedictionem Episcopus a Caeremoniario vel Cappellano rursus cooperietur mitra, itemque sibi mitram imponent etiam Assistentes.

159. Abbas, largita benedictione, geniculabit in latere Evangelii versus Episcopum et semel tantum cantabit *Ad multos annos*.

160. Sin carebit usu Pontificalium, resumpta ab Episcopo post orationem mitra, Abbas dimisso bireto, et genuflexus, ut supra, ante Episcopum cantabit semel tantum *Ad multos annos*.

161. Assurget Abbas et excipietur ad amplexum ab Episcopo, dein ab Assistentibus.

162. Descendet Abbas de Altari medius inter Assistentes et conversus ad Altare, faciet reverentiam Cruci et Episcopo, postea redibit ad Cappellam seu Altare suum.

163. Abbate de Altari profecto, Episcopus mitram dimittet, convertetur ad Altare et recitabit ultimum Evangelium.

164. Abbas, reversus ad Altare suum, deponet mitram, si utetur, et conscenso suppedaneo, recitabit ultimum Evangelium cum Episcopo.

165. Interim reponetur faldistorium pro Episcopo in latere Epistolae ante gradus Altaris maioris, ac tria scabella pro Abbate et Assistentibus ante Altare Abbatis.

166. Completo ultimo Evangelio Caeremoniarius vel Cappellanus mitram reponet Episcopo, qui sinistra accipiet baculum et de Altari descendet.

167. Abbas quoque cum Assistentibus, resumpta mitra et baculo, si utetur, descendent de Altari suo et reverentia facta ad Crucem, consistent ante scabella, humeris ad Altare conversis.

168. Episcopus, ubi descenderit de Altari, convertetur ad ipsum et salutabit Crucem, deinde convertetur ad Abbatem et Assistentes, eosque etiam salutabit et hi respondebunt salutationi eius. Episcopus inde perget ad faldistorium et paramenta dimittet.

169. Etiam Abbas cum Assistentibus dimittent paramenta et resument habitus, quibus ante functionem erant induti.

170. Paramenta reponentur super Altare, quomodo ibi erant ante functionem.

171. Paramentis ab Episcopo et Abbate dimissis se sistet ambobus respectivus Cappellanus cum Canone et uterque eorum leget preces gratiarum actionis.

172. Episcopus dimittet caligas cum sandaliis, idemque faciet Abbas, si usus fuerit.

173. Reponetur pulvinus in infimo Altaris gradu pro Episcopo, et in presbyterio pro Abbatibus.

174. Peracta gratiarum actione, Episcopus redibit ad Al-

tare et geniculabit in infimo gradu, brevi tempore orans. Id ipsum faciet Abbas et Assistentes genuflexi post Episcopum.

175. Postremo quo ordine in principio descriptum est, accedent ad SS. Sacramentum adorandum et Episcopus associabitur ad portam ecclesiae, ubi Abbas aget ei gratias pro benedictione sibi impertita.

176. In recessu Episcopi de ecclesia, si ipse fuerit Ordinarius, sacra aera turris sonabunt in laetitiae argumentum.

DE BENEDICTIONE ABBATIS SOLEMNITER PERSOLVENDA.

CAPUT X.

1. Animadversiones omnes superiori capitulo praemissae, in praesenti omittuntur.

De rebus praeparandis.

2. Ecclesia, in qua peragetur functio, parabitur festivo more, si patietur ritus officii eius diei, quo fiet benedictio.

Ad Altare SS. Sacramenti.

3. Genuflexorium cum strato et pulvinis praeparabitur pro Episcopo, ut cap. IV. libri V. et in pavimento ponentur pulvini tres lanei coloris violacei pro Abbate eiusque Assistentibus, qui geniculabunt a tergo Episcopi.

4. Ardebunt in Altari sex cerei saltem quando ibi orabit Episcopus.

Ad Altare maius.

5. Super Altare ponentur septem candelabra cum cereis et ante candelabrum septimum aderit Crux aequalis candela-

bris, quae erunt plus minusve nobilia pro qualitate officii. Gradus sternentur amplo tapeto; Altare autem, praeter tobaleas, ornabitur pallio nobili congruente colori officii.

6. Super mensam disponentur paramenta Episcopi, qui benedictionem exsequetur, videlicet planeta, chirothecae in lance, dalmatica cum tunicella, Crux pectoralis, cingulum, alba et amictus, quae cooperientur velo concolore eisdem. Si officium erit solemne, cum ceteris paramentis praeparabitur etiam pluviale propter orationem cantandam post Horam tertiam: nisi vero officium sit solemne, oratio praedicta cantabitur ab Episcopo cappa induto.

7. Etiamsi fuerit Archiepiscopus, non praeparabitur S. Pallium, excepto casu, quo benedictio incideret in diem, quo uti liceret.

8. A lateribus Altaris ponetur utraque mitra, pretiosa nempe et auriphrygiata. Si color officii erit violaceus, ponetur in latere Evangelii mitra tantum auriphrygiata, exceptis Dominicis III Adventus et IV Quadragesimae, in quibus adhibetur etiam pretiosa.

9. In latere Evangelii praeparabitur baculus pastoralis pro Episcopo.

10. Ante Altare statuetur faldistorium cum pulvinis, in quo geniculabit Episcopus, et post ipsum pulvini tres ex panno violaceo pro Abbate et Assistentibus eius.

11. Prope latus Epistolae aderit scamnum paratum pro sacris Ministris.

12. In latere eodem aut in altero Evangelii, basis ad firmandam Crucem archiepiscopalem, si Praelatus qui exequetur benedictionem, fuerit Archiepiscopus.

13. Thronus Episcopi parabitur conopoeis, baldachino et lodicibus coloris currentis; tria scabella praeparabuntur pro Assistentibus Episcopo et pulvinus utendus ab Episcopo in genuflexionibus. Gradus contegentur tapeto congruente.

14. Aequum esset etiam, ut planum presbyterii cooperiretur viridi tapeto.

15. Si benedictio locum habebit in ecclesia monasterii, cui Abbas praeficitur, contra thronum Episcopi ponetur thro-

nus minor cum duobus tantum gradibus tapeto contectis; ac thronus, cathedra et baldachinum panno serico albi coloris convestientur.

16. Si Abbas benedicendus non gaudebit usu Pontificalium, non praeparabitur thronus praedictus, sed in choro parabitur panno convenienti sedes Abbatis et removebitur genuflexorium, si ante ipsam adesset (*a*).

17. Contra thronum Episcopi, vel alio loco, prout videbitur commodius, constituetur Altare amovibile in usum Abbatis, quod habebit lapidem sacrum, tobaleas, candelabra quatuor cum cereis et Crucem, pallium concolor ceteris paramentis et suppedaneum tapeto contectum (*b*).

18. Super mensam Altaris huius disponentur paramenta pro Electo, videlicet legile cum Missali, et signacula apponentur ad Missam currentem, ad Ordinem Missae et in ipso Missali inseretur tabella seu folium separatum, in quo scripta erit oratio *pro Electo* ut in Pontificali; manipulus, planeta, dalmatica, tunicella, Crux pectoralis, liber pro Examine vel Pontificale, pluviale, stola, cingulum, alba et amictus. Quicumque sit color officii currentis paramenta Electi semper sunto albi coloris.

19. Si Abbas benedicendus careret usu Pontificalium, inter paramenta non ponentur dalmatica, tunicella, et Crux pectoralis.

20. A lateribus Altaris huius aderunt paramenta pro Assistentibus, videlicet mitra linea albi coloris, pluviale cum stola coloris officii, amictus et superpelliceum. Sin Abbas benedicendus careret usu Pontificalium, praeparabuntur pluvialia duo eiusdem coloris ac supra, et superpellicia duo utenda a Priore et Decano monasterii.

21. Ante Crucem Altaris huius ponetur Canon apertus.

22. Ante Altare idem, tria scabella pro Electo et Assistentibus, aequalia scabellis throni.

(*a*) Id tamen intelligendum est si benedictio celebrabitur in ecclesia monasterii ac si chorus situs erit prope Altare maius.

(*b*) Vide adnotationem num. 22. cap. IV. libri huius.

In abacis.

23. Statuentur abaci duo maiores, alba tobalea contecti, in quibus disponentur res sequentes. Abacus in latere Epistolae, qui erit proximus Altari, serviet Episcopo qui benedictionem celebrabit: alter positus sive in latere Evangelii, sive prope Altare minoris formae, vel alio loco, iuxta amplitudinem Presbyterii, serviet Electo.

24. Si Abbas careret usu Pontificalium, abacus eius erit minor abaco, qui serviet Episcopo.

25. In abaco, qui destinatus erit Episcopo, ponentur candelabra duo cum candelis pro Acolythis, calix cum duobus purificatoriis, patena cum hostiis duabus maioribus et particula una, palla, corporale intra bursam; ampullae vini et aquae in pelvicula, cochleare ad infundendam aquam in calicem, si opus fuerit, et patera praegustationis; campanula; urceus cum pelvi et duobus mantilibus in lance, velum humerale simplex, si lotio manuum ministrabitur Episcopo a Magistratu; caligae et sandalia in lance et bina vela ad cooperiendum ea, quando afferentur a Subdiacono; canon, scotula cum candela, pontificale (pars I); Missale cum veste, et inserta ipsi aderit oratio pro Electo, ut in pontificali; Evangeliarium cum veste et manipulus Episcopi; Epistolarium cum veste, velum humerale pro Subdiacono; gremiale aequale paramentis; manipuli pro Ministris; instrumentum Pacis, si donanda erit laicis, thuribulum cum navicula; intorticia pro elevatione; breviarium maius vel manuale chorale pro oratione Tertiae; breviarium vel libellus pro cantu Capituli Tertiae; formula Indulgentiarum; vasculum aquae sanctae cum aspersorio, si necesse erit in functione, ut infra.

26. In altero abaco, qui positus erit in usum Electi, aderit liber Regulae, Pontificale utendum a primo Assistente in solo actu postulationis, calix cum aliquanto vino et purificatorium, mappa linea pro Communione, intorticia duo totidemque panes quorum alter auratus, alter argentatus, doliola pari numero, plena vini, alterum auratum, alterum argentatum: super panibus et doliolis ponetur stemma Episcopi et Mona-

sterii. Si Abbas gaudebit usu Pontificalium, in eodem abaco caligae et sandalia ex serico albi coloris, sine opere phrygio; annulus aureus cum unica gemma; mitra auriphrygiata cum pileolo laneo nigri coloris, ac si fiet benedictio ex Mandato Apostolico, aderit etiam Mandatum ipsum seu Breve, legendum quum tempus erit.

27. Prope abacum eumdem, scabellum utendum ab Electo tempore Missae, pulvini duo ex panno violaceo adhibendi in prostratione, ac si gaudebit usu Pontificalium, in promptu erit etiam baculus cum velo appenso.

28. Praeparabitur etiam faldistorium utendum ab Episcopo, quum sedendum erit apud Altare et pulvinus unus ad genuflectendum. Si Celebrans fuerit Archiepiscopus, statuetur basis ad firmandam Crucem archiepiscopalem.

29. Canistri quoque viminei ad manus erunt, in quibus transferri possint indumenta canonicalia, postquam Canonici parati erunt.

In choro.

30. Paramenta pro Canonicis disposita super sedilia, videlicet tunicellae cum amictu pro Subdiaconis, dalmaticae cum amictu pro Diaconis, comprehensis Diaconis assistentibus, planetae cum amictu pro Presbyteris, pluvialia cum amictu pro Dignitatibus, comprehenso pluviali utendo a Presbytero assistente. Sin autem adhibendae essent planetae plicatae, substituentur istae tunicellis et dalmaticis atque aderunt in canistris debito tempore cum aliis paramentis pro Canonicis et Dignitatibus transferendae ex Sacrario ad Altare; Super abaco Episcopi praeparabitur etiam stola latior in usum Diaconi, et planetae plicatae pro Ministris.

31. In choro pariter aut in presbyterio disponentur scamna cum postergali, contecta panno viridis coloris, in usum Monachorum functioni assistentium.

32. Ad balaustrium seu cancellos presbyterii ponentur candelabra cum cereis sex vel intorticiis.

33. Paramenta pro Diacono et Subdiacono, nempe amictus

duo et pari numero albae ac cingula, stola et dalmatica pro Diacono, tunicella pro Subdiacono.

34. Si utendae essent planetae plicatae, aderunt ut supra notatum est, super abaco simul cum stola latiore Diaconi.

35. Pluvialia quatuor pro Cappellanis a mitra, baculo, libro et scotula.

36. Si Praesul qui benedictionem celebrabit, fuerit Archiepiscopus, praeparabitur etiam amictus, alba, cingulum ac tunicella, vel planeta plicata pro Subdiacono crucifero.

37. Vasculum aquae sanctae cum aspersorio, utendum in ingressu Episcopi.

38. Focus cum igne et forcipes ferreae.

39. Superpellicia pro inservientibus.

De Functione.

40. Hora ad functionem praestituta, post recitationem Matutini, Laudum et Primae, si ecclesia erit Cathedralis, dabitur signum consuetum campanula Sacrarii ad associandum Episcopum, ut cap. IV. lib. V.

41. Monachi induti cucullo praesto erunt in Sacrario, et cum Clero ipsi quoque in limine ecclesiae Episcopum excipient.

42. Abbas Electus cum Assistentibus suis aderit in diaeta Episcopi et induent habitum praelatitium monasticum, nempe mantelletum et mozzetam. Si Abbas carebit usu Pontificalium, qui duo Monachi assistent Abbati, induent habitum monasticum.

43. Si functio celebraretur in ecclesia Monasterii, Abbas cum Assistentibus suis, Clerus et Monachi convenient in Sacrarium et quum Episcopus venturus erit, Abbas cum Assistentibus, Clerus, Monachi et clericus cum vasculo et aspersorio procedent ad limen ecclesiae, Episcopum excepturi.

44. Priusquam Episcopus perveniat ad ecclesiam, se parabunt Diaconus et Subdiaconus, quatuor Cappellani, qui pluviale debebunt induere, et clerici inservientes induent superpelliceum, qui deinde bini procedent ad Altare et consistent locis respectivis, expectantes Episcopum. Si Canonici seu Clerus

se pararet post Tertiam, procedet ad Altare Subdiaconus solus, paratus amictu, alba et cingulo, et consistet apud scamnum Ministrorum in latere Epistolae. Ceteri omnes se parabunt, ut docebitur inferius.

45. In adventu Episcopi ad ecclesiam sonabunt festivo more campanae, organa quoque si qualitas officii hoc requiret.

46. Episcopus indutus erit cappa, quam de more induet in limine ecclesiae, quum eo pervenerit.

47. Quum autem pervenerit in limen ecclesiae et cappam, ut supra, induerit, a Digniore Capituli, si fuerit in Cathedrali, vel e manibus Abbatis, si in ecclesia Monasterii, vel a Superiore ecclesiae, si neque cathedralis neque abbatialis fuerit, accipiet aspersorium aqua sancta perfusum et signabit seipsum, deinde asperget adstantes.

48. Episcopus ingredietur in ecclesiam, sequetur eum Abbas medius inter Assistentes suos, deinde Clerus et Monachi, et SS. Sacramentum adorabit.

49. Episcopus geniculabit in genuflexorio, Abbas inter assistentes in pulvinis positis a tergo Episcopi, Clerus autem cum Monachis post Abbatem, cui tamen, si carebit usu pontificalium, pulvini non apponentur.

50. Adorato SS. Sacramento, procedent eodem ordine ad Altare maius, quo quum venerit Episcopus, geniculabit in faldistorio, Abbas autem cum Assistentibus in pulvinis positis a tergo Episcopo, eadem, ut supra, distinctione.

51. Canonici in chorum ingressi, petent subsellia sua, ac si officium erit festivum, unusquisque (dimissis prius insignibus choralibus) supra rochetum vel superpellicium induet sibi amictum et paramentum respondens ordini, cui erit addictus. Restabunt prope Episcopum Diaconi assistentes et Presbyter assistens, qui deinceps induet habitum sacrum simul cum praedictis Diaconis.

52. Quod si incideret una ex Dominicis Adventus aut Quadragesimae, geniculabunt singuli locis suis et deinceps induent paramenta.

53. Monachi accedent ad scamna ipsis praeparata ibique geniculabunt donec Episcopus cum Abbatibus genuflexus erit.

54. Quando parati erunt, Canonici, si tamen utentur paramentis, innuente Caeremoniario, assurget Episcopus, Abbas et Assistentes et reverentia profunda salutabunt Crucem. Episcopus, inclinatione facta ad Abbatem et Assistentes eius, discedet ab ipsis et perget ad thronum, comitantibus Diaconis assistentibus. Transiens autem ante chorum, dextera Clerum benedicet.

55. Clerici duo de medio tollent faldistorium cum pulvinis, in quo genuflexerit Episcopus, et ponent seorsim.

56. Abbas Electus medius inter Assistentes suos accedent ad Altare ipsi praeparatum, ibique reverentiam conficient ad Crucem et sedebunt scabellis, humeris ad Altare conversis. Abbas Electus sedebit in medio, a dextris eius Assistens senior, a sinistris Assistens alter.

57. Episcopus, conscenso throno, sedebit et Presbyter assistens habitu chorali indutus ad thronum a latere ascendet.

58. Clerici duo, qui supplebunt Cappellanis a libro et scotula (si forte isti iam essent parati pluviali) accepto ex abaco canone pontificali cum scotula, accedent cum debitis reverentiis ad thronum et consistent in gradu superiori a latere, prope secundum Diaconum assistentem.

59. Ministri, Cappellani, clerici ceterique inservientes meminerint salutare Electum et Assistentes, quum transibunt ante illos.

60. Postquam Episcopus sederit brevi tempore, nudabit caput, biretum tradet primo Diacono assistenti, assurget ac secreto recitabit *Pater noster* et *Ave Maria.*

61. Se sistent Episcopo Cappellani cum libro et scotula.

62. Presbyter assistens veniet ante Episcopum eique sustinebit librum, quem ipsi apertum tradiderit Cappellanus.

63. Episcopus se signabit et cantabit *Deus in adiutorium meum intende,* chorus respondebit *Domine ad adiuvandum* etc.

64. Presbyter assistens restituet librum Cappellano, qui cum altero a scotula recedet, ut prius, ad latus throni.

65. Post *Gloria Patri* Presbyter assistens descendet a latere de throno et redibit ad locum suum.

66. Postea cantabitur hymnus; antiphonam ille intonabit

ad quem iuxta usum ecclesiae spectabit, et cantores duo superpellicio induti, ante Altare vel in medio presbyterio, intonabunt primum psalmum Tertiae, deinceps reliquos duos.

67. Intonito praedicto psalmo, sedebit Episcopus et caput operiet bireto, quod ei tradet primus Diaconus assistens.

68. Redibunt ante Episcopum Cappellani a libro et scotula, qui ante eum sustinebunt Canonem apertum, unde leget psalmos et preces ad praeparationem, ut in Missa pontificali cap. IX. lib. V.

69. Post intonationem psalmi supradicti, Subdiaconus perget ad abacum eodemque ordine quo in Missa pontificali traditum est, caligas et sandalia afferet ad thronum et Episcopo inducet.

70. Si Missa erit festiva, in principio tertii psalmi distribuentur clericis paramenta episcopalia, secus distribuentur quum cantata fuerit Tertia.

71. Item, nisi oratio Tertiae cantabitur ab Episcopo cum pluviali, principio psalmi tertii ascendent in thronum ad assistentiam Episcopi alteri duo Canonici: Diaconi assistentes cum Diacono ministraturo ad Altare, pergent in Sacrarium ad sacra paramenta induenda, quemadmodum traditum est cap. III. de ordinatione solemni num. 55. et seq.

72. Episcopus parabitur sive sub finem Tertiae, sive post Tertiam, quo modo descriptum est citato capitulo, videlicet cap. III. numeris praedictis, cantabitur Capitulum, Responsorium et oratio, ut ibidem praescribitur.

73. Distributis clericis paramentis Episcopi, clericus unus vel etiam duo portabunt faldistorium super suppedaneum Altaris in medium, utendum ab Episcopo.

74. Clerici delecti paramentis deferendis Canonicorum advertent, ut ea deferant debito tempore, quando post Tertiam debebunt paramenta induere: hoc ipsum advertent Cappellani a mitra, baculo, libro et scotula, qui pluviale debebunt induere et Subdiaconus a Cruce, qui parandus erit, si Celebrans fuerit Archiepiscopus.

75. Quando parabitur Episcopus, Canonici descendent ad circulum.

76. Dum Episcopus induetur paramentis missalibus, Electus dimittet mantelletum et mozzetam; quod facient etiam Assistentes, si utentur.

77. Assistentes induent superpelliceum, stolam, pluviale et mitram lineam albi coloris: sin autem Abbas Electus carebit usu Pontificalium, qui duo Monachi assistent ei, sibi induent superpelliceum et pluviale. Notandum, quod Abbates assistentes sibi ipsi mitram debent induere et exuere.

78. Electus, quin lavet manus, a Cappellanis suis induetur superpellicio, amictu, alba, cingulo, stola in pectore decussata ac pluviali albi coloris et manu biretum sumet.

79. Clerici tres ante Altare transferent tria scabella, quibus sedebunt Electus et Assistentes; alter autem accipiet Pontificale, utendum ab Assistente primo in postulatione, deinceps ab Electo in Examine.

80. Mitra Episcopo a Diacono imposita, Electus caput operiet bireto, et Abbates assistentes sibi imponent mitram aut biretum, iuxta distinctionem superius allatam.

81. Postquam Diaconus et Subdiaconus paramentis sacris induerint Episcopum, Presbyter assistens annulum inseret digito eius, ut in Missa pontificali.

82. Diaconus et Subdiaconus non assument brachio sinistro manipulum, nec Subdiaconus deferet Evangeliarium cum manipulo Episcopi. Si Ministri praedicti deberent induere planetas plicatas, accedent ad abacum, planetas induent sine manipulis et revertentur in thronum.

83. Paratus, ut supra, Episcopus baculum pastoralem sinistra accipiet, assurget ac de throno descendet, iturus ad Altare.

84. Assurgente Episcopo, de throno ad Altare ituro, consurget Clerus in choro et nudabit caput. Surgent etiam Electus, qui sibi exuet biretum, et Assistentes, qui mitram non dimittent, si gestabunt eam; sin uterentur bireto, caput aperient, ut Electus.

85. Episcopus ad Altare procedet ordine sequenti: praeibit Subdiaconus iunctis manibus, sequetur Diaconus a sinistris Presbyteri assistentis; tum Episcopus medius inter Dia-

conos assistentes, sequente Caudatario, qui syrmam vestis eius sustentabit; post Caudatarium incedent duo Cappellani a mitra et baculo, postremo reliqui duo a libro et scotula.

86. Quum Episcopus transibit per chorum, benedicet Clerum, quumque venerit ante Electum et Assistentes donabit etiam eis benedictionem. Sin autem Electus esset exemptus et gauderet usu Pontificalium, reverebitur eos.

87. Interim prope Altare in promptu habebitur a clerico gremiale Episcopi et ab altero mitra auriphrygiata, tradenda Cappellano a mitra, si Episcopus adhibebit mitram pretiosam.

88. Diaconus et Subdiaconus, quum pervenerint ut supra, ante Altare, consistent ad pedem illius et inter eos medium locum sumet Episcopus, recedentibus Presbytero assistente et Diaconis assistentibus.

89. Episcopus cum Ministris ceterisque Assistentibus, reverentiam ante Altare conficiet.

90. Presbyter assistens ac Diaconi assistentes se recipient in chorum ad stallum quisque suum.

91. Episcopus ascendet ad Altare, sedebit faldistorio, versis humeris ad Altare, et baculum dimittet.

92. Diaconus adstabit Episcopo a dextris, Subdiaconus a sinistris.

93. Cappellani a libro et scotula accipient Pontificale et scotulam ex abaco et consistent prope Episcopum a latere Subdiaconi.

94. Diaconus sedenti Episcopo exuet mitram pretiosam, si utetur ea, et imponet alteram auriphrygiatam: gremiale etiam ponet super eius genua.

95. Conscenso Altari ab Episcopo, Electus et Assistentes convertentur ad Altare suum, reverentiam conficient ante Crucem et procedent ante Altare, incedente Electo inter Assistentes.

96. Clerici huic rei delecti, ut supra, advertent ut transferant tria scabella eaque statuant ante Altare ita ut scabellum Electi stet e regione Episcopi, et scabella Assistentium a lateribus Electi, sed aliquantulum ad invicem conversa ita ut quemdam semicirculum efficiant.

97. Electus cum Assistentibus ante Altare quum venerint, conficient reverentiam contextim ad Crucem et Episcopum ac brevi tempore sedebunt. Electus caput operiet bireto, idemque facient Assistentes, nisi utantur mitra.

98. Si Electus praestiturus erit iuramentum, unus ex Cappellanis vel clericis ponet ante Episcopum scabellum supraque ipsum Pontificale apertum, ante ipsum autem, pulvinum, in quo geniculabit Electus.

99. Unus ex Clericis Pontificale ex abaco accipiet ac primo Assistenti porriget, utendum in postulatione.

100. Postquam Electus et Assistentes brevissimo tempore sederint, caput aperient et assurgent. Senior Assistentium, qui adstabit Electo dextrorsum, postulationem faciet Episcopo, ut in Pontificali, idest *Adest Reverendissime Pater*, *Electus Monasterii* (hic nominabitur titulus Monasterii) *Ordinis Sancti* (indicabitur nomen Sancti sive Sanctorum Institutorum Ordinis quem profitetur Abbas) *Dioecesis* (nominabitur Dioecesis) vel dicetur *Dioecesis vestrae, quem* etc. cum iis quae sequuntur in Pontificali. Episcopus quaeret *Habetis mandatum Apostolicum?* Assistens supradictus respondebit *Habemus*. Episcopus subiicet *Legatur*.

101. Electus cum Assistentibus sedebunt et caput operient, ut supra.

102. Monachus cancellarius sive Secretarius Ordinis, tradet Breve Apostolicum uni ex Cappellanis Episcopi, qui stans in plano prope Altare in latere Epistolae, facie versa ad latus Evangelii, leget Breve sibi traditum. Advertet, ut legat prius nomen Summi Pontificis, deinde illius cui Breve directum est, quod nomen scriptum extat a tergo Brevis eiusdem.

103. Quando in legendo Brevi nominabitur Summus Pontifex, Episcopus inclinabit caput, Electus sibi exuet biretum et Assistentes si gestabunt mitram, inclinabunt caput, secus sibi exuent biretum.

104. Lecto Mandato seu Brevi Apostolico, caput aperiet Electus, assurget ac bireto tradito Caeremoniario, vel Cappellano qui assistet ei, leget iuramentum formula praescripta in Pontificali.

105. Lecta formula iuramenti, Pontificale a Caeremoniario

vel a Cappellano amovebitur, Episcopus accipiet Missale, quod apertum super genibus sustinebit et a clerico amovebitur scabellum, in quo erit Pontificale. Electus imponet manus Missali ac dicet *Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia;* Episcopus adiiciet *Deo gratias.*

106. Assurget Electus, redibit ad scabellum suum et caput operiet bireto.

107. Sedente Electo, cui adstabit a latere sinistro Cappellanus, qui sustinebit ei Pontificale vel librum Examinis, Episcopus tantum, non Assistentes (ut fieri debet in consecratione Episcopi) leget Examen, et in fine cuiusque interrogationis Electus nudabit caput, assurget et respondebit, ut notatum est in Pontificali.

108. Advertet Episcopus variationem in ultima interrogatione, quae dependet a qualitate Abbatiae, utrum subiecta sit S. Sedi, an Episcopo qui celebrabit benedictionem, an alii Episcopo. Quocirca necesse erit scribere in pagella variationem istam et inserere eam Pontificali, Episcopi commoditati.

109. Examine absoluto, Electus nudabit caput, biretum tradet Cappellano suo, procedet ad Altare, geniculabit ante Episcopum, osculabitur manum eius assurget ac recedet in planum ante Altare.

110. Assistentes consurgent, nudabunt caput ac manebunt apud scabella sua, quin comitentur Electum.

111. Sub finem Examinis praesto erunt Acolythi cum manipulis Ministrorum, clericus alter in promptu habebit Evangeliarium cum manipulo Episcopi, thuriferarius praeparabit thuribulum.

112. Ad Altare quoque redibunt Presbyter assistens, qui consistet prope Altare a latere Epistolae et Diaconi assistentes, qui locum sument in latere opposito, ne tamen transitum impediant Electo.

113. Postquam Electus osculatus erit manum Episcopi, Diaconus et Subdiaconus descendent de Altari et facta contextim reverentia ad Episcopum et Altare, pergent ad abacum ibique sibi inducent manipulum brachio sinistro. Subdiaconus accipiet Evangeliarium cum manipulo Episcopi, quod utraque manu sustinebit ante pectus.

114. Redibunt ad Episcopum, ut antea; Diaconus tollet ei gremiale; tunc Episcopus assurget de faldistorio, descendet de Altari et convertetur ad ipsum.

115. Presbyter assistens statim accedet ad dexteram Episcopi, sed paullum retro, Electus ad sinistram Episcopi, ad sinistram Electi Diaconus, ad sinistram Diaconi Subdiaconus, sed paullum retro, ut de Presbytero assistente dictum est. Diaconi assistentes locum sument a tergo Episcopi et a tergo Diaconorum assistentium stabunt Cappellani a mitra, baculo etc.

116. Quum Episcopus conversus erit ad Altare, Diaconus ei mitram exuet.

117. Episcopus inchoabit Missam, seu Confessionem; Cantores autem cantabunt introitum, deinde *Kyrie.*

118. Electus respondebit Episcopo, itemque Ministri et ceteri Assistentes.

119. Assistentes Electo, qui manebunt apud scabella sua, quum nullos habeant Cappellanos assistentes, poterunt respondere Episcopo in Confessione.

120. Interim ab uno vel duobus clericis amovebitur faldistorium de medio Altaris; Cappellanus a libro deponet Pontificale super abacum et accipiet Missale; clerici designati ante Altare Electi reportabunt scabella pro Electo et Assistentibus.

121. Subdiaconus manipulum inducet brachio Episcopi post *Indulgentiam* etc. Electus autem propter actionem istam recedet aliquantulum ab Episcopo, eique rursus appropinquabit, Missam prosecuturus.

122. Dicto *Oremus* ab Episcopo, Abbates assistentes se adiungent Electo. Episcopus et Electus se ad invicem salutabunt et hic cum Assistentibus praedictis redibit ad Altare suum; Episcopus autem cum Ministris et Assistentibus suis prosequetur ritu praescripto Missam pontificalem.

123. Electus cum Assistentibus reversus ad Altare suum, salutabit Crucem et sedebit scabello, humeris ad ipsum Altare conversis. Assistentes, ut Electus, sedebunt scabellis suis, senior a dextris, alter a sinistris Electi et caput operient mitra, vel bireto.

124. Se sistet Electo clericus cum Canone pontificali, ex

quo leget psalmos *Quam dilecta* etc. Hoc tempore Cubicularius, vel Conversus eius ordinis habitu talari indutus, educet ei calceos usuales et induet sandalia albi coloris cum sandaliis similibus, si gaudebit usu Pontificalium.

125. Continuabitur interea Missa pontificalis ordine praescripto, et quum Episcopus post thurificationem Altaris accedet ad thronum, transiens ante Electum, nullam ei faciet reverentiam, quum occupetur in recitatione psalmorum etc.

126. Postquam Electo impositae erunt caligae et sandalia (si eorum usu gaudebit) et absolverit recitationem psalmorum aliarumque precum, Caeremoniarius vel Cappellanus, qui ei assistet, exuet ei pluviale, et imponet Crucem pectoralem e collo pendentem, expediens stolam, quam habebat in pectore decussatam, deinde ipsi induet tunicellam, dalmaticam et planetam ac brachio sinistro inducet manipulum. Quod si Electus careret usu Pontificalium, exuetur pluviali, inducetur manipulus eius brachio sinistro et induetur planeta.

127. Parato Electo, Assistentes eius sibi de capite detrahent mitram vel biretum, et simul consurgentes cum Electo convertentur ad Altare, ac reverentia facta Cruci illius, ascendent in suppedaneum. Assistentes iuxta ordinem antiquitatis locum sument a dextris et a sinistris Electi, quod observabunt etiam deinceps in reliquis actionibus.

128. Electus dicet orationem *Aufer a nobis*, osculans Altare ad illa verba *Quorum Reliquiae* etc. et nunquam se movens de medio Altaris Missam leget ex Missali collocato in media ipsius Altaris mensa.

129. Notabitur quousque processerit Missa solemnis, quia si exempli gratia nondum recitatum erit *Kyrie*, Electus expectabit ibi, recitaturus ipsum submissa voce eodem tempore cum Episcopo: item omnia ea, quae cantabit Episcopus in Missa, Electus recitabit submissa voce una cum Episcopo. Ad *Gloria in excelsis*, si recitandum erit, Electus stabit eodem statu ac supra, recitabit hymnum praedictum cum Assistentibus, deinde sedebit, ut antea, caput operiens bireto, et congruens cum choro in cantu verborum *Adoramus te* etc.

130. Absoluto cantu hymni angelici, si cantandus erit,

Electus cum Assistentibus redibit ad Altare suum: osculato dein Altari, non conversus ad populum dicet *Dominus vobiscum* et orationes. Advertatur collecta *pro Electo* recitanda sub unica conclusione cum prima oratione Missae. Deinde rursus sedebit et completo cantu Epistolae, redibit ad Altare suum, ubi simul cum Episcopo leget Epistolam et Graduale usque ad ultimum versiculum ipsius, vel tractus aut Sequentiae.

131. Episcopus quoque post cantum Epistolae, quum Subdiaconus osculatus erit manum eius, leget Graduale, ut supra.

132. Electus postquam legerit Graduale modo supra innuto, descendet de Altari et consistet ante scabellum stans versis humeris ad Altare ipsum, quod etiam facient Assistentes, qui mitra caput cooperient, si eius usu gaudebunt.

133. Episcopo, postquam legerit, ut supra, Graduale, tolletur gremiale a secundo Diacono assistente, accipiet sinistra baculum pastoralem, assurget, descendet de throno et accedet ad Altare.

134. Presbyter assistens praecedet Episcopum, qui incedet medius inter Diaconos assistentes et per chorum transiens benedicet Clerum; Caudatarius sequetur Episcopum et syrmam vestis eius sustentabit, post caudatarium quatuor Cappellani a mitra, baculo, libro et scotula.

135. Quando Episcopus transibit ante Electum, salutabit ipsum, vel donabit ei benedictionem, iuxta regulam superius expositam.

136. Interim ab uno vel duobus clericis reponetur pro Episcopo faldistorium in medio suppedaneo Altaris maioris, et pulvinar, in quo geniculabit.

137. Diaconus et Subdiaconus venient ante Altare, ut se adiungant Episcopo.

138. Cappellanus a libro deponet Missale super abacum et accipiet Pontificale, utendum in benedictione.

139. Ponentur etiam pulvini duo ex panno violaceo a latere Evangelii super gradus Altaris propter prostrationem Electi.

140. Electus caput operiet bireto et sequetur cum Assistentibus suis Episcopum ad Altare procedentem. In promptu stabunt clerici duo, scabella Assistentium translaturi.

141. Quum ante Altare venerit Episcopus, recedent Presbyter assistens et Diaconi assistentes. Succedent in assistentiam Episcopi Diaconus et Subdiaconus.

142. Episcopus, ante Altare progressus, reverentiam ad Crucem cum Ministris et Assistentibus conficiet, ascendet ad Altare, dimittet baculum pastoralem et geniculabit in faldistorio.

143. Electus ante Altare ubi venerit, caput nudabit bireto, quod tradet Cappellano suo, reverebitur Crucem, deinde procumbet a sinistris Episcopi super gradus Altaris in pulvinis praeparatis.

144. Assistentes Electi mitram in capite retinentes, si eius usu gaudebunt, secus dimisso bireto, geniculabunt apud scabellum utrique ipsorum praeparatum ante Altare quo loco erant tempore Examinis.

145. Cappellanus a libro Pontificale accipiet et apertum praesentabit Episcopo, qui genuflexus erit quique intonabit antiphonam *Ne reminiscaris*, quae cantabitur a cantoribus simul cum psalmis poenitentialibus. Post cantum psalmorum repetetur antiphona et cantores duo genuflexi ante Altare cantabunt Litanias, quibus respondebunt adstantes.

146. Sub finem Litaniarum in promptu erunt Cappellani cum scotula et cum baculo.

147. Cantato ℣. *Ut omnibus fidelibus defunctis* etc. assurget Episcopus cum Ministris et baculum sinistra accipiet; convertetur versus Electum et versiculos super eum cantabit *Ut hunc Electum* etc. et benedicet ipsum, ut in Pontificali. Abbates assistentes non recitabunt versiculos praedictos nec donabunt benedictionem.

148. Post benedictionem recedent Cappellani a libro et a scotula, Episcopus dimittet baculum, procumbet iterum super faldistorium et cantores resument cantum Litaniarum easque complebunt.

149. Absolutis Litaniis, Electus manebit prostratus. Episcopus assurget et cum ipso Clerus in choro. Removebitur a clerico pulvinus, in quo geniculaverit Episcopus, qui conscenso Altaris suppedaneo, stabit aliquantulum conversus ad Electum prostratum.

150. Diaconus exuet Episcopo mitram. Episcopus iunctis manibus cantabit versiculos, ut in Pontificali, et orationem *Concede quaesumus* etc. Subiunget deinde alteram orationem *Cunctorum bonorum* etc. usque ad conclusionem *Quod ipse praestare digneris, qui vivis et regnas Deus.*

151. Electus de prostratione assurget et geniculabit ante Episcopum, qui manibus ante pectus expansis cantabit praefationem tono feriali.

152. Deinde Episcopus ad illa eiusdem praefationis verba *Ut qui per nostrae manus* etc. (quae cantare prosequetur, ut supra) imponet utramque manum capiti Electi usque ad verba *separetur indignus,* inclusive. Postea manibus ante pectus expansis cantabit ultimam partem praefationis *Suscipiat te Domine* etc. Conclusionem autem praefationis dicet iunctis manibus et submissa voce. Tum elata voce recitabit reliquas tres orationes.

153. Hoc tempore ab uno pluribusve clericis, prope Altare a latere dextero Evangelii, in promptu habebitur liber Regulae tradendus Electo, ac si gaudebit usu pontificalium, baculus pastoralis et annulus; vasculum etiam aquae sanctae cum aspersorio, si benedicenda erunt obiecta haec.

154. Expleto cantu praefationis, Episcopus sedebit faldistorio et Diaconus ei reponet mitram.

155. Diaconus porriget Episcopo librum Regulae, et Episcopus praesentabit illum Abbati, qui manus libro eidem imponet, dum ab Episcopo recitabitur formula *Accipe regulam* etc.

156. Episcopus librum restituet Diacono, hic clerico. Si Abbas gaudebit usu pontificalium, ac si benedicendus erit baculus, Diaconus mitram exuet Episcopo, qui assurget, recitabit orationem super baculum sibi praesentatum ab uno ex Cappellanis Abbatis, et accepto aspersorio e manibus Diaconi, baculum ipsum asperget aqua benedicta.

157. Episcopus aspersorio reddito Diacono, sedebit et a Diacono ipso cooperietur mitra.

158. Episcopus a Diacono baculum accipiet et porriget Abbati, qui utraque manu accipiet, et Episcopus illum adhuc sustinens recitabit formulam *Accipe baculum* etc. Baculum deinde Diaconus recipiet ac restituet clerico a quo illum acceperit.

159. Si nondum erit benedictus annulus, Diaconus exuet mitram Episcopo, qui assurget et orationem recitabit super annulum sibi in lance praesentatum ab uno ex Cappellanis Abbatis, dein asperget illum aqua sancta, ut supra, et sedebit.

160. Reposita a Diacono mitra Episcopo, hic recipiet a Diacono annulum, quem inseret digito dextro annulari Abbatis, dicens *Accipe annulum* etc.

161. Diaconus mitram tollet Episcopo, qui assurgens et conversus ad Abbatem recitabit orationem *Oremus. Te omnipotens* etc.

162. Post orationem Episcopus rursus sedebit et Diaconus ei reponet mitram. Assistentes Abbatis accedent ad eum. Episcopus amplexum dabit Abbati, qui amplexu ab Episcopo accepto, assurget et amplectetur primum Assistentem suum, deinde secundum.

163. Cappellanus a libro deponet Missale super abacum et recipiet Missale.

164. Clerici duo advertent, ut reportent ante Altare Electi scabella Assistentium.

165. Descendent de Altari Abbas cum Assistentibus suis, qui facta contextim reverentia ad Altare et Episcopum, accedent ad Altare suum, ibique salutabunt Crucem et consistent ante scabella, humeris ad Altare ipsum conversis.

166. Revertentur ante Altare Diaconi assistentes et Presbyter assistens.

167. Episcopus, postquam Abbas cum Assistentibus ad Altare suum pervenerit, accipiet sinistra baculum, surget de faldistorio, descendet de Altari medius inter Ministros et ad Altare conversus, salutabit Crucem.

168. Episcopus, praeeunte Presbytero assistente, medius inter Diaconos assistentes, sequentibus caudatario et quatuor Cappellanis a mitra, baculo, libro et scotula, revertetur ad thronum; transiens ante Abbatem et Assistentes salutabit eos vel donabit benedictionem, ut notatum superius est; transiens autem per chorum dextra Clerum benedicet.

169. Ministri redibunt ad locum suum in latus Epistolae.

170. Episcopus conscenso throno, sedebit, dimittet bacu-

lum, reponetur ei gremiale a primo Diacono assistente eique se sistent Cappellani cum Missali et scotula ac leget ultimum versiculum Gradualis vel tractus aut Sequentiae, deinde *Munda cor meum* et Evangelium.

171. Abbas cum Assistentibus suis ascendet ad Altare suum et leget ultimum versiculum Gradualis vel tractus aut sequentiae, *Munda cor meum* et Evangelium, quod tamen non osculabitur nec dicet *Per evangelica dicta* etc. Redibit sessum, ut antea, et cum ipso Assistentes.

172. Interim a choro cantabitur versiculus Gradualis seu Tractus sive Sequentiae.

173. Dum legere Evangelium Episcopus incipiet, Diaconus librum afferet ad Altare et fient ea omnia quae praescripta fuerunt in Missis pontificalibus.

174. Ad cantum Evangelii Abbas cum Assistentibus stabunt. Quando Episcopus intonabit *Credo,* Abbas cum Assistentibus ascendent ad Altare suum et simul recitabunt *Credo*, postea redibunt sessum, ut in principio.

175. Sub finem Symboli disponentur oblationes quae afferentur a Monachis quinque illius Monasterii, cuius Abbas benedicitur. Caeremoniarius tradet primo duo intorticia ardentia, secundo panem inauratum, tertio panem argentatum, quarto doliolum auratum, quinto alterum doliolum argentatum et iuxta positionem presbyterii disponentur ita, ut possint ordinatim sequi Abbatem quum ascendet ad thronum.

176. Praesto erunt etiam qui ministrare Episcopo debebunt lotionem, praesertim si actionem istam fungeretur Magistratus.

177. Expleto cantu Symboli, Diaconus assistens secundus tollet gremiale et mitram Episcopo, qui assurgens cantabit *Dominus vobiscum*, *Oremus* et leget versiculum Offertorii.

178. Abbas cum Assistentibus suis ascendet ad Altare suum, osculabitur illud, dicet *Dominus vobiscum* non conversus ad populum, et leget versiculum Offertorii.

179. Episcopus sedebit et Diaconus assistens primus cooperiet eum mitra pretiosa, si utenda erit, secus mitra auriphrygiata eique reponet gremiale.

180. Abbas cum Assistentibus descendet de Altari suo et cum ipsis Crucem Altaris salutabit; Assistentes, si mitrae usu gaudebunt, caput ipsa cooperient et medium inter se ducent Abbatem ad thronum. Si transeundum erit ante Altare maius, conficient reverentiam, quam facient etiam Episcopo, quum ante thronum pervenerint. Monachi cum oblationibus unus post alium sequentur Abbatem ordine superius innuto, et ipsi quoque genuflexionem ad Altare maius et ad Episcopum conficient ut supra.

181. Abbas ab Assistentibus suis adducetur in thronum et geniculabit ante Episcopum. Monachi cum oblationibus et ipsi in thronum ascendent, accedent ad dexteram Abbatis, porrigent ipsi oblationes et immediate transibunt ad sinistram eius. Abbas praesentabit intorticia Episcopo, cuius osculabitur manum quo momento illa Episcopus accipiet. Episcopus tradet illa primo Diacono assistenti, hic autem clerico vel monacho eidem, qui attulerit ea, et ab ipso referentur ad abacum. Id ipsum fiet de panibus et doliolis.

182. Abbas, praesentatis oblationibus, assurget et una cum Assistentibus suis descendet de throno, procedet ad Altare maius ibique expectabit ante latus Evangelii. Assistentes medium inter se continebunt Abbatem ac dimittent mitras, si utentur.

183. Clericus unus in promptu habebit scabellum, in quo ponetur Missale pro Abbate et pulvinus, in quo geniculabit.

184. Statim ac de throno descenderit Abbas, secundus Diaconus assistens tollet gremiale Episcopo, qui dimittet annulum et chirothecas.

185. Ministri lotionis ascendent ad thronum, quum inde descenderit Abbas.

186. Ad lotionem manuum Episcopi stabunt Abbas cum Assistentibus, Canonici et Praelati, si aderunt, ceteri omnes adstantes geniculabunt.

187. Profectis Ministris lotionis, Episcopus accepto baculo surget, descendet de throno et accedet ad Altare, prosecuturus Missam pontificalem, observando totum id, quod praescriptum est cap. IX. lib. V. exceptis animadversionibus sequentibus.

188. Quando Episcopus transibit ante Abbatem et Assistentes, qui stabunt in plano ante Altare, ut supra, salutabit eos vel donabit ipsis benedictionem, iuxta distinctionem superius allatam.

189. Abbas, statim ac Episcopus ante Altare pervenerit, procedet ante Altare, sed aliquantulum longe ab ultimo gradu, ne impediat actiones Ministrorum, ibique geniculabit in pulvino, qui appositus erit; habebit ante se positum in scabello Missale apertum, ex quo leget Missam. Assistentes stabunt prope eum et geniculabunt tantum quando geniculabit Chorus.

190. Organa, si licebit sonare pro qualitate officii, sonare cessabunt statim ac ad Altare pervenerit Episcopus.

191. Episcopus elata voce recitabit secretas omnes simul cum Abbate, qui nullum Crucis signum aliumve faciet actum, sed semper erit genuflexus apud scabellum suum, iunctis manibus.

192. Praeter Hostiam ponetur super patenam particula una, consecranda pro Communione Abbatis.

193. Benedictio thuris et reliquae preces praescriptae in thurificatione Altaris recitabuntur ab Episcopo tantum.

194. Quando Diaconus incensabit Episcopum, assurget Abbas, duplici ductu incensabitur a Diacono, deinde rursus submittet genua. Episcopus lavabit manus, dicens psalmum consuetum. Postmodum Abbates Assistentes sive duo Monachi assistentes thurificationem accipient.

195. In reliqua Missa observabitur quod traditum est capitulo IX. praecedenti num. 133.

196. Postquam Episcopus largitus erit benedictionem et a Presbytero assistente publicata erit Indulgentia, reponetur faldistorium ad medium Altaris in suppedaneo, sedebit in illo Episcopus, dimittet baculum et utetur assistentia Diaconi et Subdiaconi.

197. Presbyter assistens cum Diaconis assistentibus redibunt in chorum ad stallum suum.

198. Cappellanus a libro advertet ut resumat ex abaco Pontificale in usum Episcopi ut infra.

199. In promptu erunt clerici cum mitra, cum chirothe-

cis, cum baculo Abbatis, si gaudebit usu pontificalium, et cum vasculo aquae sanctae cumque aspersorio, si chirothecae et mitra nondum erunt benedictae.

200. Sedenti Episcopo se sistet Abbas, qui geniculabit ante ipsum. A Caeremoniario aut a Cappellano capiti Abbatis imponetur pileolus.

201. Si nondum mitra erit benedicta, Diaconus mitram exuet Episcopo, qui assurget et recitabit orationem praescriptam super mitram, quae sustinebitur a clerico; tum accipiet a Diacono aspersorium et mitram asperget aqua benedicta.

202. Episcopus iterum sedebit faldistorio, mitra cooperietur a Diacono, et receptam a Diacono ipso mitram Abbatis imponet ipsius capiti dicens *Imponimus, Domine* etc.

203. Caeremoniarius vel Cappellanus annulum educet e digito Abbatis.

204. Si benedicendae erunt chirothecae, Episcopus illas benedicet, ut supra.

205. Sedens Episcopus cum mitra in capite, accipiet chirothecam dexteram et dextrae Abbatis induet illam, deinde sinistram sinistrae, recitans interea formulam *Circumda Domine* etc. Tum acceptum e manibus Diaconi annulum Abbatis inseret digito eius annulari dextro.

206. Si benedictio peragetur in ecclesia propria Abbatis, Episcopus assurget et manu dextera Abbatis accepta, ducet eum ad thronum praeparatum, ut supra, in latere Epistolae, eique postquam sederit, tradet baculum in sinistram, dicens *Accipe plenam* etc. Ad hunc actum sonabunt festivo more omnes campanae ecclesiae et Monasterii.

207. Sin autem benedictio fiet extra ecclesiam Abbatis, Episcopus assurget et manu dextera Abbatis accepta, ducet eum sessum ad fadistorium suum eique tradet baculum in sinistram recitans formulam *Sta in iustitia* etc.

208. Diaconus et Subdiaconus sequentur Episcopum ad sedem Abbatis, itemque Cappellanus cum libro etc.

209. Episcopus stans a dextra Abbatis, si hic sedebit throno suo, vel recedens in latus Evangelii, si Abbas sedebit faldistorio, nudabitur mitra a Diacono et intonabit *Te Deum*, quod in cantu prosequetur Clerus in choro.

210. Si Abbas gaudebit usu Pontificalium, intonito *Te Deum*, assurget, descendet de sede sua vel de Altari, reverentiam ad Episcopum et ad Altare faciet, ac medius inter Assistentes suos incedet per ecclesiam et benedictionem donabit adstantibus.

211. Redibit ad Altare sive in chorum et sedebit faldistorio vel sede sua.

212. Si carebit usu Pontificalium, omittetur quod descriptum supra est, et Episcopus, benedictione solemni impertita, immediate inthronizabit Abbatem vel sedi in choro vel faldistorio et formulam respectivam recitabit. Abbas inthronizatus ab Episcopo, sibi ipse imponet biretum et Episcopus exutus mitra a Diacono, intonabit *Te Deum*, ut supra.

213. Postquam Abbas benedictionem per ecclesiam donaverit ac sederit, sive gaudebit usu pontificalium, sive non gaudebit, post intonationem *Te Deum*, Monachi unus post alium se sistent ante eum, reverentiam ipsi facient, eiusque manum osculabuntur et vultum. Advertent etiam, ut revereantur Episcopum et Altare.

214. Hoc tempore Assistentes manebunt prope Episcopum a sinistris eius.

215. Expleto cantu *Te Deum*, perstans adhuc Episcopus vel in latere Evangelii vel a dextra sedis Abbatis, conversus ad Altare recitabit in cantu versiculos cum oratione, post quam, si Abbas sedebit in choro vel throno suo, Episcopus rursus coopertus mitra a Diacono et sinistra recepto baculo pastorali, comitantibus Ministris, ut supra, redibit ad Altare et consistet in latere Evangelii. Abbas medius inter Assistentes suos sequetur Episcopum et procedet ad Altare.

216. Si Abbas gaudebit usu Pontificalium, Episcopus quum venerit in latus Evangelii, dimittet baculum et mitra nudabitur a Diacono, secus eam retinebit propter acclamationem, ut infra.

217. Quum Abbas ad Altare pervenerit, Assistentes recedent ad dexteram Episcopi, et mitram sibi exuent, si utentur.

218. Si Abbas sedebit faldistorio, assurget, convertetur ad Altare, amoto faldistorio.

219. Abbas, usu gaudens Pontificalium, donabit benedictionem, cantans *Sit nomen Domini* etc. Dictis autem verbis *Benedicat vos omnipotens Deus*, accipiet sinistra baculum et priusquam benedictionem donet, reverebitur Episcopum, deinde trinam populo benedictionem impertietur.

220. Episcopus mitra cooperietur a Diacono, Assistentes sibi ipsi mitram imponent.

221. Abbas, benedictione impertita, geniculabit in latere Epistolae et una tantum vice cantabit *Ad multos annos*.

222. Si carebit usu Pontificalium, recepta ab Episcopo mitra post orationem, Abbas, dimisso bireto, genuflexus, ut supra, ante Episcopum cantabit una tantum vice *Ad multos annos*.

223. Assurget Abbas et excipietur ad amplexum ab Episcopo, dein ab Assistentibus suis.

224. Descendet de Altari medius inter suos Assistentes et cum ipsis salutabit Crucem, postea Episcopum. Accedent iunctim ad Altare suum, ubi dimisso baculo et mitra ac reverentia facta ad Crucem, ascendent in suppedaneum.

225. Episcopus quum responderit salutationi Abbatis et Assistentium, mitra a Diacono nudabitur, convertetur ad Altare, incipiet ultimum Evangelium S. Ioannis, signabit Altare, tum a Diacono reponetur ei mitra. Resumpto deinde baculo, praeeunte Presbytero assistente, recitans Evangelium praedictum, redibit in thronum, medius inter Ministros, sequentibus Diaconis assistentibus et Cappellanis a mitra, baculo, libro et scotula et completo Evangelio, dimittet paramenta sacra.

226. Abbas Evangelium idem integrum recitabit in Altari suo, ex quo deinde cum Assistentibus descendet, reverebitur Crucem Altaris eiusdem et sedens scabello, ut in principio, a Caeremoniario vel a Cappellanis suis exuetur sacris paramentis, videlicet annulo, chirothecis, manipulo, planeta et reliquis. Sin usu Pontificalium carebit, exuetur planeta, stola, manipulo et reliquis atque induetur mantelleto et mozzeta.

227. Assistentes etiam paramenta dimittent et resument habitum, quo induti erant ante officium.

228. Canonici, dimissis paramentis, resument habitum choralem, ideoque praesto erunt clerici cum canistris allaturi indumenta choralia et recepturi paramenta,

229. Episcopus, exutus paramentis, induet iterum cappam et a Subdiacono tollentur ei caligae et sandalia, ut in Missis pontificalibus.

230. Hoc ipsum fiet Abbati a suo Converso, si usus fuerit caligis et sandaliis eique reponentur calcei usuales.

231. Episcopus et Abbas recitabunt ex Canone pontificali preces gratiarum actionis.

232. Faldistorium cum pulvinis pro Episcopo ante Altare restituetur.

233. Peracta gratiarum actione, Episcopus et Abbas cum Assistentibus et Clero quoque, ordine descripto in principio, orabunt ante Altare maius, deinde ad Altare SS. Sacramenti et associabitur Episcopus ad portam ecclesiae, ubi Abbas ei gratias aget pro benedictione sibi impertita.

234. Si Episcopus fuerit Ordinarius, quum discedet de ecclesia, pulsabuntur festivo more campanae.

DE BENEDICTIONE
PLURIUM ABBATUM.

CAPUT XI.

1. Duobus superioribus capitulis ritum descripsimus servandum in benedictione Abbatis solemniter aut privatim persolvenda.

2. Non potest nisi raro contingere, ut peragenda sit plurium Abbatum benedictio, si excipiatur circumstantia Capituli generalis in aliquo Ordine monastico, cuius Abbates electi teneantur accipere benedictionem abbatialem.

3. Si tamen id accideret, quin frustra repetamus instructiones praecedentibus capitulis traditas, satis esse videtur quasdam regulas generales proferre, quae opus sint ad circumstantiam supra allatam.

4. Ad Altare SS. Sacramenti aderit numerus sufficiens pulvinarium, qui respondeat numero Electorum et Abbatum assistentium.

5. Quod ad ornatum Altaris maioris nulla occurrit variatio: notandum tamen, quod numerus pulvinarium ante Altare augendus est, ut satis sit numero Electorum et Assistentium.

6. Pro Electis unum tantum praeparabitur Altare, quod augebitur in longitudinem, si opus fuerit. Altare istud instruetur Cruce et quatuor tantum candelabris, quamvis plures sint Abbates benedicendi. Singulis ipsorum praeparabitur super Altari Missale et paramenta pro uno Abbate iam alibi notata, quo ordine docebitur inferius.

7. Ante idem Altare tot scabella ponentur, quot Abbates accepturi benedictionem, et pro duobus Assistentibus etiam, quorum numerus est immutabilis, licet Abbates benedicendi sint plures.

8. Singulis Electis singuli aderunt Canones pontificales, quibus utentur in praeparatione ad Missam et in gratiarum actione.

9. Relate ad obiecta praeparanda super abacum, praeter illa quae superius notata sunt, praeparabuntur particulae quae satis sint numero Abbatum, et poterunt etiam poni in pyxide.

10. In promptu erunt faldistoria plura cum veste albi coloris ad inthronizandos Abbates in fine functionis. Quocirca curabitur, ut augeatur suppedaneum et ceteri Altaris gradus, ut commode possint Abbates sedere faldistoriis, quae ibi apponentur.

11. In Abaco Electorum, praeter obiecta notata, praeparabitur pro singulis ipsorum calix cum vino et purificatorio propter purificationem post Communionem. Item intorticia, panes et doliola vini plena pro singulis, vel etiam quibus utitur unus, licebit alteris uti. Si Electi gaudebunt usu Pontificalium, disponentur pro singulis eorum caligae et sandalia, chirothecae, mitrae, annuli et prope abacum praeparabitur baculus pastoralis cum velo appenso, ab unoquoque eorum utendus.

12. Procurabitur numerus pulvinorum sufficiens prostrationi.

13. In Sacrario aderunt sedes numero sufficienti Electis (si illuc convenient) et superpellicia pro Cappellanis.

De functione

14. Quin repetamus quae superioribus capitulis tradita sunt, variationes tantum, quae poterant occurrere, notabimus.

15. Abbates assistentes cum Electis expectabunt Episcopum in limine ecclesiae a sinistra ingressus. Assistens primus stabit prope portam in parte interiori, secundus a sinistris primi, Electus primus a sinistris secundi Assistentis, secundus Electus a sinistris primi Electi, tertius a sinistris secundi Electi, eodemque ordine reliqui, si aderunt.

16. Incedentes per ecclesiam Electi et Assistentes sequentur Episcopum ordine sequenti. Si duo fuerint Electi, primus incedet a dextra, secundus a sinistra, ita ut Electus primus stet a sinistris primi Assistentis et Electus secundus a dextris Assistentis secundi. Si tres numero fuerint Electi, primus eorum incedet in medio, secundus a dextris primi, tertius a sinistris primi: si quatuor, primus incedet a dextris, secundus a sinitris primi, tertius a dextris primi, quartus a sinistris secundi. Eadem methodus servabitur, si numerus eorum maior esset.

17. Ordo praescriptus in incessu per ecclesiam, servabitur, etiam in adoratione ad Altare SS. Sacramenti et in brevi oratione ante Altare maius.

18. Quod ad praeparationem ad Missam, sive functio celebretur cum cantu, sive sine cantu, observabitur quod praescriptum fuit in capitulis superioribus. Nisi Canon singulis Abbatibus parari posset, canone uno utentur Electi duo.

19. Si Electi gaudebunt usu Pontificalium, ponentur eis caligae et sandalia a respectivis suis conversis, quando monebit Caeremoniarius, eo quod actio ista pendeat a modo, quo peragetur benedictio, cum cantu nempe vel sine cantu.

20. Electi non lavabunt manus, et quum parabitur Epi-

scopus, ipsi quoque a respectivis Cappellanis induentur sacris paramentis.

21. Quum Episcopus ad Altare ascenderit, Electi cum Assistentibus procedentes ante Altare maius, non commutabunt locum; posset enim inde oriri confusio; sed quo loco erunt tum Electi, tum Assistentes, convertentur ad Crucem Altaris sui, reverentiam conficient, deinde quo ordine stabunt, venient ante Altare et Episcopum.

22. Electi in examine sedebunt ad lineam e regione Episcopi, Assistentes autem facie aliquantum ad invicem conversa.

23. Si Electi praestituri erunt iuramentum, genuflectent iunctim eodem ordine super infimum gradum Altaris ante Episcopum, cui appositum erit scabellum cum libro, continente formulam iuramenti. Primus inter Electos leget formulam voce alta et intelligibili. Formula autem lecta a primo, unus ex Cappellanis amovebit scabellum cum libro, et Episcopus apertum sustinebit Missale genibus suis. Electus primus manus extensas super Missale imponet ac dicet - Sic me Deus adiuvet etc. - Assurget, salutabit Episcopum et sessum accedet ad scabellum suum. Electus secundus geniculabit ante Episcopum ac dicet - Et ego Electus Monasterii *N.* ordinis S. *N.* dioecesis *N.* iuro in omnibus et per omnia, ut supra in forma iuramenti iam lecta, facere et observare pro Monasterio *N.* mihi commisso - Postea manus imponet Missali, dicens - Sic me Deus adiuvet etc. - Assurget, reverebitur Episcopum et sessum recedet ad scabellum suum; idem facient deinceps ceteri, si aderunt.

24. Episcopus leget Examen singulari numero et ad responsa unusquisque Electus, unus post alium, caput aperiet, assurget et respondebit, ut notatum est in Pontificali. Episcopus dicet pluraliter tantum - Haec omnia et cetera bona tribuat vobis etc. - Variationem etiam advertet Episcopus in ultima interrogatione, ut superius innuimus.

25. Electi unus post alium, initio facto a primo, osculabuntur manum Episcopi et recedent in latus Evangelii; quo ordine mox declarabitur.

26. Episcopus descendet ante Altare, ac mitra dimissa, incipiet Confessionem. Electi respondebunt ei, stantes omnes

a sinistris eius, nempe primus stabit a sinistris Episcopi, secundus a sinistris primi, tertius a sinistris secundi, quartus a sinistris tertii atque ita reliqui, si aderunt.

27. Quando Episcopus ad Altare ascendet, Electi recipient ordinem, quem servabant ab initio dum sedebant in examine, et reverentia ad Altare confecta, redibunt ad Altare suum, sedebunt scabellis et exuti pluviali, a Cappellanis suis induentur aliis paramentis, ibi indicatis.

28. Postquam Electi induti erunt paramentis missalibus, quum debeant ascendere ad Altare minoris formae, ad confusionem vitandam, servabunt ordinem sequentem. Assurgent cum Assistentibus et convertentur ad Altare suum; Assistens primus, qui aderit in latere Evangelii, transibit super suppedaneum et veniet in latus Epistolae; prope Assistentem primum ibit Electus, qui sedebat a sinistris eius, et consistet in latere Epistolae ad Missale praeparatum: prope Electum eundem incedet alter, qui sedebat a sinistris eius, procedet ad Altare versus latus Epistolae et consistet a sinistris Electi, qui erit prope primum Assistentem, eodemque modo reliqui, ultimo loco ibit secundus Assistens, qui consistet in latere Evangelii. Quum autem redeundum erit ante Altare idem ad scabella, se movebit Assistens primus, post eum Electus, qui propior erit ei, deinde ceteri, postremo Assistens secundus.

29. Collecta pro Electis dicetur ab Episcopo numero plurali, quod etiam observabunt in secreta et in postcommunione.

30. In prostratione Electi erunt a sinistris Episcopi ordine, quem descripsimus in Confessione, videlicet primus procumbet a sinistris Episcopi, secundus a sinistris primi Electi, tertius a sinistris secundi atque ita deinceps, si plures fuerint.

31. In Litaniis benedictio ab Episcopo donabitur pluraliter *Ut hos electos* etc. Orationes et praefatio dicentur etiam plurali numero; impositio manuum tantummodo *Ut qui per manus nostrae* etc. fiet super singulos eademque formula super unumquemque singulariter repetetur.

32. Traditio libri Regulae et insuper traditio annuli, si gaudebunt usu Pontificalium, fieri poterit pluraliter vel etiam singulariter unicuique.

33. Quod ad modum praesentandi oblationes, advertatur quod traditum est cap. VI. de Consecratione plurium Episcoporum num. 38. et ordo idem servari poterit.

34. Abbates erunt ante Altare genuflexi, recitantes cum Episcopo Missam, eodem ordine quo sederint in Examine.

35. Pax ab Episcopo praebebitur unicuique Abbati, servato ordine antiquitatis, et unusquisque Abbas, reversus ad locum suum, donabit eam Assistentibus.

36. In Communione genuflectent omnes in extremitate suppedanei, primus versus latus Epistolae, secundus a sinistris primi, tertius a sinistris secundi atque ita porro, si qui superant.

37. Benedictione ab Episcopo in fine Missae impertita, reponetur in medio Altaris faldistorium, in quo Episcopus ipse sedebit.

38. Cappellani Abbatum accipient chirothecas, mitras et pileolos eorum. Singuli Cappellani suis Abbatibus imponent capiti pileolum.

39. Abbates consurgent et a clericis tollentur de presbyterio Missalia et scabella, quibus usi erunt Abbates in Missa.

40. Assistentes ducent Abbatem primum ante Episcopum, qui imponet ei mitram, chirothecas et annulum. Postea primus Abbas praedictus assurget, de Altari descendet et consistet in pedes ante Altare. Assistentes adducent ante Episcopum Abbatem secundum, cui mitram, chirothecas et annulum Episcopus, ut primo, imponet, idemque pariter deinceps faciet reliquis.

41. Advertent respective Abbatum Cappellani, ut in promptu habeant faldistorium et baculum pastoralem pro singulis Abbatibus.

42. Episcopus, postquam mitram et chirothecas cum annulo imposuerit cunctis novis Abbatibus, assurget ac recedet versus latus Evangelii.

43. Ponentur a Cappellanis super suppedaneum Altaris faldistoria et illud, quo usus erit Episcopus, honoratiorem locum obtinebit.

44. Dispositis, ut supra, faldistoriis, accedet ad Altare pri-

mus Abbas et Episcopus dextera eius accepta, inthronizabit eum faldistorio, quo ordine docebitur inferius, eique tradet baculum in sinistram. Deinde inthronizabit secundum eique tradet pastorale. Postmodum tertium et reliquos, si supererunt.

45. Quod spectat ad ordinem, quo sedendum erit, servabitur sequens regula. Si duo fuerint Abbates, primus sedebit versus latus Evangelii, alter a sinistris primi versus latus Epistolae. Sin fuerint tres, primus sedebit in medio, secundus a dextris primi, tertius a sinistris primi. Sin quatuor numero fuerint, primus a sinistris suis habebit secundum, tertium a dextris, quartus sedebit a sinistris secundi, et ordinem servabunt eumdem, si numero fuerint maiori.

46. Inthronizatis Abbatibus cunctis, Episcopus dicet formulam *State in iustitia* etc. numero plurali.

47. Intonito ab Episcopo *Te Deum,* duo Assistentes procedent ante Altare, videlicet primus in latus Evangelii, secundus in latus Epistolae. Abbates consurgent iunctim, et quin commutent locum, descendent de Altari, reverentiam conficient ad Crucem et Episcopum, convertentur ad populum atque ita procedentes ad lineam incedent per ecclesiam et benedicent adstantes.

48. In reditu ad Altare consistent ante ipsum ut genuflectant ad ℣. *Te ergo quaesumus* etc. nisi cantatus fuerit. Sin autem cantatus erit, post reverentiam ad Crucem et Episcopum, redibunt unus post alium, sessum ad faldistorium, ut supra, et Assistentes recedent prope Episcopum.

49. Cantato pluraliter ab Episcopo ℣. *Confirma* etc. et orationem *Exaudi, Domine, preces nostras* etc. assurgent Abbates de faldistorio, in quo singuli sederint, et unus post alium descendent in planum lateris Epistolae a latere Altaris. Primus stabit propior Altari, secundus a sinistris primi, tertius a sinistris secundi eodemque ordine ceteri.

50. Cappellani faldistoria de suppedaneo removebunt et seorsim reponent.

51. Remotis de Altari faldistoriis, ascendet illuc primus Abbas, donabit benedictionem et acclamabit Episcopo.

52. Donante benedictionem Abbate primo, ceteri Abbates

nudabuntur mitra a Cappellanis suis et ad benedictionem stabunt.

53. Postquam primus Abbas acceperit amplexum ab Episcopo et Assistentibus, descendet de Altari et subsistet in latere Evangelii.

54. Ascendet ad Altare secundus Abbas, qui benedictionem donabit et acclamationem faciet, ut primus.

55. Abbas primus ad benedictionem, quam impertietur secundus, nudabitur mitra a Cappellano suo, quod idem fiet a ceteris.

56. Abbas secundus postquam amplexum, ut supra, acceperit, descendet in latus Evangelii et consistet a dextris primi Abbatis.

57. Ascendet ad Altare tertius Abbas, qui benedictionem donabit, acclamationem faciet et post amplexum consistet a dextris secundi. Haec eadem peragentur respective a ceteris, si plures fuerint.

58. Postquam Abbates omnes benedictionem dederint, acclamationem fecerint et admissi fuerint ad amplexum, redibunt simul cum Assistentibus ante Altare, ordine iam innuto, reverentiam conficient ad Crucem et ad Episcopum, postea revertentur ad Altare suum. Ibi dimittent baculum et mitram, legent ultimum Evangelium et reversi ante scabella propria, mitram gestantes capite, baculum sinistra manu, salutabunt Episcopum, in thronum vel ad faldistorium euntem, vestes sacras dimissurum.

59. Adiuvantibus Cappellanis suis, sacra vestimenta dimittent, et resumpto mantelleto ac mozzeta, tollentur eis a respectivis Conversis sandalia et caligae atque ut in principio, e Canone pontificali legent preces gratiarum actionis.

60. Si Abbates carebunt usu Pontificalium, observabitur quod traditum est capitulo praecedenti cum animadversionibus hic indicatis.

61. Postremo eodem ordine quo accesserunt ad ecclesiam, discedent ex eadem; quum autem pervenerint in limen ipsius, appropinquabunt ad Episcopum eique gratias agent pro benedictione, quam sibi impertiverit.

DE BAPTISMO
AB EPISCOPO INFANTIBUS CONFERENDO.

CAPUT XII.

1. Baptismum solemniter infantibus administrandum reservatur Episcopo in Sabbato sancto et in Sabbato Pentecostes, si officia dierum illorum celebrabit.

2. Fieri quandoque potest, ut Sacramentum istud conferendum ab Episcopo sit etiam extra utrumque supra nominatum diem; quocirca trademus instructiones de ritu in tali circumstantia observando.

3. Baptismum administrandum esset in ecclesia parochiali, ad hanc rem instructa fonte baptismali. Non semper tamen, propter circumstantias, id in praxi fieri poterit. Quapropter in describendo ritu rationem habebimus utriusque casus.

Quae sint praeparanda.

4. Ante Altare SS. Sacramenti ponetur genuflexorium cum strato et pulvinis eius coloris, qui praescriptus est cap. IV. lib. V.

5. Ardebunt sex cerei in candelabris maioribus, saltem quando Episcopus ibi orabit in accessu ad ecclesiam et in discessu de ipsa.

6. Ad Altare maius, sive aliud Altare prope quod Episcopus parabitur vestibus sacris, praeter sex candelabra cum cereis et Crucem candelabris similem, ponetur pallium albi coloris, cui superponetur alterum violaceum, tollendum functionis tempore, ut inferius docebitur. Gradus Altaris cooperientur tapeto.

7. Super mensam Altaris disponentur paramenta episcopalia, videlicet pluviale coloris violacei cum stola simili, Crux pectoralis, cingulum, alba et amictus, quae paramenta contegentur velo sericeo coloris violacei; prope paramenta pone-

tur formale simplex in lance et in latere Evangelii mitra auriphrygiata (*a*).

8. Prope Altare aderit baculus pastoralis.

9. Super abacum alba tobalea contectum praeparabitur urceus, pelvis ac mantilia seu manutergia duo in lance, candelabra duo cum candelis pro Acolythis, rituale aut pontificale (pars IV.) scotula cum candela, pelvicula cum sale benedicendo, et nomina baptizandi charactere maiori scripta in chartae plagula.

10. Prope abacum, vel alio loco, praeparata aderit Crux hastilis.

11. Loco solito, videlicet in latere Epistolae, ante gradus Altaris, faldistorium cum veste albi coloris, cui superposita erit altera coloris violacei.

12. In medio gradus infimi Altaris ponetur alter pulvinus, in quo geniculabit Episcopus.

13. Aperietur fons baptismalis et ante ipsum sternetur tapetum satis longum, quod extendatur etiam extra septa seu balaustrium baptisterii; poterunt etiam sterni duo, videlicet unum ante fontem, alterum ante ingressum seu cancellos baptisterii.

14. In sacello Fontis, vel extra ipsum, iuxta loci amplitudinem, praeparabitur abacus contectus alba tobalea, in quo disponentur haec: formale pretiosum in lance, pluviale albi coloris cum stola simili, urceus cum pelvi, mantilia seu manutergia duo in pelvicula, aliquantulum medullae panis et mali medici in lance, vascula S. Chrismatis et Olei sacri Catechumenorum in lance cum aliquantulo gossipio soluto, cochleare ad effundendam aquam baptismalem, si baptismum administretur per infusionem, candela tradenda baptizato, vestis candida imponenda baptizato et aliquot manutergia, quibus abstergatur caput baptizati.

15. Ad portam ecclesiae in parte interiori praeparabitur

(*a*) Interdum pro exorcismis, qui baptismum praecedunt, vidi mitram simplicem lineam albi coloris adhiberi. A Caeremoniali lib. I. cap. XVII. sequens regula generalis statuitur – Simplici mitra utitur Episcopus feria sexta in Parasceve, et in officiis et Missis Defunctorum –.

tapetum, explicandum postquam Episcopus in ecclesiam ingressus erit.

16. Sin autem ecclesia fonte baptismali carebit, conferetur baptisma ad Altare maius et in abaco praeparabuntur quae superius enumerata sunt, disponenda in Fonte, quibus adiungetur aqua baptismalis in ampulla, gremiale lineum cum lemniscis pro Episcopo et pelvis maior, qua recipiatur aqua baptismalis, quae defluet de capite baptizati. Notandum, quod aqua baptismalis haurienda est de Fonte ecclesiae cathedralis, seu matricis, vel paroeciae baptizandi, secundum speciales cuiuscumque dioecesis ordinationes.

17. Extra balaustrium, sive in ingressu externo presbyterii supradicti Altaris maioris extendetur tapetum, in quo statuetur faldistorium propter actiones praescriptas extra baptisterium peragendas.

18. In Sacrario vasculum aquae sanctae et superpellicia pro inservientibus.

De functione.

19. Hora praestituta, convenient in Sacrarium clerici, qui assistere debebunt functioni, octo numero et induent superpelliceum, itemque Cappellani seu Presbyteri, quorum officium assistere Episcopo.

20. Episcopus si fuerit Ordinarius excipietur a Clero in limine ecclesiae et Superior ecclesiae ipsius porriget ei aspersorium, quo asperget se ipsum et adstantes.

21. Patrinus et matrina cum baptizando morabutur extra ecclesiam.

22. Episcopus visitabit Altare SS. Sacramenti, sequente Clero: procedet inde ad Altare maius, sive ad Altare in quo peragetur functio, geniculabit in pulvino praeparato in medio gradu infimo ac brevi tempore orabit.

23. Assurget de oratione, reverebitur Crucem et sessum accedet ad faldistorium, adstantibus ei a lateribus Cappellanis duobus superpellicio indutis.

24. Distribuentur clericis paramenta episcopalia et cura-

bitur ab aliquo, ut praesto sint ad portam ecclesiae patrinus, matrina et baptizandus.

25. Episcopus mozzetam dimittet ac retinens biretum in capite lavabit manus eique lotionem ministrabunt sui familiares nobiles et defectu illorum supplebunt clerici duo.

26. Episcopus, dimisso bireto, a Cappellanis suis induetur amictu, stola, alba, cingulo, Cruce pectorali, deinde stola et pluviali violaceo, cui apponetur formale. A Cappellano primo imponetur eius capiti mitra et baculum sinistra accipiet.

27. Dum parabitur Episcopus, clerici tres designati accipient Crucem cum candelabris, ardentibus cereis, et consistent prope ingressum presbyterii.

28. Episcopus, postquam erit paratus, veniet ante Altare, salutabit Crucem et proficiscetur ad portam ecclesiae.

29. Praeibit Crux media inter Acolythos, sequetur Clerus, si aderit, et inter clericos unus ipsorum deferet lancem cum sale et manutergium, deinde Episcopus medius inter duos Cappellanos, sequentibus clericis a mitra et baculo, reliquisque duobus a libro et scotula, quorum alter rituale seu pontificale, alter scotulam portabit, postremo familiaribus eius nobilibus, si aderunt.

30. Unus vel duo clerici transferent faldistorium ad portam ecclesiae, nisi aderit iam alterum praeparatum in limine ipso, et dabitur opera, ut de Altari tollatur pallium violaceum, relicto altero albi coloris.

31. Clerus, quum in limen ecclesiae pervenerit, disponetur in duplicem ordinem, Crux cum candelabris consistet a sinistra portae, advertendo ut stet ferme e regione Episcopi, clericus salem deferens se sistet prope dexteram faldistorii; a sinistris faldistorii duo clerici cum libro et scotula, post faldistorium reliqui duo a mitra et baculo: Episcopus faldistorio sedebit, adstantibus ei a lateribus Cappellanis duobus (*a*).

32. Patrinus et matrina cum obstetrice, quae ulnis sustinebit infantem eumque praesentabit Episcopo, immorabuntur extra portam ecclesiae.

(*a*) Vide adnotationem num. 7. cap. I. lib. IV. appositam, cuius initium *Non erit supervacaneum* etc.

33. Episcopus faldistorio sedens, proferens nomina, quibus placebit vocari baptizandum, interrogabit eum, dicens: *N. quid petis ab ecclesia Dei?* Patrinus, aut matrina respondebit *Fidem.* Subiiciet Episcopus *Fides, quid tibi praestat?* Et patrinus aut matrina: *Vitam aeternam.* Rursus Episcopus: *Si igitur vis ad vitam ingredi* etc. usque ad verba *sicut te ipsum* inclusive.

34. Episcopus assurget ac leviter halitabit versus faciem baptizandi, dicens *Exi ab eo* etc. Sedebit dein et dicens *Accipe signum Crucis* etc. signum Crucis in fronte eiusdem baptizandi pollice dextro efficiet ad verba *tam in fronte* et alterum in pectore ad verba *quam in corde.*

35. Cappellanus primus mitram exuet Episcopo, qui assurget et recitabit orationem *Oremus. Preces nostras* etc. In oratione ista, in sequentibus et in interrogationibus ubi litera N. signata est charactere rubro aut cursivo, proferenda sunt nomina baptizandi (*a.*) Post orationem praedictam, Episcopus manum extensam imponet capiti infantis et recitabit orationem *Oremus. Omnipotens sempiterne Deus* etc.

36. Accedet ad Episcopum clericus deferens lancem salis. A Cappellano primo reponetur mitra Episcopo, qui stans recitabit exorcismum super salem. Post illa verba *ad effugandum inimicum* tolletur ab eodem Cappellano mitra Episcopo, qui prosequetur precationem super salem *Proinde rogamus* etc.

37. Si sal benedictus fuerit, omittetur quod numero praecedenti praescriptum est.

38. Sale benedicto, vel omissa eius benedictione si iam fuerit benedictus, Episcopus sedebit faldistorio et mitra iterum cooperietur; accipiet indice et pollice dexterae manus aliquot grana salis, iniiciet illa in os infantis, dicens *N. accipe salem* etc. absterget digitos mantili seu manutergio ac dicet *Pax tibi*; patrinus autem respondebit *Et cum spiritu tuo.*

39. Episcopus dimissa mitra, assurget ac recitabit alteram orationem *Oremus. Deus patrum nostrorum* etc. Absoluta oratione, resumet mitram et stans subiunget exorcismum *Exorcizo te, immunde spiritus*, etc. deinde alterum *Ergo maledicte diabole* etc. atque

(*a*) Inspiciatur adnotatio subiecta num. 7. cap. I. lib. IV.

advertet, ut signum Crucis pollice efficiat in capite et in fronte infantis *Et hoc signum* etc. ut iam superius traditum est. Postea nudabitur mitra, imponet dexteram capiti infantis et pergens sustinere versus eum manum eamdem protensam, recitabit orationem *Oremus. Aeternam ac iustissimam* etc.

40. Post orationem faldistorio sedebit Episcopus eique reponetur mitra, assurget, extremitatem sinistram stolae imponet capiti infantis ac dicet *N. ingredere in templum Dei* etc. Patrinus dextera accipiet partem sinistram stolae et ingredietur in ecclesiam una cum Episcopo, incedens a sinistris eius, cum obstetrice, quae gestabit infantem.

41. Unus vel duo clerici transferent faldistorium extra cancellos baptisterii, nisi alterum aderit ibi iam praeparatum

42. Episcopus in ecclesiam ingressus, nudabitur mitra, baculum sinistra accipiet, ac recitans cum patrino *Credo in Deum* etc. et *Pater noster* etc. accedet ad baptisterium, praecedente Cruce et Clero, eodem ordine, quem statuimus observandum in accessu de Altari ad portam. Si antequam deveniatur ad baptisterium completa erit recitatio *Credo* et *Pater noster*, Episcopus rursus cooperietur mitra. *Credo* et *Pater noster* ab Episcopo recitabitur latine: patrinus autem poterit ea recitare patrio idiomate si latino sermone dicere esset ei difficile.

43. Episcopus ante cancellos fontis progressus, antequam eo ingrediatur, subsistet et dimisso baculo, ac resumpta mitra, humeris ad Fontem conversis et ante se habens infantem cum patrino, recitabit exorcismum *Exorcizo te, omnis immunde spiritus* etc.

44. Clericus, qui sustinebat lancem cum sale, deponet eam super abacum, et secum retinens mantile seu manutergium, accipiet vasculum Olei sacri Catechumenorum in lance et aliquantulum gossipii, redibit ad Episcopum et prope dexteram eius consistet. Praesto erunt etiam clerici recepturi paramenta violacea et altera subministraturi albi coloris.

45. Post exorcismum Episcopus sedebit faldistorio et pollice dextero sumet ex ore aliquantulum salivae ac tanget prius aures, postea nares infantis, dicens *Ephpheta* etc. ut in Rituali et pollicem suum manutergio seu mantili absterget. Perget Epi-

scopus sedere et interrogabit baptizandum *N. abrenuntias* etc. ut in Rituali.

46. Interim obstetrix expediet vestem infantis circa collum et pectus.

47. Episcopus pollicem dexterum intinget in Oleum sacrum Catechumenorum et unctionem peraget in formam Crucis prius in pectore, postea super humeros infantis, proferens formulam *Ego te linio* etc. Unus ex Cappellanis praedictas ambas unctiones gossipio absterget. Episcopus quoque gossipio absterget pollicem suum.

48. Episcopus a Cappellanis suis exuetur mitra, formali simplici, pluviali et stola violacei coloris; induetur stola et pluviali coloris albi cum formali pretioso ac reponetur ei mitra. Paramenta violacea, quae dimittet Episcopus, reponentur super abacum. Clericus unus dextere tollet de faldistorio vestem violaceam, quando Episcopus assurget, ibique relinquet vel substituet vestem albi coloris, reponens violaceam super abacum cum ceteris paramentis. In promptu erit etiam clericus alter, vel etiam duo, qui faldistorium transferant prope fontem baptismalem.

49. Paratus paramentis albi coloris Episcopus assurget et ingredietur intra septum baptisterii et sedebit faldistorio collocato prope fontem baptismalem. Clericus cum Cruce et Acolythi cum candelabris ingredientur ipsi quoque intra Fontem et consistent tali modo, ut possint conspici ab Episcopo: si Fontis ambitus parum capax esset, approximabunt ad Fontem, quoad fieri poterit. Cappellani et clerici a mitra, baculo, libro et scotula intrabunt et ipsi intra septum baptisterii cum Episcopo.

50. Episcopus, sedens prope Fontem, ut supra, interrogabit baptizandum *N. credis in Deum* etc. ut in Rituali, eique respondebit patrinus. Post interrogationem *N. vis baptizari?* et responsionem *Volo*, assurget Episcopus et appropinquabit ad Fontem.

51. Aderit clericus unus, qui sustinebit cochleare, quo effundetur aqua, ut infra, alter cum manutergiis ad abstergendum caput infantis, tertius cum vasculo S. Chrismatis, quartus cum candela ardenti et veste candida.

52. Si baptismum conferatur per immersionem, Episcopus

assurgens, accedet ad Fontem, accipiet infantem ac dicens *N. Ego te baptizo,* tribus vicibus immerget in aquam caput eius, prima vice ad verba *in nomine Patris,* secunda *et Filii,* tertia *et Spiritus Sancti,* eumque reddet patrino aut matrinae, non vero obstetrici.

53. Sin baptismum conferatur per infusionem, a patrino et matrina accipietur infans, et ab eisdem sustinebitur inclinatus super sacrarium Fontis. Episcopus ad Fontem appropinquabit, cochleari accipiet aquam baptismalem, ac dicens *N. ego te baptizo,* aquam tribus vicibus in modum Crucis effundet super caput infantis, prima vice ad verba *in nomine Patris,* secunda *et Filii,* tertia *et Spiritus Sancti,* proferens prius nomina omnia, baptizato imposita.

54. Patrinus et matrina advertent, ut caput baptizati diligenter abstergant manutergiis, quae ipsis porrigentur a clerico.

55. Episcopus sedebit faldistorio, et absterso capite baptizati, pollicem dexterum in Sacrum Chrisma intinget, ac proferens formulam *Deus omnipotens* etc. unctionem peraget in formam Crucis super verticem capitis, non vero in fronte baptizati, ad verba *ipse te liniat* etc. Cappellanus unus unctionem baptizato absterget gossipio, pariterque gossipio Episcopus absterget pollicem suum.

56. Episcopus accipiet vestem candidam seu pannum lineum albi coloris eumque explicatum imponet capiti baptizati, dicens *Accipe vestem candidam* etc. Deinde accipiet candelam ardentem eamque tradet patrino vel matrinae, quae accipiens illam osculabitur manum Episcopi et ipse dicet *Accipe lampadem ardentem* etc. Postremo nomina omnia, baptizato imposita, proferens Episcopus, dicet ei *N. vade in pace et Dominus sit tecum.*

57. Episcopus lavabit manus et pollicem absterget medulla panis et mali medici. Patrinus et matrina osculabuntur manum Episcopi et una cum baptizato discedent.

58. Episcopus, praeeunte Cruce et Clero, eodem ordine quo accesserit ad portam, revertetur ad Altare, apud quod paramenta assumpserit et reverentia facta ad Crucem Altaris, sedebit faldistorio, dimittet baculum et vestibus sacris exuetur.

Resumpta mozzeta, orabit apud Altare praedictum, deinde transibit ad alterum, in quo asservabitur SS. Sacramentum, postremo de ecclesia discedet.

59. Parochus, vel alius quispiam curam geret notandi nomina patrini, matrinae, obstetricis, patris ac matris infantis diem et horam, qua natus est etc. ut referatur in librum baptismorum.

60. Si Fonte baptismali ecclesia carebit, Episcopus post exorcismos peractos ad portam ecclesiae, non accedet ad fontem, sed ad Altare maius, dum interea recitabit *Credo* et *Pater noster.* Consistet ante balaustrium Altaris maioris, ibique exsequetur quae peragenda essent extra baptisterium, videlicet recitabit exorcismum, unctionem efficiet per Oleum sacrum Catechumenorum, dimittet paramenta violacea et induet albi coloris. Indutus pluviali albi coloris, ut supra innutum est, ingredietur in presbyterium et sessum ibit ad faldistorium collocatum in medio suppedaneo Altaris maioris, ibique administrabit baptismum per infusionem. Dum in procinctu erit administrandi baptismi, ponetur super genua eius gremiale lineum et pelvis ad excipiendam aquam, quae defluet de capite infantis, cui dabit deinde vestem candidam et candelam. Lotis manibus, descendet de Altari et apud faldistorium loco solito positum in latere Epistolae dimittet paramenta.

61. Si plures fuerint infantes baptizandi, observetur methodus capitulo II. lib. IV. praescripta.

DE BAPTISMO ADULTI AB EPISCOPO CONFERENDO.

CAPUT XIII.

1. In Sabbato sancto aut in vigilia Pentecostes conferendum adultis esset baptismum. Si qua de caussa admistrandum esset alio tempore, spectabit ad Episcopum statuere, quid erit agendum, et aequum esset ut ab ipso Episcopo administra-

retur. Qui quidem post baptismum conferet etiam confirmationem neophyto et celebrabit Missam, in qua neophytum ipsum ad S. Communionem admittet, si capax erit haec quoque Sacramenta recipiendi.

Quae sint praeparanda.

2. Ante Altare, in quo asservatur SS. Sacramentum, statuetur genuflexorium cum strato et pulvinis, vel faldistorium cum pulvinis, et ardebunt sex cerei in candelabris maioribus, saltem quando Episcopus ibi orabit in accessu ad ecclesiam et in discessu de eadem, ut cap. IV. lib. V.

3. Altare maius ornabitur sex candelabris cum cereis albi coloris et Cruce aequali candelabris. Gradus Altaris cooperientur amplo tapeto. Aderit pallium violaceum superpositum alteri albi coloris. Si color officii esset rubrus, vel viridis, pallio coloris albi supponetur alterum, quod congruat colori officii quod celebratur.

4. Super mensam Altaris disponentur paramenta Episcopalia, quae sunt pluviale violaceum cum stola simili, Crux pectoralis, cingulum, alba et amictus, in lance autem formale simplex: paramenta haec contegentur velo coloris violacei. In latere Evangelii mitra auriphrygiata cum vimpa seu velo.

5. Baculus pastoralis ponetur prope Altare.

6. In medio gradu infimo, pulvinus, in quo geniculabit Episcopus.

7. In latere Epistolae ante gradus anteriores Altaris collocabitur faldistorium instructum veste violacea, cui supponetur altera albi coloris.

8. Super abacum alba tobalea coopertum, candelabra duo cum cereis pro Acolythis; urceus cum pelvi et manutergia duo in lance; pontificale, vel rituale, et scotula cum candela: aliquantulum salis in pelvicula; nomina baptizando imponenda, charactere maiusculo scripta in chartae plagula, quae poterit inseri pontificali seu rituali, in commodum Episcopi. Praeterea praeparabitur Missale cum legili vel cussino; Canon pontificalis; calix cum purificatorio, patena cum hostia et particula una,

cum palla et bursa in corporali; ampullae vini et aquae in pelvicula; campanula; intorticia pro elevatione; mappa pro Communione; planeta cum manipulo et stola quoque, nisi albus esset color officii; insuper si Episcopus esset Ordinarius, eique placebit alteri Missae interesse, necesse est instrumentum Pacis.

9. Si conferetur S. Confirmatio, in abaco eodem aderit vasculum S. Chrismatis in lance, aliquantulum gossipii soluti, medulla panis et mali medici pro lotione manuum Episcopi, pontificale (pars I.) et candela Episcopo offerenda, si talis usus in illa dioecesi vigebit.

10. Prope abacum ponetur Crux hastilis.

11. Extra balaustrium praeparabitur scabellum unum, utendum a Catechumeno in Missa, ac si plures Catechumeni fuerint, scamnum contectum panno viridi.

12. In parte interiori ingressus ecclesiae in promptu habebitur tapetum explicandum post Episcopi in ecclesiam ingressum.

13. In baptisterio prope fontem baptismalem sternetur tapetum, alterum in ingressu baptisterii in parte exteriori.

14. Praeparabitur eodem loco abacus contectus alba tobalea, in quo aderint in lance vascula Olei sacri Catechumenorum et sacri Chrismatis cum aliquantulo gossipio soluto: cochleare ad hauriendam aquam baptismalem, pluviale albi coloris cum stola simili; formale pretiosum; candela tradenda baptizato et vestis candida, qua ipse induetur. Urceus cum pelvi, manutergia duo in lance, et in altera lance aliquantulum medullae panis et mali medici; ac manutergia aliquot ad abstergendum caput baptizandi.

15. Si ecclesia carebit fonte baptismali, illa omnia, quae praeparanda essent super abacum in baptisterio, disponentur super alium abacum in presbyterio Altaris maioris, quibus obiectis (exceptis quae notata sunt pro lotione manuum Episcopi) adiungetur vas unum plenum aquae baptismalis, quae subministrabitur a Cathedrali sive a Paroecia pro legibus uniuscuiusque dioecesis, gremiale lineum Episcopi, et pelvis maior ad colligendam aquam, quae defluet de capite baptizati.

16. In Sacrario praeparabitur vasculum aquae sanctae cum

aspersorio et superpellicia pro inservientibus, qui undecim numero aut duodecim sunto, videlicet tres clerici pro Cruce hastili et candelabris a lateribus Crucis; quatuor pro libro, scotula, mitra et baculo; unus pro sale et Oleis sacris; Cappellani duo a lateribus Episcopi; unus vel duo clerici translaturi faldistorium, quum opus fuerit.

De Functione.

17. Hora ad functionem praestituta congregabitur Clerus in Sacrarium, induet superpelliceum et excipiet Episcopum, ut notatum est num. 20. capit. praecedentis.

18. Episcopus SS. Sacramentum adorabit, deinde procedet ad Altare maius, ibique salutabit Crucem, geniculabit in pulvino posito in medio gradus infimi, orabit brevi tempore, assurget, iterabit reverentiam ante Crucem et accedet ad faldistorium, in quo sedebit.

19. Distribuentur clericis paramenta episcopalia et in promptu erunt ministri consueti cum instrumentis lotionis Episcopi manibus ministrandae.

20. Episcopus faldistorio sedens, duos Cappellanos habebit hinc inde a lateribus; dimittet mozzetam et retinens in capite biretum, lavabit manus.

21. Lotis manibus ac dimisso bireto, Episcopus parabitur amictu, alba, cingulo, Cruce pectorali, stola et pluviali coloris violacei et formali quoque, si fuerit Episcopus dioecesanus.

22. Episcopus, pluviali indutus, assurget, convertetur ad Altare, et posito a clerico ante faldistorium pulvino, geniculabit et orabit paulisper « ut tantum Sacramentum digne valeat ministrare » quemadmodum praescribit Rituale Romanum (*tit.* Ordo baptismi adultorum).

23. Praesto erunt apud faldistorium duo clerici cum libro et scotula, aliique duo cum mitra et baculo.

24. Episcopus de oratione assurget, atque ex libro, qui praesentabitur ei, alta voce ac tono chorali, sed sine cantu, intonabit ℣. ***Deus in adiutorium*** etc. cum ***Gloria Patri.*** Clericus unus attendet ad amovendum pulvinum, in quo genuflexe-

rit Episcopus. Post versiculos supradictos recitabit integram antiphonam *Effundam super vos* etc. et incipiet psalmum *Domine Dominus noster* etc. quem cum duobus sequentibus recitabit alternatim cum Cappellanis, et clericis. Post versiculum primum primi psalmi antedicti, sedebit faldistorio et a Cappellano primo cooperietur mitra. A Cappellano secundo accipiet baculum, quem sustinebit sinistra. Absolutis tribus psalmis, sedens etiamtum faldistorio, repetet antiphonam integram (*a*).

25. Repetita antiphona, tolletur a secundo Cappellano baculus et a primo mitra Episcopo, qui assurget ac super sinistram suam convertetur ad Altare. Clerici cum libro et scotula locum sument ante Episcopum in parte faldistorio opposita. Episcopus, conversus ad Altare, subiunget versiculos *Kyrie eleison* etc. et orationes; si plures essent Catechumeni, advertat Episcopus, ut recitet tertiam orationem pluraliter, vel si una erit foemina, ut faciat variationem debitam in eadem tertia oratione.

26. Accipietur Crux hastilis et candelabra accensis candelis, a clericis huic officio designatis, ab altero autem lanx cum sale et manutergium, in promptu etiam unus vel duo clerici stabunt translaturi faldistorium, nisi alterum iam adesset praeparatum ad portam ecclesiae. Catechumenus habitu decenti, non albi coloris, indutus cum patrino cumque catechista praesto erit extra portam ecclesiae. Si plures fuerint Catechumeni atque inter eos adessent etiam foeminae, mares stabunt a dextris, foeminae a sinistris Episcopi, sed extra limen ecclesiae (*b*).

27. Post supradictas orationes Episcopus sedebit faldistorio, mitra iterum cooperietur et baculum sinistra recipiet.

28. Ad portam ecclesiae procedetur ordine sequenti. Praeibunt tres clerici cum Cruce et candelabris; sequentur ceteri clerici, si aderunt, bini, inter quos unus deferet lancem salis, et manutergium. Postremo incedet Episcopus medius inter duos Cap-

(*a*) Est in more positum, ut Episcopus tantum recitet totum versiculum *Gloria Patri* in fine cuiusque psalmi et psalmum sequentem incipiat.

(*b*) Vide adnotationem num. 7. cap. I. lib. IV. subiectam, cuius initium *Non erit supervacaneum*.

pellanos, qui fimbrias pluvialis sustentabunt. Clerici a mitra et baculo sequentur Episcopum, post eos ibunt reliqui duo cum libro et scotula, et qui deferet librum meminerit afferre etiam chartae plagulam, in qua scripta fuerint nomina Catechumeno imponenda; hos sequentur familiares nobiles Episcopi. In discessu de Altari fiet ab unoquoque reverentia vel genuflexio ad Crucem.

29. Quum ventum erit ad portam ecclesiae, clerici cum Cruce et candelabris subsistent prope illam a sinistris Episopi, ita ut Crux stet in conspectu eius, quod etiam observabunt quando erunt apud fontem baptismalem; reliqui clerici dirimentur in ordines duos a lateribus, Episcopus sedebit faldistorio, clerici cum libro et scotula stabunt a sinistris eius, a tergo faldistorii reliqui duo a mitra et baculo, clericus cum lance salis prope dextram Episcopi et duo Cappellani a lateribus Episcopi, ministraturi quae opus sunt, ut docebitur inferius. Catechumenus cum patrino stabit in pedes extra limen ecclesiae et e regione Episcopi.

30. Episcopus, faldistorio sedens, baculum dimittet et interrogabit Catechumenum, dicens *Quo nomine vocaris?* Catechumenus sive latino sive vulgari sermone proferet nomina, quae sibi velit ut imponantur. Episcopus latine proferens nomina omnia ad literam *N.* prosequetur *Quid petis ab Ecclesia Dei ?* et ita reliquas omnes interrogationes, inclusive usque ad illam *Credis in Spiritum Sanctum* etc. ad quam Catechumenus respondebit *Credo.*

31. Quo loco in interrogationibus vel in orationibus extat notata litera *N.* exprimetur nomen Catechumeni primum. Nomina cuncta ipsi imposita proferentur in prima interrogatione, ut supra, in collatione baptismi et quando dimittetur in exitu functionis, ut iam notavimus capite praecedenti.

32. Post interrogationem supra innutam *Credis in Spiritum Sanctum* etc. Episcopus assurget, ter sufflabit leviter versus faciem Catechumeni et dicet *Exi ab eo* etc. Deinde in formam Crucis versus faciem eius halitabit, subiungens *N. accipe spiritum bonum per istam insufflationem* et signum Crucis dextera efficiens versus eumdem, prosequetur *et Dei benedictionem. Pax tibi.*

33. Sedebit Episcopus faldistorio et prosequetur *N. accipe* etc. ac dum dicet Catechumeno *Accipe signum Crucis* etc. pollice dextro Crucis signum signabit in fronte eius ad verba *in fronte*, alterum in pectore ad verba *in corde* et sedens prosequetur *Sume fidem* etc. In eadem tamen oratione seu potius admonitione, animum intendet ad variationem faciendam, iuxta sectam, cui addictus erit Catechumenus, et prosequetur *Cole Deum omnipotentem.*

34. Si plures erunt Catechumeni, recedet primus et succedet secundus, deinde tertius, eo quod exorcismi superius indicati repetendi sunt super singulos. Si aderunt foeminae, prius super mares, postea super foeminas exorcismi fient.

35. Exorcismis absolutis super omnes Catechumenos, Episcopus, dimissa mitra, assurget et recitabit orationem *Oremus. Te deprecor, Domine* etc. Quam orationem dicet pluraliter, si plures erunt Catechumeni.

36. Sedebit Episcopus, mitra rursus cooperietur, et Catechumeno, qui ad eum appropinquabit, pollice dextro signabit aures, oculos, ceterosque sensus externos corporis, dicens *Signo tibi aures* etc. ut in rituali: quando signabitur super scapulas, Catechumenus convertetur aliquantulum; in expressione autem *signo te totum in nomine* etc. Episcopus Crucis signum faciet versus eum.

37. Haec eadem exsequetur super reliquos singillatim, sive mares sive foeminas.

38. Episcopus mitram dimittet, assurget, recitabit orationem *Oremus. Preces nostras* etc. Deinde alteram *Oremus. Deus qui humani generis* etc. postea tertiam *Oremus. Omnipotens sempiterne Deus* etc. quam dum recitabit, manum imponet capiti Catechumeni.

39. Si baptizandi fuerint numero plures, Episcopus manum capiti imponet singulorum, postea recitabit tertiam orationem praedictam, manu elata et extensa versus eosdem.

40. Accedet ad Episcopum clericus, sustinens pelviculam salis. Episcopus mitra cooperietur et stans recitabit exorcismum super salem *Exorcizo te creatura salis*, usque ad verba *ad effugandum inimicum* inclusive, post quae, dimissa mitra, prosequetur orationem *Proinde rogamus* etc.

41. Si sal iam erit benedictus in usum baptismi, omittetur benedictio notata numero praecedenti.

42. Si Catechumenus fuerit ethnicus sive idolatra, post benedictionem salis, recitabitur ab Episcopo oratio *Oremus. Domine Sancte* etc. quae quidem oratio omittetur pro Iudaeis aliisque sectis.

43. Oratio haec recitabitur pluraliter, si plures fuerint ex secta ethnicorum sive idolatrarum; sin inter multos unus tantum esset, recitabitur singulari numero.

44. Episcopus sedebit, iterumque cooperietur mitra; pollice et indice dexterae manus accipiet aliquantulum salis eumque infundet in os Catechumeni, dicens *N. Accipe salem* etc. *Pax tibi.* Respondebit Catechumenus *Et cum spiritu tuo.* Actio ista repetetur singillatim cuique Catechumeno, si plures erunt numero.

45. Episcopus mitram dimittet, assurget ac recitabit orationem *Oremus. Deus patrum nostrorum* etc. quae oratio recitabitur pluraliter, si pluribus catechumenis administrabitur baptismum.

46. Post haec, si inter Catechumenos essent mares et foeminae, recedent foeminae aliquantulum et manebunt ante Episcopum mares tantummodo.

47. Expleta oratione supradicta, Episcopus sedebit ac mitram resumet: tum dicet Catechumeno *Ora, electe, flecte genua et dic Pater noster.* Catechumenus in genua procumbet et elata voce recitabit *Pater noster* inclusive ad verba *Sed libera nos a malo.* Episcopus dicet ei *Leva, comple orationem tuam et dic Amen.* Catechumenus assurget ac dicet *Amen.* Episcopus patrino dicet *signa eum* et patrinus pollice manus dextrae efficiet signum Crucis in fronte Catechumeni, dicens *in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Episcopus dicet Catechumeno *Accede,* et signum Crucis in fronte illius pollice dextero signabit, dicens *in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Si Catechumeni plures essent, Episcopus dicet plurali numero *Orate, electi, flectite genua* etc. eosque signabit unum post alium.

48. Episcopus dimittet mitram, assurget, manum dexteram imponet capiti Catechumeni et recitabit orationem *Oremus. Deus Abraham* etc. Resumet mitram et stans recitabit iunctis manibus

exorcismum *Ergo maledicte diabole* etc. advertens, ut Crucis signum pollice dextrae manus efficiat in fronte Catechumeni dum dicet *quod nos fronti eius damus.* Si plures essent Catechumeni, Episcopus exorcismos recitabit plurali numero et dexteram singulis Catechumenis imponet, eamque deinde elatam et extensam versus eosdem sustinebit dum recitabit orationem supra nominatam, itemque in exorcismo efficiet signum Crucis in fronte uniuscuiusque, dicens *quod nos fronti eorum damus.*

49. Episcopus denuo sedebit ac secunda vice dicet *Ora, Electe* etc. vel *Orate Electi* etc. eademque omnia fient quae notata sunt praecedenti num. 47.

50. Assurget rursus Episcopus non dimittens mitram, manum dexteram catechumeno seu catechumenis imponet ac dimissa mitra recitabit orationem *Oremus. Deus immortale praesidium* etc. singulari vel plurali numero. Oratione absoluta, cooperietur mitra, et stans recitabit iunctis manibus exorcismum *Audi, maledicte Satana* etc.

51. Sedebit ac tertia vice dicet catechumeno *Ora, Electe* etc. ac si plures fuerint, dicet *Orate Electi* etc. pariterque quae fient num. 47. notata sunt.

52. Assurget mitram in capite retinens, manum dextram capiti Catechumeni imponet, vel singillatim super unumquemque, et manu eadem elata atque extensa versus eosdem, recitabit exorcismum *Exorcizo te, immunde spiritus* etc. deinde, iunctis adhuc manibus et stans recitabit reliquum exorcismum *Ergo maledicte diabole,* etc. advertens, ut signet Crucis signum in fronte catechumeni vel catechumenorum, dum proferet illa verba *quod nos fronti eius,* vel *eorum damus.*

53. Nisi inter Catechumenos adessent foeminae, continuabitur functio usque ad orationem *Oremus. Aeternam ac iustissimam* etc. ut sequenti num. 60. Si aderunt foeminae, recedent aliquantulum mares et Episcopo se sistent foeminae cum matrinis suis.

54. Episcopus mitram gestans in capite, dicet, si una erit catechumena, *Ora, electa, flecte genua et dic Pater noster*: ac si fuerint plures dicet *Orate, electae, flectite genua et dicite Pater noster.* Catechumena vel catechumenae procumbent in genua et

recitabunt *Pater noster* usque ad verba *Sed libera nos a malo*, inclusive. Episcopus subiicet *Leva, comple orationem tuam et dic Amen*, vel *Levate, complete orationem vestram* etc. Catechumena seu Catechumenae assurgent ac respondebunt *Amen*. Episcopus dicet matrinae *Signa eam*, vel matrinis, si plures erunt, *Signate eas*. Unaquaeque matrina dextero pollice efficiet signum Crucis in fronte Catechumenae suae, dicens *in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*. Episcopus dicet *Accede* vel *Accedite*, et sedens signum Crucis pollice dextro efficiet in fronte Catechumenae, dicens similiter *in nomine Patris* etc. idque singillatim unicuique.

55. Episcopus mitram dimittet et assurgens dextram imponet capiti Catechumenae et recitabit orationem *Oremus. Deus coeli, Deus terrae* etc. Si plures essent Catechumenae, dextera tanget caput uniuscuiusque et recitabit plurali numero orationem, manum elatam sustinens et extensam versus illas. Mitra rursus cooperietur et iunctis manibus, stans recitabit exorcismum *Ergo maledicte diabole* etc. Crucis signum pollice efficiens super frontem Catechumenae ad illa verba *quod nos fronti eius damus*, ac si plures erunt, efficiet signum Crucis in fronte uniuscuiusque, dicens *quod nos fronti earum damus*.

56. Sedebit Episcopus et Catechumenae seu Catechumenis dicet *Ora, electa* vel *Orate electae* etc. secunda vice, omnia prorsus ut num. 54. capituli huius.

57. Episcopus assurget, dextram Catechumenae seu Catechumenarum capiti imponet ac dimissa mitra, dicet orationem *Oremus. Deus Abraham, Deus Isaac* etc. manu dextera imposita capiti Catechumenae, vel extensa versus omnes Catechumenas.

58. Oratione absoluta, sedebit Episcopus, cooperietur mitra et dicet tertia vice *Ora, electa* vel *Orate, electae* etc. et peraget quae eodem num. 54. innuimus.

59. Assurget ac mitram in capite retinens manum dextram capiti Catechumenae vel Catechumenarum imponet, methodo superius tradita, et recitabit exorcismum *Exorcizo te, immunde spiritus* etc. Tum iunctis manibus subiiciet alterum exorcismum *Ergo maledicte diabole* etc. signans pollice dextro Crucis signum in fronte Catechumenae seu Catechumenarum, quando proferet verba *quod nos fronti eius*, vel *fronti earum damus*.

60. Si inter Catechumenos aderunt mares et foeminae, redibunt ante Episcopum et disponentur mares a dextris, foeminae a sinistris eius, qui manum dexteram imponet singulorum capiti, nempe unicuique masculo et foeminae successive, eademque manu extensa, mitra dimissa, recitabit orationem *Oremus. Aeternam ac iustissimam pietatem* etc.

61. Post haec Episcopus, resumpta mitra, porriget extremitatem sinistram stolae Catechumeno, dicens ei *N. ingredere in sanctam Ecclesiam Dei* etc. si plures fuerint Catechumeni dicet *Ingredimini in sanctam* etc. Si masculi plures erunt Catechumeni, primus eorum altera manu stolam, altera secundum Catechumenum tenebit, secundus tenebit manu tertium et ita porro. Si mares essent et foeminae, illi incedent a dextris, istae a sinistris; prima Catechumena tenebit altera manu stolam, altera secundam Catechumenam, secunda tenebit manu tertiam, itemque ceterae si plures erunt.

62. Catechumenus sive catechumeni in ecclesiam ingressi, dimittent stolam Episcopi, procumbent in genua et osculabuntur pavimentum. Idem facient Catechumenae; tum consurgent et stolam resument.

63. Interim faldistorium afferetur ad baptisterium, si non aderit, vel ante balaustrium Altaris maioris super tapetum ibi praeparatum. Meminerint de Altari maiore tollere pallium violaceum, relicto pallio albi coloris. Hoc fiet, dum Episcopus peraget exorcismos in limine ecclesiae.

64. Crux cum Acolythis proficiscetur ad baptisterium, vel ad Altare maius; Clerus Crucem sequetur ordine superius descripto.

65. Stola a Catechumenis resumpta, Episcopus dimittet mitram, accipiet baculum pastoralem et medius inter eos procedet ad baptisterium vel ad Altare maius, recitans *Credo* et *Pater noster*. Catechumeni cum patrinis suis et Catechumenae cum matrinis suis recitare ea poterunt tam latino, quam vulgari sermone. Si antequam deveniatur ad Fontem sive ad Altare maius, Episcopus compleverit recitationem illorum, mitra iterum cooperietur.

66. Quum devenerit Episcopus ante ingressum baptisterii,

vel ante ingressum balaustrii Altaris maioris, recipiet mitram, dimittet baculum, subsistet ante faldistorium et convertetur versus populum, seu versus Catechumenos, qui stabunt in pedes ante ipsum. Si fuerint plures Catechumeni, mares locum sument a dextris, foeminae a sinistris Episcopi.

67. Episcopus stans in pedes dextram imponet capiti Catechumeni, ac si plures fuerint, eam imponet singulis, deinde elatam sustinens et protensam recitabit exorcismum *Nec te latet, Satana* etc.

68. Clericus, qui deferet lancem cum sale, deponet eam super abacum, accipiet vasculum Olei sacri Catechumenorum in lance, aliquantulum gossipii soluti, retinebit mantile seu manutergium et redibit prope dexteram Episcopi. In promptu erunt patrini et matrinae, expedituri vestem circa collum et pectus Catechumeni.

69. Post exorcismum sedebit Episcopus eique se sistet Catechumenus; Episcopus autem pollice dextero accipiet ex ore paullulum salivae et ipsa tanget aures et nares Catechumeni, dicens *Ephpheta* etc. et prosequetur verba *tu autem effugare* etc. Pollicem deinde suum absterget manutergio.

70. Rursus interrogabit Catechumenum *quis vocaris*? et ipse respondebit proferens nomina sibi imposita, latino vel vulgari sermone. Episcopus proferens nomina supradicta, subiunget *N. abrenuntias Satanae*? et prosequetur reliquas interrogationes, ut in Rituali. Patrinus aperiet circa collum vestem Catechumeni et Episcopus, intincto pollice dextero in Oleum sacrum Catechumenorum, peraget unctionem in formam Crucis super pectus et humeros Catechumeni, recitans formulam *Ego te linio* etc.

71. Episcopus pollicem suum gossipio absterget et alter ex Cappellanis absterget unctiones Catechumeni, cui deinde patrinus alligabit vestem; Episcopus autem prosequetur *Exi, immunde spiritus* etc.

72. Si plures erunt Catechumeni, recedet primus et succedet secundus, super quem fient quae numeris praecedentibus traditum est; deinde tertius, quartus et reliqui; postea foeminae, una post aliam, ut mares.

73. Sub finem exorcismi huius in promptu erunt clerici

cum paramentis albi coloris pro Episcopo, alter cum candelis tradendis Catechumenis; alter cum vestibus candidis, alter cum manutergiis ad abstergendum eorum caput; alter cum vasculo S. Chrismatis, ac si deerit fons baptismalis, a clericis duobus in promptu babebitur gremiale lineum in usum Episcopi, pelvis maior, supponenda capiti baptizandorum, cochleare ad fundendam aquam et vas cum aqua baptismali. Praesto erit clericus vel clerici duo ad transferendum faldistorium.

74. Peractis ab Episcopo super omnes Catechumenos actionibus superius innutis, tolletur ei mitra, formale simplex, pluviale et stola coloris violacei, atque induetur stola et pluviali albi coloris, formali pretioso et recipiet mitram.

75. Dum Episcopus assurget ut induatur stola et pluviali albi coloris, clericus unus dextere tollet de faldistorio vestem violaceam, eamque ponet super abacum, relicta altera albi coloris, iam antea praeparata.

76. Paratus albis paramentis Episcopus assurget et a clericis transferetur faldistorium prope fontem baptismalem, vel in medium suppedaneum Altaris maioris, si deerit in ecclesia fons baptismalis. Faldistorium autem transferetur, ut superius innuimus, nisi alterum praeparatum fuerit in antecessum. Episcopus ingredietur in septum baptisterii et sedebit ante Fontem; si fons baptismalis deerit, intrabit in presbyterium et, reverentia facta ad Crucem, ascendet ad Altare ac sedebit faldistorio posito in medio suppedaneo.

77. Se sistet Episcopo Catechumenus, seu primus Catechumenorum, si numero plures erunt, eumque interrogabit *Quis vocaris?* Respondens Catechumenus proferet nomina latino vel vulgari sermone. Subiunget Episcopus *N. credis* etc. et prosequetur interrogationes usque ad illam, cui Catechumenus respondebit *Volo.* Tunc Episcopus ipse vel Catechista excitabit Catechumenum ad perfectum animi de commissis dolorem.

78. Si aderit fons baptismalis, assurget Episcopus et proximabit fonti. Catechumenus etiam cum patrino accedet ad fontem et caput ponet super labrum seu concham fontis. Patrinus dextram imponet super humerum dexterum Catechumeni. Episcopus, cochleari hausta aqua baptismali, proferens nomina

omnia Catechumeno imposita, dicet *N. ego te baptizo* et aquam tribus vicibus in modum Crucis super caput eius effundet, prima vice dicens *in nomine Patris*, secunda vice *et Filii*, tertia *et Spiritus Sancti*.

79. Si in ecclesia, in qua conferetur baptismum, receptus esset usus illud administrandi per immersionem, Episcopus cum patrino sustentabunt Catechumenum subter brachia et admovens eum ad fontem, ter caput eius immerget in aquam dum formulam proferet, ut supra.

80. Si baptismum conferetur ad Altare, quia in ecclesia deerit fons baptismalis, sedente Episcopo in faldistorio posito in suppedaneo Altaris maioris, explicabitur super genua eius gremiale lineum, quod taeniis cohibebitur ad nodos faldistorii et insuper ponetur pelvis maior ad excipiendam aquam, quae de capite baptizati decurret. Hic genuflexus erit ante Episcopum, qui aquam super caput eius effundet eique conferet baptismum per infusionem ut supra.

81. Patrinus admodum diligenter caput neophyti absterget manutergio, quod ei porriget clericus, qui habebit illud in promptu.

82. Capite neophyti absterso, si Episcopus aderit ad fontem baptismalem, sedebit faldistorio; sin sederit apud Altare, amovebitur ab eo pelvis, qua excepta erit aqua baptismalis delapsa de capite baptizati. Episcopus pollicem intinget in sacrum Chrisma et proferens formulam *Deus omnipotens* etc. inunget summitatem capitis neophyti, dicens *ipse te liniat Chrismate salutis*. Pollicem suum Episcopus, et unus ex Cappellanis Episcopi unctionem super neophytum factam, gossipio absterget.

83. Accipiet Episcopus vestem candidam eamque induet neophyto, dicens *Accipe vestem candidam* etc. (*a*).

84. Candelam ardentem Episcopus accipiet ac tradet neophyto, qui dum accipiet illam, osculabitur dextram Episcopi eam porrigentis ac dicentis *Accipe lampadem ardentem* etc.

85. Postremo Episcopus, omnia proferens nomina neophyto imposita, dicet ei *N. vade in pace* etc. neophytus autem respondebit *Amen*.

(*a*) Vide adnotationem suppositam num. 52 cap. III. lib. IV.

86. Assurget neophytus et recedet a latere, ut locum cedat reliquis Catechumenis si aderunt. Episcopus singulis maribus singulisque foeminis iterabit ea omnia, quae fecerit primo, et notata sunt a num. 77. usque ad 85. praesentis capituli.

87. Baptizatis Catechumenis omnibus, si functio peracta sit apud Fontem baptismalem, procedetur ad Altare maius, ubi conferetur neophytis Sacramentum Confirmationis. Praeibit Crux cum Acolythis, sequentur bini qui de Clero sunt, tum Episcopus cum Cappellanis suis et clericis a libro, scotula etc. ultimo loco neophyti cum patrinis et matrinis suis, notando, quod praecedere mares, sequi foeminae debent.

88. Clero ad Altare progresso, clericus gestator Crucis deponet eam quo loco posita erat in functionis initio, Acolythi autem relinquent candelabra super abacum; Clerus occupabit locum sibi attributum; Episcopus salutabit Crucem, ascendet ad Altare, sedebit faldistorio praeparato in medio suppedaneo et baculum pastoralem dimittet. Neophythus, si unus erit, geniculabit in gradibus Altaris ante Episcopum; si plures erunt, geniculabunt ante Altare, mares tamen dextrorsum, foeminae sinistrorsum, vel geniculabunt ad balaustrium Altaris.

89. Non opus est, ut Episcopus lavet manus priusquam administret sacram Confirmationem, siquidem lavit eas in principio functionis. Adstabunt Episcopo sinistrorsum duo clerici cum libro et scotula, alter cum vasculo S. Chrismatis se sistet versus dextram eius. Patrini et matrinae secum habebunt fasciolam seu taeniam circumducendam capiti confirmandorum.

90. Episcopus dimittet mitram, assurget et conversus ad confirmandos, dicet *Spiritus Sanctus superveniat* etc. Subiunget deinde versiculos et orationem, quam recitabit ambabus manibus versus confirmandos protensis.

91. Post orationem Episcopus iterum cooperietur mitra et baculum sinistra accipiet. Si unus aut duo fuerint Confirmandi geniculabunt ante eum, secus Episcopus assurget, de Altari descendet, accedet quo loco aderunt Confirmandi eosque unum post alium confirmabit observando ea omnia, quae capitulo I. libri huius tradita sunt.

92. Episcopus habere poterit sermonem circumstantiis con-

gruentem, qui respiciat neophytos, ante vel post Confirmationem, prout videbitur magis expedire. Neophyti, dum Episcopus verba faciet, sedebunt scamno ipsis praeparato.

93. Expleta Confirmationis administratione, neophyti accedent ad balaustrium et geniculabunt apud ipsum extra presbyterium, interfuturi Missae, quae ab Episcopo celebrabitur, et in qua ad S. Communionem admittentur.

94. Episcopus, postquam Confirmationem administraverit, vel post homiliam, descendet de Altari et conversus ad ipsum ante infimum gradum, dimittet mitram, formale et pluviale, a Cappellanis autem suis parabitur planeta. Nisi color praescriptus sit albus, dimittet etiam stolam albi coloris et recipiet alteram eius coloris, quem requirit officium.

95. Si oportebit mutare pallium, fiet expedite tempore isto. Item collocabitur super altare Missale eaque omnia, quae ad Missam opus sunt; et in Missa Episcopus consecrabit particulas pro Communione neophytorum, qui S. Eucharistiam excipient genuflexi ad balaustrium.

96. In gratiarum actione post Missam, poterit Episcopus genuflectere faldistorio eodem, quo usus erit in functione, vel ponetur genuflexorium cum strato et pulvinis.

97. Post Missam et post debitam gratiarum actionem, Episcopus facta ad Altare maius reverentia, adorabit SS. Sacramentum et de ecclesia discedet, associatus a Clero, quemadmodum in eius ingressu descriptum fuit.

DE CAEREMONIIS OMISSIS IN BAPTISMO INFANTIUM AB EPISCOPO SUPPLENDIS.

CAPUT XIV.

1. Raro quidem fieri potest, ut Episcopus baptismi infantium supplere debeat caeremonias; quin immo non videtur id posse unquam facere iure, siquidem in Rituali romano

describitur ritus in baptismo tantum ab Episcopo servandus. Cum tamen posset forte accidere, ut Episcopus deberet hunc actum persolvere, non existimavimus omittenda, quae in praedicta functione essent peragenda.

De rebus praeparandis.

2. Ante Altare SS. Sacramenti genuflexorium cum strato et pulvinis, ut capitulo IV. lib. V. in candelabris maioribus Altaris ardebunt sex cerei, quando Episcopus adorabit SS. Sacramentum.

3. Altare maius, vel aliud Altare, ubi Episcopus sacris vestibus induetur, ornabitur sex candelabris cum cereis et Cruce aequali candelabris, pallio albi coloris et altero violaceo, huic superposito, commutando tempore functionis. Gradus Altaris sternentur tapeto.

4. Super mensam Altaris disponentur paramenta episcopalia, videlicet formale simplex in lance, pluviale cum stola violacei coloris, cingulum, alba et amictus quae paramenta contegentur velo violaceo. In latere Evangelii mitra auriphrygiata et prope Altare baculus pastoralis.

5. In latere Evangelii abacus contectus alba tobalea, in quo praeparabitur urceus cum pelvi, manutergia duo in lance, duo candelabra cum cereis pro Acolythis, pontificale (pars IV.) vel rituale maioris formae, quod ritum supradictum contineat per extensum, scotula cum candela, sal benedicendus in lance et nomina baptizati scripta literis grandiusculis in chartae plagula ad Episcopi commoditatem.

6. Prope abacum aderit Crux hastilis seu processionalis.

7. Loco solito in latere Epistolae, faldistorium cum veste albi coloris superposita altera violacea, et pulvinus super infimum gradum, in quo geniculabit Episcopus.

8. Aperientur Cancelli fontis baptismalis ibique sternetur tapetum satis longum, ut pertingat etiam extra septum baptisterii, vel duo ponentur tapeta, unum ante Fontem, alterum ante ingressum seu cancellos baptisterii.

9. In abaco alba tobalea conteeto praeparabitur formale

pretiosum, pluviale albi coloris cum stola simili, urceus cum pelvi, manutergia duo in lance, medulla panis et mali medici in lance, vascula cum S. Chrismate et Oleo sacro Catechumenorum in lance cum aliquantulo gossipio, candela trandenda baptizato et vestis candida ipsi imponenda.

10. In limine ecclesiae ex parte interiori ponetur tapetum, extendendum postquam Episcopus ingressus erit in ecclesiam.

11. Si ecclesia destituta erit fonte baptismali, functiones ad Fontem exsequendae, persolventur ad Altare maius, ubi praeter ea quae innuimus relate ad Fontem, sternetur tapetum ante balaustrium seu presbyterium Altaris eiusdem.

12. In Sacrario erit in promptu vasculum aquae sanctae cum aspersorio et superpellicea pro numero inservientium.

13. Clericorum inservientium numerus erit sequens: tres pro Cruce et candelabris, quatuor pro mitra, baculo, libro et scotula, unus pro sale et Oleis sacris, Cappellani autem seu Presbyteri duo induti superpelliceo ad assistentiam Episcopi.

14. Baptizatus praesentabitur a patrino vel a matrina et obstetrice, quae infantem in ulnis sustinebit.

De Functione.

15. Episcopus ad portam ecclesiae excipietur a Clero, adorabit SS. Sacramentum, deinde procedet ad Altare maius, ubi quoque brevi tempore orabit et geniculabit in pulvino praeparato super infimum gradum Altaris: reverentiam ad Crucem iterabit, et sessum veniet ad faldistorium, stantibus a lateribus Cappellanis duobus assistentibus superpellicio indutis.

16. Distribuentur clericis paramenta episcopalia, et aderit qui admoneat patrinum seu matrinam, ut praesto sit ad portam ecclesiae cum infante.

17. Episcopus, adiuvantibus Cappellanis eius assistentibus, dimittet mozzetam et capite bireto cooperto lavabit manus, ministrantibus ei lotionem familiaribus nobilibus, iisque absentibus supplebunt clerici duo.

18. Induetur amictu, alba, cingulo, Cruce pectorali, stola et pluviali violaceo, cui affigetur formale, cooperietur mitra ab Assistente primo et baculum pastoralem sinistra recipiet.

19. Dum parabitur Episcopus, tres clerici designati accipient Crucem et consistent versus ingressum Presbyterii.

20. Episcopus assurget, veniet ante Altare, salutabit Crucem et procedet ad portam ecclesiae ordine sequenti:

21. Praeibit Crux inter Acolythos candelabra gestantes, sequetur clericus deferens lancem salis et mantile, Clerus, si aderit, et incedent bini, Episcopus medius inter Cappellanos suos, sequentibus clericis a mitra et baculo, deinde reliquis duobus deferentibus scotulam et librum, intra quem advertatur ut adsit chartae plagula scriptis nominibus baptizati; postremo incedent familiares nobiles Episcopi.

22. Clericus unus faldistorium transferet ad portam ecclesiae nisi alterum iam ibi adesset praeparatum, itemque, profecto de Altari Episcopo, amovebitur pallium violaceum, relicto altero albi coloris.

23. Ubi Clerus pervenerit ad portam ecclesiae, Crux cum candelabris consistet a sinistris Episcopi: Clerus disponetur in duplicem ordinem a lateribus (quod idem fiet apud baptisterium) clericus sustinens pelviculam salis locum sumet prope dexteram faldistorii, a sinistris faldistorii clerici cum libro et scotula: Episcopus sedebit faldistorio medius inter Assistentes suos; clerici autem a mitra et baculo stabunt a tergo Episcopi.

24. Patrinus vel matrina cum obstetrice, quae sustinebit infantem eumque praesentabit Episcopo, restabunt extra ecclesiam.

25. Episcopus sedens vocabit baptizatum, proferens nomina illi imposita nempe *N. quid petis ab Ecclesia Dei?* Patrinus, seu matrina respondebit *Fidem.* Episcopus subiunget alteram interrogationem: *Fides quid tibi praestat?* Patrinus: *Vitam aeternam.* Episcopus autem: *Si igitur vis ad vitam ingredi* etc. usque ad verba *sicut teipsum* inclusive.

26. Assurget deinde Episcopus, sufflabit leviter in faciem baptizati ac dicet *Exi ab eo* etc. Sedebit iterum, dicet *Accipe signum Crucis*, et pollice dextero efficiens Crucis signum in fronte baptizati, dicet *tam in fronte*, alterum deinde faciens in pectore, dicet *quam in corde*, et prosequetur *sume fidem* etc.

27. Primus Cappellanus assistens exuet mitram Episcopo, qui assurgens recitabit orationem *Oremus. Preces nostras* etc.

28. Notetur, quod tum in ista ceterisque orationibus, tum etiam in interrogationibus quo loco notata extat litera *N.* proferenda sunt nomina seu nomen baptizato impositum (*a*).

29. Absoluta praedicta oratione, Episcopus dextram imponet capiti baptizati, deinde sustinens eamdem versus eum protensam, recitabit alteram orationem *Omnipotens sempiterne Deus* etc. (Advertantur variationes huius orationis in Rituali notatae).

30. Post orationem Assistens primus mitram reponet Episcopo, qui stans recitabit exorcismum super salem, quem ipsi praesentabit clericus; ad illa verba *Proinde rogamus Te* etc. exuetur mitra, quoniam illa est oratio pro benedictione salis.

31. Si sal iam esset ad hunc usum benedictus, praedicta benedictio omittetur.

32. Sale benedicto, rursus sedebit Episcopus, cui mitra a primo assistente reponetur: deinde indice et pollice dextrae accipiens aliquot grana salis, ingeret illa in os baptizati dicens *N. accipe salem* etc. digitos mantili absterget, subiunget *Pax tibi,* et Patrinus respondebit *Et cum spiritu tuo.*

33. Episcopus nudabitur mitra et assurgens recitabit orationem *Oremus. Deus patrum nostrorum* etc. (Advertatur variatio notata in oratione ista). Cooperietur iterum mitra ab Assistente primo et stans recitabit exorcismum *Exorcizo te immunde spiritus* etc. *Ergo maledicte diabole* etc. faciens etiam Crucis signum pollice dextero in fronte baptizati dum proferet verba *quod nos fronti eius damus* etc.

34. Episcopus nudabitur mitra, ut supra, et dextram imponet capiti baptizati, prosequetur sustinere dextram protensam versus eumdem et recitabit orationem *Oremus. Aeternam ac iustissimam* etc. (Advertantur variationes in hac oratione notatae).

35. Post orationem Episcopus faldistorio sedebit, mitram resumet, assurget ac sinistram extremitatem stolae imponet baptizato dicens *N. ingredere in templum Dei* etc. Extremitas stolae accipietur a patrino, qui locum sumens a sinistris Episcopi, intrabit in ecclesiam cum infante, cum obstetrice et cum matrina si aderit.

(*a*) Vide adnotationem subiectam num. 7. cap. I. Lib. IV.

36. Clericus huic rei designatus portabit faldistorium extra cancellos baptisterii, nisi faldistorium alterum iam sit ibi praeparatum.

37. Ingressus, ut supra, in ecclesiam Episcopus mitra nudabitur, accipiet sinistra baculum pastoralem et recitabit *Credo in Deum* ac *Pater noster*, procedens versus baptisterium. Patrinus et matrina poterunt utrumque recitare vulgari idiomate si difficile eis esset latino. Si compleatur recitatio *Credo* et *Pater* priusquam deveniatur ad fontem baptismalem, Episcopus mitra iterum cooperietur.

38. Episcopus ante cancellos Fontis progressus priusquam ingrediatur, subsistet ac dimisso baculo et recepta mitra, conversus ad baptizatum recitabit exorcismum *Exorcizo te, omnis immunde spiritus* etc. (Advertatur variatio in exorcismo notata).

39. In promptu habebitur a clerico uno Oleum Catechumenorum cum aliquantulo gossipio soluto et manutergium seu mantile utendum ab Episcopo. Ad manus etiam erunt paramenta episcopalia albi coloris.

40. Post exorcismum sedebit Episcopus faldistorio et pollice dextero accipiet ex ore suo paullulum salivae, qua tanget nares auresque infantis, dicens *Ephpheta quod est adaperire* etc. ut in Rituali, et pollicem absterget gossipio vel mantili. Pergens sedere Episcopus, interrogabit baptizatum, dicens *N. abrenuntias* etc. ut in Rituali.

41. Patrinus vel obstetrix expediet vestem seu fasciam baptizati in pectore et in scapulis: Episcopus, intincto in Oleum sacrum Catechumenorum pollice dextero, unctionem faciet in modum Crucis recitans formulam *Ego te linio* etc prius in pectore, postea super scapulas baptizati; unus ex Cappellanis unctiones super infantem peractas gossipio absterget, Episcopus pollicem suum.

42. Post haec tolletur Episcopo mitra, formale simplex, pluviale et stola violacea et induetur stola et pluviali albi coloris, formali pretioso ac reponetur eius capiti mitra. Dum as surget Episcopus dimissurus pluviale violaceum, clericus unus dextere tollet de faldistorio tegumentum violaceum, relicto altero albi coloris a principio praeparato. Praesto erit clericus

cum vasculo sacri Chrismatis et gossipio: in promptu etiam erit vestis candida et candela.

43. Episcopus, mitra rursus coopertus, ingredietur in sacellum, sive septum baptisterii, ibique sedebit faldistorio et sedens interrogabit baptizatum, dicens *N. credis in Deum* etc. Patrinus responsum dabit.

44. Post interrogationem *Credis in Spiritum Sanctum* etc. Episcopus, intincto pollice dextero in sacrum Chrisma, unctionem faciet in capite baptizati (non vero in fronte eius) quum proferet verba *ipse te liniat* in formula *Deus omnipotens* etc. Pollicem suum gossipio absterget et Cappellanus unus absterget unctionem in capite baptizati peractam.

45. Episcopus accipiet vestem candidam seu pannum lineum albi coloris eumque explicabit et capiti baptizati imponet dicens *Accipe vestem candidam* etc.

46. Tum accipiet candelam ardentem, quae porrigetur ei ab uno ex Assistentibus, eamque tradet patrino, qui dum illam accipiet, osculabitur manum Episcopi, et ipse dicet *Accipe lampadem ardentem* etc.

47. Postremo Episcopus dicet baptizato: *N. vade in pace* etc.

48. Post haec Episcopus manus lavabit adhibens medullam panis et mali medici: patrinus autem cum matrina osculabuntur manum Episcopi et recedent.

49. Episcopus, antecedente Cruce, eodem ordine quo accessit ad portam principalem ecclesiae, revertetur ad Altare, ubi indutus fuit vestibus sacris; dimittet paramenta, et resumpta mozzeta, orabit apud Altare praedictum, deinde apud alterum, in quo asservatur SS. Sacramentum et de ecclesia discedet.

50. Si in ecclesia deerit fons baptismalis, Episcopus loco adeundi ad Fontem, dum recitabit *Credo* et *Pater*, procedet ante Altare maius. Subsistet ante balaustrium, facturus exorcismum et unctionem Olei sacri Catechumenorum, de qua supra, et post ipsum dimittet pluviale cum stola violacei coloris.

51. Indutus pluviali albi coloris, ingredietur in presbyterium, sedebit faldistorio posito in medio suppedaneo Altaris, faciet interrogationes et unctionem sacri Chrismatis, tradet vestem candidam et candelam.

52. Postquam laverit manus, descendet de Altari, et apud faldistorium positum in latere Epistolae sacra paramenta dimittet.

DE RITU SUPPLENDI AB EPISCOPO CAEREMONIAS IN BAPTISMO ADULTI OMISSAS

CAPUT XV.

1. Vide animadversionem principio capituli superioris positam.

De rebus praeparandis.

2. Ante Altare, in quo asservatur SS. Sacramentum (quod aliud erit ab Altari in quo peragetur functio) praeparabitur genuflexorium cum strato et pulvinis, ut cap. IV. libri V. et quo tempore ibi orabit Episcopus, accendentur sex cerei in maioribus candelabris Altaris.

3. Ad Altare maius sternentur tapeto maiori gradus ipsius et ponentur sex candelabra cum cereis et Crux aequalis candelabris: ornabitur pallio violaceo, quod superponetur alteri albi coloris. Sin officium requireret colorem alium, praeparabitur etiam pallium coloris respectivi.

4. Super mensam Altaris disponentur paramenta episcopalia, quae sunt pluviale violaceum cum stola simili, Crux pectoralis, cingulum, alba et amictus, quae paramenta contegentur velo coloris violacei. Aderit etiam formale simplex in lance. A latere Evangelii, mitra auriphrygiata et prope Altare baculus pastoralis.

5. In latere Epistolae ante gradus Altaris statuetur faldistorium cum tegumento violaceo, superposito alteri albi coloris et pulvinus unus super infimo gradu.

6. Super abacum alba tobalea contectum ponentur candelabra duo cum candelis pro Acolythis, urceus cum pelvi et manutergia in lance, pontificale (pars IV.) vel rituale, scotula cum candela, lanx cum sale et nomina baptizato imposita, scripta charactere grandiusculo. Praeterea praeparabitur legile, seu cussinus cum Missali, canon pontificalis, calix cum purificatorio, patena cum hostia et particula una pro baptizato, palla, corporale intra bursam, ampullae vini et aquae in pelvicula, campanula, intorticia pro elevatione, planeta cum manipulo, et stola quoque, nisi esset albi coloris, mappa pro Communione, ac si Episcopus erit Ordinarius et vellet post functionem interesse alteri Missae, opus erit instrumentum Pacis. Praeparabitur etiam pro administranda Confirmatione vasculum S. Chrismatis in lance cum aliquantulo gossipio, candela Episcopo praesentanda, si vigebit talis usus, pontificale (pars I.) et medulla panis ac mali medici in lance pro lotione manuum Episcopi.

7. Prope abacum aderit Crux hastilis: ad balaustrium, scabellum in usum baptizati, quando intererit Sacro, ac si plures erunt, aderunt scabella, vel scamnum sine postergali, panno coopertum.

8. In limine ecclesiae in parte interiori praeparabitur tapetum, explicandum postquam Episcopus ingressus erit in ecclesiam.

9. Ad Baptisterium. Tapetum unum ante ingressum, alterum ante Fontem: super abaco alba tobalea contecto, vascula Olei sacri Catechumenorum et S. Chrismatis in lance et aliquantulum gossipium solutum, pluviale albi coloris cum stola simili et formale pretiosum, candela tradenda baptizato et vestis candida, qua induetur.

10. Si ecclesia destituta erit fonte baptismali, ea omnia quae praeparanda essent in baptisterio, praeparabuntur in abaco intra presbyterium Altaris maioris.

11. In Sacrario praeparabitur vasculum aquae sanctae cum aspersorio et superpellicia pro inservientibus.

12. Ad sacram functionem obeundam opus sunt clerici tres pro Cruce et candelabris, Cappellani duo, qui assistant Episcopo, clerici quatuor pro libro, scotula, baculo et mitra et

clericus alter ad afferendum salem et Olea sacra. Unus vel etiam duo, ad transferendum faldistorium.

De functione.

13. Hora praestituta accedet Episcopus ad ecclesiam et excipietur a Clero. Adorabit SS. Sacramentum, deinde procedet ad Altare maius, ibique genuflexus in pulvino posito super infimum gradum, brevi tempore orabit; assurget, iterabit reverentiam ante Crucem et ibit ad faldistorium, ubi dimissa mozzeta, capiti imponet biretum, lavabit manus, lotionem ei ministrantibus suis familiaribus nobilibus, iisque absentibus supplebunt clerici duo: postea dimittet biretum.

14. Dum Episcopus lavabit manus, distribuentur paramenta clericis, qui tradent eadem Cappellanis assistentibus Episcopo, et ab his induetur amictu, alba, cingulo, Cruce pectorali, stola et pluviali violaceo, cui apponetur formale.

15. Episcopus pluviali indutus, assurget et conversus ad Altare geniculabit in pulvino posito ante faldistorium, ac brevi tempore orabit.

16. Praesto erunt interea prope Episcopum duo clerici cum libro et scotula.

17. Assurget Episcopus de oratione eique se sistent clerici cum libro et scotula; ipse voce gravi, sed sine cantu intonabit ℣. *Deus in adiutorium* etc. cum *Gloria Patri*. Recitabit antiphonam *Effundam super vos* etc. incipiet psalmum *Domine, Dominus noster* etc. quem prosequetur cum reliquis duobus psalmis recitare una cum Cappellanis suis et clericis. Post primum versiculum psalmi primi sedebit faldistorio, cooperietur mitra et baculum sinistra accipiet. Sedens repetet post psalmos antiphonam, ut supra (*a*).

18. Post repetitionem antiphonae, mitra exuetur Episcopus, qui assurget, convertetur ad Altare, recitabit *Kyrie eleison* cum reliquis precibus et orationibus, ac si plures essent ba-

(*a*) Vide adnotationem subiectam numero 24. cap. XIII. libri huius.

ptizati, recitabit ultimam orationem pluraliter; itemque si foemina esset dicet *electae nostrae.*

19. Post orationes Episcopus rursus sedebit faldistorio, cooperietur mitra et baculum pastoralem sinistra recipiet.

20. Clerici huic officio designati, accipient Crucem et candelabra cum cereis ardentibus et procedetur ad portam ecclesiae, ubi praesto erit baptizatus habitu decenti indutus, non vero albi coloris, et patrinus a sinistris eius.

21. Si plures essent baptizati et inter eos adessent etiam foeminae, mares stabunt a dextris, foeminae a sinistris Episcopi, unusquisque cum respectivo patrino seu matrina, sed semper extra portam ecclesiae.

22. Procedetur ad portam ecclesiae ordine sequenti. Praeibit Crux cum candelabris, clericus deferens lancem salis et mantile, Clerus si aderit, Episcopus medius inter Cappellanos suos, clerici a mitra et baculo, sequentibus reliquis duobus a libro et scotula, ultimo loco familiares nobiles Episcopi.

23. Clericus unus transferet faldistorium ad portam ecclesiae, nisi alterum ibi iam aderit praeparatum.

24. Crux cum candelabris consistet a sinistris Episcopi, quod observabitur etiam in baptisterio, Clerus disponetur a lateribus hinc inde et Episcopus sedebit faldistorio, posito ferme in limine portae. Baptizatus cum patrino manebit extra portam ecclesiae, stabit in pedes et e regione Episcopi.

25. Episcopus sedens faldistorio interrogabit baptizatum, dicens *Quo nomine vocaris*? Ille autem respondebit proferens nomina, quibus appellabitur, latino vel vulgari sermone. Episcopus subiicet *N.* (proferens nomina omnia) *quid petis ab Ecclesia Dei?* etc. atque ita reliquas omnes interrogationes, inclusive usque ad illam *Credis in Spiritum Sanctum* etc.

26. Quando in interrogationibus aut in orationibus notata extat litera *N.* exprimenda sunt nomina seu nomen baptizati (*a*).

27. Episcopus post interrogationes assurget, sufflabit leviter tribus vicibus in faciem baptizati ac dicet *Exi ab eo* etc. Deinde halitabit in modum Crucis versus faciem eius et dicet

(*a*) Vide adnotationem num. 7. capit. I. lib. IV.

N. accipe spiritum bonum per istam insufflationem, et signum Crucis dextera efficiens versus illum, prosequetur *et Dei benedictionem. Pax tibi.*

28. Sedebit faldistorio Episcopus, et dicens *Accipe signum Crucis*, pollice manus dextrae efficiet Crucis signum in fronte baptizati, ad verba *in fronte* et alterum in pectore, ad verba *in corde*, deinde prosequetur *sume fidem* etc. advertens variationem iuxta sectam, cui addictus erat baptizatus, et prosequetur *cole Deum omnipotentem* etc.

29. Si plures erunt baptizati, iterabit Episcopus actiones omnes hactenus indicatas super unumquemque illorum, prius super mares postea super foeminas.

30. Absolutis interrogationibus, insufflationibus etc. super omnes baptizatos, Episcopus dimittet mitram, assurget ac recitabit orationem *Oremus. Te deprecor, Domine* etc. quae pluraliter recitabitur, si baptizati fuerint plures.

31. Rursus sedebit Episcopus et mitra cooperietur: appropinquabit ei baptizatus, et pollice dextero signabit eius aures, oculos ceterosque sensus corporeos, dicens *Signo tibi aures* etc. ut in Rituali. Quando baptizatus signandus erit super scapulas, convertur aliquantulum.

32. Id ipsum fiet singillatim super ceteros, si aderunt, sive mares, sive foeminas.

33. Episcopus dimittet mitram et stans recitabit orationem *Oremus. Preces nostras* etc. deinde alteram *Oremus. Deus qui humani generis* etc. post quam dextram imponet capiti baptizati et recitabit tertiam orationem *Oremus Omnipotens sempiterne Deus* etc. (Advertantur variationes in hac postrema oratione faciendae).

34. Si plures fuerint baptizati, omnes praedictae orationes dicentur pluraliter, et ante tertiam orationem Episcopus manum imponet capiti uniuscuiusque, deinde recitabit illam, sustinens manum eamdem versus eos protensam.

35. Mitra rursus cooperietur Episcopus et exorcismum super salem stans in pedes recitabit, dicens *Exorcizo te* etc. usque ad verba *ad effugandum inimicum*, post quae dimissa mitra, prosequetur orationem *proinde rogamus te* etc. Si ad hunc usum benedictus iam esset sal, omittetur eius benedictio.

36. Si baptizatus erat antea ethnicus sive idolatra, post benedictionem salis recitabit Episcopus alteram orationem *Oremus. Domine sancte* etc. Si plures baptizati essent, provenientes de secta ethnicorum sive idolatrarum, recitabitur pluraliter; sin inter multos unus adesset, ut supra, recitabitur singulari numero.

37. Sedebit Episcopus et cooperietur mitra: accipiet aliquot grana salis pollice et indice dexterae manus eaque ingeret in os baptizati, dicens *N. accipe salem* etc. *Pax tibi,* cui respondebit baptizatus *Et cum spiritu tuo.* Si baptizati essent plures, actio ista iterabitur super singulos. Episcopus digitos suos absterget mantili seu manutergio.

38. Dimittet mitram, assurget et recitabit orationem *Oremus. Deus patrum nostrorum* etc. quae oratio pluraliter recitabitur, si fuerint plures baptizati (advertatur variatio in oratione ista).

39. Post orationem praedictam, si inter baptizatos adessent mares et foeminae, istae recedent seorsim et ante Episcopum restabunt mares tantum.

40. Episcopus dicet baptizato: *Ora electe, flecte genua et dic Pater noster.* Baptizatus procumbet in genua et recitabit *Pater noster* inclusive ad verba *Sed libera nos a malo.* Episcopus dicet ei: *Leva, comple orationem tuam et dic Amen.* Baptizatus dicet *Amen.* Deinde Episcopus patrino: *Signa eum* et patrinus pollice dextero efficiet signum Crucis in fronte baptizati, dicens *in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Tum Episcopus baptizato dicet *Accede,* cui appropinquanti Episcopus pollice dextero faciet in fronte signum Crucis, dicens *In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.*

41. Si plures sint baptizati, ea omnia dicet Episcopus pluraliter, nempe *Orate, Electi, flectite genua* etc. et signabit unum post alium.

42. Episcopus dimittet mitram, assurget, imponet dextram capiti baptizati et recitabit orationem *Oremus. Deus Abraham, Deus Isaac* etc. *Ergo maledicte diabole* etc. et pollice dextero faciet Crucis signum in fronte baptizati ad illa verba *quod nos fronti eius damus.*

43. Si baptizati plures essent, oratio et exorcismus, de quibus supra, pluraliter recitabuntur ab Episcopo, qui manum singulis imponet ante orationem, eamque protensam versus eosdem sustinebit dum orationem supradictam recitabit et singulis Crucis signum pollice dextero in fronte efficiet ad verba *quod nos fronti eorum damus.*

44. Episcopus sedebit et secunda vice dicet *Ora, Electe*, vel *Orate Electi*, ut supra.

45. Postea retinens in capite mitram et stans imponet dexteram super baptizatum seu baptizatos, tum mitra dimissa, recitabit orationem singulari vel plurali numero; *Oremus Deus immortale praesidium* etc. post orationem, resumpta mitra, stans in pedes et iunctis manibus, recitabit exorcismum *Audi maledicte Satana* etc. (Advertatur variatio in exorcismo).

46. Rursus sedebit Episcopus ac tertia vice dicet *Ora Electe*, vel *Orate Electi*, ut supra.

47. Assurget postmodum cum mitra in capite, imponet manum baptizato, vel singillatim super unumquemque, eademque manu versus eos protensa, recitabit exorcismum *Exorcizo te immunde spiritus* etc. et pergens stare iunctis manibus, recitabit exorcismum alterum *Ergo maledicte diabole* etc. Advertens ut signum Crucis faciat, ut supra, ad verba *quod nos fronti eius damus* vel *fronti eorum damus.*

48. Si foeminae inter baptizatos non aderunt, peragetur functio usque ad orationem *Aeternam ac iustissimam*, ut num. 56. capituli praesentis, omissis exorcismis, qui pro foeminis praescribuntur.

49. Sin adessent etiam foeminae, recedent mares et illae cum matrinis suis se sistent ante Episcopum, qui sedens cum mitra in capite si fuerit una, dicet *Ora, Electa flecte genua et dic Pater noster*, si plures, dicet *Orate, Electae* etc. Baptizata, seu baptizatae geniculabunt ac dicent *Pater noster* inclusive ad verba *Sed libera nos a malo.* Episcopus subiunget *Leva, comple orationem tuam et dic Amen*, vel *Levate, complete* etc. Baptizata seu baptizatae assurgent et dicent *Amen.* Tum Episcopus matrinae vel matrinis dicet *Signa eam* vel *Signate eas.* Unaquaequae matrina tunc pollice dextero faciet signum Crucis in fronte ba-

ptizatae, dicens *in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Postea dicet Episcopus *Accede* vel *Accedite,* ac signum Crucis pollice dextero in fronte cuiusque baptizatae et ipse faciet, dicens pariter *in nomine Patris* etc.

50. Episcopus dimittet mitram, assurget, manum imponet capiti baptizatae ac dicet orationem *Oremus. Deus coeli, Deus terrae* etc. Si baptizatae plures erunt, manum imponet singularum capiti et recitabit orationem pluraliter, manum eamdem versus eas protensam sustinens.

51. Mitram resumet Episcopus, et stans recitabit iunctis manibus exorcismum *Ergo maledicte diabole* etc. signum Crucis pollice efficiens super frontem baptizatae seu baptizatarum ad verba *quod nos fronti eius* vel *earum damus.*

*52. Episcopus denuo sedebit iterumque dicet *Ora, Electa* vel *Orate Electae*, omnia prorsus, ut supra.

53. Postquam Episcopus singulas in fronte signaverit, assurget, manum imponet capiti baptizatae seu baptizatarum ac dimissa mitra, manu dextera protensa, dicet orationem *Oremus. Deus Abraham, Deus Isaac* etc.

54. Oratione completa, Episcopus sedebit rursus et mitra coopertus, dicet tertia vice *Ora, Electa* etc.

55. Assurget Episcopus mitram in capite retinens, manum imponet capiti baptizatae, ordine supradicto, et recitabit exorcismum *Exorcizo te, immunde spiritus* etc. Iunctis deinde manibus, recitabit exorcismum alterum *Ergo, maledicte diabole* etc. advertens, ut Crucis signum pollice dextero faciat in fronte baptizatae, seu baptizatarum dum dicet: *quod nos fronti eius* vel *earum damus.*

56. Si inter baptizatos erunt mares, redibunt ante Episcopum, et disponentur mares a dextris, foeminae a sinistris eius, qui dextram imponet super baptizatum, ac si plures erunt super singulos eorum earumque successive, et manu versus eos protensa, dimissa prius mitra, recitabit orationem *Aeternam ac iustissimam pietatem tuam* etc. (Advertatur variatio in oratione ista notata).

57. Episcopus extremitatem stolae porriget baptizato, dicens *N. ingredere in sanctam Ecclesiam Dei* etc. Si plures essent

baptizati, dicet *Ingredimini in sanctam* etc. Si plures essent masculi, primus tenebit altera manu stolam, altera secundum baptizatum, item secundus tertium, et ita de reliquis, si supererunt. Quod si fuerint mares simul et foeminae, masculi incedent dextrorsum, foeminae sinistrorsum, quarum prima tenebit altera manu stolam, altera secundam, secunda tenebit tertiam, tertia quartam et ita porro.

58. Baptizatus, seu baptizati in ecclesiam ingressi, dimittent stolam Episcopi, procumbent in genua et osculabuntur pavimentum. Interim asportabitur faldistorium ad baptisterium, si aderit, vel ante balaustrium Altaris maioris.

59. Crux cum Acolythis dirigetur ad baptisterium, vel ad Altare maius, sequetur postea Clerus, ordine supradicto.

60. Baptizatus seu baptizati resument stolam Episcopi, qui dimittet mitram, accipiet baculum pastoralem et cum ipsis procedens ad baptisterium, vel ad Altare maius, recitabit *Credo* et *Pater noster* simul cum baptizato et patrino, qui poterunt ea recitare vulgari sermone, si latino esset eis difficile.

61. Episcopo reponetur mitra, quum pervenerit ante baptisterium vel ante balaustrium Altaris maioris, et conversus ad populum, nempe versus baptizatum seu baptizatos, stantibus masculis a dextris eius, foeminis a sinistris, imponet manum super illum, vel super singulos eorum successive, eamque sustinens protensam, recitabit exorcismum *Nec te latet Satana* etc. (Advertatur variatio in exorcismo notata).

62. Post exorcismum Episcopus sedebit ac si plures baptizati essent, se sistet ei primus atque Episcopus pollice dextero sumens ex ore suo aliquantulum salivae, tanget aures et nares baptizati, dicens *Ephpheta, quod est adaperire* etc. deinde prosequetur *Tu autem effugare* etc. Pollicem suum Episcopus mantili abterget.

63. Interim patrinus vestes expediet circa collum et pectus baptizati. Clericus unus prope Episcopum sustinebit vasculum Olei sacri Catechumenorum, aliquantulum gossipii soluti et mantile.

64. Episcopus sedere pergens, interrogabit rursus baptizatum, dicens *Quis vocaris?* et ille seu latino seu vulgari ser-

mone respondebit, proferens nomina sibi imposita. Episcopus pronuncias nomina, prosequetur *N. abrenuntias Satanae?* eodemque modo reliquas interrogationes.

65. Post haec Episcopus intinget pollicem dexterum in Oleum sacrum Catechumenorum et inunget baptizatum in pectore et super scapulas, dicens *Ego te linio* etc. et pollicem suum gossipio absterget. Unus ex Cappellanis unctiones super baptizatum peractas gossipio absterget, patrinus autem ei componet seu alligabit vestes. Episcopus tunc prosequetur *Exi immunde spiritus* etc.

66. Si fuerint plures baptizati, recedet primus et succedet alter, super quem Episcopus easdem caeremonias iterabit ut super primum, tum super ceteros, itemque super foeminas, si aderunt. Hóc tempore in promptu habebuntur paramenta albi colòris, utenda ab Episcopo.

67. Postquam Episcopus actiones supra descriptas peregerit super omnes baptizatos, dimittet mitram, formale simplex, pluviale et stolam violaceam; induetur autem stola et pluviali albi coloris, formali pretioso et mitram recipiet. Dum assurget Episcopus, dimissurus pluviale violaceum, tolletur dextere a clerico tegumentum violaceum faldistorii, relicto altero albi coloris, nisi alterum ad hanc rem praeparatum iam aderit prope Fontem.

68. Episcopus introibit ad baptisterium et sedebit ante Fontem: si ecclesia destituta erit Fonte baptismali ingredietur in presbyterium Altaris maioris et sedebit faldistorio posito in medio suppedaneo Altaris.

69. Interim in promptu habebitur ab uno pluribusve clericis vasculum sacri Chrismatis, aliquantulum gossipii, vestis candida et candela ardens.

70. Se sistet Episcopo baptizatus seu primus baptizatorum, si plures fuerint, eumque Episcopus interrogabit *Quis vocaris?* et ille respondens dicet nomina sua seu latino seu vulgari sermone. Episcopus ad literam N. proferens nomina praedicta, dicet *Credis in Deum* etc. eodemque modo sequentes interrogationes.

71. Baptizatus geniculabit ante Episcopum, qui pollicem

dexterum intinget in S. Chrisma, et proferens formulam *Deus omnipotens* etc. inunget eum in vertice capitis ad illa verba *ipse te liniat Chrismate salutis* etc. Episcopus pollicem suum, cappellanus autem unctionem super baptizatum factam gossipio absterget.

72. Tum Episcopus accipiet vestem candidam, quam statim induet baptizato, dicens *Accipe vestem candidam* etc.

73. Item accipiet candelam ardentem eamque tradet baptizato, qui accipiens illam manu dextera, osculabitur manum Episcopi illam porrigentis, dum dicet *Accipe lampadem ardentem* etc.

74. Postremo Episcopus proferens nomina baptizati, dicet *N. vade in pace* etc. baptizatus autem respondebit *Amen.*

75. Assurget baptizatus et recedet seorsim, ut locum det reliquis, si aderunt.

76. Quod spectat ad S. Confirmationem et ad Missam, in qua baptizatus sive baptizati ad sacram Eucharistiam admittentur, observabitur totum id, quod cap. XIII. num. 86. et seqq. libri huius descriptum est.

DE SACRAMENTO MATRIMONII CORAM EPISCOPO CELEBRANDO CUM BENEDICTIONE NUPTIARUM.

CAPUT XVI.

De rebus praeparandis.

1. Altare parabitur candelabris sex cum cereis et Cruce simili, tobaleis, pallio albi coloris et tapeto super gradus strato. Si tamen Missam pro sponso et sponsa celebrare non liceret, iuxta exceptiones statutas a rubricis seu decretis S. Rituum Congregationis, quas recensemus num. 51. praesentis capituli, apponetur pallium eius coloris, quem requirit officium.

2. Super mensam Altaris disponentur paramenta Episcopalia, videlicet pluviale cum stola albi coloris, Crux pectoralis, cingulum, alba et amictus: formale pretiosum etiam in lance ponetur prope paramenta praedicta, quae contegentur velo albi coloris. In latere autem Evangelii aderit mitra auriphrygiata cum vimpa seu velo.

3. Prope Altare praeparabitur baculus pastoralis.

4. Si Missam Episcopus sit celebraturus pro benedictione nuptiarum, cum ceteris paramentis praeparabitur planeta et manipulus albi coloris et, si celebranda esset Missa respondens officio, ut supra innuimus, aderit etiam stola, quae cum planeta et manipulo erit coloris respondentis officio.

5. In latere Epistolae praeparabitur legile vel cussinus cum Missali propter Missam.

6. Loco solito ante latus Epistolae, faldistorium cum veste albi coloris.

7. Ante Altare genuflexorium cum strato et pulvinis in usum Episcopi.

8. Abacus contegetur alba tobalea et super ipsum praeparabitur rituale vel pontificale (pars. IV.) ornatum veste albi coloris, scotula cum candela, annulus sponsae tradendus, in lance argentea, vasculum aquae benedictae cum aspersorio. Si Episcopus celebraturus erit Missam, praeparabitur calix cum purificatorio, patena cum hostia et particulis duabus, palla et corporale intra bursam; ampullae vini et aquae in pelvicula; campanula; urceus cum pelvi et mantile in lance; intorticia pro elevatione; canon pontificalis; mappa linea explicanda ante sponsos in Communione. Opportunum etiam erit scribere in chartae plagula nomen et cognomen sponsi et sponsae in commodum Episcopi.

9. Si Episcopus alteri Missae interesse vellet, opus erit instrumentum Pacis.

10 Pro sponsis praeparabitur scamnum sine portergali, contectum panno viridi, ante quod genuflectent et commoditati eorum licebit pulvinum supponere genibus tantum. Scamnum illud collocandum esset extra Presbyterium (*a*). Si Altare

(*a*) Usus praeparandi genuflexorium cum strato et pulvinis ad brachia et genua sponsorum nequaquam probatur, siquidem genuflexorium tali modo

instructum erit balaustrio, sponsi locum sument ante ipsum et poterit eis ad summum apponi pulvinar ad genua.

11. Illud notetur, quod si Episcopus, qui celebrabit functionem, non erit Ordinarius, necesse erit mandatum regulare Curiae episcopalis. Notabuntur autem nomina testium ut referantur in attestationem de matrimonio secuto, tradenda Parocho proprio sponsorum.

De Functione.

12. Sponsi ac testes praesto erunt in ecclesia seu sacello, in quo celebrabitur functio quadrantem horae ferme ante horam praestitutam.

13. Episcopus, si fuerit dioecesanus utetur rocheto cum mozzeta, sin minus, induet rochetum cum mantelleto, et mozzeta quoque, secundum regulas, quae cap. II. libri V. traditae sunt.

14. In limine ecclesiae seu sacello aderit clericus sustinens vasculum aquae sanctae cum aspersorio.

15. Episcopus excipietur a Superiore ecclesiae, qui ei praesentabit aspersorium, osculans manum ipsius dum porriget; Episcopus autem asperget seipsum et adstantes, si fuerit dioecesanus, sin minus, accipiet digito aquam benedictam ex aspersorio et signabit se.

16. Aderit etiam quispiam alius de Clero, excipiendi caussa Episcopum, praesertim si ipse esset dioecesanus.

17. Adorabit SS. Sacramentum, si functio peragetur publice in ecclesia, deinde procedet ad Altare, in quo celebrabitur functio.

18. Ante genuflexorium quum venerit, salutabit Crucem Altaris, et geniculabit in genuflexorio.

19. Sponsi geniculabunt loco ipsis praeparato.

20. Cappellani duo, superpellicio induti, accipient canonem et scotulam cum candela ardenti ex abaco, et canonem delatum aperient ante Episcopum super pulvinum genuflexorii.

ornatum spectat solum ad Episcopum proprium, ad Cardinales, ad Legatum pontificium et Principes regnantes.

21. Episcopus recitabit psalmos praeparationis; alter ex Cappellanis sustinebit scotulam, alter operam dabit volvendis foliis libri, servatis regulis traditis cap. V. libri V.

22. Praeparatione absoluta, a Cappellanis praedictis afferetur ad Altare, cum debitis reverentiis, canon et scotula; haec ponetur prope Missale, ille aperietur et apertus collocabitur ad pedem Crucis.

23. Episcopus assurget et reverentia facta ad Crucem, veniet ad faldistorium et sedebit. Cappellani Episcopo assistentes, exuent ei mozzetam vel mantelletum.

24. Se sistent Episcopo Ministri lotionis: ipse, extenso super eius genua mantili, gestans biretum in capite et sedens, lavabit manus. Si fuerit Episcopus dioecesanus, ad actum istum genuflectent adstantes omnes, quod fiet etiam quotiescumque deinceps lavabit manus.

25. Clerici huic rei designati, paramenta episcopalia ex Altari accipient.

26. Episcopus, lotis manibus, sibi ipse exuet biretum et tradet Cappellano suo, qui deponet illud super genuflexorium una cum mozzeta vel mantelleto.

27. Cappellani supradicti assistentes Episcopo, induent eum amictu, alba, cingulo, Cruce pectorali, stola albi coloris et pluviali simili, cui apponetur formale pretiosum. Cappellanus primus imponet capiti Episcopi mitram auriphrygiatam, Cappellanus alter tradet ei in sinistram baculum pastoralem.

28. Dum parabitur Episcopus, clerici duo accipient pontificale vel rituale, alter autem ponet super Altare pelviculam cum annulo benedicendo et in promptu habebit vasculum aquae sanctae cum aspersorio.

29. Paratus Episcopus assurget et accedet ad Altare, quo priusquam ascendat, reverentiam faciet ad Crucem.

30. Clericus unus faldistorium ponet in medio Altaris supra suppedaneum.

31. Episcopus sedebit faldistorio et baculum dimittet: a sinistris eius consistet clericus qui sustinebit pontificale seu rituale, cui inserta erit charta cum nominibus sponsorum, et alter cum scotula.

32. Sponsi accedent ad Altare et geniculabunt ante Episcopum, sponsa adstante sponso sinistrorsum. Testes appropinquabunt sponsis. Sponsi, si utentur chirothecis, propter actionem istam dimittent eas.

33. Episcopus vulgari sermone interrogabit sponsum, utens formula in Rituali statuta, idest — *N.* vis accipere *N.* hic praesentem in tuam legitimam uxorem iuxta ritum Sanctae Matris Ecclesiae ?— Sponsus autem clara voce, ut audiri possit a testibus, respondebit —Volo— Deinde Episcopus interrogabit sponsam, dicens pariter sermone vulgari — *N.* vis accipere *N.* hic praesentem in tuum legitimum maritum iuxta ritum Sanctae Matris Ecclesiae ?— Sponsa, clara voce, ut supra, respondebit —Volo—.

34. Episcopus eos iubebit dexteram iungere dexterae, dum ipse dicet *Ego coniungo vos in matrimonium: in nomine Patris* ✠ *et Filii* ✠ *et Spiritus* ✠ *Sancti. Amen*, tria Crucis signa super illos efficiens.

35. Cappellanus exuet mitram Episcopo, qui assurget, convertetur ad Altare et benedicet annulum, ut praescribitur in Rituali, idemque Cappellanus elatam sustinebit eius fimbriam pluvialis. Post orationem pro benedictione annuli, Cappellanus supradictus porriget aspersorium Episcopo, osculans manum eius, qui annulum asperget aqua benedicta et aspersorium restituet Cappellano.

36. Post haec Episcopus sedebit faldistorio, et mitra coopertus a Cappellano antedicto, recipiet ab ipso annulum, quem tradet sponso, ut illum inserat digito annulari sinistrae manus sponsae.

37. Dum sponsus digito sponsae inducet annulum, Episcopus benedictionem donabit dicens *In nomine Patris* ✠ *et Filii* ✠ *et Spiritus* ✠ *Sancti.*

38. Cappellanus mitram exuet Episcopo, qui assurgens, convertetur ad Altare et recitabit preces *Confirma hoc Deus* atque orationem *Respice quaesumus Domine* etc.

39. Post orationem Sponsi consurgent et descendent ad balaustrium seu quo loco erant in principio; Episcopus descendet de Altari, et remoto faldistorio, conversus ad Altare

ipsum, exuetur formali ac pluviali et a Cappellanis suis induetur planeta albi coloris, vel si celebranda erit altera Missa iuxta regulas deinceps tradendas, exuetur etiam stola albi coloris et induetur stola ac planeta coloris repondentis officio.

40. Episcopus celebrabit Missam lectam, in qua consecrabit particulas duas pro Communione sponsorum et fiet benedictio nuptiarum quae tamen omittitur, si mulier sit vidua.

41. Hinc si benedictio praedicta facienda sit, dum Celebrans dicet *Pater noster*, sponsi redibunt ante Altare ibique geniculabunt. Clericus cum pontificali se sistet a tergo Episcopi.

42. Episcopus, recitato *Pater noster* eique responso *Sed libera nos a malo*, non subiungens *Amen*, genuflectet ad Sacramentum et conversus ad sponsos versus cornu Epistolae, recitabit orationes *Praesta, quaesumus* etc. et *Deus qui potestatem* etc.

43. Orationibus recitatis, convertetur Episcopus ad Altare, et genuflexione facta ad Sacramentum, recipiet patenam dextera et prosequetur Missam ab oratione *Libera nos* etc.

44. Sponsi redibunt ad locum suum, et super scamnum vel super balaustrium, apud quod erunt genuflexi, expandetur mappa pro Communione.

45. Episcopus divinam Eucharistiam administrabit sponsis et prosequetur Sacrum usque ad *Ite Missa est* vel ad *Benedicamus Domino*.

46. Sponsi redibunt ante Altare ac genuflectent; aderit clericus cum pontificali a sinistris Episcopi, alter a dextris cum vasculo aquae sanctae et aspersorio.

47. In promptu etiam erit clericus unus, repositurus faldistorium super Altare, si Episcopus admonitionem faciet et sedere ipsi placebit.

48. Episcopus, dicto *Ite Missa est*, vel *Benedicamus Domino*, recitabit super sponsos orationem *Deus Abraham* etc. non praemittens *Oremus*. Postea sedens faldistorio, vel etiam stans, brevi sermone admonebit eos, quemadmodum innuit rubrica Missalis nempe ut — sibi invicem servent fidem: orationis tempore et praesertim ieiuniorum casti maneant, et vir uxorem, atque uxor virum diligat: et in timore Dei permaneant.— Tum sum-

pto aspersorio e manibus Cappellani dextrorsum adstantis, asperget eos aqua benedicta.

49. Sponsi redibunt ad locum suum; Episcopus conversus ad Altare dicet orationem *Placeat tibi* etc. donabit benedictionem et complebit Missam.

50. Descendet de Altari, dimittet vestes sacras, et resumpta mozzeta vel mantelleto geniculabit in genuflexorio, operam dabit gratiarum actioni et discedet de ecclesia seu de Sacello.

51. Quod spectat ad Missam in celebratione nuptiarum celebrandam, notandum, quod Missa *pro Sponso et Sponsa* notata in Missali post Missas votivas, celebrari potest quibuslibet diebus, exceptis illis, quibus occurrit officium de ritu primae et secundae classis, Dominicis ceterisque festis praeceptivis, quibus celebrabitur Missa de officio currente cum oratione pro *Sponso et Sponsa*. Inter festa praeceptiva numeranda illa quoque sunt, quae in aliquo regno aut provincia a S. Sede antiquata essent. Vetatur insuper huius Missae celebratio inter octavam Epiphaniae, in Vigilia ac tota octava Pentecostes et inter octavam de festo SS. Corporis Christi, locis illis tantum, quibus ex privilegio octava illa celebratur ad instar Epiphaniae.

52. Relate ad Missam *pro Sponso et Sponsa*, omittetur *Gloria* et *Credo*, recitabitur oratio secunda et tertia, quomodo praescribunt rubricae pro Missis votivis (Rubricae generales Missalis tit. VII *de commemorationibus* num 3). *Benedicamus Domino* in fine, et legetur semper Evangelium S. Ioannis *In principio erat* etc.

53. Quando autem recitanda erit Missa respondens officio, advertatur quod adiungenda est commemoratio *pro Sponso et Sponsa*, quae oratio recitanda est festis primae et secundae classis, nunquam sub unica conclusione, sed separatim ab oratione officii; in ceteris autem festis ac Dominicis recitabitur post commemorationes omnes a rubrica praescriptas, itemque in festis secundae classis, si fiet commemoratio simplicis, recitabitur post istam (*a*).

(*a*) Anno a Virginis partu 1751. editum fuit in folio maiori opus, cui titulus - Pontificalis ritus pro Sacramento Matrimonii celebrandum iuxta Rituale Romanum Pauli V. P. M. iussu editum a Francisco Diez Mi-

DE IMPOSITIONE PRIMI LAPIDIS NOVAE ECCLESIAE AB EPISCOPO PERSOLVENDA.

CAPUT XVII.

1. Ad novam ecclesiam aedificandam requiritur assensus Episcopi, qui locum eius delineabit et constituet reditus necessarios ad ecclesiam ipsam et inservientes eius alendos.

2. Rebus omnibus constitutis, quae ad hunc finem opus erunt, in substructionibus huius sacri aedificii ponendus erit lapis primarius et benedicendum solum, in quo aedificabitur.

3. Quapropter fient excavationes ad fundamenta ponenda, vel nisi poterunt fieri fossiones priusquam benedicatur, describetur lineis earum locus.

4. Lapis primarius collocandus omnino erit in fundamentis; quamobrem quo loco respondebit angulus dexter absidae, scilicet latus Evangelii Altaris maioris, in quo incipientur unctiones parietum, quando consecrabitur ecclesia, fundamentum fiet profundum, quoad requiret altitudo aedificii.

5. In hac igitur parte ceterisque etiam, si iam effossa erit terra ad fundamentum ponendum, fient munitiones ligneae, ne quod gravius accipiatur incommodum.

randa in Regali Ecclesia Ss. Iacobi et Ildephonsi Hispanorum de Urbe Caeremoniarum Magistro ad hunc usum concinnatus –. Praeterquam quod nulla ibi extat formalis approbatio, rubricae illius sunt novae et fere dixerim singulares, quarum una praescribit, ut sponso et sponsae detur pax cum instrumento, utque Episcopus in administranda iis divina Eucharistia utatur formula – Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat te in vitam aeternam. *Et quilibet respondet*: Amen – Penes lectores erit iudicare anne principiis liturgicis cohaereat utrumque. Aegre ferimus quod huiusmodi informe rituale insertum sit, tamquam regulare quicquam, Pontificali Romano Urbini edito anno 1818. sumptibus fratrum De Romanis, quamquam nulla praeditum sit confirmatione; siquidem editio caret recognitione Ordinarii aut Inquisitoris S. Officii, quemadmodum a supradictis Constitutionibus Pontificiis praecipitur.

6. Praeparabitur lapis undequaque perfecte quadratus, qui palmi amplitudinem aequet, ponendus in fundamentis. Lapis iste non esto laevigatus nec pumice expolitus, sed ferme rudis, ut in ipso possit Episcopus cultro effingere Crucem.

7. Fiet etiam arcula marmorea cum operculo a latere claudendo, intra quam claudetur lapis praedictus. In parte superiori arculae inseretur annulus ferreus, ut faciliter demitti possit in fundamenta. Intra arculam istam includi poterit unum vel plura numismata, quae congruant rei, ac tubus vitreus cum pergamena scripta, quae memoret actum.

8. Praeparabitur etiam Crux lignea maioris formae, quae hominis staturam aequet, imponenda quo loco erigendum erit Altare maius.

De rebus praeparandis.

9. Si placebit Episcopo post impositionem primi lapidis celebrare Missam, in medio solo benedicendo praeparabitur Altare instructum pallio, candelabris, Cruce, tobaleis ac tapeto. Circa Altare erigetur tentorium sufficiens, quod possit Altare ipsum tegere ac defendere praesertim a vento radiisque solis. Sin Missa non celebrabitur, omittetur praeparare Altare supradictum.

10. Si quis locus proximus ac decens erit, ubi se parare possit Episcopus, disponetur ad hanc rem, secus parare se poterit ibidem, ubi erit peragenda benedictio.

11. In medio solo benedicendo praeparabitur faldistorium cum veste albi coloris, collocatum super exiguo tapeto, et a latere aderit pulvinar ad genuflectendum.

12. A dextris vel etiam a sinistris faldistorii ponetur abacus maioris formae albo mantili coopertus, in quo disponentur res ad functionem necessariae: videlicet vas amplum, seu concha decens cum aqua benedicenda; aliquantulum salis in lance; vasculum ad hauriendam aquam, cum fuerit benedicta, aspergillum ex hyssopo; mantile unum pro Episcopo; lapis fundamentalis extra arculam supradictam; prope lapidem arcula ipsa, et aliquantulum gypsi triti in lance testacea ad obturandum

operculum arculae, si opus fuerit; culter vel aliud ferrum acuminatum cum manubrio ex ebore vel ebeno in usum Episcopi; resticula longa, convestita serico vel alio panno, liganda annulo arculae ad dimittendum lapidem in fundamentum; pontificale (pars II); scotula cum candela; canon pontificalis; tabella cum formula indulgentiae; paramenta episcopalia, quae sunt mitra auriphrygiata cum velo seu vimpa pro ministro illius; formale pretiosum, pluviale cum stola albi coloris, Crux pectoralis, cingulum, alba et amictus, quae omnia contegentur velo albi coloris ; baculus pastoralis in longitudinem positus super abaco, nisi quis alius modus succurrat sustinendi eum; postremo intorticia duo.

13. Prope abacum ponetur Crux hastilis firmata basi.

14. Alter etiam abacus aderit, in quo disponentur paramenta a Ministris utenda, videlicet duo numero amictus et albae totidemque cingula: stola albi coloris pro Diacono; praeterea superpellicea sufficienti numero.

15. Loco opportuno statuetur legile cum pontificali pro cantoribus.

16. Quo loco ponendus erit primus lapis, aderit calx cum lateribus et petra, ut immediate possit ipse lapis obstrui muro.

17. Pridie functionem a Presbytero ad hanc rem delegato, qui poterit induere superpelliceum, quo loco erigendum erit Altare primarium, Crux praedicta lignea collocabitur, ut conspici possit.

18. Si Episcopus celebraturus erit Missam, disponentur ad Altare ut supra dispositum, omnia ea quae ad Missam opus sunt.

19. Si alio loco parabitur Episcopus, paramenta eius et Ministrorum, Crux et intorticia praeparabuntur loco eodem, ex quo in processionem se conferent ad aream novae ecclesiae.

20. Ad functionem istam persolvendam requiruntur Diaconus et Subdiaconus: Subdiaconus alter, vel clericus Crucifer: clerici duo pro intorticiis: alter clericus pro vasculo; quatuor clerici seu Cappellani pro mitra, baculo, libro et scotula: item duo qui transferant lapidem ad fundamentum : quatuor aut sex cantores: caementarii quatuor, ad summum sex induti sacco ,qui lapidem muro occludant: lapidarius.

21. Hora statuta congregabitur Clerus in locum determinatum, clerici et cantores induent superpelliceum : Ministri sacri se parabunt amictu, alba, cingulo et Diaconus stola etiam diaconali.

22. Quum Episcopus erit adventurus accendentur duo intorticia et Crux accipietur a clericis designatis, qui consistent a dextris faldistorii.

23. Episcopus induetur rocheto et mozzeta ; mantelletum etiam adhibebit, si fuerit extra dioecesim suam, ut declaratum fuit cap. II. lib. V.

24. Clerus obviam procedens Episcopo occurret ei in limine fundamentorum, exceptis Ministris, qui praesto erunt a lateribus faldistorii, et clericis cum Cruce et intorticiis.

25. Episcopus salutabit Crucem et sedebit faldistorio, facie ad populum versa.

26. Distribuentur clericis paramenta episcopalia.

27. Diaconus exuet Episcopo mozzetam, vel mantelletum, si utetur, et adiuvante Subdiacono, induet eum amictu, alba, cingulo, Cruce pectorali, stola et pluviali, cui apponetur formale. Deinde Diaconus imponet ei mitram et Episcopus baculum sinistra accipiet.

28. Si sacra indumenta ab Episcopo et Ministris alio a functionis loco assumpta essent, ideoque ad functionis locum esset procedendum, servabitur ordo sequens.

29. Praeibunt tres clerici cum Cruce et intorticiis ardentibus; cantores bini, superpellicio induti; Clerus sive clerici bini, dignioribus propius Episcopum incedentibus; Episcopus medius inter Ministros, qui populum benedicet dextra, si fuerit in sua dioecesi ; Cappellani a mitra et baculo, dein reliqui duo a libro et scotula; postremo familiares nobiles Episcopi, si qui aderunt.

30. Quum ad locum functionis venerint et dispositi fuerint ordine iam innuto, Episcopus faldistorio sedebit brevi tempore. Tum assurget et stans medius inter Ministros, accedet ad abacum eique se sistent Cappellani cum libro et scotula.

31. Crux cum intorticiis collocabitur contra Episcopum vel a latere, ita tamen ut Crux stet in conspectu eius.

32. Episcopus exorcizabit salem dicens *Adiutorium nostrum* etc. *Exorcizo te* etc. Post exorcismum Episcopus dimittet baculum et Diaconus exuet ei mitram. Tum recitabit orationem super salem. Oratione recitata, Diaconus reponet mitram Episcopo, qui recipiet sinistra baculum et recitabit exorcismum super aquam. Post exorcismum Episcopus dimittet baculum, Diaconus tollet ei mitram, et recitabit orationem super aquam. Qua oratione absoluta, accipiet pugillum salis et dicens *Commixtio* etc. demittet illum in aquam ad instar Crucis, dum proferet verba *In nomine Patris* etc. Diaconus, si opus fuerit, porriget Episcopo manutergium, quo absterget manum, deinde prosequetur alteram orationem *Deus invictae virtutis* etc.

33. Completa oratione, Diaconus reponet mitram Episcopo, qui baculum sinistra recipiet.

34. Clericus, cuius officium sustinere vasculum aquae benedictae, extrahet ex concha vasculum unum ipsius aquae plenum et accipiet aspergillum ex hyssopo, tradendum Diacono, ut infra.

35. Clerici cum Cruce et intorticiis procedent versus locum, ubi pridie posita erit Crux lignea, sequetur eos Episcopus cum Ministris; clericus sustinens vasculum aquae benedictae adstabit Diacono dextrorsum; Cappellani a mitra, baculo etc. sequentur Episcopum.

36. Quum ventum erit ad locum praedictum, clerici cum Cruce et intorticiis consistent a dextris Episcopi: cantores autem immediate intonabunt antiphonam *Signum salutis* etc. eamque prosequentur canendo cum psalmo *Quam dilecta tabernacula* etc. cuius in fine addent *Gloria Patri.*

37. Interim Episcopus, tradito ipsi a Diacono aspergillo cum osculis, asperget illam terrae partem, in qua stabilietur deinceps Altare primarium; tum Diacono restituet aspergillum.

38. Fine facto canendi psalmi nec repetita antiphona, Diaconus exuet mitram Episcopo, qui cantabit orationem *Oremus Domine Deus* etc. advertens ut nominet Sanctum illum, in cuius honorem condetur nova ecclesia. Ut ista, ita reliquae orationes, quae sequuntur, cantandae sunt tono feriali.

39. Absoluta oratione, Diaconus reponet mitram Episcopo, qui recepto baculo, eodem ordine, ac supra, redibit ad abacum. Ibi dimittet baculum et mitra exuetur a Diacono.

40. Episcopus benedicet lapidem primarium, recitans versiculos notatos in Pontificali cum duabus orationibus, quibus recitatis, aspergillum accipiet a Diacono et lapidem antedictum asperget aqua benedicta.

41. Diaconus, recepto aspergillo, tradet Episcopo cultrum sive aliud instrumentum cuspidatum ad signandum lapidem, et Episcopus in singulis partibus Crucem triplicem signabit in medio, dicens *In nomine Patris* ✠ *et Filii* ✠ *et Spiritus* ✠ *Sancti*; adstantes autem respondebunt *Amen*. Id faciet in singulis lapidis faciebus, idest sex vicibus. Episcopus deponet cultrum, deinde dicet alteram orationem *Oremus. Benedic, Domine* etc.

42. Interim a clerico vel a Caeremoniario claudetur lapis intra arculam marmoream, de qua supra, et addentur numismata ac pergamena; operculum eius obturabitur gypso a lapidario, ne aqua et calx intus penetrent ex fessuris.

43. Post orationem Diaconus reponet mitram Episcopo.

44. Redibit Episcopus ante faldistorium et geniculabit in pulvino posito ante ipsum, facie versa ad locum Altaris maioris, sive ad Crucem maiorem ligneam.

45. Geniculante Episcopo, in genua procumbent adstantes omnes, et cantores duo genuflexi a tergo Episcopi cantabunt Litanias, quibus respondebunt adstantes.

46. Litaniis absolutis, assurget Episcopus et ceteri omnes cum ipso. Diaconus mitram exuet Episcopo, qui paullulum conversus ad abacum, in quo positus erit lapis supradictus, cantabit orationem *Oremus. Actiones nostras* etc.

47. Post orationem Episcopus intonabit antiphonam *Mane surgens Iacob,* quam prosequentur cantores cum psalmo *Nisi Dominus aedificaverit domum* etc. post quem cantabitur *Gloria Patri,* sed antiphona non repetetur. Diaconus reponet mitram Episcopo, postquam ipse intonuerit antiphonam praedictam.

48. Interim caementarii in promptu habebunt calcem reliquamque materiam, qua obstruendus erit lapis supradictus. Annulo ferreo, infixo in parte superiori arculae, inseretur lon-

ga resticula, ut arcula lapidem claudens demitti possit in fundamentum.

49. Psalmo absoluto, procedetur ad ponendum lapidem in fundamento; praeibit Crux cum intorticiis, clerici duo, qui deferent lapidem supradictum; sequetur Episcopus cum Ministris et cum clerico sustinente vasculum aquae, postea consueti Cappellani a mitra etc.

50. Quum ventum erit ad angulum, seu locum, in quo apertum erit cavum ad ponendum lapidem, Crux consistet a dextris Episcopi, qui ad cavum ipsum accedet, non tamen appropinquans extremitati. Tunc Episcopus dextram imponet super lapidem, dicens *In fide Iesu Christi collocamus lapidem istum in hoc fundamento,* eademque manu benedicens illum, dicet *in nomine Patris* etc. tum ope resticulae supradictae demittetur a clericis lapis in fundamentum.

51. Lapide posito in fundamento, Diaconus Episcopo tradet aspergillum, quo lapidem eumdem asperget, dicens integram antiphonam *Asperges me* etc. deinde recitabit alternatim cum Ministris totum psalmum *Miserere* cum *Gloria Patri* in fine.

52. Interim, detracta lapidi resticula, qua demissus fuit, caementarii statim desuper iniicient calcem et caementum super illum, ut nequeat amplius dimoveri loco.

53. Tunc Episcopus cum Cruce et Ministris, ut supra, procedet ante Crucem ligneam, quo quum venerit, intonabit antiphonam *O quam metuendus est*, quam prosequentur cantores simul cum psalmo *Fundamenta eius* etc.

54. Episcopus, accepto aspergillo e manibus Diaconi, praeeunte Cruce cum intorticiis, medius inter Ministros, sequentibus Cappellanis superius nominatis, procedens a dextris Crucis, idest versus partem respondentem lateri Evangelii Altaris maioris, quod ibi erit construendum, asperget fundamenta iam aperta vel saltem lineis descripta et illorum tertiam partem asperget. Ibi subsistet et restituet aspersorium Diacono.

55. Interim clericus deferens vasculum, infundet in ipsum, si opus fuerit, novam aquam sanctam, atque ita prosequetur deinceps.

56. Crux cum intorticiis convertetur versus Episcopum.

57. Completo a cantoribus cantu psalmi cum ℣. *Gloria Patri* etc. et repetita antiphona, Diaconus exuet mitram Episcopo. Episcopus cantabit *Oremus*, Diaconus *Flectamus genua*, omnesque genua flectent, exceptis Episcopo, clericis cum Cruce et intorticiis, et Cappellanis cum libro et scotula; Subdiaconus subiunget in cantu *Levate*, omnesque consurgent. Id ipsum fiet deinceps. Episcopus cantabit orationem *Omnipotens et misericors Deus* etc.

58. Post orationem Episcopus intonabit antiphonam *Pax aeterna*, quam in cantu prosequentur cantores.

59. Diaconus reponet mitram Episcopo, deinde ipsi tradet aspergillum.

60. Episcopus ordine supra innuto perget aspergere alteram tertiam partem fundamentorum, quo quum pervenerit, subsistet et aspergillum Diacono restituet.

61. Clerici cum Cruce et intorticiis subsistent et convertentur versus Episcopum.

62. Fine facto cantandi antiphonam, Episcopus retinens mitram in capite recitabit invitationem *Omnipotentem Deum, fratres carissimi* etc.

63. Deinde Episcopus intonabit antiphonam *Bene fundata est*, quam in cantu prosequentur cantores cum psalmo *Laetatus sum*.

64. Interim ab Episcopo aspergetur ultima tertia pars fundamentorum, quam post aspersionem restituet aspergillum Diacono et redibit in medium terrae sive areae ecclesiae prope Crucem ligneam ibi positam.

65. Expleto cantu psalmi cum *Gloria Patri* et repetita antiphona, conversus Episcopus versus ecclesiam, seu locum, cui respondebit porta principalis ecclesiae aedificandae, dimittet mitram, quam ipsi exuet Diaconus. Episcopus cantabit *Oremus* (Ministri autem *Flectamus genua* et *Levate*) atque orationem *Deus, qui ex omnium* etc.

66. Post orationem Episcopus per Diaconum resumet mitram et antecedente Cruce cum intorticiis ac sequentibus ceteris Ministris, ut supra, accedet ad faldistorium.

67. Ibi Diaconus exuet ei mitram et pileolum.

68. Episcopus, versa facie ad Crucem ligneam, geniculabit in pulvino et intonabit hymnum *Veni creator Spiritus,* qui continuabitur a cantoribus.

69. Post cantum primae strophae assurget Episcopus et Diaconus reponet ei pileolum.

70. Consurgent etiam adstantes, qui genuflexerant cum Episcopo.

71. Hymni cantu absoluto, Episcopus cantabit orationem *Descendat quaesumus Domine* etc. non praeponens *Oremus:* subiunget deinde *Oremus* cum altera oratione *Deus, qui omni loco* etc.

72. Post haec Episcopus sedebit faldistorio et Diaconus ei reponet mitram.

73. Episcopus, si placebit, homiliam habebit ad populum, hortans ipsum ut pecuniam conferat in aedificationem novae ecclesiae.

74. Post homiliam Episcopus assurget, et non conversus ad Crucem ligneam, quae sita erit in loco Altaris maioris, solemnem populo benedictionem impertietur, post quam Diaconus publicabit indulgentiam, legens formulam usitatam.

75. Episcopus dimittet vestes sacras, resumet mozzetam vel mantelletum et discedet comitatus a Clero usque ad locum, in quo ab eodem exceptus fuit.

76. Ministri et ceteri sacra indumenta dimittent apud abacos.

77. Si loco apposito Episcopus indutus fuerit paramentis, processionaliter illuc redibitur eodem ordine ac supra, ibique paramenta dimittentur.

78. Quod si Episcopus velit celebrare Missam, Ministri comitabuntur eum ante Altare, ubi dimisso baculo, exuetur a Diacono mitra, formali ac pluviali: tunc Ministri praedicti recedent et in assistentiam Episcopi succedent Cappellani eius.

79. Missa celebrabitur votiva de Sancto, in cuius honorem nova ecclesia aedificatur, id tamen intelligi volumus, si licebit per rubricas, quum functio ista incidere possit in diem, quo non liceat Missas votivas celebrare quamvis solemnes.

80. Supersedemus monere, ut locus de industria compositus ad Missam celebrandam sit conveniens ac decens non modo

quod spectat ad ornatum et positionem Altaris, sed etiam quoad parietes, fenestras, aliasque accessiones, quibus posset indecens videri.

DE ECCLESIAE DEDICATIONE SEU CONSECRATIONE.

CAPUT XVIII.

1. Una cum ecclesia consecrandum etiam est Altare unum propter integritatem et validitatem actus, siquidem ecclesia dedicatur *propter altare*. Aequum esset, ut consecraretur Altare primarium, vel altare dedicatum Sancto Titulari, si Altaris primarii alius esset titulus.

2. Altare consecrandum ex toto lapideum sit oportet, mensa autem superior constare debet ex uno integro lapide. Si stipes, quo mensa fulcitur, non poterit totus esse lapideus, fiet lateritius, nempe ex calce et lateribus coctis, sed habebit quatuor columellas, seu pilas exiguas lapideas in angulis, quae mensam sustentent, ut comprobetur Altare in suis partibus praecipuis esse lapideum. In media mensa praedicta, sed aliquantulum versus partem anteriorem construetur urnula seu parvum sepulcrum formae quadrae cum poste, cui innitetur lapis claustri ad includendas Reliquias. Lapis claustri esse debet solidus ne infringatur, debetque aequare planum mensae ipsius (*a*). Super men-

(*a*). In antiquis altaribus, quorum multa adhuc extant in veteribus basilicis Urbis, nulla est arcula cavata in media crassitie mensae, ideoque Reliquiae conditae sunt intra vas aliquod in interna stipitis parte. Quonam anno coeptae sint Reliquiae in mensa reponi, non constat; videtur tamen referri posse ad reformationem in Pontificale Romanum invectam iussu Clementis VIII. vel iisdem ferme temporibus. Repositio Reliquiarum in mensa satis commoda est, quippe quae conficitur exiguo temporis spatio, sed tamen Altare subiacet exsecrationi, siquidem lapis, quo clauditur urnula, est valde friabilis. In hisce instructionibus sequuti sumus modum secundum reposi-

sam incidendae sunt Cruces quinque in locis principalium unctionum, una videlicet in medio, ceterae in quatuor angulis. Advertatur ut Crux incidenda in medio, stet extra lapidem urnulae, ceterae autem quae erunt in angulis, sint dimidium ferme palmum intra mensam. In media parte anteriori stipitis pingatur Crux, super quam fiet unctio, id tamen si stipes esset lateritius; nam si lapideus esset et innexam haberet Crucem metallicam aut marmoream, alteram Crucem apponere non oportet. Infra gradum candelabrorum, vel in lateribus inferioribus mensae negotium dabitur artifici, ut quinque ad summum sex orbiculos metallicos, non ferreos, plumbo conglutinet, quibus possit firmari tobalea cerata et reliquae tobaleae.

3. Opus est capsula formae quadrae cum operculo simili, quae cum S. Reliquiis claudetur in urnulam. Capsula ista erit ex lamina plumbea, expolita intus et extra: posset etiam fieri ex argento. Erit autem eiusdem amplitudinis atque interioris partis urnulae, sed aliquantulo subtilioris crassitei seu altitudinis propter sigillum in medio ibi apponendum.

4. Parietibus internis ecclesiae affigentur Cruces duodecim ad altitudinem palmorum decem a pavimento, quae nunquam dimoveri loco possint; Cruces istae poterunt esse vel pictae muro, aut marmoreae vel etiam metallicae, nunquam ligneae aut alius fragilis materiae, quum super ipsas sacra unctio facienda sit. Altera autem ab altera aequis intervallis distabit, iuxta amplitudinem ecclesiae et parietum eius principalium, in quibus sitae erunt; curabitur tamen ne absint procul ab Altaribus. Opus sunt duodecim ocelli metallici vel ferrei muro infigendi palmum dimidium infra unamquamque Crucem, totidemque cornucopiae metallicae aut ferreae inauratae vel etiam

tionis. Nihil tamen obstat, quin urnula fiat in stipite; eius autem os sive apertura esto satis lata, ut Episcopus possit unctiones facere in angulis internis. Porro apertura, de qua supra, fieri poterit in parte anteriori aut in posteriori, vel etiam in alterutro latere, dummodo tamen in ipso consecrationis actu obturetur calce, lateribus coctis et lapidibus ita, ut sit undequaque et penitus clausa, ne, nisi labefactetur Altare ipsum, possint ullo modo extrahi S. Reliquiae.

ex ligno inaurato, ad singulas candelas sustinendas (a). Praeparabitur scabellum gradatum, commodum, constans quatuor aut quinque gradibus cum plano latiori in superiori parte, cumque fulcimentis solidis a lateribus, quam conscendere Episcopus debet, facturus unctiones super parietes.

5. In porta ecclesiae primaria incidetur Crux utrique stipiti ad altitudinem palmorum sex in quibus unctio fiet ab Episcopo. Si stipites essent lateritii, possent fieri binae exiguae Cruces lapideae et muro ipsi innecti.

6. Curabitur, ut ecclesia possit libere circumiri in partibus externis.

De rebus praeparandis.
Pro repositione sacrarum Reliquiarum
pridie vespere facienda..

7. Praescribitur a Pontificale Romano, ut vespere praecedenti consecrationem, reponantur et obsignentur ab Episcopo S. Reliquiae, quae condendae sunt in Altari, et serventur loco decenti et apposite praeparato.

8. Ad hanc rem ornabitur decenter alia ecclesia sive oratorium aliquod ecclesiae dedicandae proximum, vel cubiculum aliquod adiacens, et defectu totali cuiuslibet loci idonei, poterit de industria construi tentorium. Ceterum quicumque ex praedictis locis sit, decenter ornabitur. Si deerit Altare, praeparabitur abacus contectus alba tobalea, super quo collocabitur thalamus seu feretrum ad reponendas S. Reliquias. Feretrum hoc habebit tabulam, binis vectibus instructam, cum urna sive arca decenti et ornata pannis sericeis rubri coloris. Si loco supradicto erit Altare, exponentur super Altari Reliquiae in urna conditae et feretrum ponetur seorsim, utendum postridie mane in actu consecrationis.

(a) Quod ad candelas Crucibus parietum apponendas, praescribitur a rubrica, ut candela ponatur in capite seu vertice Crucis ipsius eodem modo, quo in benedictione Coemeterii infiguntur vertici Crucis — Et ad caput cuiuslibet Crucis figatur unus clavus, cui affigatur una candela etc. — Nos autem sequuti sumus communem usum collocandi cornucopias cum candela non in summitate, sed ante singulas Cruces.

9. Praeparabitur abacus alter, in quo disponentur obiecta, quae opus sunt ad actionem istam, videlicet stola rubri coloris pro Episcopo, pergamena scripta ut in Pontificali et subsignata ab Episcopo, tria grana thuris reponenda cum S. Reliquiis, scotula cum candela, aliquantum lemnisci sericei rubri, forfices, tubulus cerae hispanicae, annulùs signatorius episcopalis, medius aut minimus, capsula cum operculo, superius descripta, ad reponendas sacras Reliquias.

10. Reliquiae erunt duorum saltem Sanctorum Martyrum, clausae singulae in singulis chartis distinctis, nomine Sancti notato super chartam ipsam et afferentur ab Episcopo.

11. Opus est pulvino ad genuflectendum.

12. Prope thalamum aderunt candelabra duo cum cereis, qui ardebunt in nocte, dum fient vigiliae.

13. In eodem loco disponentur scamna, genuflexoria, breviaria, lumina, eaque omnia, quae opus sunt in vigiliis celebrandis quo modo praescribitur a rubricis Pontificalis Romani (*a*).

(*a*) Vespere ante consecrationem ecclesiae sive altaris celebrandae vigiliae sunt ante Reliquias Sanctorum Martyrum, quae in ipso consecrationis actu conduntur in altari. Ioseph Catalano, doctissimus vir, in commentariis ad Pontificale Romanum, multa exempla profert de vigiliis a veteribus ante S. Reliquias tota nocte celebratis. In saeculis a nobis remotioribus dividebatur nox in tempora quatuor seu partes distinctas. Tribus primis recitabantnr nocturna, unum ab altero divisum; quarta autem parte sub lucis ortum recitabantur Laudes. (Conf. S. Thomam in epist. ad Corinth. cap. XIV. Baronium in annalib. ad an. 51. num. 69. Suarez de Religione tom. II. lib. IV. cap. IV). Variata modo ecclesiastica disciplina et intermissa in noctem recitatione officii, recitantur iunctim tres vigiliae, seu tria nocturna matutina cum Laudibus, mane diversis horis, iuxta varios usus et consuetudines Cleri tum saecularis tam regularis, et consequenter omissa vigiliarum nocturnarum disciplina suppletur, inquam, recitatione nocturnorum matutini una cum Laudibus. Quare exempla omnia a Catalano allata nihil aliud sunt, quam monimenta veteris disciplinae. Romae tamen quum supradictae consecrationes celebrantur, in principio vigiliarum solet a quibusdam ecclesiasticis recitari matutinum cum laudibus plurium Martyrum; deinde a duobus, quatuor, sex etiam personis fere semper laicis continuatur in totam noctem oratio; hac enim ratione interpretata est rubrica Pontificalis. Mihi autem videtur, nisi fallor, Pontificale praescribere recitationem nocturnorum cum laudibus tantummodo. Eius verba haec sunt – Celebrandaeque sunt vigiliae ante Reliquias ipsas et canendi nocturni et matuti-

14. Curae erit respectivis superioribus, ne in celebratione vigiliarum oriantur incommoda.

15. Quum ieiunium praeceptivum praescribatur pridie consecrationem Episcopo consecranti, et iis qui consecrationem postulaverint, si ageretur de integro populo, indicetur modis observatis a Curia episcopali.

De rebus praeparandis pro Consecratione Extra portam ecclesiae.

16. Suspendetur in altum, si opus fuerit, velarium aliquod ad arcendum solem.

nae laudes in honorem Sanctorum, quorum Reliquiae sunt recondendae –. In Pontificali, ut neminem latet, retentae sunt phrases multae, antiquitatis propriae; ideoque sententia illa *celebrandae sunt vigiliae* afferre offendiculum nequaquam debet, quum immediate ibi declaretur quid significet, videlicet quod in vigiliis istis *canendi sunt nocturni et matutinae laudes*. Haec eadem interpretatio, nisi allucinamur, fuit S. Rituum Congregationis circa rubricam Pontificalis modo allatam. Ipsa enim Rmo Episcopo Cenomanensi respondit – Pontificalis verba intelligenda esse, quod celebrentur vigiliae cum matutino, laudibus, hymnis, canticis de communi sine nomine expresso, quum non sint partes officii diei 14. Iunii 1845. (Decr. num. 4863. vol. VIII. pag. 425.) Iam vero tam Pontificale, quam S. Rituum Congregatio praescribunt, ut in vigiliis recitetur Matutinum cum laudibus. Hac igitur recitatione adimpletur praescriptio iniuncta, nec videtur protrahenda esse in noctem totam; id enim neque a Pontificali neque a S. Rituum Congregatione praescribitur. Si in antedictis vigiliis recitandum tantum est matutinum cum laudibus de communi plurimorum martyrum, singulare sane esset pluries eamdem recitationem iterare sine ratione sufficienti. Idem P. Catalanus §. XXV. vol. II. pag. 37. queritur, quod multum negligatur ecclesiarum altariumque consecratio, idque crimini vertit Episcopis – Puto equidem, inquit, Episcoporum ingluviem exactionesque importunas causam dedisse populis, ut minime curarent suas dedicari ecclesias –. Quasnam abusiones innuat suis temporibus vigentes, prorsus ignoro. Nullas temporibus nostris abusiones possumus deplorare. Usu autem didici in exercitio honorifici officii mei, quod quum agitur de ecclesia vel altari dedicando, maior et fortasse unica difficultas quae oritur, est prorsus vigiliarum in totam noctem celebratio, quae tamen difficultas dilueretur interpretatione, quam dat rubricae S. Rituum Congregatio. Ceterum haec est nostra de controversia ista privata opinio, quam libenter subiicimus auctoritati, cuius est in huiusmodi quaestionibus proferre iudicium definitivum.

17. Prope portam praeparabitur faldistorium cum veste albi coloris super exiguum tapetum. Aderit pulvinar ad genuflectendum.

18. Legile maioris formae cum Pontificali (pars II.) pro cantoribus.

19. A dextris prope portam ipsam statuetur abacus contectus alba tobalea, in quo ponetur vas decens plenum aquae benedicendae (*a*) aliquantulum salis in lance, vasculum vacuum ad hauriendam aquam quando opus sit, manutergium in usum Episcopi, aspergillum ex hyssopo. Quum autem super abacum eumdem collocandum sit feretrum cum S. Reliquiis, praeparabuntur in eo candelabra quatuor cum candelis, debito tempore accendendis.

In Sacrario.

20. Stola una albi coloris, cingulum, alba, amictus et Pontificale pro Diacono ecclesiae custode. Altera stola, cingula duo totidemque albae et amictus pro Diacono et Subdiacono.

21. Superpellicia pro clericis et cantoribus.

22. Crux hastilis cum intorticiis duobus.

23. Praeparabitur etiam herba virens spargenda extra ecclesiam et circa ipsam in partibus eius exterioribus.

24. Si post Consecrationem cantabitur Missa, in promptu erunt ea omnia, quae opus sunt, ut cap. IV. libri II. et cap. XIII. libri V.

Intra Ecclesiam.

25. Altaria omnia esse debent denudata et fontes lustrales apud portas ecclesiae erunt vacui.

26. Describentur super pavimentum lineae duae latae palmum unum, quae se intersecent a quatuor angulis ecclesiae, super quas spargendus erit cinis, ut in ipso possint inscribi alphabeta duo, graecum et latinum. Hisce lineis ponetur signum re spondens loco literarum, ut ipsae sint regulariter delineatae et

(*a*) Haec autem aqua, postquam erit benedicta, peracta dedicatione, poterit infundi in fontes lustrales apud fores ecclesiae.

inter unam alteramquae literam intersit aequale intervallum. Si ecclesia fuerit satis ampla, loco linearum supplebitur viginti quatuor areolis formae quadrae pro alphabeto graeco et viginti tribus pro latino, quemadmodum praescribit Pontificale.

27. In media ecclesia praeparabitur faldistorium cum tegumento albi coloris super exiguo tapeto et pulvinar ad genuflectendum.

28. Duodecim crucibus in parietibus ecclesiae apponentur cornucopiae cum candelis.

29. Legile maioris formae cum Pontificali pro cantoribus ponetur loco idoneo, ne impedimento sit actionibus persolvendis.

30. Hastae cum gossipio cerato ad accendendas candelas.

Prope Altare dedicandum.

31. In presbyterio altaris huius, si fuerit capax, vel prope sacellum ipsum ponetur abacus tobalea contectus cum quatuor candelabris, sustinentibus candelas: super ipsum quum tempus erit, ponetur feretrum cum S. Reliquiis. Duo insuper abaci maioris formae, contecti tobaleis albis ad praeparanda quae opus sunt ad dedicationem, eaque sunt copia sufficiens cineris satis cribrati, spargendi super pavimentum, qui ponetur intra duo quaedam vasa seu recipientia ex aere, atque ut spargi possit, opus sunt batilla duo lata, ferrea, totidemque cribra ex crine parum denso, quibus cribris suum erit manubrium. Tabellae cum literis utriusque alphabeti, graeci et latini. Aliquantulum salis in lance. Aliquantulum cineris in lance. Ampulla vel phiala exiguâ plena vini in pelvicula. Vas decens aquae plenum. Vascula Olei sacri Catechumenorum et S. Chrismatis in lance. Ampullae argenteae plenae Oleis sacris praedictis in lance. Ligula utenda ab Episcopo ad ponendum caementum in sepulcro Reliquiarum. Tabellae cum formulis aspersionum, unctionum etc. (a). Pontificale minoris formae, vel tabella, in qua

(a) In praxi multum afferet incommodum uti Pontificali in aspersionibus et unctionibus. Quapropter in unaquaque earum actionum adhiberi solet tabella distincta, in qua scripta est formula aspersionis aut unctionis cum nomine Sancti illius, cui dedicatur ecclesia vel altare. Ne tamen oriatur

scripta extent S. Concilii Tridentini decreta, a Diacono legenda. Vasculum vacuum ad hauriendam aquam sacratam, quando erit opus. Aspersorium ex hyssopo. Spathulae duae ligneae ad eradendum ex altari ceram ac thus combustum. Aliquantulum scaliolae vel gypsi triti in scutella cretacea. Thuribulum cum navicula plena thuris. Thuribulum alterum cum navicula, substituendum primo, quando necesse sit. Operculum sepulcri Reliquiarum. Libra una gossipii soluti. Spongiae duae maiores et manutergia quatuor maiora ex tela rudi. Cruces quinque ex gossipio cerato cum quinque et viginti granis incensi: grana autem sint aequalia et laevigata, ut ipsis possit facile superponi Crux ex gossipio cerato: quatuor capita crucium sint iam arsa oportet, ut faciliter accendi possint. Aliquantulum gossipii cerati ad Cruces praedictas accendendas. Conchula exigua cretacea ad reponendum thus combustum. Urceus cum pelvi et manutergia duo in usum Episcopi in lance. Aliquantulum medullae panis et mali medici in lance. Vasculum aquae sanctae cum aspersorio. Chrismale, seu tobalea ex tela alba cerata, quae totam mensam altaris contegat, cum ocellis ad eam firmandam. Tobaleae cuiusque altaris in canistro. Si Episcopus celebrabit Missam lectam post dedicationem, praeparentur quae sunt ad rem, videlicet planeta cum manipulo albi coloris, cussinus vel legile cum Missali, calix cum purificatorio, patena, hostia, palla et bursa cum corporali, ampullae vini et aquae in pelvicula, campanula, canon, intorticia pro elevatione. Prope abacos istos aderit concha maioris formae ex aere, in qua reponentur obiecta purificanda vel iniicienda in sacrarium.

aequivocatio in usu, ad eas distinguendas, scribi solet in capite cuiusque–cum aqua–cum oleis–ad parietes.–Notanda etiam est circa titulum Altaris expressio; quoniam si altare dedicatur in honorem B. Virginis sub titulo quovis, satis est dicere–ad nomen et memoriam eiusdem gloriosae Virginis Mariae–Sin altare dedicabitur SS. Crucifixo, dicendum erit–ad memoriam Passionis Domini nostri Iesu Christi–quod observabitur etiam in similibus aliis casibus.

Seorsim.

32. Candelabra cum cereis et Crux cuiusque altari; advertatur ut Crux collocetur decenter. Tapetum pro altari dedicando et reliquis altaribus. Focus cum igne ardenti et forcipes: scala utenda in unctionibus faciendis Crucibus parietum.

In Sacello, quo exponentur S. Reliquiae.

33. Faldistorium cum tegumento albi coloris. Scabella duo pro Ministris sacris. Pulvinar ante Altare seu feretrum S. Reliquiarum. Abacus contectus alba tobalea, in quo praeparabitur scotula, pontificale (pars. II.) pro Episcopo, pluviale albi coloris cum stola, cingulo, alba, amictu, formali, mitra auriphrygiata cum velo utendo a Cappellano. Urceus cum pelvi et manutergia duo in lance. Pontificale utendum a cantoribus. Baculus pastoralis prope abacum. Intorticia et cerei a Clero utendi in processione. Quatuor planetae rubri coloris cum totidem cingulis, albis et amictibus pro Presbyteris delaturis S. Reliquias.

34. Non erit abs re numerum innuere personarum, quibus opus est in functione ista, et cerae quoque adhibendae. Quoad primum, aderit Diaconus et Subdiaconus: Diaconus alter, ecclesiae custos: Presbyteri quatuor ad S. Reliquias deferendas. Presbyter unus indutus superpelliceo, qui thurificare debebit altare, dum fiet dedicatio: Presbyter alter, primo substituendus, si opus fuerit. Presbyteri octo vel clerici cum intorticiis aut cereis in processione: octo saltem cantores: clerici tres pro Cruce et intorticiis: clerici quinque, quorum officium sustinere librum, scotulam, mitram, baculum pastoralem et Olea sacra, vasculum etc. Sacrista cum clericis suis inservientibus ad ornanda altaria: lapidarius habitu decenti indutus: duo pluresve baiuli, induti sacco alicuius confraternitatis ad transferendam scalam in Crucibus inungendis. Quod autem spectat ad ceram, comparabuntur cerei sex, ponderis convenientis altari, quod dedicatur, quatuor insuper aut sex cerei pro singulis reliquis altaribus, intorticia octo, singula bilibria pro processione,

altera duo, quinquelibralia pro functione, candelae duae pro scotula, cerei pro altari seu thalamo in quo exponentur S. Reliquiae, candelae parvae commoditati vigiliarum, candelae octo, singulae semissales, pro abacis in quibus ponentur S. Reliquiae; candelae duodecim ponderis convenientis Crucibus parietum, gossipium ceratum ad accendendum.

De expositione S. Reliquiarum pridie vespere.

35. Functioni huic locus erit sub solis occasum.

36. Antequam adveniat Episcopus accendentur cerei circa thalamum sive altare, ac si opus fuerit, accendentur etiam intorticia duo.

37. Clerus universus, vel pars ipsius, superpellicio assumpto, expectabit Episcopum in aditu loci, quo fiet expositio praedicta: Superior ecclesiae porriget Episcopo aspersorium aqua sancta perfusum. Episcopus induet habitum praelatitium servata regula cap. II. lib. V. praescripta.

38. Si aderit Altare, Episcopus geniculabit in gradu infimo super pulvinar et brevi tempore orabit, sin minus procedet recta ad abacum ibique sibi collo imponet stolam supra mantelletum vel mozzetam. Quum ibi in promptu sit capsula superius indicata, ponet intra ipsam reverenter Reliquias Sanctorum, servato ordine dignitatis, videlicet primum Reliquias Apostolorum, tum Martyrum, deinde Confessorum, si aderunt etc. Repositis Sanctorum Reliquiis, ponet inter easdem tria grana thuris et pergamenam iam a se subscriptam, quam poterit, si opus sit, pluribus plicaturis complicare. Operculo deinde claudet capsulam, quae ab ipso vel ab altero ecclesiastico ex eius mandato, ligabitur lemnisco, ad instar fasciae, sericeo rubri coloris, decussato super capsulam ipsam, cuius in media parte, ubi convenient utrumque caput lemnisci, imprimetur sigillum episcopale super cera hispanica, ita ut sigillum sit evidenter impressum.

39. Episcopus utraque manu accipiet capsulam cum S. Reliquiis eamque reponet intra urnam feretri, claudet operculum urnae et stolam dimittet.

40. Geniculabit ante altare sive feretrum et orabit ante S. Reliquias. Postea discedet comitatus a Clero usque ad ingressum sacelli seu loci, quo expositio Reliquiarum peracta fuerit.

41. Profecto Episcopo, incipientur celebrari vigiliae cum recitatione Matutini et Laudum. Si Reliquiae fuerint plurium Sanctorum Martyrum, recitabitur officium desumptum ex Communi plurimorum Martyrum cum oratione *Deus qui nos conspicis*, ut in Breviario die XIV. Octobris (*a*). Nulla fiet commemoratio, siquidem officium est votivum.

De Dedicatione.

42. Functionis istius faciendum esset initium quatuor aut quinque ante meridiem horis, respectu habito maioris minorisve ecclesiae amplitudinis. Clerus congregabitur in ecclesiam dedicandam. Clerici, cantores ceterique inservientes ecclesiastici induent superpellicium in Sacrario: Ministri sacri amictum, albam et cingulum, Diaconus autem stolam etiam albi coloris diaconalem. Eodem modo parabitur Diaconus, cuius officium erit custodire ecclesiam. In eodem Sacrario aderit lumen ardens ad accendendum candelas ante Cruces et intorticia.

43. Populus in ecclesiam non admittetur, secus difficile admodum erit cogere eum ut inde exeat: si plures ecclesiae erunt portae, patebit porta tantum principalis.

44. Quum Episcopus perventurus ad ecclesiam erit, Clerus superpellicio indutus veniet in limen ecclesiae excepturus eum, simul cum Diacono custode; duo Ministri consistent a lateribus faldistorii positi in media ecclesia, manu sustinentes biretum et facie versa ad portam principalem; clerici cum Cruce hastili et intorticiis locum sument versus faldistorium prope Diaconum.

(*a*) Solent in Altari claudi duorum triumve Sanctorum Martyrum Reliquiae, quae desumuntur ex sacris Romae coemeteriis. Hoc casu recitabitur oratio supra innuta. Si tamen essent Sancti proprii, quorum officia sint approbata in Breviario, ut ex. gr. Ss. Vincentius et Anastasius, Ss. Fabianus et Sebastianus, poterit recitari officium proprium.

45. Episcopus habitu praelatitio indutus in ecclesiam ingrediens, quin accipiat aspersorium, procedet ad faldistorium in quo sedebit facie conversa ad portam principalem, stante a lateribus eius Clero in binos ordines disposito. Iubebit accendi cereos ante duodecim Cruces positas in parietibus, idque fiet a clerico uno et praecipiet inservientibus ut submoveant de ecclesia populum, si aderit.

46. Accensis candelis et profecto de ecclesia populo, procedetur ad locum, in quo erunt S. Reliquiae expositae. Praeibit Crux gestata a clerico superpellicio induto, inter clericos duos sustinentes intorticia ardentia; sequentur clerici bini, deinde Sacerdotes iuxta ordinem hierarchiae; Episcopus medius inter Diaconum et Subdiaconum, sequentibus eius familiaribus nobilibus, si aderunt.

47. Egresso de ecclesia Episcopo, claudetur porta, neque accessus dabitur cuiquam. Diaconus supradictus adstabit portae principali ad custodiam ipsius.

48. Quum processio pervenerit ad Sacellum, in quo pridie vespere expositae fuerunt S. Reliquiae, clerici cum Cruce et intorticiis consistent sinistrorsum prope altare seu mensam, quae ibi aderit, ut superius innutum est; ceteri clerici locum sument circa altare; cantores prope legile; Episcopus simul cum Ministris sacris geniculabit super pulvinum et brevi tempore orabit, deinde assurget, ad faldistorium accedet in latere Epistolae praeparato ibique sedebit facie versa ad populum; Ministri adstabunt ei a lateribus.

49. Distribuentur immediate clericis paramenta episcopalia et in promptu stabunt familiares nobiles, vel clerici duo, ministraturi Episcopo lotionem manuum. Clerici duo accipient librum et scotulam et consistent prope faldistorium.

50. Brevi interposita mora, Episcopus exuet capiti biretum, assurget, convertetur ad altare et voce elata, sed sine cantu, leget antiphonam totam *Ne reminiscaris* etc. cantores cum Clero prosequentur recitare sine cantu et pausatim psalmos poenitentiales.

51. Lecta antiphona, Episcopus iterum sedebit, exuetur a Diacono Cruce pectorali, mozzeta vel mantelleto, et bireto

caput cooperiet. Lavabit manus eique sui familiares nobiles vel clerici duo ministrabunt lotionem. Dimittet biretum et a Diacono, adiuvante Subdiacono, induetur amictu, alba, cingulo, Cruce pectorali, stola et pluviale ac si deget in sua dioecesi, assumet etiam formale super pluviali. A Diacono autem cooperietur mitra, et baculum pastoralem sinistra accipiet. Induto sacris paramentis Episcopo, Ministri sedebunt a lateribus eius et caput bireto cooperient. Clerici duo ante Episcopum sustinebunt scotulam et librum, ex quo ille simul cum Ministris et Clero leget psalmos poenitentiales (*a*). Completa psalmorum eorumdem recitatione, Episcopus tantum repetet integram antiphonam *Ne reminiscaris* etc.

52. Post haec Episcopus cum Clero procedet ad portam principalem ecclesiae dedicandae. Praeibit Crux cum intorticiis, sequentur cantores, Clerus (et incedent bini) postremo Episcopus cum Ministris, quos sequentur Clerici seu Cappellani a baculo, libro, mitra et scotula.

53. Quum ventum erit ad portam ecclesiae, Crux cum Acolythis subsistet a dextra portae ipsius ita tamen, ut in conspectu sit Episcopi; cantores accedent ad legile; Clerus disponetur circa portam in semicirculum et Episcopus cum Ministris ante portam, facie ad ipsam conversa.

54. Episcopus dimittet baculum, mitra nudabitur a Diacono et intonabit antiphonam *Adesto Deus* quae a cantoribus continuabitur in cantu cum notis praescriptis. Cantu antiphonae completo, subiunget in cantu *Oremus* et orationem *Actiones nostras* etc. (Iuvat autem hoc loco monere quod tum oratio ista, tum reliquae omnes de dedicatione cantandae sunt tono feriali). Post orationem mitra iterum cooperietur a Diacono, et faldistorio ante portam collocato, geniculabit super pulvinum. Clerus omnesque pariter adstantes genua flectent, exceptis tribus clericis, qui sustinebunt Crucem et intorticia.

55. Cantores duo prope Episcopum cantabunt Litanias, ut notatum est in Pontificali, quibus respondebunt adstantes; seu non duplicabuntur ut in Sabbato sancto et in Sabbato Pente-

(*a*) Episcopus solet omnium psalmorum incipere versiculum primum recitare totum ℣. *Gloria Patri* etc.

costes. Cantato ℣. *Propitius esto* ac responso *Exaudi nos, Domine*, cessabitur a cantu earum et Episcopus ac ceteri omnes consurgent.

56. Episcopus accedet ad abacum et aquam benedicet ritu, qui describetur (*a*). Curandum, ut Crux stet in conspectu Episcopi quum ipse debeat versus illam inclinare caput, dicens *Oremus*. Episcopus cum mitra in capite exorcizabit salem: dimissa mitra orationem super salem recitabit: rursus mitra coopertus a Diacono, exorcizabit aquam; mitra iterum dimissa, aquam benedicet: Diaconus praesentabit ei lancem salis: ipse accipiet salis pugillum, et tribus vicibus in modum Crucis illum miscebit in aquam, dum dicet *In nomine Patris* etc. Si opus fuerit manum absterget mantili ibi praeparato, quod ei porriget Diaconus, deinde sine mitra recitabit alteram orationem.

57. Aquae benedictione absoluta, clericus hauriet eiusdem aquae vasculum unum et accipiet etiam aspergillum ex hyssopo.

58. Episcopus mitra rursus a Diacono coopertus redibit ante portam ecclesiae facie ad ipsam conversa: ibi Diaconus exuet ei mitram, deinde praesentabit ipsi aspergillum ex hyssopo aqua sancta perfusum. Episcopus intonabit ant. *Asperges me*, quam prosequentur cantores, asperget seipsum, Clerum et adstantes, iterumque a Diacono coopertus mitra expectabit dum compleatur cantus antiphonae praedictae. Interea Crux cum intorticiis consistet a dextris Episcopi.

59. Completo antiphonae indicatae cantu, immediate a cantoribus intonabitur responsorium *Fundata est* etc. Episcopus autem exsequetur aspersionem primam super muros externos ecclesiae. Anteibit Crux cum intorticiis; Episcopus medius inter Ministros et clericus cum vasculo aquae sanctae, qui a dextris Diaconi incedet, ut quando necesse sit, possit aspergillo attingi aqua benedicta. Episcopus muros asperget versus summitatem et aspersionem faciet in modum Crucis, dicens *In nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus✠Sancti*, non adiungens *Amen*. Procedens a dextris suis, iugiter asperget parietes.

60. Si tota ecclesia circumiri libere non possit, quum eo pervenerit ubi cessare oportebit, abrumpet aspersionem et transibit ad sinistram, atque actum istum prosequetur non a porta ecclesiae, sed ex eo loco, ubi resumi poterit actio ista, ut prosequatur circuitionem a dextris suis ad sinistram. Si eccle-

siae adnexum erit coemeterium, eodem ritu muros etiam coemeterii asperget. Clericus deferens vasculum aquae sanctae, alteram aquam in vasculum infundet, si opus fuerit.

61. Prima aspersione peracta, redibit Episcopus ante portam. Crux subsistet a dextris Episcopi. Cantores cessabunt a cantu. Diaconus recipiet aspergillum quod tradet clerico sustinenti vasculum aquae sanctae, deinde exuet mitram Episcopo. Episcopus conversus ad portam ecclesiae cantabit *Oremus*, Diaconus *Flectamus genua*, omnesque genuflectent, exceptis Episcopo, clericis a libro et scotula, clericisque cum Cruce et intorticiis; Subdiaconus cantabit *Levate* et consurgent omnes. (Id observabitur in cantu orationum omnium, in quibus praeponitur invitatio supradicta). Episcopus cantabit orationem, post quam rursus a Diacono mitra coopertus, accipiet dextera baculum pastoralem, appropinquabit portae eamque percutiens extremitate baculi, dicet elata voce *Attollite portas* etc. Diaconus custos respondebit *Quis est iste Rex gloriae?* Et Episcopus: *Dominus fortis* etc. Si difficile esset, ut Diaconus custos audiret vocem Episcopi aut Episcopus vocem Diaconi, poterit aliquantulum aperiri porta.

62. Cantores immediate intonabunt ac prosequentur cantum responsorii *Benedic*, *Domine* etc. Episcopus autem, dimisso pastorali, resumet aspersorium et secundam aspersionem exsequetur ad parietes externos ecclesiae eodem modo ac primam, sed versus fundamenta.

63. Post aspersionem secundam redibit ante portam Episcopus, cantabit secundam orationem iterumque pulsabit portam exsequens quod praescriptum fuit in prima. Clerici cum Cruce et intorticiis in reditu post secundam aspersionem advertent, ut stent a sinistris Episcopi, neu transeant ad dextram.

64. Episcopus post secundam percussionem portae dimittet baculum. Cantores cantabunt responsorium *Tu Domine* etc. Diaconus iterum tradet aspergillum Episcopo, qui tertiam aspersionem externam super ecclesiam faciet ut praecedentes, advertens, ut aspergat muros versus medium sive, ut praecipit Pontificale *circa altitudinem faciei suae* utque procedat a sinistra ad dexteram suam.

65. Tertia aspersione peracta, Episcopus redibit ante portam dimittet aspergillum et a Diacono nudabitur mitra: recitabit ritu praescripto tertiam orationem et post ipsam Diaconus

ei reponet mitram. Resumet baculum pastoralem, appropinquabit portae, eamque pulsabit dicens *Attollite portas* etc. Diaconus custos respondebit *Quis est iste Rex gloriae?* Episcopus una cum toto Clero subiunget *Dominus virtutum ipse est Rex gloriae* et immediate adiicient. *Aperite, aperite, aperite.* Diaconus custos portam aperiet ecclesiae et adiuvabitur a clerico aliquo, si opus erit.

66. Episcopus cum Ministris tantum ingredietur primus in ecclesiam et signum Crucis in limine ipso efficiet extremitate baculi pastoralis, dicens *Ecce Crucem Domini fugiant phantasmata cuncta.* Annunciabit deinde pacem, dicens elata voce *Pax huic domui*, a Diacono custode respondebitur ei *In introitu vestro* et Clerus respondebit *Amen.*

67. Diaconus custos, functus iam officio suo, recedet in Sacrarium et vestes sacras dimittet.


68. Episcopus recedet in latus internum portae a dextris suis, ut in ecclesiam ingrediantur clerici cum Cruce et intorticiis, cantores, clerici inservientes et lapidarius Quibus ingressis personis, claudetur iterum porta et reliquum Cleri omnisque populus extra ecclesiam manebit.

69. Porta ecclesiae clausa, a cantoribus cantabitur ant. *Pax aeterna* et altera *Zachaee festinans*, dum procedent ad medium ecclesiae. Crux cum intorticiis subsistet a latere et a dextris Episcopi, cantores ad legile, Episcopus cum Ministris stabit ante faldistorium in media ecclesia, facie versa ad Altare primarium, clerici et reliqui inservientes prope Episcopum.

70. Completo cantu utriusque antiphonae supra indicatae, Diaconus exuet mitram et pileolum Episcopo, qui genibus flexis in pulvino intonabit hymnum *Veni creator Spiritus*, neque assurget nisi completo cantu strophae primae. Adstantes omnes geniculabunt, exceptis tribus clericis cum Cruce et intorticiis. Post primam stropham consurgent omnes, et stabunt usque ad finem cantus hymni praedicti.

71. Ubi assurrexerit Episcopus, clerici ad hoc delecti spargent cinerem super utramque lineam vel super areolas in pavimento ut ibi describantur duo alphabeta, de quibus supra. Clerici quatuor opus sunt ad actionem istam: eorum unus sustinebit vas cum cinere, alter cribrum, tertius cinerem accipiet batillo eumque imponet in cribrum et efficiet ut decidat in

terram, quartus extra eum apponet tabellam cum litera respondente e regione Episcopi, quando ipse literam delineaturus erit. Normam habes in subiecto schemate.



72. Posteaquam assurrexerit Episcopus, reponetur ei pileolus a Diacono. Item absoluto hymni cantu, a Diacono mitra reponetur Episcopo, qui genuflectet in pulvino ante faldistorium. Genuflectent adstantes omnes, exceptis clericis cum Cruce et intorticiis et illis qui operam dabunt spargendo cinerem, si nondum actionem istam peregerint. Cantores duo cantabunt Litanias, quibus respondebitur ab adstantibus. In ipsis invocantur duabus vicibus Sancti Martyres, quorum Reliquiae clausae fuerint in altari, et nomen Sancti illius, in cuius honorem dedicatur ecclesia et Altare; advertatur autem, ut nominentur iuxta ordinem hierarchicum (a). Cantato ℣. *Ut omnibus fidelibus defunctis* etc. consurgent Episcopus cum duobus Ministris, et clerici a baculo, libro et scotula. Episcopus, eodem manens vestigio, accipiet baculum sinistra et benedicet ecclesiam atque altare cum versiculis in Pontificali notatis. Postquam haec cantata fuerint, dimittet baculum, genuflectet iterum, et a cantoribus resumetur cantus Litaniarum a ℣. *Ut nos exaudire digneris* usque ad finem.

73. Litaniis absolutis, Episcopus assurget, mitra exuetur a Diacono et cantabit utramque orationem *Praeveniat* et *Magnificare,* praemittendo primae *Flectamus genua.*

74. Post orationes istas rursus cooperietur mitra a Diacono et baculum accipiet dextra. Transibit ad sinistram portae, praecedente Cruce, quae stabit e regione eius, et incipiet ac prosequetur extremitate baculi signare super cinerem alphabetum

(a) Notetur ordo, quo Sancti nominandi sunt in Litaniis. Si locus iam erit Sancto in Litaniis, ut esset ex. gr. S. Stephanus, S. Laurentius, repetetur invocatio altera vice in loco suo. Sin autem esset Sanctus, qui in Litanias non est recensitus, invocabitur bis in ordine suo post Sanctos omnes in illis nominatos et ante versiculum omnibus communem, videlicet *Omnes sancti Martyres, Omnes Sancti Pontifices et Confessores.* Si ecclesia aut altare dedicabitur in honorem B. Virginis sub quovis titulo, nominabitur duabus vicibus *Sancta Maria:* si dedicabitur alicui mysterio de vita aut passione Iesu Christi, dicetur bis *Fili Redemptor mundi Deus.* Si ecclesia dedicata erit Sancto alicui et altare, quod consecrabitur, alium habebit titulum, dicetur in Litaniis *Ut ecclesiam hanc ad honorem tuum et nomen Sancti N. et altare hoc ad honorem tuum et nomen Sancti N. consecranda* etc.

graecum. Crux cum clericis intorticia sustinentibus procedent pedetentim dum Episcopus signabit literas.

75. Simulatque Episcopus incipiet signare literas, cantores inchoabunt cantum ant. *O quam metuendus est* etc. eaque cantata, subiungent in cantu primum versiculum cantici *Benedictus.* Repetent deinde antiphonam in cantu et prosequentur pariter in cantu versiculum secundum cantici atque ita porro. Cantus protrahetur donec Episcopus signabit alphabeta, quocirca magister chori advertet ut debito tempore cantetur *Gloria Patri* cum repetitione antiphonae, itemque *Sicut erat* cum eadem repetitione.

76. Quando Episcopus incipiet signare alphabetum graecum, amovebitur de media ecclesia faldistorium cum pulvino ac tapeto et reponetur prope altare, quod consecrandum erit. Signata ab Episcopo litera prima, clericus unus tollet tabellam cum litera respondente, idque fiet ad secundam, tertiam et reliquas omnes. Tabellae reponentur super abacum. Episcopus, peracta scriptione alphabeti graeci, transibit ad lineam alteram a dextra portae et signans alterum alphabetum procedet versus latus Evangelii altaris principalis.

77. Signato alphabeto utroque, cessabitur a cantu antiphonae et versiculorum cantici, ut superius monuimus. Episcopus praeeunte Cruce cum intorticiis accedet ad Altare dedicandum et subsistet longe ab ipso quinque aut sex passus. Dimittet baculum et a Diacono exuetur mitra. Geniculabit in pulvino, conversus ad Altare praedictum, et intonabit in cantu *Deus in adiutorium meum intende*: cantores respondebunt *Domine ad adiuvandum* etc. Assurget et cantabit *Gloria Patri* etc. cantores respondebunt *Sicut erat* etc. Id faciet secunda ac tertia vice, efferens vocem hemitonio singulis vicibus.

78. Rursus cooperietur mitra a Diacono et consecrabit aquam, quae utenda est in functione ista. Quapropter accedet ad abacum, in quo aderit concha aquae plena et reliqua. Ibi stante Cruce in conspectu eius, mitram retinens in capite, exorcizabit salem. Dimittet mitram et salem benedicet. Mitra resumpta, exorcizabit aquam. Rursus dimissa mitra, aquam benedicet. Deinceps benedicet cinerem. Pugillum salis dextera

accipiet et imponet super cinerem tribus vicibus in modum Crucis, dum dicet *In nomine Patris* etc. Manu eadem miscebit salem et cinerem, acceptumque dextera huius mixturae pugillum iniiciet in aquam tribus etiam vicibus in modum Crucis, dicens *In nomine Patris* etc. cavens ne aqua medefaciat manum. Absterget autem manum mantili, quod ei porriget Diaconus. Vinum benedicet. Accipiet a Diacono ampullam vel phialam cum vino benedicto, eodemque modo infundet illud in aquam, dicens *In nomine Patris* etc. Recitabit alteram orationem *Omnipotens sempiterne Deus, creator* etc. Resumpta mitra, leget super aquam orationem *Sanctificare per verbum Dei* etc. usque ad verba *stabilitas parietum*. Episcopus accipiet baculum pastoralem et, praeeunte Cruce cum intorticiis, accedet ad portam ecclesiae. Ibi extremitate inferiori baculi signabit cruces duas super portam, unam in alto alteram ad imum, et mitram in capite retinens prosequetur orationem *Sit positis Crux invicta liminibus* etc.


79. Oratione absoluta, redibit quo loco aquam benedixerit, dimittet baculum et recitabit invitationem ad orationem *Deum Patrem omnipotentem* etc. Interim clericus extrahet de vase maiori vasculum unum aquae consecratae et afferet illud ad altare consecrandum.

80. Episcopus accedet ad altare consecrandum et conscenso suppedaneo intonabit antiphonam *Introibo*, quam prosequentur cantores (*a*). Postquam antiphonam intonuerit, intinget pollicem dexterum in vasculum aquae sacratae et crucem signabit in media mensa dum dicet *Sanctificetur*: continuabit formulam triplex crucis signum efficiens ad verba *In nomine Patris* etc. Diaconus porriget ei vasculum et Subdiaconus sustinebit tabellam cum formula aspersionis (*b*). Aspersione pollice facta in medio, peraget alteram in angulo posteriori cornu Evangelii,

(*a*) Notanda probe est rubrica ad psalmum *Iudica me Deus* et reliquos. Post primum psalmi versiculum subiungitur *Repetitur tota antiphona praedicta, SI NECESSE FUERIT*. Finis est, ne sine cantu prosequetur functio. Si altaria plura dedicanda essent, antiphona repetetur post versiculum unumquemque, sin minus, repetetur post versiculum ultimum tantummodo.

(*b*) Inspiciatur adnotatio num. 31. capit. huius subiecta.

tertiam in angulo anteriori cornu Epistolae, quartam in angulo anteriori cornu Evangelii, quintam in angulo posteriori cornu Epistolae, ut in subiecto schemate;



postea pollicem absterget mantili, quod ei porriget Diaconus.

81. Post aspersiones istas Episcopus subsistet in medio suppedaneo, donec complebitur cantus psalmi et repetitio antiphonae, post quam Diaconus exuet ipsi mitram. Episcopus cantabit *Oremus* (Ministri *Flectamus genua*) et subiunget orationem *Singulare illud propitiatorium* etc. Clericus, qui custodiet vasculum aquae sanctae, infundet in ipsum novam aquam sanctam et accipiet ex abaco aspergillum ex hyssopo.

82. Completa oratione, Episcopus intonabit ant. *Asperges me,* quam prosequentur cantores cum primis tribus versiculis psalmi *Miserere.* Diaconus Episcopo mitram reponet ac tradet aspergillum ex hyssopo, iam perfusum aqua supradicta. Episcopus asperget in gyrum mensam et stipitem altaris. Si altare versum erit ad populum ita ut possit libere circumiri, mensam et stipitem asperget contextim. Si adhaerebit muro et consequenter non possit circumiri, servabit methodum sequentem. Incipiens a medio aspergere stipitem in latere Epistolae, deinde latus stipitis, prosequetur aspergere mensam

totam, procedens a latere Epistolae ad latus Evangelii, tum latus stipitis in latere Evangelii; postea aspergens partem anteriorem stipitis in latere eodem, redibit in medium (a).

83. Tam in ista, quam in reliquis aspersionibus advertatur a cantoribus divisio versiculorum psalmi *Miserere.*

84. Prima aspersione peracta, expectabit dum compleatur etiam cantus trium versiculorum, qui praedictam antiphonam sequuntur; tunc iterum intonabit eamdem antiphonam *Asperges me* et secundam aspersionem exsequetur eodem prorsus modo, quo praescriptum est in prima. Hoc autem fiet septies.

85. Post aspersionem septimam et postquam cantati fuerint ultimi duo versiculi psalmi supra nominati, descendet Episcopus de Altari, et antecedente Cruce cum intorticiis, asperget parietes ecclesiae internos versus pavimentum. Initio aspersionis ducto ab altari maiore, incipiet aspergere latus Evangelii et procedet usque ad latus Epistolae Aspersionem autem exsequetur, nullum faciens Crucis signum, ut in muris ecclesiae externis. Simulatque Episcopus incipiet aspersionem, cantores, intonabunt et prosequentur cantum antiphonae *Haec est domus Domini* etc. cum psalmo *Laetatus sum,* cuius in fine non cantabitur *Gloria Patri,* nec repetetur antiphona. Reverso Episcopo quo loco incepit primam aspersionem, cantores intonabunt antiphonam *Exurgat Deus* etc. cum psalmo *In Ecclesiis.* Episcopus aspersionem secundam faciet, ut primam, advertens ut parietes aspergat in medio, sive ut praecipit Pontificale «circa altitudinem faciei suae» Redibit deinde, ut supra, prope Altare maius, et ad intonationem ant. *Qui habitat* etc. cum psalmo *Dicet Domino,* exsequetur aspersionem tertiam et parietes asperget versus summitatem. Hanc deinde aspersionem peraget ex parte opposita, videlicet initium faciet in latere Epistolae et procedet ad latus Evangelii.

(a) Aspersio ac thurificatio faciendae sunt ad stipitem et mensam, quia sunt binae partes essentiales, quae altare constituunt. Si altare adhaereret muro cum columnis aliove ornatu, extraneum hoc est altaris substantiae, ideoque nec aspergendum est nec thurificandum.

86. Peracta aspersione tertia, redibit ante Altare maius. Quando autem a cantoribus intonabitur responsorium *Domus mea*, praecedente Cruce cum intorticiis, aqua sancta asperget pavimentum in medio, procedens ex altari maiore ad portam ecclesiae principalem, et in reditu ex porta principali ad altare maius asperget aqua sancta pavimentum in lateribus. Revertetur postmodum in mediam ecclesiam, et aquam sanctam asperget in altum ad quatuor coeli plagas. Completo cantu antiphonae supradictae, convertetur ad portam principalem et cantabit *Oremus* (Ministri *Flectamus genua*) et duas orationes cum praefatione, manibus expansis ac tono feriali.

87. Hoc tempore in sacello, seu loco alio, quo aderunt expositae S. Reliquiae, dabitur opera, ut parentur amictu, alba, cingulo et planeta rubri coloris quatuor Presbyteri, qui deferre debebunt thalamum S. Reliquiarum. Praeparabuntur etiam intorticia utenda in processione ac thuribulum cum igne.

88. Finito praefationis cantu, Episcopus cooperietur iterum mitra a Diacono et redibit ante altare. Ibi dimissa mitra, benedicet caementum, quo claudendum erit parvum sepulcrum S. Reliquiarum (*a*) recitans orationem *Summe Deus* etc. Residuum autem aquae sacratae effundetur a clerico quopiam ad basim stipitis altaris (*b*).

89. Ad accipiendas S. Reliquias procedetur ordine sequenti. Crux cum intorticiis: cantores qui habebunt Pontificale, vel libellos cum antiphonis et responsoriis in processione cantandis: deinde qui de Clero sunt, bini: clericus gestans vasculum S. Chrismatis in lance cum aliquantulo gossipio: Epi-

(*a*) Usu didici, quod si aqua in gypsum sive scaliolam infunditur eo tempore, quo praescribit Pontificale, quum interea non brevis mora interponatur, gypsum obdurescit tamquam lapis, neque potest amplius adhiberi ad claudendum lapidem urnulae. Quocirca alio prorsus modo tractanda res est. Benedicendum est gypsum non infusa aqua, et aliquantulum aquae sacratae servandum, ad infundendum in gypsum quo tempore opus est.

(*b*) Si multa copia aquae sacratae superesset, indecens esset eam effundere totam circa basim stipitis. Ut servetur ritus, poterit effundi exigua quantitas: residuum autem, peracta functione, infundetur in Sacrarium.

scopus medius inter Ministros suos baculum sinistra sustinens: clerici a mitra et baculo: reliqui duo a libro et scotula.

90. Aperietur porta principalis ecclesiae, qua tamen aperta, vetabitur ne quis ingrediatur. Exibit de ecclesia processio et dirigetur ad sacellum seu locum illum, in quo expositae sunt S. Reliquiae. Clericus gestans vasculum S. Chrismatis, subsistet in limine ecclesiae. Clericus alter advertet ut accendat cereos in abaco, in quo deponentur S. Reliquiae tam extra, quam intra ecclesiam.

91. Processio quum pervenerit ad sacellum seu locum supradictum, subsistet extra ipsum; ibi Episcopus dimittet mitram et cantabit *Oremus* (Ministri *Flectamus genua*) et orationem *Aufer a nobis* etc. Post orationem istam Episcopus a Diacono rursus cooperietur mitra, recipiet baculum et cum Ministris suis ingredietur in antedictum sacellum. Intorticia aut cerei iam ardentes distribuentur Clero; Presbyteri parati praesto erunt apud thalamum, ubi aderit etiam thuriferarius cum thuribulo. Cantores antiphonas cantabunt cum psalmo *Venite exultemus*, vel antiphonam plurimorum SS. Martyrum, ut a Pontificali praescribitur. Completo antiphonae cantu, Episcopus dimittet baculum et mitra a Diacono nudabitur; cantabit *Oremus* (Ministri *Flectamus genua*) et orationem *Fac nos, quaesumus* etc. Tum rursus mitra cooperietur a Diacono, qui postea ministrabit ei incensum et Episcopus incensum in thuribulum demittet cum benedictione. Post haec intonabit antiphonam *Cum iucunditate exibitis*, et recepto baculo pastorali, recedet a latere, ut locum transeundi praebeat Presbyteris S. Reliquias gestantibus.

92. Ordinabitur processio versus ecclesiam. Anteibit Crux cum intorticiis: cantores, qui cantabunt antiphonam *Cum iucunditate* et reliquas: Clerus cum intorticiis: thuriferarius cum thuribulo, quod leviter agitans, adolebit S. Reliquias: quatuor Presbyteri, planetis rubri coloris induti, qui humeris supportabunt thalamum cum S. Reliquiis: Episcopus medius inter Ministros: clerici seu Cappellani a mitra, baculo, libro et scotula: familiares nobiles Episcopi, si aderunt. Processionem populus subsequetur.

93. Quum processio pervenerit ante portam ecclesiae, cantores subsistent prope portam ipsam et prosequentur cantare antiphonas supra innutas. Ceteri omnes, superiori numero nominati, servantes ordinem ibi indicatum, circumibunt exterius ecclesiam, initium facientes a dextris suis et procedentes a sinistris, iugiterque sine mora ac tono aequali cantantes *Kyrie eleison*. Ad hanc rem expediet ut adsint cantores duo. In circuitu externo cum S. Reliquiis observabitur quod superius traditum est in aspersione prima, nisi tota ecclesia posset libere circumiri.

94. Reversa ante portam ecclesiae processione, Crux cum intorticiis subsistet a sinistris portae eiusdem, thalamus deponetur super abacum, manentibus ibi in lateribus quatuor Presbyteris paratis planeta cum thuriferario, Clerus cum intorticiis disponetur in circulum prope Reliquias ipsas, ne tamen Episcopi impediat conspectum, Episcopus sedebit faldistorio posito a dextra portae, assistentibus ei Ministris suis. Cantores cessabunt a cantu antiphonarum. Sedens Episcopus homiliam habebit ad populum, quae conveniat huiusmodi circumstantiae. Post homiliam Archidiaconus, si quis erit, secus Diaconus elata voce leget ac publicabit duo decreta S. Concilii Tridentini sess. XXII. cap. XI. *de reformat.* « Si quem Clericorum » et sess. XXV. *de reformat* « Non sunt ferendi ». Relate ad fundatores ecclesiae et instrumentum stipulatione firmandum, difficile est ut possit accidere in praesentia, siquidem dos constituitur priusquam imponatur manus erectioni aedificii. Tamen, si adesset, fiet quod a Pontificali praescribitur.

95. Post haec Episcopus, sedens adhuc, intonabit responsorium *Erit mihi Dominus*, quod prosequentur cantores. Cantu completo, Diaconus exuet mitram Episcopo, qui assurget et conversus ad portam cantabit *Oremus* (Ministri *Flectamus genua*) et orationem *Domum tuam Domine* etc. Post orationem rursus cooperietur mitra a Diacono. et cum Ministris, qui pluviale eius attollent, accedens ad stipitem dexterum portae eiusdem, intinget pollicem in S. Chrisma et faciet unctionem triplicem super crucem ibi incisam, dicens *In nomine Patris* ✠ *et Filii* ✠ *et Spiritus* ✠ *Sancti*; transibit deinde ad stipitem sinistrum,

eodemque ritu conficiet unctionem alteram: pollicem gossipio absterget et consistens in medio portae prosequetur formulam *Porta sis benedicta* etc. (a) Recedet versus faldistorium, et stans intonabit antiphonam *Ingredimini Sancti Dei*, quam prosequentur cantores.

96. Ordine superius notato intrabit processio in ecclesiam et populus sequetur Episcopum. Si magna turba sese urgeret populus, expediet ut designetur clericus aut custos quispiam, qui contineat eum ac iubeat ingredi ordinatim ad vitandam confusionem.

97. Processio dirigetur ad altare, quod consecrandum erit, quo quum pervenerit, Crux cum intorticiis consistet versus latus Evangelii, cantores ad legile, Clerus cum intorticiis efficient semicirculum circa Altare, thalamus deponetur super abacum, prope quem manebunt quatuor supradicti Presbyteri, Episcopus cum Ministris suis consistet ante Altare. Ibi Episcopus dimittet baculum et intonabit antiphonam *Exultabunt Sancti*, quam cantores prosequentur cum duobus psalmis *Cantate Domino* et *Laudate Dominum*. Clericus qui deferet vasculum S. Chrismatis, deponet illud super altare, quo afferet etiam lapidem, quo claudenda erit urnula, seu parvum sepulcrum.

(a) Hoc loco rubrica Pontificalis haec habet - Pontifex, accepta mitra, priusquam ingrediatur, intingit pollicem dexterae manus in sanctum Chrisma, et cum eo in modum Crucis signat ostium Ecclesiae exterius, dicens etc. - Quando Episcopus intrat prima vice in ecclesiam post tertiam interrogationem *Attollite portas* etc. praescribitur ut porta iterum claudatur. Quando autem de ecclesia egreditur accepturus Reliquias, non praecipitur ut porta claudatur. Unctio igitur non est facienda super postes seu fustum ligneum, propterea quod si fieret super portam clausam, porta quodam modo clauderetur et obturaretur ingressui fidelium. Praeterea sacra unctio nunquam fit super materias fragiles, ut lignum, sed super petram, metallum et murum. Ideo contendimus exsequendam esse super stipites, in quibus apposite inciduntur binae exiguae Cruces. Catalanus, qui in suis doctis commentariis declinat cuiuscumque quaestionis practicae discussionem, nihilo minus hoc loco testatur praxim servatam in dedicationibus ecclesiarum - In dedicatione ecclesiae S. Hieronymi Charitatis et complurium aliarum ecclesiarum Urbis hunc ritum servatum vidi, ut in utroque ostii ecclesiae limine, dextro scilicet et sinistro Cruces prius sculptae sacro Chrismate ab Episcopo inungerentur. -


98. Dum a cantoribus repetetur antiphona supra indicata, Episcopus ascendet in suppedaneum altaris et a Diacono mitra nudabitur. Cantabit orationem *Oremus. Deus, qui in omni loco* etc. Post orationem recipiet mitram. Intinget pollicem in S. Chrisma et inunget quatuor angulos parvi sepulcri, dicens singulis vicibus *Consecretur et sanctificetur* etc. et benedicens dextra dum dicet *In nomine Patris* etc (*a*). Post unctiones absterget pollicem gossipio, exuetur mitra a Diacono et convertetur versus populum, non discedens de suppedaneo altaris. Quatuor saepius nominati Presbyteri accipient thalamum cum S. Reliquiis eumque admovebunt ad altare, Diaconus aperiet urnam et Episcopus utraque manu reverenter accipiet capsulam cum Reliquiis et conversus ad altare, reponet illam in parvum sepulcrum, intonans responsorium *Sub altare Dei*, quod prosequentur cantores. Thalamus reportabitur ad abacum et poterit aliquo velo cooperiri: extinguentur cerei qui ardebant in abaco ipso: quatuor Presbyteri delatores thalami recedent in Sacrarium et sacra paramenta dimittent. Lapidarius, accepta lance cum caemento, infundet aquam in ipsum, ut liquefiat et appropinquabit ad altare.

99. Dum cantabitur supradictum responsorium *Sub altare Dei*, Episcopus imponet incensum cum benedictione in thuribulum. Diaconus prius ei ministrabit incensum, postea tradet thuribulum. Episcopus cum profunda inclinatione ante et post thurificabit S. Reliquias triplici ductu. Restituet thuribulum Diacono, a quo deinde cooperietur mitra et accepto lapide sive operculo parvi sepulcri, intinget pollicem dextrum in S. Chrisma, et inunget partem quae spectat internum eiusdem sepulcri proferens formulam *Conse✠cretur et Sancti✠ficetur hic lapis. In nomine Patris* etc. Relinquet lapidem super altari, absterget pollicem gossipio, caementum trulla ponet super postem sepulcri, adiuvante lapidario, si opus fuerit, cavens ne caementum defluat super capsulam Reliquiarum. Accepto dein lapide sepulcri, intonabit antiphonam *Sub altare Dei*, claudet sepulcrum lapide, qui poterit firmari a lapidario, ut sit immobilis et bene

(*a*) Ut in ista, sic in reliquis unctionibns advertat Episcopus ut duplicem unctionem in modum Crucis faciat pollice intincto in Oleum sacrum, unam videlicet ad verbum *Consecretur*, alteram ad verbum *Sanctificetur*, ut innuitur in Pontificali.

obturatus. Cantores prosequentur cantum antiphonae indicatae. Caementum quod forte adhaesisset mensae altaris, spongia tolletur, exinguentur intorticia, quae ad parvum sepulcrum claudendum opus fuerunt.

100. Cantu antiphonae absoluto, Episcopus dimittet mitram et cantabit orationem *Oremus. Deus quis ex omnium* etc. Post orationem reponetur ei mitra a Diacono ac rursus intincto pollice in S. Chrisma, unctionem conficiet super altare, dicens *Signetur et sanctificetur hoc altare in nomine Patris* etc. Advertet, ut unctionem istam exsequatur super mensam et super parvum sepulcrum, comprehendens utrumque, quasi iungens parvum sepulcrum mensae. Post unctionem pollicem absterget gossipio.



Diaconus ei ministrabit incensum, quod in thuribulum imponet cum benedictione *Ab illo benedicaris* etc. quam ut nunc, sic deinceps concludet cum verbis *In nomine Patris* ✠ *et Filii* ✠ *et Spiritus* ✠ *Sancti*. Diaconus exuet ei mitram, deinde tradet thuribulum. Intonabit antiphonam *Stetit Angelus*, rursus cooperietur mitra a Diacono, et incensabit altare undique (ut praescribit Pontificale) donec durabit huius antiphonae cantus. Absoluto cantu antiphonae, thuribulum restituet Diacono, qui mitram ei postea exuet. Episcopus stans in medio suppedaneo cantabit orationem *Oremus. Dirigatur oratio nostra* etc. post quam denuo cooperietur mitra a Diacono, descendet de altari et sessum veniet ad faldistorium collocatum in angulo graduum a latere Epistolae, ibique manebit cum Ministris suis (*a*).

(*a*) Si Episcopus consecrationem exsequens, fuerit Ordinarius, ac si prope Altare praeparatus erit thronus, in actione ista sedebit throno non in faldistorio.

101. Presbyteri vel clerici duo, sacro ordine constituti induti superpellicio, colligent spongiis aquam sacratam, quae supererit in altari, in stipite et in basi, ipsumque abstergent et exsiccabunt mantilibus e tela rudi. Spongiae et mantilia madefacta ponentur in concha ex aere, notata superius inter res praeparandas, ut postea lavari possint et aqua lotionis iniicietur in sacrarium: item in concha eadem ponetur gossipium, quo Episcopus absterserit ac deinceps absterget pollicem suum, comburendum postea et iniiciendum in Sacrarium.


102. Postquam abstersum erit Altare, Episcopus sedens faldistorio, cum benedictione superius innuta imponet in thuribulum incensum, quod ei ministrabitur a Diacono. Praesto erit apud altare Presbyter superpellicio indutus, qui altaris eiusdem prosecuturus erit thurificationem, durante consecratione, et clericus in promptu habebit vasculum Olei sacri Catechumenorum in lance cum aliquantulo gossipio ac tabellam cum formula unctionum.

103. Incenso in thuribulum imposito, Episcopus de faldistorio assurget, redibit ad altare, ascendet in suppedaneum et accepto ex manibus Diaconi thuribulo, nullam recitans formulam, thurificabit in modum Crucis super mensam semel tantum in medio et in quatuor angulis, ubi exsequendae erunt unctiones principales, videlicet prima in medio, altera in cornu posteriori Evangelii, tertia in cornu anteriori Epistolae, quarta in cornu anteriori Evangelii, quinta in cornu posteriori Epistolae. Episcopus thuribulum restituet Diacono, hic autem thuriferario. Thuriferarius thuribulum receptum praesentabit iterum Episcopo, qui, Diacono ipsi ministrante, incensum cum benedictione in illud reponet, ut supra.

104. Diaconus recipiet thuribulum ipsumque tradet Episcopo, qui intonabit Resp. *Dirigatur* et cantores prosequentur illud. Episcopus incensabit altare tribus vicibus, initium faciens a dextris suis. Si altare fuerit insulatum, sive ut aiunt, orientale, circumibit altare, thurificans contextim stipitem et mensam: si erit adhaerens muro incensabit partem anteriorem stipitis, latus Epistolae, totam mensam, procedens a latere Epistolae ad latus Evangelii, latus Evangelii, partem anteriorem stipitis,

in latere eodem et redibit in medium. Hoc, ut iam monuimus, faciet tribus vicibus (a). Peracta thurificatione, tradet thuribulum Presbytero, qui prosequi thurificationem debebit, quique dum thuribulum accipiet, osculabitur manum eius. Presbyter de gradibus descendet et in plano Presbyterii iugiter circumiens altare ab uno ad alterum latus, incensabit illud eodem modo quo incensatur chorus in transeundo. Id peraget donec Episcopus redierit ad thurificandum altare. Postmodum, altari thurificato ab Episcopo, prosequetur ille thurificationem, toto consecrationis tempore.

105. Episcopus, tradito thuribulo ut supra, stans in medio suppedaneo intonabit antiphonam *Erexit Iacob,* quam cantores prosequentur cum psalmo *Quam dilecta.* Subdiaconus sustinebit tabellam cum formula unctionum, Diaconus lancem cum vasculo Olei sacri. Episcopus successive exsequetur quinque unctiones super mensam in medio et in quatuor angulis, ordine superius notato in aspersionibus ac thurificationibus, quibus peractis, pollicem gossipio absterget.



Dum a cantoribus repetetur antiphona post psalmum, imponet incensum in thuribulum, quod ei praesentabit Presbyter, cuius

(a) De modo exsequendi thurificationes istas vide adnotationem subiectam num. 82.

officium thurificare altare, et Diaconus ei ministrabit incensum. Quum opus fuerit, advertetur ut mutetur thuribulum cum igne. Item Presbytero supradicto poterit alter substitui, si necesse erit. Cantu absoluto, Episcopus accipiet thuribulum ab eodem Presbytero, qui dum thuribulum ei tradet, osculabitur manum eius; Episcopus intonabit responsorium *Dirigatur* et altare adolebit semel tantum a dextris quo ordine traditum est superius num. 104.

106. Altari thurificato, Episcopus thuribulum tradet Presbytero, qui prosequetur thurificationem Altaris. Diaconus exuet ei mitram sub finem cantus resp. *Dirigatur.* Episcopus cantabit *Oremus* (Ministri *Flectamus genua*) et orationem *Adsit, Domine* etc. Post orationem intonabit ant. *Mane surgens Iacob,* quae continuabitur a cantoribus cum psalmo *Bonum est confiteri Domino.* Reposita ipsi mitra a Diacono, quinque alias unctiones Oleo sacro Catechumenorum efficiet, ut antea, absterget pollicem et dum in cantu repetetur antiphona, iterum imponet incensum in thuribulum sibi praesentatum a Presbytero, qui thurificavit altare. Finito cantu, recipiet ab eodem Presbytero thuribulum, intonabit resp. *Dirigatur* et semel tantum adolebit altare, incipiens a dextris suis, ordine iam innuto. Clericus, qui custodiet Olea sacra, tollet de altari vasculum cum Oleo sacro Catechumenorum et substituet alterum S. Chrismatis.

107. Episcopus, thurificato altari, thuribulum restituet Presbytero, qui prosequetur, ut ante, adolere altare. Fine facto canendi *Dirigatur*, dimittet mitram, cantabit *Oremus* (Ministri *Flectamus genua*) et orationem *Adesto* etc. post quam cantabit *Oremus. Omnipotens sempiterne Deus* etc. Intonabit deinde ant. *Unxit te Deus,* quae continuabitur a cantoribus cum psalmo *Eructavit.* Mitra rursus coopertus, alias quinque unctiones, ut supra, S. Chrismate conficiet, quibus peractis pollicem gossipio absterget. Dum repetetur antiphona, reponet incensum cum benedictione in thuribulum praesentatum sibi a Presbytero, qui adolevit altare, thuribulum ab eodem recipiet, intonabit ℟. *Dirigatur,* thurificabit altare semel tantum, incipiens tamen thurificationem a sinistris suis, restituet thuribulum Presbytero, qui thurificationem prosequetur. Clericus, cui commissa erit sacro-

rum Oleorum custodia, advertet ut tollat de Altari vasculum S. Chrismatis et afferat ampullas cum Oleis sacris, quibus addet sufficientem copiam gossipii ad abstergendam manum Episcopi.

108. Incensato altari, Episcopus restituet thuribulum Presbytero, qui prosequetur altaris thurificationem, et post cantum responsorii *Dirigatur*, dimissa mitra, cantabit *Oremus* (Ministri *Flectamus genua*) et orationem *Descendat*. Intonabit antiphonam *Sanctificavit Dominus*, quam prosequentur cantores cum psalmo *Deus noster refugium*. Mitra denuo cooperietur a Diacono, et accipiens ampullam S. Chrismatis dextra et alteram Olei sacri Catechumenorum sinistra, effundet iunctim Olea praedicta super medium mensae in longitudinem. Deponet ampullas, sibi attollet manicam manus dexterae, deinde palma eiusdem manus expandet et illiniet Olea sacra super totam mensam, advertens ut ea diffundat prius versus latus graduum candelabrorum, sive in parte posteriori, deinde in parte anteriori, ita ut tota mensa sit illita Oleis sacris antedictis. Exsequens actum istum, nullam proferet formulam. Ministri autem advertent ut elatum sustineant eius pluviale, ne maculam ullam contrahat Olei. Eadem utentur diligentia ceteri inservientes, qui debebunt accedere ad altare. Post unctionem hanc Episcopus absterget manum gossipio et utetur, si opus sit, panno aliquo sive manutergio e tela rudi. Mundabit etiam annulum, si erit necesse, ac demittet manicam albae. Antiphona in cantu repetita, intonabitur ab Episcopo altera antiphona *Ecce odor*, quam prosequentur cantores cum psalmo *Fundamenta eius*. Hoc tempore afferetur in ecclesiam, nisi iam praeparata esset, scala utenda in unctionibus ad Cruces parietum faciendis: clericus unus in promptu habebit alterum thuribulum cum igne, cum navicula et inceuso, alter vasculum S. Chrismatis in lance, aliquantulum gossipii ac tabellam cum formula unctionum ad parietes.

109. Cantato psalmo *Fundamenta eius* nec repetita antiphona, Episcopus mitram in capite retinens, recitabit invitationem ad orationem *Lapidem hunc, fratres carissimi* etc. Deinde intonabit antiph. *Lapides pretiosi*, quam cum psalmo *Lauda Ierusalem Dominum* et cum reliquis antiphonis ac responsoriis cantare prosequentur cantores, durante parietum unctione. Episcopus de altari de-

scendet, antecedent eum thuriferiarius cum thuribulo, clericus deferens vasculum S. Chrismatis, Crux cum intorticiis et comitatus a Ministris suis, baculum sinistra sustinens, accedet ad Crucem, quae aderit in pariete post vel prope altare maius, aut in presbyterio in latere Evangelii, ubi iam collocata erit scala. Clerici cum Cruce et intorticiis consistent a sinistris scalae; clericus cum S. Chrismate prope dextram. Episcopus ante scalam progressus, dimittet baculum et ascendet super illam simul cum Ministris sacris, si longitudo et planum superius scalae erit sufficiens. Diaconus ei porriget vasculum S. Chrismatis et Subdiaconus sustinebit tabellam cum formula unctionis. Episcopus, pollice dextero in S. Chrisma intincto unctionem efficiet super Crucem in longitudinem et latitudinem ipsius, dicens *Sancti✠ficetur et conse✠cretur* etc. et benedicet dextra *In nomine Patris* ✠ *et Filii* ✠ *et Spiritus* ✠ *Sancti* (a). Absterget pollicem gossipio, quod ei praesentabitur a Diacono. Idem Diaconus absterget unctionem super parietem, si tamen Oleum sanctum unctionis per murum deflueret. Si cum Episcopo locus non esset ascendendi Ministris sacris, ascendet cum eo saltem Caeremoniarius, qui subministrabit Episcopo, quae opus sunt, quomodo facerent Ministri. Unctione peracta Episcopus descendet de scala, quae statim removebitur a baiulis et collocabitur ante Crucem proximam superiori in latere eodem, et sic de reliquis quum procedendum sit a latere Evangelii ad latus Epistolae et absolvendae sint unctiones ad eam Crucem, quae sita erit prope vel post Altare maius in latere Epistolae. Episcopus postquam de scala descenderit, convertetur versus Crucem, super quam peregerit unctionem, imponet in thuribulum cum benedictione incensum, quod ei ministrabitur a Diacono. Tum Diaconus idem exuet ei mitram, dein porriget thuribulum. Episcopus simul cum Ministris salutabit Crucem, incensabit eam triplici ductu, iterabit reverentiam et restituet thuribulum Diacono, qui postea reponet ei mitram, et recepto baculo

(a) Si Cruces essent metallicae, aequum foret ut vacuae essent in medio, ut unctio fieret super parietem. Alio casu posset unctio fieri super parietem ipsum, non super Crucem mobilem.

prosequetur inungere reliquas Cruces eodem modo quo traditum est de prima. Non est necesse ut in singulis unctionibus imponat incensum, sed facere id poterit tertia aut quarta quaque unctione, quum opus erit.

110. Post unctionem ultimam reportabitur scala extra ecclesiam vel collocabitur seorsim, ne impedimento sit actionibus persolvendis. Dum fiet unctio postrema, in promptu habebitur a clerico aliquo lanx cum granis incensi, quae ardere super altari debebunt, et vasculum aquae sanctae cum aspersorio.

111. Peractis unctionibus super Crucem ultimam in latere Epistolae prope altare maius, redibit Episcopus super altare, quod consecrabitur. Presbyter, qui altare istud incensabit, praesentabit Episcopo thuribulum et Diaconus ministrabit incensum, quod Episcopus in thuribulum imponet cum benedictione. Intonabit ant. *Aedificavit Moyses*, accipiet a praedicto Presbytero thuribulum, thurificabit tantummodo super mensam et restituet thuribulum eidem, qui prosequetur adolere altare usque ad intonationem versiculi *Veni Sancte Spiritus*, quam ad intonationem cessabit officium eius.

112. Completo cantu antiphonae supradictae, Episcopus cum mitra in capite recitabit invitationem ad orationem *Dei Patris omnipotentis* etc. Diaconus postea tollet ei mitram, et non discedens de altari convertetur ad clericum, qui sustinebit incensum comburendum super Altari. Recitabit versiculos *Domine exaudi* etc. cum oratione, post quam incensum asperget aqua benedicta, quam ei porriget Diaconus. Mitra deinde cooperietur a Diacono ipso, qui sustinebit ei lancem cum granis incensi. Episcopus quinque granis efficiet crucem super media mensa in ipso unctionis loco, deinde superponet ipsi parvam crucem ex gossipio cerato cum quatuor capitibus erectis et bene dispositis ad ardendum. Idem faciet in quatuor angulis, in quibus peregerit unctiones principales, servans in ponendo thure eumdem ordinem quo unctiones fecit (*a*). Cruces istae a clerico aliquo accendentur expedite.

(*a*) Praescribit rubrica ut Episcopus super mensam efficiat Crucem *cum quinque granis incensi* eique superponat deinde Crucem ex gossipio ce-

113. Crucibus accensis, descendet de altari Episcopus et ponetur pulvinus in medio gradus infimi. Diaconus exuet Episcopo mitram et pileolum. Episcopus geniculabit super pulvinum et intonabit ℣. *Alleluia. Veni Sancte Spiritus*, qui a cantoribus pausatim cantabitur. A Septuagesima ad Pascha omittitur *Alleluia*. Cum Episcopo geniculabunt ceteri omnes. Absoluto cantu versiculi antedicti, assurget Episcopus. Diaconus reponet ei pileolum. Consurgent etiam adstantes. A cantoribus pausatim canentur antiphonae *Ascendit fumus* et *Stetit Angelus*.

114. Postquam super altari combustum fuerit incensum ex toto, clericus unus spatulis ligneis colliget cinerem et eradet ceram, quae forte supererit super altari, et utrumque ponet in lancem cretaceam, ut possit deinde infundi in Sacrarium (*b*).

115. Cantatis duabus supradictis antiphonis, Episcopus statim subiunget *Oremus* (Ministri *Flectamus genua*) et orationem *Domine sancte* etc. Cantabit alteram orationem *Oremus. Deus omnipotens* etc. cum praefatione sequenti, quam cantare debet tono feriali et [redacted] manibus. Sub finem cantus praefationis in promptu habebitur a clerico vasculum S. Chrismatis et aliquantulum gossipii.

116. Completo cantu praefationis Episcopus intonabit ant. *Confirma hoc Deus* et mitra a Diacono cooperietur. Cantores prosequentur in cantu antiphonam cum toto psalmo

rato. Necesse esset ut grana thuris tali modo essent laevigata, ut possent Crucem modo dictam sustinere. Usus invaluit in praxi applicandi grana infra Crucem, et Episcopus accipit Crucem eamque ponit super locis designatis. Haec ratio est commodior atque expeditior et praescriptio rubricae eodem modo adimpletur.

(*b*) Primo intuitu videtur suboscura huiusce loci rubrica: reapse autem non ita. Eius verba haec sunt « Post haec combustis candelis et thure, cineres illius combustionis per unum ex ministris cum spatulis ligneis abraduntur et collecti in aliquo vase proiiciuntur in Sacrarium. Interim Pontifex sine mitra stans ante gradus altaris, versus ad altare dicit etc. » Quidam non examinato integro textu, haerent circa primam partem *Post haec* etc. neglecta altera *Interim Pontifex* et putant regulare abrumpere functionem, donec combustum sit in altari incensum totaliter. Lectori remittimus iudicium.

Exurgat Deus, cuius in fine cantabunt *Gloria Patri* nec repetent antiphonam. Episcopus mitra coopertus, non flectens genua (*a*) intinget in S. Chrisma pollicem dexterum et unctionem faciet super crucem positam in media parte anteriori stipitis, deinde pollicem absterget. Si oleum sacrum deflueret, abstergetur unctio altaris a Diacono. Post psalmum, dimissa mitra, cantabit orationem *Oremus. Maiestatem tuam* etc.

117. Completa oratione, Diaconus cooperiet mitra Episcopum, qui iunget mensam stipiti, seu faciet unctionem in quatuor angulis, advertens ut exsequatur eam super mensam et super stipitem, ternas faciens unctiones in singulis angulis, dicens *In nomine Patris* ✠ *et Filii* ✠ *et Spiritus* ✠ *Sancti*, non subiungens *Amen*. Quod ad ordinem servandum in unctionibus peragendis, attendet maiori commoditati. Post unctiones pollicem absterget gossipio et ante gradus altaris reversus, dimissa mitra, cantabit orationem. *Oremus. Supplices te rogamus* etc. Interim in promptu erunt Ministri lotionem allaturi Episcopi manibus.

118. Oratione absoluta, Episcopus accedet ad faldistorium positum ante gradus altaris in latere Epistolae, lavabit et absterget manus diligenter, utens etiam medulla panis et mali medici (*b*). Presbyteri duo superpellicio induti, vel saltem duo clerici sacro ordine constituti colligent spongiis Olea sacra diffusa super altare, quod abstergent mantilibus seu manutergiis ex tela rudi etiam in stipite et in angulis.

119. Postquam Episcopus laverit manus et abstersum erit altare, Acolythi praesentabunt Episcopo tobaleas novas aliaque ornamenta altaris benedicenda (nisi tamen iam essent benedi-

(*a*) Episcopus unctionem faciens in parte anteriori stipitis, minime debet geniculare, ut irregulariter indicatum est in apposita figura, idque quia a rubrica omnino non praescribitur. Si Crux sita super stipitem esset metallica, fieri poterit unctio in stipite ipso super Crucem praedictam, quae quum sit mobilis, removeri poterit.

(*b*) Si Episcopus fuerit Ordinarius ac si thronus praeparatus erit prope altare, lavabit manus in throno, servatis regulis alias traditis. Item aderit in throno, quando benedicet ornamenta eius, ut sequenti num. 119. et quum ordinabitur altare, ut num. 120.

cta, utpote adhibita). Si numerus et qualitas istorum ornatuum talis esset, ut faciliter praesentari Episcopo non possent, accedet Episcopus ipse ad abacum, in quo posita erunt ornamenta haec ibique benedicet ea. Aderit etiam clericus cum vasculo aquae benedictae et aspersorio. Dimissa mitra, assurget, recitabit versiculos *Adiutorium nostrum* etc. cum oratione praescripta et ipsa asperget aqua benedicta, porrigente ei aspersorium Diacono. Post orationem denuo sedebit et reponetur ei mitra.

120. Assurget, convertetur ad altare et intonabit ant. *Circumdate Levitae,* quam prosequentur cantores cum reliquis responsoriis, donec omnia altaria ecclesiae ornata erunt. Acolythi ponent super mensam tobaleam ceratam, quam firmabunt orbiculis metallicis, deinde reliquas tobaleas. Sacrista cum clericis inservientibus altare ornabunt Cruce et candelabris cum cereis, qui statim accendentur, postremo gradus altaris cooperient tapeto. Si necesse fuerit, quando sternetur tapetum, Episcopus aliquantulum recedet de loco suo. In promptu etiam erit thuriferarius cum thuribulo (*a*).

121. Altaribus ornatis, Episcopus sedebit faldistorio et incensum, ministrante Diacono, imponet in thuribulum. Deinde assurget, veniet ante altare, sed ante gradus ipsius Diaconus exuet ei mitram. Episcopus reverentiam profundam et Ministri genuflexionem conficient ante Crucem in altari positam. Ascendent in suppedaneum: Diaconus thuribulum tradet Episcopo, qui intonabit ant. *Omnis terra* et prosequentur cantores. Episcopus thurificabit super altare in modum crucis, videlicet thuribulo crucem super mensam efficiet. Tum intonabit secunda vice antiphonam *Omnis terra* et incensabit iterum, itemque tertia vice et restituet thuribulum Diacono. Cantabit dein utramque orationem *Descendat* et *Omnipotens*, subiiciet *Dominus vobiscum*, postea *Benedicamus Domino* eodem tono eademque vocis modulatione, qua cantaverit *Dominus vobiscum.*

122. Si post consecrationem Episcopus ipse cantabit Missam, vel Missae assistet indutus vestibus pontificalibus, quippe

(*a*) In ornando altari ac ponendis Cruce et candelabris, caveant ascendere super ipsum.

in sua dioecesi, benedictionem donabit in fine Missae solemnis. Sin celebrabit Missam lectam, impertietur benedictionem solemnem, servatis regulis consuetis, quas notavimus lib. V. et VI. post *Benedicamus Domino*, antequam celebret Missam lectam, Diaconus in circumstantia ista post benedictionem publicabit indulgentias, legens formulam sequentem - Reverendissimus in Christo Pater et Dominus, Dominus *N.* Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopus *N.* dat et concedit omnibus Ecclesiam hanc et Altare hoc visitantibus hodie annum unum, et in die anniversaria consecrationis huiusmodi quadraginta dies de vera Indulgentia in forma Ecclesiae consueta. Rogate Deum pro felici statu Sanctissimi Domini nostri *N.* divina providentia Papae *N.* Dominationis suae reverendissimae et sanctae Matris Ecclesiae -. Si celebrandum esset anniversarium alio die, post verba *consecrationis huiusmodi*, adiungetur *quae celebrabitur die . . . vel Dominica* . . . Si consecrans erit Cardinalis, inspiciatur quod traditum est cap. X. lib. V. et indulgentia in anniversario erit centum dierum. Benedictione largita, de altari descendet medius inter sacros Ministros, qui exuent ei paramenta. Si Missam cantabit, Ministri comitabuntur eum ad thronum vel ad faldistorium, ipsi autem recedent in Sacrarium ad induendam dalmaticam ac tunicellam. Si Missae solemni assistet in throno, Ministri praedicti comitabuntur eum ad thronum, ubi in eorum vicem succedent Diaconi assistentes, et ipsi revertentur in Sacrarium. Si celebrabit Missam sine cantu, comitabuntur eum ad faldistorium, ubi Diaconus exuet ei mitram cum pluviali, adiuvante Subdiacono, tum reverentia eum prosecuti, redibunt in Sacrarium, praecedentibus clericis cum Cruce et intorticiis, ceterisque clericis, quibus opus amplius non est in functione. Hoc casu, postquam a Diacono exutus erit pluviali, succedent Cappellani eius, qui planeta induent ipsum eique assistent in celebratione Missae. Advertendum est ad orationes in Missa dicendas, ut notatur in Missali.

123. Initio Missae vasa quae adsunt apud portas ecclesiae impleantur aqua benedicta.

124. Si in ecclesia asservandum erit SS. Sacramentum, eo quod sit parochialis vel conventualis, curabitur ut ab Episcopo

ipso consecrentur particulae in pyxide. Si SS. Sacramentum custodiretur loco remoto, referetur in ecclesiam, postquam Episcopus celebraverit Missam, et casu isto non oportet consecrare particulas, ut supra.

125. Post Missam colligetur cinis adhibita in designandis alphabetis, removebitur scala, abaci et reliqua omnia, quae opus fuerint in consecratione, panni et spongiae lavabuntur, quorum usus in abstersionibus, et aqua lotionis huius infundetur in sacrarium, quo deiicietur etiam gossipium, thus combustum et aqua, qua Episcopus laverit manus.

126. Candelae Crucibus duodecim affixae ardebunt toto die.

127. Ad capituli huius complementum, recentiorem subiicimus S. R. C. declarationem, quae nobis ad rem maxime opportuna videtur. *Augustodunen.* I°. An ad alicuius ecclesiae consecrationem procedi possit, in qua omnia altaria sint consecrata, omittendo ea, quae altaris consecrationem respiciunt? II°. An ad ecclesiae consecrationem procedi possit a duobus Episcopis, quorum unus Ecclesiae et alter consecrationem altaris eiusdem Ecclesiae peragat? S. Rit. C. respondit ad I°. negative; ad II°. opponi ritui consecrationis. Die 3. Martii 1866.

DE CONSECRATIONE ALTARIS.

CAPUT XIX.

Quae sint praeparanda (*a*).

1. Altaris consecrandi mensa esse debet tota e marmore vel ex alio lapide solido, constans ex una lamina lapidea, non

(*a*) De diligentiis utendis in functione buiusmodi, quin eadem frustra repetamus, conf. adnotationes, quas capitulo praecedenti apposuimus in functione consecrationis altaris, iunctim cum dedicatione ecclesiae.

vero ex pluribus fragmentis: stipes, quo mensa fulcitur, erit lapideus, ac si esset materialis, nempe factus ex calce et lateribus coctis, aderunt in angulis parvae quatuor pilae ex lapide solido, ut comprobetur, Altare esse lapideum in suis saltem principalibus partibus. In media mensa praedicta, sed aliquantulum versus partem anteriorem erit urnula, seu parvum sepulcrum cavatum in lapide ipso ad reponendas sacras Reliquias: urnula modo dicta habebit labrum, sive ut aiunt artifices, *il battente*, in quo insistet lapis urnulae eiusdem. Ut autem sit solidior, curandum ut labrum antedictum, in quo insistet lapis sive operculum urnulae, sit latum digitos ferme duos. Lapis operculi oportet ut adamussim obturet et aequet planum mensae et operculum, seu lapis hic qui claudet, comparetur solidus, ut vitetur ipsius fractura. Super mensam incidentur Cruces quinque formae quadrae in locis unctionum, una nempe in medio, reliquae in quatuor angulis, super quos unctiones fient. Dabitur opera, ut quae in medio facienda est, non sint super cavo sepulcri et reliquae in angulis sint dimidium ferme palmum intra mensam. In medio stipitis ex parte anteriori pingetur Crux formae quadrae, super quam unctio fiet. Si stipes erit totus lapideus, non opus est in eo pingere Crucem, siquidem unctio fiet super Crucem metallicam aut lapideam, quae ibi iam erit incisa. In lateribus Altaris, vel infra gradum candelabrorum negotium dabitur artifici, ut plumbo agglutinet aliquot orbiculos metallicos, non vero ferreos, ut iis possit firmari tobalea cerata et reliquae tobaleae.

2. Necesse erit in promptu habere capsulam formae quadrae cum suo simili operculo, qua opus erit ad reponendas S. Reliquias, quae claudentur in parvo sepulcro. Capsula haec erit formae quadrae cum operculo simili eiusdem mensurae ut interior pars sepulcri praedicti, sed aliquantulo restrictior in crassitie sive alitudine propter sigillum, quod in capsula ipsa imprimendum erit. Capsulae materia erit lamina plumbea: poterit etiam esse argentea.

Quae opus sint in expositione
S. Reliquiarum vespere praecedenti.

3. In qua ecclesia consecrandum erit altare praeparabitur Sacellum, in quo vespere praecedenti exponentur S. Reliquiae, ut praescribit Pontificale, vel expositio haec fieri poterit etiam in Sacrario aut alio loco ipsi ecclesiae proximo. Altare, in quo exponentur Reliquiae, ornabitur festivo more, cum pallio rubri coloris ac tapeto super gradibus.

4. Super eodem Altari ex una parte praeparabuntur ea quae opus sunt ad expositionem supradictam, videlicet urna thalami ad reponendam capsulam Reliquiarum, et huius defectu poni poterunt in lance argentea cooperta parvo velo rubri coloris, in altera autem lance pergamena scripta, ut in Pontificali et subsignata ab Episcopo; tria grana thuris ponenda in capsula cum S. Reliquiis; scotula cum candela in usum Episcopi; lemniscus sericeus rubri coloris, sufficienti quantitate, ad obvolvendam capsulam; forfices; tubulus unus cerae hispanicae; sigillum episcopale mediae formae; capsula supradicta cum operculo ad claudendas Reliquias.

5. Ponentur in ea Reliquiae saltem duorum Martyrum, singulae clausae in papyro distincto, cum nomine Sancti super papyrum scripto, quae Reliquiae afferentur ab Episcopo.

6. Ad imam partem Altaris aderit pulvinus, in quo geniculabit Episcopus.

7. Expositis Reliquiis, ardebunt semper ante ipsas duo saltem lumina cerea.

8. Praeparabuntur etiam scamna, genuflexoria etc. pro celebratione vigiliarum in noctem, quae vigiliae fient portis clausis a Clero, vel a confraternitatibus laicorum, exclusis omnino mulieribus.

In Consecratione.

9. Altare consecrandum erit totaliter denudatum. Prope altare in ambitu Sacelli, vel etiam extra ipsum, iuxta loci capacitatem, praeparabitur a latere Evangelii abacus minoris for-

mae contectus alba tobalea et in eo candelabra quatuor minora cum candelis accendendis, quum in illo ponenda erit urna quae continebit S. Reliquias.

10. A latere Epistolae prope gradus altaris praeparabitur faldistorium cum veste albi coloris; scabella duo a lateribus pro Ministris; pulvinus unus, in quo genua flectet Episcopus.

11. Alteri autem abaci duo maiores, cooperti ambo alba tobalea, in quibus disponentur quae opus sunt ad Consecrationem, videlicet paullulum salis in lance: aliquantulum cineris in lance: ampulla una vel exigua phiala vini plena, in lance: concha aut vas decens plenum aquae limpidae: vascula Olei sacri Catechumenorum et S. Chrismatis in lance: trulla utenda ab Episcopo ad ponendum caementum in parvo sepulcro: tabellae cum formulis aspersionum, unctionum et cum nominibus Sanctorum addendis in Litaniis: vasculum vacuum ad hauriendam aquam sacratam, quando erit opus: aspersorium ex hyssopo: binae spatulae ligneae: aliquantulum scaliolae tritae in scutella cretacea: thuribulum cum navicula plena thuris cumque cochleari: thuribulum alterum substituendum primo, quando opus sit: operculum sepulchri: libra una gossipii soluti: spongiae duae maiores et manutergia maiora quatuor ex tela rudi: quinque cruces ex gossipio cerato cum quinque et viginti granis incensi: aliquantulum gossipii cerati ad accendendas Cruces praedictas: conchula exigua cretacea ad reponendum incensum combustum: urceus cum pelvi: mantilia seu manutergia duo in usum Episcopi, in lance: aliquantulum medullae panis et mali medici in lance: vasculum aquae sanctae cum aspersorio: chrismale seu tobalea ex tela cerata albi coloris, lata et longa ut tota mensa altaris, cum ocellis ad firmandam ipsam orbiculis, ut supra monuimus: tobaleae Altaris in canistro.

12. Prope abacum primum in promptu habebitur concha maior cuprea, in qua ponentur quae deinde proiicienda erunt in sacrarium aut quae purificanda erunt.

13. In altero abaco praeparabuntur paramenta episcopalia, videlicet pluviale et stola albi coloris, cingulum, alba et amictus, quae albo velo cooperientur: formale pretiosum in lance: mitra auriphrygiata cum vimpa seu velo pro ministro illius;

scotula cum candela et pontificale (pars. II.) omnia quae opus sunt ad Missam ab Episcopo celebrandam, nempe planeta cum manipulo albi coloris; canon pontificalis; Missale cum legili seu cussino; ampullae vini et aquae in pelvicula; mappula ampullarum; intorticia pro elevatione; campanula; instrumentum Pacis, si Episcopus intererit alteri Missae; formula indulgentiarum.

14. Prope abacum eumdem ponetur baculus pastoralis.

15. Candelabra cum cereis et Crux ponentur seorsim, itemque tapetum Altaris praedicti, focus cum igne ardenti et forcipe; hastae cum gossipio cerato. Legile cum pontificali in usum cantorum, statuendum loco convenienti.

16. In Sacello, in quo expositae aderunt Reliquiae, intorticia et cerei pro processione.

Ad Altare SS. Sacramenti.

17. Ponetur faldistorium, seu genuflexorium cum strato et pulvinis ante Altare et quum Episcopus ibi orabit accendentur sex cerei in candelabris maioribus. Si Sacellum, in quo custodietur SS. Sacramentum, esset proximum aut contra Altare consecrandum, curabitur ut in altero remotiore SS. Sacramentum reponatur.

In Sacrario.

18. Praeparabitur Crux hastilis cum intorticiis duobus: amictus, albae et cingula duo, ac stola una albi coloris pro Ministris: superpellicea quae satis sint inservientibus; sedes cameralis super exiguo tapeto pro Episcopo, nisi intrabit per portam principalem ecclesiae; vasculum aquae sanctae et aspersorium.

19. Si post Consecrationem celebrabitur Missa solemnis, praeparabitur quidquid necesse est, ut cap. IV. lib. II.

20. Ad functionem persolvendam oportet comparare: candelas numero sex ponderis proportionalis Altari consecrando: intorticia num. octo bilibria singula pro Processione, quibus

uti poterunt etiam ad elevationem; intorticia duo quinquelibralia pro Cruce; candela pro scotula: candelae duae vel etiam maiori numero, accendendae ante S. Reliquias: candelae exiguae in usum eorum, quibus attribuentur vigiliae: candelae quatuor trium unciarum singulae pro abaco, in quo ponentur S. Reliquiae: gossipium ceratum ad efficiendas Cruces et ad accendendum.

21. Assistentes et inservientes functioni erunt: Diaconus et Subdiaconus: Presbyter superpellicio indutus, cuius officium thurificare Altare: alter substituendus, si opus fuerit: octo Presbyteri vel clerici pro Processione: Cantores saltem quatuor: Clerici tres pro Cruce et intorticiis: alter clericus pro libro, alter pro scotula: Clericus seu Cappellanus a mitra, alter a baculo, alter ad substinendum vasculum, Olea sacra etc. Sacrista cum clericis suis ad ornandum Altare: Lapidarius habitu decenti indutus.

Pro Expositione Reliquiarum pridie vespere.

22. Functio haec nullibi diversa est ab illa, quam descripsimus in Dedicatione Ecclesiae. Quapropter quin repetamus eadem, quae ibi, observabitur quod notatum est superiori capitulo num. 35. et seqq.

De functione Consecrationis.

23. Hora praestituta, saltem tribus ante meridiem horis, congregabitur Clerus in Sacrarium: unusquisque inservientium induet sibi superpelliceum, sacri Ministri autem amictum, albam, cingulum: Diaconus stolam etiam diaconalem albi coloris.

24. Quando Episcopus ad ecclesiam erit perventurus, discedent ex Sacrario clerici cum Cruce et intorticiis ardentibus, sequentibus duobus Ministris, et recta pergent ad Altare consecrandum. Crux cum intorticiis consistet a latere Evangelii, Ministri autem a lateribus faldistorii, versa facie ad populum. Ceteri clerici accedent ad portam ecclesiae et unus ex eis deferet vasculum aquae sanctae cum aspersorio: Superior eccle-

siae praesto erit in limine dextrorsum excepturus Episcopum. Si Episcopus erit Ordinarius, sonabitur festivo more ecclesiae campanis.

25. Episcopus, rocheto et mozzeta indutus, excipietur ab universo Clero in limine ecclesiae, ubi accipiet aspersorium, quod cum osculis usitatis ei porriget Superior ecclesiae, asperget seipsum et adstantes, tum procedet ad SS. Sacramentum adorandum. Nisi fuerit Episcopus ordinarius, induet mantelletum supra rochetum et mozzetam quoque, ut cap. II. lib. V. num. 10. neque excipietur a Clero universo. Casu hoc praesto erit Clerus prope Altare consecrandum, et Episcopo procedent obviam quatuor aut sex Presbyteri ad ostium ecclesiae. Superior porriget ei aspersorium, quo Episcopus signabit seipsum tantummodo. Quod si Episcopus in ecclesiam ingredietur ex Sacrario, Clerus una cum Episcopo processionaliter exibit de Sacrario ordine sequenti. Praecedet Crux cum Acolythis, qui sustinebunt intorticia ardentia, ceteri clerici bini, postremo Episcopus, medius inter Ministros paratos.

26. Episcopus procedet ad Altare consecrandum et sedebit faldistorio, caput operiens bireto. Statim distribuentur paramenta clericis, quorum officium ipsa afferre ad Episcopum, et in promptu erunt Ministri lotionis.

27. Episcopo, postquam sederit brevissimo tempore, se sistent clerici cum scotula et cum pontificali. Tunc aperiet caput, assurget, non convertetur ad Altare et recitabit alta voce totam antiphonam *Ne reminiscaris* etc. sed sine cantu. Clerus et cantores prosequentur recitare psalmos eodem modo, videlicet pausatim et sine cantu.

28. Lecta antiphona supradicta, Episcopus sedebit et a Diacono exuetur Cruce pectorali, mozzeta aut mantelleto. Caput iterum cooperiet bireto. Nobiles eius familiares vel clerici, absentibus illis, porrigent ei lotionem et lavabit manus. Si fuerit Episcopus dioecesanus, genua flectent ad actum istum adstantes omnes, exceptis Canonicis Cathedralis et Praelatis, si aderunt. Episcopus exuet sibi biretum et a Ministris parabitur amictu, alba, cingulo, Cruce pectorali, stola et pluviali, cui apponetur formale. A Diacono cooperietur mitra, deinde sinistra accipiet baculum.

29. Parato Episcopo, Ministri sedebunt scabellis positis a lateribus faldistorii et caput operient bireto. Se sistent iterum Episcopo clerici cum libro pontificali et cum scotula: Episcopus et cum ipso Ministri eius recitabunt psalmos iunctim cum Clero. Completa psalmorum recitatione, repetetur, ut ante, ab Episcopo integra antiphona *Ne reminiscaris* etc.

30. Assurget Episcopus et cum Ministris procedet ante Altare, subsistens longe ab ipso quinque aut sex passus. Ibi dimittet baculum et Diaconus exuet ei mitram. Se sistent Episcopo duo cappellani cum libro et scotula: Episcopus intonabit antiphonam *Adesto, Deus,* quam cantores in cantu prosequentur.

31. Interim ante Episcopum statuetur faldistorium cum pulvino et seorsim ponentur scabella Ministrorum.

32. Completo antiphonae cantu, Episcopus cantabit orationem *Oremus. Actiones nostras* etc. Post orationem Diaconus mitra cooperiet Episcopum, qui geniculabit in faldistorio, cumque ipso adstantes omnes.

33. Cantores duo cantabunt immediate Litanias, quibus respondebunt adstantes. Attendant in Litaniis ad repetendum respectivo loco Sanctum, cuius nomini dedicatur Altare, et Sanctos Martyres, quorum Reliquiae in Altari reponentur. Sub finem cantus Litaniarum, in promptu stabunt clerici cum libro et scotula pro Episcopo et alter cum pastorali. Cantato a cantoribus ℣. *Ut omnibus fidelibus defunctis* etc. assurget Episcopus cum Ministris, duo clerici cum libro et scotula atque alter cum pastorali. Ceteri omnes genibus flexis perstabunt. Episcopus, accepto sinistra baculo, habens librum a sinistris suis, attollente Diacono fimbriam pluvialis eius, cantabit tribus vicibus versiculum *Ut Altare hoc* etc. ut in Pontificali, benedicens Altare, ut praescribitur. Post benedictionem praedictam, recedent clerici a libro et scotula, Episcopus dimittet baculum et geniculabit iterum cum ceteris. Tum vero, non ante, cantores resument cantum Litaniarum a ℣. *Ut nos exaudire* etc. easque prosequentur usque ad finem. Cantatis Litaniis assurget Episcopus de prostratione et cum ipso consurgent ceteri omnes. Faldistorium tolletur et pulvinar admovebitur ad Altare.


34. Episcopus appropinquabit ad Altare et exuetur mitra a Diacono. Geniculabit et ex libro cantabit *Deus in adiutorium meum intende*, cantores autem respondebunt *Domine ad adiuvandum* etc. Episcopus assurget et cantabit *Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto;* cantores respondebunt *Sicut erat* etc. Hoc faciet secunda ac tertia vice, singulis vicibus attollens vocem hemitonio.

35. Diaconus mitra cooperiet Episcopum, qui accedet ad abacum consecraturus aquam utendam in consecratione; si abacus aliquanto distabit ab Altari, praecedet Episcopum Crux cum intorticiis, quae consistet prope abacum in conspectu Episcopi. Apud abacum Episcopus, mitra cooperto capite, exorcizabit salem. Mitra dimissa, benedicet salem. Rursus cooperietur a Diacono mitra et exorcizabit aquam. Nudatus mitra benedicet aquam, postea cinerem. Benedicto cinere, accipiet salem et dextra imponet illum super cinerem in modum Crucis, dum dicet *In nomine Patris* etc. Eadem manu miscebit cinerem cum sale et hanc mixturam acceptam iniiciet in aquam ad illa verba *In nomine Patris* etc. Cavebit tamen ne manum immittat intra aquam, dum in ipsam infundet commixtionem salis et cineris. Dextram absterget mantili, quod ipsi porrigetur a Diacono. Deinde vinum benedicet; accepta postmodum phiala sive ampulla e manibus Diaconi, infundet vinum ad instar Crucis in aquam, dum dicet *In nomine Patris* etc. Alteram prosequetur orationem *Omnipotens sempiterne Deus creator* etc. Quia benedictio aquae huius in Pontificali romano revocari solet ad ritum Dedicationis ecclesiae, idcirco advertet Episcopus in recitatione orationum ut omittat verbum *Ecclesiae*, quo loco notata erit. Consecratio aquae explicit oratione supradicta; ideoque non est recitanda altera, quae sequitur *Sanctificare per verbum Dei* etc. notata in pontificali ad Dedicationem ecclesiae. In fine orationis supradictae clericus unus accipiet vasculum vacuum, quod implebit aqua consecrata, et accepta etiam tabella cum formula aspersionis persolvendae ab Episcopo, in promptu habebit utrumque prope suppedaneum Altaris.

36. Aqua consecrata, rursus Episcopus cooperietur mitra a Diacono; tum praeeunte Cruce cum intorticiis (si ipse aderit

prope abacum, ut supra monuimus) procedet ad Altare et ascendet in suppedaneum; Crux autem redibit prope Altare a latere Evangelii. Episcopus, conscenso suppedaneo intonabit antiphonam *Introibo*, quam in cantu prosequentur cantores cum psalmo *Iudica me, Deus* etc. (*a*). Cappellani cum libro et scotula consistent a sinistris Episcopi et ut in ista, sic in reliquis actionibus omnibus advertent semper, ut recedant extra Altare statim ac Episcopus intonuerit antiphonam aut recitaverit orationem.

37. Episcopus, intonita antiphona, intinget pollicem dexterum in aquam sacratam, eodemque pollice signabit Crucem in medio mensae, dicens *Sanctificetur* etc. Dein tribus vicibus benedicet *In nomine Patris* etc. Diaconus ad maiorem commoditatem poterit ei porrigere vasculum aquae sanctae et Subdiaconus sustinebit ante eum tabellam cum formula praedicta aspersionis. Aspersio prima fiet, ut supra, in medio mensae, altera in angulo posteriori cornu Evangelii, tertia in angulo anteriori cornu Epistolae, quarta in angulo anteriori cornu Evangelii, quinta in angulo posteriori cornu Epistolae.



Quo facto, Episcopus absterget pollicem mantili, quod ei subministrabitur a Diacono.

(*a*) Vide adnotationem hoc loco positam in Dedicatione ecclesiae. num 80.

38. Revertetur ad medium Altaris, stans adhuc in suppedaneo et expectabit donec absolvatur cantus psalmi cum repetitione antiphonae, quo cantu finito, Diaconus exuet ei mitram. Episcopus cantabit *Oremus* (Ministri *Flectamus genua*) et subiunget orationem *Singulare illud propitiatorium* etc.

39. Clericus cuius officium deferre vasculum aquae sanctae, infundet alteram aquam in vasculum ipsum et secum habebit aspergillum ex hyssopo.

40. Post orationem, Episcopus intonabit antiphonam *Asperges me*, quae continuabitur a cantoribus. Diaconus mitra cooperiet Episcopum, eique porriget aspergillum ex hyssopo, aqua sacrata perfusum. Episcopus circumibit Altare, aspergens stipitem et mensam, servatis iis quae hac de re tradita sunt in Dedicatione ecclesiae. Cantores attendent ad divisionem psalmi *Miserere*.

41. Peracta aspersione prima, et cantatis tribus primis versiculis, qui sequuntur antiphonam praedictam, Episcopus intonabit iterum antiphonam *Asperges me* et secundam aspersionem conficiet, ut supra. Aspersiones istae fient septies. In fine aspersionis septimae, ad manus erit caementum benedicendum, accendentur quatuor candelae in abaco, super quem ponentur S. Reliquiae, in promptu habebitur thuribulum in Sacello supradicto, ubi accensa aderunt intorticia etiam aut cerei utendi in processione.

42. Septima aspersione absoluta, Episcopus tradet aspergillum Diacono. Finito autem cantu versiculi *Tunc acceptabis* etc. Diaconus exuet mitram Episcopo, qui stans ad Altare in medio suppedaneo, cantabit *Domine exaudi* etc. *Dominus vobiscum. Oremus. Deus qui es visibilium* etc.

43. Post orationem clericus unus praesentabit Episcopo lancem cum scaliola. Episcopus recitabit *Dominus vobiscum* et orationem *Summe Deus* etc. Clericus unus residuum aquae consecratae effundet ad basim stipitis (*a*).

44. Episcopus a Diacono cooperietur mitra et accepto baculo pastorali sinistra, procedet ad locum, in quo pridie

(*a*) Vide adnotationem hoc loco positam in ritu Dedicationis ecclesiae sub. num. 88.

vespere expositae fuerunt S. Reliquiae, translaturus eas ac deinde obstructurus muro in Altari.

45. Anteibunt clerici cum Cruce et intorticiis, tum cantores secum ferentes Pontificale, vel libellos cum antiphonis in processionem cantandis: Clerus, omnibus incedentibus binis et dignioribus propius Episcopum: Episcopus baculum pastoralem sinistra sustinens, medius inter Ministros, qui fimbrias pluvialis eius sustentabunt; si deget in dioecesi sua, dextra benedicet adstantes: postremo clerici seu Cappellani a mitra et baculo, post ipsos qui deferent pontificale et scotulam.

46. Quum processio pervenerit ad portam, vel ad ingressum Sacelli, in quo aderunt expositae S. Reliquiae, Crux consistet in ingressu a sinistris Episcopi, Clerus disponetur in modum circuli, Episcopus subsistet extra sacellum. Episcopus dimittet baculum et mitram, cantabit *Oremus* (Ministri *Flectamus genua*) et orationem *Aufer a nobis* etc. Reponetur ei mitra a Diacono et recipiet baculum. Crux ingredietur in Sacellum et consistet prope ingressum, Clerus in ordinem disponetur intra Sacellum et singulis distribuetur cereus aut intorticium ardens; Episcopus cum Ministris accedet ante Reliquias, ubi praesto erit thuriferarius cum thuribulo et navicula.

47. Episcopus ante Reliquias dimittet baculum, mitra nudabitur a Diacono, tum cantabit orationem *Oremus. Fac nos, quaesumus, Domine* etc. Cantata oratione, non assumens mitram, cum benedictione imponet in thuribulum, a thuriferario sustentum, incensum quod ei ministrabit Diaconus, deinde non thurificans Reliquias, accedet vel ascendet ad Altare, accipiet urnam, in qua clausa erit capsula cum Reliquiis, convertetur ad populum et intonabit antiphonam *Cum iucunditate exibitis*. Ministri meminerint commutare locum suum, et intonita antiphona, Diaconus reponet mitram Episcopo. Cantores prosequentur cantare antiphonam et cantabunt etiam reliquas, si opus erit.

48. Processio ad Altare consecrandum dirigetur ordine sequenti: Anteibit Crux inter Acolythos cum intorticiis: cantores, qui cantabunt antiphonam sive antiphonas supradictas: Clerus et incedent bini capite nudato; unusquisque gestabit intorticium vel cereum ardentem: thuriferarius cum thuribulo,

quod leviter agitans adolebit. S. Reliquias: Episcopus, qui utraque manu ante pectus gestabit S. Reliquias, medius inter duos Ministros, qui sustollent eius fimbrias pluvialis. Sequentur clericus cum baculo pastorali, alter a mitra, et reliqui duo cum pontificali et scotula.

49. Quum ad altare consecrandum pervenerit processio, Crux cum intorticiis consistet a latere Evangelii, ubi steterat in principio, cantores redibunt ad legile, Clerus disponetur in semicirculum circa Altare, dignioribus prope Episcopum stantibus, thuriferarius locum sumet in plano a latere Epistolae et Episcopus accedet ad abacum supradictum, in quo deponet Reliquias, ac reverentia ante eas facta, redibit ante Altare, stans in medio ante gradus.

50. Ibi Episcopus, quum completus erit cantus antiphonarum *Cum iucunditate* et *Surgite Sancti Dei* etc. intonabit alteram antiphonam *Exultabunt*, quae continuabitur a cantoribus cum psalmis *Cantate Domino canticum novum* et *Laudate Dominum in Sanctis eius*, quorum in fine non cantabitur *Gloria Patri*, sed repetetur antiphona modo dicta. Sub finem psalmorum ab uno pluribusve clericis afferetur super Altare vasculum S. Chrismatis in lance cum aliquantulo gossipio, trulla pro Episcopo, caementum benedictum et operculum sepulcri.

51. Dum repetetur antiphona supradicta, Episcopus cum Ministris ascendet in suppedaneum Altaris. Finito cantu, Diaconus tollet mitram Episcopo, qui cantabit orationem *Oremus. Deus qui in omni loco* etc. Cantata oratione, Diaconus rursus cooperiet mitra Episcopum, qui intincto pollice in vasculum S. Chrismatis, quod ei poterit ad maiorem commoditatem sustinere Diaconus, ipse faciet unctionem in quatuor angulis internis sepulcri, recitans in singulis unctionibus formulam praescriptam, advertens ut pollice faciat duas unctiones seu Cruces, unam nempe ad verbum *Consecretur*, alteram ad verbum *Sanctificetur* etc. utque dextra benedicat tribus vicibus, quando dicet *In nomine Patris* etc. Post unctionem ultimam Episcopus absterget pollicem gossipio, descendet de Altari medius inter Ministros et accedet ad abacum, in quo reposuerit S. Reliquias.

52. Episcopus ante S. Reliquias quum venerit, dimittet mitram, quam ipsi exuet Diaconus, deinde aperiet operculum urnae vel amovebit velum rubri coloris, quo Reliquiae opertae erunt, accipiet capsulam, eamque sustinens elatam ferme ad altitudinem vultus sui, portabit reverenter ad Altare, quo ascendet iterum cum Ministris. Conscenso suppedaneo, intonabit antiphonam *Sub Altare Dei*, et statim ponet capsulam clausam et sigillo obsignatam, ut erat, in parvum sepulcrum Altaris. Thuriferarius ascendet ad Altare, et Episcopus, ministrante Diacono cum osculis incensum, imponet illud in thuribulum cum benedictione. Diaconus a thuriferario accipiet thuribulum, quod porriget Episcopo cum osculis. Episcopus, e manibus Diaconi accepto thuribulo, reverentiam profundam ad S. Reliquias una cum Ministris conficiet, easque thurificabit triplici ductu. S. Reliquiis incensatis, iterabitur reverentia ut ante, et Diaconus recipiet thuribulum, quod restituet thuriferario. Postea Diaconus ipse reponet Episcopo mitram.

53. Episcopus sinistra accipiet operculum parvi sepulcri, et pollice dextero in S. Chrisma intincto, unctionem in eo faciet in parte inferiori sive interna, signans pollice Crucem duplicem, unam ad verbum *Consecretur*, alteram dum dicet *Sanctificetur hic lapis*, deinde benedicet ipsum dextra tribus vicibus, dicens *In nomine Patris* etc. Post unctionem ponet operculum supradictum super Altare, non supra sepulcrum, et pollicem absterget gossipio. Accipiet trullam cum caemento et diligenter ponet illud circa postem seu labrum sepulcri, advertens ne ponat super capsulam Reliquiarum. In actione ista poterit Episcopus adiuvari a lapidario. Completo cantu antiphonae supradictae, Episcopus rursus ambabus manibus accipiet operculum sepulcri, intonabit antiphonam *Sub Altare Dei*, et operculum imponet super sepulcrum. Interim a cantoribus cantabitur antiphona modo dicta et altera quoque *Corpora Sanctorum* etc. si opus fuerit. Episcopus claudet sepulcrum et operculum firmabit, advertente lapidario ut sit admodum clausum et obturatum in commissuris et aequet planum mensae, neque removeri amplius possit, nisi frangatur. Clauso autem sepulcro, spongia aut mantili ex tela rudi mundabitur Altare, tollendo

gypsum, quod forte posset superesse et ad abacum referentur omnia ea, quae ad actionem istam persolvendam opus fuerint. Completo antiphonae cantu, Diaconus exuet Episcopo mitram. Episcopus cantabit orationem *Oremus. Deus qui ex omnium* etc.

54. Extinguentur cerei qui ardebant in abaco, in quo positae fuerunt Reliquiae, itemque intorticia vel cerei in processione adhibiti, qui collecti ab uno pluribusque clericis, referentur in Sacrarium.

55. Post orationem Episcopo reponetur mitra a Diacono. Episcopus, intincto pollice in S. Chrisma, unctionem faciet super Altare, dicens *Signetur et sanctificetur* etc. Duplicem in Altari Crucem signabit pollice, unam ad verbum *Signetur,* alteram ad verbum *Sanctificetur*, deinde tribus vicibus benedicet dextra, dicens *In nomine Patris* etc. Advertet autem, ut praedictam unctionem ita efficiat, ut iungat mensam cum sepulcro, videlicet extendere unctionem debet super lapidem utrumque. Post unctionem pollicem absterget gossipio et de Altari tolletur S. Chrisma.

56. Thuriferarius Episcopo praesentabit thuribulum et Diaconus cum osculis porriget ei naviculam. Episcopus imponet in thuribulum incensum, quod benedicet cum formula usitata *Ab illo benedicaris* etc. quam concludet cum benedictione *In nomine Patris* ✠ *et Filii* ✠ *et Spiritus* ✠ *Sancti;* idque faciet deinceps quotiescumque impositurus erit incensum in thuribulum.

57 Diaconus exuet Episcopo mitram, deinde porriget ei thuribulum. Episcopus intonabit antiphonam, *Stetit Angelus* quam prosequentur cantores pausatim. Post intonationem antiphonae, Diaconus mitram reponet Episcopo, qui thurificabit Altare « undique ad dexterum et sinistrum latus, ante et desuper » donec completus erit huius antiphonae cantus.

58. Cantu antiphonae completo, Episcopus restituet thuribulum Diacono, qui deinde exuet ei mitram. Episcopus stans in medio Altaris supra suppedaneum, cantabit orationem *Oremus. Dirigatur oratio nostra* etc. Post orationem Diaconus reponet mitram Episcopo, qui de altari inter Ministros descendet et sedebit faldistorio posito in latere Epistolae ante gradus Altaris, facie versa ad populum.

59. Episcopo sedente in faldistorio, accedent ad Altare Presbyteri duo superpellicio induti, vel clerici duo sacro ordine constituti, et spongiis ac mantilibus e tela rudi abstergent diligenter in altari aquam sacratam, quae sparsa fuerit in mensa et in stipite. Spongiae et mantilia ponentur in concha cuprea, ut dein laventur et aqua infundatur in sacrarium. Item gossipium, quo Episcopus absterserit pollicem, ponetur in eodem vase, ut comburatur et cinis deiiciatur in sacrarium. Interim praesto erit apud Altare Presbyter indutus superpelliceo, cuius officium adolere altare. In promptu stabit etiam clericus cum vasculo Olei sacri Catechumenorum in lance, cum gossipio, quo Episcopus absterget pollicem, ac tabella cum formula unctionis, quam afferet ad altare, ut monebimus inferius.

60. Absterso Altari, veniet ante Episcopum thuriferarius, qui obiiciet ei thuribulum. Diaconus ministrabit incensum Episcopo, qui demittet illud in thuribulum cum benedictione.

61. Episcopus assurget, accedet ad altare medius inter Ministros et ascendet in suppedaneum. Accipiet a Diacono thuribulum, et nullam proferens formulam, incensabit in modum Crucis super mensam in medio et in quatuor angulis, ubi fient unctiones principales, videlicet in medio mensae, in angulo posteriori cornu Evangelii, in angulo anteriori cornu Epistolae, in angulo anteriori cornu Evangelii et in angulo posteriori cornu Epistolae.

62. Episcopus restituet thuribulum Diacono, Diaconus thuriferario. Thuriferarius iterum obiiciet thuribulum Episcopo; Diaconus Episcopo ministrabit incensum: Episcopus incensum in thuribulum cum benedictione imponet. Diaconus acceptum a thuriferario thuribulum tradet Episcopo, qui intonabit responsorium *Dirigatur*, quod continuabitur a cantoribus. Episcopus adolebit Altare tribus vicibus, incipiens dextrorsum, servans ordinem demonstratum in Dedicatione ecclesiae cap. XVIII. huius libri num. 104.

63. Thurificatione peracta, Episcopus tradet thuribulum Presbytero, cuius officium adolere Altare. Presbyter iste accipiet thuribulum, osculans manum Episcopi, descendet de Altari et circumiens iugiter circa gradus illius, incensabit Altare

eodem modo, quo in choro incensantur clerici. Episcopus postquam tradiderit thuribulum Presbytero, qui adolebit Altare, stans in medio suppedaneo intonabit antiphonam *Erexit Iacob,* quam prosequentur cantores cum psalmo *Quam dilecta*, cuius in fine repetetur antiphona loco *Gloria Patri.*

64. Intonita supradicta antiphona, Subdiaconus accipiet tabellam cum formula unctionum, quam sustinebit ante Episcopum; Diaconus autem porriget vasculum Olei sacri Catechumenorum: Ministri praedicti tum in ista, tum in unctionibus sequentibus, advertent ut attollant eius fimbrias pluvialis. Episcopus intinget pollicem dexterum in Oleum sacrum Catechumenorum, et ipso efficiet unctiones in medio et in quatuor angulis, eodem ordine, quo fecerit aspersiones. Advertet, ut signet duplicem Crucem, unam ad verbum *Sanctificetur*, alteram ad verbum *Consecretur* ac deinde ut dextra tribus vicibus benedicat ad verba *In nomine Patris* etc. Post unctiones Episcopus pollicem suum gossipio absterget.

65. Dum a cantoribus repetetur antiphona, thuriferarius tradet naviculam Diacono. Presbyter, qui adolebit Altare, obiiciet thuribulum Episcopo, qui ministrante Diacono, demittet incensum in thuribulum. Completo antiphonae cantu, Episcopus a Presbytero, qui adolebit Altare, recipiet thuribulum, et stans in medio altari super suppedaneo, intonabit responsorium *Dirigatur*, quod continuabitur a cantoribus. Interim Episcopus thurificabit Altare semel tantum, incipiens a dextris suis, methodo superius tradita. Post thurificationem restituet thuribulum Presbytero, qui perget, ut ante, adolere Altare.

66. Absoluto cantu responsorii, Diaconus exuet mitram Episcopo, qui stans in medio altaris super suppedaneum cantabit *Oremus* (Ministri *Flectamus genua*) et orationem *Adsit, Domine* etc. Post orationem Episcopus intonabit antiphonam *Mane surgens*, quam prosequentur cantores cum psalmo *Bonum est confiteri Domino,* cuius in fine loco *Gloria Patri* repetetur antiphona. Diaconus mitram reponet Episcopo, qui intincto pollice dextero in Oleum sacrum Catechumenorum, efficiet alteras quinque unctiones super mensam, ordine et methodo supra innuta. Peractis unctionibus, Episcopus pollicem suum gossipio abster-

get. Clericus delectus custodiendis Oleis sacris, reportabit ad abacum Oleum Catechumenorum, accipiet vasculum S. Chrismatis, quod afferet ad altare.

67. Dum a cantoribus repetetur antiphona, Diaconus ministrabit Episcopo incensum; Episcopus imponet illud cum benedictione in thuribulum sibi praesentatum a Presbytero, qui thurificabit Altare. Fine facto canendi antiphonam, Episcopus a praedicto Presbytero accipiet thuribulum, et stans in medio suppedaneo ante Altare, intonabit responsorium *Dirigatur,* quod cantores prosequentur. Episcopus semel tantum incensabit Altare, incipiens a dextris suis, methodo atque ordine supradicto. Postea thuribulum restituet eidem Presbytero vel alteri, qui substituetur ipsi, quique perget, ut ante, adolere Altare.

68. Ut cantatum erit responsorium, Diaconns exuet mitram Episcopo, qui stans in medio Altaris, ut supra cantabit *Oremus* (Ministri *Flectamus genua*) et orationem *Adesto* etc. Postea cantabit alteram orationem *Oremus. Omnipotens* etc. Post orationem alteram ab Episcopo intonabitur antiphona *Unxit te Deus,* quam prosequentur cantores cum psalmo *Eructavit cor meum,* cuius in fine repetetur antiphona, omisso versiculo *Gloria Patri.*

69. Diaconus reponet Episcopo mitram. Episcopus intincto pollice dextero in S. Chrisma, quinque alias unctiones faciet super mensam, in locis et methodo supradictis. Post unctiones Episcopus pollicem suum gossipio absterget ac dum repetetur antiphona a cantoribus, Presbyter thurificator Altaris, praesentabit thuribulum Episcopo.

70. Diaconus ministrabit incensum Episcopo, qui demittet illud in thuribulum. Completo antiphonae cantu, Presbyter supradictus porriget thuribulum Episcopo, qui stans, ut supra, in medio Altaris intonabit responsorium *Dirigatur* et methodo praescripta thurificabit Altare semel tantum, initium autem ducens a sinistris suis. Interim clericus delectus custodiendis Oleis sacris, reportabit ad abacum S. Chrisma, accipiet ampullas S. Oleorum easque afferet ad Altare cum sufficienti quantitate gossipii ad manus Episcopi abstergendas.

71. Cantato responsorio *Dirigatur,* Diaconus exuet mitram Episcopo, qui stans in medio Altaris super suppedaneum can-

tabit *Oremus* (Ministri *Flectamus genua*) et orationem *Descendat, quaesumus, Domine* etc. Postea intonabit antiphonam *Sanctificavit Dominus*, quae continuabitur a cantoribus cum psalmo *Deus noster refugium*, cuius in fine repetetur antiphona eadem, omisso versiculo *Gloria Patri*. Diaconus reponet mitram Episcopo et Ministri advertent ut attollant diligenter fimbrias pluvialis, ne Oleis sacris maculetur.

72. Episcopus utrasque ampullas accipiet manu dextera et effundet Olea sacra in medium mensae et versus quatuor angulos, efficiens quamdam ferme Crucem, quae a medio mensae dirigatur ad angulos. Deponet ampullas, attollet manicam dexteram albae, rocheti et vestis suae, ac si opus fuerit, dimittet etiam annulum. Deinde palma eiusdem manus illiniet et expandet Olea sacra super totam mensam, prius versus partem posteriorem, deinde versus anteriorem, ita ut superficies superior lapidis sit totaliter Oleis sacris inuncta. Tam Episcopus, quam Ministri et ceteri omnes, qui debebunt accedere ad Altare, caveant nimis appropinquare mensae, ne referant vestes Oleis sacris maculatas. Episcopus manum gossipio et mantili etiam ex tela rudi absterget, resumet annulum et perget stare in suppedaneo.

73. Completo cantu psalmi et antiphonae, Episcopus intonabit antiphonam alteram *Ecce odor*, Cantores prosequentur eam in cantu cum psalmo *Fundamenta eius*, cuius in fine non repetetur antiphona, neque cantabitur *Gloria Patri*. Hoc tempore clericus cuius officium custodire Olea sacra, praeparabit incensum, quod ardere debebit super Altare simul cum Crucibus ex gossipio cerato, et vasculum aquae sanctae cum aspersorio.

74. Absoluto cantu psalmi praedicti, Episcopus stans ad Altare cum mitra in capite, cantabit invitationem ad orationem, nempe *Lapidem hunc, fratres carissimi* etc. Postea Episcopus intonabit alteram antiphonam *Aedificavit Moyses*, qua cantata a cantoribus, recitabit pariter cum mitra in capite alteram invitationem ad orationem *Dei Patris omnipotentis* etc.

75. Offeretur Episcopo incensum, super Altari comburendum. Diaconus exuet mitram Episcopo: dimissa mitra Episcopus convertetur ad clericum, qui ante eum sustine-

bit incensum in altari comburendum, ac benedicet illud recitans versiculos *Domine exaudi* etc. *Dominus vobiscum* et orationem *Oremus Domine Deus omnipotens* etc. Post orationem Diaconus porriget cum osculis aspersorium Episcopo, qui asperget incensum antedictum in medio, a sinistris et a dextris suis. Diaconus cum osculis recipiet aspersorium ab Episcopo, quo restituto clerico, reponet ei mitram.

76. Episcopus manu sua ex quinque granis incensi efficiet Crucem quamdam in medio mensae, ubi peregerit unctionem, deinde superponet ei alteram crucem ex gossipio cerato. Hoc ipsum faciet in quatuor angulis, in quibus alteras unctiones confecerit (*a*). Unus aut duo clerici accendent cruces praedictas. Interim a clerico altero in promptu habebitur pulvinar, in quo genuflexurus erit Episcopus.

77. Crucibus cunctis accensis, Episcopus medius inter Ministros descendet ante altare, convertetur ad ipsum et Diaconus exuet ei mitram ac pileolum. Episcopus geniculabit super pulvinar positum in medio gradus infimi cumque ipso geniculabunt adstantes omnes. Episcopus genuflexus intonabit antiphonam *Alleluia. Veni Sancte Spiritus* et continuabitur pausatim a cantoribus. Si tamen Consecratio fieret a Septuagesima ad Pascha, omittetur *Alleluia*.

78. Post cantum antiphonae seu versiculi supradicti Diaconus reponet Episcopo pileolum. Episcopus assurget et sine mitra prosequetur stare ante altare. Adstantes etiam consurgent. Cantores cantabunt antiphonam *Ascendit fumus* et alteram *Stetit Angelus*. Thure accenso super Altari, Presbyter, cuius officium adolere Altare, cessabit a thurificatione.

79. Completo cantu antiphonae, Episcopus stans ante altare, cantabit *Oremus* (Ministri *Flectamus genua*) et orationem *Domine sancte* etc. Deinde immediate cantabit *Oremus* (Ministri *Flectamus genua*) et orationem *Deus omnipotens* cum praefatione tono feriali et manibus apertis.

80. Dum canentur orationes modo dicto cum praefatione, si incensum positum super Altari totaliter arserit, unus vel duo

(*a*) Vide adnotationes subiectas num. 112 et 114 cap. XVIII. libri huius.

clerici spatulis eradent de mensa reliquias cineris et cerae, easque ponent in vase cretaceo, ut deinde in sacrarium infundantur. Episcopus autem nullam interponet moram inter unam alteramque orationem, ut aperte patet ex rubrica.

81. Sub finem praefationis, clericus delectus ad custodienda Olea sacra, accipiet ex abaco lancem cum vasculo S. Chrismatis et aliquantulum gossipii atque consistet prope suppedaneum in latere Epistolae.

82. Praefatione cantata, Diaconus Episcopo reponet mitram. Episcopus cum Ministris ascendet in suppedaneum, intinget pollicem in S. Chrisma, intonabit antiphonam *Confirma hoc Deus*, et nullam aliam proferens formulam, efficiet Crucem in media parte anteriori stipitis. Cantores prosequentur cantare antiphonam cum toto psalmo *Exurgat Deus*. In fine psalmi non repetetur antiphona, sed cantabitur *Gloria Patri* etc. *Sicut erat* etc. Episcopus absterget pollicem gossipio, itemque Diaconus, si opus fuerit, absterget leviter gossipio unctionem supradictam.

83. Episcopus cum Ministris descendet ante Altare et manebit conversus ad ipsum, dum cantabitur psalmus antedictus. Clericus cum vasculo S. Chrismatis manebit prope Altare et accipiet alterum gossipium ad abstergendum pollicem Episcopi in reliquis unctionibus. Completo cantu psalmi, Diaconus exuet mitram Episcopo, qui conversus ad Altare cantabit orationem *Oremus. Maiestatem tuam* etc.

84. Post orationem Diaconus reponet mitram Episcopo, qui medius inter Ministros ascendet ad Altare et appropinquabit cornu posteriori Evangelii, ibique intincto pollice in S. Chrisma, conficiet inter mensam et stipitem unctionem tribus vicibus, seu Crucem triplicem, primam nempe ad verba *In nomine Patris*, alteram *et Filii*, tertiam et *Spiritus Sancti*, non adiungens *Amen*. Hoc ipsum deinde faciet in angulo anteriori lateris eiusdem, postea in utroque latere, posteriori nempe et anteriori Epistolae, eoque modo mensa iungetur stipiti. Post haec Episcopus absterget pollicem gossipio, ac reversus cum Ministris ante Altare, conversus ad ipsum, nudabitur mitra a Diacono. Cantabit orationem *Oremus. Supplices te rogamus* etc. Clericus reportabit S. Chrisma ad abacum; praesto erunt Ministri cum instrumentis lotionis manuum Episcopi, qui praepara-

bunt etiam medullam panis et mali medici: Presbyteri quoque seu clerici Altare abstersuri, stabunt in promptu.

85. Cantata ab Episcopo oratione supradicta, Diaconus reponet mitram Episcopo, qui medius inter Ministros accedet ad faldistorium collocatum in latere Epistolae ante gradus Altaris, ibique sedebit, humeris ad Altare ipsum conversis.

86. Se sistent Episcopo nobiles familiares eius cum urceo et pelvi; iisque ministrantibus aquam, lavabit manus. Ministri explicabunt mantile super genua eius. Diaconus exuet ei annulum, quem deinde, postquam laverit manus, reponet ei cum osculis. Episcopus diligenter lavabit manus easque mundabit ab Oleis sacris cum medulla panis et mali medici.

87. Dum Episcopus lavabit manus, si fuerit in sua dioecesi, adstantes omnes genuflectent, exceptis Praelatis et Canonicis Cathedralis, si aderunt.

88 Presbyteri duo vel clerici sacro ordine constituti, spongiis et gossipio colligent ex Altari Olea sacra, deinde abstergent illud atque exsiccabunt mantilibus e tela rudi non solum in mensa, sed etiam in stipite. Mantilia, spongiae et gossipium reponentur in vase cupreo, ut superius num. 12. In promptu stabit Sacrista cum clericis suis, ornaturus altare. Unus vel duo clerici habebunt ad manus tobaleas, comprehensa tobalea cerata, benedicendas ab Episcopo, et alter clericus vasculum aquae sanctae cum aspersorio.

89. Absterso Altari et ablutis ab Episcopo manibus, se sistent ei clerici afferentes tobaleas benedicendas, easque genuflexi praesentabunt ipsi. Clericus sustinens vasculum aquae sanctae consistet a dextris Diaconi.

90. Diaconus exuet mitram Episcopo, qui assurgens nec conversus ad Altare, benedicet tobaleas, recitans versiculos *Adiutorium nostrum* etc. *Dominus vobiscum* et orationem *Omnipotens et misericors Deus* etc. Qua oratione completa, Diaconus porriget ei cum osculis aspersorium et Episcopus asperget tribus vicibus tobaleas, videlicet in medio, a sinistris et a dextris suis, tum aspersorium Diacono restituet. Diaconus aspersorium tradet clerico, qui reportabit ipsum ad abacum, deinde Episcopo sedenti reponet mitram. Clerici post benedictionem afferent tobaleas ad altare.

91. Episcopus assurget et conversus ad Altare cum mitra in capite, intonabit antiphonam *Circumdate Levitae,* quam cum reliquis responsoriis et cum psalmo cantare prosequentur cantores, donec Altare erit totaliter ornatum.

92. Presbyteri duo exornabunt Altare: primum super mensam sternent tobaleam ceratam, quam firmabunt orbiculis metallicis, deinde superponent ei reliquas duas, ultimo loco superiorem, quae oportet ut contegat latera Altaris usque ad terram. Sacrista autem cum clericis suis conscendent altare, si opus fuerit, ex parte posteriori vel alio modo, non tamen utens Altari ad ascendendum. Ponetur Crux et sex candelabra cum cereis, deinde apponetur. Altaris fronti pallium albi coloris et gradus sternentur tapeto. Quando autem sternetur tapetum super gradus, amovebitur faldistorium et Episcopus recedet a latere. Interim Acolythi accendent cereos Altaris, thuriferarius in promptu stabit cum thuribulo.

93. Altari totaliter exornato et completo cantu antiphonae et responsoriorum, Episcopus rursus sedebit in faldistorio. Thuriferarius praesentabit thuribulum Episcopo, qui incensum, ministrante Diacono, iniiciet in thuribulum cum benedictione. Thure benedicto, thuriferarius cum thuribulo accedet ad latus Epistolae in gradum superiorem.

94. Episcopus accipiet baculum sinistra, assurget de faldistorio et medius inter Ministros veniet ante Altare. Ibi dimittet baculum et Diaconus exuet ei mitram. Episcopus reverentiam, Ministri autem genuflexionem conficient ante Crucem positam super Altari. Ascendet Episcopus ad Altare cum Ministris et Diaconus porriget ei thuribulum cum osculis.

95. Episcopus intonabit antiphonam *Omnis terra,* deinde incensabit super Altare in modum Crucis semel tantum. Cantores interim cantabunt antiphonam modo innutam. Postquam cantata fuerit antiphona, Episcopus secunda vice intonabit antiphonam eamdem efferens vocem hemitonio, et incensabit ut supra. Cantores cantabunt antiphonam eamdem et finito cantu ipsius, Episcopus tertia vice intonabit eam, altero hemitonio efferens vocem, incensabit ut supra, et restituet thuribulum Diacono, Diaconus thuriferario, qui referet illud ad abacum. Completo

tertia vice antiphonae cantu, Episcopus cantabit orationem *Oremus. Descendat* etc. deinde alteram *Oremus. Omnipotens sempiterne Deus* etc. Post orationem subiunget *Dominus vobiscum*, deinde *Benedicamus Domino* eadem vocis inflexione, qua a cantoribus respondebitur *Deo gratias*.

96. Si Episcopus celebrabit Missam lectam, benedictionem donabit in fine Consecrationis; sin autem assistet Missae solemni, donabit illam in fine Missae, in qua observabitur id totum, quod traditum est cap. praec. num. 122.

97. Post benedictionem publicabitur indulgentia, cuius formula est sequens - Reverendissimus in Christo Pater et Dominus, Dominus *N.* Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopus *N.* dat et concedit omnibus Altare hoc visitantibus hodie annum unum et in die anniversaria Consecrationis huiusmodi quadraginta dies de vera indulgentia in forma Ecclesiae consueta. Rogate Deum pro felici statu Sanctissimi Domini Nostri *N.* divina providentia Papae *N.* Dominationis suae Reverendissimae et Sanctae Matris Ecclesiae -. Si Consecrans fuerit Cardinalis servetur quod supra loco citato innutum est.

98. Missa celebrabitur ut indicatur in Missali ad Commune Dedicationis Ecclesiae, cum orationibus propriis.

99. Post Consecrationem observabitur quod traditum est capitulo XVIII. De Ecclesiae Dedicatione, num. 127.

DE CONSECRATIONE PLURIUM ALTARIUM STABILIUM.

CAPUT XX.

1. Quod ad Altarium constructionem stabitur iis quae tradita sunt capituli praecedentis num. 1.

2. Praeparabuntur capsulae plumbae vel argenteae ad re-

ponendas Reliquias in singulis Altaribus, ut num. 2. supra citati capituli. Opus erit distinguere signo aliquo tum opercula sepulcrorum, tum capsulas praedictas, ne oriatur aequivocatio quando utraque reponenda erunt in propriis altaribus; etenim non solum non responderet amplius quod in pergamena clausa notatum est, sed etiam afferret moram actionibus Consecrationis, et posset insuper accidere, ut frangeretur aliquod operculum, quapropter intermittenda esset consecratio unius saltem altaris.

Pro repositione Reliquiarum
pridie vespere peragenda.

3. Praeparabitur quod notatum est num. 3. et seq. superioris capituli.

4. Aderit praeparatum feretrum seu thalamus cum urna ad transferendas S. Reliquias.

5. Distinguentur autem Reliquiae et pergamenae aliqua tessera, ut sine erroris metu reponantur in capsulis iam signatis. Praeparabitur tabulus cerae hispanicae ac sufficiens copia lemnisci ad obsignandas capsulas supradictas.

De rebus praeparandis.
pro Consecratione.

6. Altaria erunt totaliter denudata. In media ecclesia vel alio loco, praesertim in presbyterio altaris maioris, si hoc altare consecrandum esset, praeparabitur abacus maioris formae, contectus alba tobalea, in quo collocandum erit feretrum cum S. Reliquiis; aderunt in ipso quatuor candelabra cum cereis suo tempore accendendis.

7. Praeparabitur faldistorium et scabella duo pro Ministris in media ecclesia et in conspectu Altarium omnium, si fieri poterit, vel a latere Epistolae ante gradus altaris maioris consecrandi.

8. In media ecclesia vel in presbyterio, ut supra, abaci duo maiores disponentur, cooperti tobaleis albis lineis: super

uno illorum praeparabuntur quae opus sunt ad Consecrationem, videlicet aliquantulum salis in lance: aliquantulum cineris in lance: ampulla una vel phiala minoris formae plena vini in pelvicula: conchula aut vas decens plenum aquae: vascula Olei sacri Catechumenorum et S. Chrismatis in lance: ampullae argenteae cum Oleis sacris antedictis copia sufficienti altaribus cunctis, in pelvicula: trulla ab Episcopo utenda ad ponendum in sepulcris caementum: tabellae cum formulis aspersionum, unctionum, Litaniarum etc. pro singulis altaribus, quae tabellae poterunt ad maiorem commoditatem reponi prope unumquodque altare consecrandum: vasculum vacuum ad hauriendam aquam consecratam, quando opus erit: aspergillum ex hyssopo: spatulae ligneae pro singulis altaribus cum scutellis cretaceis: aliquantulum scaliolae tritae, quae satis sit altaribus cunctis, renovandae quotiescumque erit opus, ut docebitur inferius: thuribulum cum navicula plena incensi et cum cochleari: thuribulum substituendum primo pro circumstantiis: opercula sepulcrorum: gossipium solutum quod satis sit; spongiae duae ac manutergia quatuor ex tela rudi pro singulis altaribus: Cruces quinque ex gossipio cerato cum quinque et viginti granis incensi pro singulis altaribus: aliquantulum gossipii cerati ad accendendas Cruces supradictas: urceus cum pelvi: mantilia duo in usum Episcopi in lance: aliquantulum medullae panis et mali medici in lance: vasculum aquae sanctae cum aspersorio: chrismale seu tobalea linea albi coloris cerata pro singulis altaribus, lata et longa ut tota mensa, cum suis ocellis ad ipsam firmandam; quae chrismalia distinguentur signo aliquo: tobaleae cuiusque Altaris in canistro, distinctae, ut supra. Prope abacum in promptu habebitur concha maior cuprea, in qua ponentur quae iniicienda sunt in sacrarium, vel purificanda.

9. In altero abaco contecto, ut supra, disponentur paramenta episcopalia, quae sunt amictus, alba, cingulum, Crux pectoralis, stola et pluviale albi coloris cum formali pretioso, et cooperientur velo albi coloris: mitra auriphrygiata cum velo utendo a ministro: scotula cum candela et Pontificale (pars II.) omnia ea quae opus sunt ad Missam sine cantu celebrandam ab Episcopo, videlicet planeta et manipulus albi coloris: canon

pontificalis: missale cum legili: ampullae vini et aquae in pelvicula: intorticia pro elevatione: tabella cum formula indulgentiae et instrumentum Pacis, si Episcopus alteri Missae intererit. Prope abacum istum ponetur baculus pastoralis.

10. Seorsim ponentur candelabra cum cereis et Cruces cum tapetis cuiusque altaris; focus cum igne ardenti et forcipe; hastae cum gossipio cerato ad accendendas candelas; legile cum pontificali pro cantoribus statuetur in loco convenienti.

11. In Sacello, quo pridie vespere expositae fuerunt S. Reliquiae, praeparentur intorticia aut cerei, utendi in Processione.

Ad Altare SS. Sacramenti.

12. Statuetur genuflexorium cum stato et pulvinis ante Altare, ut cap. IV. lib. V. et quando Episcopus ibi orabit, accendentur cerei in sex candelabris superioribus. Si Sacellum, in quo asservabitur SS. Sacramentum, erit adversum vel proximum altaribus consecrandis, advertetur, ut reponatur in aliud Sacellum remotius.

In Sacrario.

13. Praeparabitur Crux hastilis cum intorticiis duobus. Amictus duo totidemque albae et cingula ac stola una coloris albi pro Diacono et Subdiacono. Quatuor amictus et pari numero albae, cingula ac planetae rubri coloris pro Presbyteris delaturis feretrum cum S. Reliquiis. Superpellicia sufficienti numero pro clericis. Sedes cameralis super exiguo tapeto in usum Episcopi. Vasculum aquae sanctae cum aspersorio, si Episcopus ingredietur in ecclesiam per portam principalem.

14. Comparabitur cera quae opus est ad functionem, videlicet cerei numero sex ponderis proportionalis unicuique Altari consecrando. Intorticia numero octo, singula bilibria, in processione utenda, quae poterunt adhiberi etiam ad elevationem. Intorticia numero duo, singula quinquelibralia pro Cruce. Candela pro scotula. Candelae duae vel etiam numero maiori, accendendae ante S. Reliquias. Gossipium ceratum ad efficiendas Cruces et ad accendendum.

15. Inservientes functioni erunt Diaconus et Subdiaconus; Presbyteri quatuor gestatores thalami S. Reliquiarum; Presbyter unus, superpellicio indutus, thurificaturus altaria; alter substituendus, quando sit necesse; Presbyteri octo, vel clerici etiam incessuri in Processionem; Subdiaconus vel clericus unus ad gestandam Crucem, et Acolythi duo aut clerici pro intorticiis; Cappellanus seu clericus a libro, alter a scotula, tertius a mitra, quartus a baculo; Clericus unus ad sustinendum vasculum aquae sanctae et vascula Oleorum sacrorum; Sacrista cum sufficienti numero clericorum ad ornandum altaria omnia, postquam consecrata fuerint; Lapidarius habitu decenti indutus.

De functione Consecrationis.

16. Hora determinata, Clerus congregabitur in Sacrarium et unusquisque inservientium induet superpelliceum, sacri autem Ministri paramenta superius notata. Quando adventurus ad ecclesiam erit Episcopus, exibunt de Sacrario clerici cum Cruce et intorticiis ardentibus, sequentibus Ministris paratis, et consistent Ministri a lateribus faldistorii, Crux autem cum intorticiis a dextra faldistorii eiusdem, ita tamen ut sint in conspectu Episcopi. Ceteri clerici procedent ad portam ecclesiae, excepturi Episcopum, unus illorum deferet vasculum aquae sanctae cum aspersorio: Superior ecclesiae praesto erit in limine dextrorsum, excepturus Episcopum. Si fuerit Episcopus ordinarius, in eius ingressu ad ecclesiam sonabunt festivo more campanae.

17. Episcopus indutus rocheto et mozzeta excipietur a toto Clero in limine ecclesiae, accipiet aspersorium quod ei praesentabit Superior, asperget seipsum et adstantes, deinde procedet ad SS. Sacramentum adorandum. Nisi fuerit Episcopus dioecesanus, induet mantelletum et mozzetam quoque, supra rochetum, ut cap. IV. lib. V. sed a toto Clero non excipietur. Hoc casu aderit Clerus prope faldistorium cum Ministris, et Episcopo obviam procedent ad portam quatuor aut sex Presbyteri. Superior porriget ei aspersorium, quo Episcopus signabit seipsum tantum.

18. Sin Episcopus intraret in ecclesiam ex Sacrario, exibit

Clerus processionaliter cum Episcopo de Sacrario ipso, servantes ordinem sequentem. Praeibit Crux inter duos Acolythos, gestantes intorticia ardentia, ceteri clerici bini sequentur Crucem, dignioribus propius Episcopum incedentibus, ultimo loco Episcopus medius inter Ministros paratos. Episcopus cum Ministris accedet ad faldistorium et sedebit cooperiens caput bireto. Si faldistorium erit a latere altaris, ut supra dictum est, convertet humeros ad altare ipsum; sin erit in media ecclesia, convertet humeros ad portam ecclesiae, vel iuxta positionem faldistorii, convertet faciem ad altaria. Distribuentur statim paramenta clericis, allaturis illa ad Episcopum et in promptu erunt etiam Ministri lotionis. Sedenti brevi tempore Episcopo se sistent Cappellani cum Pontificali et scotula. Episcopus nudabit caput sibi ipse, assurget et non conversus ad altare (si faldistorium erit prope altare aliquod) recitabit elata voce sed sine cantu antiphonam totam *Ne reminiscaris* etc. prosequentibus recitare psalmos Clero et cantoribus, pausatim scilicet et sine cantu.

19. Lecta antiphona, sedebit Episcopus et a Diacono exuetur Cruce pectorali, mozzeta vel mantelleto. Episcopus sibi ipse caput cooperiet bireto. Familiares nobiles, et iis absentibus, clerici duo porrigent ei lotionem et lavabit manus. Ad actionem istam, si fuerit Episcopus ordinarius, geniculabunt omnes, exceptis Praelatis et Canonicis Cathedralis, si aderunt. Deinde Episcopus sibi exuet biretum et a Ministris parabitur amictu, alba, cingulo, Cruce pectorali, stola et pluviali, cui apponetur formale pretiosum. A Diacono cooperietur mitra, dein accipiet sinistra baculum pastoralem.

20. Parato Episcopo, Ministri sedebunt scabellis positis a lateribus faldistorii et caput bireto cooperient. Se sistent ei rursus clerici cum libro et scotula: ipse simul cum Ministris recitabunt psalmos cum Clero (*a*). Psalmis ex toto recitatis, repetetur, ut ante, ab uno Episcopo sedente integra antiphona ***Ne reminiscaris.*** etc.

(*a*) Vide adnotationem subiectam num. 51. cap. XVIII. praeced.

21. Assurget Episcopus, ac si erit in media ecclesia, non se movebit de loco suo, secus veniet ante altare, in quo aderit faldistorium, dimittet baculum pastoralem et a Diacono exuetur mitra., Episcopus intonabit antiphonam *Adesto Deus,* quam prosequentur cantores. Interim statuetur faldistorium ante Episcopum ac tollentur scabella Ministrorum. Completo antiphonae cantu, Episcopus cantabit orationem *Oremus. Actiones nostras* etc.

22. Post orationem Diaconus reponet mitram Episcopo, qui genua flectet in faldistorio et cum ipso geniculabunt adstantes omnes. Cantores duo, qui genuflexi erunt prope Episcopum, cantabunt Litanias, quibus respondebunt adstantes. Advertent, ut in Litaniis bis invocent respectivo ordine Sanctos illos, quorum nomini dedicantur Altaria, et Sanctos Martyres, quorum Reliquiae in Altaribus ipsis reponentur. Sub finem Litaniarum praesto erunt Cappellani seu clerici cum baculo pastorali, cum libro et scotula. Cantato ℣. *Ut omnibus fidelibus defunctis,* assurget Episcopus cum Ministris, et accepto sinistra baculo, conversus ad Altaria consecranda, benedicet illa tribus vicibus ut in Pontificali, cantans eodem tono *Ut Altaria haec* etc. Absoluta benedictione praedicta, Episcopus dimittet baculum pastoralem, genuflectet iterum cum Ministris et cantores prosequentur Litanias a ℣. *Ut nos exaudire digneris* etc. easque complebunt.

23. Cantatis Litaniis assurget Episcopus de prostratione et cum eo consurgent ceteri omnes. Amovebitur faldistorium, ac si Episcopus aderit in media ecclesia, vel ante altare primarium, approximabit aliquantulum ad altare istum. Diaconus Episcopo exuet mitram. Episcopus geniculabit super pulvinum et cantabit *Deus in adiutorium meum intende,* cantores respondebunt *Domine ad adiuvandum* etc. Assurget Episcopus, cantabit *Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto,* cantores respondebunt *Sicut erat* etc. omisso *Alleluia.* Hoc faciet secunda ac tertia vice, efferens vocem hemitonio singulis vicibus.

24. Diaconus mitra cooperiet Episcopum, qui accedet ad abacum consecraturus aquam, ac si abacus distaret a loco quo erit Episcopus, praecedet eum Crux cum intorticiis, quae con-


sistet prope abacum in conspectu Episcopi. Ibi Episcopus mitram capite gestans exorcizabit salem. Mitra nudatus a Diacono, benedicet salem. Rursus induetur mitra a Diacono et exorcizabit aquam. Nudatus mitra ut supra, benedicet aquam. Postea benedicet cinerem. Benedicto cinere dextra accipiet pugillum salis et dicens *Commixtio* etc. imponet illum tribus vicibus super cinerem in modum Crucis ad illa verba *In nomine Patris* etc. Eadem manu miscebit cinerem cum sale et accepto pugillo eiusdem commixtionis ter demittet eam in aquam ad instar Crucis, dum dicet *In nomine Patris* etc. cavens ne manum aqua madefaciat, dum imponet mixtionem praedictam. Si opus erit, absterget manum mantili, quod ei porriget Diaconus. Post haec benedicet vinum, quo benedicto, accipiet a Diacono ampullam seu phialam et dicens *Commixtio* etc. infundet vinum tribus vicibus ad instar Crucis in aquam ad verba *In nomine Patris* etc. Prosequetur deinde alteram orationem *Omnipotens sempiterne Deus, creator* etc. Tum in exorcismis, tum in orationibus supra notatis, si recitabit ea ex titulo Consecrationis ecclesiae, advertet Episcopus ut omittat verbum *Ecclesiae* et dicat pluraliter *horum Altarium*.

25. Sub finem orationis supradictae clericus unus accipiet vasculum vacuum, quod implebit aqua consecrata; accipiet etiam ex abaco mantile utendum ab Episcopo et utrumque in promptu habebit prope suppedaneum altaris primi, in quo fiet aspersio.

26. Crux cum intorticiis tum in actione sequenti, tum in reliquis praecedet semper Episcopum successive euntem ad Altaria et consistet prope latus Evangelii. Quando autem Episcopus recitabit orationes super altaria omnia, stabit prope Episcopum sive a sinistris, sive a dextris eius, in illa scilicet parte, qua procedet Episcopus, prosecuturus singulas actiones super altare unumquodque.

27. Episcopus, consecrata aqua, cooperietur mitra a Diacono, accedet ad primum altare et ascendet in suppedaneum. Ibi intonabit antiphonam *Introibo,* quam prosequentur cantores cum psalmo *Iudica me Deus* etc. Intonita antiphona, intinget pollicem dexterum in aquam consecratam eodemque pollice signabit Crucem in media mensa dicens *Sanctificetur* etc. ac tribus

vicibus benedicet Altare ad verba *In nomine Patris* etc. Diaconus poterit ei porrigere vasculum cum aqua consecrata, et Subdiaconus sustinebit ei tabellam cum formula aspersionis. Aspersio prima fiet, ut superius, in medio mensae, altera in angulo posteriori cornu Evangelii, tertia in angulo anteriori cornu Epistolae, quarta in angulo anteriori cornu Evangelii, quinta in angulo posteriori cornu Epistolae, ut in subiecto schemate.



Episcopus absterget pollicem mantili, quod ei porriget Diaconus. Tum descendet de altari, in quo confecerit aspersiones, et antecedente Cruce cum intorticiis, medius inter Ministros, incedente a dextris Diaconi clerico cum vasculo aquae consecratae, accedet ad Altare secundum, in quo peraget easdem aspersiones, quas confecerit super primum. Quo facto, procedet ad tertium altare, deinde ad quartum et sic deinceps ad reliqua Altaria, quae consecranda erunt.

28. Peractis super omnia Altaria aspersionibus, Episcopus consistet in media ecclesia, ubi situm erit faldistorium, vel in presbyterio altaris maioris (quum hoc dependeat a situ altarium). Completo cantu psalmi et repetita in cantu antiphona supradicta, Diaconus exuet mitram Episcopo, qui cantabit *Oremus* (Ministri *Flectamus genua*) et pluraliter subiunget orationem *Singulare illud propitiatorium* etc. Hoc tempore clericus, cuius offi-

cium deferre vasculum aquae consecratae, infundet in vasculum alteram aquam et ex abaco accipiet etiam aspergillum ex hyssopo.

29. Post orationem Episcopus rursus cooperietur mitra a Diacono, et simul cum Cruce et Ministris, ut supra, redibit et ascendet ad Altare primum. Conscenso altari, intonabit antiphonam *Asperges me.* Diaconus porriget ei aspergillum ex hyssopo, iam perfusum aqua consecrata. Episcopus circumibit altare aspergens stipitem et mensam servatis iis, quae tradita sunt in Dedicatione ecclesiae cap. XVIII., num. 82. Advertent cantores, ut pausatim cantent versiculos psalmi *Miserere* post antiphonam, idque etiam in aspersionibus reliquis. Absoluta primi Altaris aspersione, Episcopus tradet aspersorium Diacono, eodemque ordine ac supra procedet et ascendet ad secundum altare, quod asperget ut primum, et sic deinceps reliqua. Post aspersionem altarium omnium, revertetur ad primum, et conscenso suppedaneo, rursus intonabit antiphonam *Asperges me* et secundam aspersionem peraget in altari primo, deinde in secundo, tum in tertio et reliquis. Clericus custos vasculi aquae benedictae, infundet alteram aquam consecratam in vasculum, quando opus erit. Hoc fiet aliis quinque vicibus, quae additae duabus praecedentibus efficient numerum septem, quot esse debent aspersiones super Altaria.

30. Durante aspersione septima, in promptu habebitur caementum benedicendum; accendentur cerei super abacum, in quo collocabitur feretrum cum S. Reliquiis; in Sacrario se parabunt planeta rubri coloris quatuor Presbyteri, delaturi thalamum praedictum, qui postea accedent ad Sacellum, in quo expositae aderunt S. Reliquiae; in eodem Sacello ad manus erunt intorticia vel cerei ardentes, distribuendi Clero et aderit etiam thuriferarius cum thuribulo.

31. Peractis septem aspersionibus super singula altaria, subsistet Episcopus in media ecclesia, vel in presbyterio altaris maioris. Diaconus exuet mitram Episcopo, qui cantabit versiculos *Domine exaudi* etc. et orationem *Oremus. Deus, qui visibilium* etc. pluraliter. Hac oratione cantata, se sistet Episcopo clericus, qui sustinebit lancem cum scaliola benedicenda. Episcopus sine mitra recitabit orationem super caementum, videlicet *Dominus vobis-*

cum. Oremus. Summe Deus etc. Post haec clericus aliquis effundet ex vasculo aliquantulum aquae consecratae ad basim stipitis uniuscuiusque altaris, servata aqua eadem ad renovandum caementum, ut docebitur inferius.

32. Episcopus a Diacono iterum cooperietur mitra, et baculo pastorali sinistra accepto, procedet cum Clero ad Sacellum, in quo aderunt expositae S. Reliquiae. Anteibit Crux cum intorticiis; sequentur cantores qui secum habebunt Pontificale ad cantandas antiphonas in processione; post cantores ibunt clerici bini, incedentibus dignioribus propius Episcopum; tum Episcopus medius inter Ministros, qui si fuerit Ordinarius, populum benedicet dextera; post Episcopum duo Cappellani a mitra et baculo, deinde reliqui duo a libro et scotula, qui deferent Pontificale et scotulam, ultimo loco familiares nobiles Episcopi, si aderunt.

33. Ubi processio pervenerit ante ingressum Sacelli, in quo erunt expositae S. Reliquiae, Crux subsistet prope ingressum eumdem a sinistris Episcopi, Clerus ordinabitur in semicirculum extra Sacellum et Episcopus consistet medius inter Clerum. Diaconus exuet mitram Episcopo, qui cantabit *Oremus* (Ministri *Flectamus genua*) et orationem *Aufer a nobis* etc. Post orationem Diaconus reponet mitram Episcopo, qui recipiet baculum sinistra. Crux cum intorticiis ingredietur in Sacellum et consistet prope ingressum, Clerus disponetur in ordinem intra Sacellum et distribuetur unicuique intorticium vel cereus ardens. Episcopus cum Ministris subsistet ante Reliquias, ubi iam aderit thuriferarius cum thuribulo et navicula ac Presbyteri induti planeta translaturi feretrum.

34. Episcopus ante Reliquias ut venerit, dimittet baculum pastoralem et exuetur mitra a Diacono. Episcopus cantabit orationem *Oremus. Fac nos quaesumus* etc. Cantata oratione, thuriferarius praesentabit thuribulum Episcopo. Diaconus incensum ministrabit Episcopo, qui imponet illud in thuribulum cum benedictione.

35. Post haec Episcopus intonabit antiphonam *Cum iucunditate*, quam prosequentur cantores simul cum altera *Surgite, Sancti Dei* etc. Diaconus reponet mitram Episcopo, qui recipiet ba-

culum sinistra. Ordinabitur processio quae dirigetur versus altaria, vel ad medium ecclesiae vel etiam ad presbyterium. Praecedet Crux cum intorticiis; cantores, qui cantabunt antiphonas supra dictas; clerici bini cum intorticiis ardentibus, dignioribus prope Reliquias incedentibus; thuriferarius qui leviter agitans thuribulum, adolebit S. Reliquias; quatuor Presbyteri, qui humeris supportabunt thalamum seu feretrum S. Reliquiarum; Episcopus medius inter Ministros, ac si deget in dioecesi sua, non benedicet adstantes; Cappellani a mitra et baculo; reliqui duo a libro et a scotula; familiares nobiles Episcopi.

36. Quum processio pervenerit ad medium ecclesiae vel in Presbyterium, Crux cum intorticiis consistet a latere Evangelii sive a sinistra faldistorii: cantores accedent ad legile; Clerus ordinabitur in semicirculum circa abacum, stantibus prope Episcopum dignioribus; thuriferarius a latere abaci, Presbyteri collocabunt thalamum super abacum et consistent prope ipsum a lateribus, advertentes ut paullulum conversi sint ad Reliquias; Episcopus cum Ministris consistet in media ecclesia vel in medio presbyterio. Ibi Episcopus, absoluto cantu antiphonarum, intonabit antiphonam *Exultabunt*, quam prosequentur cantores cum psalmis *Cantate Domino canticum novum* et *Laudate Dominum in Sanctis eius*, quorum in fine omittetur *Gloria Patri* et repetetur antiphona. Interim ab uno pluribusve clericis in promptu habebitur vasculum S. Chrismatis in lance cum aliquantulo gossipio, trulla utenda ab Episcopo, caementum benedictum et operculum parvi sepulcri.

37. Dum repetetur antiphona, Episcopus cum Ministris ascendet ad primum altare; Crux stabit prope altare, ut supra, ac thuriferarius accedet ad altare prope latus Epistolae. Post cantum, Diaconus exuet mitram Episcopo, qui cantabit orationem *Oremus. Deus, qui in omni loco* etc. Oratione cantata, Diaconus mitram reponet Episcopo, qui intincto pollice in S. Chrisma, unctionem peraget in quatuor angulis internis sepulcri, recitans in singulis unctionibus formulam praescriptam, advertens ut faciat duas unctiones sive Cruces pollice, unam videlicet ad verbum *Consecretur* et alteram ad verbum *Sanctificetur*, atque ut dextra benedicat tribus vicibus, dum dicet *In nomine Patris* etc.

Diaconus ad maiorem commoditatem poterit sustinere vasculum S. Chrismatis. Post unctiones Episcopus absterget pollicem gossipio, deinde mitra exuetur a Diacono.

38. Interea quatuor supradicti Presbyteri accipient feretrum cum Reliquiis et admovebunt illud ad Altare. Clerici cum intorticiis accedent ad latera feretri. Episcopus cum Ministris non descendentes de suppedaneo, convertentur versus feretrum. Diaconus aperiet urnam et Episcopus extrahet capsulam, quae continebit Reliquias reponendas in primo altari. Diaconus iterum claudet urnam praedictam.

39. Episcopus convertetur ad altare: Presbyteri cum feretro et clerici cum intorticiis redibunt quo loco erant antea: duo tantum clerici cum intorticiis ardentibus manebunt apud altare. Episcopus conversus ad altare intonabit antiphonam *Sub altare Dei* quam prosequentur cantores, et capsulam Reliquiarum statim reponet in parvo sepulcro. Thuriferarius ascendet ad altare et Diaconus ministrabit incensum Episcopo, qui dimittet illud in thuribulum cum benedictione. Diaconus thuribulum porriget Episcopo, qui facta simul cum Ministris ad S. Reliquias reverentia profunda, thurificabit illas triplici ductu atque iterata reverentia, thuribulum Diacono restituet. Diaconus, postquam thuribulum reddiderit thuriferario, reponet mitram Episcopo, qui sinistra accepto operculo sepulcri et intiucto pollice dextero in S. Chrima, unctionem faciet in parte inferiori sive interna, efficiens pollice duas unctiones seu Cruces, primam nempe ad verbum *Consecretur*, alteram ad verba *Sanctificetur hic lapis*, deinde dextera benedicet illud tribus vicibus, dum dicet *In nomine Patris* etc. Post unctionem Episcopus ponet operculum praedictum super Altare, non vero super sepulcrum, et pollicem dexterum gossipio absterget. Accipiet trullam cum caemento et diligenter ponet illud circa labrum (vulgo *battente*) sepulcri, advertens ne ponat super capsulam Reliquiarum. In actione ista poterit Episcopus coadiuvari a lapidario.

40. Completo cantu antiphonae supra dictae, Episcopus utraque manu accipiet operculum sepulcri, intonabit *Sub altare Dei* et claustrum imponet super sepulcrum. Interim antiphona ista cantabitur a cantoribus, ac si opus fuerit, etiam altera *Corpora*

Sanctorum etc. Episcopus claudet sepulcrum et in eo firmabit operculum, advertente lapidario, ut sit bene clausum et obturatum in commissuris, utque aequet planum mensae, neque dimoveri amplius possit, nisi frangatur. Clauso sepulcro, duo clerici qui aderant cum intorticiis prope Altare, coibunt cum ceteris iuxta feretrum. Postquam a lapidario obturatum erit sepulcrum, ope spongiae vel mantilis ex tela rudi altare mundabitur a gypso, quod forte posset superesse, et praeparabitur alterum caementum, adhibendum in reliquis altaribus, claustrum altaris secundi, trulla utenda ab Episcopo, altera spongia et alterum mantile.

41. Fine facto cantandi antiphonam, Diaconus exuet mitram Episcopo, qui cantabit orationem *Oremus. Deus qui ex omnium* etc. Post orationem Diaconus reponet mitram Episcopo, qui pollice in S. Chrisma intincto, inunget Altare, dicens *Signetur et sanctificetur* etc. Duplicem crucem pollice efficiet, unam ad verbum *Signetur*, alteram ad *Sanctificetur*, deinde tribus vicibus benedicet dextra, quando dicet *In nomine Patris* etc. Advertet etiam, ut faciat praedictam unctionem ita, ut iungat mensam sepulcro, scilicet extendenda est unctio ultra lapidem, qui claudit sepulcrum. Post unctionem Episcopus absterget pollicem gossipio.

42. Episcopus medius inter Ministros descendet de Altari et praecedente clerico cum S. Chrismate, ac thuriferario et Cruce cum intorticiis, sequentibus Cappellanis cum libro et scotula aliisque a mitra et baculo, procedet ad Altare secundum, ibique conscenso suppedaneo ac dimissa mitra, iterabit omnes supra descriptas actiones, incipiens ab oratione *Deus qui in omni loco* etc. nempe a num. 37. ad 42. inclusive. In ultimo tantum altari, acceptis ex thalamo Reliquiis, clerici duo accipient thalamum ipsum, quem portabunt in Sacrarium; clerici omnes cum intorticiis manebunt circum altare, et quum clausum erit sepulcrum, extinguentur intorticia, quae a clericis duobus referentur in Sacrarium, quo recedent etiam praedicti quatuor Presbyteri ad sacra paramenta dimittenda.

43. Post haec Episcopus, antecedente thuriferario et Cruce cum intorticiis, redibit ad Altare primum et ascendet in sup-

pedaneum. Thuriferarius praesentabit Episcopo thuribulum et Diaconus ei cum osculis ministrabit incensum. Episcopus incensum demittet in thuribulum, benedicens illud cum formula *Ab illo benedicaris* etc. adiungens *in nomine Patris* ✠ *et Filii* ✠ *et Spiritus* ✠ *Sancti*, idque faciet deinceps, quotiescumque incensum in thuribulum imponet.

44. Diaconus exuet mitram Episcopo, eique porriget thuribulum. Episcopus intonabit antiphonam *Stetit Angelus*, quam pausatim cantores prosequentur, Diaconus reponet mitram Episcopo, qui adolebit altare undique ad dexterum et sinistrum latus, ante et desuper. His peractis, Episcopus non deponens thuribulum descendet de primo altari et procedet ad secundum, quod incensabit eodem modo ac primum, atque ita porro de reliquis.

45. Ultimo altari thurificato, tradet thuribulum Diacono, hic thuriferario et redibit in medium ecclesiae sive presbyterii: Diaconus mitram exuet Episcopo, qui pluraliter cantabit orationem *Oremus. Dirigatur oratio nostra* etc. Diaconus reponet mitram Episcopo, qui accedet ad faldistorium et sedebit ut in functionis initio.

46. Sedente faldistorio Episcopo, a Presbyteris superpellicio indutis vel a clericis sacro ordine constitutis, Altaria abstergentur spongiis et mantilibus ex tela rudi, exsiccando aquam consecratam, quae supererit post aspersiones tum super mensam, tum in stipite. Spongiae et mantilia madefacta ponentur in concha cuprea, ut deinde laventur et lotio illorum infundatur in Sacrarium. Gossipium autem quod erit perfusum Oleis sacris tam in abstergendo pollice Episcopi, quam in abstergendis Altaribus, ut infra, comburetur eiusque cineres deiicientur in Sacrarium. Interim prope ultimum altare aderit Presbyter superpellicio indutus, thurificaturus altaria. Apud altare primum praesto erit clericus cum vasculo Olei sacri Catechumenorum in lance et cum gossipio, quo Episcopus absterget pollicem.

47. Abstersis altaribus, thuriferarius se sistet Episcopo eique offeret thuribulum. Diaconus ministrabit incensum Episcopo, qui imponet illud in thuribulum cum benedictione,

utens formula qua superius. Assurget Episcopus de faldistorio et medius inter Ministros accedet ad primum Altare.

48. Ut Episcopus cum Ministris ascenderit in suppedaneum, Diaconus subministrabit ei thuribulum, et nullam proferens formulam, incensabit ad instar Crucis super mensam in medio et in quatuor angulis eodem ordine, quo peregerit aspersiones pollice, videlicet in medio mensae, in angulo posteriori cornu Evangelii, in angulo anteriori cornu Epistolae, in angulo anteriori cornu Evangelii et in angulo posteriori cornu Epistolae. Postea retinens manu thuribulum, descendet Episcopus de Altari et incensabit super reliqua Altaria, ut incensaverit super primum.

49. Thurificato ultimo altari, Episcopus tradet thuribulum Diacono et redibit ad primum Altare. Diaconus thuribulum restituet thuriferario. Conscenso suppedaneo primi Altaris cum Ministris ab Episcopo, thuriferarius rursus praesentabit ei thuribulum. Diaconus ministrabit incensum Episcopo, qui reponet illud in thuribulum cum benedictione.

50. Diaconus thuribulum acceptum a thuriferario porriget Episcopo, qui intonabit responsorium *Dirigatur*, quod continuabitur a cantoribus. Episcopus ter incensabit primum Altare initium faciens a dextra, eodem ordine quo praescriptum fuit in Dedicatione ecclesiae cap. XVIII. num. 104. Peracta primi Altaris thurificatione, Episcopus retinens adhuc thuribulum, procedet ad Altare secundum quod adolebit ut primum, deinceps ad reliqua gradum faciet eodemque modo thurificabit. Ultimo Altari thurificato, Episcopus tradet thuribulum presbytero, cuius officium erit thurificare Altare. Presbyter thuribulum recipiet osculans manum Episcopi, et sequetur ipsum.

51. Episcopus, tradito thuribulo, ut supra, de altari descendet, redibit ad Altare primum, et conscenso suppedaneo, intonabit antiphonam *Erexit Iacob*, quam prosequentur cantores cum psalmo *Quam dilecta* et in fine psalmi repetetur Antiphona, omisso *Gloria Patri*. Antiphona ab Episcopo intonita, Presbyter qui cum thuribulo secutus erit Episcopum, statim incipiet thurificare Altare primum et prosequetur ipsum adolere, donec ibi aderit Episcopus. Euntem deinde Episcopum ad Altare

secundum Presbyter sequetur eum et adolebit secundum Altare toto unctionum tempore, atque ita fiet in tertio, in quarto et reliquis. Intonita, ut supra, antiphona, Episcopus intinget pollicem dexterum in Oleum sacrum Catechumenorum et ipso peraget unctiones in medio et in quatuor angulis, sequens ordinem servatum in aspersionibus pollice confectis. Advertet ut pollice duas unctiones seu Cruces efficiat, unam ad verbum *Sanctificetur*, alteram ad verbum *Consecretur* utque benedicat dextra tribus vicibus ad verba *In nomine Patris* etc.

52. Unctionibus in primo altari peractis, Episcopus pollicem absterget gossipio postmodum procedet ad Altare secundum, in quo peraget unctiones ut in primo atque ita porro. Clericus cum vasculo Olei sacri Catechumenorum coibit cum Episcopo itemque Presbyter, qui fungetur officio thurificandi altaris modo superius descripto.

53. Absolutis super omnia Altaria unctionibus, Episcopus redibit ad Altare primum et ascendet in suppedaneum. Quando repetetur antiphona post psalmum, Presbyter thurificator Altarium, obiiciet thuribulum Episcopo cui Diaconus ministrabit incensum. Episcopus incensum cum benedictione in thuribulum imponet eique Presbyter praedictus, osculans manum eius, porriget thuribulum.

54. Episcopus intonabit responsorium *Dirigatur*, quod continuabitur a cantoribus, et immediate thurificabit primum altare semel tantum, initium ducens a dextris suis, methodo superius innuta. Thurificato primo altari, Episcopus manu sustinens thuribulum, procedet ad secundum Altare, quod incensabit sicut primum, eodemque modo tertium, quartum et reliqua si aderunt. Presbyter thurificator altarium sequetur Episcopum.

55. Incensato ultimo altari, Episcopus thuribulum tradet Presbytero, postea redibit in medium ecclesiae vel in presbyterium. Ibi, quum completus erit cantus supradicti responsorii, Diaconus exuet ei mitram. Episcopus cantabit *Oremus* (Ministri *Flectamus genua*) et subiunget plurali numero orationem *Adsit, Domine* etc.

56. Post orationem Diaconus reponet mitram Episcopo,

qui ascendet ad primum Altare et intonabit antiphonam *Mane surgens*, quam continuabunt cantores cum psalmo *Bonum est confiteri* etc. cuius in fine repetetur antiphona eadem loco *Gloria Patri*. Episcopus pollicem intinget in Oleum sacrum Catechumenorum et quinque alias unctiones efficiet super mensam primi altaris, ordine et modo supra descripto.

57. Peractis unctionibus super primum Altare, absterget pollicem gossipio, descendet cum Ministris de Altari, procedet ad altare secundum et super ipsum peraget unctiones, ut in primo, ac deinceps in reliquis. Postquam unctiones super omnia altaria confecerit, redibit ad primum Altare et ascendet in suppedaneum.

58. Quando repetetur post psalmum antiphona, Episcopus incensum, ministrante Diacono, imponet cum benedictione in thuribulum, quod ei praesentabit Presbyter, cuius officium adolere altaria. Completo cantu antiphonae praedictae, Presbyter thurificator altarium porriget Episcopo thuribulum.

59. Episcopus intonabit responsorium *Dirigatur*, quod continuabitur a cantoribus, et incensabit Altare primum una tantum vice, incipiens a dextris eodem modo ac supra. Thurificato primo altari, descendet ac transibit ad secundum quod, conscenso suppedaneo, thurificabit ut primum et sic de reliquis. Interim clericus delectus custodiendis Oleis sacris, relinquet super abacum vasculum Olei sacri Catechumenorum, accipiet alterum cum S. Chrismate et praesto erit apud primum altare pro reliquis unctionibus.

60. Absoluta thurificatione super ultimum Altare, Episcopus thuribulum tradet Presbytero, qui adolebit altaria, et reveniet in medium ecclesiae vel in presbyterium. Quando ibi aderit Episcopus et absolutus erit cantus responsorii, Diaconus exuet ei mitram. Episcopus cantabit *Oremus* (Ministri *Flectamus genua*) et pluraliter orationem *Adesto* etc. Deinde cantabit etiam pluraliter orationem *Oremus. Omnipotens* etc.

61. Post duplicem orationem Diaconus reponet mitram Episcopo, qui ascendet in suppedaneum primi Altaris et intonabit antiphonam *Unxit te Deus*, quam prosequentur cantores cum psalmo *Eructavit*, cuius in fine omittetur *Gloria Patri* et

repetetur antiphona. Intonita antiphona, Episcopus efficiet quinque unctiones cum S. Chrismate super mensam, ordine et methodo superius descriptis, quibus completis, absterget pollicem gossipio.

62. Descendet deinde Episcopus de Altari primo et transibit ad Altare secundum, ubi peraget unctiones, ut supra, idemque exsequetur in reliquis Altaribus. Unctionibus super omnia Altaria peractis, revertetur ad primum Altare et ascendet in suppedaneum.

63. Quando a cantoribus repetetur antiphona, Presbyter thurificator Altarium, praesentabit Episcopo thuribulum, in quod imponet cum benedictione incensum, ministrante ipsum Diacono. Completo cantu antiphonae, Presbyter antedictus porriget Episcopo thuribulum.

64. Episcopus intonabit responsorium *Dirigatur*, quod prosequentur cantores et semel tantum thurificabit Altare eodem ordine ac supra, incipiens thurificare a sinistris. Interim clericus custos Oleorum sacrorum, deponet super abacum vasculum S. Chrismatis et accipiet ampullas cum Oleis sacris, quas in promptu habebit prope primum Altare; clericus alter afferet sufficientem copiam gossipii ad abstergendam manum Episcopi. Post thurificationem ultimi Altaris, Episcopus tradet thuribulum Presbytero, qui adolebat Altaria, et redibit in medium ecclesiae vel in presbyterium. Cantato responsorio *Dirigatur*, Diaconus exuet mitram Episcopo, qui cantabit *Oremus* (Ministri *Flectamus genua*) et orationem *Descendat, quaesumus Domine* etc. plurali numero.

65. Diaconus post orationes reponet mitram Episcopo, qui redibit ad primum Altare et conscenso suppedaneo intonabit antiphonam *Sanctificavit Dominus* etc. Cantores prosequentur antiphonam praedictam cum psalmo *Deus noster refugium* cuius in fine repetetur antiphona omisso *Gloria Patri*. Ministri in unctione, quam efficiet Episcopus, advertent ut attollant diligenter pluviale Episcopi, ne inquinetur oleo. Episcopus accipiet binas ampullas manu dextera et effundet Olea sacra in medium mensae, deinde versus quatuor angulos, efficiens quamdam ferme Crucem, quae ex centro dirigatur ad quatuor angulos. Deponet

dein ampullas, sibi attollet manicam dexteram albae, rocheti et vestis ac dimittet etiam annulum, si opus fuerit. Tum dextra expandet et illiniet Olea sacra super totam mensam, prius versus partem posteriorem, postea versus anteriorem, ita ut sacris Oleis sit totaliter inuncta. Episcopus, Ministri ceterique inservientes, qui accedere debent ad altare, cavebunt ne nimis appropinquent mensae illius, siquidem venirent in periculum Oleis maculandi vestes sacras.

66. Episcopus aliquantulo gossipio absterget manum, deinde transibit ad secundum altare, in quo sparget Olea sacra, ut in primo, totamque mensam inunget, idem deinceps faciet in reliquis omnibus. Quum Episcopus sparserit Olea sacra super omnia Altaria, absterget diligenter manum gossipio et mantili ex tela rudi, recipiet annulum et redibit in medium ecclesiae vel in presbyterium.

67. Presbyter cuius officium adolere altaria, prosequetur ea successive thurificare, donec accensum erit thus super Altaribus.

68. Completo cantu psalmi et repetita antiphona, Episcopus intonabit antiphonam alteram *Ecce odor,* quam continuabunt cantores cum psalmo *Fundamenta eius.* In fine psalmi huius omittetur *Gloria Patri* nec repetetur antiphona. Hoc tempore a clerico aliquo praeparabitur incensum, quod ardebit in altari, et vasculum aquae sanctae cum aspersorio.

69. Post cantum psalmi praedicti, Episcopus retinens capite mitram cantabit invitationem ad orationem pluraliter *Lapides hos, fratres carissimi, in quibus* etc. Postmodum intonabit alteram antiphonam *Aedificavit Moyses,* quae postquam a cantoribus cantata fuerit, recitabit, pariter cum mitra in capite, alteram invitationem ad orationem pluraliter *Dei Patris omnipotentis* etc.

70. Clericus unus offeret Episcopo incensum benedicendum. Diaconus exuet mitram Episcopo, qui benedicet incensum recitans versiculos *Domine exaudi,* etc. *Dominus vobiscum* et orationem *Oremus. Domine Deus omnipotens* etc. Post orationem Diaconus porriget aspersorium Episcopo, qui incensum praedictum asperget in medio, a sinistris et a dextris suis. Diaconus postquam receperit aspersorium ab Episcopo, et restituerit clerico,

reponet mitram Episcopo. Clericus, qui deferet grana thuris benedicti et Cruces ex gossipio cerato, in actione ista adstabit Diacono dextrorsum.

71. Episcopus ascendet ad primum Altare et manu sua ex quinque granis incensi efficiet quamdam Crucem in media mensa et extra claustrum parvi sepulcri, quo ipso loco confecerit unctiones ac super istam Crucem incensi imponet Crucem ex gossipio cerato. Hoc ipsum faciet super quatuor angulos, in quibus peregerit unctiones. Descendet Episcopus de primo altari, accedet ad secundum et efficiet in eis cruces incensi superponens cruces gossipii cerati, ut in primo, itemque deinceps in reliquis. Interea clericus unus accendet praedictas Cruces ex gossipio cerato.

72. Quando Episcopus confecerit cruces supradictas in altaribus cunctis redibit in medium ecclesiae vel in presbyterium, et Diaconus exuet ei mitram et pileolum. Episcopus geniculabit super pulvinum et cum ipso in genua procumbent adstantes omnes. Episcopus intonabit genuflexus ℣. *Alleluia. Veni, Sancte Spiritus*, quem pausatim prosequentur cantores. A Septuagesima ad Pascha omittetur *Alleluia*. Post cantum versiculi praedicti Diaconus reponet pileolum Episcopo, qui assurget et prosequetur stare in pedes nudatus mitra: consurgent etiam adstantes ad cantum antiphonae *Ascendit fumus* et alterius *Stetit Angelus*.

73. Absoluto antiphonarum cantu, stans Episcopus eodem loco cantabit *Oremus* (Ministri *Flectamus genua*) et orationem *Domine sancte* etc. pluraliter. Deinde rursus subiunget *Oremus*. (Ministri *Flectamus genua*) et orationem plurali numero *Deus omnipotens* cum praefatione plurali etiam numero, sed tono feriali et manibus ante pectus expansis. Dum canetur praefatio supradicta, si incensum positum super Altaria totaliter arserit, singuli clerici singulis altaribus eradent spatulis de mensa residuum cineris et cerae et ponent in vase cretaceo, ut deinceps ingeratur in sacrarium. Episcopus nullam intermittet pausam inter unam et alteram orationem, ut liquet ex rubrica. Sub finem praefationis, clericus delectus custodiendis Oleis sacris, accipiet ex abaco lancem cum vasculo S. Chrismatis et aliquantulum gossipii et consistet prope suppedaneum primi Altaris a latere Epistolae.

74. Completa praefatione, Diaconus reponet mitram Episcopo. Episcopus cum Ministris ascendet in suppedaneum altaris primi, intinget pollicem in S. Chrisma, intonabit antiphonam *Confirma hoc Deus*, efficiens S. Chrismate Crucem in media parte anteriori stipitis, nullamque proferens formulam. Cantores prosequentur cantare antiphonam praedictam cum toto psalmo *Exurgat Deus*, cuius in fine cantabitur *Gloria Patri* et omittetur repetitio antiphonae. Episcopus, unctione peracta in primo Altari, absterget pollicem gossipio et immediate procedet ad reliqua Altaria, in quibus efficiet unctionem, ut in primo nec proferet formulam ullam.

75. Post unctiones Episcopus redibit in medium ecclesiae vel in presbyterium, ibique manebit donec completus erit cantus psalmi praedicti. Clericus cum vasculo S Chrismatis post unctiones antedictas redibit apud altare primum et accipiet alterum gossipium ad abstergendum pollicem Episcopi in unctionibus sequentibus.

76. Cantu psalmi finito, Diaconus exuet mitram Episcopo, qui cantabit pluraliter orationem *Oremus. Maiestatem tuam*, etc. Post orationem Diaconus mitram reponet Episcopo, qui medius inter Ministros ascendet ad primum Altare et appropinquabit cornu posteriori Evangelii. Ibi pollice intincto in S. Chrisma unctionem peraget inter mensam et stipitem, seu faciet triplicem crucem, primam ad verba *In nomine Patris*, secundam *et Filii*, tertiam *et Spiritus Sancti*, non subiiciens *Amen*. Hoc idem faciet in angulo anteriori eiusdem lateris, deinde in alteris duobus angulis a latere Epistolae, iungens huiusmodi unctionibus mensam cum stipite, et efficiens quasi unam eamdemque rem, ut si forte de stipite removeretur mensa, altare fieret exsecratum. Post haec Episcopus absterget pollicem gossipio, descendet de primo altari, transibit ad secundum easdemque ut in primo unctiones ibi conficiet, atque ita de reliquis.

77. Post unctiones istas redibit Episcopus in medium ecclesiae vel in presbyterium et Diaconus exuet ei mitram. Episcopus pluraliter cantabit orationem *Oremus. Supplices te rogamus* etc. In promptu stabunt interea Ministri cum instrumentis lotionis pro Episcopo, cui porrigent etiam medullam panis et mali me-

dici, itemque Presbyteri saltem singuli seu clerici ordine sacro constituti, abstersuri singula Altaria. Clericus custos vasculi S. Chrismatis reponet ipsum super abacum.

78. Expleta oratione, Diaconus reponet mitram Episcopo, qui sedebit faldistorio collocato ut in principio functionis. Se sistent Episcopo nobiles eius familiares cum urceo et pelvi superque manus eius fundent aquam. Ministri extendent mantile super genua ipsius. Episcopus manus diligenter lavabit ac medulla panis et mali medici emundabit ab Oleis sacris Lavante manus Episcopo, si fuerit Ordinarius, omnes in genua procumbent, exceptis Praelatis et Canonicis Cathedralis, si aderunt. Presbyteri seu Clerici supradicti, constituti ordine sacro spongiis et gossipio colligent Olea sacra ex Altaribus, quae abstergent etiam atque exsiccabunt mantilibus ex tela rudi in mensa et in stipite. Spongiae, mantilia et gossipium reponentur in vase cupreo, ut superius num. 8. Praesto erit Sacrista cum clericis, ornaturus Altaria. Unus vel duo Acolythi aut clerici in promptu habebunt tobaleas, comprehensa tobalea cerata, ab Episcopo benedicendas, et clericus alter sustinebit vasculum aquae sanctae cum aspersorio.

79. Altaribus abstersis et lotis ab Episcopo manibus, se sistent Episcopo clerici, qui afferent tobaleas benedicendas easque genuflexi praesentabunt ipsi. Clericus cum vasculo aquae sanctae et cum aspersorio se sistet a dextris Diaconi. Diaconus mitram exuet Episcopo, qui assurgens nec conversus ad Altare, si sederit a latere Epistolae ante gradus Altaris principalis, benedicet tobaleas, recitans versiculos *Adiutorium nostrum* etc. *Domine exaudi* etc. *Dominus vobiscum* et orationem *Oremus. Omnipotens et misericors* etc. pluraliter. Expleta oratione, Diaconus ei porriget aspersorium et Episcopus ter asperget tobaleas, videlicet in medio, a sinistris et a dextris, postea Diacono aspersorium restituet. Diaconus aspersorium receptum tradet clerico, qui referet illud ad abacum, tum reponet mitram Episcopo sedenti. Clerici post benedictionem tobalearum, afferent ipsas ad Altare

80. Episcopus assurget et conversus ad Altare, dummodo sederit ut supra, cum mitra in capite intonabit antiphonam *Circumdate Levitae*, quam una cum responsoriis et psalmo prosequen-

tur cantare cantores, donec totaliter ornata erunt Altaria omnia. Presbyter, qui absterserit respectivum Altare, adiuvantibus aliis clericis exornabit Altare, scilicet ponet super mensam tobaleam ceratam, quam firmabit orbiculis metallicis, deinde superponet alteras duas tobaleas et ultimo loco superiorem, quae opus est ut cooperiat latera Altaris usque ad terram. Super gradus autem statuetur Crux et candelabra cum cereis, apponetur pallium albi coloris et gradus sternentur tapeto. Interim Acolythi accendent cereos super Altaribus ac thuriferarius in promptu habebit thuribulum.

81. Altaribus in totum exornatis et completo antiphonarum, responsoriorum et psalmi cantu, Episcopus rursus sedebit faldistorio. Thuriferarius thuribulum praesentabit Episcopo, qui cum benedictione incensum imponet in thuribulum, Diacono ei ministrante naviculam. Thure benedicto, thuriferarius cum thuribulo accedet ad Altare primum, ibique consistet a latere Epistolae prope suppedaneum.

82. Episcopus baculum sinistra accipiet, assurget de faldistorio et medius inter Ministros procedet ante primum Altare, ubi dimittet baculum et Diaconus exuet ei mitram. Episcopus reverentiam, Ministri autem genuflexionem conficient ante Crucem positam super Altari. Episcopus cum Ministris ascendet ad Altare et Diaconus porriget ei thuribulum. Episcopus intonabit antiphonam *Omnis terra,* deinde incensabit super Altare ad instar Crucis semel tantum.

83. Retinens adhuc thuribulum, Episcopus cum Ministris de Altari descendet, iterum salutabit Crucem et procedet ad Altare secundum. Quo quum venerit, ipse reverentiam, Ministri autem genuflexionem ante Crucem facient, ascendet ad Altare, incensabit super ipsum in modum Crucis semel tantum, descendet de Altari, reverentiam, ut supra, iterabit et ad reliqua Altaria successive transibit, in quibus ritum eumdem observabit.

84. Quando Episcopus incensaverit super ultimum Altare, non relinquens thuribulum, revertetur cum Ministris ad Altare primum, salutabit Crucem illius, ascendet in suppedaneum, intonabit iterum antiphonam *Omnis terra*, elevans tamen vocem hemitonio, et peraget thurificationem, ut ante, tum in isto,

cum in reliquis altaribus. Hoc faciet etiam tertia vice, advertens, ut in eiusdem antiphonae intonatione vocem efferat altero hemitonio. Postea quam Episcopus tertia vice incensaverit super ultimum Altare, thuribulum restituet Diacono, hic thuriferario, qui ibi praesto erit.

85. Episcopus revertetur in mediam ecclesiam, vel in presbyterium et cantabit pluraliter orationem *Oremus. Descendat* etc. deinde alteram *Omnipotens sempiterne Deus* etc. Post orationes Episcopus in cantu subiunget *Dominus vobiscum* et *Benedicamus Domino* eadem vocis inflexione, qua a cantoribus respondebitur *Deo gratias.*

86. Si Episcopus celebrabit Missam lectam, accedet ad primum altare vel ad illud, quod erit magis in conspectu populi, et ex illo donabit benedictionem solemnem.

87. Quod spectat ad Missam solemnem, notetur quod satis est celebrare seu cantare unam tantum super aliquo ex altaribus consecratis, quum nihil obliget ut celebretur Missa super singulis altaribus. Quod respicit Missam lectam et solemnem, benedictionem et indulgentiarum promulgationem, observabitur quod traditum est capitulo praecedenti a num. 96. ad 99.

DE CONSECRATIONE ALTARIS CUIUS SEPULCHRUM RELIQUIARUM EST IN MEDIO SUMMITATIS STIPITIS.

CAPUT XXI. (*a*).

1. Methodus superius descripta in Consecratione Altaris observabitur, quando Reliquiae conduntur in sepulcro effecto in ipsa altaris mensa, aut quando reponuntur intra stipitem in parte anteriori vel posteriori. Sin autem Reliquiae conderentur intra stipitem, praesertim si essent plura Sanctorum Martyrum

(*a*) Ne frustra repetamus, quae alibi tradita sunt, delegamus lectorem ad adnotationes appositas in Consecratione Altaris persoluta cum Dedicatione ecclesiae.

corpora, et mensa esset operculo Reliquiarum sepulcro, effecto in stipite, servabitur ordo sequens.

De rebus praeparandis.
In repositione SS. Reliquiarum
vespere praecedenti.

2. Si Reliquiae, quae reponentur in Altari, fuerint exigua ossium fragmenta, stabitur iis, quae tradita sunt cap. XVIII. num. 7. et seqq. libri huius. Sin essent corpora aut Reliquiae ossium integrorum, quibus opus esset non parva capsula, sed arca maior, servanda erunt quae sequuntur.

3. Fiet arca plumbea cum operculo, quae sufficiat condendis Sanctorum corporibus aut aliis Reliquiis insignibus. Reliquiae sive ossa praedicta advolventur et consuentur in velis sericeis rubri coloris, quibus apponetur schedula ex pergamena cum nomine Sancti. Quod si plura Sanctorum essent corpora, fient partitiones in parte arcae interiori, ut condantur separatim. Super arcam ipsam incidentur nomina Sanctorum, aliaque monimenta relativa, si necesse fuerit.

4. Reliquiae poni poterunt super unam aut plures pelves argenteas et cooperientur velo sericeo rubri coloris. Arca plumbea ponetur super mensam non magnopere altam, albo mantili contectam. Aderunt etiam praeparata in lance tria grana thuris et pergamena subsignata ab Episcopo, includenda cum Reliquiis ipsis. Si Altare capere arcam non posset, loco altaris praeparabitur super tabulam feretrum seu thalamus consentaneus, in quo exponentur S. Reliquiae. Tum prope feretrum, cum prope abacum, in quo aderunt S. Reliquiae, ardebunt lumina cerea.

5. Praesto erit etiam Stannarius cum igne et opportunis instrumentis, ad occludendam et illinendam stanno arcam praedictam. Curabitur, ut adsit sigillum magnum Episcopi, quo obsignetur in stanno arca Reliquiarum. Hoc casu nec cera hispanica opus nec lemniscus rubrus nec forfices.

6. De reliquo observabitur quidquid traditum est num. 8. et seqq. citati capituli.

7. Praeparabuntur abaci cum omnibus obiectis superius notatis capitulo XIX. num. 9. et seqq. huius libri excepto operculo sepulcri, quo non est opus in circumstantia ista.

8. Si Reliquiae transferentur cum feretro vel thalamo, praeparabitur abacus sufficientis magnitudinis, in quo possit collocari.

9. Mensa Altaris, quae fungetur vice operculi altaris seu sepulcri effossi in stipite, seiuncta erit ab altari et collocabitur in latere Epistolae aut Evangelii intra presbyterium, si capax erit, secus extra ipsum, et statuetur supra duos canterios aliquo panno contectos: extabit a pavimento quatuor vel quinque palmos et curabitur ut pars inferior, seu quae subtus est, sit nudata in medio, ut Episcopus possit suo tempore ibi unctionem peragere. Ad manus erunt etiam chordae, vectes ligneae et reliqua instrumenta apposita ad eam super altare transferendam. In promptu erit calx, arena (vulgo *pozzolana*) gypsum et reliqua omnia, quae opus esse poterunt ad ipsam firmandam. Calx ponetur in scaphulis ligneis decentibus et mundis.

10. Si Reliquiae in feretro transferendae erunt, aderunt Presbyteri quatuor feretrum gestaturi, et in Sacrarium ad eam rem praeparabuntur quatuor planetae rubri coloris, totidemque cingula, albae et amictus; in eodem Sacrario vel etiam alio loco, cappae (vulgo *sacchi*) Confraternitatis, quibus induentur baiuli seu caementarii, translaturi lapidem seu mensam Altaris.

De expositione S. Reliquiarum
pridie vespere.

11. Functio haec tractabitur ex toto ut quae descripta est in Dedicatione ecclesiae capit. XVIII. num. 35. Id tantum notandum, quod postquam Episcopus S. Reliquias reposuerit in arca plumbea et incluserit grana thuris atque pergamenam, aequum esset ut superponeret velum rubri coloris. Post haec recedet ex aliqua parte et Stannarius imponet operculum, quod stanno circum obducet et in quatuor angulis super stannum

ipsum imprimet sigillum Episcopi. Quum clausa fuerit arca supradicta, Episcopus exponet eam ad venerationem, ut capitulo supra citato, ac si arca esset ampla et gravis, utetur adiumento alicuius Presbyteri. Vigiliae dirigentur eodem modo, quo ibidem descriptae fuerunt.

In functione Consecrationis.

12. Observabitur quod notatum est capitulo XIX. superiori, usque ad totam benedictionem et consecrationem aquae una cum oratione *Omnipotens sempiterne Deus, creator et conservator* etc. Hoc tempore iam in promptu stabunt apud altare caementarii et lapidarius induti cappa, ut supra monuimus, functuri officio suo. Item praesto erit thuriferarius cum thuribulo, ardenti igne, in Sacello Reliquiarum; aderunt quatuor Presbyteri parati planetis rubri coloris translaturi S. Reliquias, et clerici cum intorticiis vel cereis accensis, distribuendis Clero qui deferet ea in processionem.

13. Postquam Episcopus benedixerit et consecraverit aquam, praesentabitur ei calx, gypsum aut caementum quod adhibebitur ad claudendum altare, et dimissa mitra, benedicet illud, recitans orationem *Summe Deus* etc. (*a*). Aqua super basim stipitis non fundetur, siquidem adhibenda erit in aspersionibus atque etiam ad temperandum caementum et calcem.

14. Post haec procedent ad transferendas S. Reliquias. Anteibit Crux cum intorticiis a lateribus; tum cantores superpellicio induti, qui secum habebunt Pontificale ad cantandas antiphonas; clerici bini incedentibus senioribus propius Episcopum; Episcopus medius inter Ministros, qui sustentabunt eius fimbrias pluvialis, ac si fuerit in dioecesi sua, dextra benedicet adstantes; clerici seu Cappellani a mitra et baculo; clerici cum libro et scotula; ultimo loco familiares nobiles Episcopi, si aderunt.

15. Quum processio pervenerit prope aditum Sacelli, in quo aderunt expositae S. Reliquiae, consistet ibi Crux a sini-

(*a*) Vide adnotationem capit. XVIII. num. 88. subiectam.

stris Episcopi; Clerus in ordinem disponetur ante Sacellum; Episcopus subsistet extra Sacellum ipsum. Ibi dimittet baculum, nudabitur mitra a Diacono et cantabit *Oremus* (Ministri *Flectamus genua*) et orationem *Aufer a nobis* etc.

16. Post orationem Diaconus reponet mitram Episcopo, qui resumet baculum pastoralem. Crux cum intorticiis ingredietur in Sacellum et subsistet prope ingressum, Clerus disponetur intra Sacellum et a clericis huic rei delectis distribuetur unicuique de Clero intorticium aut cereus, Episcopus cum Ministris procedet ante Reliquias. Praesto ibi erunt, ut supra innutum est, quatuor Presbyteri induti planetis translaturi Reliquias, ac thuriferarius cum thuribulo. Episcopus ante Reliquias quum venerit dimittet baculum, exuetur mitra a Diacono, tum cantabit orationem *Oremus. Fac nos, quaesumus, Domine* etc.

17. Diaconus mitram Episcopo reponet eique ministrabit cum osculis incensum, quod Episcopus cum benedictione imponet in thuribulum a thuriferario sustentum. Deinde Episcopus intonabit antiphonam *Cum iucunditate*, quam prosequentur cantores, et recedet a latere. Quatuor supradicti Presbyteri planetis induti accipient super humeros thalamum cum S. Reliquiis et Processio proficiscetur ad altare consecrandum, ordine sequenti. Crux et a lateribus eius clerici cum intorticiis: cantores, qui cantabunt antiphonas praescriptas: qui de Clero sunt, bini, capite nudato et unusquisque gestabit intorticium vel cereum ardentem, qui dextrorsum incedent, sustinebunt intorticium seu candelam dextra, qui sinistrorsum, sinistra: thuriferarius, qui leviter agitans thuribulum adolebit S. Reliquias: quatuor Presbyteri qui humeris supportabunt feretrum seu thalamum cum S. Reliquiis: Episcopus coopertus mitra et baculum sinistra sustinens, medius inter sacros Ministros nudato capite, qui fimbrias pluvialis eius sustentabunt: Si Episcopus fuerit dioecesanus, abstinebit a benedicendo adstantes: clerici seu Cappellani a mitra et baculo: reliqui duo cum libro et scotula: familiares nobiles Episcopi, si aderunt: postremo sequetur populus.

18. Ubi processio ad altare consecrandum pervenerit, Crux cum intorticiis consistet quo loco steterat ab initio, can-

tores redibunt ad legile, Clerus in ordinem disponetur circum altare, senioribus propius Episcopum restantibus, thuriferarius consistet in presbyterio a latere Epistolae, Presbyteri gestatores thalami collocabunt ipsum super abacum praeparatum et manebunt prope eum, Episcopus cum Ministris et clericis supradictis procedet ante Altare.

19. Quum finem fecerint cantandi antiphonas superius innutas, Episcopus intonabit antiphonam *Exultabunt*, quam continuabunt cantores cum psalmis *Cantate Domino canticum novum* et *Laudate Dominum in Sanctis eius*, quorum in fine omittetur *Gloria Patri* et repetetur antiphona. Quum prope erit, ut absolvatur cantus psalmorum, clericus unus accipiet ex abaco vasculum S. Chrismatis in lance cum aliquantulo gossipio, ipsumque afferet ad Altare, subsistens prope latus Epistolae.

20. Dum repetetur a cantoribus antiphona *Exultabunt*, Episcopus cum Ministris ascendet in suppedaneum Altaris: finito autem eiusdem antiphonae cantu, Diaconus mitram exuet Episcopo, qui cantabit orationem *Oremus. Deus, qui in omni loco* etc. Post cantum praedictae orationis, Diaconus mitra cooperiet Episcopum, qui pollice in S. Chrisma intincto, inunget quatuor angulos internos stipitis altaris, qui vice fungetur sepulcri S. Reliquiarum. Advertet Episcopus, ut pollice signet duplicem Crucem, dum recitabit formulam praescriptam, unam videlicet ad verbum *Consecretur*, alteram ad verbum *et sanctificetur* ac tribus vicibus dextra benedicet ad verba *in nomine Patris* etc. Interea quatuor supradicti Presbyteri elevabunt feretrum et cum ipso appropinquabunt gradibus Altaris. Post quartam unctionem Episcopus pollicem suum gossipio absterget.

21. Diaconus exuet mitram Episcopo, qui cum Ministris convertetur versus gradus altaris et Presbyteri antedicti admovebunt ante eum feretrum cum S. Reliquiis. Episcopus aperiet vel deteget feretrum et accipiet arcam plumbeam, in qua clausae erunt S. Reliquiae, qua in actione adiuvabitur etiam a sacris Ministris, si opus fuerit. Episcopus manibus sustinens arcam praedictam, convertetur ad altare et intonabit antiphonam *Sub Altare Dei*, quae in cantu continuabitur a cantoribus, et reponet arcam intra altare.

22. Clerici duo reportabunt feretrum vacuum in Sacrarium et quatuor Presbyteri remanebunt apud altare propter actiones quae sequuntur. Interim ad altare ascendet thuriferarius et repositis ab Episcopo Reliquiis, ut supra, Diaconus ei cum osculis ministrabit incensum, quod ipse Episcopus imponet in thuribulum cum benedictione. Dein Diaconus porriget thuribulum Episcopo, qui facta profunda reverentia thurificabit S. Reliquias triplici ductu. Praeparabitur seorsim, etiam extra presbyterium, faldistorium in usum Episcopi, et prope altare presto erit lapidarius cum aliquantulo caementi in lance et cum trulla, qua utetur Episcopus.

23. Episcopus thurificatis S. Reliquiis, restituet thuribulum Diacono, hic autem tradet ipsum thuriferario, qui restabit prope altare. Diaconus cooperiet iterum mitra Episcopum, qui cum Ministris et clerico sustinente vasculum S. Chrismatis, accedet ad locum, quo posita erit mensa marmorea altaris. Eo quum venerit Episcopus, intinget pollicem in S. Chrisma et unctionem efficiet in medio lapidis, videlicet in illa parte, quae respicit internum altaris: advertet ut binas signet Cruces, unam ad verbum *Consecretur*, alteram ad verbum *et sanctificetur haec tabula* (non *hic lapis*) postea dextra benedicet eam tribus vicibus, dum dicet *in nomine Patris* etc. His effectis, pollicem absterget gossipio: abstergetur etiam, si opus fuerit, unctio quam effecerit.

24. Episcopus cum Ministris redibit ad altare: ibi accepta trulla ponet exiguam quantitatem caementi super labrum stipitis, in quo postea collocanda erit mensa. Postmodum Episcopus recedet de altari et sessum veniet ad faldistorium, quo loco praeparatum erit, etiam longe ab altari, ut commodum detur artificibus operandi cum libertate.

25. Episcopo de Altari profecto, ascendent illuc caementari sive lapidarii, qui disponent quae opus erunt ad mensam calce firmandam. Mensa autem, quando transferanda erit super stipitem, attolletur et asportabitur a caementariis, vel lapidariis, et quatuor illi Presbyteri, qui detulerint S. Reliquias, apponent manum ad quatuor eius angulos, donec composita erit super stipitem. Hoc tempore cantores cantabunt Responsorium *Vos Sacerdotes et Levitae* etc.

26. Collocata et stabiliter composita mensa super stipite, discedent artifices, qui amovebunt ea omnia, quibus usi erunt ad opus conficiendum. Statim ac clausum erit Altare, extinguentur intorticia et cerei, quos manu sustinebat Clerus, et referentur in Sacrarium.

27. Episcopus cum Ministris revertetur ad Altare et intonabit antiphonam *Sub altare Dei*, quam in cantu prosequentur cantores. Completo huius antiphonae cantu et alterius etiam *Corpora Sanctorum* etc. Diaconus exuet mitram Episcopo, qui cantabit orationem *Oremus. Deus qui ex omnium* etc. Interim in promptu stabit clericus cum vasculo S. Chrismatis. Post orationem Diaconus reponet mitram Episcopo, qui pollice in S. Chrisma inticto, unctionem peraget in medio mensae, dicens *Signetur et sanctificetur* etc. Advertet autem, ut binas efficiat Cruces, unam ad verbum *Signetur*, alteram ad verbum *et sanctificetur*, utque ter dextra benedicat altare, dum dicet *in nomine Patris* etc. Post unctionem Episcopus pollicem gossipio absterget, et vasculum S. Chrismatis a clerico referetur ad abacum.

28. Episcopus incensum imponet in thuribulum sibi obiectum a thuriferario et incensum ei ministrabit Diaconus: in formula autem *Ab illo benedicaris* etc. advertet ut in fine dicat *in nomine Patris* etc. etiam deinceps benedicet incensum cum formula eadem. Postquam Episcopus incensum in thuribulum imposuerit, Diaconus exuet ei mitram, deinde porriget ei thuribulum cum osculis. Episcopus intonabit antiphonam *Stetit Angelus*, quae continuabitur a cantoribus. Diaconus reponet mitram Episcopo, qui thurificabit altare undique, ad dexterum et sinistrum latus, ante et desuper, donec durabit cantus antiphonae praedictae. Post cantum antiphonae Episcopus restituet thuribulum Diacono, hic thuriferario, qui referet illud in Sacrarium. Interim in promptu stabit clericus cum vasculo aquae consecratae in aspersionibus adhibendo. Expleto, ut supra, cantu antiphonae et reddito thuribulo, Diaconus exuet mitram Episcopo, qui cantabit orationem *Oremus. Dirigatur oratio nostra.* etc.

29. Post orationem intonabit antiphonam *Introibo*, quam prosequentur cantores cum psalmo *Iudica me Deus.* (*a*). Episco-

(*a*) Vide adnotationem hoc loco appositam in Dedicatione Eccclesiae.

pus, intonita antiphona, rursus cooperietur mitra a Diacono, intinget pollicem in aquam sacratam et quinque aspersiones pollice efficiet super mensam in medio et in quatuor angulis, ut cap. sup. XIX. num. 36. Post aspersiones factas, Episcopus cantabit orationem *Singulare illud propitiatorium* etc. ut ibidem num. 38. Postea intonabit antiphonam *Asperges me* etc. et asperget septies altare in mensa et in stipite, ut ibidem num. 40. post aspersiones recitabit orationem *Oremus. Deus, qui es visibilium omnium rerum* etc.

30. Post orationem hanc Diaconus reponet mitram Episcopo, qui sessum ibit ad faldistorium positum in latere Epistolae ante gradus altaris. Abstergetur altare, ut ibidem num. 58. Episcopus thure in thuribulum imposito, redibit ad altare, incensabit in medio et in quatuor angulis, quibus in locis faciendae erunt unctiones, et continuabitur Consecratio ritibus ibi praescriptis usque ad finem.

CONSECRATIO ALTARIS PORTATILIS.

CAPUT XXII.

1. Altare portatile differt ab altari stabili eo quod caret stipite, cui iungatur mensa et quia debet esse leve et parvum, ut facile possit transferri.

2. Oportet ut sit ex marmore vel alio lapide solido, eiusmodi capacitatis, ut commode possit hostiam et calicem continere. Idcirco altaria perexigua, quae quandoque videmus adhiberi, consecranda nequaquam essent; siquidem, omissa quaestione an valida sit eorum consecratio, procul dubio illicita est, quum sint inutilia ad rem, cui destinantur.

3. Forma lapidis supradicti esto quadrata vel etiam oblonga et in eo fiet parvum sepulcrum excavatum in ipso lapide ad

condendas Reliquias. Sepulcrum erit perexiguum cum parvo claustro, quod instructum sit poste, vulgo *battente*, ad claudendum; claustrum autem sive operculum esto ex lapide solido. Sepulcrum poterit in medio vel a latere aut etiam in crassitie lapidis efformari, si hic erit capax, dummodo comprobetur, quod Reliquiae Sanctorum extant clausae in lapide (*a*).

4. Consecratio altaris portatilis parum in substantia differt a consecratione altaris stabilis exceptis unctionibus stipitis et quasdam solemnitates. Non est opus pridie vespere exponere S. Reliquias, nec celebrare vigilias. Consecratio facienda est tempore matutino, et peragi potest in ecclesia aut in Sacrario vel etiam in domo Episcopi, quum id pendeat ex qualitate altaris, nempe portatilis.

5. Post consecrationem est celebranda Missa super altare illud attamen in loco, sacro, ut est ecclesia, vel aliquod orato-

(*a*) Forma, quam hoc loco innuimus, est qua Romae construuntur et consecrantur altaria portatilia, quae communiter appellantur *pietre sacre*. Harum singulis annis fit numerus notabilis in basilica Lateranensi, quarum maior pars mittuntur extra Urbem et in partes admodum remotas. Catalanus in commentariis ad Pontificale Romanum lib. II. pag. 198. refert auctoritatem Silvestri Prieras theologi Dominicani, qui in Summa theologica, ad verbum *Altare* statuit modos quatuor construendi altaria huiusmodi. Eius verba haec sunt - Aliquando fit ex ligno et lapide; ita quod lapis est sigillum, et operculum est in ligno. Aliquando ex lapide solum, ita quod in ipso lapide est sepulcrum. Aliquando ex ligno et lapide, ita tamen quod in lapide est sepulcrum, et sigillum et lignum ponitur pro augenda latitudine. Aliquando etiam fit ex lapide solo sine sepulchro et reliquiis sed iste quartus modus non est tutus ob communem usum et consuetudinem Ecclesiae eum modo non admittentis - Bona cum venia clarissimi scriptoris, non possumus nisi secundum modum tantummodo admittere; quoniam ponendo reliquias extra lapidem, periculum est ut auferantur aut varientur ob nimiam facilitatem, qua removeri lapis potest ex arca lignea, cui deberet esse inserta. Videtur autem, quod quibusdam in dioecesibus tum super ista, tum super altaria stabilia apponatur sigillum Episcopi impressum in cera hispanica. Difficile admodum est, ut intactum supersit in lapide hoc sigillum, neque consummetur attritu tobalearum. Sigillum altaris, iuxta sententiam constitutionis Alexandri III. insertae textu canonico, nihil aliud est, quam lapis gypso firmatus super sepulchrum, quod claudit Reliquias, ideoque si forte frangatur lapis iste, fit exsecratum altare, siquidem Reliquiae possent faciliter auferri aut commutari

rium domesticum sive Episcopi, sive communitatis religiosae, sive etiam alicuius privatae domus, dummodo iam destinatum sit ad hunc usum. Missa celebrari potest ab Episcopo vel ab alio Sacerdote ex eius mandato, ideoque quum non sit necesse ut Episcopus hanc legem ipsemet adimpleat, expressio - ieiunio saltem stomacho - adhibita in Pontificali, videtur quod velit innuere matutinas horas, idque eo magis, quod expressio illa est adeo segregata, ut videatur non posse respicere Episcopum, cui quidem, praeter alias etiam circumstantias, valde grave esset si plura essent altaria portatilia consecranda.

De rebus praeparandis.

6. Lapis consecrandus ponetur super tabulam contectam mappa albi coloris ex tela rudi, conduplicata pluries, ut excipiat Olea sacra, si forte effluerent extra lapidem.

7. Super tabula eadem, vel in alia pariter contecta alba tobalea praeparabitur vasculum aquae sanctae cum aspersorio; alterum vasculum cum aqua consecranda; aliquantulum salis in lance; aliquantulum cineris in lance; aliquantulum vini in ampulla; Oleum sacrum Catechumenorum in vasculo; S. Chrisma in vasculo; ampullae cum Oleis sacris praedictis; aspergillum ex hyssopo; lapis parvi sepulcri; mantilia duo ex tela rudi ad abstergendum lapidem, sive altare portatile; aliquantulum gossipii soluti; aliquantulum scaliolae vel gypsi triti in lance cretaceo; trulla pro caemento; quinque et viginti grana thuris cum quinque exiguis crucibus ex subtili gossipio cerato; spathulae ad eradendum incensum et ceram; vas cretaceum ad reponendum incensum combustum; urceus et pelvis cum mantili; medulla panis et mali medici in lance; thuribulum cum navicula; Pontificale (pars II.) super legile altaris situm prope lapidem consecrandum; scotula cum candela; mitra auriphrygiata cum velo utendo a ministro; stola albi coloris; superpellicea pro inservientibus. In eadem tabula, vel in altero abaco, Reliquiae Sanctorum Martyrum in lance argentea ponentur cum duobus candelabris, ardentibus candelis, ac tria grana thuris, claudenda deinceps in parvo sepulcro una cum Reliquiis prae-

dictis. Aderit pulvinar ad genuflectendum et in promptu erit ignis utendus in thuribulo.

8. Si functio fiet in ecclesia publica, necesse erit praeparare faldistorium cum veste albi coloris; Episcopus autem induet amictum, albam, cingulum, Crucem pectoralem, stolam cum pluviali albi coloris, formale, mitram et utetur baculo pastorali. Aderit Presbyter unus superpellicio indutus, qui thurificabit altare, duo saltem ecclesiastici assistent Episcopo; clericus unus sustinebit mitram. Si opus sit, invitabitur etiam lapidarius ad claudendum parvum sepulcrum.

De Functione.

9. Episcopus, lotis prius manibus et indutus stola albi coloris super rochetum ac mitram capite gestans leget invitationem ad orationem *Deum Patrem omnipotentem* etc. Nudatus mitra a Caeremoniario vel ab uno ex Cappellanis qui assistent ei, geniculabit in pulvino et dicet *Deus in adiutorium meum intende* et respondebitur a Cappellanis *Domine ad adiuvandum* etc. assurget ac prosequetur *Gloria Patri* etc. et respondebitur *Sicut erat* etc. omisso *Alleluia* in fine, idque tribus vicibus, elevans vocem aliquantulum.

10. Caeremoniarius vel unus ex Cappellanis reponet mitram Episcopo, qui exorcizabit salem; advertet autem tum in ista, tum in reliquis orationibus, si desumentur de Consecratione ecclesiae, ut omittat verbum *Ecclesiae,* quo loco dicetur *huius Ecclesiae et altaris,* et dicat tantum *huius Altaris.* Dimittet mitram et benedicet salem. Resumpta mitra, exorcizabit aquam. Rursus mitra nudatus aquam benedicet. Cinerem, dimissa mitra, benedicet. Miscebit simul salem et cinerem. Tum salem, cinerem et aquam miscebit, ac manum absterget, si opus fuerit. Benedicet vinum, quod benedictum infundet in aquam; postremo subiunget orationem ultimam *Omnipotens sempiterne Deus* etc, omittens alteram, quae sequitur *Sanctificare per verbum Dei unda caelestis* etc.

11. Post orationem antedictam rursus cooperietur mitra et pollice aqua sacrata perfuso efficiet quinque aspersiones

seu quinque cruces super lapidem, in medio et in quatuor angulis, repetens formulam *Sanctificetur* ac tribus vicibus dextra benedicens ad verba *In nomine Patris* etc. in unaquaque aspersione. Primam faciet in medio, secundam in angulo posteriori, quod respondet cornu Evangelii, tertiam in angulo anteriori cornu Epistolae, quartam in angulo anteriori cornu Evangelii, quintam in angulo posteriori cornu Epistolae.

12. Post aspersiones absterget pollicem mantili, accipiet a Cappellano aspergillum ex hyssopo, immerget illud in aquam sacratam, incipiet antiphonam *Asperges me*, quam prosequetur recitare cum cappellanis; item cum ipsis recitabit deinde psalmum *Miserere,* quo finito, repetetur eadem antiphona, omisso *Gloria Patri.* Interim Episcopus tribus vicibus asperget lapidem per circuitum, incipiens nempe in medio versus pectus suum et prosequens ad dextram suam, deinde redibit ad medium lapidis ipsius per sinistram. Peracta aspersione, Episcopus dimittet aspergillum ex hyssopo, et post repetitionem antiphonae, ab uno ex Cappellanis abstergetur lapis mantili mundo. Interea Presbyter, cuius officium adolere altare, in promptu habebit thuribulum. Absterso lapide, Episcopus dimittet mitram et recitabit ℣. *Domine exaudi. Dominus vobiscum* et orationem *Deus, qui es visibilium* etc.

13. Presbyter thurificator Altaris praesentabit Episcopo thuribulum, incensum ministrabitur ab uno ex Cappellanis, et Episcopus imponet incensum in thuribulum cum benedictione. Cooperietur mitra a Caeremoniario vel ab uno ex Cappellanis, a quo accepto thuribulo, dum dicet antiphonam *Dirigatur* ter adolebit lapidem per circuitum, incipiens a dextris suis, sequens methodum quae servatur ad Missam in thurificatione oblatorum.

14. Episcopus tradet thuribulum Presbytero, qui tempore unctionum prosequetur incensare lapidem (*a*) non abscedens de loco suo; Episcopus recitabit antiphonam *Erexit Iacob* cum psalmo *Quam dilecta,* alternatim cum Cappellanis assistentibus;

(*a*) Id deducitur ex Pontificalis rubrica sub hoc titulo, in thurificatione praescripta quando fiunt unctiones cum S. Chrismate.

post psalmum repetet antiphonam, et pollice intincto in Oleum sacrum Catechumenorum, quinque unctiones efficiet super lapidem, videlicet in medio, in angulo posteriori a latere Evangelii, in latere anteriori a latere Epistolae, in anteriori a latere Evangelii et in posteriori a latere Epistolae, singulis vicibus recitans formulam *Sanctificetur* etc. Peragens unctiones Episcopus, duas pollice signabit Cruces, unam ad verbum *Sanctificetur,* alteram ad verbum *consecretur*, deinde ter benedicet dextra dum dicet *In nomine Patris* etc.

15. Post unctiones Episcopus absterget pollicem, eique praesentato thuribulo a Presbytero, qui thurificabat, ministrante incensum uno ex Cappellanis, imponet incensum in thuribulum cum benedictione. Dein accepto thuribulo e manibus Presbyteri antedicti, recitabit cum Cappellanis suis antiphonam *Dirigatur* et incensabit semel tantum lapidem per circuitum, ut supra.

16. Episcopus thuribulum restituet Presbytero, qui perget thurificare, dimittet mitram, dicet *Oremus. Flectamus genua* et assistentes respondebunt *Levate* (ad praedicta verba *Flectamus genua* Episcopus tantum non genuflectet) et subiunget orationem *Adsit Domine, misericordiae tuae* etc. Postea incipiet antiphonam *Mane surgens*, cooperietur mitra, et antiphonam eamdem prosequetur cum psalmo *Bonum est confiteri* etc. recitans illum alternatim cum Cappellanis; post psalmum repetet antiphonam supradictam. Post repetitionem antiphonae, Episcopus intincto pollice in Oleum sacrum Catechumenorum, alias quinque unctiones peraget super lapidem eodem ordine ac supra.

17. Unctionibus peractis, absterget pollicem eique praesentabitur thuribulum a Presbytero, qui adolebat altare. Unus ex Cappellanis ministrabit incensum Episcopo, qui cum benedictione imponet illud in thuribulum, quo accepto e manibus praedicti Presbyteri, recitabit antiphonam *Dirigatur* et incensabit semel lapidem per circuitum, ut supra. Episcopus restituet thuribulum Presbytero, qui prosequetur thurificationem, et nudatus mitra dicet *Oremus. Flectamus genua*; ac responso ab assistentibus *Levate,* subiunget orationem *Adesto, Domine, dedicationi* etc.

18. Postea Episcopus incipiet antiphonam *Unxit te Deus,*

quam coopertus mitra prosequetur cum psalmo *Eructavit,* quem recitabit alternatim cum Cappellanis. Cum iisdem repetet antiphonam et post ipsam intincto pollice in S. Chrisma, efficiet quinque unctiones super lapidem quo modo superius descriptum fuit. Absolutis unctionibus, absterget pollicem; imponet cum benedictione incensum in thuribulum sibi praesentatum, ut supra, thuribulum accipiet et recitans cum Cappellanis antiphonam *Dirigatur,* adolebit lapidem per circuitum semel tantum. Episcopus restituto thuribulo Presbytero, qui perget adolere altare, dimittet mitram, dicet *Oremus Flectamus genua,* adstantes respondebunt *Levate,* et subiunget orationem *Exaudi nos, Deus noster* etc. Interim aliquis assistentium effundet aliquantulum aquae sacratae super gypsum seu scaliolam et miscebit illud trulla.

19. Episcopus post orationem praedictam cooperietur mitra, et pollice in Chrisma intincto efficiet unam tantum unctionem intra parvum sepulcrum, dicens *Consecretur* etc. Advertat tamen ut pollice signet binas Cruces ad verba *Consecretur et sanctificetur,* utque dextra benedicat illud tribus vicibus ad verba *In nomine Patris* etc. Absterget pollicem et dimissa mitra accipiet Reliquias duorum saltem Martyrum earumque exiguam quantitatem reponet in sepulcro: addet tria perparva grana thuris, deinde aliquantulo gypsi seu scaliolae illito labro sepulcri, claudet aut iubebit claudi lapide sepulcrum ipsum. Abstergetur lapis, si forte superesset aliqua pars gypsi super sepulcrum, deinde Episcopus recitabit orationem *Oremus. Deus, qui ex omnium cohabitatione* etc.

20. Post orationem praedictam incipiet Episcopus antiphonam *Ecce odor,* ac resumpta mitra, prosequetur antiphonam et recitabit psalmum *Fundamenta eius* etc. alternatim cum assistentibus. Post psalmum non repetetur antiphona et omittetur *Gloria Patri.* Episcopus, acceptis ampullis cum S. Chrismate et cum Oleo sacro Catechumenorum, effundet eorum parvam copiam super lapidem, ac dimissis ampullis, dextra expandet praedicta Olea sacra super totum lapidem, quo facto absterget manum gossipio et mantili ex tela rudi. Retinens in capite mitram recitabit invitationem ad orationem *Lapidem hunc* etc. Tum reci-

tabit cum Cappellanis alteram antiphonam *Aedificavit Moyses* et subiunget alteram invitationem ad orationem *Dei Patris omnipotentis* etc.

21. Dimittet mitram ac benedicet incensum, quod comburendum erit super Altare, et post orationem asperget illud aqua benedicta. Reponetur ei mitra, efficiet quinque cruces ex granis incensi, singulas nempe ex granis quinis et superponet exiguam Crucem ex gossipio cerato, idque faciet in medio et in quatuor angulis, in quibus unctiones peregerit. Cavebit autem ne ponat super lapidem sepulcri illam quae medium locum obtinere debet, posset enim fieri, ut ob calorem thuris ardentis dehisceret lapis, ideoque altare fieret exsecratum priusquam absolveretur actus consecrationis.

22. Expedite deinde accendentur praedictae cruces ex gossipio cerato in suis quatuor capitibus, eisque accensis, Episcopus dimittet mitram cum pileolo, geniculabit super pulvinum et recitabit ℣. *Alleluia. Veni Sancte Spiritus* etc. cum adstantibus. A septuagesima autem ad Pascha *Alleluia* omittetur. Assurget ac sine mitra recitabit simul cum Cappellanfs utramque antiphonam *Ascendit fumus* et *Stetit Angelus*. Subiunget *Oremus. Flectamus genua,* adstantes respondebunt *Levate*, et recitabit orationem *Huius altaris, Domine* etc. Prosequetur deinde alteram orationem *Supplices tibi*, *Domine* cum praefatione, quam recitabit manibus expansis. Quando erit combustum incensum, colligentur cinerees et spatulis eradetur cera ab uno ex Cappellanis eaque reponetur in lance, ut postea infundantur in sacrarium.

23. Post praefationem Episcopus incipiet antiphonam *Confirma hoc Deus,* quam continuabit cum assistentibus, et recitabit orationem *Quaesumus omnipotens Deus* etc. Tum imponet cum benedictione incensum in thuribulum et accepto thuribulo eique imposita mitra, dicet cum assistentibus antiphonam *Omnis terra*, quo tempore incensabit super lapidem consecratum ad instar Crucis semel tantum. Dimittet mitram et subiunget orationem *Descendat*, *quaesumus*, *Domine*, non praemittens *Oremus*, atque hoc modo absolvetur consecratio.

24. Episcopus lavabit manus, adhibens medullam panis et mali medici ad eas emundandas ab Oleis sacris, et unus ex

Cappellanis Episcopi mantili lineo diligenter absterget lapidem sacrum, qui postea collocabitur super altare, et super ipso ab Episcopo eodem vel ab alio ex eius mandato celebrabitur Missa propria, idest quae in Missali assignatur *in die dedicationis Altaris.*

DE CONSECRATIONE PLURIUM ALTARIUM PORTATILIUM.

CAPUT XXIII.

1. Quae principio capituli superioris tradita sunt de forma et materia Altaris, omittuntur in praesenti, et innuentur tantummodo ea omnia quae opus sunt in functione, ac ritum servandum.

De rebus praeparandis.

2. Lapides consecrandi ponentur super tabulam longam et angustam ita ut unus stet a latere alterius: si ponentur super tabulam quadram, erunt in uno eodemque ordine in extremitate tabulae eiusdem, siquidem esset valde difficile multas actiones persolvere, nisi dispositae essent modo praedicto. Possent etiam disponi super plures tabulas, si ita requireret numerus eorum. Tabula autem contegetur tobalea linea albi coloris pluries complicata, ad excipienda Olea sacra, si forte effluerent extra lapides. Prope lapidem unumquemque ponetur claustrum sive operculum respectivum sepulcri.

3. Praeparabitur alter abacus alba mappa coopertus, in quo disponentur quae opus sunt ad Consecrationem, videlicet vasculum aquae sanctae cum aspersorio: alterum vasculum cum aqua consecranda, sufficienti copia pro numero lapidum: aliquantulum salis in lance; aliquantulum cineris in lance: aliquantulum vini in ampulla: vascula Olei sacri Catechumenorum

et S. Chrismatis in lance: ampullae argenteae plenae Oleis sacris praedictis, quae satis sint: aspergillum ex hyssopo: mantilia ex tela rudi sufficienti numero ad abstergendos lapides: aliquantulum gossipii soluti; aliquantulum scaliolae vel gypsi triti in lance cretacea: trulla ad accipiendum caementum: quinque et viginti grana thuris cum quinque exiguis crucibus ex gossipio cerato pro singulis lapidibus: spathulae ad eradendum incensum combustum et lanx in qua ipsum ponatur: urceus cum pelvi et mantile: aliquantulum medullae panis et mali medici in lance: thuribulum cum navicula: Pontificale (pars II): scotula cum candela; mitra auriphrygiata cum velo pro ministro; stola albi coloris: superpellicea quae satis sint pro numero inservientium.

4. Super abaco eodem vel in alio, cooperto ut supra, Reliquiae SS. Martyrum, quae claudendae erunt intra sepulcra, ponentur in lance argentea, cum candelabris duobus, ardentibus candelis. Aderunt grana thuris perexigua, ponenda inter Reliquias, nempe terna grana pro singulis sepulcris.

5. Praeparabitur pulvinus, in quo genuflectet Episcopus, et seorsim ad manus erit ignis pro thuribulo.

6. Si functio celebretur in ecclesia publica, praeparabitur faldistorium cum veste albi coloris, et Episcopus induet amictum, albam, cingulum, Crucem pectoralem, stolam, pluviale albi coloris cum formali, et cum mitra utetur etiam baculo pastorali.

7. Assistent Episcopo Cappellani sui superpellicio induti; aderit clericus a mitra, alter ad sustinendum librum et Presbyter indutus superpellicio, qui fungetur officio thurificandi Altaria supradicta. Aderit etiam lapidarius ad claudenda sepulcra (*a*.)


(*a*) Anno 1759. editum Romae fuit rituale, quod est perrarum, et inscribitur: *Ritus ad plura altaria portatilia simul consecranda, ex Pontificali Romano Clementis VIII. et Urbani VIII. auctoritate recognito, depromptus et pro re accomodatus, cura et studio Francisci Matthaei Romani Patriarchae Alexandrini in lucem prodiit Romae MDCCLIX. Typis haeredum Io: Laurentii Barbiellini. Superiorum facultate.* Rituale hoc citatur ab Aloysio Gardellini ad decretum S. Rituum C. num. 4413. dub. 5. et est perutile ad functionem istam. Censemus tamen monere lectorem, quod ob quasdam variationes in eius compilatione invectas, non est cohaerens cum Pontificali Romano.


8. Episcopus ut venerit ad locum, in quo celebrabitur functio, dimittet mozzetam vel mantelletum, lavabit manus et assumpta stola albi coloris supra rochetum ac mitra in capite, leget invitationem ad orationem *Deum Patrem omnipotentem* etc. pluraliter.

9. Mitra detectus a Caeremoniario vel ab uno ex Cappellanis, qui assistent ei, geniculabit in pulvino ac dicet *Deus, in adiutorium meum intende*; Cappellani respondebunt *Domine ad adiuvandum me festina.* Episcopus assurget ac dicet *Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto* et Cappellani subiungent *Sicut erat* etc. non adiungentes *Alleluia*, idque tribus vicibus vocem aliquantulum attollentes vicibus singulis.

10. Caeremoniarius aut unus ex Cappellanis reponet mitram Episcopo, qui exorcizabit salem, advertens quod tum in ista tum in sequentibus orationibus, si desumentur de consecratione ecclesiae, quo loco dicitur *huius Ecclesiae et altaris*, omittendum est verbum *Ecclesiae*, et dicendum *horum altarium*. Dimittet mitram et benedicet salem. Resumet mitram et exorcizabit aquam. Mitra nudatus benedicet aquam ac sine mitra benedicet cinerem. Miscebit salem et cinerem, deinde salem, cinerem et aquam, et manum absterget, si opus fuerit. Benedicet vinum, quod benedictum infundet in aquam; tum recitabit orationem *Omnipotens sempiterne Deus* etc. omissa altera, quae sequitur *Sanctificare per verbum Dei* etc.

11. Post orationem supradictam cooperietur mitra et pollice dextero in aquam consecratam intincto, quinque aspersiones seu cruces eodém pollice efficiet super primum lapidem in medio et in quatuor angulis, repetens formulam *Sanctificetur* et dextra tribus vicibus benedicens ad verba *In nomine Patris* etc. in singulis aspersionibus. Primam aspersionem faciet in medio, alteram in angulo posteriori qui respondet cornu Evangelii, tertiam in angulo anteriori cornu Epistolae, quartam in angulo anteriori cornu Evangelii, quintam in angulo posteriori cornu Epistolae.





Eodem modo deinceps easdem aspersiones faciet super singulos reliquos lapides.

12. Post aspersiones super omnes lapides confectas, pollicem absterget mantili, et accepto e manibus Cappellani aspergillo ex hyssopo aqua consecrata perfuso, incipiet antiphonam *Asperges me,* quam prosequetur recitare una cum Cappellanis; post antiphonam cum Cappellanis eisdem recitabit psalmum *Miserere,* quo finito, repetetur antiphona eadem, omisso *Gloria Patri.*

13. Interim Episcopus ter asperget primum lapidem per circuitum, videlicet incipiens in medio versus pectus suum et pergens a dextris suis, deinde redibit ad medium lapidis per sinistram. Deinde asperget reliquos omnes lapides, ut primum, et curabitur ut persolvatur actio ista cum recitatione psalmi praedicti, qui ob hanc rem recitabitur pausatim.

14. Expletis aspersionibus lapidum omnium, Episcopus relinquet aspergillum ex hyssopo, et post repetitionem antiphonae ab uno ex Cappellanis mantili mundo lapides abstergentur. Interim qui Presbyter thurificaturus erit altaria, in promptu habebit thuribulum.

15. Abstersis, ut supra, lapidibus cunctis, Episcopus dimittet mitram, recitabit versiculos *Domine exaudi* etc. *Dominus vobiscum* et orationem *Deus qui es visibilium* etc. pluraliter.

16. Praesentabitur thuribulum Episcopo a Presbytero, qui fungetur officio thurificandi altaria, et Episcopus cum benedictione in thuribulum imponet incensum, quod ei ministrabitur

ab uno ex Cappellanis. Cooperietur mitra a Caeremoniario aut ab uno ex Cappellanis, a quo recepto thuribulo, dum dicet antiphonam *Dirigatur*, ter adolebit primum lapidem per circuitum, incipiens a dextris suis et servans methodum, quae tenetur ad Missam solemnem in thurificatione oblatorum ; deinde prosequetur eodem modo adolere secundum lapidem, tum tertium, quartum et reliquos usque ad ultimum.

17. Incensato lapide ultimo, Episcopus tradet thuribulum Presbytero, qui consecrationis tempore adolebit praedicta altaria, aut non abscedens de loco suo, aut circumiens mensas seu tabulas, super quibus posita erunt, quum id pendeat a maiori minorive ipsorum numero.

18. Episcopus incipiet antiphonam *Erexit Iacob*, quam legere prosequetur cum Cappellanis suis. Recitabit deinde alternatim cum ipsis psalmum *Quam dilecta*. In fine psalmi omittet *Gloria Patri* et repetet antiphonam. Repetita antiphona, pollicem dexterum intinget in Oleum sacrum Catechumenorum et quinque unctiones peraget super primum lapidem, primam nempe in medio, alteram in angulo posteriori cornu Evangelii, tertiam in angulo anteriori cornu Epistolae, quartam in angulo anteriori cornu Evangelii, quintam in angulo posteriori cornu Epistolae, recitans singulis vicibus formulam *Sanctificetur* etc. Exsequens unctiones, pollice efficiet binas cruces, unam ad verbum *Sanctificetur*, alteram ad verbum *Consecretur*, postea ter benedicet dextra dicens *In nomine Patris* etc. Expletis quinque unctionibus super lapidem primum, Episcopus prosequetur unctiones efficere super lapidem secundum, dein super tertium et super reliquos.

19. Post unctiones Episcopus absterget pollicem et praesentato ipsi thuribulo a Presbytero, qui thurificabit altaria, imponet cum benedictione in thuribulum incensum, quod ei ministrabit unus ex Cappellanis vel Caeremoniarius. Thuribulo deinde e manibus praedicti Presbyteri accepto, recitabit antiphonam *Dirigatur* cum Cappellanis suis et semel tantum per circuitum incensabit lapidem primum, deinde secundum et reliquos, ut supra.

20. Episcopus thuribulum restituet Presbytero, qui prosequetur adolere Altaria; dimittet mitram, dicet *Oremus. Flecta-*

mus genua et assistentes respondebunt *Levate* (ad praedicta verba *Flectamus genua* solus Episcopus non genuflectet): subiunget deinde pluraliter orationem *Adsit Domine, misericordiae tuae* etc. postea incipiet antiphonam *Mane surgens*, cooperietur mitra et prosequetur antiphonam eamdem cum psalmo *Bonum est confiteri*, recitans illum alternatim cum Cappellanis, et post psalmum repetet eamdem antiphonam. Post repetitionem antiphonae Episcopus, pollice in Oleum sacrum Catechumenorum intincto efficiet super lapides quinque alias unctiones, ordine superius descripto.

21. Expletis unctionibus, absterget pollicem eique praesentabitur thuribulum a Presbytero, qui adolebit Altaria. Caeremoniarius aut unus ex Cappellanis ministrabit incensum Episcopo, qui cum benedictione imponet illud in thuribulum, acceptoque thuribulo e manibus Presbyteri praedicti, recitabit antiphonam *Dirigatur* et lapides omnes per circuitum una tantum vice thurificabit, ut supra traditum est. Restituet thuribulum Presbytero, qui prosequetur adolere altaria, et nudatus mitra dicet *Oremus. Flectamus genua;* responso ab Assistentibus *Levate* subiunget pluraliter orationem *Adesto, Domine, dedicationi* etc.

22. Episcopus dein incipiet antiphonam *Unxit te Deus* et mitra rursus coopertus prosequetur illam una cum psalmo *Eructavit,* quem recitabit alternatim cum Cappellanis. Repetet cum ipsis antiphonam post quam pollice intincto in S. Chrisma quinque unctiones successive efficiet super lapides quo modo superius docuimus. Post unctiones absterget pollicem, et cum benedictione imposito incenso in thuribulum ipsi praesentatum, ut supra, accipiet illud et recitans cum Cappellanis antiphonam *Dirigatur,* thurificabit semel tantum per circuitum lapides unum post alium. Thuribulum restituet Presbytero, qui prosequetur adolere Altaria, dimittet mitram, dicet *Oremus. Flectamus genua,* adstantes respondebunt *Levate* et recitabit pluraliter orationem *Exaudi nos, Deus* etc.

23. Episcopus post orationem denuo cooperietur mitra a Caeremoniario vel a Cappellano, et intincto pollice in sacrum Chrisma, efficiet unam tantum unctionem intra sepulcrum primi

lapidis, dicens *Consecretur* etc. Advertet autem, ut pollice signet cruces duas, ad verba *Consecretur, et sanctificetur*, atque dextra benedicat illud ad verba *In nomine Patris* etc. Hoc ipsum repetet in sepulcro aliorum lapidum. Interim aliquis assistentium, vel etiam lapidarius effundet aliquantulum aquae sacratae super gypsum aut scaliolam, quam trulla miscebit.

24. Episcopus post unctiones absterget pollicem gossipio et mitram dimittet. Accipiet dein Reliquias duorum Sanctorum Martyrum et exiguam partem earum ponet in sepulcro primi lapidis, postea eis adiunget tria perexigua grana thuris. Quando hoc peregerit in primo sepulcro, ponet Reliquias itemque incensum in secundo, deinde in tertio et in reliquis successive. Cappellanus unus, adiuvante lapidario, illinet gypso labrum sepulcri primi lapidis et claudet operculo, quod deinceps faciet in secundo, tertio et reliquis. Cappellanus alter accipiet mantile mundum ex tela rudi et postquam clausa erunt sepulcra, tollet diligenter gypsum, quod supererit super lapides. Omnibus sepulcris clausis, Caeremoniarius aut unus ex Cappellanis exuet mitram Episcopo, qui sine ulla variatione dicet orationem *Oremus. Deus, qui ex omnium* etc.

25. Post orationem incipiet Episcopus antiphonam *Ecce odor*, quam simul cum psalmo *Fundamenta eius* recitabit cum Cappellanis suis alternatim. Post psalmum non repetetur antiphona, nec dicetur *Gloria Patri*, sed Episcopus acceptis dextra ampullis cum S. Chrismate et cum Oleo sacro Catechumenorum, effundet parvam quantitatem eorum super primam lapidem, idemque faciet successive in reliquis. Postmodum depositis ampullis praedictis, incipiens super lapidem primum et prosequens super ceteros, manu dextera aperta expandet Olea sacra super lapides omnes, postea manum absterget gossipio, vel mantili ex tela rudi. Retinens capite mitram, recitabit pluraliter invitationem ad orationem *Lapides hos, fratres carissimi* etc. Dein cum Cappellanis recitabit alteram antiphonam *Aedificavit Moyses* et subiunget pluraliter alteram invitationem ad orationem *Dei Patris Omnipotentis* etc.

26. Mitram dimittet Episcopus et benedicet incensum comburendum super lapides, et post orationem asperget incensum

aqua benedicta. A Caeremoniario vel a Cappellano mitra reponetur Episcopo, qui efficiet quinque cruces, singulas ex quinis granis incensi, et superponet eis cruces ex gossipio cerato in quinque locis unctionum principalium, idque exsequetur super lapidem unumquemque. Cavendum autem, quoad crucem mediam, ne ponatur incensum super lapidem sepulcri, siquidem prae calore incensi posset frangi lapis ipse, eaque de caussa altare fieret exsecratum.

27. Accendentur expedite ab uno ex Cappellanis Cruces supradictae, quibus omnibus accensis, a Caeremoniario vel a Cappellano exuetur mitra et pileolus Episcopo, qui geniculabit super pulvinum, incipiet ℣. *Alleluia. Veni Sancte Spiritus* et prosequetur ipsum cum Cappellanis suis. A Septuagesima ad Pascha omittetur *Alleluia.* Episcopus assurget et stans sine mitra recitabit simul cum Cappellanis antiphonam *Ascendit fumus*, dein alteram *Stetit Angelus.* Subiunget *Oremus. Flectamus genua*, Cappellani respondebunt *Levate* et pluraliter recitabit orationem *Horum altarium, Domine* etc. Prosequetur sine ulla variatione orationem *Supplices te rogamus*, cum praefatione, quam pluraliter recitabit, manibus ante pectus expansis. Thure combusto, colligentur cineres et spathulis eradetur cera ab uno ex Cappellanis, qui cineres et ceram reponet in lance, ut infundantur postea in sacrarium.

28. Post praefationem Episcopus incipiet antiphonam *Confirma hoc Deus,* quam prosequetur cum Cappellanis assistentibus deinde recitabit sine ulla variatione *Quaesumus, omnipotens Deus* etc. Incensum cum benedictione imponet in thuribulum, et mitra coopertus ac manibus accepto thuribulo, dicet cum Cappellanis antiphonam *Omnis terra*, quo tempore incensabit successive semel tantum ad instar crucis super unumquemque lapidem consecratum. Dimittet thuribulum et mitra nudatus a Caeremoniario vel ab uno ex Cappellanis, recitabit pluraliter orationem *Descendat quaesumus, Domine* etc. non praemittens *Oremus.* Hac oratione explicit Altarium dedicatio.

29. Post haec Episcopus lavabit manus easque diligenter emundabit ab Oleis sacris, tum dimittet mitram et stolam. Unus pluresve Cappellani abstergent accurate lapides consecratos, et

super unum ipsorum celebrabitur Missa ab Episcopo, vel ab alio Sacerdote ex eius mandato.

30. Missa, in hac circumstantia celebranda, extat in Missali *In die Dedicationis altaris;* oratio autem secreta et postcommunio sunt pluraliter recitandae.

DE BENEDICTIONE COEMETERII
AB EPISCOPO PERSOLVENDA.

CAPUT XXIV.

1. Ubi constructum sit coemeterium aliquod in usum fidelium, benedicatur oportet ab Episcopo ritu praescripto in Pontificali Romano, priusquam ibi sepeliendi cadavera initium fiat.

2. Ut autem sit regulariter constructum, praecavenda haec erunt: ut liberum sit a quolibet incommodo transitus, stillicidii sive exitus aquarum, a cloacis etc. atque etiam, si fieri possit a prospectu fenestrarum, saltem illarum quae respondeant in coemeterium ipsum; ut sit conclusum ambitu muri stabilis et alti, quo cuivis prohibeatur accessus: ut unus tantum sit aditus, clausus clavibus et munitus cancellis ferreis, satis densis, ne locus detur canibus aliisque animalibus introeundi; ne unquam relinquatur apertum, nisi adsit qui advigilet eius custodiae: ut sint loculamenta, in quibus coacervatim reponantur ossa sub tecto: ut si cadavera sepelientur intra terram, altitudo terrae sit palmorum decem, sin in puteis ex muro, habeant isti fundum terrae non muri densi, et bina sint opercula lapidea in singulis sepulturis, ut sit divisio sepulcrorum, seu locus humandi cadavera, distinctus pro viris, foeminis, pueris et divisio distinguatur appositis inscriptionibus vel alio signo: ut sit locus a sacro seiunctus, sed clausus se-

pto cum porta, ad sepeliendos pueros vita functos sine baptismo: ne sint arbores, plantae, flores, aliaque inter cadavera etiam sub praetextu ornamenti et decoris: ne in parietibus sint picturae profanae, neque alia, quae loci sanctitatem dedeceant.

3. Aequum esset, ut extaret fons lustralis cum aspersorio stabili in ingressu, ut lampas iugiter arderet et adesset Sacellum decens ad celebrandam Missam.

4. Coemeterium tali modo constructum benedicetur ab Episcopo; functio autem peragenda erit matutinis horis.

De rebus praeparandis.

5. Curabitur, ut construantur quinque Cruces maiores ligneae ad altitudinem ordinariam hominis aut paullo altiores, quae autem medium locum obtinet, esse debet altior quam ceterae. Cruces istae defigentur in solo sine ulla basi ita ut inter cadavera sint statutae. Ut tamen sint stabiliter fixae, poterit eis aedificari basis ex muro, quae sit sub terra neque ullo modo appareat extra solum. In culmine cuiusque Crucis et in extremitatibus brachiorum earum configetur cuspis ferrea, ut singulis cuspidibus infigatur candela in actu benedictionis. Ante singulas Cruces unum ferme palmum figetur in terra paxillus ligneus cum tribus foraminibus, in quibus ponentur candelae ante benedictionem, qui paxillus poterit etiam firmari Cruce ipsa.

6. Cruces autem praedictae disponentur hoc ordine. Maior in medio, reliquarum quatuor una ante Crucem modo dictam, altera post eam, tertia a dextra eiusdem, quarta a sinistra, omnes tamen e regione ingressus et pari inter se distantia.

7. Comparabitur scabellum gradatum ligneum, leve in commodum Episcopi, si opus fuerit, quando crucibus impositurus erit candelas.

8. Praeparabitur locus aliquis, qui praestet vicem Sacrarii, in quo possit Episcopus sacris paramentis indui, si Caemeterium careret Sacello, aut nullum esset adnexum cubiculum decens.

9. In ecclesia viciniori praeparabitur quidquid opus est ad

Missam ab Episcopo celebrandam, si in Coemeterio nullum extaret Sacellum.

10. In medio coemeterio ante Crucem mediam, seu maiorem praeparabitur faldistorium cum veste albi coloris super exiguo tapeto et pulvinar in usum Episcopi quando geniculabit.

11. A sinistra faldistorii abacus contectus alba tobalea, in quo ponetur Pontificale (pars II.) Canon pontificalis, scotula cum candela, quindecim candelae perforatae in extremitate inferiori, imponendae crucibus, vas amplum aquae benedicendae, aliquantulum salis in lance, vasculum vacuum ad hauriendam ex concha aquam benedictam, aspergillum ex hyssopo, mantile seu manutergium unum ex tela subtili, thuribulum cum navicula et incenso; seorsim autem focus cum igne ardenti et forcipes.

12. Praeterea loco opportuno collocabitur legile cum pontificali in usum cantorum.

In Sacrario.

13. Sedes cameralis in usum Episcopi, supposito tapeto: Crux hastilis cum intorticiis duobus: amictus, alba, cingulum, Crux pectoralis, stola cum pluviali albi coloris, formale, mitra auriphrygiata et baculus pastoralis pro Episcopo: amictus duo totidemque albae et amictus, stola una albi coloris pro Diacono et Subdiacono: superpellicea sufficienti numero: quod spectat ad Missam, ut supra monuimus, paramenta omnia eius coloris, quem requirit officium, quod illa die celebrabitur.

14. Inservientes functioni erunt Diaconus et Subdiaconus; cantores quatuor; clerici tres pro Cruce et intorticiis: clerici duo pro libro et scotula: duo item pro mitra et baculo: alter pro vasculo aquae sanctae, alter pro thuribulo.

De functione.

15. Episcopus indutus rocheto et mozzeta, vel mantelleto si deget extra suam dioecesim accedet ad Sacrarium vel ad

alium locum constitutum ad induenda sacra paramenta et sedebit in sede praeparata. Clerici induent superpelliceum et Ministri sacri se parabunt in albis, Diaconus autem utetur etiam stola. Accendentur intorticia et distribuentur clericis paramenta episcopalia.

16. Ministri sacri se praesentabunt Episcopo eique reverentia facta, consistent a lateribus eius. Diaconus exuet ei Crucem pectoralem, mantelletum vel mozzetam. Deinde induent eum amictu, alba, cingulo, Cruce pectorali, stola et pluviali, cui Diaconus affiget formale et imponet mitram Episcopo, qui baculum pastoralem sinistra accipiet.

17. Crux cum intorticiis praesentabitur Episcopo, qui assurget et salutabit illam; postea procedetur ad Coemeterium ordine sequenti. Praeibit Crux cum intorticiis a lateribus, tum cantores, clerici inservientes, Clerus si aderit, Episcopus medius inter Ministros, clerici a mitra et baculo, familiares nobiles Episcopi.

18. Quum ventum erit in Coemeterium, Crux cum intorticiis consistet a dextra faldistorii in conspectu Episcopi, clerici inservientes prope abacum, cantores apud legile, Clerus disponetur in ordinem a lateribus faldistorii.

19. Episcopus sedebit faldistorio, versis humeris ad Crucem maiorem quae sita erit in medio coemeterio, cum Ministris a lateribus eius et habebit homiliam super sanctitate et libertate coemeterii.

20. Post homiliam clericus unus accendet quindecim supradictas candelas, earumque ternas imponet singulis crucibus in paxillo ligneo iam praeparato.

21. Episcopus dimittet baculum, si manu continuerit ipsum tempore homiliae, et nudatus mitra a Diacono, assurget et conversus ad Crucem principalem coemeterii dicet orationem *Oremus. Omnipotens Deus, qui es custos* etc.

22. Mitra cooperietur a Diacono, et posito pulvino ante faldistorium, geniculabit et procumbet super ipsum, cantores autem cantabunt Litanias non duplicatas usque ad totum ℣. *Ut omnibus fidelibus defunctis* etc. Episcopus assurget et baculo pastorali sinistra accepto, benedicet coemeterium, dicens *Ut hoc*

coemeterium etc. Dimittet baculum pastoralem, procumbet iterum et absolventur Litaniae, quibus completis, Episcopus assurget cum mitra in capite, et amoto pulvino, in quo genuflexerat, convertetur versus populum, seu vertet humeros ad Crucem principalem.

23. Episcopus appropinquabit abaco proximo faldistorio et exorcizabit salem. Exuetur mitra a Diacono et benedicet salem. Reposita ipsi mitra, exorcizabit aquam. Rursus nudatus mitra a Diacono, benedicet aquam. Propius accedet ad abacum, miscebit salem in aqua, dicens *Commixtio salis* etc. Prosequetur alteram orationem *Deus invictae* etc.

24. Intonabit antiphonam *Asperges me,* quam cantores prosequentur cantare cum psalmo *Miserere,* mitra rursus cooperietur a Diacono et baculum sinistra accipiet. Clericus unus accipiet vasculum et implebit aqua benedicta (quam infundet quando opus erit) et accipiet etiam aspergillum ex hyssopo. Praecedet Crux cum intorticiis, deinde Episcopus medius inter Ministros et Diacono adstabit clericus cum vasculo aquae sanctae, prope Subdiaconum incedent clerici cum libro et scotula. Interim in promptu habebitur thuribulum cum igne et scala si opus erit.

25. Episcopus procedet ad Crucem, quae sita erit ante Crucem mediam seu maiorem, ibique accepto e manibus Diaconi aspergillo, incipiet super coemeterium aspergere aquam sanctam, circumiens ipsum, et radens totum murum ambitus, redibit ante Crucem praedictam, nempe quae sita erit ante Crucem principalem, ubi praesto erit thuriferarius cum thuribulo.

26. Reversus illuc Episcopus relinquet Diacono aspersorium et postquam cantores desierint cantare psalmum *Miserere,* dimittet baculum et a Diacono nudabitur mitra. Conversus ad Crucem istam recitabit orationem *Oremus. Deus, qui es totius* etc. Post orationem imponet in thuribulum incensum, quod ei ministrabit Diaconus et accepto e manibus Diaconi thuribulo, reverentia facta ad Crucem, a Ministris autem genuflexione, incensabit Crucem triplici ductu; iterata deinde reverentia, restituet thuribulum Diacono, a quo cooperietur mitra. Tum clericus unus accipiet tres candelas positas ad pedem Crucis, earumque unam

tradet Diacono et hic porriget Episcopo, qui imponet eam in summitate Crucis, firmans cuspide ferrea ibi posita; deinde tradet alteram, quam Episcopus ponet in summitate brachii dexteri Crucis, postea tertiam, quam infiget in summitate brachii sinistri.

27. Cantores immediate recitabunt tono chorali psalmos *Domine, ne in furore tuo*, et *Beati quorum remissae sunt* etc. Episcopus, antecedente ut supra, Cruce cum intorticiis et eeteris ministris, sustinens sinistra baculum pastoralem, recipiet aspergillum et procedet ad Crucem, quae posita erit post mediam, seu maiorem, recitans psalmos supra innutos et aspergens aqua sancta terram, qua transibit. Ante Crucem illam quum venerit, relinquet aspergillum, et completa a cantoribus recitatione psalmorum, dimittet baculum pastoralem, nudabitur mitra, recitabit orationem *Oremus. Domine sancte* etc. thurificabit Crucem, reponens iterum incensum in thuribulum, et figet tres candelas super istam Crucem, quemadmodum fecerit in prima.

28. Cantores recitabunt psalmum *Domine ne in furore . . . Quoniam sagittae tuae*, et Episcopus ordine supra dicto, prosequens aspergere coemeterium, transibit ad Crucem positam a dextra Crucis principalis, ubi finito a cantoribus psalmo, recitabit orationem *Oremus. Domine Deus pastor* etc. incensabit et in ea ponet candelas ut in aliis.

29. Episcopo mitra cooperto, cantores recitabunt psalmum *Domine exaudi orationem . . Non avertas faciem tuam*, et Episcopus eodem ordine accedet ad Crucem, quae collocata erit a sinistra principalis prosequens semper aspergere aqua sancta Coemeterium. Ibi postquam recitatus erit psalmus praedictus, recitabit orationem *Oremus. Domine Iesu Christe* etc. incensabit Crucem et affiget tres candelas, ut supra.

30. Recitabuntur deinde psalmi *De profundis* et *Domine exaudi orationem meam, auribus percipe* etc. et Episcopus, aspergens aquam sanctam, accedet ad Crucem, quae in medio Coemeterio posita erit et subsistet ante ipsam, donec absoluta erit psalmorum eorumdem recitatio. Dimissa mitra, recitabit orationem *Oremus Adesto quaesumus*, postea cantabit praefationem, manibus expansis. Incensabit deinde Crucem et candelas affiget in ea, utens

scabello gradato, si opus fuerit. Tum dicet *Oremus* (Ministri *Flectamus genua*) et subiunget orationem *Domine sancte* etc.

31. His peractis, donabit benedictionem pontificalem, dicens *Sit nomen Domini benedictum*, ac si fuerit Ordinarius, poterit etiam concedere Indulgentiam, quae publicabitur a Diacono. In donanda benedictione stabit cum mitra aut sine mitra, iuxta gradum suum, prout nempe erit Archiepiscopus, aut Episcopus: postremo eodem ordine quo notatum est in principio, redibitur in Sacrarium ad sacra paramenta dimittenda.

32. Aequum esset, ut candelae supra Cruces positae arderent toto die, quoad consummentur.

33. Si suum esset Coemeterio Sacellum iam benedictum et compositum ad usum celebrandi, poterit ibi Episcopus celebrare Missam, secus celebrabit in ecclesia propinquiori.

34. Sin Missam celebrare ipsemet nollet, mandabit celebrationem ipsius Parocho, vel alteri dignitate ecclesiastica constituto, ac si Coemeterium esset conspicuum relate ad civitatem aut alias circumstantias, quae forte subesse possent, conveniens esset ut huic Missae solemni assisteret Episcopus, quo casu Indulgentia publicabitur in exitu Missae.

35. In benedictione Coemeterii nulla est Missa propria, sed recitatur Missa de officio currenti cum orationibus in Pontificali praescriptis, sub unica conclusione cum prima oratione.

DE RECONCILIATIONE ECCLESIAE ET COEMETERII AB EPISCOPO PERSOLVENDA.

CAPUT XXV.

1. Delicta, quibus violatur ecclesia et coemeterium recensentur in iure Canonico. Quocirca quum ad finem huius operis minime spectet illa enumerare, describemus tantum ritum in hac circumstantia ab Episcopo exsequendum.

2. Commisso scelere, quo ecclesia erit violata, claudetur immediate, removebitur ab ipsa SS. Sacramentum, denudabuntur altaria omnia, tolletur aqua sancta de vasis seu fontibus lustralibus neque amplius sonabunt campanae, nisi quum reconciliata ecclesia fuerit. Violata ecclesia, violatum etiam est coemeterium; violato autem solo coemeterio, ecclesia non erit violata. Curabitur autem, ut ecclesia violata reconcilietur quam celerrime, praesertim si agatur de ecclesia parochiali, ac si qua immineret solemnitas.

3. Si ecclesia erit consecrata, reconciliatio peragenda est omnino ab Episcopo; nisi consecrata fuerit, peragi poterit a Presbytero aliquo ex mandato Episcopi ritu statuto in Ritnali Romano. Quando ecclesia erit consecrata et ex indulto Apostolico reconciliabitur a Presbytero, servandus erit ritus in Pontificali Romano statutus et utenda aqua ad hunc finem consecrata ab Episcopo.

4. Functionem hanc licebit celebrare quacumque die, semper autem matutino tempore, quoniam expletur cum celebratione Missae. Curabitur, ut libere possit circumire ecclesia, et si aderit, coemeterium quoque.

De rebus praeparandis.

5. Ecclesia esto expoliata quocumque ornamento. Prope altare unumquodque praeparabitur Crux cum candelabris, quibus exornentur: item tobaleae et reliqua quae sunt ad ornatum.

6. In medio coemeterio, si erit ecclesiae contiguum, vel extra portam principalem ecclesiae, praeparabitur faldistorium instructum veste albi coloris et collocabitur super exiguum tapetum. Statuetur ibi abacus contectus alba tobalea, in quo aderit vas cum aqua benedicenda; vasculum ad hauriendam aquam ipsam; aliquantulum salis benedicendi in lance; mantile pro Episcopo; aspergillum ex hyssopo; pontificale (pars II.) et scotula cum candela.

Intra Ecclesiam.

7. Ante altare maius intra presbyterium praeparabitur super exiguo tapeto faldistorium cum veste albi coloris et a latere faldistorii pulvinar ad genuflectendum. Super abaco, alba tobalea cooperto, concha seu vas maioris formae cum aqua benedicenda; aliquantulum salis in lance; aliquantulum cineris in lance: phiala vel ampulla plena vini; mantile pro Episcopo; vasculum ad extrahendam aquam benedictam; aspergillum ex hyssopo. Poterit ibi etiam praeparari totum id, quod opus est ad Missam lectam, quae celebrabitur ab Episcopo: sin Episcopus non celebrabit Missam, quae necesse sunt ad Missam solemnem, praeparabuntur in Sacrario.

In Sacrario.

8. Sedes cameralis cum tapeto pro Episcopo: amictus duo ac pari numero albae et cingula, stola una pro Ministris. Pro Episcopo autem amictus, alba, cingulum, Crux pectoralis, stola et pluviale albi coloris, formale pretiosum, quae paramenta contegentur velo albo. Insuper mitra auriphrygiata cum vimpa pro ministro, baculus pastoralis prope abacum sacrarum vestium, Crux hastilis, intorticia duo gestanda a lateribus Crucis, superpellicea pro inservientibus et quidquid opus est ad Missam cantatam, ut ante dictum est.

9. Personae ad hanc functionem invitandae, sunt Diaconus et Subdiaconus: Subdiaconus aut clericus ad gestandam Crucem: clerici duo pro intorticiis: quatuor Cappellani seu clerici pro mitra, baculo libro et scotula; clericus unus pro vasculo aquae benedictae: cantores quatuor: duo alteri clerici qui inserviant quando opus erit: Sacrista cum clericis suis ad exornanda altaria.

De Functione.

10. Hora praestituta Clerus conveniet in Sacrarium; clerici sibi induent superpelliceum; Ministri sacri induentur paramentis supra notatis.

11. Episcopus indutus rocheto et mozzeta, vel mantelleto, nisi fuerit Ordinarius, a Clero excipietur in limine ecclesiae, non sonabitur campanis, nec porrigetur ei aqua benedicta. Veniet in Sacrarium, sedebit sede praeparata, ac dimissa mozzeta vel mantelleto, a Ministris qui adstabunt lateribus eius, induetur amictu, alba, cingulo, Cruce pectorali, stola et pluviali cum formali. A Diacono imponetur ei mitra auriphrygiata et accipiet sinistra baculum pastoralem.

12. Episcopo parato se sistent clerici cum Cruce et intorticiis. Episcopus assurget et salutabit Crucem, procedetur extra ecclesiam ordine sequenti. Clerici tres cum Cruce et intorticiis. Cantores bini, qui deferent pontificale ad cantandum antiphonam et psalmum, ut infra. Qui de Clero sunt, bini et digniores propius Episcopum incedent. Episcopus medius inter Ministros, et dextra benedicet populum, si deget in sua dioecesi. Duo Cappellani a mitra et baculo. Reliqui duo a libro et scotula. Familiares nobiles Episcopi, si aderunt.

13. Hoc ordine procedetur ad Coemeterium, si aderit, vel extra portam ecclesiae. Crux consistet dextrorsum extra ingressum, Clerus disponetur a lateribus prope faldistorium et Episcopus cum Ministris sedebit faldistorio ipso.

14. Brevi interposita mora, Episcopus appropinquabit abaco et exorcizabit salem dicens *Adiutorium nostrum* etc. *Exorcizo te* etc. Exorcismo salis completo, Episcopus dimittet baculum et a Diacono nudabitur mitra. Recitabit orationem ad benedicendum salem. Reposita ei mitra a Diacono, et baculo sinistra recepto, recitabit exorcismum super aquam. Hoc exorcismo peracto, baculum dimittet, exuetur mitra a Diacono et recitabit orationem, qua benedicet aquam. Aqua benedicta, accipiet pugillum salis manu dextera ac dicens *Commixtio salis* etc. infundet ipsum in aquam ad instar Crucis tribus vicibus ad verba *In nomine Patris* etc. In hac actione advertet, ne madefaciat, neve immergat manum in aquam. Diaconus, si opus fuerit, porriget mantile Episcopo, quo absterget manum. Postea recitabit alteram orationem *Deus invictae virtutis* etc. Hac oratione recitata, clericus, cuius officium deferre vasculum aquae sanctae implebit ea vasculum et accipiet etiam aspergillum ex hyssopo.

15. Episcopus intonabit antiphonam *Asperges me*, quam prosequentur cantores una cum psalmo *Miserere*, cuius in fine cantabitur *Gloria Patri* et repetetur antiphona. Antiphona intonita, Diaconus reponet mitram Episcopo, deinde porriget ei aspergillum ex hyssopo.

16. Episcopus, praecedente Cruce cum intorticiis, medius inter Ministros, sequente Cappellano a mitra, circumibit Coemeterium, si aderit, et ecclesiam externe, aspergens illam aqua benedicta et praecipue locum violatum. Clericus deferens vasculum aquae sanctae incedet a dextris Diaconi. Si ecclesia libere circumiri non posset, observabitur quod traditum est in Dedicatione ecclesiae cap. XVIII. num. 60.

17. Reversus in medium coemeterium, vel nisi aderit coemeterium, ante portam principalem ecclesiae, Episcopus restituet aspersorium Diacono. Completo cantu psalmi et repetita antiphona, Diaconus exuet mitram Episcopo, qui conversus ad ecclesiam cantabit orationem *Oremus. Omnipotens et misericors* etc. Post hanc orationem Episcopus cantabit *Oremus* (Ministri *Flectamus genua*) et subiunget alteram orationem *Aufer a nobis* etc. Si cum ecclesia reconciliabitur etiam coemeterium, Episcopus iterum cantabit *Oremus. Flectamus genua* et adiiciet orationem *Domine pie, qui agrum figuli* etc. quae tamen oratio omittetur, si ecclesia careret coemeterio.

18. Hac vel altera oratione completa, Diaconus reponet mitram Episcopo, qui sinistra resumet baculum. Ingredientur in ecclesiam clerici cum Cruce et intorticiis, sequentur cantores, quorum duo incipient cantare Litanias, sequetur Clerus et Episcopus, ordine supra notato. Crux cum intorticiis intrabit in presbyterium Altaris maioris et consistet a latere Evangelii, cantores accedent ad legile praeparatum, Clerus in eodem presbyterio disponetur in binos ordines, Episcopus cum Ministris genuflectet faldistorio ibi praeparato et priusquam genuflectat, dimittet baculum pastoralem. Prosequetur cantare Litanias, quibus respondebunt adstantes. Cantato versiculo *Ut omnibus fidelibus defunctis* etc. Episcopus tantum cum Ministris assurget et sinistra accepto baculo benedicet ecclesiam tribus vicibus, dicens *Ut ecclesiam hanc* etc. ut in Pontificali, advertens, ut in

formula ista omittat verbum *Coemeterium*, quando coemeterium non sit reconciliandum. Post triplicem benedictionem Episcopus dimittet baculum, genuflectet iterum in faldistorio et absolventur Litaniae.

19. Completis Litaniis, assurget Episcopus et exuetur mitra a Diacono. Tum conversus ad altare maius, cantabit *Oremus* (Ministri *Flectamus genua*) et orationem *Deus qui peccati veteris* etc. Post orationem stans Episcopus, eodem loco, geniculabit ante faldistorium et cantabit *Deus in adiutorium meum intende*, cantores respondebunt *Domine ad adiuvandum me festina*. Assurget Episcopus et cantabit *Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto*, respondebitur a cantoribus *Sicut erat* etc. non adiungentes *Alleluia* neque alia. Hoc idem, ut supra, repetetur secunda ac tertia vice, Episcopo singulis vicibus attollente vocem hemitonio. In actione ista adstantes genuflectent et assurgent, quando genuflectet et assurget Episcopus.

20. Diaconus reponet mitram Episcopo, qui accedet ad abacum, in quo praeparata erit aqua consecranda. Quum huius benedictionis formula desumenda sit ex ritu Dedicationis Ecclesiae, advertet Episcopus ut verbum *consecrationem* variet in *reconciliationem*. Crux cum intorticiis propter hanc benedictionem consistet prope abacum in conspectu Episcopi. Episcopus exorcizabit salem, dicens *Exorcizo te creatura salis* etc. Post exorcismum salis exuetur mitra a Diacono et recitabit orationem super salem ad benedicendum ipsum. Reposita ei mitra a Diacono, recitabit exorcismum super aquam. Post exorcismum istum Diaconus exuet mitram Episcopo, qui recitabit orationem ad benedicendam aquam. Post aquae benedictionem recitabit orationem super cinerem, quem benedicet. Tum accipiet manu dextera pugillum salis et dicens *Commixtio salis et cineris* etc. ter imponet salem super cinerem in modum Crucis ad verba *In nomine Patris* etc. Postmodum accipiet pugillum commixtionis salis et cineris atque, ut supra, imponet in aquam, dicens *Commixtio* etc. Diaconus porriget Episcopo mantile, si opus fuerit, quo hic absterget manum. Deinde Episcopus recitabit orationem super vinum, quo benedicto, accipiet phialam sive ampullam a Diacono et vinum in aquam tribus vicibus infundet ad verba *In*

nomine Patris etc. Postremo Episcopus recitabit orationem *Omnipotens sempiterne Deus* etc. qua oratione absolvitur benedictio supradicta. Hac oratione absoluta, clericus, cuius hoc erit officium, implebit vasculum aqua superius nominata, quam attinget aspergillo ex hyssopo et consistet a dextris Diaconi.

21. Episcopus redibit ante altare maius et conversus ad ipsum intonabit antiphonam *Exurgat Deus*, quae continuabitur a cantoribus cum parte eiusdem psalmi 67. *In ecclesiis benedicite Deo* etc. ac post singulos versiculos repetetur antiphona. Interim Episcopus cum Ministris, praecedente Cruce cum intorticiis, initium ducens a latere Evangelii, tribus vicibus circumibit ambitum interiorem ecclesiae et in primo circuitu asperget aqua consecrata partem superiorem parietum, in secundo parietes eosdem versus partem inferiorem, in tertio pavimentum et praesertim locum in quo commissum fuerit delictum, propter quod violata erit ecclesia. Tertio circuitu peracto, revertetur Episcopus ante Altare, restituet aspergillum Diacono ibique consistet, conversus ad altare ipsum.

22. Postquam cantores desierint cantare psalmum supra indicatum, cuius in fine repetetur antiphona loco *Gloria Patri*, Episcopus cum mitra in capite cantabit invitationem ad orationem *Deum indultorem criminum* et in fine ipsius, post verba *vivit et regnat Deus*, Diaconus exuet ei mitram. Episcopus in cantu feriali et manibus expansis prosequetur praefationem usque ad conclusionem *Per Dominum* etc. quam recitabit submissa voce.

23. Diaconus reponet mitram Episcopo, qui ascendet in suppedaneum altaris una cum Ministris. Ibi intonabit antiphonam *Introibo*, quae continuabitur a cantoribus cum psalmo *Iudica me Deus*, cuius in fine, omisso *Gloria Patri*, repetetur antiphona. Repetita antiphona, Diaconus tollet mitram Episcopo, qui cantabit *Oremus*.(Ministri *Flectamus genua*) et subiunget orationem *Deus qui in omni loco* etc.

24. Deinde Episcopus intonabit antiphonam *Confirma hoc Deus*, quam prosequentur cantores cum integro psalmo *Exurgat Deus*. Intonita antiphona, Diaconus reponet mitram Episcopo, qui ibi manebit donec cantatus erit totus praedictus psalmus

cum *Gloria Patri* et in fine non repetetur antiphona. Completo psalmo, Episcopus exuetur mitra a Diacono.

25. Episcopus cantabit orationem *Oremus. Deus, qui Ecclesiam tuam* etc. Post orationem, Diaconus reponet mitram Episcopo, qui ritu usitato impertietur populo benedictionem.

26. Impertita benedictione, eodem ordine ac superius, Episcopus cum Clero revertetur in Sacrarium et hoc tempore a Sacrista cum clericis ornabuntur altaria.

27. Si Episcopus celebrabit Missam, redibit ad altare ibique parabitur, sin minus discedet de ecclesia ordine supra innuto et cantabitur Missa ab alio Presbytero ex mandato eius. Celebrabitur Missa de officio currente et primae orationi adiungetur altera oratio in Pontificali notata, sub unica conclusione.

DE RECONCILIATIONE COEMETERII AB EPISCOPO PERSOLVENDA.

CAPUT XXVI.

1. Violatum coemeterium claudetur immediate, neque ullum in ipso humabitur cadaver, donec non fuerit reconciliatum. Reconciliatio peragetur tempore matutino et fieri poterit quacumque die.

De rebus praeparandis.

2. In medio coemeterio sternetur tapetum et super ipsum ponetur faldistorium cum veste albi coloris et prope faldistorium pulvinus, in quo genuflectet Episcopus.

3. Prope faldistorium collocabitur abacus coopertus alba tobalea, in quo praeparabitur concha cum aqua benedicenda, aliquantulum salis in lance, vasculum vacuum ad extrahendam aquam antedictam, aspergillum ex byssopo, mantile pro Episcopo, Pontificale (pars II) et scotula cum candela. Aderit etiam alterum Pontificale in usum cantorum.

4. In Sacrario sacelli vel ecclesiae proximae coemeterio, praeparabuntur paramenta pro Episcopo, quae sunt amictus, alba, cingulum, Crux pectoralis, stola, pluviale albi coloris, et formale pretiosum et cooperientur velo albi coloris. Insuper mitra auriphrygiata cum vimpa seu velo pro ministro: prope abacum autem baculus pastoralis. In altero abaco disponentur paramenta pro Ministris, videlicet amictus duo totidemque albae et cingula, stola albi coloris pro Diacono, superpellicea pro clericis inservientibus. Crux hastilis et intorticia duo. Sedes cameralis super tapeto in usum Episcopi.

5. Si coemeterium careret Sacello, neque locus esset idoneus ad hanc rem, paramenta episcopalia et cetera praeparabuntur in altero abaco posito in ipso coemeterio, neque hoc casu parabitur sedes cameralis.

6. Ad functionem istam opus sunt Diaconus cum Subdiacono; item Subdiaconus aut clericus delaturus Crucem et Acolythi seu clerici duo, qui deferant intorticia a lateribus Crucis; quatuor Cappellani seu clerici a mitra, baculo, libro et scotula; cantores itidem quatuor; clericus unus pro vasculo aquae benedictae.

De functione.

7. Clerus in Sacrario vel alio loco designato induet superpelliceum. Ministri induentur paramentis superius notatis.

8. Hora praestituta Episcopus indutus rocheto et mozzeta, vel mantelleto accedet ad locum praedictum et excipietur a Clero. Sedebit in sede praeparata, et stantibus a lateribus eius Ministris, dimittet mozzetam vel mantelletum et induetur amictu, alba, cingulo, Cruce pectorali, stola et pluviali albi coloris cum formali pretioso: a Diacono imponetur ei mitra, et sinistra accipiet baculum pastoralem.

9. Ante Episcopum paratum se sistent clerici cum Cruce et intorticiis. Episcopus assurget, salutabit Crucem et procedetur ad Coemeterium. Praeibit Crux cum intorticiis a lateribus, tum cantores bini, superpellicio induti, deinde Clerus (et pariter incedent bini, digniores autem propius Episcopum) se-

quetur Episcopus medius inter Ministros, ac si deget in dioecesi sua, benedicet adstantes manu dextera. Post Episcopum. incedent Cappellani a mitra et baculo, deinde reliqui duo a libro et scotula: ultimo loco familiares nobiles Episcopi, si aderunt.

10. Quum ventum erit in coemeterium, clerici cum Cruce et intorticiis consistent a dextra faldistorii, Clerus disponetur in lateribus prope faldistorium, Episcopus sedebit faldistorio et Ministri a lateribus eius.

11. Quod si Episcopus ibi induerit paramenta apud faldistorium, omittenda sunt quae superius notata fuerunt de accessu ex Sacrario ad coemeterium.

12. Episcopus sedebit brevi tempore, deinde assurget, dimittet baculum, geniculabit in faldistorio et cantores duo cantabunt Litanias. Post versiculum *Ut omnibus fidelibus defunctis* etc. Episcopus cum Ministris assurget et baculo sinistra accepto, benedicet tribus vicibus Coemeterium, cantans *Ut hoc Coemeterium* etc. ut in Pontificali. Dimittet baculum, rursus geniculabit in faldistorio et absolventur a cantoribus Litaniae.

13. Litaniis absolutis, Episcopus assurget et adstantes omnes cum eo; tum baculo sinistra accepto, accedet ad abacum, et exorcizabit salem, dicens *Adiutorium nostrum* etc. *Exorcizo* etc. Exorcismo salis peracto, Episcopus dimittet baculum, dein exuetur mitra a Diacono. Recitabit orationem, qua benedicet salem. Iterum coopertus mitra a Diacono, resumet baculum sinistra et exorcismum super aquam recitabit. Post exorcismum dimittet baculum et a Diacono exuetur mitra. Recitabit orationem et benedicet aquam. Aqua benedicta, Episcopus dextra accipiet pugillum salis et dicens *Commixtio salis* etc. ponet ipsum tribus vicibus in aquam ad verba *In nomine Patris* etc. advertens ne madefaciat manum. Diaconus si necesse fuerit, porriget Episcopo mantile, quo absterget manum. Postremo Episcopus recitabit alteram orationem *Deus invictae virtutis* etc. Post orationem istam clericus extrahet vasculum unum aquae consecratae, accipiet aspergillum ex hyssopo et consistet a dextris Diaconi.

14. Episcopus intonabit antiphonam *Asperges me*, quam cantores prosequentur cum psalmo *Miserere*. Diaconus reponet

mitram Episcopo eique porriget aspergillum. Episcopus, medius inter Ministros, praeeunte Cruce cum intorticiis, clerico autem cum vasculo aquae sanctae incedente a dextris Diaconi, circumibit coemeterium, incipiens a latere dextro ipsius, ac totum asperget aqua benedicta, modo autem speciali locum violationis. Revertetur post aspersionem in medium coemeterii et aspergillum Diacono restituet.

15. Fine facto cantandi psalmum supra nominatum et omisso *Gloria Patri* ac repetita antiphona, Diaconus exuet Episcopo mitram. Episcopus cantabit *Oremus.* (Ministri *Flectamus genua*) et subiunget orationem *Domine pie, qui agrum figuli* etc.

16. Post orationem Diaconus reponet mitram Episcopo qui benedictionem solemnem populo largietur.

17. Denique ordine eodem, quo venit in Coemeterium, revertetur in Sacrarium dimissurus vestes sacras, vel prope faldistorium exuetur illis, quemadmodum a principio declaratum fuit.

DE BENEDICTIONE CAMPANAE.

CAPUT XXVII.

1. Campanae ad usum sacrum destinatae, benedicendae, sunt ab Episcopo priusquam collocentur in turri sacra. Functionem persolvere licet quacumque die et hora ac loco etiam quolibet, dum reputetur idoneus, tum in ecclesia aut in Sacrario, tum in porticu et in publica quoque platea, si difficile esset campanam asportare et collocare in ecclesiam vel in alio loco clauso.

2. Campana, quae erit benedicenda, suspendetur trabibus tribus in summitate iunctis ope funium atque ita appendetur in medio trabium praedictarum, ut pars eius inferior seu labrum distet a pavimento quinque vel sex palmos, ut Episcopus tangere facile possit eam intra et extra. Trabes

et funes licebit convestire paratibus rubri coloris, praetextis aureis, floribus, aliisque ornamentis decentibus: curabitur, ut campana sit tuto suspensa, nequid incommodi accipiatur.

3. In capite loci, quo fiet functio, decem ferme passus longe a campana, collocabitur faldistorium cum veste albi coloris, super exiguo suppedaneo cooperto tapeto. A lateribus faldistorii, extra suppedaneum, aderunt scabella duo pro Ministris. Circa campanam fieri poterit septum ex scamnis, vel alio modo ad continendum populum, ne nimium appropinquet campanae, praesertim tempore sacrae functionis.

4. A sinistra faldistorii praeparabitur abacus maioris formae, contectus alba tobalea, et super ipsum disponentur res sequentes. Candelabra duo cum cereis pro Acolythis. Urceus cum pelvi. Mantilia seu manutergia duo pro Episcopo in lance. Medulla panis et mali medici in lance. Spongiae maiores duae, totidemque aut plura mantilia maiora ex tela rudi, quae satis sint ad abstergendam campanam intus et foris. Missale vel Evangeliarium cum tegumento, et signaculo albi coloris posito ad Evangelium diei XV. Augusti. Manipuli albi coloris pro Ministris. Thuribulum et navicula cum thure. Myrrha, incensum, laser, styrax atque huiusmodi gummae odorae satis tritae, quibus efficitur *thymiama* in lance cum cochleari maiore. Aliquantulum salis in lance. Concha maior seu vas decens plenum aquae. Vascula cum S. Chrismate et Oleo sacro Infirmorum in lance. Aliquantulum gossipii soluti. Mantile aut purificatorium unum ad abstergendam primam unctionem. Pontificale (pars. II). Scotula cum candela. Aspergillum ex hyssopo. Lamella gypsi. Fasciola chartacea, ad metiendam distantiam aequalem, quae esse debet inter septem cruces externas.

5. Seorsim focus manubrio instructus cum igne ardenti, supponendus campanae. Scabellum supponendum campanae quando lavabitur. Legile cum pontificali pro cantoribus.

In Sacrario, vel alio loco decenti
ubi parabitur Episcopus.

6. Sedes cameralis, vel etiam faldistorium super tapeto. Crux hastilis cum intorticiis duobus. Super abaco, alba tobalea

contecto, praeparabitur amictus, alba, cingulum, crux pectoralis, stola cum pluviali albi coloris, formale pretiosum, mitra auriphrygiata et baculus pastoralis. Paramenta haec cooperientur velo concolore. Urceus cum pelvi et mantile unum in lance, in altero abaco amictus, albae et cingula duo, tunicella, stola et dalmatica albi coloris ac bireta duo pro Ministris. Superpellicea quae satis sint inservientibus.

7. Ad functionem istam peragendam requiruntur Diaconus et Subdiaconus, clerici tres ad gestandam Crucem et intorticia, Acolythi duo ac thuriferarius, duo clerici pro libro et scotula, duo pro mitra et baculo pastorali, cantores quatuor, campanarius.

De Functione.

8. Episcopus indutus rocheto et mozzeta, vel etiam mantelleto veniet in Sacrarium vel alium locum praestitutum ad induenda sacra paramenta et sedebit sede praeparata. Clerici sibi induent superpelliceum et debito tempore se parabunt Ministri. Interim accendentur duo supradicta intorticia et distribuentur clericis paramenta episcopalia. Ministri sacri accedent ad Episcopum et consistent a lateribus eius, Diaconus nempe a dextris, Subdiaconus a sinistris. Episcopus per Ministros antedictos dimittet Crucem pectoralem, mozzetam vel mantelletum. Sedens sibi ipse caput cooperiet bireto et lavabit manus, ministrantibus aquam familiaribus eius: Ministri autem sustinebunt mantile super eius genua extensum. Lotis et abstersis manibus, dimittet biretum et parabitur amictu, alba cingulo, Cruce pectorali, stola et pluviali albi coloris, cui apponetur formale. A Diacono cooperietur mitra et sinistra recipiet baculum pastoralem.

9. Episcopo parato praesentabitur Crux cum intorticiis. Episcopus assurget, salutabit illam et procedetur ad locum functionis ordine sequenti. Anteibit Crux cum intorticiis, tum cantores, Clerus, Episcopus medius inter Ministros, qui capite cooperto bireto sustentabunt fimbrias pluvialis, clerici a mitra et baculo, familiares nobiles Episcopi.

10. Quum ventum erit ad locum functionis clerici cum intorticiis consistent post campanam contra faldistorium vel alio loco, dummodo Crux conspici possit ab Episcopo, secus locum sument a dextris a latere faldistorii; clerici inservientes apud abacum, cantores ad legile, Clerus, si aderit, ad scamna, Episcopus sedebit faldistorio et baculum dimittet. Se sistent Episcopo Cappellani sui cum libro et scotula.

11. Episcopus sedens intonabit tono chorali sine cantu psalmum *Miserere*, quod iunctim cum reliquis continuabitur a cantoribus. Episcopus tantum recitabit *Gloria Patri* et inchoabit psalmum sequentem. Ad psalmum ultimum ponetur ante Episcopum scabellum et super illud concha cum aqua benedicenda, clericus unus sustinebit lancem cum sale.

12. Psalmis absolutis, Episcopus assurget, dicet *Adiutorium nostrum* etc. et exorcizabit salem. Exuetur mitra a Diacono et benedicet salem. Deinde mitra iterum coopertus exorcizabit aquam. Dimittet mitram et aquam benedicet. Post orationem communem subiunget alteram peculiarem *Benedic, Domine, hanc aquam* etc. non praeponens *Oremus*. Miscebit salem in aqua dicens *Commixtio salis* etc. et manum absterget mantili, si opus erit. Adiiciet alteram orationem *Deus invictae virtutis auctor* etc. Qua oratione completa, Episcopus sedebit et mitra cooperietur.

13. Clerici duo deferent scabellum cum concha aquae subter campanam, alter clericus in promptu habebit aspergillum ex byssopo. Collocata aqua benedicta subter campanam Episcopus accipiet sinistra baculum pastoralem et accedet ad campanam. Ibi Diaconus ei porriget aspergillum, quod Episcopus immerget in aquam benedictam et incipiet campanam lavare, madefaciens aspergillo ipso labrum tantum externum, deinde internum. Quo facto, restituet aspergillum Diacono et redibit ad faldistorium.

14. Reversus ad faldistorium Episcopus sedebit, dimittet baculum pastoralem et intonabit psalmum *Lauda anima mea Dominum*, quem cum psalmis reliquis prosequentur cantores tono chorali et sine cantu, ut ante dictum est. Hoc tempore duo Presbyteri superpellicio induti vel saltem clerici duo, sacro ordine constituti, spongiis aqua sancta perfusis lavabunt cam-

panam totaliter intus et foris, deinde mantilibus abstergent illam.

15. Caeremoniarius aut alter designatus statim ac lota erit campana, gypso signabit versus medium campanae Crucem unam quo loco facienda erit unctio prima, deinde alteras septem in circuitu externo versus labrum, utens mensura iam accepta pro distantia aequali unius Crucis ab altera, postea quatuor alias in labro interno. In promptu habebitur etiam tabella cum formula unctionum. Clerici duo amovebunt concham aquae benedictae quae posita fuerat subter campanam et relinquent ibi scabellum.

16. Psalmis absolutis, Episcopus, accepto baculo pastorali accedet ad campanam, et pollice in Oleum sacrum Infirmorum intincto, signabit super campanam loco designato Crucem unam, nihil dicens. Caeremoniarius tam in ista, quam in reliquis unctionibus advertat, ut ante unctionem mantili ex tela rudi deleat gypsum, quo signata fuerit Crux versus medium campanae, ut superius dictum est. Unctione peracta, Episcopus absterget pollicem gossipio et dimisso baculo pastorali ac nudatus mitra cantabit tono feriali orationem *Oremus. Deus qui per beatum Moysen* etc.

17. Post orationem cooperietur mitra a Diacono, a quo deinde accipiet mantile vel purificatorium et ipso absterget unctionem, quam peregerit super campanam. Post haec intonabit antiphonam *Vox Domini*, quam in cantu prosequentur cantores cum psalmo *Afferte Domino*. Dum cantabitur antiphona cum psalmo praedicto, Episcopus intincto pollice in Oleum sacrum Infirmorum, peraget septem unctiones externas, recitans formulam praescriptam, quam leget ex tabella sibi sustenta a Subdiacono. Episcopus unctionem primam incipiet super Crucem designatam infra illam, in qua iam fecerit unctionem, et prosequetur a dextris suis. Expletis septem unctionibus externis, absterget pollicem gossipio; tum praesentato ipsi vasculo cum sacro Chrismate, peraget quatuor unctiones internas, recitans eamdem formulam et prosequens etiam in istis ad dexteram suam. Post unctiones absterget pollicem et dimissa mitra, cantabit tono feriali orationem *Oremus. Omnipotens sempiterne Deus* etc.

18. Post orationem rursus cooperietur mitra et accedet ad faldistorium, ubi sedens lavabit manus et absterget pollicem medulla panis et mali medici.

19. Interim clericus unus in promptu habebit *thymiama* sive odores, et alter foculum cum igne ardenti (*a*).

20. Episcopo, lotis manibus, praesentabitur foculus et Diaconus porriget ei cochleare cum lance *thymiamatis*. Episcopus iniiciet illud super ignem et clericus immediate collocabit focum fumantem in scabello et subter campanam ponet ita, ut fumum totum recipiat. Cantores tunc cantabunt antiphonam *Deus in sancto* cum parte psalmi LXXVI. *Viderunt te aquae Deus* etc. cum *Gloria Patri,* non repetentes antiphonam.

21. Quando cantabitur *Sicut erat* etc. Episcopus nudabitur mitra, deinde assurget et cantabit, ut supra, orationem *Oremus. Omnipotens Dominator* etc. Post orationem sedebit et mitra ipsi a Diacono reponetur.

22. Ministri, facta iunctim ad Episcopum reverentia, accedent ad abacum, ubi Acolythi imponent eis manipulum brachio sinistro. Diaconus revertetur ad dextram Episcopi, ministrabit ei incensum, quod ab Episcopo imponetur in thuribulum cum benedictione usitata. Diaconus redibit ad abacum, accipiet librum Evangeliorum et se adiungens Subdiacono, Acolythis deferentibus candelabra ardentibus cereis, ac thuriferario, se sistet ante Episcopum et genuflexus petet ab eo benedictionem, dicens *Iube, Domne, benedicere;* Episcopus respondebit *Dominus sit* etc. Assurget Diaconus, et facta ab omnibus debita ad Episcopum reverentia, venient ad dexteram eius et cantabitur Evangelium.

23. Episcopus nudabitur mitra a Caeremoniario, assurget et baculum inter manus continebit dum cantabitur Evangelium. Post cantum Evangelii, Episcopus dimittet baculum, osculabitur librum Evangelii praesentatum ipsi a Subdiacono et incensabitur a Diacono.

(*a*) Pontificale praescribit ut campanae supponatur thuribulum. In praxi autem cognoscitur id fieri non posse propter thuribuli parvitatem, idcirco substituitur foculus qui potest in officio actuali vocari etiam thuribulum, seu vas cum igne ubi ardeat incensum.

24. Subdiaconus, ubi Episcopus osculatus erit Evangelium, consistet a sinistris eius; Diaconus postquam incensaverit eum, redibit ad eius dexteram et subito manipulos dimittent.

25. Tunc Episcopus signum Crucis efficiet super campanam, nullum proferens verbum, atque hoc modo explicit functio huiusmodi.

26. Campanarius ligabit chordulam malleo campanae, et discedente Episcopo, sonabitur a clerico, siquidem pulsare campanam officium est Ostiarii.

27. Episcopus eodem ordine, quo accesserit, discedet de loco functionis et revertetur in locum praestitutum ad dimittenda paramenta.

DE BENEDICTIONE PLURIUM CAMPANARUM.

CAPUT XXVIII.

1. Quae superiori capitulo de benedictione campanae unius tradita sunt, servabuntur, paucisque additis instructionibus, functio de plurium campanarum benedictione tractabitur sequenti modo.

2. Campanae appendentur quemadmodum ibi traditum est, sed eo modo, ut adsit ab una ad alteram aequum intervallum, quo possint ab Episcopo libere circumiri.

3. Praeparabuntur spongiae et mantilia pro singulis campanis. Myrrha, incensum et odores sint sufficienti copia pro numero campanarum, itemque aqua qua lavandae erunt. Habebitur etiam mensura distincta pro singulis campanis et foculus supponendus unicuique illarum.

4. Haec respiciunt apparatum. Quod autem spectat ad functionem, notandum, quod oratio peculiaris pro benedictione

aquae, idest *Benedic Domine hanc aquam* etc. recitanda erit pluraliter.

5. Concha cum aqua benedicta poterit ab una ad alteram campanam transferri.

6. Episcopus lavare incipiet campanam primam, deinde secundam, tertiam et reliquas, si aderunt. Presbyteri lavabunt et abstergent campanas eodem ordine, quo eas inceperit lavare Episcopus.

7. Episcopus unctionem primam faciet Oleo sacro Infirmorum super unamquamque campanam, deinde cantabit orationem *Oremus. Deus qui per beatum Moysen* etc. plurali numero. Post orationem Episcopus mitra coopertus a Diacono, unctiones unam post aliam panniculo absterget quo ordine campanas lavare inceperit.

8. Septem deinde unctiones externas Oleo sacro Infirmorum peraget successive super singulas campanas, postea absterso pollice, exsequetur quatuor unctiones internas sacro Chrismate, et ipsas successive.

9. Orationem *Oremus. Omnipotens sempiterne Deus* etc. post unctiones, Episcopus recitabit pluraliter.

10. Episcopus iniiciet odores in foculum unumquemque, qui ponentur subter singulas campanas.

11. Oratio *Omnipotens Dominator* etc. recitabitur ab Episcopo etiam pluraliter.

12. In reliquo functionis observabitur id totum, quod in benedictione unius campanae superiori capitulo notatum est.

FINIS

LIBRI SEPTIMI

INDEX

LIBRI VII.

ERRATA	CORRIGE
Pag. 15 lin. 32 *S. R. E. Cardinalis*	*S. R. E. Presbyter Cardinalis*
» 19 lin. 15 sequentur Archidiaconum	sequentur bini Archidiaconum
» 23 lin. 15. ad remoto	ac remoto
» 32 lin. 37 duae linae	duae lineae
» 45 lin. 20 supreponet	superponet
» 62 lin. 31 quae	qui
» 63 lin. 23 tanget	tangent
» 64 lin. 17 quae	qui
» 73 lin. 15 quam	quem
» 101 lin. 22 sed cunctae	sed et cunctae
» 167 lin. 25 operit	operiet
» 170 lin. 12 quorum	quarum
» 182 lin. 2. albi coloris sine opere phrygio	non vero lamatis; chirothecae albi coloris sine opere phrygio;
lin. 35 « post numerum seu § 32. in medio paginae »	*In sacrario*.
» 184 lin. 2 et cingulo	et cingulo ac etiam tunicella, si licebit uti,
» 207 lin. 25 observabunt	observabit
» 244 lin. 28 subiicet	subiiciet
» 271 lin. 4 consecrantis	consecrante.
» 273 lin. 32 afferet	affert
» 279 lin. penul. primum.	primum et
» 301 lin. 19 iunctis manibus	expansis manibus
» 306 lin. 17 sint.	sit
» 340 lin. 24 S. Chrima	S. Chrisma

VENIA SUPERIORUM

SACRARUM CAEREMONIARUM

MANUALE

LIBER VIII.

DE ACCESSU AD ECCLESIAM.

CAPUT I.

1. Episcopus, qui forte deget extra dioecesim suam, siquod officium de commisione Episcopi ordinarii sit celebraturus, induere debet vestem talarem praelatitiam cum fascia, rochetum et mantelletum, cui superponet Crucem pectoralem, quae ante pectus eius pendeat suspensa funiculo sericeo viridis coloris auro intexto. Extra Italiam et ubicumque vigeat usus super mantelletum utendi etiam mozzeta, nihil obstat quin servetur. Nunquam tamen licebit uti sola mozzeta cum rocheto, quoniam hoc genus vestiarii spectat ad Episcopum dioecesanum tantummodo, qui nemini potest, integris suis iuribus, permittere, ut utatur.

2. In functionibus nunquam ei permittitur usus cappae praelatitiae, qua utitur solus Episcopus dioecesanus: poterit utique solvere extremitatem posteriorem vestis talaris, ut suo loco docebimus, ad solemnitatem in officiis tantum solemnibus nunquam vero in celebratione Missae lectae.

3. Relate ad genus et colorem vestiarii, observabit quod traditum fuit Cap. II. lib. V.

4. In accessu ad ecclesiam propter functiones persolvendas, vel etiam ad celebrandam Missam privatam, quoad fieri poterit, vitabit ingressum per portam principalem, sed ingre-

dietur per ostium sive ingressum privatum Sacrarii, si aderit. Si necesse fuerit ingredi per portam principalem, non sonabitur campanis neque organis, non excipietur a Clero; ad summum duo addicti Clero, induti superpellicio vel habitu chorali, excipient eum et unus ipsorum praesentabit ei aspersorium, ex quo Episcopus digito medio manus dexterae accipiet aquam sanctam seque signabit, nullo tamen modo asperget adstantes.

5. Genuflexorium, quo geniculabit ad orandum ante Altare SS. Sacramenti et ante aliud etiam altare, instruetur duobus tantum pulvinis, uno videlicet ad brachia, altero ad genua: stratum nullum erit, pulvini autem erunt semper coloris violacei quaecumque sit solemnitas, quae celebretur. Minime decet, quod in actione ista utatur faldistorio cum pulvinis.

6. Sicui functioni assistet in choro, principem locum in choro ipso obtinebit, et apponentur pulvini violacei genuflexorio tantum, si aderit, ac sedili. In accessu ad chorum poterit coire cum Canonicis ultimo loco: sin autem Clerus in choro iam aderit, duo de Clero poterunt eum comitari. Abstinendum tamen ipsi est a tali interventu in pontificalibus aliisque functionibus, quas Episcopus ordinarius exsequitur, in quibus Canonici vestes sacras induunt, quia quum non sit addictus Capitulo, nec potest nec debet, ut Canonici, habitus sacros induere.

7. In processionibus incedet post Celebrantem, ac si qua sacra imago sive statua cum machina gestabitur, incedet post machinam, et in processionibus cum SS. Sacramento sequetur baldachinum, sub quo S. Eucharistia a Celebrante gestabitur.

DE VESPERIS PONTIFICALIBUS.

CAPUT II.

De rebus praeparandis.

1. Altare ornabitur sex candelabris cum cereis et Cruce aequali in medio, tobaleis, pallio ac tapeto, quod cooperiet gradus: inter candelabra poterunt interponi reliquiaria cum S. Reliquiis et busta sive imagines sculptae Sanctorum aut vasa cum floribus, pro qualitate officii, quod celebrabitur.

2. Super infimo gradu in medio ponetur pulvinar ex panno vel serico violacei coloris, utendum in brevi oratione, cui vacabit Episcopus.

3. Ante gradus anteriores altaris praeparabitur faldistorium instructum veste simili paramentis. Si faldistorii positio nimis depressa esset, poterit collocari super tabulatum commodum vel suppedaneum, quod aequet altitudinem gradus infimi, et cooperietur tapeto decenti.

4. Super mensam altaris disponentur paramenta episcopalia, videlicet pluviale cum stola, Crux pectoralis, cingulum, alba et amictus, quae contegentur velo sericeo eiusdem coloris ac paramenta ipsa: mitra pretiosa cum vimpa seu velo pro ministro in latere Evangelii, et auriphrygiata in latere Epistolae. Si pretiosa non licebit uti propter officium, praeparabitur tantum auriphrygiata in latere Evangelii.

5. Super abaco alba tobalea cooperto prope latus Epistolae, candelabra duo cum cereis pro Acolythis, scotula cum candela, antiphonarium ornatum veste simili paramentis, canon pontificalis pro benedictione, thuribulum cum navicula.

6. In choro aut in presbyterio scamna duo sine postergali, contecta panno viridis coloris pro pluvialistis, vel duo quatuorve scabella nuda, aequalia scabellis throni, pro numero eorumdem pluvialistarum. Directorium chori duplici exemplari

ad praecinendas antiphonas et ad psalmos intonandos ponetur in eis.

7. In Sacrario disponentur quatuor aut sex pluvialia, quorum numerus pendet a qualitate officii, ut cap. II. lib. II. num. 68. et 69; in medio autem sedes cameralis decens, posita super exiguo tapeto et superpellicea quae satis sint clericis inservientibus.

8. Si Episcopus parabitur in Sacrario, ut mos est in collegiatis, praeparabuntur in Sacrario paramenta, et in altari maiore mitra auriphrygiata tantummodo. Candelabra Acolythorum in Sacrario.

De functione.

9. Hora determinata, praevio campanarum sono, Clerus congregabitur in Sacrarium et induet superpelliceum vel aliud insigne legitime adhibitum.

10. Episcopus, Sacrarium ingressus, salutabit Crucem vel imaginem principalem Sacrarii et sedebit sede praeparata.

11. Interim clerici inservientes sibi induent superpelliceum et prout patietur amplitudo loci, disponentur in ordinem prope Episcopum.

12. Ad nutum Caeremoniarii pluvialistae induent superpelliceum et pluviale, adiuvantibus eos clericis ad hoc delectis. Procedent deinde ad lineam ante Episcopum, dignioribus medium locum obtinentibus, et reverentiam ante ipsum conficient; duo digniores consistent a lateribus eius, reliqui sive duo sive quatuor consistent a lateribus ante Episcopum ad lineam duorum Assistentium, facie ad invicem inter se conversa et unusquisque manu sustinebit biretum.

13. Rebus omnibus rite dispositis, clericus quispiam pulsabit campanulam appensam ad fores Sacrarii et procedetur ad Altare primarium ordine sequenti.

14. Praeibit Caeremoniarius unus, deinde bini incedent qui de Clero sunt, praecedentibus minus antiquis: sequentur quatuor aut sex pluvialistae, bini et medius inter postremos duos ibit Episcopus; clerici inservientes pariter bini sequentur Episcopum; et prope ipsos locum sument familiares nobiles Epi-

scopi, si qui erunt. Caeremoniarius, assistens Episcopo, incedet a latere dextero primi pluvialistae. Episcopus et pluvialistae gestabunt biretum capite, ceteri de Clero sustinebunt illud utraque manu ánte pectus; clerici inservientes bireto non utentur. Clerus priusquam de Sacrario proficiscatur, salutabit Crucem sive Imaginem et Episcopum contextim, si sedebit in medio Sacrarii, secus salutabit prius Crucem, postea Episcopum, idque exsequentur bini. Episcopus etiam iunctim cum pluvialistis salutabit Crucem vel imaginem praecipuam Sacrarii et caput bireto cooperiet.

15. Ad fores Sacrarii, unusquisque de Clero, qui erit dextrorsum, accipiet aquam sanctam ex vase ibi apposito eamque dabit socio suo et iunctim signabunt se: hoc ipsum facient pluvialistae, quibus porriget Caeremoniarius assistens Episcopo, et nudabunt caput recipientes aquam sanctam et signantes se. Episcopo aquam sanctam porriget pluvialista primus, qui adstabit ei a dextris, quique eam accipiet a Caeremoniario. Etiam pluvialistae, qui adstabit Episcopo a sinistris, dabit illam Caeremoniarius, postquam dederit primo.

16. Quum Clerus pervenerit ad Altare, unusquisque genuflexionem aut reverentiam conficiet iuxta gradum suum, accedet in chorum ad locum suum proprium ibique stabit.

17. In ingressu presbyterii, pluvialistae sibi detrahent de capite biretum, dirimentur et unam efficient lineam, medium inter se accipientes Episcopum, qui et ipse caput exuet bireto, et nullam facientes reverentiam ad chorum, procedent ante altare. Clerici qui sequentur Episcopum, servabunt ordinem eumdem, ne tamen nimium appropinquent Episcopo, sed longe ab ipso et a pluvialistis aliquot passus restabunt ad confusionem vitandam.

18. Episcopus ante Altare ubi venerit, reverentiam ad Crucem, pluvialistae genuflexionem conficient itemque clerici qui sequentur Episcopum. Episcopus genua flectet in pulvino posito super gradum infimum ac brevi tempore orabit; pluvialistae geniculabunt ante infimum gradum in pavimento; Clerus in choro, unusquisque loco suo; clerici inservientes quo loco erunt.

19. Post orationem assurget Episcopus et cum ipso pluvialistae, clerici et chorus. Episcopus, pluvialistae et clerici respective conficient reverentiam aut genuflexionem ad Altare, deinde reverentiam ad Chorum, prius versus latus Evangelii, postea versus latus Epistolae.

20. Episcopus cum pluvialistis accedet ad faldistorium et sedebit in eo, versis humeris ad Altare: pluvialistae salutabunt Episcopum; primi duo restabunt ad assistentiam Episcopi, primo a dextris, secundo a sinistris eius consistente, facie conversa versus populum aut versus presbyterium, ceteri accedent ad scamnula seu scabella ipsis praeparata. Clerici inservientes, quando Episcopus procedet ad Altare, recedent iunctim versus latus Epistolae et consistent ad lineam secus abacum. Clerus in choro stabit toto tempore, quo parabitur Episcopus. Familiares nobiles Episcopi recedent apud abacum.

21. Sedente Episcopo, removebitur a clerico pulvinar, in quo Episcopus genuflexerit, et ponetur post faldistorium. Ascendet ad Altare Caeremoniarius secundus, amovebit velum, quod cooperiet paramenta, ponet ipsum in latere Altaris et paramenta ipsa distribuet clericis. Isti ascendent a latere ad Altare ex parte Epistolae, unusquisque eorum recipiet paramentum, quomodo ei tradetur, descendet de Altari ex parte media, genuflexionem faciet et consistet quo modo ipse docebitur, videlicet aut ad lineam cum aliis ante Altare, stantibus uno a latere alterius, aut in longitudinem, videlicet alio post alium: curandum, ut primus sit ille, qui deferet amictum, secundus, qui albam et sic deinceps, ut sine aequivocatione paramenta subministrentur ei, cuius officium induere Episcopum. Paramentis distributis, clerici omnes ad nutum Caeremoniarii genuflectent ad Altare et venient ante Episcopum, cui reverentiam conficient. Advertent in hoc actu, ut vitent nimium studium sive affectationem et motus illos, qui potius militares homines decent, quam ecclesiasticos: omnia quidem tractanda sunt cum gravitate, cui tamen si additur effusior cultus, functiones sacrae evaderent spectacula scenica.

22. Quum clerici pervenerint cum paramentis ante Episcopum, Caeremoniarius a pluvialistis, qui assistent Episcopo,

accipiet bireta, et innuet Episcopo, ut sibi ipse nudet bireto caput. Pluvialista primus recipiet ab Episcopo cum osculis biretum et tradet ipsum Caeremoniario, qui iubebit illud poni super abacum, vel tradet Cubiculario Episcopi. Tum pluvialista primus exuet ei Crucem pectoralem, quam eidem dabit osculandam ac tradet Caeremoniario, et ipse ponet illam super abacum vel tradet clerico, qui deferet ipsam cum paramentis: deinde pluvialista idem expediet Episcopo mantelletum, quod accipietur a cubiculario, qui stabit post eum quique solvet extremitatem posteriorem vestis eius.

23. Post haec pluvialista primus adiuvante secundo, induet Episcopum amictu, alba, cingulo, Cruce pectorali, stola et pluviali.

24. Clerici, postquam tradiderint paramentum quod afferent, reverentiam conficient ad Episcopum et consistent ad lineam apud abacum; clericus autem a mitra transibit post Episcopum expectans dum tempus erit illam porrigendi, ut infra. Interim in promptu erunt clerici duo, quorum alter cum libro, alter cum scotula, et hic adstabit a sinistris socii deferentis librum.

25. Pluvialista primus, imposito Episcopo pluviali, se sistet ante eum, salutabit ipsum et mitram acceptam a clerico, qui stabit post Episcopum, imponet capiti Episcopi ipsius. Imposita ei mitra, iterabit reverentiam et se recipiet ad dexteram Episcopi.

26. Tunc Caeremoniarius innuet reliquis duobus sive quatuor pluvialistis, qui relicto bireto super scamnum aut super scabellum, procedent ante Altare. Si fuerint quatuor, ultimi duo accipient Directorium chori. Coibunt in medio ante Altare ad lineam et conficient genuflexionem ad Crucem. Venient deinde ante Episcopum eisque se addent duo pluvialistae assistentes in medio et reverentiam ad lineam facient Episcopo.

27. Si Episcopus sacra paramenta induet in Sacrario, adiuvante utroque assistente, dimittet mantelletum et assumet paramenta, ut supra. Imposita ei mitra ab assistente primo, ordinabitur processio sequenti modo.

28. Praeibit Caeremoniarius; Acolythi cum candelabris,

ardentibus cereis; qui de Clero sunt, et incedent bini, manu sustinentes biretum et capite nudato, digniores autem propius Episcopum; duo pluvialistae cantores cum bireto in capite; alteri duo, si aderunt; Episcopus medius inter duos pluvialistas assistentes, qui fimbrias pluvialis eius sublevabunt, clericus caudatarius, qui sustentabit syrmam vestis episcopalis et a dextris eius alter clericus a mitra; ceteri duo clerici a libro et a scotula; ultimo loco familiares nobiles Episcopi. Unusquisque de Clero priusquam discedat de Sacrario, reverentiam faciet ad imaginem vel ad Crucem loci et ad Episcopum. Ad fores Sacrarii quisque accipiet aquam benedictam, ut ante dictum est. Episcopus de Sacrario discedens, salutabit Crucem sive imaginem retinens mitram in capite. In limine Sacrarii recipiet aquam sanctam, seque signabit, mitram non dimittens.

29. Acolythi quum venerint ante Altare, conficient genuflexionem, deinde consistent ante Altare a lateribus, facie ad invicem conversa. Unusquisque de Clero genuflexionem faciet aut reverentiam et petet stallum suum, ibique stabit. Pluvialistae in ingressu presbyterii nudabunt caput et ad lineam cum Episcopo procedent ante altare. Caeremoniarius accipiet bireta assistentium eaque poni iubebit super abacum.

30. Episcopus ante Altare nudabitur mitra a primo pluvialista assistente: reverentiam ipse, ceteri genuflexionem ad Crucem conficient; postmodum Episcopus geniculabit super pulvinum, pluvialistae ante infimum gradum, ceteri de Clero loco quisque suo, et recitabitur oratio *Aperi Domine* etc.

31. Acolythi, genuflexione ad altare facta cum Episcopo et pluvialistis, accedent ad abacum et in illo deponent candelabra ardentia. Episcopus de oratione cum pluvialistis et ceteris assurget, reverentiam faciet ad Crucem Altaris, pluvialistae genuflexionem. Pluvialista primus reponet mitram Episcopo, qui simul cum pluvialistis reverentiam conficiet ad chorum, prius versus latus Evangelii, deinde Epistolae.

32. Episcopus cum pluvialistis veniet ad faldistorium et in eo sedebit, eum ipso considebit etiam Clerus in choro. Pluvialistae restabunt ad lineam ante eum. Hoc tempore clerici a libro et scotula accipient haec ex abaco et in promptu aderunt apud faldistorium.

33. Primus assistens exuet Episcopo mitram, quam accipiet Cappellanus seu clericus adstans, ut supra, a tergo Episcopi, et quum Episcopus assurget, se sistet versus dextram eius.

34. Dimissa mitra Episcopus assurget et super sinistram suam convertetur ad Altare. Pluvialista primus transibit ad dexteram, secundus ad sinistram eius; reliqui duo, sive quatuor se sistent post Episcopum bini. Pluvialistae duo assistentes extendent super latera faldistorii fimbrias pluvialis Episcopi.

35. Consurget etiam Chorus, si sederit, ut fit quando Episcopus induit vestes sacras in Sacrario.

36. Episcopus recitabit secreto *Pater noster* et *Ave Maria* atque interea se sistent ante eum duo clerici cum libro et scotula. Tum in ista, tum in alia circumstantia qua praesentabunt ei librum, advertent ut liber sit clausus, ut reverentiam conficiant ad Episcopum, librum deinde aperiant et apertum sustineant ante Episcopum; postea claudant illum, quum impleverint officium suum, rursus conficiant reverentiam et discedant.

37. Postquam Episcopus recitaverit *Pater* et *Ave*, pluvialista primus attollet eius fimbriam dexteram pluvialis et Episcopus signans se, cantabit *Deus in adiutorium meum intende,* chorus autem respondebit in cantu *Domine ad adiuvandum me etc.*

38. Ad ℣. *Gloria Patri* etc. Episcopus et ceteri omnes inclinabunt caput versus Altare. Ad ℣. *Sicut erat* appropinquabit Episcopo primus pluvialista cantor, qui ordine tertius erit si fuerint quatuor, vel quintus si fuerint sex. Completo *Alleluia* vel *Laus tibi, Domine* etc. pro temporis varietate, praedictus primus pluvialista cantor reverentiam ante eum faciet, aperiet librum, quem manu sustinebit, eique submissa voce praecinet antiphonam primam. Episcopus intonabit antiphonam eamdem, quae dein continuabitur in cantu a choro cantorum. Pluvialista antedictus, postquam Episcopus intonuerit primam antiphonam, salutabit eum et redibit ad socium suum. Restabunt cum Episcopo soli duo pluvialistae assistentes, reliqui duo sive quatuor procedent in medium ante Altare et conficient genuflexionem; si fuerint quatuor, primi duo accedent ad loca sua apud scabella, reliqui duo restabunt in medio ante Altare intonituri psalmum primum.

39. Duo clerici supradicti cum libro et scotula discedent ab Episcopo, redibunt ad abacum et in ipso deponent librum et scotulam.

40. Clericus seu cappellanus a mitra iam aderit prope faldistorium cum mitra auriphrygiata, quam acceperit ex abaco, in quo prius deposuerit mitram pretiosam.

41. Absoluto antiphonae cantu, duo pluvialistae cantores intonabunt psalmum primum, quem statim ac intonuerint, convertentur et modicam inclinationem conficient versus illam chori partem, quae prosecutura erit cantum psalmi intoniti.

42. Quando intonabitur psalmus, Episcopus conversus super sinistram suam, sedebit faldistorio. Duo pluvialistae assistentes, non commutantes locum, venient ante Episcopum et salutabunt ipsum; primus pluvialista assistens capiti ejus imponet mitram auriphrygiatam. Iidem duo pluvialistae iterabunt reverentiam ad Episcopum, procedent ante gradum infimum Altaris, genuflexionem conficient et sedebunt in medio super gradibus Altaris. Primus sedebit a dextris Episcopi, secundus a dextris primi: quum convertentur ut sedeant, faciem sibi vertent ad invicem. Clericus unus tradet eis bireta, quibus cooperient caput. Poterunt etiam sedere scamno, quo sedere solet Celebrans cum Ministris in Missis solemnibus, si in ecclesia vigebit talis usus. Hoc autem casu accedent directe ad scamnum praedictum.

43. Sedente Episcopo, considebit etiam Clerus in choro et caput bireto quisque cooperiet.

44. Duo cantores pluvialistae, intonito psalmo et reverentia facta ad partem chori, ut supra, conficient genuflexionem ad Crucem, et mutuam inter se inclinationem et pergent sessum. Si pluvialistae fuerint quatuor, duo cantores sedebunt hinc inde a lateribus in scabellis seu scamnis, videlicet primus versus latus Epistolae, secundus versus latus Evangelii: sin fuerint sex, cantor primus sedebit in latere Epistolae a dextris tertii pluvialistae, secundus cantor a sinistris quarti pluvialistae. Quum sederint, caput operient bireto.

45. Clerici inservientes sedebunt a latere Epistolae in gradibus lateralibus Altaris, et priusquam sedeant, genuflexionem

ad Crucem conficient; advertent autem, ut congruant inter se, dum convertentur propter sedendum. Nisi fuerit satis latus Epistolae ad sedendum, sedebunt etiam in latere Evangelii.

46. Cantabitur primus psalmus, cuius in fine ad ℣. *Gloria Patri* omnes nudabunt et inclinabunt caput versus Altare. Episcopus caput inclinabit versus Altare, non dimittens mitram.

47. Si antiphona in cantu repetetur, caput aperient et assurgent duo pluvialistae cantores sub finem illius; sin antiphona repetetur organis, assurgent sub finem versiculi *Sicut erat.* Procedent ante Altare, genuflexionem conficient, de medio discedent et venient ad illam chori partem, in qua sedebit dignior. Si transeundum sit ante Episcopum, reverentiam ei facient. Ante chorum quum venerint, reverentiam facient digniori, qui nudabit caput et assurget, cumque ipso consurget universus chorus. Cantor pluvialista, qui sedebat ex illa parte, in quam ambo convenerint, praecinet submissa voce antiphonam digniori antedicto. Hic intonabit antiphonam secundam, salutabit pluvialistas, qui respondebunt ei, sedebit iterum et cum eo chorus omnis considebit. Cantus antiphonae continuabitur a cantoribus. Duo pluvialistae cantores, intonita a digniori chori antiphona, ut supra, redibunt in medium ante Altare, conficient genuflexionem ibique manebunt donec antiphonae cantus erit absolutus. Tunc intonabunt psalmum secundum et exsequentur quod de primo psalmo ante dictum est. Id etiam fiet in praeintonatione aliarum antiphonarum et in reliquorum psalmorum intonatione. Antiphonae praecinentur dignoribus Chori ex utroque latere.

48. In fine cantus psalmi ultimi consurgent clerici inservientes, qui sedebant super gradus Altaris, genuflexionem ante Altare conficient et redibunt ad lineam apud abacum. Interim clerici duo ad hoc delecti, in promptu stabunt cum libro et cum scotula.

49. Dum repetetur antiphona post ultimum psalmum, caput bireto nudabunt duo pluvialistae assistentes, qui sedebunt super gradus Altaris, et reliqui sedentes in scamnis seu scabellis, consurgent et iunctim ante Altare conficient genuflexionem. Venient ad lineam ante Episcopum eique reverentiam facient.

Clericus quispiam accipiet bireta pluvialistarum eaque ponet in abaco vel alio loco decenti. Si pluvialistae assistentes sedebunt scamno, non ibunt ante Altare, sed coibunt cum ceteris, dum se sistent ante Episcopum.

50. Completo cantu antiphonae vel eius repetitione ab organis, Episcopus assurget et super sinistram suam convertetur ad Altare et cum eo consurget universus chorus: duo pluvialistae assistentes consistent a lateribus eius, videlicet primus a dextris, alter a sinistris, advertentes ut fimbrias pluvialis eius expandant super spondas faldistorii, idque observabitur quando Episcopus stabit ad Altare conversus. Ceteri consistent a tergo eius, ut in principio Vesperarum dictum est.

51. Primus pluvialista cantor, ex libro quem habebit secum, cantabit Capitulum tono praescripto, stans loco suo. Dum a choro respondebitur *Deo gratias*, vadet ad dextram Episcopi eique submissa voce praecinet hymnum.

52. Episcopus super sinistram suam convertetur et faldistorio sedebit: primus pluvialista assistens exuet ei mitram, quae recipietur a clerico illius custode, qui referet illam ad abacum et recipiet pretiosam.

53. Assurget Episcopus et super sinistram suam convertetur iterum ad altare; se sistent ei clerici cum libro et scotula et ex libro intonabit hymnum.

54. Si hymnus erit *Veni creator* vel *Ave maris stella*, pluvialista primus pileolum etiam exuet Episcopo, qui intonito hymno, geniculabit ante faldistorium in pulvino, quem ei apponet clericus, et genibus flexis manebit ad totam stropham primam. Cum Episcopo geniculabunt ceteri omnes, non exceptis clericis a libro et scotula, qui statim post intonitum hymnum claudent librum et recedent a latere ad geniculandum. Id ipsum observabitur ad stropham *O Crux* in hymno *Vexilla regis*.

55. Post stropham primam Episcopus assurget, reponetur ei pileolus, amovebitur pulvinus, et cum eo consurgent ceteri omnes. Clerici a libro et scotula redibunt ad locum suum.

56. Duo pluvialistae assistentes remanebunt cum Episcopo; reliqui duo sive quatuor pluvialistae procedent ante Altare,

genuflexionem conficient et redibunt ad locum suum ad scabella.

57. Hymnus in cantu continuabitur a cantorum choro.

58. Subhymni finem thuriferarius praeparabit thuribulum et cum ipso ac navicula in promptu erit apud abacum.

59. Ad ultimum hymni versiculum, quando nominabitur SS. Trinitas, caput ab omnibus inclinabitur versus Altare.

60. In fine hymni, duo sive quatuor pluvialistae, qui stabunt apud scabella, procedent ante medium Altaris, genuflexionem conficient et quum absolutus erit hymni cantus, cantabunt versiculum post hymnum ipsum. Dum a Choro respondebitur versiculo, iterabunt genuflexionem, accedent ad Episcopum et primus pluvialista cantor praecinet ei, ut supra, antiphonam, quae intonabitur ab Episcopo ex libro, quem ei sustinebit clericus adstans alteri sustinenti scotulam.

61. Antiphonam ab Episcopo intonitam prosequetur chorus cantorum, et curabitur ut protrahatur cantus, si opus fuerit, propter actiones sequentes.

62. Episcopus, intonita antiphona, conversus super sinistram suam, sedebit faldistorio et a primo pluvialista assistente cooperietur mitra pretiosa, si utenda erit; pluvialistae assistentes locum commutabunt, videlicet primus transibit ad dextram, alter ad sinistram Episcopi.

63. Ceteri pluvialistae cum genuflexione debita Altari, si fuerint quatuor, primi duo redibunt sessum ad loca sua, atque ita sedebit etiam Chorus; reliqui duo pluvialistae cantores procedent ante Altare ad intonandum *Magnificat.*

64. Episcopo sedenti se sistet thuriferarius, qui facta ante Episcopum reverentia, tradet naviculam primo assistenti. Hic incensum cum osculis ministrabit Episcopo, qui cum benedictione usitata imponet illud in thuribulum sustentum a thuriferario non genuflexo. Caeremoniarius advertet ad attollendam fimbriam dexteram pluvialis Episcopi.

65. Interim Acolythi ex abaco accipient candelabra, procedent ad Altare post scabella pluvialistarum et transeuntes ante Episcopum reverentiam ei conficient.

66. Thuriferarius, postquam Episcopus imposuerit ac bene-

dixerit incensum, recipiet naviculam, reverebitur Episcopum, et se adiunget Acolythis.

67. Completo antiphonae cantu, duo pluvialistae cantores intonabunt *Magnificat.* Episcopus assurget seque signabit, Clerus in choro et ceteri omnes consurgent. Pluvialistae assistentes sustinebut fimbrias pluvialis Episcopi. In promptu aderit clericus sustenturus syrmam vestis episcopalis, itemque praesto erit alter clericus a mitra secuturus Episcopum. Caeremoniarius accipiet bireta pluvialistarum assistentium.

68. Duo pluvialistae cantores, intonito *Magnificat*, genuflexionem conficient ad Altare, redibunt ad loca sua, deponent ibi librum et resument bireta.

69. Tunc Episcopus, innuente Caeremoniario, accedet ad Altare, medius inter pluvialistas assistentes. Dum Episcopus ad Altare accedet, se illi adiungent ante Altare ceteri pluvialistae, qui locum sument a lateribus assistentium praedictorum. Quum pervenerint ante Altare, Episcopus reverentiam, pluvialistae, acolythi ac thuriferarius genuflexionem ad Crucem conficient. Reverentia et genuflexione, ut supra, peracta, Chorum iunctim salutabunt, prius versus latus Evangelii, deinde Epistolae. Procedent ad Altare SS. Sacramenti, et dum convertentur versus ingressum chori, pluvialistae, qui praecedent Episcopum, advertent ut commutent locum; assistentes autem Episcopo convertentur cum eo, ita tamen ut restent semper a lateribus eius quo loco ipsis conveniet. Pluvialistae caput operient bireto extra chorum.

70. Si vigebit usus, ut duo aut quatuor vel sex seniorum chori sequantur Episcopum in thurificatione Altarium, descendent de stallis suis, dum Episcopus procedet ad Altare, et subsistent in lateribus chori ante sedilia; genuflexionem et reverentias conficient, quemadmodum dictum est de ceteris.

71. Si aberit usus thurificandi Altare SS. Sacramenti, acolythi remanebunt apud abacum neque accipient candelabra.

72. Episcopus accedet ad Altare cum duobus assistentibus, et profectus de faldistorio salutabit Chorum prius versus latus Epistolae, deinde Evangelii. Ante Altare nudabitur mitra, ascendet ad ipsum, osculabitur in medio et incensabit quemadmodum describetur num. 76. et seqq.

73. Non descendent de stallis suis seniores Chori, ad sequendum Episcopum in thurificatione.

74. Ordo autem, quo procedetur ad Altare SS. Sacramenti, sequens erit. Praeibit thuriferarius cum thuribulo; acolythi cum candelabris; duo pluvialistae cantores; reliqui duo pluvialistae, si aderunt; Episcopus medius inter pluvialistas assistentes; clericus qui sustentabit syrmam vestis episcopalis cum altero clerico a mitra adstante ei dextrorsum; duo seu quatuor sive sex seniores Cleri, qui bini incedent et digniores propius Episcopum, manu sustinentes biretum suum.

75. In Altari SS. Sacramenti ardeant oportet sex cerei, saltem durante thurificatione, et in antecessum tollenda est tela stragula, qua fuerit contectum, legile, tabellae etiam secretarum, quae vulgo vocantur chartegloriae.

76. Quum pervenerit ad Sacellum SS. Sacramenti, thuriferarius genuflexionem faciet et accedet ad latus Epistolae Altaris; Acolythi dirimentur et consistent in lateribus ante Altare paulo post extremitates anteriores gradus infimi; pluvialistae, qui praecedunt Episcopum, in ingressu Sacelli dirimentur et consistent ante infimum gradum: duo pluvialistae assistentes caput aperient et biretum tradent Caeremoniario; Episcopus consistet medius inter pluvialistas ante infimum gradum. Pluvialista primus assistens exuet Episcopo mitram cum pileolo eamque tradet clerico eius ministro, qui restabit in plano presbyterii ante Altare. Digniores Cleri, Episcopum sequentes, restabunt a tergo eius duos tresve passus longe. Genuflexio ab omnibus uno tantum genu fiet in pavimento. Episcopus cum duobus pluvialistis assistentibus ascendet ad Altare, quod osculabitur in medio. Pluvialista primus assistens a thuriferario accipiet thuribulum ipsumque tradet Episcopo. Altare ab Episcopo thurificabitur quo ritu notatum est cap. XIV. lib. I. §. 2.

77. Pluvialistae, acolythi et digniores Cleri, qui restiterint ante Altare, post thurificationem Crucis convertentur ad invicem et poterunt alternatim ac submissa voce recitare *Magnificat*, ut recitabit Episcopus cum assistentibus, et convertentur ad Altare statim ac thurificatio erit absoluta.

78. Post thurificationem thuriferarius recepto thuribulo, statim coibit cum Acolythis; Episcopus cum duobus pluvialistis descendet de Altari et ab omnibus fiet genuflexio super pavimentum; primus pluvialista assistens reponet pileolum et mitram Episcopo; Caeremoniarius restituet bireta pluvialistis assistentibus; deinde ordine supradicto revertentur ad Altare maius.

79. Si Altare, in quo asservabitur SS. Sacramentum, carebit presbyterio sufficienti, in quo possint commode stare pluvialistae et ceteri de Clero, intra ambitum Sacelli ingredientur thuriferarius, Caeremoniarius et Episcopus cum assistentibus suis: ceteri omnes remanebunt extra balaustrium seu cancellos.

80. Si et alterum Altare thurificandum erit, id fiet priusquam revertatur ad Altare maius et servabitur idem ordo. Episcopus autem reverentiam faciet loco genuflexionis, et post thurificationem cooperietur mitra super ipso Altari, ut docebitur infra num. 83. Thuriferarius poterit reponere aliquantulum incensi in thuribulum, si ardere desierit.

81. Quum reversi fuerint ad Altare maius, in ingressu presbyterii seu chori, thuriferarius consistet a dextra, acolythi dirimentur, itemque pluvialistae dirimentur et caput nudabunt, ac stante in medio huius lineae Episcopo, fiet ab omnibus ad Chorum reverentia, prius versus latus Evangelii, deinde Epistolae. Caeremoniarius recipiet bireta assistentium, quae super abacum, ut ante, reponentur.

82. Post reverentiam ad Chorum Episcopus, pluvialistae, acolythi ac thuriferarius ad lineam, sequentibus clerico a mitra et caudatario, deinde dignioribus Cleri, procedent ante Altare. Ibi primus assistens exuet Episcopo mitram tantum. Genuflexio ab omnibus ante Crucem fiet, excepto Episcopo, qui reverentiam faciet. Acolythi reportabunt candelabra ad abacum. Thuriferarius veniet in latus Epistolae, traditurus thuribulum primo assistenti. Episcopus ad Altare ascendet et osculabitur ipsum in medio. Assistens primus thuribulum a thuriferario accipiet ac tradet Episcopo, qui Altare incensabit, ut supra. Thurificationis tempore ceteri pluvialistae et digniores Cleri convertentur ad invicem, sed non recitabunt *Magnificat*, quia iam recitaverint ipsum in Sacello SS. Sacramenti.

83. Thurificatione peracta, Episcopus in latere Epistolae restituet thuribulum primo pluvialistae assistenti, hic tradet illud thuriferario, qui vadet prope faldistorium: deinde eodem loco idem assistens reponet Episcopo mitram: Episcopus cum duobus assistentibus redibit ad medium Altaris, cum ipsis salutabit Crucem, descendet ante Altare ibique ab Episcopo iterabitur reverentia, a ceteris autem genuflexio, postea reverentia fiet ad Chorum, prius versus latus Evangelii, deinde Epistolae.

84. Digniores Cleri, qui sequuti fuerint Episcopum in thurificatione, iterata cum ipso genuflexione ad Altare et reverentia ad Chorum, se ad invicem salutabunt et revertentur ad stallum quisque suum.

85. Episcopus cum pluvialistis accedet ad faldistorium, quo quum venerit Episcopus, recedet clericus caudatarius; alter clericus a mitra locum sumet post Episcopum. Episcopus autem accedet, ut supra, ad faldistorium et consistet ante ipsum, versis humeris ad Altare: Assistentes et ceteri pluvialistae se sistent contra eum. Primus pluvialista assistens thuribulum accipiet a thuriferario et cum debita reverentia incensabit Episcopum triplici ductu; iterabit reverentiam post incensationem et thuribulum tradet primo pluvialistae cantori. Thuriferarius autem advertet ut attollat fimbriam dexteram pluvialis praedicti primi assistentis dum hic Episcopum incensabit. Episcopus, quum thurificatus fuerit, sedebit faldistorio. Duo pluvialistae assistentes appropinquabunt Episcopo, reliqui duo sive quatuor pluvialistae procedent ante Altare.

86. Episcopo sedenti primus pluvialista assistens exuet mitram, quae recipietur a clerico illius custode. Episcopus assurget ac super sinistram suam convertetur ad Altare. Pluvialistae assistentes extendent fimbrias pluvialis Episcopi et adstabunt ei a lateribus.

87. Ceteri duo sive quatuor pluvialistae ante Altare quum venerint, genuflexionem conficient et redibunt ad loca sua. Ille autem ex iis, qui acceperit thuribulum, comitante thuriferario, qui sustentabit eius pluviale dextrorsum, accedet ad chorum et exsequetur thurificationem Cleri quo modo descriptum est cap. V. lib. I.

88. A cantorum choro curabitur, ut protrahatur cantus *Magnificat* ita ut ad *Gloria Patri* peracta sit totaliter thurificatio.

89. Cantato *Gloria Patri,* Episcopus conversus super sinistram suam sedebit faldistorio, et ponetur ei mitra a primo pluvialista assistente, qui cum socio suo, reverentia facta ad Episcopum, transibunt primus ad dextram, alter ad sinistram Episcopi et stabunt a lateribus eius, versis humeris ad Altare.

90. Interim sedebit Clerus in choro et ceteri omnes. Duo clerici cum libro et scotula in promptu erunt apud faldistorium: acolythi accipient ex abaco candelabra, venient post faldistorium et consistent a lateribus, facie ad invicem conversa.

91. Quum parum aberit, ut compleatur repetitio antiphonae post *Magnificat,* consurgent de scabellis suis pluvialistae, qui simul iuncti procedent ante Altare et genuflexionem conficient: venient deinde ante Episcopum, accipient medios inter se duos pluvialistas assistentes, salutabunt Episcopum et primus pluvialista assistens exuet ei mitram.

92. Episcopus assurget et super sinistram suam convertetur ad Altare. Duo pluvialistae assistentes locum commutabunt, primus transibit ad dextram Episcopi, alter ad sinistram; ceteri consistent a tergo Episcopi, quemadmodum dictum est in principio Vesperarum. Clericus a libro sustinebit librum apertum ante Episcopum et lateri illius adstabit alter cum scotula: Acolythi cum candelabris, ut ante monuimus, efficient unam eamdemque lineam cum duobus clericis praedictis. Episcopus iunctis manibus cantabit *Dominus vobiscum* et orationem respondentem officio. Si fient aliae commemorationes, chorus cantabit antiphonam, sub cuius finem quatuor sive duo pluvialistae, qui stabunt a tergo Episcopi, procedent ante Altare, genuflexionem conficient et completo antiphonae cantu, cantabunt versiculum tono praescripto et Episcopus subiunget orationem respondentem.

93. Si una tantum erit oratio, antedicti pluvialistae procedent ante Altare sub finem orationis supradictae.

94. Oratione sive orationibus cantatis, Episcopus subiunget *Dominus vobiscum* et postea pluvialistae supra nominati can-

tabunt *Benedicamus Domino* tono praescripto. Interea discedent acolythi, qui referent candelabra ad abacum, et duo clerici cum libro et scotula, qui omnes debitam reverentiam conficient Episcopo, Clericus unus accipiet Canonem et apertum ponet super Altare in medio propter benedictionem et prope Canonem ponet scotulam.

95. Post *Benedicamus Domino* Episcopus non subiunget ℣. *Fidelium animae* etc.

96. Cantato *Benedicamus Domino* et a Choro vel organis responso *Deo gratias*, Episcopus conversus super sinistram suam sedebit faldistorio et a primo pluvialista assistente reponetur ei mitra: prope Episcopum stabit clericus caudatarius. Duo pluvialistae assistentes commutabunt locum, primus transibit ad dextram, secundus ad sinistram Episcopi eiusque fimbrias pluvialis sublevabunt. Ceteri pluvialistae, qui cantaverint *Benedicamus Domino*, reverentiam conficient ad Altare et redibunt ad locum suum.

97. Episcopus assurget, discedet de faldistorio et medius inter pluvialistas assistentes salutabit Chorum prius ex parte Epistolae, deinde procedens aliquantulum versus medium, ex altera parte a latere Evangelii. Ante Altare Episcopus reverentiam, pluvialistae genuflexionem conficient.

98. Episcopus ascendet ad Altare cum duobus pluvialistis assistentibus: osculabitur Altare et donabit benedictionem solemnem *Sit nomen Domini* etc. Pluvialistae assistentes attollent fimbrias pluvialis Episcopi et geniculabunt in extremitate anteriori suppedanei, quando dicet *Benedicat vos* etc. Idem facient ceteri pluvialistae et Clerus in choro, loco quisque suo, exceptis Praelatis et Canonicis in ecclesia sua, si aderunt.

99. Benedictione impertita, consurgent pluvialistae et ceteri omnes; Episcopus de Altari descendet medius inter assistentes, convertetur ad Altare, reverentiam ad Crucem conficiet, pluvialistae omnes genuflexionem, reverentiam ad Chorum versus latus Evangelii, deinde versus latus Epistolae et cum ipsis accedet ad faldistorium.

100. Hoc tempore clericus unus tollet de Altari et reportabit ad abacum canonem et scotulam.

101. Episcopum faldistorio sedentem pluvialistae assistentes salutabunt, et accedent ad latera eius, primus ad dextram, alter ad sinistram.

102. Ad nutum Caeremoniarii se sistent ante Episcopum clerici inservientes recepturi paramenta episcopalia.

103. Assistens primus, adiuvante secundo, exuent Episcopo paramenta, eaque tradent clericis, qui unus post alium referent illa ad Altare et Caeremoniarius alter reponet ea super Altare et cooperiet velo, quemadmodum erant cooperta ab initio.

104. Clericus unus reponet in medio gradus infimi pulvinum in usum Episcopi.

105. Exuto paramentis Episcopo, cubicularius eius a parte postica porriget assistentibus mantelletum, quod ab iis induetur Episcopo et ab Assistente primo reponetur ei Crux pectoralis deinde tradetur biretum. Hoc tempore advertet cubicularius, ut alliget extremitatem posteriorem vestis eius. Caeremoniarius aut clericus quispiam tradet bireta assistentibus.

106. Quando in promptu erunt clerici et reposita erunt paramenta super Altare, Caeremoniarius innuet Episcopo, ut accedat ad Altare. Euntem ad Altare comitabuntur ceteri pluvialistae et sequentur clerici.

107. Progressus ante Altare, Episcopus salutabit Crucem, geniculabit in pulvino et brevi tempore orabit. Pluvialistae geniculabunt ante gradum infimum et clerici a tergo Episcopi. Genua flectet etiam Clerus in choro, si discessurus erit, secus stabit in pedes.

108. Episcopus de oratione assurget et salutabit Crucem; consurgent cum eo ceteri omnes et genuflexionem ad Crucem conficient. Ad Sacrarium autem redibitur ordine sequenti: Caeremoniarius, clerici bini, senioribus propius Episcopum incedentibus; pluvialistae bini et ultimo loco inter eos incedet Episcopus; Clerus, et incedent bini, primi autem ibunt digniores. Pluvialistae et Episcopus caput cooperient bireto in ingressu presbyterii; Clerus, eum sequens, biretum sustinebit manu. Episcopus cum pluvialistis in Sacrarium ingressi salutabunt Crucem vel imaginem principalem. Episcopus sedebit

sede ibi praeparata; pluvialistae reverentiam ante eum conficient et discedent ad pluviale dimittendum. Idem etiam facient ceteri de Clero, in Sacrarium ingredientes. Episcopus autem de ecclesia aut de Sacrario discedet, quum ei videbitur.

109. Sin autem Clerus manebit in choro, stabit, ut ante dictum est, et Episcopus cum pluvialistis et clericis conficiet ad Chorum reverentiam, postquam reverentiam aut genuflexionem peregerint ad Crucem Altaris. Hoc casu clerici inservientes sequentur Episcopum et pluvialistas.

110. Quod si Episcopus dimitteret paramenta in Sacrario, benedictione impertita, Acolythi procedent in medium presbyterium cum candelabris, et praecedent Episcopum ac pluvialistas in Sacrarium revertentes. Si Clerus in choro non remanebit, servabitur methodus in accessu ad Altare praescripta.

DE MISSA PONTIFICALI.

CAPUT III.

De rebus praeparandis.

1. Altare ornabitur Cruce et sex candelabris cum cereis, pallium erit respondens, tobaleae super Altare ac tapetum super gradus sternentur; haec autem erunt plus minusve nobilia pro qualitate festi et officii. In medio gradus infimi praeparabitur pulvinus violacei coloris, in quo genuflexus Episcopus brevi tempore orabit.

2. Super mensam altaris, disponentur paramenta episcopalia, videlicet planeta, chirothecae in lance, dalmatica, tunicella, stola, Crux pectoralis, cingulum, alba et amictus, quae paramenta cooperientur velo sericeo concolore paramentis eisdem. In latere Evangelii mitra pretiosa cum vimpa seu velo pro ministro ipsius, in latere autem Epistolae ponetur auri-

phrygiata: si pretiosa uti non licebit, auriphrygiata ponetur in latere Evangelii.

3. Ante gradus anteriores Altaris in latere Epistolae ponetur faldistorium instructum veste concolore paramentis, quod si nimis in imo esset, supponetur ei tabulatum sive modicum suppedaneum, quod aequet gradum infimum altaris, et contegetur tapeto convenienti.

4. In latere Epistolae statuetur parvum scamnum contectum tapeto ex panno, instructum postergali exiguo, destitutum suppedali seu gradu ligneo, quo utentur Ministri sacri.

5. In eodem latere abacus contectus alba tobalea, in quo ponentur candelabra duo cum cereis pro Acolythis; calix cum purificatorio, patena, hostia, palla et bursa cum corporali; pelvicula cum ampullis vini et aquae; campanula pro elevatione; Missale ab Episcopo utendum, instructum veste simili paramentis; Epistolarium et Evangeliarium, contectum utrumque ut supra, et intra Evangeliarium manipulus Episcopi; velum humerale pro Subdiacono; gremiale simile paramentis, utendum ab Episcopo; intorticia pro elevatione; canon pontificalis; scotula cum candela; pluviale pro Presbytero assistente; thuribulum cum navicula; cussinus aequalis paramentis vel legile ad sustinendum Missale; urceus cum pelvi; mantile in lance; lanx altera pro annulo episcopali, et manipuli pro Ministris.

6. In Sacrario super mensam, apud quam parari solent Celebrans et Ministri, disponentur paramenta pro Ministris, videlicet dalmatica et stola pro Diacono, tunicella pro Subdiacono, cingula duo totidemque albae, amictus et bireta; superpelliceum et biretum pro Presbytero assistente. Super eadem mensa, vel etiam alio loco, canon pontificalis et scotula cum candela: caligae et sandalia pro Episcopo in lance: superpellicia sufficienti numero pro clericis inservientibus.

7. In medio Sacrario, vel in parte alia sedes cameralis, supposito tapeto, in usum Episcopi: aequum etiam erit, ut praeparentur pulvinaria duo violacei coloris, unum ad brachia alterum ad genua in uno ex genuflexoriis Sacrarii, si Episcopus velit orare.

8. Hora iam praestituta pulsabuntur festivo more campanae; Clerus in Sacrarium congregabitur et induet superpelliceum vel alia indumenta choralia, quorum usu gaudebit ex privilegio.

9. Clerici inservientes induent sibi superpelliceum et in promptu erunt, functuri officio suo; itemque Presbyter assistens induet superpelliceum.

10. Episcopus, hora indicta, aderit in Sacrario et sedebit sede sibi praeparata. Poterit etiam, si placebit, uti genuflexorio ad orandum praeparato.

11. Quum omnia disposita fuerint ad functionem incipiendam, Caeremoniarius admonebit Episcopum, ut sedeat sede praeparata, deinde iubebit canonem et scotulam accipi a clericis ad hoc officium delectis, qui se sistent Episcopo, reverentiam ante eum conficient, et clericus a libro sustinebit canonem apertum ante ipsum, alter autem scotulam adstans dextrorsum clerico praedicto. Presbyter etiam assistens accedet ad Episcopum, salutabit eum et consistet a dextris eius.

12. Episcopus sedens leget antiphonam *Ne reminiscaris* etc. cum psalmis *Quam dilecta* etc. Presbyter assistens volvet folia libri et quando opus sit, indicabit ei preces quas oportebit recitare.

13. Hoc tempore cubicularius Episcopi accipiet caligas et sandalia, geniculabit ante eum, exuet ei calceos usuales et induet caligas ac sandalia, prius in crure et pede dextero, postea in crure et pede sinistro. Cubicularius, postquam hanc actionem peregerit, assurget, secum feret calceos, quos custodiet aut custodiri iubebit ab alio, minime tamen super Altare, neque alio loco, in quo caligae et sandalia praeparata fuerint.

14. Episcopus, posteaquam impositae ei fuerint caligae cum sandaliis et desierit recitare psalmos antedictos, repetet antiphonam *Ne reminiscaris* etc. caput nudabit bireto, assurget, convertetur ad Altare vel ad imaginem sive Crucem Sacrarii et recitabit versiculos *Kyrie eleison* etc. cum orationibus. Post has orationes sedebit iterum et recitabit ceteras orationes ad paramenta assignatas et post ipsas cessabit a precibus ad praeparationem Missae.

15. Clerici a libro et scotula animadvertent convertere humeros versus Altare, quando assurget Episcopus, et redire ad locum suum, quando iterum sedebit. Peracta autem ab Episcopo orationum recitatione, ut ante dictum est, claudent librum, reverentiam ad Episcopum conficient, reportabunt librum et scotulam eo unde acceperint et redibunt ad locum suum inter clericos inservientes.

16. Dum Episcopus recitabit preces pro praeparatione ad Missam, Diaconus et Subdiaconus, adiuvantibus acolythis, induent sacra paramenta usitata, excepto manipulo. Deinde manu accepto bireto, ad nutum Caeremoniarii, quando nempe Episcopus compleverit recitationem precum et orationum, venient ante Episcopum, salutabunt ipsum et consistent a lateribus eius, Diaconus a dextris, Subdiaconus a sinistris.

17. Clerus ad Altare procedet ordine superius descripto in Vesperis; post Clerum incedet Presbyter assistens a dextris Caeremoniarii; postremo Episcopus, medius inter sacros Ministros, capite cooperto, sequentibus clericis inservientibus et nobilibus Episcopi familiaribus.

18. Quum Clerus pervenerit ad Altare; unusquisque genuflexionem aut reverentiam conficiet iuxta gradum suum, locum suum in chorum petet ibique stabit.

19. In ingressu presbyterii, Presbyter assistens accedet ad dexteram Diaconi, Episcopus et Ministri caput nudabunt bireto et sine ulla reverentia ad Chorum, procedent ante Altare. Clerici inservientes sequentur Episcopum, servantes ordinem eumdem, sed qui propiores erunt Episcopo, duos tresve passus longe distabunt ad eo. Si tamen Clerus iam adesset in choro propter officium, hoc casu Episcopus cum Ministris et clericis ubi ingressi erunt in presbyterium, reverentiam conficient ad Clerum, qui iam aderit in choro.

20. Episcopus ante Altare ut pervenerit, reverentiam ad Crucem faciet, Ministri autem cum ceteris, genuflexionem. Geniculabit Episcopus in pulvino posito super gradum infimum et brevi tempore orabit. Ministri cum Presbytero assistente geniculabunt in pavimento ante gradum infimum; Clerus geniculabit loco quisque suo; clerici autem inservientes quo loco

erunt. Regula haec statuitur, ne repetatur deinceps; si nempe Ministri sunt Canonici et adsunt in propria ecclesia, reverentiam, non genuflexionem conficient ad Crucem.

21. Brevi oratione peracta, consurgent Episcopus, Ministri, Chorus et clerici. Episcopus cum Ministris et clericis conficient, ut supra, reverentiam vel genuflexionem ad Altare, dein reverentiam ad Chorum, prius versus latus Evangelii, postea Epistolae. Episcopus cum Ministris accedet ad faldistorium; sedebit versis humeris ad Altare; Diaconus eodem statu consistet a dextris, Subdiaconus a sinistris Episcopi. Presbyter assistens recedet apud abacum itemque clerici inservientes, qui consistent ad lineam secundum abacum. Clerus in choro stabit quo tempore parabitur Episcopus. Prope abacum stabunt etiam nobiles eius familiares.

22. Sedente Episcopo, amovebitur a clerico pulvinar, in quo ille genuflexerit ad brevem orationem peragendam, et reponetur post faldistorium. Caeremoniarius secundus ascendet ad Altare, tollet velum, quo contecta fuerint paramenta, ponens illud in alterutro latere Altaris, et paramenta ipsa distribuet clericis inservientibus. Ascendent ad Altare clerici praedicti, subeuntes a latere ex parte Epistolae; recipiet unusquisque eorum paramentum quod ipsi tradetur, de Altari descendet per medium, genuflexionem exsequetur et se collocabit quo modo docebitur, vel in latitudinem ad lineam cum ceteris ante Altare, vel in longitudinem unus post alium eadem ratione qua traditum est in Vesperis.

23. Dum paramenta clericis distribuentur, Caeremoniarius bireta Ministrorum accipiet ac ponet super abacum. Tum Diaconus, innuente Caeremoniario eodem, exuet Episcopo Crucem pectoralem et mantelletum. Crux pectoralis accipietur a Caeremoniario et tradetur clerico ad hoc delecto, nisi aderit altera Crux pectoralis iam praeparata cum paramentis, quo casu Crux supradicta ponetur super abacum. Mantelletum accipiet cubicularius, qui stabit a tergo Episcopi, et ipse idem expediet syrmam vestis talaris Episcopi.

24. In promptu etiam stabunt familiares nobiles Episcopi, quorum unus deferet urceum cum pelvi, alter mantile cum

lance, et absentibus familiaribus praedictis, supplebunt hoc officium clerici duo.

25. Dimisso ab Episcopo mantelleto, Diaconus porriget ei biretum, quo sibi Episcopus cooperiet caput. Diaconus idem annulum tollet cum osculis Episcopo, eumque tradet Caeremoniario, qui dabit Presbytero assistenti.

26. Se sistent Episcopo familiares eius nobiles cum urceo et pelvi, Ministri mantile accipient et extendent super genua Episcopi, qui lavabit manus. Familiares, vel clerici, qui subministrabunt lotionem Episcopo, stabunt in pedes, sed reverentiam ei conficient ante et post actionem antedictam, postea redibunt ad abacum et in ipso reponent res superius indicatas.

27. Clerici, postquam receperint paramenta episcopalia, genuflexionem ad Altare conficient et venient ante Episcopum.

28. Diaconus, adiuvante Subdiacono, induet Episcopum paramentis, videlicet amictu, alba, cingulo, Cruce pectorali, stola, tunicella, dalmatica, chirothecis et planeta (*a*).

29. Quo tempore a Ministris induetur Episcopus, clericus aliquis pluviali induet Presbyterum assistentem, qui remanebit apud abacum.

30. Clerici, postquam paramenta tradiderint, reverentiam ad Episcopum conficient et redibunt ad locum suum apud abacum. Acolythi praesto erunt imposituri manipulum Ministris. Item in procinctu erit thuriferarius accipiendi mature et praeparandi thuribulum.

31. Posteaquam planeta indutus Episcopus sederit faldistorio, Diaconus cum Subdiacono venient ante Episcopum eique conficient reverentiam. Diaconus mitram pretiosam, si licebit uti, secus auriphrygiatam accipiet a clerico illius custode, qui stabit a tergo Episcopi, eamque capiti imponet Episcopi ipsius. Postea Ministri iterabunt ad Episcopum reverentiam, et accedent ad abacum, ubi ab Acolythis brachio eorum sinistro imponetur manipulus.

32. Caeremoniarius secundus, postquam paramenta cleri-

(*a*) De modo vestiendi Episcopum vide Cap. IX. lib. V. et adnotationem subiectam num. 60. capituli eiusdem.

cis distribuerit, afferet ad abacum velum, quo paramenta contecta erant, et mitram auriphrygiatam, eodemque ex abaco accipiet canonem cum scotula et utrumque afferet ad Altare, ponet canonem apertum ad *Ordinem Missae* in medio Altaris ad pedem Crucis et prope illum ponet scotulam, deinde redibit prope abacum.

33. Dum Ministri immorabuntur apud abacum, assumpturi manipulum, Presbyter assistens veniet ante Episcopum, reverentiam ad eum faciet, appropinquabit et annulum inseret eius digito annulari dextero, osculans prius annulum, postea manum Episcopi, atque iterata reverentia, consistet a dextris eius, humeris ad Altare conversis. Ministri, assumpto manipulo, redibunt ante Episcopum, reverentiam conficient, Diaconus consistet a sinistris eius, Subdiaconus a sinistris Diaconi, eodem statu, quo stabit Presbyter assistens. Clericus quispiam, vel Caeremoniarius secundus accipiet ex abaco Evangeliarium, in quo erit inclusus manipulus Episcopi, ac librum utraque manu sustinens ante pectus, locum sumet prope sinistram Subdiaconi. In promptu etiam stabit a tergo Episcopi clericus caudatarius.

34. Quando omnes supra nominati Ministri dispositi erunt quo ordine supra declaratum est, Caeremoniario innuente, Episcopus assurget ac discedet de faldistorio medius inter Ministros antedictos, qui curabunt servare cum Episcopo unam eamdemque lineam; sequentur Episcopum clericus a mitra et clericus caudatarius, qui syrmam vestis episcopalis sustentabit.

35. Episcopus cum Ministris de faldistorio profectus, post duos tresve passus a faldistorio, salutabit Chorum versus latus Epistolae; procedet deinde ferme ad medium chori et salutabit alteram partem Cleri quae aderit a latere Evangelii; progrediens ulterius, veniet versus medium Altaris. Quum simul cum Ministris processerit ante infimum Altaris gradum, caput aliquantulum convertet versus Diaconum, qui adstabit ei a sinistris, et ab illo nudabitur mitra. Episcopus reverentiam, Ministri genuflexionem ad Altare conficient, et ipse initium faciet Confessionis, cui Ministri iidem respondebunt.

Clericus, vel Caeremoniarius cum Evangeliario et manipulo geniculabit a sinistris Subdiaconi. Clericus a mitra, accepta e manibus Diaconi mitra ipsa, recedet apud abacum ibique stabit. Ceteri clerici inservientes geniculabunt quo loco erunt.

36. Cantorum chorus incipiet et prosequetur cantare introitum et *Kyrie*. Clerus in choro recitabit alternatim Confessionem regulis traditis cap. III. lib. I. Thuriferarius cum thuribulo et navicula praesto erit prope latus Epistolae Altaris ante gradum infimum.

37. Episcopus recitabit Confessionem ritu praescripto in celebratione Missae. Dum Episcopus dicet *Misereatur vestri* etc. Caeremoniarius vel clericus manipulum Episcopi tradet Subdiacono.

38. Recitata ab Episcopo oratione *Indulgentiam, absolutionem* etc. Diaconus recedet passus duos retrorsum, ut locum praebeat Subdiacono, imposituro manipulum in brachium sinistrum Episcopi. Subdiaconus autem priusquam imponet Episcopo manipulum, dabit ei osculandam Crucem, quae extat in summitate manipuli, postea manum eius osculabitur. Episcopus orationem *Merear Domine* etc. recitare non debet.

39. Quando Subdiaconus ligaverit manipulum in brachio sinistro Episcopi, Diaconus rursus appropinquabit Episcopo, Subdiaconus recedet ad locum suum et Episcopus prosequetur ℣. *Deus, tu conversus* etc.

40. Dicto ab Episcopo *Oremus,* Presbyter assistens recedet prope faldistorium et stans conversa facie ad Altare, faldistorium ipsum habebit a sinistris suis; Diaconus immediate transibit ad dextram Episcopi, Subdiaconus appropinquabit eiusdem Episcopi sinistrae.

41. Episcopus ascendet ad Altare medius inter Ministros et clericus aut Caeremoniarius, qui deferet Evangeliarium, ascendet et ipse ad Altare adstans sinistrae Subdiaconi, sed passum unum post ipsum.

42. Episcopus osculabitur Altare et iunctis manibus osculabitur librum Evangeliorum ad principium textus currentis, qui praesentabitur ei apertus a Subdiacono.

43. Caeremoniarius sive clericus recipiet a Subdiacono librum Evangeliorum, tollet de medio Altari canonem, quem

claudet et iunget cum Evangeliario, amovebit etiam scotulam et haec obiecta ad abacum reportabit cum debitis genuflexionibus.

44. Dum Episcopus osculabitur librum Evangeliorum, thuriferarius ascendet a latere ad Altare ex parte Epistolae et Diacono tradet naviculam apertam. Diaconus cum osculo consueto cochlearis et manus ministrabit incensum Episcopo, dicens *Benedicite, Pater Reverendissime*, et Episcopus incensum cum benedictione imponet in thuribulum, quod ei praesentabit thuriferarius. Thure imposito et benedicto, thuriferarius claudet thuribulum, quod tradet Diacono, recipiet ab ipso naviculam et a latere de Altari descendet in planum lateris Epistolae. Diaconus tradet thuribulum Episcopo, qui ritu usitato adolebit Altare: Ministri advertent, ut Episcopo in actu incensationis planetam tantum attollant, non vero dalmaticam et tunicellam.

45. Dum parum aberit, ut compleatur thurificatio, accedet ad Altare clericus cum mitra et ascendet super gradum superiorem prope latus Epistolae in partem anteriorem.

46. Turificatione peracta, Episcopus restituet thuribulum Diacono, qui una cum Subdiacono descendet de Altari in latus Epistolae thurificaturus Episcopum eodem modo, quo thurificatur Celebrans in Missis solemnibus.

47. Dum Diaconus cum Subdiacono descendet de Altari, Caeremoniarius mitram capiti Episcopi imponet, postea consistet a dextris ipsius, remanens in gradu superiori prope suppedaneum.

48. Diaconus non thurificabit Episcopum, nisi quum ipsi imposita fuerit mitra. Episcopus autem advertet ne benedicat Diaconum post thurificationem acceptam, idque observabit etiam deinceps. Postquam thurificatus fuerit, non revertens ad medium Altaris, convertetur ad Altare ipsum, reverentiam ad Crucem faciet et conversus super sinistram suam descendet de Altari et veniet ad faldistorium. Diaconus postquam incensaverit Episcopum eique reverentiam fecerit profundam, restituet thuribulum thuriferario et curabit locum sumere cum Subdiacono a lateribus Episcopi, Diaconus videlicet a dextris, Sub-

diaconus a sinistris, ut sustenteut Episcopum, dum de Altari descendet.

49. Clericus a mitra, tradita, ut supra, mitra Caeremoniario, recedet post faldistorium, Clericus caudatarius, si opus fuerit, sustentabit syrmam vestis episcopalis, ne tamen impedimento sit actionibus Ministrorum.

50. In promptu stabunt duo clerici cum Missali et scotula.

51. Episcopus ubi venerit ad faldistorium, sedebit et Presbyter assistens, qui iam prope faldistorium aderit, advertet ut sustollat planetam dalmaticam et tunicellam, ne Episcopus insideat illis.

52. Diaconus cum Subdiacono a sinistris eius stabunt ante Episcopum, qui iam sedebit faldistorio, eique Diaconus exuet mitram.

53. Episcopus, postquam nudatus erit mitra a Diacono, assurget et super sinistram suam convertetur versus Altare. Se sistent ei duo supradicti clerici unus cum Missali, alter cum scotula, eique facta reverentia, primus clericus sustinebit ante eum Missale apertum, alter cum scotula adstabit sinistrae primi. Presbyter assistens adstabit Episcopo dextrorsum eique monstrabit quae legere debebit ex Missali. Diaconus consistet a dextris, Subdiaconus a sinistris Episcopi, sed aliquantulum retro. Clericus caudatarius, comitatus Episcopum ad faldistorium, redibit ad locum suum inter ceteros clericos.

54. Conversus ad Altare Episcopus, iunctis manibus leget Introitum et se signabit in principio, ut in aliis Missis.

55. Interim Caeremoniarius secundus, vel clericus alius in promptu habebit Canonem substituendum Missali, vel si sedendum erit ad *Kyrie*, clericus a mitra praesto erit prope Episcopum cum mitra auriphrygiata, deposita mitra pretiosa super abacum; clericus alter curam geret gremialis, quod erit imponendum super genua Episcopi.

56. Episcopus, lecto introitu, recitabit *Kyrie* alternatim cum Ministris, et hoc ipsum fiet a Clero in choro.

57. Si cantus *Kyrie* protrahetur longius, recedent clerici a libro et scotula; Episcopus conversus super sinistram suam sedebit faldistorio; tres Ministri stabunt ante ipsum, videlicet Diaconus in medio, Presbyter assistens a dextris Diaconi et

Subdiaconus a sinistris Diaconi. Diaconus imponet Episcopo mitram auriphrygiatam, deinde gremiale super genibus eius et Episcopus manus gremiali superponens, sustinebit illud. Ministri reverentiam ei conficient et sessum recedent ad scamnum sibi praeparatum. Presbyter assistens sedebit propius Episcopo. Diaconus post Presbyterum assistentem et Subdiaconus post Diaconum ita ut Diaconus semper sedeat in medio, Presbyter assistens sedeat propius Episcopum sive a dextris sive a sinistris Diaconi iuxta positionem scamni, itemque Subdiaconus.

58. Sedente Episcopo, considebit etiam Clerus in choro et caput operiet bireto. Ministri quoque sibi caput operient bireto, quod ei tradet clericus vel Caeremoniarius. Clerici inservientes poterunt stare apud abacum.

59. Sub finem *Kyrie* cantati, duo clerici a libro et scotula accipient ex abaco canonem et scotulam et aderunt prope faldistorium; itemque ibi praesto erit clericus a mitra et alter a gremiali.

60. Ad nutum Caeremoniarii Ministri caput nudabunt bireto, quod relinquent super scamnum, vel tradent Caeremoniario aut clerico alicui et redibunt ante Episcopum. Tum hac vice tum in reliquis advertant, ut Subdiaconus praecedat, sequatur Diaconus, ultimo loco Presbyter assistens, ut ante Episcopum adsint ordine iam innuto; videlicet Diaconus in medio, Presbyter assistens a dextris Diaconi et Subdiaconus a sinistris Diaconi. Ministri, ubi steterint ante Episcopum, reverentiam ei conficient et Diaconus tollet ei gremiale, deinde mitram.

61. Assurget Episcopus et super sinistram suam convertetur ad Altare: se sistent ei clerici cum canone et scotula: Presbyter assistens consistet a dextris Episcopi, indicaturus ei quae cantare debebit: statim ac surrexerit Episcopus, Diaconus se sistet post Episcopum, Subdiaconus post Diaconum.

62. Assurgente Episcopo, consurget etiam Chorus.

63. Fine facto cantandi *Kyrie*, Episcopus intonabit *Gloria in excelsis* expandens et attollens manus, ut in aliis Missis. Ad verbum *Deo*, Episcopus, Ministri et ceteri omnes inclinabunt caput; Ministri autem immediate redibunt ad latera Episcopi, videlicet Diaconus ad dexteram, Subdiaconus ad sinistram Epi-

scopi, qui simul cum eis prosequetur recitare *Gloria*. Item a Clero in choro recitabitur *Gloria* alternatim.

64. Completa hymni angelici recitatione, Episcopus conversus super sinistram suam sedebit faldistorio, cooperietur mitra, recipiet gremiale, ut supra: Ministri itemque Clerus in choro sedebunt et caput operient bireto. Clerici inservientes sedebunt gradibus Altaris in latere Epistolae a tergo faldistorii, sed priusquam sedeant, conficient iunctim genuflexionem ad Crucem Altaris in eodem latere Epistolae.

65. Ad verba *Adoramus te* etc. Episcopus inclinabit caput, convertens illud aliquantulum versus Altare; ceteri omnes caput aperient et inclinabunt.

66. Sin autem ab Episcopo post *Kyrie* intonabitur immediate *Gloria in excelsis*, clericus a libro relinquet Missale et accipiet Canonem, quem sustinebit apertum ante Episcopum et Ministri ad intonationem stabunt a tergo Episcopi, ut ante dictum est.

67. Sub finem cantus hymni *Gloria*, innuente Caeremoniario, consurgent clerici inservientes, genuflexionem conficient ad Altare et redibunt ad locum suum apud abacum: in promptu stabunt duo clerici cum Missali et scotula et reliqui duo a mitra et gremiali.

68. Ministri caput nudabunt et consurgent ad nutum Caeremoniarii, venient ante Episcopum, salutabunt ipsum et Diaconus tollet ei gremiale et mitram.

69. Episcopus assurget et conversus ad populum expansis manibus cantabit *Pax vobis*. Chorus respondebit *Et cum spiritu tuo*. Presbyter assistens et Ministri stabunt ut ad intonationem hymni *Gloria*. Quando assurget Episcopus, Clerus etiam in Choro consurget. Postea Episcopus conversus super sinistram suam versus Altare, cantabit orationem sive orationes, manibus ante pectus apertis.

70. Dum ab Episcopo cantabitur oratio, vel ultima oratio, si plures orationes cantandae erunt, Caeremoniarius secundus, aut clericus quispiam, accipiet Epistolarium ex abaco et cum debita reverentia tradet illud Subdiacono, qui sustinebit ipsum pectori applicitum, ambabus manibus positis in

extremitatibus inferioribus libri, advertens tamen, ut libri ipsius apertura sinistrae suae respondeat.

71. Post orationem Episcopus conversus super sinistram suam, sedebit faldistorio, eique a Diacono reponetur mitra et gremiale. Diaconus et Presbyter assistens, qui adstabit dextrae Diaconi, reverentiam ante Episcopum conficient, recedent sessum ad locum suum et caput bireto cooperient. Accedent etiam apud abacum clerici a libro et scotula itemque ceteri a mitra et gremiali.

72. Sedente Episcopo, sedebit Clerus in choro et caput quisque operiet bireto.

73. Subdiaconus statim ac sederit Episcopus, reverentiam ante ipsum faciet, et comitante Caeremoniario procedet ante Altare, conficiet cum ipso genuflexionem ad Crucem, deinde reverentiam ad Clerum prius versus latus Evangelii, postea Epistolae, redibit ante Episcopum, reverentiam ad eum iterabit, aperiet librum Epistolae, quem sibi ipse sustinebit utraque manu et cantabit Epistolam tono praescripto. Absoluto Epistolae cantu, librum claudet, iterum reverebitur Episcopum, redibit ante Altare, genuflexionem ad Altare faciet et reverentiam ad Chorum, ut supra, et reversus ante Episcopum geniculabit ante ipsum eiusque manum dexteram osculabitur; Episcopus porriget ei manum imponens eam libro, eumque benedicet.

74. Dum Subdiaconus post Epistolam peraget actiones modo innutas, Presbyter assistens nudabit caput, assurget et redibit ad sinistram Episcopi; item in promptu stabunt duo clerici, unus cum Missali utendo ab Episcopo, alter cum scotula.

75. Postquam Subdiaconus benedictionem acceperit ab Episcopo, assurget, Epistolarium tradet Caeremoniario, accipiet a clerico Missale Episcopi, quod ipsi apertum sustinebit, et ex illo Episcopus leget Epistolam, Graduale, *Munda cor meum* etc. et Evangelium. Episcopus iunctis manibus recitabit *Munda cor meum* cum *Iube Domine* et Evangelium, quo tempore Presbyter assistens et Caeremoniarius advertent ut eius gremiale sustineant ne decidat. Si ad *Munda cor meum* loco Missalis placebit uti Canone, advertet Caeremoniarius, ut illum accipiat ex abaco

et quum tempus erit, porrigat Presbytero assistenti, qui apertum ponet supra Missale ad orationem supradictam. Presbyter assistens hoc tempore advertet, ut monstret et suggerat Episcopo quae legenda sint ex Missali. Clericus cum scotula in actione ista remanebit prope latus dexterum Subdiaconi.

76. Dum Episcopus leget Epistolam, thuriferarius advertet ut in promptu sit thuribulum cum igne ac navicula et stabit prope abacum. Quando Episcopus se signabit ad verba *Sequentia sancti Evangelii* etc. Diaconus nudabit caput, assurget et appropinquabit ad abacum, ubi a Caeremoniario accipiet Evangeliarium, quod ambabus manibus appositis ad extremitates inferiores libri sustinebit ante pectus, apertura libri versa ad sinistram suam: tum comitante Caeremoniario, procedet ad Altare, reverentiam ad Chorum exsequetur prius versus latus Epistolae, deinde ad Episcopum sedentem faldistorio, postea ad alteram chori partem versus latus Evangelii: progressus ante infimum Altaris gradum, genuflectet ad Crucem, ascendet ad Altare et in media mensa ponet librum; iterata in medio suppedaneo genuflexione ad Crucem, descendet a latere de Altari ad faldistorium et consistet a dextris Episcopi, humeris ad Altare conversis.

77. Postquam Episcopus legerit Evangelium, Subdiaconus claudet Missale, et reverentiam ad Episcopum efficiet, librum restituet clerico et consistet contra Episcopum duos tresve passus longe a faldistorio. Presbyter assistens manebit a sinistris Episcopi iunctis manibus et eadem positione qua de Diacono superius dictum est. Clericus a libro et alter a scotula, facta iunctim ad Episcopum reverentia, revertentur ad abacum, librumque et scotulam super illum deponent.

78. Appropinquabit Episcopo thuriferarius cum thuribulo et naviculam tradet Diacono. Episcopus in thuribulum sibi praesentatum a thuriferario imponet incensum, quod ipsi cum osculis consuetis ministrabitur a Diacono. Interim Acolythi ex abaco accipient candelabra, procedent ante Episcopum et consistent a lateribus Subdiaconi, sed Acolythus a dextris advertet ut relinquat locum Diacono.

79. Thure ab Episcopo benedicto, Diaconus restituet naviculam thuriferario, qui locum sumet a tergo Subdiaconi,

transiens a latere dextero primi Acolythi. Diaconus restituet naviculam thuriferario, ascendet a latere ad Altare, geniculabit in media extremitate suppedanei et recitabit *Munda cor meum* etc. Hac oratione recitata, assurget, librum accipiet ut supra, genuflexionem in medio suppedaneo faciet ad Crucem Altaris, descendet a latere, redibit ad Episcopum et ante ipsum genibus flexis, petet ab eo benedictionem, dicens *Iube, Domne, benedicere.* Episcopus respondebit *Dominus sit in corde tuo* etc. eumque benedicet. Diaconus osculabitur Episcopi dextram, quam Episcopus ipse porriget ei super Evangeliarium, tum assurget et accedet ad dexteram Subdiaconi.

80. Post haec Diaconus, Acolythi ac thuriferarius conficient reverentiam ad Episcopum, procedent ante Altare; conficient iunctim ad Altare genuflexionem, reverentiam ad Chorum, prius versus latus Epistolae, deinde Evangelii, venient in latus Evangelii, ibique a Diacono Evangelium cantabitur, ritibus in Missis solemnibus praescriptis.

81. Ubi Ministri cum Acolythis ab Episcopo discesserint, Caeremoniarius tollet Episcopo gremiale et mitram, eaque accipientur a clericis ad hoc delectis. Ad cantum Evangelii Episcopus assurget et iunctis manibus convertetur ad Diaconum, non tamen se movens de faldistorio. Presbyter assistens etiam stabit conversus ad Diaconum, consistens prope sinistram Episcopi.

82. Sub finem Evangelii cantati in promptu erunt duo clerici cum Canone et scotula, ac si omittendum in Missa erit *Credo,* loco Canonis in promptu habebitur Missale.

83. Completo cantu Evangelii, Subdiaconus afferet librum osculandum Episcopo, qui utramque manum libro imponens, dicet *Per evangelica dicta* etc. Subdiaconus librum claudet, reverentiam ad Episcopum efficiet et recedet prope Presbyterum assistentem, tradens librum clerico alicui, qui ad abacum illum reportabit.

84. Acolythi, statim ac discesserit Subdiaconus cum libro, porrecturus ipsum Episcopo osculandum, vadent iunctim ante Altare, genuflexionem conficient et revertentur ad abacum, super quo deponent candelabra.

85. Diaconus eo loco, quo cantaverit Evangelium, convertetur versus Episcopum, quem, postquam osculatus erit librum, triplici ductu incensabit, profunda reverentia salutans eum ante et post thurificationem: tum restituet thuribulum thuriferario et genuflexione ad Altare facta transiens ante ipsum, redibit ad Episcopum. Thuriferarius recedet ad thuribulum deponendum.

86. Episcopus, postquam thurificatus fuerit, convertetur super dextram suam ad Altare, eique se sistent duo clerici cum scotula et canone, ex quo intonabit *Credo*. Presbyter assistens manebit a dextris Episcopi, indicaturus ei quid cantandum sit; Ministri autem stabunt a tergo Episcopi, et statim ac Episcopus compleverit intonationem *Credo*, transibunt ad latera eius, prosecuturi cum ipso recitationem symboli. Clerus in choro alternatim recitabunt *Credo*. Ad *Incarnatus* genuflectetur ab omnibus, exceptis clericis a libro et scotula; curabitur, ut id fiat iunctim cum Episcopo. Sub finem recitationis symboli, in promptu stabunt duo clerici cum mitra et gremiali.

87. Post recitationem symboli, duo clerici reportabunt ad abacum librum et scotulam. Episcopus convertetur super sinistram suam, sedebit faldistorio et Diaconus reponet ei mitram et gremiale. Ministri reverentiam ad Episcopum conficient, recedent sessum ad scamnum sibi praeparatum et caput bireto cooperient. Clericus etiam in choro sedebit.

88. Si cantus *Credo* non protrahetur longius, post reverentiam ad Episcopum factam, Presbyter assistens cum Subdiacono recedent sessum, ut supra, Diaconus autem consistet a sinistris Episcopi, humeris ad Altare conversis.

89. Ad cantum versiculi *Et Incarnatus*, etc. genuflectetur ab omnibus, exceptis Episcopo cum Ministris, Praelatis siqui aderunt in choro, et Canonicis. Episcopus inclinabit caput, non tamen dimittens mitram, ceteri omnes caput nudabunt. Si Diaconus adstabit, ut supra, sinistrae Episcopi, geniculabit loco suo, conversus ad Altare.

90. Post cantatum ℣. *Et incarnatus*, Diaconus accipiet ex abaco bursam cum corporali, delaturus illam ad Altare: pera-

get reverentias, prius ad Chorum versus latus Epistolae, tum ad Episcopum, tandem ad alterum chori latus versus partem Evangelii: quum venerit ad medium Altaris ante infimum gradum, genuflectet ad Crucem, ascendet ad Altare, ponet bursam super mensam, sinistra eam sustinens rectam, extrahet inde dextra corporale, quod ponet super mensam, dextra pariter statuet bursam versus latus Evangelii, applicans illam gradui candelabrorum et ambabus manibus explicabit corporale in media mensa. Genuflexionem, ut supra, stans adhuc in suppedaneo, iterabit ante Crucem, descendet a latere de Altari et redibit ad scamnum, ubi sedebit una cum reliquis duobus Ministris et caput cooperiet.

91. Clerici inservientes sedere poterunt postquam Diaconus reversus erit ad scamnum sessurus post ℣. *Et incarnatus*.

92. Sub finem *Credo* cantati, ad nutum Caeremoniarii consurgent clerici inservientes, qui genuflexione ad Altare facta, revertentur ad abacum: in promptu stabunt duo clerici cum Missali in usum Episcopi et cum scotula, alteri duo pro mitra et gremiali; thuriferario curae erit praeparare thuribulum, ut in promptu sit ad offertorium.

93. Innuente Caeremoniario, nudabunt caput Minisiri, consurgent et venient ante Episcopum. Diaconus exuet ei gremiale et mitram. Clericus gremialis custos perget ad abacum ibique illud deponet et accipiet lancem argenteam ad reponendas chirothecas Episcopi: clericus alter reportabit ad abacum mitram auriphrygiatam et accipiet alteram pretiosam, si licebit uti, ac redibit apud faldistorium. Item Caeremoniarius, vel clericus quispiam monebit familiares nobiles Episcopi, si aderunt, secus duos clericos alios, ut praesto sint cum urceo et pelvi cumque manutergio, ministraturi Episcopo lotionem manuum.

94. Quando Episcopus nudatus erit mitra, Ministri se collocabunt ut ad intonationem *Credo*. Episcopus assurget, salutabit populum, cantans *Dominus vobiscum* et conversus super sinistram suam ad Altare, cantabit *Oremus* et ex Missali leget versiculum Offertorii, quem ipsi indicabit Presbyter assistens.

95. Si post Evangelium non esset cantandum *Credo*, Episcopus postquam osculatus erit librum et acceperit thurifica-

tionem, convertetur ad populum: quando Diaconus et Subdiaconus stabunt loco supra indicato, cantabit *Dominus vobiscum*, postea conversus ut supra, ad Altare, cantabit *Oremus* et leget versiculum Offertorii. Dum autem Episcopus leget Offertorium, Diaconus et Subdiaconus stabunt a lateribus eius.

96. Lecto Offertorio, Episcopus super sinistram suam convertetur ad Altare et sedebit faldistorio. Diaconus imponet Episcopo mitram pretiosam, si licebit uti, secus auriphrygiatam, et una cum Subdiacono iterata ad ipsum reverentia, Diaconus accedet ad dexteram, Subdiaconus ad sinistram Episcopi. Se sistet Episcopo clericus cum lance, in qua ponentur chirothecae. Diaconus extrahet prius e digito Episcopi annulum, quem ponet in lance postea chirothecam ex manu dextera cum osculis praescriptis; deinde Subdiaconus tollet itidem cum osculis chirothecam ex manu sinistra Episcopi et utraque chirotheca ponetur in lance supradicta. Clericus, qui lancem sustinebit, recedet aliquantum versus dexteram Diaconi et succedent familiares nobiles Episcopi vel clerici duo, ministraturi lotionem manuum Episcopo, Diaconus et Subdiaconus mantile accipient et extendent super genua Episcopi: familiaris, sive clericus, qui sustinebit urceum cum pelvi, effundet aquam super manus Episcopi, et familiaris seu clericus qui hoc officium praestabit, stabit in pedes, non genuflexus. Episcopus absterget manus mantili, quod sustinebitur a Ministris, et post lotionem recipietur ab eo, qui attulerit et qui iunctim cum altero familiari seu clerico redibunt ad abacum et instrumenta lotionis in ipso deponent.

97. Presbyter assistens, statim ac sederit Episcopus post lectionem versiculi Offertorii, accedet ad abacum, accipiet legile vel cussinum cum Missali, cum canone et scotula eaque deferet ad Altare, faciet reverentiam ad Chorum ex parte Epistolae, deinde ad Episcopum, tertio ad alteram Chori partem ex latere Evangelii; et progressus ante medium infimi gradus Altaris, genuflexionem ad Crucem exsequetur et ad Altare ascendet: conscenso suppedaneo, ponet res supra enumeratas versus latus Evangelii, aperiet canonem et apertum applicabit ad pedem Crucis ante medium Altaris, eriget legile vel cussinum aptabit

in latere eodem, superponet illi Missale apertum, collocabit scotulam prope Missale et in suppedaneo a latere Evangelii manebit, expectans Episcopum: quod si nimis incommoda esset Canonis positio ad pedem Crucis, poterit illum ponere super legile seu cussinum et Missale relinquere clausum super mensam prope legile seu cussinum praedictum.

98. Subdiaconus, postquam Episcopus manus abluerit, discedet inde faciens ad Episcopum reverentiam et perget ad abacum, ubi imponetur ei velum humerale et accipiet calicem, ut promptus sit ad hunc afferendum ad Altare, ut infra. Acolythus etiam unus in promptu stabit cum ampullis vini et aquae in pelvicula, secuturus Subdiaconum, quando accedet ad Altare, ut postea docebitur. Nisi in Missa cantatum erit *Credo*, bursa cum corporali deferetur a Subdiacono simul cum calice.

99. Postquam Episcopus laverit manus, Diaconus recipiet ex lance annulum et reponet Episcopo cum osculis. Clericus, sustinens lancem cum chirothecis, reverentiam faciet ad Episcopum et redibit ad abacum, in quo deponet lancem cum chirothecis et redibit ad locum suum.

100. Praesto erit etiam thuriferarius cum thuribulo in plano prope latus Epistolae.

101. Quando omnia disposita erunt quo modo indicavimus, innuente Caeremoniario, assurget Episcopus, cui Diaconus adstabit a dextris. Profectus de faldistorio, salutabit Chorum in latere Epistolae, procedens versus latus Evangelii, salutabit alteram Chori partem, quae aderit in latere isto. Sequentur Episcopum clericus a mitra et clericus caudatarius, qui sustentabit syrmam vestis eius. Ante infimum gradum Altaris Diaconus Episcopo exuet mitram. Episcopus reverentiam ad Crucem faciet, Diaconus genuflexionem. Episcopus ascendet ad Altare cumque ipso ascendet etiam Diaconus, qui attollet partem anteriorem vestis episcopalis. Episcopus, conscenso suppedaneo, osculabitur Altare in medio, manus extensas super mensam imponens dum osculabitur. Clericus cum mitra et clericus caudatarius recedent versus abacum.

102. Procedente ad Altare Episcopo, Clerus in choro stabit in pedes, capite nudato; et sedebit quum Episcopus ad Altare ascenderit.

103. Dum Episcopus ascendet ad Altare, ascendet etiam Subdiaconus a latere ex parte Epistolae afferens calicem, sequente Acolytho cum ampullis vini et aquae. Subdiaconus super Altare ponet calicem, qui detegetur a Diacono, ac si aderit etiam bursa cum corporali propter circumstantiam superius innutam, Diaconus accipiet bursam, extrahet inde corporale, bursam ponet versus cornu Evangelii et explicabit corporale in media mensa. Diaconus tollet pallam de patena eamque ponet super Altare, accipiet deinde patenam cum hostia, quam tradet Episcopo et procedetur in Missa quo ordine descriptum est in aliis Missis solemnibus, exceptis animadversionibus, quae sequuntur.

104. Clericus caudatarius accedet ad Altare tempore thurificationis, sustenturus extremitatem posteriorem vestis episcopalis, si opus fuerit.

105. Presbyter assistens amovebit ab Altari cussinum seu legile cum Missali, ne impedimento sit thurificationi et reponet illud post thurificationem: clericus a scotula ascendet ad Altare ad scotulam in actu praedicto removendam, si opus fuerit.

106. Clericus a mitra appropinquabit cum ipsa ad Altare sub exitum thurificationis.

107. Peracta Altaris thurificatione, Episcopus thuribulum tradet Diacono, ut in aliis Missis, et Caeremoniarius reponet Episcopo mitram: advertet autem Diaconus ne thurificet Episcopum, nisi postquam ei reposita fuerit mitra.

108. Familiares nobiles, vel clerici, cum urceo et pelvi ministrabunt lotionem Episcopo, qui lavabit manus retinens in capite mitram.

109. Si Clerus in choro aderit, Diaconus postquam thurificaverit Episcopum, perget ad adolendum Chorum: si Clerus aberit, incensabit Presbyterum assistentem et Subdiaconum, deinde mitram exuet Episcopo in fine psalmi *Lavabo;* postea in medio Altaris super gradu infimo incensabitur a thuriferario. Si aderit Chorus, mitra Episcopus nudabitur a Caeremoniario.

110. Clericus caudatarius recedet quando Episcopus redibit ad medium Altaris post lotionem manuum. Item clericus mitrae minister mitram ipsam reportabit ad abacum.

111. Priusquam Episcopus incipiat cantare Praefationem, si Canon positus erit ad pedem Crucis, Presbyter assistens de cussino seu legili tollet Missale, quod ponet super Altare, accipiet Canonem eumque apertum imponet super cussinum seu legile. Sin Canon iam situs esset in cussino seu legili, aperiet Missale et ponet super legile tantummodo pro secretis Missae orationibus.

112. Priusquam Episcopus incipiat cantare *Per omnia saecula* etc. ante Praefationem, Caeremoniarius exuet ei pileolum, quem afferet ad abacum et reponet in lance.

113. Diaconus, postquam peregerit Chori thurificationem, stabit a tergo Episcopi in gradu superiori, neque unquam assistet ei ad librum, siquidem hoc officium spectat ad Presbyterum assistentem, excepto tempore quo pax donatur, ut docebitur inferius.

114. Sub finem Praefationis, Diaconus ascendet ad dextram Episcopi, recitaturus cum ipso *Sanctus*.

115. Ad orationem *Quam oblationem* etc. Diaconus, quin ascendat in suppedaneum, consistet a dextris Episcopi et in extremitate suppedanei geniculabit, dum ab Episcopo proferentur verba consecrationis. Presbyter assistens genua flectet in extremitate suppedanei a sinistris Episcopi, quando hic proferet verba Consecrationis, eiusque planetam simul cum Diacono sublevabit. Post elevationem Hostiae assurget, monstrabit Episcopo quae legere debebit et ad verba Consecrationis Calicis rursus geniculabit.

116. Post Consecrationem Diaconus stabit in gradu superiori a tergo Episcopi et ascendet in suppedaneum ad eius dextram, quando detegendus erit Calix. Presbyter assistens nunquam genuflectet, quia non ministrat.

117. Ad *Agnus Dei* Diaconus adstabit dexterae Episcopi et Subdiaconus dextrae Diaconi. Recitato *Agnus Dei* cum Episcopo, Subdiaconus remanebit loco quo diximus, et Presbyter assistens cum Diacono conficient genuflexionem ad Sacramentum. Presbyter assistens transibit ad dextram Episcopi et geniculabit in suppedaneo, Diaconus veniet ad sinistram Episcopi, genuflexionem faciet, eique assistet ad librum. Quando

Episcopus recitaverit orationem *Domine Iesu Christe, qui dixisti* etc. Presbyter assistens assurget et iunctis manibus osculabitur Altare et accipiet pacem ab Episcopo, qui prosequetur reliquas orationes in Missa dicendas.

118. Presbyter assistens, accepta Pace ab Episcopo, genuflexionem faciet ad Sacramentum, descendet de Altari et pacem afferet ad Chorum quo ordine traditum est capit. VI. lib. I.

119. Presbyter assistens, postquam pacem donaverit Choro; redibit ad Altare, genuflexionem faciet, ascendet in latus Evangelii, pacem praebebit Diacono, deinde cum ipso iterabit genuflexionem ad Sacramentum et resumet assistentiam ad librum. Diaconus, genuflexione facta, redibit ad Episcopi dextram, iterabit genuflexionem et pacem praebebit Subdiacono. Hic genuflexionem non faciens, accepta pace, convertetur ad dextram suam eamque praebebit Caeremoniario, qui stabit prope ipsum et Caeremoniarius porriget clericis, ut traditum est supra citato capitulo.

120. Si Presbyter assistens nondum redierit ad Altare post Communionem Hostiae, Calix detegetur a Subdiacono.

121. Nisi Clerus in choro aderit, Presbyter assistens, postquam pacem ab Episcopo acceperit, genuflectet, transibit ad sinistram Episcopi, pacem dabit Diacono, iterabit cum ipso genuflexionem et resumet assistentiam ad librum. Diaconus, genuflexione facta, redibit ad dextram Episcopi, genuflexionem iterabit ad Sacramentum, deinde pacem donabit Subdiacono, hic Caeremoniario, Caeremoniarius ceteris.

122. Quando Episcopus sumpserit Calicem, Caeremoniarius reponet ei pileolum, quem meminerit mature accipere ex abaco.

123. Clericus a mitra recipiet mitram pretiosam, si licebit uti, secus auriphrygiatam, quando Episcopus accipiet purificationem et praesto erit prope Episcopum.

124. Presbyter assistens, et ipso absente, Diaconus, simulatque Episcopus Calicem sumpserit ponet canonem apertum in medio Altaris applicitum pedi Crucis, et Missale apertum reponet super pulvinum seu legile.

125. Diaconus ministrabit Episcopo vinum in purificatione et in ablutione: Subdiaconus aquam ei ministrabit in ablutione. Si Diaconus assistet ad librum, supplebit ei Subdiaconus.

126. Dum Episcopus purificationem accipiet, in promptu erunt familiares nobiles, vel clerici ministraturi Episcopo lotionem manuum.

127. Subdiaconus, postquam ministraverit Episcopo aquam in ablutione, transibit in cornu Evangelii ut abstergat et cooperiat calicem. Eodem tempore Presbyter assistens transferet Missale cum cussino seu legili in cornu Epistolae et clericus unus cum eo scotulam asportabit, si opus fuerit. Diaconus a dextra Episcopi restabit. Presbyter assistens, posito super Altare Missali, recedet in eodem Epistolae latere super gradum superiorem.

128. Quando Episcopus post ablutionem, absterso ore, reliquerit super Altari calicem cum purificatorio, Diaconus reponet ei mitram pretiosam, si uti licebit, secus auriphrygiatam. Episcopus cum Diacono a dextris transibit in latus Epistolae, ubi lavabit manus et mantile sustinebitur extensum ante eum a Diacono et Presbytero assistente.

129. Episcopo, lotis manibus, Diaconus exuet mitram; tum Episcopus ad Altare conversus leget ex Missali versiçulum *Communio*. Clericus caudatarius reveniet ad sustinendam extremitatem posteriorem vestis episcopalis, si necesse erit. Clericus cum mitra consistet in plano lateris Epistolae. Diaconus locum sumet a tergo Episcopi in gradu superiori. Subdiaconus absterget, cooperiet calicem, plicabit corporale, reportabit omnia ad abacum et redibit post Diaconum, consistens ante infimum gradum.

130. Posteaquam Episcopus legerit versiculum *Communio*, veniet ad medium Altaris, conversus ad populum cantabit *Dominus vobiscum*, rursus transibit ad Missale et cantabit orationem sive orationes *Postcommunionis*. Redibit ad medium Altaris, conversus ad populum cantabit *Dominus vobiscum* et Diaconus *Ite Missa est* vel *Benedicamus Domino*, secundum qualitatem ritus.

131. Conversus ad Altare Episcopus dicet orationem *Placeat* etc. et post eam osculabitur Altare. Diaconus reponet ei mitram pretiosam, vel auriphrygiatam, si pretiosa uti non licebit, et Episcopus benedictionem solemnem impertietur.

132. Ad benedictionem Episcopi geniculabit populus et Clerus, exceptis Praelatis et in sua Ecclesia Canonicis, qui sta-

bunt profunde inclinati; Ministri consistent in gradu superiori a lateribus Episcopi, ac nisi fuerint Canonici, geniculabunt in extremitate suppedanei; Presbyter assistens geniculabit in extremitate suppedanei, vel si fuerit Canonicus, stabit profunde inclinatus.

133. Episcopus, benedictione impertita, exuetur mitra a Diacono et recitabit Evangelium S. Ioannis. Presbyter assistens cum Subdiacono canonem Episcopo sustinebunt.

134. Si legendum erit Evangelium de Dominica aut de feria, Presbyter assistens, dum cantabitur *Ite Missa est* vel *Benedicamus Domino,* transferet Missale cum cussino in latus Evangelii et benedictionem accipiet in latere eodem.

135. Dum legetur ultimum Evangelium, in promptu stabunt clerici, quorum officium recipere paramenta episcopalia.

136. Completa ultimi Evangelii recitatione, redibit Episcopus ad medium Altaris et a Diacono reponetur ei mitra. Tum de Altari descendet medius inter Diaconum et Subdiaconum, reverentiam ad Crucem conficiet, deinde ad Chorum versus latus Evangelii, postea versus latus Epistolae ad alteram Chori partem, veniet ad faldistorium et sedebit.

137. Presbyter assistens descendet a latere de Altari, perget ad abacum et ibi dimittet pluviale.

138. Sedenti in faldistorio Episcopo se sistent iunctim clerici unus post alium et reverentiam conficient. Ministri immediate dimittent manipulos, qui ab Acolythis referentur ad abacum. Diaconus Episcopo exuet mitram et Subdiaconus manipulum: deinde Diaconus, adiuvante Subdiacono, exuet Episcopum ceteris paramentis, quae a clericis referentur ad Altare, in quo disponentur ordinatim a Caeremoniario, ut in principio Missae et cooperientur velo, quo tegebantur ab initio.

139. Episcopo paramentis exuto, a Cubiculario, qui aderit a tergo faldistorii, reponetur ei mantelletum, quod induet adiuvantibus Ministris; Diaconus autem collo eius reponet Crucem pectoralem eique tradet biretum. Hoc ipso tempore cubicularius alligabit extremitatem posteriorem vestis episcopalis; clericus unus super infimum gradum ponet pulvinar in usum Episcopi.

140. Innuente Caeremoniario, Episcopus de faldistorio assurget medius inter Ministros, procedet ante Altare, geniculabit super pulvinum et brevi tempore orabit. Ministri geniculabunt a lateribus eius, itemque Presbyter assistens, sed in plano ante infimum gradum.

141. Clerici etiam procedent ante Altare bini et geniculabunt super pavimentum. Clerus genuflectet in choro, suo quisque stallo. Assurget Episcopus et salutabit Crucem. Cum eo consurgent ceteri omnes et respective unusquisque reverentiam vel genuflexionem ad Crucem conficiet. Caeremoniarius advertet ut tradat biretum Ministris et Presbytero assistenti. Clerici bini, iunctis manibus anteibunt Episcopo, qui capite cooperto bireto incedet medius inter Ministros. Clerus sequetur Episcopum, senioribus seu dignioribus propius Episcopo incedentibus.

142. Episcopus in Sacrarium ingressus, salutabit Crucem sive imaginem praecipuam et sedebit sede praeparata.

143. Ministri salutabunt Episcopum et recedent ad vestes sacras dimittendas.

144. Ceteri de Clero exuent sibi superpelliceum et discedere poterunt arbitratu suo, exceptis ecclesiae Superiore et altero ecclesiastico, qui Episcopum in eius discessu comitabuntur.

145. Sedenti, ut supra, Episcopo, se sistent clerici duo cum canone et scotula; Episcopus ex canone leget preces gratiarum actionis. Hoc tempore cubicularius ei caligas et sandalia exuet ac reponet calceos usuales.

146. Recitatis ab Episcopo supradictis precibus, clerici, facta ipsi reverentia, canonem et scotulam ad abacum reportabunt. Discedentem autem de ecclesia Episcopum Superior alterque ecclesiasticus, ut supra innutum est, comitabuntur.

DE VARIATIONIBUS, QUAE OCCURRUNT SI EPISCOPUS PARAMENTA INDUET IN SACRARIO.

CAPUT IV.

1. Si Episcopus induet vestes in Sacrario, iuxta morem cuiusque loci, et quemadmodum notatum est num. 37. capituli II, servabitur methodus indicata, paucis exceptis animadversionibus, quas heic subiicimus.

2. Paramenta Episcopalia praeparabuntur super Altare Sacrarii quo ordine diximus num. 8. citati capituli. Si utetur mitra pretiosa et auriphrygita, pro qualitate officii, praeparabitur in Altari Sacrarii mitra tantum pretiosa; altera auriphrygiata ponetur super abacum Altaris maioris. In Sacrario eodem abacus contectus alba tobalea, in quo ponentur candelabra cum cereis pro Acolythis, urceus cum pelvi, mantile in lance, manipuli Ministrorum et pluviale utendum a Presbytero assistente.

3. In Altari maiore praeparabitur Canon apertus ante pedem Crucis cum scotula in latere Epistolae prope Canonem ipsum.

4. Praesto erunt clerici inservientes Episcopo et Ministri, qui se parabunt, dum Episcopus vacabit praeparationi.

5. Episcopus accedet ad Sacrarium ordine innuto in citato capitulo, eique ponentur caligae et sandalia.

6. Interim se parabunt Ministri, nempe Diaconus et Subdiaconus, vestibus sacris et expectabunt quo loco paramenta assumpserint.

7. Dum Episcopus leget orationes ad paramenta, a Caeremoniario distribuentur clericis paramenta episcopalia. Clerici, qui deferent paramenta ipsa, consistent prope Episcopum, iuxta dispositionem loci.

8. Peracta ab Episcopo recitatione psalmorum et orationum ad praeparationem Missae praescriptarum, recedent clerici cum libro et scotula, quae reponent super abacum. Ministri,

innuente Caeremoniario discedent de loco suo, reverentiam conficient ad Crucem vel ad imaginem primariam Sacrarii, venient ante Episcopum, salutabunt ipsum et consistent a lateribus eius, Diaconus nempe a dextris, Subdiaconus a sinistris.

9. Episcopus caput nudabit bireto. Diaconus tollet ei Crucem pectoralem, quam ei dabit osculandam, deinde tradet Caeremoniario, qui dabit ipsam clerico designato ad deferenda paramenta, vel ponet eam super abacum, si cum paramentis iam adesset altera Crux pectoralis praeparata.

10. Episcopus bireto caput operiet, et adiuvantibus Ministris, dimittet mantelletum vel mozzetam, quae recipietur a Cubiculario, qui stabit post Episcopum. Cubicularius expediet syrmam vestis episcopalis.

11. Diaconus cum osculis consuetis extrahet e digito Episcopi annulum, quem tradet Caeremoniario, hic Presbytero assistenti.

12. Se sistent Episcopo sui familiares nobiles, vel iis absentibus, clerici duo, unus cum urceo et pelvi, alter cum mantili. Ministri accipient mantile, quod extensum sustinebunt super genibus Episcopi, et familiaris sive clericus cum urceo et pelvi fundet aquam super manus Episcopi. Clerici sive familiares stabunt in pedes dum actionem istam exsequentur. Episcopus manus absterget mantili, deinde sibi ipse exuet biretum, quod simul cum mantili accipietur a familiari nobili vel a clerico, qui simul cum altero sustinente urceum cum pelvi salutabunt Episcopum et redibunt ad abacum, in quo deponent res indicatas.

13. Diaconus, adiuvante Subdiacono, induet Episcopum amictu, alba, cingulo, Cruce pectorali, stola, tunicella, dalmatica, chirothecis et planeta.

14. Hoc tempore Presbyter assistens, adiuvante clerico, induet sibi pluviale.

15. Episcopo, ut supra, induto planeta et sedenti in faldistorio vel sede, se sistent iunctim Diaconus et Subdiaconus et reverentiam ante eum conficient. Diaconus imponet ei mitram pretiosam vel auriphrygiatam, pro qualitate officii. Iterabunt deinde ante ipsum reverentiam et accedent ad abacum, ubi in

promptu stabunt Acolythi, qui brachio eorum sinistro imponent manipulum.

16. Quum ab Episcopo discesserint Ministri ituri ad abacum, se sistet Episcopo Presbyter assistens, qui reverentia facta, annulum ponet eius digito dextero annulari cum osculis consuetis annuli et manus; et postquam annulum ei posuerit, iterabit reverentiam et consistet a dextris eius.

17. Ministri postquam assumpserint manipulum redibunt ante Episcopum, reverentiam ei conficient et consistent a sinistris eius, videlicet Diaconus a sinistris Episcopi, Subdiaconus a sinistris Diaconi.

18. Caeremoniarius biretum tradet Presbytero assistenti, Diacono et Subdiacono atque innuet Acolythis, ut accipiant ex abaco candelabra cum cereis accensis.

19. Acolythi, acceptis candelabris, procedent in medium Sacrarii, conficient reverentiam ad Crucem vel ad imaginem praecipuam Sacrarii, deinde ad Episcopum: hoc ipsum facient ceteri de Clero; qui bini venient in medium Sacrarii, ut Acolythi, et in ordinem disponentur, sequentes Acolythos ipsos, accedentes ad Altare.

20. Clericus unus pulsabit campanulam appensam ad fores Sacrarii, et ad Altare procedetur ordine sequenti.

21. Caeremoniarius secundus, sequentibus Acolythis qui gestabunt candelabra cum cereis ardentibus: clerici inservientes Episcopo et incedent bini, capite nudato et unusquisque biretum sustinebit utrâque manu ante pectus, advertendo ut seniores sive digniores incedant prope Episcopum: Subdiaconus solus: Episcopus, iunctis manibus, adstante eius dextrae Presbytero assistente, sinistrae Diacono; sequetur Episcopum clericus caudatarius, qui sustentabit eius extremitatem posteriorem vestis, et a dextris huius incedet alter clericus, mitrae minister: ultimo loco ibunt familiares nobiles Episcopi, si aderunt.

22. Episcopus cum Ministris priusquam de Sacrario discedant, reverentiam conficient ad Crucem sive ad imaginem praecipuam Sacrarii.

23. Ad fores Sacrarii unusquisque accipiet aquam sanctam, porriget eam socio et signabit se. Caeremoniarius dabit illam

Subdiacono, Diacono et Presbytero assistenti, qui caput nudabunt et signabunt se: Presbyter assistens eam porriget Episcopo, qui se signabit, non dimittens mitram.

24. Si transeundum sit ante Altare SS. Sacramenti, vel ante illud, in quo expositae essent Reliquiae Sancti illius, cuius festum celebretur, genuflexionem vel reverentiam conficient bini qui de Clero sunt, nudato capite, et Episcopus medius inter Ministros faciet reverentiam vel genuflexionem: si forte facienda sit Episcopo genuflexio, Diaconus exuet ei mitram et pileolum ac genuflexionem faciet in pavimento, nullo utens pulvino.

25. Acolythi ante Altare maius progressi, genuflexionem iunctim conficient prope gradum infimum Altaris, dirimentur aliquantulum, se ad invicem salutabunt et consistent ante praedictum gradum a lateribus, facie ad invicem conversa. Caeremoniarius secundus consistet ante gradum infimum in latere Evangelii. Clerici inservientes id ipsum exsequentur et disponentur ad lineam prope Acolythos, facie ad invicem conversa, unusquisque in latere suo. Ceteri de Clero, genuflexione facta ad Altare et mutua inter se reverentia, accedent in chorum occupantes stallum suum, ibique stabunt.

26. Ministri pervenientes ad presbyterium nudabunt caput et biretum tradent Caeremoniario, qui curabit, ut bireta ponantur in scamno ipsis praeparato.

27. Subdiaconus quum venerit ante Altare, perget versus latus Evangelii et Caeremoniarius secundus advertet ut accipiat librum Evangeliorum cum manipulo Episcopi, et afferat ad Altare, consistens a sinistris Subdiaconi.

28. Episcopus cum Diacono et Presbytero assistente procedet ante Altare, quo quum venerit, exuetur mitra a Diacono. Episcopus reverentiam, Ministri genuflexionem ad Crucem conficient et Missae fiet initium.

29. Acolythi convertentur ad Altare quando illuc adveniet Episcopus, genuflexionem cum Ministris conficient, pergent ad candelabra deponenda super abacum et ante ipsum geniculabunt.

30. Clerici inservientes statim ac pervenerit Episcopus

ante Altare, coibunt simul, ut in accessu, a tergo Episcopi, genuflexionem una cum Ministris ad Altare conficient et recedent apud abacum, ubi genua flectent in principio Missae

31. Quod si Clerus iam adesset in choro, et de Sacrario discederet Episcopus tantum cum Ministris ceterisque inservientibus, sequens ordo servabitur.

32. In accessu de Sacrario ad Altare incedent Acolythi, clerici inservientes, Ministri et Episcopus eodem ordine ac supra.

33. Quum ventum erit ad presbyterium, Acolythi dirimentur in ingressu, eodemque modo clerici inservientes, ut superius notatum est. Ministri bireta dimittent, Subdiaconus consistet prope Acolythum, qui stabit a sinistra ingressus, et Episcopus cum Diacono a sinistris et Presbytero assistente a dextris subsistet in ingressu ipso, efficiens unam eamdemque lineam cum Acolythis. Clerici inservientes se sistent post Episcopum. Innuente autem Caeremoniario, fiet ab omnibus reverentia ad Chorum, prius versus latus Evangelii, postea versus Epistolae latus, tum procedent ante Altare, ubi Episcopus mitra nudabitur a Diacono et Missae fiet initium.

34. In reliquo functionis nulla alia occurrit variatio.

35. Quod spectat ad discessum de Altari et ad reditum in Sacrarium, sequens methodus tenebitur.

36. Benedictione ab Episcopo impertita, Acolythi ex abaco accipient candelabra et procedent in medium presbyterii, ac prope ipsos clerici inservientes, qui stabunt propius Altari, videlicet inter Acolythos et Altare.

37. Postquam Episcopus absolverit recitationem ultimi Evangelii, redibit ad medium Altaris in suppedaneo, eique reponetur mitra a Diacono et expectabit ibi donec tempus erit discedendi post Clerum.

38. Interim Acolythi cum clericis, postea Clerus de choro discedent ordine supra dicto in accessu et dirigentur versus Sacrarium. Episcopus innuente Caeremoniario descendet cum Ministris de Altari, reverentiam ad Crucem et Ministri genuflexionem conficient; sequetur Clerum in reditu ad Sacrarium eodem ordine ac supra, videlicet praecedet Subdiaconus, qui

incedet iunctis manibus, sequetur Episcopus medius inter Presbyterum assistentem et Diaconum.

39. Sin Clerus remanebit in choro, Acolythi et clerici conficient simul cum Episcopo et Ministris genuflexionem ad Altare, deinde reverentiam ad chorum, prius versus partem Evangelii, postea versus latus Epistolae.

40. Ingressi in Sacrarium Acolythi cum clericis, dirimentur in duas alas; et Episcopus cum Ministris ubi accesserint ad sedem sive faldistorium in medio Sacrario praeparatum, reverentiam conficient ad Crucem vel ad imaginem principalem. Clerus etiam, si aderit, disponetur in duos ordines, et Episcopus cum Ministris, quando in medium venerint, conficient reverentiam, capite detecto, ad Crucem sive ad imaginem praecipuam Sacrarii; hoc ipsum Clerus et clerici exsequentur.

41. Post reverentiam praedictam Episcopus accedet ad sedem seu faldistorium in quo sedebit: Presbyter assistens salutabit Episcopum et recedet ad pluviale dimittendum, functus officio suo: Diaconus consistet a dextris, Subdiaconus a sinistris Episcopi: Acolythi pergent ad candelabra deponenda, postea redibunt prope Ministros; clerici inservientes manebunt apud Episcopum. Clerus dimittet superpelliceum et abire poterit, excepto Superiore ecclesiae et altero etiam ecclesiastico, qui ibi remanebant, comitaturi Episcopum in discessu.

42. Acolythi redibunt ad Ministros et exuent eis manipulos, quos reponent super mensam, in qua praeparata fuerant eorumdem Ministrorum paramenta. Diaconus exuet mitram Episcopo, cui deinde Subdiaconus tollet manipulum. Postea Diaconus, adiuvante Subdiacono, exuet Episcopum ceteris omnibus paramentis, quae a clericis inservientibus recipientur et ad Altare Sacrarii referentur, in quo ordinatim reponentur a Caeremoniario secundo.

43. Interim Cubicularius Episcopi in promptu stabit cum mantelleto vel mozzeta, et Caeremoniarius, qui assistet Episcopo, accipiet secum Crucem pectoralem. Praesto erunt etiam duo clerici cum canone et scotula.

44. Episcopo paramentis exuto, cubicularius, qui adstabit ei a tergo, reponet ipsi mantelletum vel mozzetam, qua in re

adiuvabitur etiam a Ministris. Idem cubicularius advertet, ut alliget extremitatem posteriorem vestis episcopalis. Diaconus reponet Episcopo Crucem pectoralem, quam ei dabit osculandam priusquam collo eius imponat, eique facta reverentia iunctim cum Subdiacono, pergent ad paramenta dimittenda, quae sibi exuent adiuvantibus Acolythis, functi iam officio suo.

45. Episcopus sedebit et caput operiet bireto: se sistent ei duo clerici cum scotula et canone, ex quo recitabit preces pro gratiarum actione. Interea cubicularius recipiet calceos usuales Episcopi et clericus unus lancem argenteam et venient ante Episcopum eique cubicularius genuflexus tollet sandalia et caligas, prius ex crure et pede dextero, postea ex sinistro eique reponet calceos usuales. Clericus caligas, et sandalia recipiet, reponet in lance et reportabit ad abacum, ubi praeparata erant a principio.

46. Clerici inservientes dimittere poterunt superpelliceum, si adimpleverint officium suum.

47. Postquam Episcopus recitaverit preces gratiarum actionis, clerici a libro et scotula cum debita reverentia discedent, reponent haec super abacum et sibi exuent superpelliceum.

48. Postremo Episcopus, comitante Superiore ecclesiae et altero quopiam ecclesiastico usque ad ostium externum Sacrarii, de ecclesia discedet.

DE MISSA PONTIFICALI PRO DEFUNCTIS CUM RITU ABSOLUTIONIS.

CAPUT V.

De rebus praeparandis.

1. Altare instruetur Cruce et sex candelabris simplicibus ex aurichalco aut ex cupro cum cereis ex alba cera: apponetur pallium nigri coloris et tobaleae consuetae, advertendo, quod

superior tobalea contegere debet latera Altaris. Gradus cooperientur tapeto laneo coloris violacei. In medio gradus infimi praeparabitur pulvinar nigri coloris eiusdem panni sericei ut paramenta, quo utetur Episcopus, quando genuflexus brevi orabit in accessu ad Altare.

2. Disponentur in media Altaris mensa paramenta nigri coloris pro Episcopo, videlicet manipulus, planeta, dalmatica, tunicella, stola, Crux pectoralis, cingulum, alba et amictus, quae contegentur velo sericeo nigri coloris. In latere Evangelii ponetur mitra damascena albi coloris, vel linea albi coloris cum vimpa seu velo utendo a ministro illius (*a*).

3. Ante gradus anteriores Altaris statuetur faldistorium ornatum veste sericea nigri coloris, aequali panno sericeo paramentorum, cum suppedaneo, quod aequet gradum infimum Altaris, si faldistorium nimis humile esset; suppedaneum autem cooperietur exiguo tapeto ex panno violaceo.

4 In latere Epistolae ponetur scamnum parvum cum postergali, sine suppedali seu gradu, in usum Ministrorum et contegetur tapeto ex panno violaceo.

5. Abacus coopertus tobalea albi coloris statuetur in latere eodem, superque illum disponentur res sequentes. Duo candelabra cum cereis pro Acolythis; calix cum purificatorio, patena, hostia, palla et corporali intra bursam; pelvicula cum ampullis vini et aquae; campanula; Missale ab Episcopo utendum cum tegumento aequali paramentis; Epistolarium et Evangeliarium convestitum utrumque, ut supra; gremiale pro Episcopo aequale paramentis; intorticia pro elevatione; canon pontificalis; scotula cum candela; pluviale pro Presbytero assistente; thuribulum cum navicula; cussinus aequalis paramentis, vel legile pro Missali; urceus cum pelvi; mantile in lance; manipuli induendi a Ministris; candelae Clero distribuendae, si distributio fieri soleat, et intorticium aut cereus unus distinctus Episcopo tradendus. Si fiet absolutio post Missam, praeparabitur ibi etiam pluviale pro Episcopo, vasculum aquae sanctae cum aspersorio et prope abacum Crux hastilis.

(*a*) Romae Emi DD. Cardinales utuntur mitra damascena albi coloris et Episcopi ex tela alba,

6. Nisi aderit in media ecclesia castrum doloris vel etiam cadaver, praeparabitur in latere Evangelii parvus tumulus seu lodix nigri coloris explicanda in medio presbyterio.

7. Si aderit castrum doloris, vel cadaver, praeparabitur alterum faldistorium cum veste nigri coloris super exiguo tapeto violaceo in capite castri doloris vel ad pedes cadaveris.

8. In Sacrario super tabulam apud quam parari solent Celebrans et Ministri, disponentur paramenta nigri coloris a Ministris utenda, eaque sunt dalmatica et stola pro Diacono, tunicella pro Subdiacono, bina cingula, binae albae, binique amictus cum biretis, superpelliceum cum bireto pro Presbytero assistente. Super eadem mensa praeparabitur etiam canon pontificalis et scotula cum candela.

9. In medio eiusdem Sacrarii aut in parte alia, aderit sedes cameralis super tapeto, in usum Episcopi. Aequum erit etiam praeparare pulvinaria duo violacei coloris, in uno ex genuflexoriis Sacrarii, si Episcopo placebit orare.

De functione.

10. Sacra aera turris luctuoso more, pro consuetudine cuiusque loci, pulsabuntur aliquandiu ante functionem, et hora praestituta congregabitur in Sacrarium Clerus, qui induet superpelliceum aut aliud insigne chorale, si ex privilegio poterit uti.

11. Presbyter assistens induet superpelliceum, itemque clerici inservientes, ut fungantur officio ipsis attributo.

12. Episcopus hora determinata aderit in Sacrario, sedebit sede ibi praeparata, vel uti poterit, si placebit, genuflexorio apposito ad orandum.

13. Rebus omnibus ad functionem peragendam dispositis, Caeremoniarius innuet Episcopo, ut sedeat, itemque clericis, ad hoc officium delectis, ut accipiant canonem et scotulam. Isti se sistent Episcopo et cum debitis reverentiis clericus libri minister, praesentabit Episcopo canonem apertum, adstante a dextris altero cum scotula. Presbyter assistens adstabit Episcopo a dextris, indicaturus ei quid recitandum sit.

14. Episcopus sedens leget orationes tantum ad paramenta et omittet antiphonam *Ne reminiscaris* cum psalmis et precibus:

advertet etiam ut omittat orationes praescriptas ad sandalia et chirothecas, quibus in huiusmodi Missa non utitur.

15. Recitatis ab Episcopo precibus praedictis, clerici a libro et scotula salutabunt eum, recedent ad abacum, in quo canonem et scotulam reponent.

16. Dum Episcopus recitabit orationes ad paramenta praescriptas, Diaconus et Subdiaconus, adiuvantibus Acolythis, induent sibi paramenta sacra, excepto manipulo. Innuente Caeremoniario, quando Episcopus desierit recitare, ut supra, orationes, manu accepto bireto, venient ante Episcopum, reverentiam conficient et consistent a lateribus eius, videlicet Diaconus a dextris, Subdiaconus a sinistris.

17. Clerus procedet ad Altare eodem ordine, quo traditum est capitulis II et III; post Clerum incedet Presbyter assistens a dextris Caeremoniarii, deinde Episcopus, medius inter Ministros, capite cooperto bireto; sequentur clerici inservientes, postremo familiares nobiles Episcopi.

18. Quando Clerus pervenerit ad Altare, genuflexionem quisque aut reverentiam, iuxta gradum suum efficiet, petet stallum suum in chorum, ibique stabit.

19. In ingressu Presbyterii Presbyter assistens locum sumet a dextris Diaconi, Episcopus et Ministri caput nudabunt bireto, nullaque facta reverentia ad Chorum, procedent ante Altare. Clerici inservientes sequentur Episcopum, servantes ordinem eumdem, restantibus qui propiores erunt Episcopo, duos tresve passus post eum. Si Clerus iam adesset in choro officii recitandi causa, Episcopus, Ministri ceterique inservientes in ingressu presbyterii reverentiam conficient Clero in choro praesenti.

20. Episcopus ante Altare progressus, reverentiam ad Crucem faciet, Ministri cum ceteris conficient genuflexionem. Geniculabit Episcopus in pulvino posito super medium gradus infimi ibique brevi tempore orabit; Ministri cum Presbytero assistente genua flectent in pavimento ante gradum infimum; unusquisque de Clero geniculabit loco proprio; clerici inservientes a tergo Episcopi.

21. Post brevem orationem Episcopus, Ministri, Clerus in choro et clerici consurgent. Episcopus cum Ministris et clericis conficient, ut supra, reverentiam vel genuflexionem ad

Crucem Altaris, postea salutabunt Chorum prius versus latus Evangelii, deinde Epistolae. Episcopus cum Ministris accedet ad faldistorium, sedebit in ipso, humeris ad Altare conversis; Diaconus eadem positione consistet a dextris, Subdiaconus a sinistris Episcopi. Presbyter assistens accedet ad abacum, itemque clerici inservientes, qui ad lineam se disponent secundum abacum. Clerus in choro stabit in pedes, dum parabitur Episcopus. Familiares nobiles stabunt apud abacum.

22. Sedente Episcopo, amovebitur a clerico pulvinus de gradu infimo Altaris, quo usus erit Episcopus ad brevem orationem peragendam, et reponet illum post faldistorium; Caeremoniarius secundus ascendet ad altare, tollet velum a paramentis quo contegebantur et reponet illud in latere Altaris, deinde clericis inservientibus paramenta ipsa distribuet methodo superius innuta num. 31. cap. II.

23. Quando clericis distribuentur paramenta, Caeremoniarius, accipiet bireta Ministrorum eaque ponet super scamnum: tum Diaconus innuente Caeremoniario, exuet Episcopo Crucem pectoralem et mantelletum: Crux pectoralis accipietur a Caeremoniario eodem et dabitur clerico ad hoc delecto, nisi aderit alia Crux pectoralis iam praeparata cum paramentis, quo casu illa ponetur super abacum; mantelletum accipietur a Cubiculario, qui stabit a tergo Episcopi, quique etiam expediet extremitatem vestis episcopalis.

24. In procinctu etiam erunt familiares nobiles Episcopi, quorum unus deferet urceum cum pelvi, alter mantile in lance; absentibus autem familiaribus praedictis supplebunt clerici duo.

25. Episcopo, dimisso mantelleto, Diaconus porriget biretum, quo sibi ipse Episcopus cooperiet caput. Diaconus extrahet Episcopi digito annulum, quem tradet Caeremoniario, hic autem dabit Presbytero assistenti.

26. Se sistent Episcopo familiares nobiles cum urceo et pelvi: Ministri accipient mantile et explicabunt ipsum super genua Episcopi, qui lavabit manus. Familiares, sive clerici, qui ministrabunt Episcopo lotionem, stabunt in pedes, sed reverentiam ad eum conficient ante et post actionem antedictam, postea redibunt ad abacum, in quo deponent instrumenta lotionis.

27. Clerici postquam acceperint paramenta, genuflexionem ad Crucem altaris exsequentur et venient ante Episcopum.

28. Diaconus adiuvante Subdiacono, induet Episcopo paramenta, videlicet amictum, albam, cingulum, Crucem pectoralem, stolam, tunicellam, dalmaticam, planetam et manipulum.

29. Quo tempore Ministri paramentis induent Episcopum, clericus unus induet pluviale Presbytero assistenti, qui prosequetur stare apud abacum. Acolythi in promptu erunt, manipulum impositurі Ministris.

30. Postquam Episcopus indutus erit planeta et sederit faldistorio, Diaconus una cum Subdiacono venient ante Episcopum et salutabunt ipsum. Diaconus accipiet mitram a clerico illius custode, qui stabit post Episcopum, eamque capiti ipsius Episcopi reponet. Postea Ministri reverentiam Episcopo iterabunt et accedent ad abacum, ubi ab Acolythis brachio eorum sinistro imponetur manipulus.

31. Caeremoniarius secundus, paramentis clericis distributis, deferet ad abacum velum quo paramenta ipsa contegebantur; canonem cum scotula ex eodem abaco accipiet et afferet ad Altare; canonem apertum ad *Ordinem Missae* ponet in media Altaris mensa ad pedem Crucis, prope canonem ponet scotulam et revertetur ad abacum.

32. Dum Ministri apud abacum assument manipulum, Presbyter assistens veniet ante Episcopum, salutabit ipsum eique appropinquabit et annulum inseret eius digito annulari dexterae manus sine osculis consuetis, atque iterata reverentia, consistet a dextris eius, humeris ad Altare conversis. Ministri, accepto in brachio manipulo, redibunt ante Episcopum, reverentiam ei conficient et Diaconus consistet a sinistris eius, Subdiaconus a sinistris Diaconi eodem statu quo Presbyter assistens.

33. Ministris hoc ordine dispositis, Caeremoniario innuente, assurget Episcopus et discedet de faldistorio medius inter praedictos Ministros, qui curabunt servare eamdem cum Episcopo lineam, et sequentur clericus a mitra et clericus caudatarius, qui syrmam vestis episcopalis sustentabit.

34. Episcopus cum Ministris postquam discesserit e faldistorio, duos tresve passus longe ab ipso, salutabit Clerum in

choro versus partem Epistolae; procedet versus medium Altaris et salutabit alterum latus chori versus partem Evangelii, postea veniet ad medium Altaris. Progressus cum Ministris Episcopus ante infimum Altaris gradum, vertet aliquantulum caput versus Diaconum, qui sinistrae eius adstabit et ab ipso exuetur mitra. Episcopus reverentiam, Ministri genuflexionem conficient et initium fiet Confessionis, cui respondebunt Ministri. Clericus caudatarius geniculabit a tergo Episcopi. Clericus mitrae minister, accepta mitra e manibus Diaconi, recedet apud abacum ibique stabit. Ceteri clerici inservientes geniculabunt quo loco erunt.

35. Cantorum chorus incipiet et prosequetur cantare introitum et *Kyrie*. Clerus in choro alternatim recitabit Confessionem.

36. Episcopus confessionem recitabit ritu in Missa praescripto et post *Indulgentiam* etc. prosequetur versiculos *Deus tu conversus* etc.

37. Dicto ab Episcopo *Oremus*, Presbyter assistens recedet et veniet prope faldistorium, et stans facie ad Altare conversa, habebit faldistorium a sinistris suis; Diaconus immediate transibit ad dexteram Episcopi et Subdiaconus sinistrae Episcopi appropinquabit.

38. Episcopus medius inter Ministros ascendet ad Altare, sequente clerico mitrae ministro; osculabitur Altare et statim Diaconus reponet ei mitram.

39. Praesto erunt duo clerici cum missali et scotula apud faldistorium.

40. Episcopus mitra coopertus reverentiam faciet ad Crucem, Ministri genuflexionem, et cum ipsis a latere descendet ad faldistorium. Clericus a mitra sequetur Episcopum, itemque clericus, qui syrmam vestis Episcopi sustentabit, si opus fuerit, quando Episcopus de Altari descendet.

41. Episcopus quum venerit ad faldistorium, sedebit in ipso, et Presbyter assistens, qui iam ibi aderit, advertet ut sustollat planetam, dalmaticam et tunicellam ne Episcopus eis insideat.

42. Diaconus cum Subdiacono a sinistris eius aderunt ante Episcopum, qui sedens in faldistorio exuetur mitra a Diacono.

43. Episcopus, postquam exutus fuerit mitra, assurget et super sinistram suam convertetur versus Altare. Se sistent ei clerici cum Missali et scotula, et primus eorum sustinebit ei Missale apertum, stante altero cum scotula a sinistris huius. Presbyter assistens manebit a dextris Episcopi aliquantulum retro. Clericus caudatarius, postquam comitatus erit Episcopum ad faldistorium, recedet ad locum suum inter ceteros clericos.

44. Episcopus ad Altare conversus leget Introitum iunctis manibus et ad prima verba *Requiem aeternam* etc. signum Crucis librum versus faciet, manum sinistram apponens pectori. Recitabit deinde alternatim cum Ministris *Kyrie*, quod idem faciet Clerus in choro.

45. Quando Episcopus de Altari descendet iturus ad faldistorium, clericus unus aut Caeremoniarius secundus amovebit canonem, qui stabit apertus in medio altaris eumque reponet super abacum.

46. Completo cantu *Kyrie*, Diaconus transibit post Episcopum, Subdiaconus post Diaconum. Episcopus super sinistram suam convertetur ad populum et cantabit *Dominus vobiscum*. Clerus in choro simulatque responderit *Et cum spiritu tuo*, geniculabit et stare prosequentur in pedes Episcopus, Presbyter assistens, Ministri, Caeremoniarius assistens Episcopo et clericus uterque a libro et scotula. Ceteri omnes geniculabunt ad orationem.

47. Episcopus ritu consueto orationem Missae respondentem tono feriali cantabit.

48. Ad orationis conclusionem assurget Caeremoniarius secundus, aut clericus quispiam, accipiet ex abaco Epistolarium, accedet ad Subdiaconum eique tradet illud.

49. Post orationem Chorus et ceteri omnes consurgent: praesto erunt apud faldistorium clericus cum mitra et alter cum gremiali, et recedent apud abacum clerici cum libro et scotula.

50. Episcopus post orationem cantatam, conversus super sinistram suam, sedebit faldistorio et sedente Episcopo, sedebit etiam Clerus in choro. Diaconus reponet mitram Episcopo et

super genua eius gremiale. Diaconus cum Presbytero assistente a dextris eius reverentiam facient ad Episcopum et sessum pergent ad scamnum ipsis praeparatum, servantes regulam notatam num. 57. cap. III.

51. Subdiaconus postquam acceperit librum Epistolarum, procedet cum Caeremoniario secundo ante Altare, genuflexionem ad Crucem exsequetur et reverentiam ad Chorum, prius versus partem Evangelii, deinde versus Epistolam et redibit ante Episcopum, ibique manebit cum libro clauso et applicito pectori. Quum discesserint Diaconus et Presbyter assistens ad sedendum, ut supra, Subdiaconus iterabit reverentiam ad Episcopum, aperiet librum et cantabit Epistolam, quae ipsi indicabitur, librum sibi ipse sustinens. Peracto cantu Epistolae, librum claudet, iterabit reverentiam ad Episcopum, redibit ante Altare, genuflexionem ad Crucem Altaris faciet et reverentiam ad Chorum, ut supra, reveniet ante Episcopum, quem iterum reverebitur, et Epistolarium tradet Caeremoniario vel clerico, qui comitatus eum fuerit.

52. Dum Subdiaconus post cantatam Epistolam praedictas actiones exsequetur, Presbyter assistens nudabit caput, assurget de scamno et redibit ad sinistram Episcopi: praesto erunt prope Episcopum clerici cum Missali et scotula.

53. Postquam Subdiaconus tradiderit Epistolarium, accipiet a clerico Missale, quod apertum sustinebit ante Episcopum, ex quo hic leget Epistolam, Graduale, Sequentiam, *Munda cor meum* et Evangelium; advertet autem quod non est dicendum *Iube Domne* etc. *Dominus sit* etc. priusquam recitet Evangelium. Quando Episcopus iunctis manibus recitabit *Munda cor meum* et Evangelium, sustinebitur ei gremiale ex uno latere a Presbytero assistente, ex altero a Caeremoniario. Si ad recitandum *Munda cor meum* loco Missalis placeret uti Canone, advertet Caeremoniarius ut illum accipiat ex abaco et porrigat Presbytero assistenti, qui eum ponet apertum super Missale pro oratione praedicta. Presbyter assistens etiam advertet, ut indicet et suggerat Episcopo, quid ex Missali sit legendum. Clericus a scotula sustinebit scotulam ipsam, stans prope latus dexterum Subdiaconi.

54. Postquam Episcopus legerit Evangelium, Subdiaconus claudet Missale, ipsumque restituet clerico, a quo acceperit; hic autem se adiunget clerico a scotula, et una facient reverentiam ad Episcopum et revertentur ad abacum, in quo deponent res modo indicatas.

55. Presbyter assistens se adiunget dexterae Subdiaconi, et reverentia ad Episcopum simul facta, redibunt sessum ad scamnum et caput operient bireto.

56. Interim a cantoribus cantabitur Sequentia-*Dies irae dies illa* etc. Si distribuendae Clero erunt candelae, circa dimidium cantus Sequentiae, videlicet paullo ante vel paullo post iuxta numerum Cleri, duo quatuorve clerici vel etiam numero maiori accedent ad abacum, ac si clerici erunt duo, unus accipiet candelas et alter comitabitur eum, distributurus illas; si fuerint quatuor, duo ipsorum accipient candelas et reliqui duo comitabuntur eos propter distributionem atque hoc modo tractabitur actio ista, si numero etiam fuerint maiori. Quando transibunt ante Celebrantem, reverentia eum honorabunt, itemque in medio choro priusquam candelas distribuant et postquam distribuerint, genuflexionem conficient ad Altare et reverentiam ad Chorum prius versus partem Evangelii, postea versus partem Epistolae. Unus ex clericis ad hoc officium delectis advertet, ut in primis det intorticium aut cereum distinctum Cappellano Episcopi, qui habitu talari cum pallio indutus aderit prope abacum. Sub finem autem cantus Sequentiae clerici duo pluresve, accensis suis candelis, accedent ad accendendas Cleri candelas; in primis autem advertent, ut accendant intorticium aut cereum Celebrantis, utque reverentiam ad ipsum Episcopum celebrantem, genuflexionem ad Altare et reverentiam ad Chorum conficiant, ut supra dictum est.

57. Ad ℣. *Oro supplex,* aut sub idem fere tempus, Diaconus nudabit caput, assurget et receptum apud abacum Evangeliarium afferet ad Altare, comitante Caeremoniario, exsequens reverentiam prius ad Chorum versus latus Epistolae, deinde ad Episcopum in faldistorio sedentem, postremo ad Chorum versus partem Evangelii: quum venerit ante Altare, genuflexionem faciet, ascendet ad Altare, ponet librum in media

altaris mensa, geniculabit in extremitate suppedanei et recitabit *Munda cor meum.*

58. Hoc tempore Presbyter assistens et Subdiaconus nudabunt caput et assurgent, ac sequentibus Acolythis iunctis manibus, venient ante Episcopum et reverentiam ad eum conficient. Subdiaconus cum Acolythis consistent contra Episcopum: Presbyter assistens accedet ad sinistram Episcopi.

59. Diaconus, postquam recitaverit *Munda cor meum*, assurget, librum accipiet, descendet de Altari, genuflexionem faciet, veniet ante Episcopum et adiunget se Subdiacono, consistens a dextris eius. Caeremoniarius secundus se sistet post aut prope Ministros praedictos.

60. Quando parum aberit, ut compleatur cantus ultimorum verborum Sequentiae, Diaconus, Subdiaconus et Acolythi cum Caeremoniario secundo reverentiam conficient ad Episcopum et procedent ante Altare. Ibi genuflexionem conficient ad Crucem, tum reverentiam ad Chorum prius versus partem Epistolae, postea versus Evangelii latus et procedent versus latus istud ad cantandum Evangelium ritu praescripto in aliis Missis solemnibus pro defunctis.

61. Dum Ministri cum Acolythis peragent genuflexionem ad Altare et reverentias ad Chorum, Caeremoniarius tollet Episcopo gremiale et mitram.

62. Episcopus, statim ac Diaconus cantabit *Dominus vobiscum,* assurget et versus Diaconum ipsum convertetur: Presbyter assistens se sistet a sinistris Episcopi, passum unum retrorsum et stabit ipse quoque conversus ad Diaconum, qui cantabit Evangelium. Clerus consurget, nudato capite, et unusquisque candelam ardentem in choro manu dextera sustinebit.

63. Ambo clerici a libro et scotula, simulatque completus erit cantus Evangelii, in promptu stabunt cum rebus praedictis prope faldistorium.

64. Post cantum Evangelii extinguentur candelae, quas Clerus in choro sustinebat ardentes.

65. Item completo cantu praedicto, Subdiaconus librum claudet ac tradet uni ex Acolythis, Diaconus et Subdiaconus medii inter Acolythos revenient ante Altare, genuflexionem ad

Crucem conficient tantummodo, sine ulla ad Chorum reverentia, revertentur ante Episcopum eique facient reverentiam.

66. Acolythi redibunt ad abacum et Diaconus cum Subdiacono consistent post Episcopum, ut supra dictum est de oratione.

67. Episcopus convertetur ad populum, cantabit *Dominus vobiscum* et conversus super sinistram suam versus Altare cantabit *Oremus* et ex Missali submissa voce leget Offertorium. Ministri hoc tempore consistent a lateribus Episcopi, ut in Introitu. Presbyter assistens, qui adstabit dexterae Episcopi, monstrabit ei quid legendum ex Missali erit.

68. Significetur hoc tempore familiaribus nobilibus Episcopi, vel eis absentibus, clericis duobus supplentibus, ut parati sint ad lotionem Episcopo ministrandam.

69. Postquam Episcopus legerit Offertorium, conversus super sinistram suam, sedebit faldistorio. Diaconus reponet mitram Episcopo, eique facta cum Subdiacono reverentia, Diaconus accedet ad dexteram, Subdiaconus ad sinistram Episcopi. Diaconus extrahet annulum ex digito Episcopi eumque retinebit secum. Se sistent Episcopo familiares nobiles, vel clerici duo ministraturi lotionem Episcopi manibus. Diaconus cum Subdiacono accipient mantile ipsumque explicabunt super genua Episcopi: familiaris vel clericus, qui deferet urceum cum pelvi, effundet aquam super manus Episcopi et actionem istam exsequetur stans, non genuflexus. Episcopus manus absterget mantili, quod sustinebitur a Ministris et recipietur a familiari vel clerico qui illud attulerit: tum uterque familiaris, sive clericus, redibunt simul ad abacum, ibique deponent instrumenta, quae opus fuerunt ad lotionem.

70. Presbyter assistens, statim ac sederit Episcopus post lectionem Offertorii, perget ad abacum, accipiet cussinum vel legile cum Missali, canone et scotula, eaque afferet ad Altare: procedens autem ad Altare, reverentiam ad Chorum in latere Epistolae, deinde ad Episcopum, postremo ad alteram Chori partem in latere Evangelii exsequetur: quum venerit ante medium infimi gradus Altaris, flectet genu et ad Altare ascendet: conscenso suppedaneo ponet res supra nomi-

natas versus cornu Evangelii; aperiet canonem, quem ponet in media mensa, applicans illum ad pedem Crucis, elevabit legile vel aptabit cussinum in latere eodem, superponet sive legili sive cussino Missale apertum, prope ipsum collocabit scotulam et immorabitur super suppedaneo in latere Evangelii, expectans Episcopum: quod si nimis incommoda esset positio Canonis ad pedem Crucis, poterit eum ponere super legile seu cussinum et prope ipsum super Altaris mensa relinquet Missale clausum.

71. Subdiaconus, postquam Episcopus laverit manus, salutabit ipsum et perget ad abacum accepturus calicem eumque allaturus ad Altare, ut infra. Acolythus unus in promptu stabit cum ampullis vini et aquae in pelvicula, secuturus Subdiaconum, quando procedet ad Altare, ut inferius docebitur.

72. Postquam Episcopus laverit manus, Diaconus annulum ei reponet.

73. Praesto erit thuriferarius cum thuribulo in plano prope latus Epistolae.

74. Quando omnia disposita erunt ad functionem prosequendam, innuente Caeremoniario assurget Episcopus, cui dextrorsum adstabit Diaconus. Profectus de faldistorio salutabit Chorum in latere Epistolae, procedet deinde versus latus Evangelii et salutabit alteram Chori partem in latere Evangelii. Sequentur Episcopum clericus a mitra et clericus caudatarius, qui extremitatem posteriorem vestis episcopalis sustentabit. Diaconus mitram exuet Episcopo, quando ipse venerit ante infimum gradum Altaris. Episcopus reverentiam, Diaconus genuflexionem ad Crucem conficiet. Episcopus ad Altare ascendet simul cum Diacono, qui partem anteriorem vestis eius sublevabit. Conscenso suppedaneo, Episcopus ponens manus extensas super mensam, Altare in medio osculabitur. Clericus cum mitra et clericus caudatarius recedent versus abacum.

75. Procedente ad Altare Episcopo, Clerus in choro stabit in pedes capite nudato et sedebit quando Episcopus iam ad Altare pervenerit.

76. Dum Episcopus ascendet ad Altare, illuc etiam ascendet a latere in cornu Epistolae Subdiaconus cum calice, quo-

modo erit praeparatus super abaco, superque ipso aderit bursa cum corporali. Acolythus sequetur Subdiaconum, deferens ampullas vini et aquae in pelvicula: Subdiaconus ponet calicem super Altare. Diaconus accipiet bursam et inde extrahet corporale; collocabit bursam versus latus Evangelii et corporale in media mensa explicabit. Idem pallam tollet de patena eamque ponet super mensam, accipiet patenam cum hostia, quam tradet Episcopo, et procedetur in Missa eodem ordine quo traditum est in aliis Missis solemnibus, exceptis animadversionibus sequentibus.

77. Clericus caudatarius accedet ad Altare thurificationis tempore ad sustinendam syrmam vestis episcopalis, si opus fuerit.

78. Subdiaconus ascendet ad Altare, dum Diaconus tradet Episcopo thuribulum, ad sublevandam planetam a sinistris Episcopi, durante incensatione.

79. Presbyter assistens amovebit ab Altari cussinum seu legile cum Missali propter thurificationem, qua peracta, illud reponet: clericus a scotula ascendet ad Altare ad scotulam ipsam removendam in actione praedicta.

80. Clericus a mitra accedet cum ipsa ad Altare sub finem thurificationis.

81. Peracta Altaris thurificatione, Episcopus tradet thuribulum Diacono; Caeremoniarius autem reponet mitram Episcopo. Diaconus advertet, ne incenset Episcopum, nisi postquam ipsi mitra reposita fuerit.

82. Diaconus, postquam thurificaverit Episcopum, restituet thuribulum thuriferario, qui discedet de Altari.

83. Post haec Diaconus ascendet super gradum superiorem infra suppedaneum et consistet a dextris Episcopi; ascendet etiam Subdiaconus et consistet a sinistris.

84. Familiares nobiles, vel clerici ministrabunt lotionem Episcopo, sed Diaconus cum Subdiacono sustinebunt ei mantile distensum.

85. Profectis ministris lotionis et completa ab Episcopo recitatione psalmi *Lavabo*, Diaconus tollet ei mitram.

86. Diaconus et Subdiaconus sequentur a tergo Episcopum,

quando redibit ad medium Altaris, locum sumente Diacono super gradum superiorem proximum suppedaneo, et Subdiacono ante infimum gradum.

87. Clericus caudatarius recedet quando Episcopus redibit ad medium Altaris, itemque clericus a mitra referet ad abacum mitram ipsam.

88. Dum Episcopus recitabit psalmum *Lavabo* vel paullo ante, discedent ex abaco clerici designati cum candelis ardentibus et pergent in chorum ad accendendas Cleri candelas.

89. Priusquam Episcopus incipiat cantare praefationem, si canon situs erit ad pedem Crucis, Presbyter assistens tollet de cussino seu legili Missale, quod ponet super Altare, accipiet canonem et apertum collocabit super cussinum seu legile. Sin canon iam positus esset super cussino seu legili, advertet ut aperiat Missale ipsumque imponat cussino seu legili tantummodo pro orationibus secretis Missae.

90. Priusquam Episcopus incipiat cantare verba praefationis *Per omnia saecula saeculorum* etc. Caeremoniarius tollet de capite eius pileolum quem portabit ad abacum et reponet super lancem.

91. Sub exitum praefationis Diaconus ascendet ad dextram Episcopi et Subdiaconus ad dextram Diaconi, ut recitent cum Episcopo *Sanctus*, quo recitato, redibunt ad locum suum post Episcopum.

92. Ad orationem *Hanc igitur*, etc. Caeremoniarius aut clericus unus incensum in thuribulum imponet.

93. Ad alteram orationem *Quam oblationem* etc. Diaconus non conscendens suppedaneum consistet a dextris Episcopi et geniculabit super suppedaneum ipsum. Subdiaconus veniet in latus Epistolae, accipiet a thuriferario thuribulum, in quo iam positum erit incensum, genua flectet super gradum superiorem in latere eodem et SS. Sacramentum in elevatione thurificabit. Presbyter assistens geniculabit a sinistris Episcopi in extremitate suppedanei et planetam Episcopi simul cum Diacono in elevatione attollet. Idem Presbyter assistens post elevationem Hostiae assurget, indicabit Episcopo quid legere debeat, et ad verba consecrationis Calicis rursus genuflectet.

94. Post consecrationem Diaconus stabit super gradu superiori a tergo Episcopi, et ascendet in suppedaneum ad eius dextram, quando detegere Calicem debebit.

95. Subdiaconus non ascendet ad Altare, quando ascendet Diaconus ad verba *Et dimitte nobis* etc. siquidem non sustinebit patenam.

96. Chorus manebit genibus flexis usque ad *Agnus Dei*, ut in aliis Missis de requie, itemque clerici cum intorticiis manebunt genibus flexis usque ad Consummationem.

97. Ad *Agnus Dei* Diaconus adstabit dextrae Episcopi, Subdiaconus a dextris Diaconi. Recitato una cum Episcopo *Agnus Dei*, Diaconus et Subdiaconus manebunt loco eodem, quoniam pax neque datur neque accipitur.

98. Quum Episcopus consummaverit Calicem, Caeremoniarius reponet ei pileolum, quem advertet accipere ex abaco.

99. Clerici cum intorticiis discedent cum debitis reverentiis: Clerus in choro extinguet candelas et sedebit.

100. Clericus a mitra recipiet mitram ipsam et praesto erit ad Altare a tergo Episcopi, quando purificatio ab Episcopo accipietur.

101. Presbyter assistens, statim ac Episcopus consummaverit Calicem, ponet canonem apertum ante pedem Crucis, et Missale apertum reponet super cussinum vel legile.

102. Diaconus ministrabit vinum Episcopo in purificatione et in ablutione, et Subdiaconus aquam ei ministrabit in ablutione.

103. Quando Episcopus accipiet purificationem, in promptu erunt familiares nobiles vel clerici propter lotionem manuum Episcopi.

104. Subdiaconus, postquam Episcopo ministraverit aquam in ablutione, transibit in latus Evangelii Altaris ad abstergendum et cooperiendum calicem. Eodem tempore Presbyter assistens transferet Missale cum cussino vel legili in cornu Epistolae et clericus sequetur eum, transferens illuc scotulam. Diaconus non discedet a dextra Episcopi. Presbyter assistens postquam Missale super Altare collocaverit, recedet in eodem Epistolae latere super gradum superiorem.

105. Quando Episcopus post ablutionem reliquerit calicem

super Altari, Diaconus reponet ei mitram. Episcopus, adstante ipsi a dextris Diacono, transibit in cornu Epistolae, ubi lavabit manus, et mantile sustinebitur extensum ante eum a Presbytero assistente et a Diacono. Postea Diaconus exuet mitram Episcopo, qui conversus ad Altare leget ex Missali versiculum *Communionis*. Clericus caudatarius revertetur ad sustentandam extremitatem posteriorem vestis episcopalis, si opus fuerit. Clericus cum mitra consistet in plano a latere Epistolae. Diaconus locum sumet in gradu superiori a tergo Episcopi. Subdiaconus absterget, cooperiet calicem, complicabit corporale, reportabit haec omnia ad abacum et redibit ante infimum gradum Altaris, consistens a tergo Diaconi.

106. Postquam Episcopus legerit ℣. *Communio*, transibit ad medium Altaris, conversus ad populum cantabit *Dominus vobiscum*, redibit ad Missale et cantabit orationem *Postcommunionis*. Reveniet iterum ad medium Altaris, conversus ad populum cantabit *Dominus vobiscum*, convertetur ad Altare et submissa voce dicet *Requiescant in pace*. Diaconus ad Altare conversus cantabit *Requiescant in pace*, quamquam celebrata sit Missa pro uno tantum defuncto.

107. Episcopus ad Altare conversus recitabit orationem *Placeat* etc. et post ipsam osculabitur Altare. Deinde transibit in cornu Evangelii et recitabit Evangelium S. Ioannis.

108. Interim a clericis supradictis accendentur candelae Cleri stantis in choro. Praesto erunt clerici duo, quorum unus sustinebit vasculum aquae sanctae cum aspersorio, alter thuribulum cum navicula. Clericus alter in promptu habebit pluviale utendum ab Episcopo. Aderunt etiam clerici, paramenta episcopalia recepturi.

109. Si neque cadaver aderit neque castrum doloris, in procintu erunt clerici duo ad explicandum pannum nigrum in medio presbyterio, vel ad statuendum ibi tumulum.

De ritu absolutionis.

110. Episcopus, ultimo Evangelio recitato, redibit ad medium Altaris et a Diacono rursus cooperietur mitra. Presby-

ter assistens descendet a latere de Altari et recedet ad abacum, apud quem pluviale dimittet, quum functus iam sit officio suo. Episcopus cum Ministris reverentiam vel genuflexionem respective ad Crucem conficient, descendent de Altari et venient directe ad faldistorium, in quo sedebit Episcopus, adstante ei dextrorsum Diacono, sinistrorsum Subdiacono.

111. Se sistent Episcopo clerici recepturi paramenta et Ministri dimittent manipulos, qui recipientur a clericis duobus et ad abacum referentur. Diaconus mitram, Subdiaconus manipulum exuet Episcopo: tum Diaconus adiuvante Subdiacono, exuet Episcopo planetam, dalmaticam ac tunicellam. Paramenta recipientur a clericis supra indicatis et referentur ad abacum, Diaconus autem, adiuvante Subdiacono, induet Episcopo pluviale, postremo reponet ei mitram.

112. Si aderit tumulus in medio presbyterio, functio tractabitur sequenti modo.

113. Paratus pluviali et mitra Episcopus sedebit faldistorio et cum ipso considebit Clerus in choro, Ministri recedent ad scamnum ipsis praeparatum et sedebunt. Cantorum chorus cantabit ℟. *Libera me Domine* etc.

114. Interim in promptu stabunt apud abacum ambo clerici cum vasculo aquae sanctae et cum thuribulo. Caeremoniarius vel clericus unus praeparabit in latere Epistolae cussinum vel legile et super ipsum Missale aut Rituale maioris formae cum ritu absolutionis.

115. Post cantatum versiculum *Requiem aeternam* etc. (ad quem Episcopus nullum faciet Crucis signum) consurgent Ministri, redibunt ad Episcopum et consistent a lateribus eius. Appropinquabit Episcopo thuriferarius, eique praesentabit thuribulum, in quo ipse ponet incensum cum benedictione usitata, et Diaconus ministrabit incensum Episcopo.

116. Clericus uterque cum thuribulo et vasculo consistent in gradu superiori a latere Evangelii.

117. Sub finem cantus Responsorii, assurget Episcopus et procedet ad Altare medius inter Ministros. Ante Altare Diaconus exuet ei mitram. Episcopus reverentiam, Ministri autem genuflexionem conficient. Quum Episcopus ad Altare ascenderit,

cantabitur a cantoribus *Kyrie eleison* et Clerus in choro consurget.

118. Post tertium *Kyrie* Episcopus cantabit *Pater noster*, et continuabitur secreto: interim convertetur ad Presbyterium, cuius in medio aderit tumulus vel pannus niger extensus super pavimentum et accepto e manibus Diaconi aspersorio, asperget versus tumulum sive pannum nigrum in medio, a sinistris et a dextris suis; restituet aspersorium Diacono, a quo deinde recipiet thuribulum et adolebit eodem modo quo asperserit: thuribulo Diacono restituto, convertetur cum Ministris ad Altare et in latere Epistolae in libro posito super legili vel cussino, iunctis manibus cantabit versiculos *Et ne nos* etc. *A porta inferi* etc. ut in Rituali, et orationem respondentem.

119. Clerici cum vasculo aquae sanctae et cum thuribulo discedent de Altari et pergent ad haec istrumenta deponenda.

120. Post orationem Episcopus convertetur versus tumulum aut pannum nigrum et ducens Crucis signum versus ipsum, cantabit *Requiem aeternam* etc. Diaconus animadvertet ad attollendam fimbriam dexteram pluvialis eius. Cantores subiungent ℣. *Requiescat in pace*, si pro uno tantum defuncto celebrabuntur exequiae; sin autem pro defunctis pluribus, pluraliter cantabunt versiculum *Requiescant in pace*, et responso *Amen*. Episcopus Crucis signum efficiet versus tumulum seu pannum nigrum, nullum proferens verbum. Si absolutio erit partialis pro uno pluribusve defunctis, ne tum quidem adiungetur ℣. *Anima eius* aut *Animae eorum* etc.

121. Clerus in choro extinguet candelas, quas sustinuerit ardentes hucusque.

122. Diaconus reponet mitram Episcopo, qui medius inter Ministros descendet de Altari et debitis reverentiis ad Altare et ad Chorum peractis, redibit ad fadistorium, ubi sacras vestes dimittet, postea revertetur in Sacrarium ordine superius descripto.

123. Quod si expositum erit cadaver, vel aderit castrum doloris in media ecclesia, servabitur methodus sequens.

124. Postquam Episcopus indutus erit pluviali et a Diacono coopertus erit mitra, Subdiaconus, accedet ad abacum et

accipiet Crucem hastilem, eique se adiungent Acolythi cum candelabris, ardentibus cereis; clerici cum vasculo aquae sanctae et cum thuribulo antecedent eum. In discessu de Altari, Acolythi et clerici praedicti genuflexionem conficient ad Altaris Crucem, itemque ceteri de Clero. Procedent ad castrum doloris clericus cum vasculo a dextris alterius sustinentis thuribulum; deinde Subdiaconus gestans Crucem, medius inter Acolythos cum candelabris, ut supra; Crucem sequetur Clerus, incedent autem bini cum candela ardenti in manu, servata regula, ut qui dextrorsum ibunt, deferant candelam dextra, biretum sinistra, qui autem sinistrorsum, candelam sustineant sinistra, biretum dextra. Postremo sequetur Episcopus, adstante ei sinistrorsum Diacono, qui caput operiet bireto et fimbriam pluvialis Episcopi elatam sustentabit. Ferme a latere Episcopi, sed aliquantulum retro incedet a dextris eius Cappellanus, qui gestabit intorticium ardens, dummodo ceteri etiam de Clero gestent candelam ardentem. Episcopum sequentur clericus caudatarius, aliique duo clerici cum libro et scotula. Seniores seu digniores Cleri incedent propius Episcopum, minus autem digni prope Crucem.

125. Curabitur, ut in capite castri doloris versus Altare vel, si aderit cadaver, ad pedem feretri seu lecti funebris, praeparatum sit aequo intervallo faldistorium, quo utetur Episcopus, collocatum super exiguo tapeto coloris violacei.

126. Quando Crux cum Acolythis aliisque duobus clericis cum vasculo ac thuribulo pervenerint prope castrum doloris, flectent iter ad dextram, seu versus latus Evangelii Altaris maioris et procedent ulterius usque ad finem eiusdem lateris, ubi Subdiaconus cum Acolythis consistent versa facie ad Altare et aequo intervallo, ut aditum dent Episcopo transeunti in absolutione: ambo clerici cum vasculo ac thuribulo procedent ex parte adversa, quae respondet lateri Epistolae, et consistent in capite castri doloris, prope faldistorium. Clerus, qui sequebatur Crucem, quum pervenerit ad castrum doloris, dirimetur et disponetur in longitudinem a lateribus ita, ut digniores sint versus caput, nempe versus faldistorium et minus digni versus Crucem a Subdiacono sustentam. Episcopus consistet

iu pedes apud faldistorium cum Diacono a sinistris, qui dimittet biretum, quum illuc venerit.

127. Quando Crux constiterit ad pedem castri doloris, dum castrum ipsum doloris non impediat eius conspectum, Episcopus reverentiam faciet versus Crucem et sedebit in faldistorio, secus, sedebit innuente ei Caeremoniario.

128. Sedente Episcopo, cantabitur a cantoribus ℟. *Libera me Domine* etc. Nullum autem Crucis signum Episcopus efficiet versus castrum doloris ad ℣. *Requiem aeternam* etc.

129. Post versiculum istum Diaconus transibit ad dexteram Episcopi et advertet ut reverentiam ei faciat, dum transibit ante ipsum iturus ad dexteram eius. Appropinquabit Episcopo clericus cum thuribulo, in quod Episcopus, ministrante Diacono, incensum iniiciet, recitans formulam consuetam *Ab illo benedicaris* etc. et cum benedictione.

130. Thuriferarius, postquam incensum impositum erit in thuribulum, recepta a Diacono navicula, recedet ad dexteram clerici sustinentis vasculum, qui iam adstabit Diacono dextrorsum.

131. In fine Responsorii Diaconus mitram exuet Episcopo, qui assurget ad cantum *Kyrie* et post ipsum cantabit alta voce *Pater noster*, quod continuabitur secreto.

132. Episcopus se movebit de faldistorio, adstante eius dexterae Diacono, qui sublevabit eius fimbriam dexteram pluvialis. Diaconus aspersorium accipiet ac tradet Episcopo, qui circumibit castrum doloris a sinistris suis, videlicet versus latus Evangelii Altaris. Episcopus in incedendo ter asperget latus castri doloris, nempe versus Altare, in medio et in latere versus ostium ecclesiae, deinde transibit ad pedem castri doloris, reverentiam faciet ad Crucem a Subdiacono sustentam, Diaconus autem genuflexionem: postea procedet ad alterum latus castri doloris, ipsumque asperget versus ostium, in medio et versus Altare, tum restituet aspersorium Diacono, hic autem clerico custodi vasculi: reveniet ante faldistorium, reverentiam faciet ad Altare, Diaconus autem genuflexionem. Diaconus accipiet thuribulum a thuriferario et ipsum tradet Episcopo, qui circumeundo castrum doloris, incensabit illud eodem modo, quo asperserit.

133. Reversus Episcopus ad caput castri doloris, restituet thuribulum Diacono, hic thuriferario. Ambo clerici cum vasculo et cum thuribulo accedent prope Crucem a Subdiacono sustentam.

134. Episcopus revertetur ad faldistorium ibique stabit humeris ad Altare conversis, eodem modo, quo prius ibi sedebat. Diaconus stabit a dextris eius. Accedent ambo clerici cum scotula et libro, ex quo Episcopus cantabit versiculos *Et ne nos inducas* etc. et orationem respondentem iunctis manibus.

135. Post orationem clericus cum libro, quin claudat eum, recedet aliquantulum ad sinistram Episcopi, qui signum Crucis dextra efficiens versus castrum doloris, cantabit *Requiem aeternam* etc. et Diaconus attollet eius fimbriam dexteram pluvialis. Post haec cantores subiungent *Requiescat in pace*, vel *Requiescant in pace*, iuxta regulam superius traditam. Episcopus, quin dicat versiculum *Anima eius* etc. vel *Animae eorum* etc. alterum Crucis signum ducet versus castrum doloris, et sedebit: Diaconus reponet eius capiti mitram et redibit ad sinistram eius. Proficiscetur Crux cum Acolythis, praecedentibus clericis cum vasculo ac thuribulo, sequetur Clerus ordine supra dicto et ultimo loco Episcopus cum Diacono, sequentibus clerico caudatario et reliquis duobus a libro et scotula, omnesque revertentur in Sacrarium, ubi Episcopus vestes sacras dimittet.

136. Si aderit cadaver expositum super feretro vel etiam super lecto funebri, servabitur ritus, quem heic subiicimus.

137. Accessus ad feretrum vel lectum funebrem peragetur eodem modo, quo superius de castro doloris dictum est; Crux sustinebitur a Subdiacono ad caput cadaveris et Episcopus consistet ad pedes eiusdem.

138. Sin autem cadaver esset Sacerdotis, vel Episcopi, aut Cardinalis, quod tamen collocatum erit capite ad Altare et pedibus ad ostium conversis, in accessu ad feretrum seu lectum funebrem, alia tenebitur methodus (*a*).

(*a*) Cadaver laici, quamvis esset vir primarius aut patronus ecclesiae, nunquam collocari debet pedibus ad ostium conversis: multo etiam minus si ageretur de cadavere mulieris.

139. Quum igitur cadaveris caput versum sit ad Altare, et pedes ad ostium ecclesiae, clerici cum vasculo ac thuribulo, Subdiaconus et Acolythi circumibunt a dextra cadaveris: quum ventum erit ad pedes, clerici cum vasculo ac thuribulo consistent prope faldistorium, Subdiaconus cum Acolythis, transeuntes ad sinistram cadaveris, redibunt ad caput ipsius ibique subsistent, humeris ad Altare et facie ad cadaver conversa. Clerus sequetur Subdiaconum cruciferum et quum venerit ad caput feretri seu lecti funebris, non dirimetur, sed sequetur Subdiaconum usque ad pedem cadaveris: ibi vero dirimetur et in binos ordines circa feretrum seu lectum funebrem disponetur in lateribus, minus dignis prope Subdiaconum, dignioribus autem propius Episcopum consistentibus. Episcopus autem cum Diacono transiens ad dexteram cadaveris veniet ad pedes illius et consistet.

140. Episcopus ad faldistorium quum venerit, sedebit et a Diacono exuetur mitra. Se sistent Episcopo ambo clerici cum libro et scotula: Episcopus assurget et ex libro cantabit tono feriali orationem *Non intres in iudicium* etc. qua in oratione nulla fiet variatio, quamvis absolutio perageretur super cadaver defunctae.

141. Post orationem supradictam clerici a libro et scotula recedent, Episcopus autem sedebit, cooperietur mitra a Diacono, qui consistet a sinistris eius.

142. Quod spectat ad cantum ℟. *Libera me, Domine* etc. ad benedictionem incensi, ad aspersionem atque thurificationem, omnia peragentur ut supra. Advertatur, quod Episcopus circumire cadaver debet a sinistra ad dextram, aspergens nempe versus pedem sinistrum, versus medium et versus humerum sinistrum; facta deinde ad Crucem reverentia, asperget versus humerum dexterum, versus medium et versus pedem dexterum. Hoc ipsum observabitur in thurificatione. Postmodum recitabit versiculos et orationem *Deus, cui proprium est* etc. ut supra.

143. Post orationem modo dictam, a cantoribus cantabitur antiphona *In paradisum* etc. post quam Episcopus stans in pedes intonabit antiphonam *Ego sum*, et cantores alternatim cantabunt *Benedictus*; Episcopus capite nudato stare in pedes pro-

sequetur. Ad repetitionem autem antiphonae praedictae *Ego sum* sedebit et mitra a Diacono rursus cooperietur.

144. Interim appropinquabit Diacono clericus cum vasculo et aspersorio.

145. Completo cantu praedictae antiphonae, Diaconus exuet mitram Episcopo, qui assurget, cantabit tono feriali *Kyrie eleison*, Chorus respondebit *Christe eleison*, et Episcopus subiunget *Kyrie eleison*, deinde *Pater noster* et continuabitur secreto. Diaconus aspersorium accipiet et porriget Episcopo, qui duos tresve passus appropinquans feretro seu lecto funebri, cadaver asperget in medio, a sinistris et a dextris suis, tum aspersorium restituet Diacono, hic autem clerico.

146. Reversus Episcopus ante faldistorium, cantabit ex libro versiculos *Et ne nos etc.* cum iis qui sequentur, et orationem *Fac quaesumus Domine* etc. post quam recedentibus versus sinistram eius clericis cum libro et scotula, ipse Crucis signum ducens versus cadaver, dicet *Requiem aeternam* etc. et cantores subiungent *Requiescat in pace.* Responso *Amen* a Choro, Episcopus submissa voce dicet *Anima eius* etc.

147. Proficiscetur Subdiaconus cum Cruce inter Acolythos, praecedentibus clericis cum vasculo ac thuribulo, sequente Clero atque ultimo loco Episcopo, et redibitur in Sacrarium. Episcopus recitabit antiphonam *Si iniquitates* et psalmum *De profundis* submissa voce et alternatim cum Clero ac repetet antiphonam *Si iniquitates observaveris Domine* etc.

148. Episcopus in Sacrarium ingressus, nullum subiungens versiculum aut orationem, reverentiam faciet ad Crucem sive imaginem primariam Sacrarii et vestes sacras dimittet.

149. In exequiis autem super cadaver Episcopi aut Cardinalis, omnia, ut supra, peragentur, excepto quod post orationem *Non intres* etc. cantabitur ℟ *Libera me Domine* etc. aspergetur, thurificabitur et recitabitur una ex orationibus praescriptis in Pontificali Romano parte III. *tit. De officio, quod post Missam solemnem pro defunctis agitur;* post ipsam autem omittetur antiphona *In paradisum*, *Benedictus* cum versiculis reliquis et oratione, ac *De profundis* in reditu ad Sacrarium quum hoc praescribatur a Caeremoniali Episcoporum lib. II. cap. XI.

150. Si Episcopus sacris vestibus induetur in Sacrario, attendentur instructiones superius traditae cap. III. cum exceptionibus notatis in Missa pro defunctis.

DE VARIATIONIBUS IN MISSIS FERIALIBUS.

CAPUT VI.

1. In Missis Adventus et Quadragesimae, in quibus Ministri sacri utuntur planetis ante pectus plicatis, praeparabuntur planetae eaedem super abacum aut super scamnum Ministrorum, et stola latior pro Diacono super abacum.

2. Diaconus cum Subdiacono in Sacrario induent amictum, albam et cingulum; Diaconus autem assumet etiam stolam diaconalem, et procedent ad Altare. Postea induent Episcopum paramentis superius notatis et dum recedent ad abacum assumpturi manipulum, assument etiam planetam plicatam.

3. Subdiaconus dimittet planetam antedictam pro cantanda Epistola, eamque resumet postquam osculatus fuerit manum Episcopi et acceperit benedictionem; resumpta autem planeta, Missale sustinebit ante Episcopum, ex quo leget Epistolam etc.

4. Diaconus dimittet planetam plicatam et induet stolam latiorem priusquam librum Evangeliorum afferat ad Altare; deponet autem stolam latiorem, resûmpturus planetam plicatam, postquam Episcopo, qui manus abluerit post consummationem, exuerit mitram.

DE COMMUNIONE CLERI
IN MISSA SOLEMNI.

CAPUT VII.

1. Ritum Offertorii supersedemus hoc loco describere; potest enim conferri capitulum XI. lib. V. in quo haec exposita sunt.

2. Postquam Celebrans sumpserit Calicem, Diaconus palla calicem cooperiet, amovebit operculum a pyxide, quam ponet in medio corporali: tum Episcopus, Presbyter assistens, Diaconus et Subdiaconus genuflexionem conficient et locum commutabunt, videlicet Diaconus descendet super gradum superiorem in cornu Epistolae, habens Altare a dextris suis, Presbyter assistens transibit in latus Epistolae et consistet a dextris Diaconi in gradu superiori, Subdiaconus vadet in latus Evangelii et consistet super gradum superiorem e regione Diaconi, Episcopus autem convertetur super latus suum sinistrum versus communicandos, advertens ne vertat humeros ad Sacramentum.

3. Communicandi genuflexi erunt in plano chori, si eorum numerus et amplitudo chori ipsius id patietur, secus geniculabunt loco suo.

4. Diaconus profunde inclinatus cantabit *Confiteor* eodemque statu stabunt Subdiaconus et ceteri communicandi.

5. Clerici duo in promptu erunt cum mappa explicata ante communicandos.

6. Cantato aut recitato a Diacono *Confiteor*, Episcopus subiunget ambas orationes *Misereatur vestri* etc. *Indulgentiam* etc. post eas convertetur ad Altare et genuflexionem faciet.

7. Si Ministri ad sacram mensam accedent, quando Episcopus post recitatas praedictas ambas orationes convertetur ad Altare, procedent in medium et geniculabunt in suppedaneo; si Presbyter assistens etiam communicabit, ut assolet in feria V. maioris hebdomadae, geniculabit in extremitate suppedanei a

dextris Diaconi. Ambo Acolythi ascendent ad Altare, genua flectent in extremitate laterali suppedanei et distendent mappam, quam sustinebunt in eius extremitatibus. Presbyter assistens, nisi de mensa divina participabit, remanebit loco superius indicato.

8. Episcopus ad Altare conversus, genuflexionem efficiet, manu sinistra pyxidem accipiet ad nodum et dextra unam sacram particulam, convertetur ad communicandos, dicet *Ecce Agnus Dei* etc ac tribus vicibus *Domine, non sum dignus* etc. atque S. Eucharistiam administrabit Presbytero assistenti, si communicabit, Diacono et Subdiacono, qui priusquam sanctissimum Christi corpus accipiant, osculabuntur Episcopi dextram, quam ipse porriget eis.

9. Postquam Diaconus et Subdiaconus sanctam Eucharistiam acceperint, Acolythus primus retrahet mappam. Diaconus cum Subdiacono assurgent, genuflexionem conficient, et Diaconus accedet ad dextram Episcopi, Subdiaconus ad sinistram. Presbyter assistens, si communicaverit, consurget cum praedictis Ministris, genuflexionem faciet et recedet quo loco erat ad *Confiteor.* Diaconus accipiet patenam, quam supponet communicandorum mento; Subdiaconus autem stabit iunctis manibus. De modo administrandi Communionem Clero et populo servabitur ordo statutus cap. V. lib. II. (*a*). notando, quod communicandi osculari debent Episcopi manum priusquam ab ipso accipiant S. Particulam.

10. Communione peracta, Episcopus redibit ad Altare, si ad balaustrium descenderit ad administrandam populo Communionem, sin minus convertetur ad Altare et reposita super Altari pyxide, si aderit in ea Sacramentum, genuflexionem faciet cum Ministris.

11. Presbyter assistens redibit ad Missale in cornu Evangelii, Diaconus ad dextram Episcopi et Subdiaconus ad dextram Diaconi; purificabitur pyxis ab Episcopo et Missa ritu statuto persolvetur.

(*a*) Vide adnotationem citati capituli V. lib. II. num. 7. subiectam,

CAPUT VIII.

De rebus praeparandis.

1. Altare ornabitur tobaleis, tapeto quod gradus cooperiat, et pallio albi coloris, cui superponetur violaceum (excepto casu, quo festum Purificationis B. Virginis incideret in unam ex Dominicis secundae classis, in qua cantabitur Missa de Dominica). Candelabra super Altari cum cereis et Cruce erunt plus minusve nobilia, prout magis minusve solemniter festum antedictum celebrabitur. Inter candelabra nec Reliquiaria interponentur, nec signa sive imagines Sanctorum nec vasa florum, quae si placebit adhibere, praeparabuntur loco recondito ut debito tempore adhiberi possint, sicut docebitur inferius. Sin Altare B. Virgini sacrum esset, vel vigeret usus exponendi Reliquias eius in medio Altari ante Crucem, licebit Reliquias istas apponere.

2. Super mensam Altaris praeparabuntur paramenta episcopalia, videlicet pluviale cum stola violacea, Crux pectoralis, cingulum, alba et amictus, quae cooperientur velo coloris violacei. In latere Evangelii aderit mitra auriphrygiata, cum vimpa seu velo utendo a Cappellano illius.

3. Super infimum Altaris gradum ponetur pulvinar violacei coloris, in quo geniculabit Episcopus et in latere Epistolae ante gradus praeparabitur faldistorium cum veste violacea superposita alteri vesti albi coloris propter Missam, quae ab ipso Episcopo cantabitur.

4. In latere Epistolae statuetur abacus albo mantili coopertus, in quo aderunt candelabra cum cereis pro Acolythis: vasculum aquae sanctae cum aspersorio; thuribulum cum navicula; Missale convestitum tegumento violaceo, utendum ab Episcopo, et legile vel cussinus coloris violacei pro Missali; sco-

tula cum candela; gremiale lineum albi coloris cum lemniscis, ab Episcopo utendum in candelarum distributione; urceus cum pelvi et mantile in lance; binae planetae plicatae pro Ministris.

5. Ad Missam ab Episcopo cantandam, in altero abaco contecto, ut supra, albo mantili, praeparabitur calix cum patena, cum hostia, purificatorio, palla et corporali intra bursam albi coloris; ampullae vini et aquae in pelvicula; campanula; intorticia quatuor pro elevatione; Missale cum veste albi coloris et cussinus albus pro Missali; et Epistolarium atque Evangeliarium cum vestibus similibus; manipuli pro Episcopo et Ministris; velum humerale pro Subdiacono, albi coloris; pluviale albi coloris utendum a Presbytero assistente; pro Episcopo autem caligae et sandalia albi coloris; mitra pretiosa; planeta, tunicella, dalmatica et chirothecae pariter coloris albi, atque haec omnia contegentur velo amplo coloris violacei, ne ullo modo color albus appareat.

6. Prope abacum statuetur Crux processionalis.

7. Tertius etiam abacus, sed minoris formae, praeparabitur in latere Epistolae, proximus Altari, in quo disponentur candelae distribuendae Clero, Magistratui ac populo, atque inter eas aderit una spectabilior pro Episcopo.

8. In Sacrario praeparabuntur bini amictus, binae albae et bina cingula, stola una coloris violacei pro Ministris, superpellicea sufficienti numero pro Clero et inservientibus, dalmatica albi coloris cum stola, ac tunicella similis utendae a Ministris in Missa solemni.

9. Si festum incideret in unam ex Dominicis privilegiatis, ut ante dictum est, paramenta Ministrorum, Celebrantis, et Episcopi etiam, si cantabit Missam, sunto violacei coloris.

10. Sin autem festum celebraretur ritu primae classis, utpote titulus ecclesiae, vel alia de caussa, hoc casu quamvis incideret in unam ex praedictis Dominicis, celebrabitur Missa de B. Virgine cum commemoratione Dominicae.

De Functione.

11. Hora praestituta Episcopus accedet ad Sacrarium ibique legens psalmos cum precibus vacabit Missae praeparationi: si

ecclesia erit conventualis, postquam in choro cantata aut recitata fuerit Hora tertia, Ministri parati amictu, alba et cingulo, Diaconus autem etiam stola diaconali violacea, se adiungent Episcopo et, sequentibus clericis, procedent ad Altare, ibique facta respective genuflexione vel reverentia ad Crucem, servabunt ritum superius notatum in Vesperis et in Missis pontificalibus.

12. Assurgente post brevem orationem Episcopo, consurgent etiam Ministri et clerici; ab omnibus fiet reverentia ad Crucem altaris, deinde ad Clerum in choro: Episcopus sessum ibit ad faldistorium, humeris ad Altare conversis; Ministri autem consistent hinc inde a lateribus Episcopi.

13. Faldistorio sedente Episcopo, distribuentur clericis paramenta episcopalia.

14. Diaconus, quando praesto erunt clerici cum paramentis, Crucem pectoralem tollet Episcopo et adiuvante Subdiacono, mantelletum et mozzetam, si utetur, exuet ei et induet eum amictu, alba, cingulo, Cruce pectorali, stola et pluviali violaceo: deinde imponet ei mitram, tum facta ad ipsum reverentia simul cum Subdiacono, ambo iunctim accedent ad abacum.

15. Si Episcopus vestes sacras assumet in Sacrario, servabitur methodus, quae superiori capitulo IV. praescripta fuit.

16. Diaconus et Subdiaconus planetas plicatas induent prope abacum et redibunt ad Episcopum, cui reverentia facta, consistent a lateribus eiusque fimbrias pluvialis attollent. Hoc tempore clericus unus ponet super Altare in latere Epistolae Missale cum cussino vel legili, alter deteget candelas benedicendas, positas in minori abaco prope Altare, ut supra dictum est.

17. Episcopus cum Ministris procedet ad Altare, exsequens consuetas ad Chorum reverentias. Ante gradus Altaris, quum venerit, Episcopus exuetur mitra a Diacono; consceuso suppedaneo, mensam in medio osculabitur et transibit in cornu Epistolae.

18. Ministri consistent a lateribus Episcopi; Diaconus autem sustentabit fimbriam dexteram pluvialis eius, dum benedicet candelas.

19. Episcopus stans in latere Epistolae, ut supra, cantabit

Dominus vobiscum et orationes tono feriali, advertens ut benedicat candelas, quando erit in Missali notatum.

20. Ambo clerici cum vasculo ac thuribulo praesto erunt apud Altare a latere Epistolae ante gradus, in principio quintae orationis.

21. Recitata ab Episcopo praedicta oratione quinta, ascendet ad Altare thuriferarius, qui naviculam Diacono tradet. Subdiaconus appropinquabit dextrae Episcopi, ut eius pluviale attollat.

22. Diaconus cum osculis ministrabit incensum Episcopo, qui cum benedictione consueta *Ab illo benedicaris* etc. imponet illud in thuribulum a thuriferario sustentum.

23. Appropinquabit Diacono clericus cum vasculo aquae sanctae, et recedente aliquantulum thuriferario, Diaconus aspersorium cum osculis porriget Episcopo, qui candelas asperget in medio, a dextris et a sinistris suis.

24. Aspersorio ab Episcopo reddito Diacono et a Diacono clerico, thuriferarius tradet thuribulum Diacono, hic autem Episcopo, qui candelas thurificabit eodem modo, quo asperserit; thuribulum reddet Diacono, quod recipietur a thuriferario.

25. Ambo clerici cum vasculo ac thuribulo, peracta ad Altare genuflexione, redibunt ad abacum, in quo deponent res indicatas.

26. Interim praesto erit apud Altare dignior Cleri, cuius officium tradere candelas Episcopo. Itidem clericus unus in promptu habebit gremiale lineum in usum Episcopi et alter vel etiam duo clerici in procinctu erunt transferendi faldistorium super Altare, ut infra.

27. Episcopus postquam asperserit ac thurificaverit candelas, veniet cum Ministris ad medium Altaris et ad Altare ipsum humeros convertet.

28. Caeremoniarius vel alius quispiam, ad quem spectare poterit de more cuiusque ecclesiae, accipiet candelam Episcopi eamque tradet digniori Cleri, qui iam conscensis gradibus Altaris, aderit e regione Episcopi. Dignior accipiet candelam eamque porriget Episcopo, osculans manum eius. Episcopus

candelam acceptam osculabitur ac tradet Diacono, qui pariter osculabitur manum Episcopi, quo momento ipsi tradet candelam, Diaconus autem committet illam Cappellano Episcopi vel clerico, qui ad hanc rem aderit prope Diaconum, eamque custodiet, ut docebitur infra.

29. A clericis statuetur faldistorium in medio Altari, Episcopus in illo sedebit, Diaconus imponet mitram Episcopo, deinde gremiale, adiuvante Subdiacono, quod lemniscis firmabitur faldistorio, vel etiam cingulo Episcopi.

30. Clericus unus accipiet candelas et cum ipsis consistet prope Subdiaconum, qui successive eas porriget Episcopo.

31. Immediate chorus cantorum incipiet ac prosequetur, distributionis tempore, cantare antiphonas et responsoria *Lumen ad revelationem* etc.

32. Episcopus initium faciet distributionis candelarum, prius digniori de Clero, a quo illas acceperit, postea ceteris. Ministri, si fuerint Canonici neque adsint Praelati, candelam accipient immediate post digniorem Cleri; secus accipient illam, postquam acceperint Canonici.

33. Quicumque candelam recipiet, osculabitur prius candelam, postea manum Episcopi; Praelati et Canonici illam accipient stantes, ceteri de Clero, genuflexi.

34. In accessu Cleri ad Altare ad recipiendam candelam, ut vitetur confusio, servabitur ordo praescriptus in Communione cap. V. lib. II.

35. Magistratus saecularis, si aderit, accedet ad candelam accipiendam quo loco ipsi assignatur a Caeremoniali Episcoporum lib. II. cap. XVI.

36. Quod spectat ad laicos et mulieres, ad confusionem vitandam, Parochus aut alius Presbyter stola et superpellicio indutus in Sacello seiuncto et distincto ab Altari maiore peraget distributionem, advertendo ut viri, priusquam foeminae, separatim illuc accedant.

37. Sub finem distributionis in promptu stabunt familiares nobiles Episcopi cum instrumentis lotionis, atque iis absentibus supplebunt clerici duo: item in promptu erunt clerici delecti ad accendendas in choro Cleri candelas atque thuriferarius cum thuribulo.

38. Quum Episcopus distributionem candelarum peregerit, lavabit manus et dimittet gremiale.

39. Diaconus exuet mitram Episcopo, qui assurgens de faldistorio, convertetur ad Altare et ex Missali posito super mensa cantabit *Oremus* et orationem *Exaudi*, *quaesumus*, *Domine* etc. tono feriali. Si tamen festum Purificationis occurreret post Septuagesimam et in diem ferialem, postquam Episcopus cantaverit *Oremus*, Diaconus in cantu subiunget *Flectamus genua* omnesque genuflectent, excepto Episcopo; Subdiaconus autem cantabit *Levate* et consurgent omnes, atque Episcopus cantabit orationem supradictam.

40. Post orationem Episcopus redibit ad faldistorium positum in suppedaneo Altaris, ibique rursus sedebit et a Diacono mitra cooperietur.

41. Accensis candelis eorum omnium, qui processioni intererunt, Subdiaconus accedet ad abacum, accipiet Crucem processionalem et medius inter Acolythos, qui deferent candelabra cum cereis ardentibus, veniet in ingressum presbyterii ante Episcopum.

42. Thuriferarius ascendet ad Altare ac thuribulum praesentabit Episcopo, qui incensum, ministrante Diacono, in thuribulum imponet cum benedictione consueta.

43. Descendet de Altari thuriferarius et prope Crucem consistet.

44. Diaconus conversus ad populum cantabit *Procedamus in pace* et cantores prosequentes cantum respondebunt *in nomine Christi. Amen.*

45. Appropinquabit Altari clericus aut Cappellanus, qui custodiet cereum Episcopi eumque tradet Diacono, hic autem Episcopo, osculans manum eius. Non esset incongruum, ut cereo Episcopi appositus esset paramanus. Diaconus etiam suam a clerico candelam ardentem accipiet.

46. Processio fiet intra ecclesiam, quae si habebit naves minores, processio procedet a dextra per navem, quae respondebit lateri Evangelii, et redibit per navem principalem: secus procedet a dextra et revertetur, ut supra, per partem mediam ecclesiae.

47. In processione sequens ordo servabitur. Praeibit thuriferarius, deinde Subdiaconus, qui Crucem gestabit medius inter Acolythos cum candelabris, ardentibus cereis. Subdiaconum sequentur cantores, qui cantabunt antiphonas et responsoria *Adorna thalamum* etc. Post cantores ibunt bini qui de Clero sunt, divisi iuxta gradus, singuli sustinentes candelam ardentem, quam qui incedent dextrorsum gestabunt manu dextera, qui sinistrorsum, sinistra: si in fine alicuius ordinis sive gradus, ex. gr. Beneficiariorum aut Canonicorum, incederent terni, qui medium locum obtinebit, gestabit candelam dextra. Postremo loco incedet Episcopus, qui dextra sustinebit cereum, Diacono sinistris eius adstante, qui capite bireto cooperto candelam gestabit sinistra. Si processio egredietur de ecclesia, Clerus cooperiet caput bireto, secus unusquisque biretum sustinebit manu. Post Episcopum, incedent clericus a mitra et caudatarius, qui syrmam vestis episcopalis sustentabit, postea Praelati, siqui aderunt; processionem populus sequetur.

48. Processio dirigetur per ecclesiam et revertetur ad Altare primarium.

49. Quando processio erit extra presbyterium, inter candelabra apponentur signa Sanctorum, aut Reliquiaria, si solebit ipsis exornari Altare, removebitur pallium coloris violacei, relicto altero albi coloris; tolletur velum violaceum ex abaco et vestis etiam faldistorii: ponetur faldistorium in latere Epistolae ante gradus Altaris.

50. Si processio transibit ante Altare, in quo asservabitur SS. Sacramentum, genuflectetur ab omnibus capite nudato in transitu, excepto tantum Subdiacono gestante Crucem: Episcopus quoque genuflectet, sine pulvino, dimittens etiam mitram et pileolum, quibus exuetur a Diacono.

51. In reditu processionis, quando Crux pervenerit ad Presbyterium, cantorum chorus cantabit antiphonam *Obtulerunt pro eo* etc.

52. Subdiaconus ad Altare quum venerit, deponet Crucem seorsim et consistet a latere sinistro faldistorii; Acolythi deponent candelabra super abacum, thuriferarius thuribulum, et in ipso renovabit ignem, si opus fuerit; ceteri de Clero, reve-

rentia vel genuflexione facta ad Crucem et mutua inter se inclinatione, recedent ad subsellia et candelas extinguent.

53. Episcopus ante Altare progressus, salutabit Crucem et accedet ad faldistorium, ibi sedens tradet cereum Diacono, qui committet illum cappellano Episcopi.

54. Diaconus et Subdiaconus reverentiam conficient ad Episcopum et comitantibus clericis duobus recedent in Sacrarium ad paramenta induenda pro Missa.

55. Hoc tempore Episcopo a cubiculario suo induentur caligae cum sandaliis albi coloris. In actione ista stabunt ante Episcopum clerici quatuor.

56. Ministri ex Sacrario, ut supra, revertentur ad Altare et induent Episcopum paramentis albi coloris propter Missam, quae celebrabitur ritibus capitulo III. libri huius notatis, ea tantum differentia, ut Episcopus in cantu Evangelii dextra sustineat cereum ardentem, quem accipiet postquam exutus fuerit mitra et dimittet statim post absolutum cantum Evangelii. Clerus autem sustinebit candelam ardentem ad cantum Evangelii et a *Sanctus* usque ad Consummationem.

57. Si Missa erit de Dominica, candelae benedictae non accendentur Missae tempore. Iuxta decisiones S. Rituum Congregationis, quas superius retulimus, Episcopus extraneus, si benedicet candelas, cineres et palmas, debet etiam cantare Missam, quae sequitur benedictiones antedictas.

FERIA IV. CINERUM.

CAPUT IX.

De rebus praeparandis.

1. Altare maius ornabitur tobaleis, pallio coloris violacei ac tapeto simili, quod gradus altaris cooperiet. Super Altari ponentur candelabra sex cum cereis et Cruce: candelabra autem nequaquam sunto nobilia.

2. Super Altaris mensam praeparabuntur paramenta episcopalia, videlicet pluviale cum stola coloris violacei, cingulum, alba et amictus, quae velo simili contegentur. In latere Evangelii mitra auriphrygiata cum velo pro Ministro illius. In latere Epistolae in lance argentea vel inargentata cineres ex olivis et palmis anno superiore benedictis, aridi et minutatim triti ac velo violaceo contegentur.

3. In infimo Altaris gradu praeparabitur pulvinar violaceum, in quo geniculabit Episcopus, et faldistorium cum veste seu tegumento violaceo in latere Epistolae ante gradus Altaris eiusdem.

4. Super abacum a latere Epistolae positum, qui contegetur albo mantili, disponentur res sequentes. Candelabra cum cereis pro Acolythis: urceus cum pelvi: mantile in lance: aliquantulum medullae panis in lance: vasculum aquae sanctae cum aspersorio; gremiale albi coloris lineum cum lemniscis, utendum ab Episcopo: scotula cum candela: thuribulum cum navicula: Missale convestitum tegumento violaceo: cussinus aut legile pro sustinendo Missali: binae planetae plicatae coloris violacei, induendae a Ministris. In canistro paramenta episcopalia, videlicet planeta, dalmatica ac tunicella violacei coloris, et manipulus similis: chirothecae in lance, quae postea ponentur super Altare; caligae et sandalia in lance contecta velo violaceo; Epistolarium et Evangeliarium cum veste violacea: canon pontificalis: manipulus Episcopi: stola latior Diaconi; pluviale Presbyteri assistentis; velum humerale utendum a Subdiacono: ampullae vini et aquae in pelvicula: campanula: intorticia quatuor ad elevationem: calix cum patena et hostia, purificatorium, palla et intra bursam corporale. Prope latus Epistolae aderit scamnum pro Ministris contectum tapeto laneo coloris violacei.

5. In Sacrario autem amictus duo, totidemque albae et cingula ac stola violacea pro Ministris: superpellicea numero sufficienti pro clericis inservientibus.

De functione.

6. Hora praestituta (ac si Ecclesia erit conventualis, post cantatam sive recitatam Horam nonam) Ministri se para-

bunt amictu, alba et cingulo. Diaconus autem stola quoque Diaconali. Episcopus recitabit psalmos et preces ad praeparationem.

7. Ministri cum clericis cumque Episcopo procedent ad Altare, quo modo traditum est capitulo superiori.

8. Episcopus post brevem orationem assurget, salutabit Chorum et sessum accedet ad faldistorium. Sedente Episcopo, distribuentur clericis paramenta episcopalia.

9. Paramentis episcopalibus distributis, Diaconus tollet Episcopo Crucem pectoralem et adiuvante Subdiacono exuet ei mantelletum vel mozzetam atque induet paramenta, videlicet amictum, albam, cingulum, Crucem pectoralem, stolam et pluviale, Subdiacono in hac etiam actione adiuvante. Postmodum Diaconus imponet ei mitram et facta ad ipsum reverentia, perget cum Subdiacono ad abacum, ubi assument planetas plicatas, quibus assumptis, revertentur ad Episcopum eique iterata reverentia, consistent a lateribus eius. Interea in Altari a latere Epistolae ponetur super cussinum vel legile Missale apertum utendum ab Episcopo in Cinerum benedictione.

10. Si Episcopus parabitur in Sacrario, servabitur methodus attributa superiori capitulo IV.

11. Episcopus assurget de faldistorio et Ministri sublevabunt eius fimbrias pluvialis: conficiet cum ipsis reverentiam ad Chorum et procedet ante Altare.

12. Diaconus exuet mitram Episcopo, qui facta reverentia et a Ministris genuflexione ad Crucem, ascendet cum ipsis ad Altare.

13. Episcopus Altare osculabitur et comitantibus Ministris, qui semper adstabunt ei a lateribus, transibit in cornu Epistolae et leget ℣. *Exaudi nos* etc. qui cantabitur a choro cantorum.

14. Caeremoniarius vel Sacrista ponet in medio Altari lancem cum cineribus, et ab illa amovebit velum, quo tegebantur.

15. Cantato versiculo supradicto cum psalmo *Salvum me fac,* et *Gloria Patri*, atque in cantu repetito versiculo *Exaudi*, Episcopus elata voce ac tono feriali cantabit *Dominus vobiscum* et orationes quatuor in Missali praescriptas. Episcopus dextra benedicet cineres, quando notatum erit in Missali, eique Diaconus in actione ista sublevabit fimbriam pluvialis.

16. Dum recitabitur quarta oratio, ambo clerici delecti ad thuribulum et vasculum aquae sanctae ferendum, accepto vasculo cum aspersorio et thuribulo, procedent iunctim ad Altare et consistent in plano presbyterii a latere Epistolae ante gradus Altaris.

17. Recitatis ab Episcopo supradictis orationibus pro benedictione Cinerum, ascendet a latere ad Altare thuriferarius, qui navicula tradita Diacono, praesentabit Episcopo thuribulum apertum. Episcopus incensum, ministrante illud cum osculis Diacono, imponet in thuribulum cum benedictione *Ab illo benedicaris* etc. Diaconus restituet naviculam thuriferario, qui recedet aliquantulum, et ascendet ad Altare clericus cum vasculo, qui tradet aspersorium Diacono. Hic aspersorium a thuriferario accipiet et cum osculis porriget Episcopo.

18. Episcopus cineres asperget in medio, a sinistris et a dextris suis, submissa voce recitans antiphonam *Asperges me* etc. Restituet deinde aspersorium Diacono, qui recipiet illud cum osculis ac tradet clerico, Diaconus thuribulum accipiet a thuriferario et porriget Episcopo, qui thurificabit cineres, in medio, a sinistris et a dextris suis et postea thuribulum reddet Diacono, qui receptum cum osculis rursus dabit thuriferario.

19. Ambo clerici a vasculo et thuribulo descendent de gradibus Altaris, genuflexionem conficient et recedent ad deponendum vasculum ac thuribulum, tum ad locum suum redibunt.

20. Hoc tempore a Caeremoniario invitabitur dignior sive senior chori et deducetur ad Altare, itemque in promptu stabunt unus aut duo clerici ad asportandum super Altare faldistorium et clericus alter cum gremiali lineo ab Episcopo utendo.

21. Quando Episcopus asperserit ac thurificaverit Cineres, veniet cum Ministris ad medium Altaris et convertet humeros ad Crucem. Diaconus exuet ei pileolum.

22. Dignior Cleri ascendet super gradus Altaris et pollice atque indice dextero accipiet aliquantulum cinerem ex pelvicula seu lance, quam ei porriget Caeremoniarius aut clericus, imponet illum ad instar Crucis super caput Episcopi, dicens *Memento, homo, quia pulvis es et in pulverem reverteris.*

23. Idem dignior Cleri recedet aliquantulum a latere, Diaconus reponet pileolum Episcopo.

24. Statuetur faldistorium in medio suppedaneo ibique Episcopus sedebit.

25. Diaconus imponet mitram Episcopo, et adiuvante Subdiacono ponet super genua eius gremiale lineum, quod chordulis firmabitur ad nodos faldistorii vel etiam ad cingulum Episcopi. Subdiaconus stans in pedes a dextris Episcopi sustinebit ei lancem Cinerum.

26. Episcopus pugillum cineris pollice et indice dextero acceptum imponet capiti dignioris, qui iam imposuerit ipsi, dicens *Memento homo*, etc. ut supra. Cantorum chorus immediate cantare incipiet responsoria et versiculos *Immutemur habitu* etc.

27. Cineribus ab Episcopo impositis digniori Cleri, hic de Altari descendet, reverentiam contextim efficiet ad Episcopum et Altare, tum redibit ad locum suum.

28. Simulatque Episcopus digniori supradicto imposuerit cineres, se movebit Clerus de stallis suis et bini accedent ad Altare, recepturi cinerem.

29. Ad confusionem vitandam servabitur ordo praescriptus in Communione Cleri cap. V. lib. II.

30. Si Ministri, priusquam Clerus, acciperent cinerem, utpote Canonici, neque adessent Praelati, quibus imponendus esset cinis, simulatque Episcopus imposuerit cinerem digniori supradicto, Caeremoniarius accipiet a Subdiacono lancem Cinerum eamque sustinebit Episcopo, qui illos imponet Diacono et Subdiacono venientibus, ut ceteri de Clero, ante Episcopum ad cineres recipiendos.

31. Cineres distribuentur ordine iam indicato capitulo XX. libri II.

32. Quando Clerus acceperit Cineres, Episcopus dabit eos Magistratui, si aderit, et hoc ipso tempore Parochus indutus superpellicio et stola violacea, imponet illos laicis viris et foeminis in Sacello seiuncto ab Altari maiore.

33. Cantorum chorus desinet cantare responsoria et antiphonas, statim ac distributio Cinerum peracta fuerit.

34. Subdiaconus deponet super Altare lancem Cinerum, qui a clerico inde tolletur et referetur ad abacum.

35. Posteaquam Episcopus Cineres, ut supra, distribuerit, se sistent ei familiares eius nobiles aut clerici duo cum urceo et pelvi, cum mantili et medulla panis: Ministri sustinebunt mantile: Episcopus lavabit manus et medulla panis absterget pollicem et indicem dexterae manus.

36. Lotis ab Episcopo manibus et profectis Ministris lotionis, Diaconus exuet mitram Episcopo, qui assurget de faldistorio et veniet in latus Epistolae, ubi tono feriali cantabit orationem *Concede quaesumus* etc. Interim ab uno vel duobus clericis restituetur faldistorium in latere Epistolae ante gradus Altaris.

37. Post orationem Diaconus reponet mitram Episcopo, qui descendet cum Ministris de Altari, reverentiam faciet ad Crucem, deinde ad Chorum, veniet ad faldistorium ibique sedebit.

38. Diaconus et Subdiaconus redibunt ad abacum, ubi dimittent planetas plicatas; revertentur ad Episcopum, cui hoc tempore ponentur caligae et sandalia a cubiculario suo.

39. Post haec Ministri parabunt Episcopum vestibus sacris propter Missam, servatis ritibus in Missa pontificali descriptis, cum variationibus, quae occurrunt in Missa feriali. Episcopus cum Ministris geniculabit in faldistorio ad cantum versiculi *Adiuva nos Deus* etc.

IN DOMINICA PALMARUM.

CAPUT X.

De rebus praeparandis.

1. Altare maius ornabitur tobaleis, pallio violaceo, tapeto violaceo super gradibus Altaris, et sex candelabris quae tamen non erunt nobilia, cum cereis albi coloris, et Cruce velo violaceo contecta. In medio infimi gradus ponetur pulvinar vio-

laceum, in quo geniculabit Episcopus, et in latere Epistolae ante gradus Altaris statuetur faldistorium cum veste violacea.

2. Super mensam Altaris disponentur paramenta episcopalia, videlicet pluviale cum stola coloris violacei, Crux pectoralis, cingulum, alba et amictus, quae contegentur velo concolore ceteris paramentis. In latere Evangelii ponetur mitra auriphrygiata cum vimpa seu velo pro ministro.

3. Super abacum positum in latere Epistolae, coopertum albo mantili, praeparabuntur candelabra duo cum cereis albi coloris pro Acolythis, Missale instructum veste violacea utendum ab Episcopo et similis cussinus seu legile. manipuli pro Ministris, planetae plicatae pro eisdem, stola latior pro Diacono, Epistolarium et Evangeliarium convestita vestibus seu tegumentis violaceis, Canon pontificalis, thuribulum cum navicula; vasculum aquae sanctae cum aspersorio, urceus et pelvis cum mantili, gremiale lineum cum lemniscis pro Episcopo. Propter Missam autem, quae cantabitur ab Episcopo post processionem, disponentur reliqua paramenta, videlicet planeta, dalmatica, tunicella, chirothecae in lance, manipulus et gremiale coloris violacei; caligae et sandalia in lance: velum humerale utendum a Subdiacono: pluviale Presbyteri assistentis; calix cum patena, purificatorium, hostia, palla et corporale intra bursam: ampullae vini et aquae in pelvicula; campanula; intorticia pro elevatione.

4. Prope latus Epistolae, non longe ab Altari, abacus contectus alba tobalea, in quo ponentur palmae albi coloris et rami olivi distribuendi Canonicis, Clero et populo: palma Episcopi erit ab aliis distincta ornatu. Palmae et olivi contegentur velo violaceo.

5. Eodem latere aderit scamnum pro Ministris contectum tapeto ex panno violaceo.

6. Iuxta abacum Crux processionalis convestita velo violaceo, cui sint chordulae eiusdem coloris ad alligandam palmam aut ramum olivi.

7. In Sacrario praeparabuntur paramenta Ministrorum, videlicet amictus, albae et cingula duo numero, stola una violacei coloris pro Diacono; superpellicea pro clericis inservien-

tibus: amictus tres, totidemque albae, cingula et manipuli violacei cum tribus stolis similibus pro cantoribus Passionis et liber Passionis cum veste violacea.

De Functione.

8. Si ecclesia fuerit conventualis, functio peragetur postquam cantata aut recitata fuerit in choro Hora tertia.

9. Quum Episcopus celebret officium, omittetur aspersio aquae benedictae.

10. Dum in choro recitabitur hora supradicta, Episcopus in Sacrario recitabit psalmos et preces ad praeparationem; Ministri interea se parabunt amictu, alba et cingulo, Diaconus autem induet etiam stolam diaconalem.

11. Completa in choro Hora tertia, Episcopus cum Ministris sacris, sequentibus clericis, procedent ad Altare, ordine innuto in functionibus praecedentibus.

12. Episcopus post brevem orationem accedet ad faldistorium: distribuentur clericis paramenta, quibus distributis, Diaconus exuet Episcopo Crucem pectoralem, mantelletum vel mozzetam, adiuvante Subdiacono, eumque induet amictu, alba, cingulo, Cruce pectorali, stola et pluviali coloris violacei, atque in his omnibus adiuvabitur a Subdiacono.

13. Postea Diaconus imponet mitram Episcopo et reverentia ei facta simul cum Subdiacono, pergent ad abacum, ubi assument manipulum et planetam plicatam. Interim in promptu stabunt clerici duo cum Missali in usum Episcopi et cum scotula.

14. Diaconus et Subdiaconus redibunt ad Episcopum, eique iterata reverentia, consistent a lateribus eius.

15. Se sistent Episcopo ambo clerici cum libro et scotula et immediate chorus cantorum cantabit ℣. *Hosanna filio David* etc. quem Episcopus leget ex libro, eoque lecto, recedent clerici antedicti et pergent post faldistorium.

16. Absoluto a cantoribus cantu versiculi modo dicti, Diaconus tollet mitram Episcopo, qui assurget et convertetur ad Altare. Diaconus et Subdiaconus stabunt a lateribus eius.

17. Episcopus ad Altare conversus, iunctis manibus ac tono

feriali cantabit *Dominus vobiscum* et orationem *Oremus. Deus, quem diligere* etc.

18. Subdiaconus accedet ad abacum, dimittet planetam, accipiet a Caeremoniario librum Epistolarum, procedet ante Altare, genuflexionem ad Crucem faciet et reverentiam ad Chorum et veniet quo loco cantari solet Epistola.

19. Post orationem Episcopus iterum sedebit; Diaconus reponet ei mitram et facta ipsi reverentia, perget sessum ad scamnum pro Ministris praeparatum.

20. Episcopum sedentem et mitra coopertum Subdiaconus salutabit, ac tono Epistolae cantabit lectionem eaque cantata, claudet librum, reverebitur Episcopum, redibit in medium chori ante Altare, genuflexionem ad Crucem, reverentiam ad Chorum iterabit et veniet ad Episcopum, cuius manum osculabitur et accipiet ab eo benedictionem. Diaconus revertetur ad dextram Episcopi, qui leget lectionem, tractum aut graduale et Evangelium, praemisso *Munda cor meum* etc. Subdiaconus postquam resumpserit planetam plicatam, sustinebit ei Missale apertum in actu isto.

21. Dum Episcopus incipiet legere Evangelium; Diaconus facta reverentia, discedet a dextra eius, perget ad abacum, dimittet planetam plicatam, assumet stolam latiorem, accipiet Evangeliarium vel Missale, quod afferet ad Altare cum consuetis ad Episcopum et Chorum reverentiis, et libro super mensam collocato, redibit ad Episcopum et consistet a dextris eius.

22. Postquam Episcopus legerit Evangelium, Subdiaconus librum claudet eumque tradet clerico, qui referet illum ad abacum et consistet ante Episcopum.

23. Sub finem cantus Gradualis aut Tractus, thuriferarius se sistet Episcopo et navicula tradita Diacono, offeret Episcopo thuribulum apertum. Diaconus cum osculis ministrabit incensum Episcopo, qui cum solita benedictione imponet illud in thuribulum.

24. Incenso in thuribulum imposito, Diaconus accedet ad Altare, genuflectet in suppedaneo, recitabit *Munda cor meum* etc. assurget, accipiet librum, redibit ante Episcopum et ante ipsum genuflexus petet ab eo benedictionem *Iube, Domne, benedicere* et Episcopus benedicet ei dicens *Dominus sit in corde tuo* etc. et manum ei dabit osculandam.

25. Hoc tempore Acolythi, acceptis ex abaco candelabris ardentibus, pergent ante Episcopum et coibunt cum thuriferario, qui stabit post Subdiaconum,

26. Diaconus, accepta benedictione et osculata manu Episcopi, coibit cum Subdiacono, atque iterata cum ipso, cumque Acolythis ac thuriferario ad Episcopum reverentia, venient ante Altare, ibi facta genuflexione ad Crucem deinde reverentia ad Chorum, procedent ad Evangelium cantandum.

27. Diacono et ceteris, ut supra, ad cantandum Evangelium profectis, Caeremoniarius exuet mitram Episcopo, qui assurget simulatque incipietur cantus Evangelii et stabit ad Diaconum conversus.

28. Evangelio cantato, Subdiaconus librum Evangeliorum osculandum afferet Episcopo, qui libro osculato, a Diacono thurificabitur.

29. Acolythi ac thuriferarius ad loca sua redibunt ut in aliis Missis.

30. Postquam Episcopus thurificatus erit, sedebit et Diaconus ad eum reversus, reponet ei mitram.

31. Deinde Diaconus cum Subdiacono, iterata ad Episcopum reverentia, redibunt ad abacum, ubi Diaconus dimittet stolam latiorem et resumet planetam plicatam; ambo autem dimittent etiam manipulos.

32. Hoc tempore clericus unus ponet super Altare in latere Epistolae Missale cum cussino vel legili in usum Episcopi, clericus alter tollet velum, quo contegebantur palmae et olivi dispositi super abaco minori prope Altare.

33. Ministri redibunt ad Episcopum, cui facta reverentia, consistent a lateribus eius, videlicet Diaconus a dextris, Subdiaconus a sinistris, eiusque fimbrias pluvialis attollent.

34. Assurget Episcopus et cum Ministris procedet ad Altare, reverentia facta ad Chorum; ante Altare quum venerint, a Diacono nudabitur mitra; ascendet cum ministris ad Altare, quod osculabitur in medio, transibit cum eis in latus Epistolae, stantibus eisdem a lateribus eius. Ibi stans Episcopus iunctis manibus ac tono feriali cantabit orationes cum praefatione; *Sanctus* autem cantabitur a Choro tono feriali et ab Episcopo cum Ministris recitabitur submissa voce; subiunget deinde

Episcopus tono feriali ac iunctis manibus reliquas quinque orationes.

35. In fine quartae aut in principio quintae orationis, ambo clerici ad hoc delecti accipient vasculum aquae sanctae cum aspersorio ac thuribulum cum navicula et appropinquabunt gradibus Altaris in planum a latere Epistolae.

36. Recitata ab Episcopo oratione supradicta, ascendet ad Altare thuriferarius, et praesentabit thuribulum apertum Episcopo, qui ministrante cum osculis incensum Diacono, imponet illud in thuribulum cum benedictione usitata. In actione ista Subdiaconus appropinquabit dextrae Episcopi ad sublevandam eius fimbriam dexteram pluvialis. Ascendet ad Altare etiam clericus cum vasculo aquae sanctae, qui porriget aspersorium Diacono, hic tradet Episcopo et Episcopus asperget palmas in medio, a dextris et a sinistris suis, recitans submissa voce ant. *Asperges me* etc. Restituto ab Episcopo aspersorio Diacono et a Diacono clerico illius ministro, Diaconus ipse accipiet a thuriferario thuribulum ac porriget Episcopo, qui palmas thurificabit eodem modo quo asperserit.

37. Recedent clerici cum vasculo ac thuribulo, et Episcopus stans in latere Epistolae Altaris, iunctis manibus ac tono feriali cantabit *Dominus vobiscum* et orationem *Oremus. Deus qui Filium tuum* etc.

38. Interim a Caeremoniario invitabitur apud Altare dignior Cleri, qui praesentare Episcopo palmam debebit, itemque in promptu erit clericus unus cum gremiali lineo pro Episcopo, alter delaturus faldistorium super Altare, tertius aut Sacrista vel alius, qui debebit palmas et ramos olivi porrigere et Cappellanus Episcopi accepturus palmam eius.

39. Recitata, ut supra, oratione, Episcopus cum Ministris veniet ad medium Altaris et convertetur versus gradus, humeris ad Altare conversis. Se sistet Episcopo dignior Cleri, qui reverentia facta et conscensis gradibus Altaris, accipiet palmam distinctam a Sacrista vel ab alio qui porriget ipsi, eamque tradet Episcopo, osculans manum eius. Episcopus palmam accipiet, osculabitur ac tradet Cappellano suo, qui custodiet illam secum, subministraturus eandem, quando opus erit.

40. Palma ab Episcopo accepta, ponetur faldistorium

super suppedaneo in medio Altaris, Episcopus sedebit in ipso et a Diacono cooperietur mitra. Clericus unus porriget Diacono gremiale lineum cum chordulis, quod ipse Diaconus, adiuvante Subdiacono ponet super genua Episcopi et chordulis firmabit illud faldistorio vel etiam cingulo Episcopi.

41. Chorus cantorum immediate incipiet cantare Responsoria et antiphonas *Pueri Hebraeorum* etc. quae prosequentur tempore distributionis.

42. Episcopo sedente, Diaconus sublevabit fimbriam dexteram pluvialis eius et Subdiaconus tradet ei palmas, quin osculetur manum eius. Episcopus palmam dabit digniori a quo ipse prius acceperit. Quicumque palmam ab Episcopo accipiet, osculabitur prius palmam, deinde Episcopi manum. Praelati, si aderunt, et Canonici palmam accipient stantes, reverentiam profundam ad Episcopum efficientes, ceteri omnes illam accipient genuflexi. Ministri sacri, si fuerint Canonici, accipient ab Episcopo palmam post digniorem Cleri; si Canonici non fuerint, accipient illam post Canonicos et ante Beneficiarios. Si aderit Magistratus vel qui vicem civitatis sustineant, accipient palmam quo ordine statutum est in Caeremoniali Episcoporum lib. II. cap. XXI.

43. Dum Episcopus distribuet palmas Clero, in Sacello laterali longe ab Altari maiore Canonicus vel Sacerdos aliquis distribuet eas viris et foeminis separatim.

44. Clericus quispiam accipiet palmam distinctam apponendam Cruci processionali et ligabit eam in summitate Crucis. Sub finem distributionis in promptu erunt familiares nobiles vel clerici duo cum instrumentis lotionis, thuriferarius cum thuribulo, custos ecclesiae ad aperiendam portam principalem et cantores superpellicio induti, ne retardetur processio.

45. Episcopus, palmis distributis, lavabit manus et amovebitur gremiale lineum, quo usus fuerit in distributione.

46. Diaconus exuet mitram Episcopo, qui assurget et transibit in latus Epistolae, ubi iunctis manibus ac tono feriali cantabit orationem *Oremus. Omnipotens sempiterne Deus* etc. Redibit deinde ad faldistorium, in quo sedebit et a Diacono rursus cooperietur mitra.

47. Accedet ad Altare thuriferarius, qui praesentabit Epi-

scopo thuribulum apertum. Diaconus cum osculis ministrabit incensum, quod ab Episcopo imponetur in thuribulum cum benedictione usitata.

48. Interea Subdiaconus accipiet Crucem et Acolythi candelabra cum cereis ardentibus, qui adiuncti Subdiacono procedent simul ad ingressum Presbyterii. Thuriferarius postquam incensum ab Episcopo impositum fuerit in thuribulum, coibit cum Subdiacono et Acolythis. Cappellanus sive clericus, qui custodiet palmam Episcopi, appropinquabit Diacono, qui palmam praedictam acceptam ab eo porriget Episcopo, osculans manum eius.

49. Diaconus conversus ad populum cantabit *Procedamus in pace*, Chorus in cantu respondebit *In nomine Christi. Amen.* Et initium processionis fiet ordine sequenti.

50. Thuriferarius cum thuribulo; Subdiaconus gestans Crucem medius inter Acolythos cum candelabris ardentibus cereis. Cantores, qui tempore toto processionis cantabunt responsoria et antiphonas *Cum appropinquaret* etc. Clerus, et incedent bini, ac si gradus seu coetus erunt distincti, ut Canonici, Beneficiarii etc. eorumque numerus dispar erit, ultimi incedent terni, seniore medium locum obtinente, sequetur Episcopus et a sinistris eius Diaconus; post Episcopum Cappellanus a mitra et alter Cappellanus, qui posteriorem extremitatem vestis eius sustinebit; ultimo loco Praelati, siqui aderunt et familiares nobiles Episcopi.

51. Palma sustinebitur dextra ab eis, qui in processionem incedent dextrorsum, et sinistra ab eis, qui sinistrorsum; siquis incedet in medio, palmam gestabit dextra.

52. Processio ex Altari proficiscetur recta via ad ostium ecclesiae, ex qua egredietur et pergens a dextra plateae redibit directe contra portam ipsius ecclesiae. Clerus extra portam ecclesiae caput cooperiet bireto.

53. Cantores duo priusquam exeant ex ostio ecclesiae, consistent prope ipsum in interno.

54. Quando processio totaliter exiverit ex ecclesia, curabitur ut Subdiaconus, Acolythi ac thuriferarius sint prope portam ecclesiae ipsius.

55. Egressa processione, claudetur ostium ecclesiae et ante

ostium consistent cantores illi duo, qui remanserint in interno, ut supra. Hoc tempore clericus unus reponet faldistorium in latere Epistolae ante gradus Altaris et super Altare disponentur paramenta episcopalia.

56. Subdiaconus cum Cruce subsistet in limine ecclesiae, facie et Cruce ad ostium conversa, a lateribus eius Acolythi ac thuriferarius. Cantores stabunt apud portam, post Subdiaconum a latere. Clerus disponetur in duos pluresve ordines a latere portae, in fine subsistet Episcopus, stans tamen in medio e regione Crucis.

57. Clauso ostio ecclesiae et cessantibus a cantu antiphonarum praedictarum, cantores ambo qui stabunt in interiore parte ecclesiae cantabunt primum versiculum hymni *Gloria, laus et honor* etc. quo cantato, chorus cantorum qui stabit extra ecclesiam, repetet illum ex toto. Tum cantores duo supradicti in interiore parte ecclesiae cantabunt versiculum secundum *Israel es tu Davidis* etc. et chorus respondebit extra, repetens versiculum primum *Gloria, laus et honor* atque ita deinceps reliquos versiculos vel partem ipsorum.

58. Quando Subdiaconus extremitate Crucis hastilis iterum aut tertio pulsabit ostium ecclesiae, aperietur ostium et cessabitur a cantu hymni. Advertet autem Subdiaconus pulsare ostium, quando responderit chorus et priusquam cantores illi duo, qui erunt intra, incipiant aliquem versiculum cantare.

59. Aperto ecclesiae ostio, ingredietur processio ordine supradicto et cantores illi duo, qui restiterant intra ecclesiam, coibunt cum ceteris et ingressi in ecclesiam cantabunt antiphonam *Ingrediente Domino* etc.

60. Processio dirigetur ab Altare maius, quo quum ventum erit, thuriferarius recedet in Sacrarium ad deponendum thuribulum ac renovandum ignem in ipso propter Missam, si opus fuerit: Acolythi deponent candelabra super abacum et Subdiaconus, relicta Cruce seorsim, consistet prope Altare, ubi advenienti Episcopo se adiunget. Clerus ad subsellia sua in chorum redibit.

61. Episcopus ante Altare progressus, salutabit Crucem, accedet ad faldistorium ubi sedebit, palmam tradet Diacono, hic Cappellano Episcopi, qui eam custodiet. Diaconus et Sub-

diaconus reverentiam facient ad Episcopum, pergent ad abacum, planetas plicatas ibi dimittent et revertentur ad Episcopum, qui a cubiculario suo induetur caligis et sandaliis, deinde a Diacono exutus mitra et pluviali, a Ministris praedictis induetur sacris paramentis ad Missam celebrandam.

62. Hoc tempore Presbyter assistens induet pluviale prope abacum, ut paratus sit ad officium suum fungendum.

63. In Missa nulla occurrit variatio, stabitur iis quae praescripta sunt capitulis III. et IV. libri huius. Diaconus autem cum Presbytero assistente non sedebunt in cantu Epistolae, sed restabunt apud Episcopum, qui cum mitra in capite genuflectet in pulvino dum cantabitur *Ut in nomine Iesu* etc. ut genuflectet etiam universus chorus.

64. Notandum, quod cantores Passionis quum venerint in presbyterium, reverentia aut genuflexione facta ad Crucem, procedere debent ante Episcopum et genuflexi aut profunde inclinati osculari manum eius unus post alium, deinde procedere ad cantandam Passionem. Hoc tempore ponetur a clerico super Altari Missale cum cussino vel legili in usum Episcopi.

65. Profectis ab Episcopo cantoribus Passionis, Diaconus exuet mitram Episcopo, qui assurget et a latere accedet ad Altare atque in latere Epistolae leget Passionem. Diaconus palmam porriget Episcopo, qui eam sustinebit dextra, durante cantu Passionis; itemque Ministri et ceteri de choro. Quando Episcopus leget Passionem, Presbyter assistens operam dabit libro, stans in latere Altaris, Diaconus adstabit Episcopo dextrorsum in gradu inferiori, Subdiaconus a dextris Diaconi in altero gradu inferiori. Episcopus, quando legerit Passionem usque ad finem primae partis, convertetur ad cantores, Presbyter assistens consistet a dextris eius in gradu inferiori, Diaconus a sinistris Presbyteri assistentis in altero gradu inferiori et Subdiaconus a sinistris Diaconi in altero gradu inferiori aut in plano ante infimum gradum Altaris. Paullo ante illa verba *Emisit spiritum*, ponetur a clerico pulvinar ante Episcopum et ad verba modo dicta geniculabunt Episcopus, Presbyter assistens et Ministri eodem statu quo erunt, conversi ad cantores.

66. Completo cantu Passionis, Diaconus recipiet palmam et reponet mitram Episcopo, qui a latere redibit sessum ad fal-

distorium, ibique sedenti Diaconus reponet super genua gremiale. Clericus unus tollet de Altari Missale cum cussino seu legili.

67. Subdiaconus accipiet Missale, quod apertum sustinebit ante Episcopum, qui leget ex illo *Munda cor meum* et ultimam partem Passionis.

68. Interea Diaconus planetam plicatam dimittet apud abacum, induet stolam latiorem, deferet ad Altare Evangeliarium et cantabitur ultima Passionis pars quomodo cantatur Evangelium, excepto quod Acolythi non deferent candelabra et Diaconus, quin dicat *Dominus vobiscum* et *Sequentia* etc. incipiet immediate illa verba cantare *Altera autem die* etc. Episcopus et Clerus in choro palmam dextera sustinebunt.

DE FERIA V. IN COENA DOMINI.

CAPUT XI.

1. Functio huiusce diei ab Episcopo extraneo celebrata, relate ad Missam solemnem, nihil differt a ritu in Missa Pontificali descripto capit. III. libri huius. Quapropter ne frustra ea quae descripta sunt repetamus, innuemus tantummodo variationes, quae in ipsa occurrunt.

De rebus praeparandis.

2. Altare apparabitur nobiliter, ut ibidem monuimus; Crux autem cooperietur velo albi coloris.

3. Super abacum praeter res eodem loco notatas, praeparabitur etiam pluviale et velum humerale albi coloris utrumque, utendum ab Episcopo in processione, calix alter cum patena, palla, velo albi coloris et lemnisco ad reponendum Sacramentum, hostiae binae consecrandae, alterum thuribulum cum na-

vicula, pyxis cum particulis propter Communionem Cleri, stolae albi coloris assumendae a Presbyteris, qui de sacra mensa participabunt, mappa linea albi coloris extendenda ante communicandos, intorticia aut cerei gestandi a Clero in processionem.

4. Prope abacum aderit Crux processionalis convestita velo violaceo et extra cancellos seu balaustrium presbyterii baldachinum albi coloris hastile. Si laici quoque Communionem excipient, sternentur mappae super balaustrium.

5. In Sacello, in quo exponetur SS. Sacramentum, ponetur in medio infimo gradu pulvinus albi coloris, super quem geniculabit Episcopus.

6. Si ex mandato Episcopi ordinarii exsequenda esset sacrorum Oleorum consecratio, praeparabuntur in Sacrario paramenta pro duodecim Presbyteris, pro septem Diaconis septemque Subdiaconis. Apud Altare praeparabitur mensa atque ea omnia, quae notata sunt cap. XIV. libri VI. quod ad functionem istam spectat.

De Functione.

7. Episcopus post recitationem Nonae accedet ad Altare, induetur sacris vestibus, deinde Missae initium faciet ritu praescripto.

8. Si fiet Oleorum sacrorum consecratio, Presbyteri, Diaconi et Subdiaconi parati antecedent Episcopum et Ministros in accessu ad Altare et occupabunt locum, qui attribuetur ipsis. Hoc casu Episcopus utetur baculo pastorali.

9. In Missa non recitabitur psalmus *Iudica me Deus* etc.

10. Ad intonationem hymni *Gloria in excelsis* sonabitur organis et campanis. In reliqua Missa tacebunt organa, neque sonabitur campanula ad elevationem.

11. In offertorio Episcopus offeret binas hostias et particulas ad Communionem ministrandam.

12. Si consecrabuntur Olea sacra, Subdiaconus postquam attulerit calicem ad Altare, dimittet velum humerale et fungetur officium suum, ut cap. XIV. num. 71. et 75. lib. VI.

13. Recitabitur *Agnus Dei*, sed Pax non dabitur.

14. In Communione Cleri observabitur ordo, quem notavimus cap. VII. libri huius.

15. In Consecratione sacrorum Oleorum tenebitur methodus innuta cap. XIV. num. 77. et seq. lib. VI.

16. Sacramentum reponetur in Calice, ut dictum est cap. XXV. lib. II.

17. Sacro peracto, Episcopus cum Ministris genuflexionem ad Sacramentum conficiet in suppedaneo et descendet a latere ad faldistorium, quod ponetur in latere Epistolae ante scamnum Ministrorum, ita ut sedens vertat humeros ad parietem, non vero ad Altare.

18. Presbyter assistens recedet in Sacrarium, functus officio suo.

19. Episcopus reversus, ut supra, ad faldistorium sedebit, Ministri autem dimittent manipulos. Interim in promptu erunt ambo thuriferarii cum thuribulis, Subdiaconus paratus ad gestandam Crucem et distributa iam erunt intorticia vel cerei ardentes gestandi a Clero in processionem.

20. Diaconus, adiuvante Subdiacono, exuet Episcopo manipulum, planetam, dalmaticam ac tunicellam et induet ei pluviale. Deinde Episcopus stans imponet incensum sine benedictione in ambo thuribula, quae praesentabunt ei thuriferarii stantes et ipsi. Diaconus ei ministrabit incensum sine osculis consuetis.

21. Accedet ad Altare Episcopus medius inter Ministros, qui fimbrias pluvialis eius sustentabunt; conficiet cum ipsis genuflexionem duplicem in pavimento, assurget, geniculabit in pulvino posito super gradum infimum et accepto e manibus Diaconi thuribulo, triplici ductu incensabit SS. Sacramentum.

22. Thuribulo reddito Diacono, Caeremoniarius imponet humeris Episcopi velum humerale, quod ei alligabitur ante pectus a Subdiacono.

23. Diaconus ascendet ad Altare, accipiet Sacramentum et tradet Episcopo, qui assurget, convertetur ad populum et initium processionis fiet versus Sacellum praeparatum ad expositionem SS. Sacramenti.

24. Processionis ordo erit sequens. Subdiaconus paratus

Crucem deferens medius inter Acolythos cum candelabris: cantores, qui cantabunt hymnum *Pange lingua:* Clerus, omnibus incedentibus binis iuxta gradus sive ordines, si ecclesia erit conventualis: si consecratio Oleorum sacrorum facta fuerit, post Clerum sequentur septem Subdiaconi, tum Diaconi eodem numero, postremo duodecim Presbyteri: ambo thuriferarii cum thuribulis: Episcopus medius inter Ministros, qui gestabit SS. Sacramentum sub umbraculo: sequentur Episcopum Praelati, siqui aderunt.

25. Quum ventum erit in Sacellum, Clerus disponetur quo modo indicatum est capitulo XXV. libri II. exponetur Sacramentum, eoque thurificato, claudetur custodia.

26. Episcopus benedictionem non donabit; sed brevi facta oratione, assurget, conficiet cum Ministris genuflexionem duplicem et mitra rursus coopertus in ingressu Sacelli, praecedentibus thuriferariis, Subdiacono gestante Crucem cum Acolythis, septem Subdiaconis, septem Diaconis, duodecim Presbyteris, si aderunt, redibit in Sacrarium, ibique sacra indumenta dimittet.

27. Clerus revertetur in chorum ad Vesperas recitandas.

28. Denudatio Altarium persolvetur a Canonico hebdomadario, vel ab alio Presbytero, ritu statuto in capit. XXV. num. 68. lib. II.

FERIA VI. IN PARASCEVE.

CAPUT XII.

1. Altare maius esto quocumque ornamento totaliter denudatum: si Altare erit consecratum, relinquetur super mensa chrismale seu tobalea cerata, quae mensam ipsam non solum contegit, sed etiam defendit a pulvere: si aderit lapis sacer, relinquetur cerata, quae contegit lapidem ipsum.

2. Super Altare ponentur sex candelabra ex aurichalco vel ex cupro cum Cruce simili: si Crux esset nimis gravis, super pedem Crucis aequalem candelabris imponetur Crux levior cooperta velo nigro, quod cum orbiculis et lemniscis ita sit dispositum, ut facile solvi ac detegi possit. Cerei candelabrorum sunto ex cera communi seu lutea.

3. Super infimum gradum ponetur pulvinar in quo geniculabit Episcopus.

4. In latere Epistolae ante gradus Altaris praeparabitur faldistorium exutum omni ornamento ac tantum in sedili aderit pulvinus nigri coloris.

5. Super mensam Altaris disponentur paramenta episcopalia, videlicet manipulus et planeta nigri coloris, dalmatica ac tunicella cum stola coloris eiusdem, Crux pectoralis, cingulum, alba et amictus, quae cooperientur velo sericeo concolore: in latere Evangelii ponetur mitra linea alba, aut damascena alba cum vimpa.

6. A latere Epistolae statuetur abacus sine ullo ornamento: mantile tantummodo explicabitur in ipso, quod contegat solum planum ipsius nec pendeat a lateribus. Super abaco praeparabuntur haec: tobalea Altaris, quae contegat mensam tantum, nec pendeat omnino a lateribus; missale cum tegumento nigri coloris in usum Celebrantis; Epistolarium et Evangeliarium, utrumque ornatum veste nigra; gremiale nigrum simile paramentis; candelabra Acolythorum cum candelis ex cera lutea seu communi; urceus cum pelvi; manutergium in lance; ampullae vini et aquae in pelvicula; bursa nigri coloris cum corporali et duobus purificatoriis; vasculum vitreum aquae plenum ad purificandos digitos, si opus fuerit; binae planetae plicatae Ministrorum; stola latior Diaconi; pluviale Presbyteri assistentis; pulvinus nigri coloris vel legile ligneum ad sustinendum Missale: pulvinar maius ex serico villoso violaceo cum velo albi coloris, super quo deponetur Crux in adoratione; lanx argentea ad oblationes excipiendas.

7. Prope abacum in promptu habebitur tapetum laneum coloris violacei, utendum in adoratione Crucis; Crux hastilis propter processionem convestita velo violaceo; arundines sive hastae cum gossipio cerato ad accendendos cereos.

8. In quo Sacello exponetur SS. Sacramentum, pulvinar nigri coloris ponetur in infimo gradu, in quo geniculabit Episcopus, velum humerale albi coloris, stola nigra pro Sacrista, quando aperire debebit urnam, corporale extensum super mensam Altaris, intorticia vel candelae ex cera alba utendae in processione. Prope abacum aderit umbraculum hastile.

9. In Sacrario paramenta Ministrorum, videlicet amictus, albae et cingula duo, stola una nigri coloris pro Diacono. Superpellicia sufficienti numero pro clericis inservientibus. Planeta plicata nigri coloris cum cingulo, alba et amictu pro Subdiacono, qui gestaturus erit Crucem in processionem. Thuribula duo cum naviculis. Tres amictus totidemque albae, cingula, manipuli et stolae nigri coloris pro cantoribus Passionis et liber Passionis ornatus veste nigri coloris.

10. Sedes cameralis, in qua sedebit Episcopus et canon pontificalis sine scotula.

De functione.

11. Hora determinata Clerus in choro recitabit horas minores submissa voce et extinctis cereis.

12. Interim in Sacrario Diaconus et Subdiaconus se parabunt paramentis, videlicet amictu alba et cingulo, Diaconus autem induet etiam stolam nigri coloris more diaconali.

13. Dum se Ministri parabunt, Episcopus sede camerali sedens recitabit ex Canone orationes tantum ad paramenta, omittens quae notatae sunt ad sandalia et chirothecas, quae hoc die non adhibentur.

14. Presbyter assistens induet superpelliceum et clerici inservientes aderunt ad Altare superpellicio induti.

15. Completa in choro recitatione Horae nonae, egredientur de Sacrario Episcopus cum Ministris et clericis, et procedent ad Altare eodem modo quo in aliis functionibus superius descriptis.

16. Episcopus, brevi peracta oratione, assurget, et nullam faciens reverentiam aut salutationem ad Chorum (quae hoc die omittuntur) accedet ad faldistorium et sedebit.

17. Clericus unus de gradu Altaris tollet pulvinar, in quo geniculaverit Episcopus.

18. Paramenta episcopalia a Caeremoniario secundo distribuentur clericis ordine consueto.

19. In promptu stabunt familiares nobiles Episcopi vel clerici duo pro lotione.

20. Episcopus nudabit caput, dimittet mantelletum, quod accipietur a Cubiculario, qui expediet etiam syrmam eius vestis talaris. Episcopus, capite cooperto bireto, dimittet annulum, qui recipietur a Presbytero assistente sine osculis, tum lavabit manus.

21. Clerici paramenta deferentes, genuflexione facta ad Altare, procedent ante Episcopum et paramenta porrigent Ministris. Episcopus, lotis manibus, dimittet biretum et a Ministris parabitur amictu, alba, cingulo, Cruce pectorali, stola, tunicella, dalmatica, planeta et manipulo.

22. Dum parabitur Episcopus, Presbyter assistens, induet pluviale. Prope abacum in promptu stabunt clerici cum paramentis Ministrorum.

23. Paratus Episcopus, ut supra, cooperietur mitra a Diacono. Ambo Ministri, salutato Episcopo, accedent prope abacum ibique induent manipulum et planetam plicatam.

24. Hoc tempore Presbyter assistens veniet ante Episcopum eique facta reverentia, annulum sine osculis inseret digito eius et consistet a dextris eiusdem.

25. Unus pluresve clerici in promptu stabunt, translaturi faldistorium, ut infra.

26. Ministri redibunt ante Episcopum, salutabunt eum et consistent a sinistris eius, Diaconus nempe a sinistris Episcopi, Subdiaconus a sinistris Diaconi.

27. Innuente Caeremoniario, Episcopus cum Ministris assurget et nulla facta ad Chorum reverentia, procedent ante Altare.

28. Clericus unus pluresve accipient faldistorium et deferent ipsum ad Altare; clericus alter ponet pulvinar ante faldistorium ipsum in pavimento.

29. Ante Altare Episcopus nudabitur mitra a Diacono. Epi-

scopus reverentiam, Ministri genuflexionem ad Altare conficient. Geniculabit et procumbet super faldistorium; Ministri autem genieulabunt a lateribus eius et orabunt *prolixius solito.*

30. Acolythi duo accipient ex abaco tobaleam Altaris, afferent ad Altare et extendent ipsam super mensam, caventes ne totam explicent, sed relinquent plicatam versus candelabra, ut facile possit postea explicari super totam mensam a Diacono. Extensa super Altari tobalea, Acolythi praedicti se recipient ad abacum.

31. Post orationem Episcopus consurget cum Ministris, et a clericis de medio tolletur faldistorium atque pulvinar.

32. Episcopus cum Ministris ascendet ad Altare, quod osculabitur in medio.

33. A clericis ponetur faldistorium in suppedaneo a latere Epistolae ita ut Episcopus in eo sedens prospectet latus Evangelii et a dextris suis habeat Altare.

34. Osculato Altari, Episcopus a Diacono mitra cooperietur, sedebit faldistorio et ab eodem Diacono ponetur gremiale super genua eius.

35. Ministri sedebunt in extremitate suppedanei, videlicet Presbyter assistens prope Episcopum, Diaconus a dextris Presbyteri assistentis, Subdiaconus a dextris Diaconi et caput cooperient bireto, quod eis porriget clericus.

36. Sedentibus Episcopo et Ministris, Caeremoniarius uni ex Beneficiariis vel ex cantoribus superpellicio induto tradet Missale, quod sustinens ipse sibi, genuflexione facta ad Crucem, vadet quo loco cantabitur Epistola, ibique cantabit prophetiam tono lectionis.

37. Hoc tempore in promptu stabit clericus cum Missali in usum Episcopi.

38. Cantor, cantata prophetia, iterabit ad Altare genuflexionem in medio, redibit ad abacum, relinquet in eo librum et se recipiet ad locum suum. A cantoribus cantabitur tractus *Domine, audivi.*

39. Cantata, ut supra, prophetia, consurgent Ministri et genuflexione facta ad Crucem, venient ante Episcopum. Clericus cum Missali Episcopi appropinquabit faldistorio, Presbyter assi-

stens consistet a sinistris Episcopi, Diaconus prope Presbyterum assistentem et Subdiaconus accipiet Missale, ipsumque sustinebit apertum ante Episcopum, ex quo prophetiam et tractum ipse Episcopus leget. Dum Episcopus leget tractum, clericus aliquis ponet cussinum vel legile super Altare in latere Epistolae.

40. Hoc ipso tempore in Sacrario cantores Passionis se parabunt amictu, alba, cingulo, manipulo et stola diaconali. Quando ab Episcopo lectus fuerit tractus, Subdiaconus ponet librum apertum super cussinum seu legile iam positum in Altari, ut supra, et recedet prope Diaconum.

41. Dum cantores ultimum tractus versiculum cantabunt, Diaconus tollet gremiale et mitram Episcopo, qui assurget et convertetur ad Altare. Unus aut duo clerici tollent faldistorium de suppedaneo Altaris.

42. Presbyter assistens consistet a dextris Episcopi in latere Altaris, indicaturus ei quae cantanda sint; Diaconus stabit in gradu superiori post Episcopum, Subdiaconus in infimo gradu, vel in plano, post Diaconum.

43. Episcopus cantabit *Oremus*, Diaconus *Flectamus genua* et genuflectent omnes, exceptis Episcopo et Presbytero assistente, Subdiaconus cantabit *Levate* omnesque consurgent. Episcopus, manibus expansis, tono feriali cantabit orationem *Deus, a quo et Iudas* etc.

44. Hoc tempore Subdiaconus, quin abscedat de loco suo, exuet sibi planetam plicatam, recipiet Epistolarium et sub finem orationis praedictae procedet ante Altare et genuflexione ad Crucem facta, consistet quo loco cantari solet Epistola.

45. Post cantatam orationem, reponetur faldistorium in suppedaneo, ut supra, et in eo sedebit Episcopus, qui a Diacono cooperietur mitra eique reponetur gremiale, Diaconus et Presbyter assistens, sedebunt ut ante in extremitate suppedanei.

46. Sedente Episcopo, Subdiaconus cantabit lectionem tono consueto Epistolae, eaque cantata, redibit ante Altare, genuflectet ad Crucem, deinde apud abacum deponet librum et resumet planetam plicatam.

47. Lectione a Subdiacono cantata, consurgent Presbyter assistens et Diaconus atque accedent ad Episcopum.

48. Subdiaconus, resumpta planeta, veniet ante Episcopum et Missale ex Altari acceptum sustinebit apertum ante ipsum, qui leget lectionem atque tractum, quo lecto, Subdiaconus idem reponet Missale super Altare. Diaconus manebit a sinistris Episcopi et Presbyter assistens operam dabit libro, indicans Episcopo quae legere debeat. Subdiaconus, postquam Episcopus legerit tractum, reposito libro super Altare, consistet a sinistris Diaconi.

49. Simulatque cantata fuerit lectio, cantores cantabunt Tractum.

50. Sub finem cantus Tractus, exibunt de Sacrario cantores Passionis. Ingressi in Presbyterium, genuflexionem ad Crucem conficient et procedent directe ad cantandam Passionem, ut in Dominica praecedenti, siquidem hac die non osculabuntur manum Episcopi.

51. Completo cantu Tractus, Diaconus tollet Episcopo gremiale et mitram. Episcopus assurget et convertetur ad Altare. A clericis amovebitur faldistorium de suppedaneo.

52. Statim ac Episcopus convertetur ad Altare, cantores Passionis incipient ipsam cantare. Episcopus leget Passionem ex Missali submissa voce. Presbyter assistens stans in latere Altaris a dextris Episcopi evolvet folia; Diaconus stabit a dextris Episcopi super gradum infra suppedaneum, et Subdiaconus a dextris Diaconi super gradum infra Diaconum ipsum. Episcopus leget totam Passionem iunctis manibus, comprehensa ultima parte, cui praemittet *Munda cor meum* etc. Postquam Episcopus legerit Passionem, convertetur versus cantores Passionis. In actione ista Presbyter assistens stabit a sinistris Episcopi in gradu superiori infra suppedaneum, Diaconus a sinistris Presbyteri assistentis in gradu secundo et Subdiaconus a sinistris Diaconi in gradu tertio, vel in plano, si Altare pluribus gradibus carebit.

53. Paullo ante illa verba *Emisit spiritum*, ponetur pulvinar ante Episcopum. Ad cantum eorumdem verborum Episcopus geniculabit versus cantores, itemque Ministri et Clerus, unusquisque loco suo. Assurgente Episcopo, consurgent ceteri omnes et continuabitur cantus Passionis usque ad finem.

54. Completo cantu Passionis, faldistorium reponetur, ut ante, in suppedaneo; Episcopus sedebit eique Diaconus reponet mitram et gremiale.

55. Cantores Passionis discedent ex Altari et redibunt in Sacrarium eodem ordine, quo ad Altare accesserunt.

56. Presbyter assistens et Subdiaconus remanebunt prope Episcopum. Diaconus descendet de Altari a latere, accedet ad abacum, ubi dimittet planetam plicatam et induet stolam latiorem; deinde librum afferet ad Altare, genuflexionem faciens ad Crucem, postea reverentiam ad Episcopum. Conscenso suppedaneo Altaris, librum ponet super mensam, tum genuflexus in suppedaneo recitabit *Munda cor meum.*

57. Hoc tempore procedent ante Altare duo Acolythi, iunctis manibus, sine candelabris et Subdiaconus.

58. Diaconus, recitato *Munda cor meum,* accipiet librum, descendet de Altari, coibit cum Subdiacono et Acolythis, qui omnes uno tempore conficient genuflexionem ad Altare et reverentiam ad Episcopum. Quo loco cantatur Evangelium, Diaconus cantabit ultimam partem Passionis, neque incensabitur liber neque illum in fine osculabitur Episcopus.

59. Profecto de Altari cum ceteris Diacono, Caeremoniarius gremiale et mitram tollet Episcopo, qui assurget ad cantum praedictum et faldistorium de Altari removebitur.

60. Cantata ultima Passionis parte, Diaconus claudet librum, quem Subdiaconus tradet uni ex Acolythis, et iunctim procedent ante Altare ac genuflexionem, ut supra, conficient. Acolythi revertentur ad abacum et in ipso reliquent librum, Diaconus se sistet post Episcopum, Subdiaconus post Diaconum ut in prima oratione.

61. Cantata, ut supra, ultima Passionis parte, Episcopus convertetur ad Altare, et quando Ministri constiterint a tergo eius, incipiet cantare orationes, ut in Missali: cantabit invitationem ad orationem notis in Missali signatis, orationes autem cantabit manibus expansis ac tono feriali. Diaconus cantabit *Flectamus genua* et Subdiaconus *Levate*, quando reperietur notatum in Missali et Caeremoniarius hac de re monebit Ministros praedictos. Ad *Flectamus genua* genuflectetur ab omnibus, ut in prima

oratione, omnesque consurgent ad *Levate*. Episcopus tantum et Presbyter assistens non genuflectent ad *Flectamus genua*. Chorus cantorum advertet quando respondendum sit *Amen* et quando tacendum.

62. Ad orationem *pro haereticis*, duo pluresve clerici accipient tapetum violaceum et in longitudinem extendent ipsum in medio presbyterio: clericus alter accipiet pulvinum maiorem violaceum cum velo albi coloris eumque ponet in capite tapeti ipsius versus Altare.

63. Orationibus completis, Diaconus reponet mitram Episcopo, qui cum Ministris facta ad Crucem reverentia, de Altari a latere descendent et venient ad faldistorium collocatum ante gradus a latere Epistolae, vel ante abacum, si Presbyterium parum amplum esset.

64. Episcopus sedebit faldistorio et a Diacono exuetur mitra: deinde adiuvantibus Ministris dimittet planetam et ibit ad latus posterius Altaris in cornu Epistolae in planum presbyterii extra gradus Altaris, ibique consistet facie ad populum conversa. Subdiaconus adstabit sinistrae Episcopi, facie pariter conversa ad populum. Presbyter assistens accipiet Missale ex Altari et consistet versus sinistram Episcopi. Diaconus per longiorem accedet ad Altare, genuflexionem in medio faciet ad Crucem, ad Altare ascendet et accipiet Crucem, quam sustinebit utraque manu: si opus fuerit, apponetur scabellum gradatum ad accipiendam Crucem.

65. Diaconus, accepta Cruce, descendet de Altari per medios gradus et veniet ante Episcopum, cui tradet Crucem. Caeremoniarius, dum Diaconus accipiet Crucem ex Altari, exuet Episcopo pileolum.

66. Episcopus, accepta Cruce, adiuvante Caeremoniario vel Diacono, exuet summitatem illius, et sustinente librum apertum Presbytero assistente, cantabit notis in Missali appositis *Ecce lignum Crucis* et cum Ministris clericisque prosequetur *in quo salus mundi pependit*, Chorus autem respondebit *Venite adoremus*. Ad haec verba geniculabunt omnes, excepto Episcopo. Presbyter assistens etiam, clauso libro, geniculabit.

67. Cantatis praedictis verbis, consurgent omnes; Episcopus

cum Ministris ascendent ad Altare in latus Epistolae quo loco Celebrans legit Epistolam, conversi ad populum, ut supra.

68. Episcopus, eodem adiumento, ut supra, deteget caput Crucifixi cum brachio dextero, et brachium dexterum Crucis, atque elevans vocem hemitonio, cantabit *Ecce lignum Crucis* etc. ut supra, omnesque genuflectent.

69. Deinde procedent ad medium Altaris super suppedaneum ibique Episcopus deteget Crucem totam ac tertia vice cantabit *Ecce lignum* etc. altero hemitonio vocem attollens et genuflectent omnes.

70. Post illa verba *Venite adoremus* manebunt omnes genibus flexis, et Episcopus tantum, comitante Caeremoniario, de Altari descendet, accedet ad tapetum extensum ante Altare, et genibus flexis versus Altare, collocabit Crucem super cussinum, quam taeniis firmabit super ipsum, si opus fuerit.

71. Assurget Episcopus eodemque tempore cum eo consurgent ceteri omnes. Episcopus genuflexionem ad Crucem faciet cumque ipso genuflectent etiam suo quisque loco Ministri, qui descendent de Altari et obviam Episcopo procedent.

72. Episcopus redibit ad Altare, reponetur faldistorium in suppedaneo et sedebit; Diaconus reponet ei pileolum et mitram. Cubicularius Episcopi, comitantibus clericis quatuor, genuflexione facta ad Crucem, ascendet ad Altare, et circulo a clericis facto ante Episcopum, cubicularius exuet ei calceos.

73. Episcopus de Altari discedet medius inter Diaconum et Subdiaconum, descendens a latere et veniet extra tapetum in latus Epistolae. Quum autem venerit ad pedem tapeti, a Diacono exuetur mitra ac pileolo.

74. Diaconus cum Subdiacono, clericus a mitra et alter a syrma recedent immediate versus Altare a latere ex parte Epistolae.

75. Episcopus solus, comitatus a Caeremoniario qui adiuvabit eum in genuflectendo, si opus fuerit, geniculabit in principio tapeti et brevi facta oratione adorabit Crucem. Hinc assurget, geniculabit in medio tapeto et Crucem adorabit, ut ante. Postremo geniculabit tertia vice ante Crucem et brevi facta oratione, osculabitur Crucifixum. Si vigebit usus oblationis of-

ferendae ad Crucem, clericus unus ponet lancem a dextra Crucis, atque Episcopus postquam osculatus erit Crucifixum, oblationem deponet in lance, quod etiam facient Canonici et ceteri.

76. Episcopus assurget, genuflexionem faciet ad Crucifixum et redibit super Altare. Diaconus autem, priusquam Episcopus ad Altare ascendat, reponet ei pileolum et mitram; tunc Episcopus medius inter Diaconum et Subdiaconum redibit ad Altare et sedebit faldistorio. Revertetur ad Altare cubicularius cum quatuor supradictis clericis, a quibus facto ante Episcopum semicirculo, reponentur ei calcei a cubiculario. Postea Diaconus exuet mitram Episcopo eique simul cum Subdiacono reponet planetam, postremo rursus cooperiet eum mitra.

77. Simulatque Episcopus discedet de Altari, iturus ad Crucis adorationem, cantores incipient et prosequentur cantare improperia.

78. Planeta rursus induto Episcopo eique reposita mitra, ut supra, Presbyter assistens, Diaconus et Subdiaconus recedent apud abacum, ibique dimissis calceis, procedent ad Crucem adorandam, triplicem peragentes genuflexionem, quomodo fecerit Episcopus. Presbyter assistens medium locum obtinebit, Diaconus a dextris, Subdiaconus a sinistris eius. (a).

79. Post sacros Ministros accedent Canonici bini, quorum numerus si dispar erit, ultimum par erit ternarium. Tum Beneficiarii et reliqui de Clero, ordine supradicto. Si Ministri non essent ex coetu Canonicorum, sed Beneficiariorum, hoc casu procedent ad adorandam Crucem prius Canonici, tum Ministri sacri, postea Beneficiarii, et sequentur ceteri. Si aderit Magistratus seu qui publici partes sustinent, ad adorationem procedent ultimo loco. Servabitur usus, si vigebit, ut Canonici dimittant calceos, ituri ad adorationem.

80. Ut actio ista procedat regulariter, curabitur ne multi simul confluant super tapetum et providebitur, praesertim si Clerus erit numerosus, ut dum primi sunt in genuflexione, secundi sint in secunda, ac tertii in prima.

(a) Ut Ministri dimittant paramenta, Caeremoniale non praescribit. Si Presbyter assistens esset Canonicus et dimitteret pluviale, minime deceret, ut ad adorationem accederet indutus tantum rocheto.

81. Advertet etiam clericus unus, ut detegat Crucem processionalem, dum Crucis adoratio incipietur. Detegentur etiam per ecclesiam Crucis in ceteris Altaribus velatae.

82. Ministri sacri, adorata Cruce, revertentur ad Episcopum. Subdiaconus, acceptum ex Altari Missale sustinebit apertum ante Episcopum, qui ex missali leget improperia. Diaconus adstabit Episcopo sinistrorsum et Presbyter assistens operam dabit libro.

83. Sub finem adorationis accendentur cerei in Altari et candelabra Acolythorum.

84. Episcopus lavabit manus, ministrantibus ei lotionem sui familiares nobiles, vel clerici duo.

85. Diaconus accedet ad abacum, accipiet bursam cum corporali et purificatorio, eaque afferet ad Altare, quo priusquam ascendat, genuflexionem faciet versus Crucem. Conscenso Altaris suppedaneo, explicabit tobaleam super mensam, deinde in medio explicabit corporale, ponet bursam versus cornu Evangelii, et purificatorium prope corporale. Clericus aliquis afferet ad Altare vasculum ad purificandos digitos, si opus fuerit.

86. Postquam Diaconus explicaverit corporale super Altari, Presbyter assistens accipiet cussinum cum missali et deferet in latus Evangelii, genuflexionem faciens versus Crucem, quando ex uno latere ad alterum transibit.

87. Absoluta Crucis adoratione, Diaconus, comitante Caeremoniario accedet ad Crucem, eamque genuflexus expediet de pulvino et acceptam utraque manu deferet ad Altare et super pedem seu basim reponet.

88. Dum Diaconus perget ad accipiendam Crucem, Caeremoniarius exuet mitram Episcopo, qui assurget et geniculabit in pulvino posito super suppedaneum a clerico. Si opus erit, apponetur scabellum gradatum in commodum Diaconi, quando Crucem referet ad Altare.

89. Sub finem adorationis praesto erit in presbyterio Subdiaconus, paratus amictu, alba, cingulo et planeta plicata, qui gestabit Crucem processionalem.

90. Postquam Diaconus reposuerit Crucem super Altare, mitra rursus cooperiet Episcopum.

91. In promptu stabunt in Sacello, ubi expositum aderit SS. Sacramentum, ambo thuriferarii cum thuribulis ac naviculis, et clerici cum intorticiis aut candelis tradendis Clero, aliique clerici duo tradituri baldachinum hastile illis, qui delecti erunt ab illud deferendum.

92. Quando omnia disposita erunt ad processionem, procedetur ad Sacellum, in quo aderit expositum SS. Sacramentum. Praeibit Subdiaconus gestans Crucem processionalem, medius inter Acolythos, qui sustinebunt candelabra, ardentibus cereis ex cera communi. Sequentur cantores bini. Post cantores incedent bini qui de Clero sunt. Postremo Episcopus, qui praecedetur a Subdiacono ministrante et a sinistris habebit Diaconum, a dextris Presbyterum assistentem.

93. Clerus quo momento de Altari discedet, genuflexionem conficiet ad Crucem, etiam si inter ipsum sint Canonici.

94. Episcopus medius inter Ministros descendet de Altari, convertetur ad ipsum, nudabitur mitra a Diacono et una cum Ministris ipsis genu flectet ad Crucem, postmodum ab eodem Diacono rursus cooperietur mitra, et in processionem incedet quo ordine superius descriptum est.

95. Quando Crux cum Acolythis pervenerit ad Sacellum, in quo erit expositum SS. Sacramentum, subsistet prope ingressum Sacelli eiusdem a sinistra. Clerus disponetur in ordinem vel in plures ordines ante Altare et unusquisque genuflexionem duplicem conficiet statim ac pervenerit intra Sacellum et genibus flexis manebit loco suo.

96. A clericis designatis distribuentur intorticia ardentia, numero saltem octo, senioribus Cleri, qui erunt prope Altare; et simulatque Episcopus ingressus erit in Sacellum, deferetur ante illud baldachinum hastile et dignioribus Cleri tradentur hastae, servato ordine tradito cap. XXV. lib. II. n. 49.

97. In ingressu Sacelli quum steterit Episcopus, Presbyter assistens recedet a latere, Subdiaconus accedet sinistrae Episcopi, Diaconus dextrae.

98. Ante Altare Diaconus exuet Episcopo mitram et pileolum, atque Episcopus cum Ministris genuflexionem duplicem ad SS. Sacramentum conficient, neque Episcopus in hac

genuflexione utetur pulvino. Hinc assurgent Episcopus cum Ministris et geniculabunt in infimo gradu, sed Episcopus utetur pulvino ibi praeparato.

99. Sacrista cum stola nigri coloris ascendet ad altare cum debitis genuflexionibus et aperiet custodiam SS. Sacramenti.

100. Post brevem orationem assurget Episcopus manentibus genuflexis Subdiacono ceterisque omnibus. Appropinquabunt Episcopo ambo thuriferarii cum thuribulis et incensum sine osculis, ministrante Diacono, imponet in utrumque thuribulum sine benedictione. Thuriferarii stantes praesentabunt Episcopo thuribula aperta.

101. Episcopus iterum geniculabit super pulvino et Diaconus unum ex duobus thuribulis acceptum porriget Episcopo, qui SS. Sacramentum thurificabit. Diaconus et Subdiaconus in actione ista sublevabunt planetam Episcopi. Thurificato SS. Sacramento, Diaconus ab Episcopo thuribulum recipiet ac restituet thuriferario.

102. Caeremoniarius imponet humeris Episcopi velum humerale albi coloris, quod ei firmabitur ante pectus a Subdiacono.

103. Diaconus ascendet ad Altare et extrahet de custodia calicem cum SS. Sacramento, quem accipiet, dexteram apponens infra cuppam, sinistram infra pedem, convertetur ad Episcopum eique Calicem tradet.

104. Episcopus, adorato SS. Sacramento, assurget et accipiet Calicem, applicans sinistram nodo et dextram supra Calicem, qui a Ministris cooperietur extremitate veli humeralis. Diaconus, calice tradito Episcopo, statim genuflectet ad SS. Sacramentum, descendet de Altari et consistet a dextris Episcopi.

105. Convertetur Episcopus ad populum et cantores incipient cantare hymnum *Vexilla regis* etc. et processio ad Altare maius dirigetur ordine sequenti.

106. Subdiaconus gestans Crucem, medius inter Acolythos cum candelabris. Cantores, qui cantabunt hymnum praedictum. Clerus, capite nudato, et incedent bini. Seniores Cleri, qui sustinebunt intorticia, notando, ut sustineant intorticium de-

xtra, qui dextrorsum incedent et sinistra, qui sinistrorsum. Presbyter assistens, qui solus incedet et iunctis manibus. Ambo thuriferarii cum thuribulis, quae leviter agitantes, adolebunt SS. Sacramentum. Episcopus, qui gestabit SS. Sacramentum et a lateribus eius Diaconus et Subdiaconus, qui iunctis manibus, psalmos cum eo submissa voce dicent, sed in fine psalmorum omittent *Gloria Patri.* Episcopus egrediens de Sacello, incedet sub umbraculo hastili, ut supra, eumque sequetur clericus, qui deferet mitram.

107. Quando processio ad Altare maius pervenerit, Subdiaconus deponet Crucem prope Altaris parietem et recedet in Sacrarium ad sacras vestes dimittendas. Acolythi relinquent candelabra super abacum eoque loco geniculabunt. Clerus disponetur circa Altare in semicirculum, consistentibus prope Altare senioribus cum intorticiis. Quod nisi presbyterium capax esset Cleri totius, unusquisque recedet ad locum suum, nullam faciens salutationem seu reverentiam ad Crucem Altaris, quia gestatur in processionem SS. Sacramentum, et circa Altare consistent seniores tantummodo cum intorticiis ardentibus. Thuriferarii se sistent a lateribus ante Altare. Presbyter assistens accedet ad latus Evangelii et geniculabit a latere super infimum gradum.

108. Episcopus ante Altare quum venerit, tradet SS. Sacramentum Diacono, qui priusquam ad Altare perveniat, accelerabit duos tresve passus, ut adsit promptus ante illud. Diaconus, accepto SS. Sacramento, assurget et expectabit dum Episcopus genua flectat in pulvino posito super infimum gradum et SS. Sacramentum adoret.

109. Postea Diaconus Calicem acceptum, ut supra, deferet super Altare, expediet taeniam, qua ligatum erit velum nodo Calicis et expandet velum ipsum, quin tamen detegat Calicem et advertet ne moveatur patena superposita.

110. Subdiaconus expediet velum humerale Episcopi, quod tolletur ei a Caeremoniario et referetur ad abacum.

111. Diaconus redibit ad dextram Episcopi et geniculabit. Innuente Caeremoniario, assurget cum Diacono et primus thuriferarius appropinquabit Altari. Diaconus ministrabit in-

censum sine osculis Episcopo, qui sine benedictione imponet illud in thuribulum. Thuriferarius non genuflectens praesentabit thuribulum Episcopo, qui postquam incensum in thuribulum imposuerit, geniculabit iterum et accepto e manibus Diaconi thuribulo, incensabit SS. Sacramentum. Diaconus et Subdiaconus in actione ista attollent planetam Episcopi. Thuriferarius secundus, genuflexione facta, recedet in Sacrarium et deponet thuribulum, restante primo apud Altare.

112. Episcopus, thurificato SS. Sacramento, assurget cum Ministris, amovebitur a clerico pulvinus, in quo genuflexerit Episcopus, qui ascendet ad Altare. Diaconus ascendet ad dextram Episcopi, Subdiaconus ad dextram Diaconi et Presbyter assistens ad sinistram Episcopi, qui conscenso suppedaneo, genuflexionem conficient uno tantum genu.

113. Acolythus unus afferet ad Altare ampullas vini et aquae in pelvicula.

114. Ad Altare ut venerint Episcopus cum Ministris, Diaconus tollet velum de Calice, quod a clerico deferetur ad abacum. Diaconus dextra sustinebit patenam ac tollet de Calice pallam quoque. Episcopus Calicem accipiet et convertet ipsum versus patenam a Diacono sustentam et faciet effluere S. Hostiam super patenam ipsam. Si opus erit illam elevare digito, faciet hoc Episcopus, qui postea digitum purificabit in vasculo praeparato et absterget purificatorio. Diaconus patenam cum S. Hostia tradet sine osculis Episcopo, qui ea reverenter accepta, ponet S. Hostiam super corporale et in ipso relinquet patenam versus latus dexterum suum.

115. Deinde Diaconus accipiet calicem et recepta a Subdiacono ampulla vini, infundet aliquantulum vini in calicem et reponet ampullam in pelvicula. Subdiaconus accipiet ampullam aquae et non petita benedictione, duas tresve guttas infundet in calicem. Diaconus non absterget purificatorio guttas vini, quae forte possent adhaerere parti interiori calicis.

116. Acolythus supradictus recipiet ampullas easque reportabit ad abacum.

117. Subdiaconus, genuflexione facta ad Sacramentum, transibit ad sinistram Episcopi et genuflexionem iterabit.

118. Diaconus Calicem sine osculis tradet Episcopo, qui accipiet illum dextra et ponet super Altare, nullum faciens Crucis signum super corporale. Diaconus palla cooperiet calicem.

119. Thuriferarius, genuflexione facta, ascendet a latere ad Altare, tradet Diacono naviculam et offeret Episcopo thuribulum apertum, non tamen genuflectet. Diaconus incensum ministrabit Episcopo sine osculis, Episcopus autem imponet incensum in thuribulum, non recitans formulam usitatam.

120. Presbyter assistens amovebit ab Altari Missale cum cussino seu legili et genuflexione facta ad SS. Sacramentum, descendet a latere de Altari rediturus illuc deinde, peracta thurificatione.

121. Diaconus acceptum a thuriferario thuribulum tradet sine osculis Episcopo, qui thurificabit Oblata et Altare, ut in Missis solemnibus, recitans formulam *Incensum istud* etc. atque alteram *Dirigatur Domine* etc. Diaconus tollet calicem de medio corporali, quando Episcopus incensabit Crucem Altaris. Episcopus cum Ministris genuflexionem conficient in thurificatione Crucis et quando transibunt ante Altare. Diaconus et Subdiaconus attollent planetam Episcopi thurificantis Altare.

122. Hoc tempore in promptu stabunt familiares nobiles Episcopi, vel clerici duo cum instrumentis lotionis manuum.

123. Episcopus, thurificato Altari, tradet thuribulum Diacono, qui sine osculis illud recipiet ac restituet thuriferario. Thuriferarius immediate referet thuribulum in Sacrarium, siquidem nullus est amplius usus thuribuli in reliqua functione. Diaconus neque Episcopum incensabit neque ullum alium de Choro.

124. Episcopus tradens thuribulum Diacono, recitabit formulam *Accendat in nobis* etc. Descendet de suppedaneo et extra Altare, ne convertat humeros ad SS. Sacramentum, lavabit manus non recitans psalmum *Lavabo* etc. Diaconus et Subdiaconus sustinebunt ei mantile.

125. Postquam Episcopus laverit manus, ascendet rursus ad Altare et Diaconus ibit post eum, Subdiaconus post Diaconum. Quum venerint ad medium Altaris, suo quisque loco genuflexionem conficient ad SS. Sacramentum.

126. Tum Episcopus, manibus iunctis super Altare, recitabit elata voce orationem *In spiritu humilitatis* etc. eaque absoluta, genuflectet ad SS. Sacramentum, convertetur super dextram suam ad populum, dicet elata voce *Orate fratres, ut meum* etc. et non complens circulum, ne vertat humeros ad SS. Sacramentum, convertetur ad Altare et genuflexionem ad SS. Sacramentum iterabit. Neque a Subdiacono, neque ab alio respondebitur *Suscipiat Dominus* etc.

127. Post haec Episcopus tono feriali et iunctis manibus cantabit *Oremus. Praeceptis salutaribus* etc. et manibus expansis *Pater noster*. Responso a Choro *Sed libera nos a malo*, Episcopus elata voce subiunget *Amen*, ac manibus adhuc expansis recitabit pariter elata voce orationem *Libera nos* etc. cui a Choro respondebitur *Amen*.

128. Episcopus genuflectet ad SS. Sacramentum, Presbyter assistens geniculabit a sinistris, Diaconus a dextris Episcopi, Subdiaconus autem, quo loco erit, a tergo Episcopi. Episcopus, genuflexione facta ad SS. Sacramentum, ut supra, sinistra accipiet patenam, dextra S. Hostiam, et patenam sinistra sustinens, elevabit sola dextra S. Hostiam ita ut conspici possit ab adstantibus. Non attolletur a Diacono planeta Episcopi, non pulsabitur crotalum, neque thurificabitur SS. Sacramentum.

129. Dum Episcopus demittet S. Hostiam, Diaconus assurget, deteget Calicem, et Episcopus non iterans genuflexionem neque reponens S. Hostiam super corporale, admovebit patenam ad pedem calicis et dextra simul ac sinistra dividet s. Hostiam super Calicem, ut in aliis Missis, et posita parte dextera super patenam, tollet particulam de parte sinistra, quam manu sinistra iunget alteri parti super patena; immediate dextera manu infundet particulam in Calicem, nullum faciens Crucis signum nec recitans formulam *Pax Domini* etc.

130. Quando assurget Diaconus, assurget etiam Presbyter assistens, qui manebit apud librum, et Subdiaconus, qui ascendet ad dextram Diaconi.

131. Posita, ut supra, ab Episcopo particula in Calice, Diaconus Calicem palla cooperiet, et Episcopus cum Diacono ac Subdiacono conficient genuflexionem.

132. Episcopus manibus iunctis super Altari recitabit orationem *Perceptio Corporis tui* etc. Postea genuflectet, ut supra, cum Ministris, et accepta S. Hostia cum patena, percutiens pectus, dicet *Domine, non sum dignus, ut intres* etc. tribus vicibus. Se signabit, ut in aliis Missis, ad verba *Corpus* etc. et communicabit. Diaconus deinde deteget Calicem, et genuflexione facta, ut supra, Episcopus patena colliget super corporali fragmenta, quae ponet intra Calicem, nec signans se nec proferens verbum ullum, consummabit Calicem cum S. Particula.

133. Hoc tempore Acolythus afferet ad Altare ampullas vini et aquae in pelvicula.

134. Calice ab Episcopo consummato, consurget Clerus, extinguentur intorticia, quae a clericis referentur in Sacrarium.

135. Episcopus digitos vino et aqua purificabit super calicem et sumet etiam ablutionem, quae ministrabitur ei ut in aliis Missis.

136. Acolythus reportabit ampullas ad abacum. In promptu stabunt familiares nobiles Episcopi et iis absentibus, clerici duo cum instrumentis lotionis manuum Episcopi.

137. Subdiaconus transibit in latus Evangelii, absterget calicem, complicabit corporale et omnia referet ad abacum, ut in Missis solemnibus.

138. Diaconus reponet pileolum et mitram Episcopo, qui in latere Epistolae lavabit manus, sustinentibus ei mantile Diacono et Presbytero assistente.

139. Interim reponetur faldistorium in latere Epistolae ante gradus.

140. Episcopus lotis manibus, nudabitur mitra a Diacono, et veniens in medium ante Altare, iunctis manibus recitabit orationem *Quod ore sumpsimus* etc.

141. Presbyter assistens claudet librum et relinquet ipsum super Altari.

142. Episcopus de Altari descendet medius inter Ministros et postquam descenderit de gradibus, genuflexionem cum ipsis ad Crucem conficiet. Diaconus reponet mitram Episcopo, qui cum eisdem accedet ad faldistorium et in eo sedebit.

143. Postea Ministri, reverentia facta ad Episcopum, ac-

cedent ad abacum, ubi Presbyter assistens dimittet pluviale Diaconus stolam latiorem et manipulum, Subdiaconus planetam plicatam et manipulum. Tum redibunt ad Episcopum, quem exuent sacris paramentis.

144. Simulatque Episcopus de Altari descenderit et genuflexionem confecerit ad Crucem una cum Ministris, ascendent eo Acolythi, tollent Missale cum cussino seu legili, complicabunt tobaleam, quam removebunt de Altari et reportabunt ad abacum.

145. Clerici reportabunt ad Altare paramenta episcopalia.

146. Quando Episcopus dimiserit paramenta et resumpserit mantelletum, redibit ante Altare, orabit super pulvino posito in infimo gradu, et revertetur in Sacrarium cum Ministris et clericis, ut in accessu ad Altare; vel accedet ad primum chori subsellium ad recitandas Vesperas.

147. Discedent hoc casu Ministri, ordine supra dicto et recitabuntur Vesperae.

148. Profectis Ministris cum clericis, Sacrista vel alius operam dabit tollendis de Altari paramentis Episcopi et denudando abaco.

149. Si Episcopus paramenta dimittet in Sacrario, Diaconus celeriter deponet stolam latiorem et resumet planetam plicatam, dum ab Episcopo recitabitur oratio *Quod ore* etc. deinde reversus ad Altare, comitabitur Episcopum in Sacrarium.

150. Hoc casu praecedent clerici bini, tum Subdiaconus, postea Episcopus cum Diacono a sinistris et Presbytero assistente a dextris, sequente Cappellano a mitra. Ingressi in Sacrarium, conficient omnes reverentiam, non genuflexionem ad Crucem. Episcopus apud faldistorium vel sedem ibi praeparatam sacra paramenta dimittet.

151. Clerus remanebit in choro, recitaturus Vesperas.

CAPUT XIII.

De rebus praeparandis.

1. Altare maius ornabitur tobaleis, pallio albi coloris cui superponetur alterum violaceum, quod cooperiat totaliter primum et amoveri possit faciliter. Super Altare sex candelabra nobilia cum cereis albi coloris et in medio ipsorum Crux aequalis candelabris. Tabula picta, sive imago sacra Altaris cooperta adhuc erit velo violaceo, quod ita aptabitur, ut possit tuto et facile removeri. Gradus Altaris contegentur tapeto nobili, cui superponetur alterum coloris violacei, tollendum quum tempus erit. Super mensam Altaris disponentur paramenta omnia violacei coloris utenda ab Episcopo, videlicet manipulus, planeta, chirothecae in lance, dalmatica ac tunicella, pluviale cum stola, Crux pectoralis, cingulum, alba et amictus, quae cooperientur velo violaceo. In latere Evangelii, mitra auriphrygiata cum vimpa pro cappellano ipsius.

2. Super infimum gradum ponetur in medio pulvinar violaceum, in quo genuflectet Episcopus.

3. In latere Epistolae ante gradus statuetur faldistorium instructum veste albi coloris et super ipsam altera violacea.

4. In latere Evangelii prope parietem aderit candelabrum cum cereo paschali et eius ellychnium erit extans, ut facile accendi possit. Prope candelabrum ipsum aderit scabellum gradatum, commodum, cuius ope possint a Diacono grana thuris infigi cereo praedicto. Ante candelabrum, legile maioris formae, ornatum panno sericeo nobili coloris albi.

5. Inter Altare et candelabrum praeparabitur basis, in qua tempore debito firmabitur arundo cum tricereo.

6. In latere Epistolae, abacus coopertus alba tobalea, in quo disponentur res sequentes, videlicet candelabra duo cum cereis albis pro Acolythis; calix cum purificatorio, patena,

hostia, palla et corporali intra bursam albi coloris; ampullae vini et aquae in pelvicula cum campanula, intorticia pro elevatione; velum humerale album Subdiaconi; gremiale album Episcopi; manipuli albi coloris Ministrorum; pluviale albi coloris Presbyteri assistentis; Evangeliarium ornatum veste albi coloris cum manipulo Episcopi; Epistolarium cum veste albi coloris; Missale veste simili ornatum, utendum ab Episcopo in Missa, cum cussino albo vel legili nobili; liber cum cantu Praeconii sive *Exultet* instructum veste alba; Missale utendum in cantu prophetiarum cum veste coloris violacei; Missale utendum ab Episcopo in functione Missam praecedente instructum veste violacea; canon pontificalis; scotula cum candela accendenda quum accendentur cerei Altaris; gremiale coloris violacei in usum Episcopi; pluviale violaceum Presbyteri assistentis; planetae duo plicatae, stola coloris violacei et manipuli similes pro Ministris; thuribulum cum navicula; vasculum aquae sanctae cum aspersorio; grana thuris cereo infigenda in lance; urceus cum pelvi; mantile in lance. Res omnes albi coloris disponentur tali modo, ut contegantur uno velo violaceo. Praeparabuntur etiam paramenta albi coloris assumenda ab Episcopo; ea sunt mitra pretiosa, planeta, chirothecae in lance, dalmatica, tunicella et stola, quae reposita in canistro, collocari poterunt subter abacum, ponenda postea super Altare, ut docebitur inferius.

7. Prope latus Epistolae aderit scamnum Ministrorum, convestitum tapeto coloris violacei laneo, quod postmodum mutabitur cum altero tapeto ex panno rubro, vel alius coloris.

8. Scabellum cum Missali, quod adhibebitur in cantu Litaniarum.

9. Hastae cum gossipio cerato ad accendendas suo tempore candelas. Bene dispositae erunt lampades accendendae, ut monebimus infra.

10. Legile maioris formae nudatum, ad cantandas prophetias.

11. In Sacrario aderit sedes cameralis, superposita exiguo tapeto, in usum Episcopi, et disponentur paramenta albi coloris Ministrorum, videlicet dalmatica et stola pro Diacono, tunicella

pro Subdiacono; caligae et sandalia albi coloris in lance, assumenda ab Episcopo; altera dalmatica cum stola et manipulo pro Diacono; planeta plicata, violacei coloris cum manipulo simili pro Subdiacono; amictus, albae et cingula duo, stola una violacea pro Ministris eisdem; Superpellicea numero sufficienti pro clericis inservientibus; Crux processionalis; arundo; aliquantulum gossipii cerati cum sulphuratis in lance; canon pontificalis.

12. De fontibus lustralibus apud portas tolletur aqua sancta (si adhuc servabatur) et fontes purgabuntur diligenter.

13. Extra portam Ecclesiae praeparabitur focus ferreus vel cupreus cum igne accendendo, et instrumenta ad eliciendam ex silice favillam, ad accendendum et sumendum ignem.

14. Si Ecclesia habuerit baptisterium, aperietur fons baptismalis et implebitur aqua benedicenda, et pars externa fontis ornabitur floribus recentibus et herbis odoris.

15. Extra baptisterium disponentur scamna in usum Cleri, quae tamen erunt distincta, si Ecclesia fuerit Collegiata vel Cathedralis. Prope fontem in capite scamnorum Cleri praeparabitur faldistorium cum veste violacei coloris et scabella duo pro Ministris a lateribus faldistorii. Apud baptisterium aut intra ambitum eius, aut extra pro amplitudine loci, super abaco alba tobalea contecto, praeparabuntur ampullae S. Chrismatis et Olei sacri Catechumenorum in lance; urceus cum pelvi et mantile; medulla panis et mali medici in lance; vasculum vacuum cum aspersorio; paramanus seu velum album alligandum cereo in usum Episcopi; Missale cum veste violacea, nisi Episcopus utatur eo ipso Missali, quo in reliqua functione ad Altare; vasa ad extrahendam aquam benedictam et infundendam in fontes lustrales ecclesiae; stola violacea Parochi, qui debebit adstantes aspergere. Quod si Episcopus baptismum etiam collaturus esset infantibus aut adulto alicui, observabitur quod traditum est cap. XX. lib. V. num. 10. et 11. relate ad dispositiones in hac functione sumendas.

16. Si Ecclesia fuerit Cathedralis aut Collegiata et Capitulum gaudeat usu capparum cum pellibus, monebuntur Canonici ceterique, ut cappas cum pellibus dimittant et induant cappas sericeas vel superpellicia, quando innuetur eis.

17. Dum recitabuntur in choro Horae minores, Episcopus in Sacrario, sedens sede ibi praeparata recitabit preces et orationes ad Missae praeparationem eique a cubiculario suo ponentur caligae et sandalia albi coloris.

18. Quando recitabitur hora Sexta, clerici duo superpellicio induti, extra ecclesiam accendent ignem, utentes ignario et silice ad eliciendam flammam.

19. Interim in Sacrario Ministri sacri, adiuvantibus Acolythis, se parabunt amictu, alba, cingulo et Diaconus assumet etiam stolam diaconalem violacei coloris.

20. Recitata in choro Hora Nona, procedent ad Altare Episcopus cum Ministris praedictis, sequentibus clericis, servato ordine innuto in functionibus praecedentibus.

21. Episcopus post brevem orationem accedet ad faldistorium et Diaconus, adiuvante Subdiacono, exuet ei Crucem pectoralem, mantelletum vel mozzetam. Familiares nobiles Episcopi, et iis absentibus, clerici duo ministrabunt ei lotionem et Episcopus lavabit manus.

22. Interea distribuentur clericis paramenta episcopalia.

23. Lotis ab Episcopo manibus, clerici antedicti porrigent paramenta Diacono, qui adiuvante Subdiacono, induet Episcopo amictum, albam, cingulum, Crucem pectoralem, stolam et pluviale, deinde eius capiti imponet mitram auriphrygiatam.

24. Hoc ipso tempore clericus unus accipiet Missale cum veste violacea, utendum ab Episcopo, alter accipiet grana thuris infigenda cereo, tertius vasculum aquae sanctae, quartus thuribulum vacuum cum navicula et se disponent ad lineam a sinistris faldistorii prope Subdiaconum.

25. Parato Episcopo, qui duo clerici accenderint ignem extra portam ecclesiae, accipient focum et forcipes, eumque afferent ad Altare et collocabunt ante Episcopum, longe ab ipso aliquot passus. Animadvertent, ut supponant foco scabellum ligneum, si forte focus careret tripode ferreo satis alto, ne laedantur tapeta.

26. Igne ante Episcopum delato, Diaconus exuet ei mi-

tram, eique se sistet clericus, qui librum apertum sustinebit ante ipsum, stans tamen versus sinistram eius.

27. Episcopus assurget ac mediocri voce recitabit tres orationes in Missali notatas ad benedictionem ignis. Post orationem tertiam se sistet ei clericus cum granis incensi, quae Episcopus benedicet, recitans orationem *Veniat quaesumus Domine* etc. non praemittens *Oremus*, ut in ceteris orationibus.

28. Hoc tempore thuriferarius accipiet ex foco ignem eumque imponet in thuribulum et se adiungens clerico, qui sustinebit vasculum aquae sanctae, accedet ad dextram Diaconi.

29. Post supradictam orationem quartam, Episcopus sedebit sine mitra, thuriferarius ei praesentabit thuribulum, Diaconus cum osculis ei ministrabit incensum, quod ipse iniiciet in thuribulum, cum benedictione usitata. Episcopus assurget, accipiet a Diacono aspersorium aqua sancta perfusum, quo asperget ignem, deinde grana, prius in medio, postea a dextris et a sinistris suis, recitans submissa voce antiphonam *Asperges me* etc. Tum restituet aspersorium Diacono, a quo recipiet thuribulum atque adolebit ignem et grana, ut supra. Reddito thuribulo Diacono, sedebit faldistorio et ab ipso Diacono cooperietur mitra.

30. Interim ambo clerici, qui focum cum igne attulerint, transferent illum extra presbyterium et collocabunt in angulo ecclesiae vel asportabunt in Sacrarium, ut locus detur fidelibus sumendi aliquam particulam ignis benedicti et domum suam deferendi, pietatis ergo.

31. Thuriferarius et clericus, qui sustinebit grana, coibunt cum Diacono ac Subdiacono, quibus se adiunget etiam clericus a vasculo, quod reponet super abacum, et iunctim facta ad Episcopum reverentia, deinde ad Crucem genuflexione, postea reverentia ad Chorum, recedent in Sacrarium. Ministros antecedent tres praedicti clerici.

32. Ingressi in Sacrarium, Diaconus dimittet stolam violaceam atque induet manipulum, stolam et dalmaticam albi coloris; Subdiaconus autem assumet manipulum cum planeta plicata coloris violacei. Clericus qui prius portabat vasculum, accipiet arundinem cum tricereo in eius summitate eamque tradet Dia-

cono, deinde accipiet Crucem processionalem et tradet Subdiacono, postremo sumet gossipium ceratum aut candelulam, quam accendet ex igne thuribuli. Si commodius videbitur, deferetur gossipium ceratum seu candelula accensa in laterna, ne extinguatur.

33. Proficiscentur ad ostium ecclesiae ordine sequenti: thuriferarius cum thuribulo a sinistris clerici deferentis grana thuris; sequetur Subdiaconus gestans Crucem; ultimo loco incedet Diaconus cum arundine et a sinistris clericus cum candela, seu gossipio cerato ardenti.

34. Quum pervenerint ad ostium ecclesiae, conversi eodem ordine ad Altare, subsistent: Diaconus, demissa arundine, faciet ut clericus sustinens gossipium ceratum ardens accendat unam ex tribus candelis, qua accensa et erecta arundine, Diaconus geniculabit et cum ipso clerici omnes, excepto Subdiacono sustinente Crucem.

35. Diaconus statim ac genuflexerit, cantabit tono praescripto *Lumen Christi* et Chorus respondebit *Deo gratias*. Ad verba antedicta *Lumen Christi*, Chorus nudabit caput et consurget, quod ipsum faciet reliquis duabus vicibus, ut infra. Episcopus autem assurget, sed retinebit in capite mitram neque convertetur ad Altare. Responso a Choro *Deo gratias*, assurget Diaconus cum ceteris, ut supra, et procedent ad medium ecclesiae ibique subsistent et Diaconus inclinabit arundinem, iubebit accendi candelam alteram, geniculabit, cantabit *Lumen Christi*, elevans vocem hemitonio; respondebitur a Choro *Deo gratias*, atque omnia fient, ut supra dictum est. Denique Diaconus cum ceteris procedent ulterius et consistent ante ingressum Presbyterii; ibique ut supra, accendetur tertia candela et Diaconus efferet vocem altero etiam hemitonio dum dicet *Lumen Christi*.

36. Venient ante Altare et clericus sustinens gossipium ceratum ardens, extinguet illud. Subdiaconus cum Cruce consistet a dextra versus latus Epistolae, Diaconus in medio et arundinem tradet clerico antedicto, qui restabit ante Altare a sinistra, seu versus latus Evangelii; clericus alter, qui sustinebit grana, consistet a sinistra illius, qui sustinebit arun-

dinem, thuriferarius a dextris Diaconi. Quum tali modo fuerint dispositi ante Altare, Diaconus genuflexionem ad Crucem faciet, appropinquabit dextrae Episcopi eique ministrabit incensum, quod ille imponet in thuribulum cum benedictione consueta; accedet deinde ad abacum et accepto libro Praeconii, veniet ante Episcopum, geniculabit ad pedes eius et benedictionem petet, dicens *Iube Domne benedicere.* Episcopus respondebit *Dominus sit* etc. legens formulam ex Missali, quod ei sustinebit apertum clericus, deinde Episcopus donabit ei benedictionem dicens *In nomine Patris* etc. Diaconus tamen non osculabitur manus eius.

37. Diaconus, reverentia facta ad Episcopum, redibit ante Altare ut se adiungat Subdiacono et reliquis. Ante Altare reversus, conficiet cum ceteris genuflexionem ad Crucem Altaris, excepto Subdiacono et clerico qui sustentabit arundinem et accedent ad legile praeparatum ante Cereum paschalem.

38. Subdiaconus consistet a dextra legilis, clericus cum arundine a sinistris legilis, clericus cum granis incensi a sinistris eius qui portabit arundinem, omnesque stabunt facie ad Diaconum conversa. Diaconus autem consistet ante legile, facie versa ad Cereum, et librum apertum ponet supra legile. Accipiet a thuriferario thuribulum et adolebit librum in medio, a dextris et a sinistris suis, ut in cantu Evangelii.

39. Statim ac pervenerit Diaconus ad legile, Caeremoniarius exuet mitram Episcopo, qui assurget et convertetur ad Diaconum qui cantabit *Exultet.* Omnes alii, qui aderunt in choro, nudabunt caput et consurgent.

40. Diaconus, libro thurificato, ut supra, iunctis manibus cantabit *Exultet* et prosequetur usque ad illa verba *curvat imperia.* Tunc enim cessabit a cantu; Episcopus sedebit faldistorio, et Caeremoniarius reponet ei mitram. Sedebit etiam Chorus, eodemque modo se geret deinceps in reliquis actionibus Diaconi.

41. Diaconus, abrupto cantu, appropinquabit Caeremoniario, ascendet in scabellum gradatum et infiget Cereo quinque grana thuris, quae porriget ei clericus illorum custos, et affiget ea ad instar Crucis in foraminibus iam in ipso Cereo effectis, nempe primum in summitate, alterum in medio infra pri-

mum, tertium inferius subter secundum, quartum a dextra secundi versus navem ecclesiae, quintum a sinistra secundi versus Altare maius.

42. Diaconus postquam Cereo grana thuris, ut supra, infixerit, de scabello descendet, reveniet ad legile ibique prosequetur ad verba *In huius igitur noctis gratia* etc.

43. Dum Diaconus descendet de scabello, Caeremoniarius exuet mitram Episcopo, qui assurget et conversus stabit versus Diaconum.

44. Diaconus, redintegrato cantu, prosequetur usque ad verba *ignis accendit,* quibus cantatis, abrumpet cantum, accipiet a clerico arundinem, eaque ad Cereum admota, accendet ipsum ex una candelarum arundinis. Episcopus et Chorus sedebit; et consurget quando Diaconus resumet cantum.

45. Accenso Cereo, Diaconus redibit ad legile et resumet cantum a verbis *Qui licet sit divisus* etc. usque ad illa *Apis mater eduxit.*

46. Interim clericus unus ex Cereo accendet gossipium ceratum et quando Diaconus cantaverit ultima praedicta verba et pausam interposuerit, ille accendet lampades Altaris maioris et reliquas per ecclesiam. Hoc tempore Episcopus et Chorus sedebunt, ut supra, et consurgent, quando cantus a Diacono continuabitur.

47. Accensis lampadis Altaris maioris et aliis quae non longe sitae erunt ab Altari eodem, Diaconus redintegrabit cantum a verbis *O vere beata nox* eumque prosequetur usque ad finem Praeconii. Meminerit autem omittere verba illa *Respice etiam ad devotissimum* etc. quae licet inserta sint in Missali, tamen antiquata sunt, quemadmodum saepius declaravit S. Rituum Congregatio. In fine Praeconii a cantoribus respondebitur *Amen.*

48. Episcopus sedebit et cooperietur mitra a Caeremoniario: sedebit item Clerus in choro. Diaconus claudet librum, quem relinquet super legili; Subdiaconus tradet Crucem clerico, qui deponet eam prope parietem; alter autem clericus sustinens arundinem, imponet eam basi.

49. Diaconus et Subdiaconus conficient iunctim genuflexionem ad Crucem Altaris, accedent ad abacum et transeuntes

ante Episcopum salutabunt ipsum. Apud abacum autem Diaconus dimittet vestes sacras albi coloris, quae statim referentur in Sacrarium et induet stolam diaconalem violacei coloris: Subdiaconus dimittet planetam plicatam et manipulum.

50. Interea distribuentur clericis paramenta episcopalia violacei coloris, videlicet tunicella, dalmatica, chirothecae, planeta et manipulus.

51. Presbyter assistens, indutus superpellicio, appropinquabit Episcopo et cum osculis consuetis extrahet annulum ex digito eius.

52. Diaconus et Subdiaconus revertentur ad Episcopum, iterabunt reverentiam versus eum, exuent ei mitra ac pluviale et induent eum tunicella, dalmatica, chirothecis et planeta. Pluviale Episcopi deponetur super abacum, non super Altare.

53. Dum parabitur Episcopus, curae erit clerico alicui tollere pannum albi coloris cum libro ex legili, quo usus erit Diaconus ad cantandum *Exultet* et referre ea omnia in Sacrarium. Clericus alter accipiet legile nudum et ponet ipsum in medio choro eique superponet Missale, abhibendum in cantu prophetiarum. Caeremoniarius unus praesto erit in choro prope locum primi cantoris prophetiarum.

54. Quando Episcopo induentur chirothecae, Presbyter assistens apud abacum induet pluviale violacei coloris et custodiet apud se annulum episcopalem.

55. Episcopo planeta parato Subdiaconus imponet manipulum in brachium sinistrum, deinde Diaconus imponet eius capiti mitram. Ministri praedicti salutabunt Episcopum et accedent ad abacum, ubi induent manipulum et planetam plicatam.

56. Presbyter assistens, profectis Ministris, se sistet Episcopo et cum debitis reverentiis atque osculis inseret annulum digito eius, tum recedet apud abacum. In promptu stabit clericus cum Missali utendo ab Episcopo et clericus alter cum gremiali coloris violacei.

57. Ministri revertentur ad Episcopum, eoque salutato, consistent a lateribus eius, Diaconus nempe a dextris, Subdiaconus a sinistris.

57. A Innuente Caeremoniario, assurget Episcopus de faldistorio et procedet ad Altare medius inter Ministros, sequente clerico custode mitrae. Priusquam perveniat ante Altare, reverentiam faciet ad Chorum; ante Altare autem progressus, dimittet mitram per Diaconum. Episcopus reverentiam, Ministri genuflexionem ad Crucem conficient et iunctim ascendent ad Altare. Episcopus Altare osculabitur in medio. Diaconus reponet mitram Episcopo; tum iterata respective reverentia aut genuflexione, descendent a latere de Altari et revenient ad faldistorium (a). Hoc tempore Chorus stabit et sedebit, quando sederit Episcopus.

58. Caeremoniarius chori invitabit cantorem primae prophetiae eumque deducet in medium chorum seu presbyterium ad legile praeparatum et genuflexionem ad Altare ac reverentiam ad Chorum iunctim conficient.

59. Quod spectat ad ordinem cantus prophetiarum, advertetur, ut seniores cantent ultimas, iuniores primas. Si dicetur tractus post prophetiam, cantor cum Caeremoniario conficient genuflexionem ad Altare et reverentiam ad Chorum ac redibunt ad locum suum. Si tractus aberit, expectabunt donec Diaconus cantet *Flectamus genua*, priusquam conficiant genuflexionem ad Altare et reverentiam ad Chorum. Promptus esse debet cantor secundus, dum cantatur oratio post prophetiam primam, ut incipiatur cantus prophetiae secundae statim post cantum orationis primae.

60. Episcopus ad faldistorium reversus sedebit et a Diacono imponetur super eius genua gremiale.

61. Se sistet Episcopo clericus cum Missali, quod ei sustinebit apertum, ex quo Episcopus leget primam prophetiam. Episcopo legenti Diaconus adstabit dextrorsum, Subdiaconus sinistrorsum et Presbyter assistens consistet a dextris clerici sustinentis librum, ut folia Missalis evolvat.

62. Simulatque Episcopus legere incipiet, cantor prophetiae

(a) In Sacello Pontificio et in Patriarchalibus, Episcopus dum cantantur prophetiae, sedet in suppedaneo Altaris, ut feria VI. in Parasceve. Secuti tamen sumus dispositionem Caeremonialis, quod statuit debere Episcopum sedere in sua sede eminenti, quam relate ad Episcopum extraneum supplet faldistorium positum in latere Epistolae ante Altare, siquidem ibi sedet etiam in Missarum solemnium introitu, cuius locum in officio huius diei supplent prophetiae.

primae inchoabit cantum ipsius eumque prosequetur usque ad finem, tono pro lectionibus praescripto.

63. Postquam Episcopus legerit prophetiam, clericus claudet librum, reverebitur Episcopum et recedet post faldistorium, sustenturus postea librum Episcopo, qui cantabit orationes.

64. Presbyter assistens, Diaconus et Subdiaconus, coeuntes ante Episcopum, salutabunt eum et sedebunt scamno ipsis praeparato, ordine descripto in Missa pontificali.

65. Quando parum aberit ut absolvatur cantus prophetiae primae, Caeremoniarius innuet Ministris, qui consurgent, redibunt ante Episcopum, salutabunt eum et consistent ante ipsum.

66. Simulatque cantor finiverit cantum prophetiae, Diaconus tollet Episcopo gremiale et mitram. Presbyter assistens transibit ad dexteram faldistorii, ut in Missali, quod apertum clericus sustinebit, indicet Episcopo orationem cantandam. Diaconus locum sumet a tergo Episcopi; Subdiaconus a tergo Diaconi.

67. Episcopus assurget, convertetur ad Altare, cantabit *Oremus*, Diaconus *Flectamus genua* et genuflectent omnes, excepto Episcopo, Presbytero assistente et clerico sustinente librum Episcopo; Subdiaconus autem subiunget *Levate*, omnesque consurgent. Episcopus cantabit orationem primam tono feriali et manibus expansis.

68. Interim Caeremoniarius chori reducet ad locum eius cantorem primae prophetiae, invitabit cantorem secundae, quem comitabitur ad legile in medium chorum seu presbyterium, ut incipiatur cantus prophetiae secundae statim ac sederit Episcopus eique reposita fuerit mitra.

69. Episcopus, postquam cantaverit orationem primam et responsum fuerit *Amen* a Choro, iterum sedebit faldistorio.

70. Cantabitur prophetia secunda et Episcopus leget illam, atque omnia peragentur ut in prima, et sic deinceps in reliquis cum eo tantum discrimine ut, quum cantandus sit tractus post quartam, octavam et undecimam, Ministri assurgant, ituri ad Episcopum sub finem cantus praedicti tractus. Ante unamquamque orationem, quae sequetur prophetiam, cantabitur *Flectamus genua* et *Levate*, excepta ultima, in qua post *Oremus* immediate ab Episcopo subiungetur oratio.

71. Si in ecclesia aderit fons baptismalis ac si conferetur baptismum infantibus vel adultis, dum canentur prophetiae, fient super illos exorcismi a prima Dignitate vel a Parocho, pro consuetudine cuiusque ecclesiae, servatis iis quae notata sunt capit. XX. lib. VI. num. 172.

72. Si benedicendus erit fons baptismalis, sub finem prophetiae duodecimae accendentur cerei in candelabris Acolythorum et praesto erunt clerici duo ad tollendum de candelabro Cereum paschalem.

73. Ad orationem post ultimam prophetiam in promptu stabunt clerici recepturi paramenta episcopalia et alter cum pluviali ab Episcopo utendo.

74. Completa ultima oratione, Episcopus sedebit faldistorio et a Diacono cooperietur mitra.

75. Diaconus autem et Subdiaconus, reverentia facta ad Episcopum, recedent ad abacum ibique dimittent planetam plicatam et manipulum. Presbyter assistens reverentiam faciet Episcopo, accedet ad abacum, dimittet pluviale et ab assistentia recedet.

76. Redibunt ad Episcopum Diaconus et Subdiaconus eique iterata reverentia, consistent a lateribus eius. Diaconus tollet ei annulum et mitram atque adiuvante Subdiacono exuet eum planeta, chirothecis, dalmatica, tunicella; tum induet ei pluviale, reponet mitram et annulum. Diaconus et Subdiaconus salutabunt Episcopum et revertentur ad abacum resumpturi planetam plicatam, non vero manipulum.

77. Dum a Ministris exuetur Episcopus, tolletur Cereus de candelabro et acceptus a clerico deferetur ad ingressum presbyterii; itemque clericus alter accipiet Crucem processionalem, cum ipso coibunt Acolythi cum candelabris ardentibus et venient in ingressum presbyterii. In promptu erunt etiam cantores superpellicio induti, qui secum habebunt librum seu libros cum tractu *Sicut cervus* etc. cantando dum procedetur ad fontem.

78. Paramenta, quae dimittet Episcopus, reponentur a clericis super Altare.

79. Ministri, resumpta planeta plicata, venient ante Epi-

scopum, salutabunt ipsum et consistent Diaconus a dextris eius, et Subdiaconus a sinistris.

80. Ad baptisterium procedetur ordine sequenti. Clericus deferens Cereum paschalem incedet ante Crucem; clericus gestans Crucem processionalem medius inter Acolythos cum candelabris ardentibus; cantores, qui cantabunt tractum *Sicut cervus* etc. Clerus, omnibus incedentibus binis, ac si distinctus in coetus erit, et seu Canonicorum seu Beneficiariorum numerus dispar erit, incedent terni ultimo loco; sequetur Episcopus, a cuius dextris Diaconus, a sinistris Subdiaconus, uterque sustentans fimbriam pluvialis eius; tum clericus a mitra et alter deferens Missale in usum Episcopi; familiares nobiles Episcopi, si aderunt; postremo Praelati, qui tamen si addicti erunt Capitulo, incedent inter Canonicos.

81. Quando Crux cum Acolythis et Cereus pervenerit prope fontem, subsistent tali modo, ut Crux stet in conspectu Episcopi. Clerus locum sumet apud scamna praeparata, vel disponetur iuxta capacitatem loci, advertendo ut digniores Cleri stent propius Episcopum. Episcopus autem consistet extra ingressum baptisterii et Diaconus exuet mitram Episcopo, qui iunctis manibus ac tono feriali ex Missali, quod ei sustinebitur a clerico, cantabit orationem *Oremus. Omnipotens sempiterne Deus* etc.

82. Post haec Episcopus ordine supradicto ingredietur in septum baptisterii, appropinquabit fonti et cantabit orationem ac praefationem iunctis manibus et tono feriali atque omnes peraget actiones praescriptas in aquae benedictione, quae quia reperiuntur notatae in capit. XX. lib. VI. num. 143. supersedemus eas hoc loco repetere.

83. Aqua in fonte baptismali benedicta, Episcopus priusquam in eam infundat Olea sacra, cooperietur mitra a Diacono et iunctim cum Ministris accedet ad faldistorium praeparatum prope fontem et sedebit; Ministri quoque sedebunt scabellis praeparatis a lateribus faldistorii.

84. Duo pluresve clerici extrahent vasis aquam benedictam ex fonte eamque deferent ad fontes lustrales et in eos infundent, advertentes ut supersit in fonte sufficiens quantitas eiusdem aquae ad administrandum baptismum.

85. Alter etiam clericus implebit vasculum vacuum iam praeparatum super abaco cum aspersorio et se dextrae adiunget dignioris Cleri sive Parochi, qui ad hoc induet stolam.

86. Dignior Cleri seu Parochus cum clerico praedicto se sistet Episcopo eique porriget cum osculis aspersorium aqua sancta perfusum, quod acceperit a clerico eodem. Diaconus exuet mitram Episcopo, qui accepto aspersorio, prius signabit seipsum, post asperget digniorem Cleri, sive Parochum, Diaconum et Subdiaconum, qui accipientes aspersionem se profunde inclinabunt vel procumbent in genua, nisi fuerint Canonici.

87. Dignior praedictus, sive Parochus recipiet cum osculis aspersorium ab Episcopo, qui sedebit iterumque a Diacono mitra cooperietur. Postea dignior idem, seu Parochus, comitante clerico supradicto, asperget singillatim Canonicos et ceteros de Clero, denique per ecclesiam incedens asperget populum. Absoluta autem adstantium aspersione, Episcopus cum Ministris accedet ad fontem baptismalem et infundet in illum Olea sacra, quo modo traditum est capit. XX. lib. VI. num. 166.

88. Si administrandum erit baptismum sive infantibus sive adultis, Episcopus peraget quae praescripta sunt loco citato, et postquam administraverit baptismum et confirmationem etiam adultis, resumet pluviale coloris violacei, eodemque ordine ut supra dictum est, revertetur ad Altare.

89. Dum peragetur benedictio fontis baptismalis, curae erit Sacristae cum clericis Sacrario inservientibus, tollere tapetum violaceum de gradibus Altaris maioris et stragulum de scamno Ministrorum; ponere super Altare paramenta albi coloris ab Episcopo utenda, quae cooperiet velo violaceo; amovere legile adhibitum in cantu *Exultet* et alterum in cantu prophetiarum; collocare faldistorium pro Episcopo ante gradus Altaris cum pulvino ad genuflectendum; praeparare seorsim scabellum cum Missali in usum cantorum ad cantandas Litanias.

90. In reditu Cleri ad Altare, clericus qui gestabit Cereum paschalem ante Crucem processionalem, rursus imponet illum super candelabrum et amovebit a candelabro scabellum, quo usus erit ad collocandum in eo Cereum. Acolythi reponent

super abacum candelabra ardentia et clericus, qui sustinebit Crucem processionalem, ponet eam seorsim vel in basi illius. Ceteri de Clero ad suum quisque locum se recipient. Episcopus subsistet ante faldistorium; Ministri autem comitati Episcopum ad faldistorium ipsum, recedent ad abacum ubi dimittent planetas plicatas; tum revertentes ad Episcopum, exuent ei pluviale. Presbyter assistens aderit prope abacum ibique manebit genibus flexis pro Litaniis. (a).

91. Si Ecclesia carebit fonte baptismali, quum post prophetias immediatae cantandae sint Litaniae, sequens methodus tenebitur. Tolletur de medio choro seu presbyterio legile adhibitum in cantu prophetiarum et ponetur eodem loco scabellum cum Missali pro cantoribus Litaniarum. In promptu habebitur pulvinar utendum ab Episcopo in prostratione et unus aut duo clerici asportabunt faldistorium ante Altare, quando assurget Episcopus. Cantata oratione post duodecimam prophetiam, Episcopus sedebit faldistorio eique reponetur mitra a Diacono. Presbyter assistens, Diaconus et Subdiaconus salutabunt Episcopum et recedent ad abacum. Presbyter assistens dimittet pluviale et manebit prope abacum; Diaconus et Subdiaconus dimittent manipulum et planetam plicatam, tum revertentur ad Episcopum, quem salutabunt. Diaconus tollet mitram Episcopo, et adiuvante Subdiacono, exuet ei manipulum atque planetam: postea Diaconus reponet ei mitram.

92. Episcopus, innuente Caeremoniario, assurget ac discedet de faldistorio medius inter Ministros, et reverentia facta ad Chorum, procedet ante Altare. Clericus unus ponet pulvinar in faldistorio ante Altare. Episcopus ante Altare quum venerit, geniculabit ac procumbet super faldistorium; Ministri geniculabunt a lateribus eius, item geniculabunt omnes in choro praesentes.

93. Cantores duo genuflexi in medio choro cantabunt Litanias ritu duplici, nempe respondebitur a Choro versiculus idem, quem cantaverint cantores. Ad versiculum *Omnes Sancti et Sanctae Dei* etc. consurgent Ministri et recedent in Sacra-

(a) Vide adnotationem subiectam num. 92. cap. 27. lib. II.

rium, ibi exuent sibi paramenta violacea et induent paramenta albi coloris ac redibunt ad Altare, advertentes ut adsint ibi, quando cantabitur ℣. *Peccatores.*

94. Cantores, qui cantabunt *Litanias*, curabunt ut protrahant aut brevient notas versiculorum illarum, prout maiori vel minori solicitudine peragendae erunt actiones. Ad praedictum ℣. *Omnes Sancti* etc. distribuentur clericis paramenta albi coloris induenda ab Episcopo et aderunt alii clerici, qui recipiant paramenta coloris violacei eaque deferant in Sacrarium.

95. Ad ℣. *Peccatores* redibunt ad Altare Ministri, assurget Episcopus et a clericis tolletur faldistorium et pulvinar: faldistorium reponetur loco solito in latere Epistolae, exuetur tegumento violaceo et relinquetur album. A Sacrista et clericis inservientibus amovebitur ab Altari pallium violaceum, quod referetur in Sacrarium, et relinquetur alterum albi coloris. Ab Acolythis accendentur cerei in Altari. Praeterea tolletur quodcumque stragulum, sive pannus sericeus coloris violacei tum de Altari, tum de abaco etiam et choro.

96. Ubi Episcopus assurrexerit, Presbyter assistens tollet ei annulum, recedet ad abacum et induet pluviale albi coloris.

97. Diaconus, adiuvante Subdiacono, exuet Episcopo paramenta coloris violacei eaque tradentur clericis, a quibus referentur in Sacrarium; deinde ipsum induet paramentis albi coloris, videlicet stola, tunicella, dalmatica, chirothecis et planeta, postremo cooperiet eum mitra pretiosa.

98. Diaconus cum Subdiacono, parato Episcopo, accedent ad abacum, imponetur eorum brachio sinistro manipulus et revertentur ad Episcopum, nempe Diaconus ad sinistram eius, Subdiaconus ad sinistram Diaconi.

99. Presbyter assistens, quando Ministri accedent ad abacum, accepturi manipulum, procedet ad Altare, imponet cum osculis annulum Episcopo et consistet a dextris eius.

100. Reversis, ut supra, ad Altare Diacono et Subdiacono, et comlpeto a cantoribus cantu Litaniarum, simulatque inceperit chorus cantorum cantare tono feriali *Kyrie eleison*, Diaconus exuet mitram Episcopo, qui appropinquans gradibus Altaris, inchoabit Missam ritibus consuetis, descriptis capit. III. libri huius.

101. Cantores prosequentur sine organorum sono cantare *Kyrie* tono feriali usque ad intonationem *Gloria in excelsis*.

102. Clericus unus advertet, ut tollat de medio choro scabellum cum Missali adhibitum a duobus cantoribus, qui cantaverint Litanias.

103. Postquam Episcopus thurificaverit Altare et incensatus fuerit a Diacono, accedet ad faldistorium, ubi dimissa mitra et conversus ad Altare, recitabit *Kyrie eleison* sine introitu. Post haec intonabit *Gloria in excelsis*, ad quam intonationem tolletur velum, quo contecta fuerit imago seu tela picta Altaris, sonabitur organis et campanulae omnes appensae in ecclesia. Quod spectat ad sacra aera turris, pulsabuntur, si Ecclesia erit cathedralis aut principalis loci.

104. Quum Clerus dimittere debeat cappas cum pellibus mustelae alpinae ad cantum *Alleluia* post Epistolam, ne chorus reliquatur totaliter vacuus, dimidium Canonicorum et Beneficiariorum recedet in Sacrarium sub finem *Gloria*, ibique dimissis cappis, induent superpelliceum vel cappam ornatam serico et revertentur in chorum statim ac finitus erit cantus Epistolae. Tunc discedent ceteri, qui remanserint in choro, recedent in Sacrarium ad cappas, ut supra, dimittendas, deinde in chorum redibunt.

105. Post orationem a Subdiacono cantabitur Epistola, quo tempore Diaconus stabit a dextris et Presbyter assistens a sinistris Episcopi, qui leget Epistolam tantum dum illa cantabitur a Subdiacono.

106. Subdiaconus, cantata Epistola, genuflexionem faciet ad Crucem ante Altare, deinde reverentiam ad Chorum, redibit ad Episcopum, osculabitur manum eius, recipiet ab eo benedictionem et dabit Epistolarium in manum clerici.

107. Diaconus tollet gremiale et mitram Episcopo, qui assurget et convertetur versus Altare. Diaconus stabit a dextris, Subdiaconus a sinistris Episcopi. Presbyter assistens attendet ad Missale, quod a clerico sustinebitur apertum ante Episcopum.

108. Episcopus cantabit prima vice *Alleluia* cui respondebitur a choro cantorum, itemque in secunda ac tertia vice vocem attollens hemitonio in singulis vicibus. Responso a cho-

ro tertia vice *Alleluia*, Episcopus sedebit, cooperietur mitra et reponetur ei gremiale a Diacono, tum leget graduale, tractum, *Munda cor meum* et Evangelium ex Missali, quod ei sustinebit Subdiaconus.

109. Evangelium cantabitur ritibus consuetis, excepto quod Acolythi assistent iunctis manibus, sine candelabris ardentibus, quae relinquentur super abaco.

110. Non cantabitur *Credo* et ad Offertorium post *Oremus* sonabitur organis, quia nullus est versiculus.

111. Non recitabitur neque cantabitur *Agnus Dei*, nec Pax donabitur.

112. Quando Episcopus consummaverit Calicem, a choro cantorum intonabitur Antiphona *Alleluia* et cantabitur psalmus *Laudate Dominum omnes gentes* etc. ut in Missali.

113. Interim Episcopus accipiet purificationem calicis et ablutionem, ac lotis manibus cum mitra in capite et facta reverentia ad Crucem, descendet a latere ad faldistorium et sedebit. Reposito ei gremiali a Diacono, recitabit cum Ministris antiphonam *Alleluia* cum psalmo *Laudate Dominum*, ut supra, ex Missali, quod ei sustinebit clericus.

114. Interim in promptu erit thuriferarius cum thuribulo.

115. Repetita a Choro vel organis Antiphona *Alleluia* post psalmum supra dictum, Diaconus exuet mitram Episcopo, qui super sinistram suam convertetur ad Altare et intonabit antiphonam *Vespere autem Sabbati* quae in cantu continuabitur a cantorum choro.

116. Episcopus, intonita antiphona, sedebit: Diaconus ei ministrabit incensum, quod imponet in thuribulum cum benedictione

117. Completo antiphonae cantu, cantores duo superpellicio induti intonabunt *Magnificat*, Episcopus assurget, se signabit et medius inter Diaconum ac Subdiaconum procedet ad Altare, exsequens prius reverentiam ad Chorum. Ante Altare exuetur mitra a Diacono, ascendet ad Altare ipsumque osculabitur in medio, recipiet a Diacono thuribulum, incensabit Altare, ut in Missis, et Ministri attollent partem posteriorem eius planetae.

118. Episcopus, thurificato Altari, tradet thuribulum Diacono, qui reponet ei mitram, et cum Ministris redibit ad faldistorium.

119. Diaconus incensabit Episcopum, qui stabit in pedes, conversus ad populum. Post thurificationem sedebit, Subdiaconus tollet ei mitram, rursus convertetur ad Altare. Deinde Diaconus regulis notatis adolebit Chorum, denique Presbyterum assistentem et Subdiaconum; ipse autem incensabitur a thuriferario.

120. Animadvertendum, ut protrahatur cantus *Magnificat*, donec omnes thurificentur.

121. Absoluta thurificatione et cantu *Magnificat* cum *Gloria Patri* cumque repetitione antiphonae facta a cantorum choro vel sonantibus organis, Diaconus reponet mitram Episcopo, qui reverentia cum Ministris ad Chorum peracta, accedet ad Altare, osculabitur ipsum in medio, cantabit *Dominus vobiscum*, redibit ad legile in cornu Epistolae et Missam complebit.

122. Ad *Ite Missa est* Diaconus bis addet *Alleluia*.

123. Sacro peracto, Episcopus redibit ad faldistorium, dimittet paramenta et methodo tradita capitulo supradicto, revertetur in Sacrarium cum Ministris et Clero.

DE SABBATO PENTECOSTES

CAPUT XIV.

De rebus praeparandis.

1. Altare maius parabitur tobaleis, pallio nobili rubri coloris, cui superponetur alterum coloris violacei, quod contegat pallium rubrum totaliter et facile possit amoveri. Super Altari candelabra nobilia cum cereis albi coloris et in medio ipsorum Crux aequalis candelabris. Gradus Altaris contegentur tapeto nobili, cui superponetur alterum tapetum violaceum, tollendum

suo loco. Super mensam Altaris disponentur paramenta violacei coloris, induenda ab Episcopo, videlicet manipulus, planeta, chirothecae in lance, dalmatica, tunicella, stola, Crux pectoralis, cingulum, alba et amictus, quae cooperientur velo coloris violacei. In latere Evangelii mitra auriphrygiata cum vimpa pro ministro ipsius.

2. In medio gradus infimi pulvinar violaceum, in quo geniculabit Episcopus.

3. In latere Epistolae ante gradus aderit faldistorium cum veste rubri coloris, superposita altera coloris violacei, suo loco tollenda.

4. In latere Epistolae abacus alba tobalea contectus, in quo disponentur quae sequuntur: candelabra duo cum cereis albis pro Acolythis; calix cum purificatorio, patena, hostia, palla, corporali intra bursam rubri coloris; ampullae vini et aquae in pelvicula; campanula; intorticia pro elevatione; velum humerale rubri coloris utendum a Subdiacono; gremiale rubrum Episcopi; manipuli rubri Ministrorum; pluviale rubrum Presbyteri assistentis; Evangeliarium instructum veste rubra cum manipulo Episcopi; Epistolarium cum veste rubra; Missale utendum ab Episcopo in Missa, convestitum veste rubri coloris cum cussino simili vel legili; Missale adhibendum ad cantandas prophetias, cum veste coloris violacei; alterum Missale utendum ab Episcopo in functione, quae Missam praecedit, cum veste violacea; pluviale violaceum in usum Presbyteri assistentis; planetae plicatae cum manipulis violaceis pro Ministris; gremiale violaceum Episcopi; canon pontificalis; scotula cum candela accendenda, quando accendentur cerei super Altari; thuribulum cum navicula, ac si ecclesia habebit fontem baptismalem, pluviale coloris violacei pro Episcopo. Curabitur autem, ut res omnes rubri coloris contegantur velo violaceo.

5. Si aderit fons baptismalis, praeparabitur Cereus paschalis extinctus cum granis infixis, prope abacum, et apud latus Evangelii Crux processionalis.

6. Prope abacum eumdem, scabellum cum Missali utendo in cantu Litaniarum et legile maioris formae sine tegumento

ullo ad cantandas prophetias. In promptu etiam stabunt hastae cum gossipio cerato ad accendendos cereos, quum tempus erit.

7. Loco solito a latere Epistolae statuetur scamnum Ministrorum, contectum tapeto laneo coloris violacei, quod postea mutabitur cum altero tapeto ex panno rubro, vel alius coloris.

8. Paramenta etiam rubri coloris in usum Episcopi aderunt praeparata, nempe mitra pretiosa, planeta, chirothecae in lance, dalmatica, tunicella et stola, quae disposita in canistro poterunt collocari subter abacum, ut postmodum ponantur super Altare, ut suo loco docebitur.

9. Lampades relinquentur ardentes; etenim ad functionem peragendam non extinguuntur.

10. Extrahetur aqua sancta de vasis ecclesiae, si aderit fons baptismalis.

11. In Sacrario praeparabitur sedes cameralis pro Episcopo, superposita exiguo tapeto: disponentur paramenta rubri coloris pro Ministris, videlicet dalmatica et stola pro Diacono ac tunicella pro Subdiacono; pro Episcopo autem caligae et sandalia, canon pontificalis cum scotula; superpellicea pro clericis inservientibus; amictus duo totidemque albae et cingula, stola una coloris violacei pro Ministris eisdem et bireta.

12. Si in Ecclesia aderit baptisterium, aperietur fons baptismalis et in istum infundetur aqua benedicenda; externum autem fontis ornabitur floribus recentibus et herbis odoris. Extra baptisterium disponentur sedilia in usum Cleri, quae sunto distincta, si Ecclesia erit Cathedralis aut Collegiata. Apud fontem in capite sedilium Cleri praeparabitur faldistorium cum veste violacea et scabella duo pro Ministris a lateribus faldistorii eiusdem. Intra ambitum seu sacellum baptisterii, vel extra ipsum (pro amplitudine loci) super abaco alba tobalea contecto praeparabuntur ampullae S. Chrismatis et Olei sacri Catechumenorum in lance; urceus cum pelvi et mantile; medulla panis et mali medici in lance; vasculum vacuum cum aspersorio; paramanus seu velum album alligandum Cereo in usum Episcopi; Missale cum tegumento violaceo uten-

dum ab Episcopo, nisi utetur eodem Missali, quo in reliqua functione; stola violacei coloris pro digniore Cleri vel Parocho, qui aspergere adstantes debebit et vasa ad extrahendam aquam benedictam eamque infundendam in fontes lustrales ecclesiae.

13. Si Episcopus ministraturus esset etiam baptismum infantibus vel adulto alicui observabitur quod praescriptum est capit. XX. lib. VI. num. 10. et 11. ut provideatur dispositionibus in circumstantia ista sumendis.

De functione.

14. Dum in choro recitabuntur Horae minores, Episcopus in Sacrario sedens sede ibi praeparata recitabit preces et orationes ad Missae praeparationem et induentur ei a cubiculario suo caligae et sandalia rubri coloris.

15. Interim in Sacrario ipso Ministri sacri, adiuvantibus Acolythis, se parabunt amictu, alba et cingulo; Diaconus autem induet etiam stolam diaconalem coloris violacei.

16. Completa in choro recitatione Nonae, extinguentur cerei ardentes in Altari et ad Altare procedent Episcopus cum Ministris praedictis, sequentibus clericis, observando methodum descriptam in functionibus praecedentibus. Non sonabitur campanula ad fores Sacrarii appensa, quando ex ipso egredietur Episcopus cum Ministris.

17. Episcopus post brevem orationem assurget, iterabit reverentiam ad Crucem, accedet ad faldistorium, in quo sedebit, humeris ad Altare conversis.

18. Diaconus, adiuvante Subdiacono, exuet Episcopo Crucem pectoralem et mantelletum sive mozzetam. Familiares nobiles, et iis absentibus, clerici duo ministrabunt Episcopo lotionem et ipse lavabit manus.

19. Interim distribuentur clericis paramenta episcopalia.

20. Quando Episcopus laverit manus et in promptu stabunt clerici cum paramentis, a Diacono, adiuvante Subdiacono, induetur amictu, alba, cingulo, Cruce pectorali, tunicella, dalmatica, chirothecis et planeta violacei coloris. Episcopo parato planeta, Subdiaconus imponet eius brachio sinistro manipulum ac postremo Diaconus induet ei mitram auriphrygiatam.

21. Dum parabitur Episcopus, statuetur a clerico in medio presbyterio legile maioris formae cum Missali ad cantandas prophetias.

22. Presbyter assistens induet pluviale violaceum supra superpelliceum aut supra rochetum, si fuerit Canonicus in ecclesia sua.

23. Imposita Episcopo mitra, Diaconus et Subdiaconus salutabunt eum, recedent ad abacum, assument manipulum et planetam plicatam, deinde ad Episcopum redibunt.

24. Hoc tempore Presbyter assistens cum debitis reverentiis inseret annulum Episcopi digito et recedet apud abacum.

25. Caeremoniarius unus praesto erit in choro prope locum primi cantoris prophetiarum.

26. Clerici duo aderunt prope faldistorium, unus cum Missali, quo utetur Episcopus, alter cum gremiali violacei coloris.

27. Reversi ad Episcopum Ministri consistent a lateribus eius, Diaconus nempe a dextris, Subdiaconus autem a sinistris Episcopi.

28. Innuente Caeremoniario, assurgent de faldistorio Episcopus, medius inter Ministros antedictos, sequente clerico a mitra, et priusquam perveniat ante Altare, reverebitur Chorum: ante Altare autem quum venerit, exuetur mitra a Diacono. Episcopus reverentiam, Ministri genuflexionem ad Crucem conficient et iunctim ascendent ad Altare. Episcopus osculabitur Altare in medio. Diaconus reponet mitram Episcopo, atque iterata respective reverentia aut genuflexione, descendent a latere de Altari et revenient ad faldistorium. Clerus in choro stabit in actione ista, sedebit autem, quando sederit Episcopus.

29. Caeremoniarius chori invitabit cantorem prophetiae primae eumque deducet in medium chorum, seu presbyterium, ad legile praeparatum et iunctim conficient ad Altare genuflexionem, reverentiam ad Chorum.

30. Quod spectat ad ordinem servandum in cantu prophetiarum, curabitur ut seniores cantent ultimas, iuniores autem primas. Si post prophetiam erit tractus, cantor cum Cae-

remoniario iterabunt statim genuflexionem ad Altare, reverentiam ad Chorum et se recipient ad locum suum. Si nullus erit tractus, expectabunt donec Episcopus dicat *Oremus*, deinde conficient genuflexionem et reverentiam, ut supra. Advertet etiam Caeremoniarius, ut invitet cantorem prophetiae secundae, dum cantabitur oratio post primam prophetiam, ut possit statim post primam orationem inchoari cantus prophetiae secundae.

31. Episcopus, ad faldistorium reversus, sedebit et a Diacono imponetur gremiale super genua eius. Clericus ad hoc delectus se sistet cum Missali ante Episcopum eique sustinebit illud apertum, ex quo leget prophetiam primam. Dum Episcopus leget prophetias, Diaconus adstabit ei a dextris, Subdiaconus a sinistris: Presbyter assistens consistet a dextris clerici sustinentis librum, ad evolvenda folia Missalis.

32. Simulatque Episcopus incipiet legere, cantor primae prophetiae inchoabit cantum illius eumque prosequetur usque ad finem, tono praescripto in lectionibus.

33. Postquam Episcopus legerit prophetiam, clericus claudet librum, reverebitur eum et recedet post faldistorium a latere, rursus sustenturus librum apertum ante Episcopum, quando cantabit orationes.

34. Presbyter assistens, Diaconus et Subdiaconus coibunt ante Episcopum, salutabunt ipsum et sessum recedent ad scamnum praeparatum pro Ministris, ordine notato in Missa pontificali. Quando in eo erit ut absolvatur cantus primae prophetiae, Caeremoniarius innuet Ministris et ipsi consurgent, redibunt ante Episcopum, salutabunt ipsum et consistent ante eum.

35. Simulatque cantor desierit cantare prophetiam primam, Diaconus tollet Episcopo gremiale et mitram. Presbyter assistens accedet ad dexteram faldistorii, indicaturus Episcopo orationem, quam cantare debebit ex Missali sustento a clerico, ut superius innutum est. Diaconus consistet a tergo Episcopi, Subdiaconus a tergo Diaconi.

36. Episcopus assurget, convertetur super sinistram suam ad Altare, cantabit *Oremus* et iunctis manibus ac tono feriali

cantabit orationem. In functione ista non cantabitur *Flectamus genua* ante orationes, neque genuflectetur ab adstantibus.

37. Interim Caeremoniarius chori reducet cantorem primae prophetiae ad locum eius, invitabit cantorem secundae, quem deducet ad legile in medium chorum seu presbyterium, ut possit cantus prophetiae secundae inchoari statim ac Episcopus sederit et coopertus erit mitra.

38. Episcopus, postquam cantaverit orationem primam et a Choro responsum fuerit *Amen*, sedebit iterum faldistorio.

39. Cantabitur prophetia secunda, quae legetur ab Episcopo et fient omnia ut in prima, eo tantum discrimine, ut quum debeat cantari Tractus post secundam, tertiam et quartam prophetiam, Ministri consurgant de scamno, in quo sedebunt, et accedant ad Episcopum, dum cantabuntur ultima verba Tractus.

40. Si in Ecclesia aderit fons baptismalis ac si conferendum sit etiam baptismum infantibus et adultis, dum canentur prophetiae, fient super illos exorcismi a Parocho vel ab alio Presbytero, pro consuetudine cuiusque Ecclesiae, servatis iis, quae praescripta sunt cap. XX. lib. VI. num. 172.

41. Si benedicendus erit fons baptismalis, sub finem prophetiae sextae accendentur cerei, in candelabris Acolythorum; clericus unus accendet Cereum paschalem et paratus erit ad illum in processionem deferendum.

42. Ad orationem post ultimam prophetiam in promptu stabunt clerici, recepturi paramenta episcopalia, et clericus alter cum pluviali adhibendo ab Episcopo in supradicta benedictione.

43. Completa oratione ultima, sedebit Episcopus eique a Diacono reponetur mitra. Presbyter assistens dimittet pluviale apud abacum ibique subsistet, vel etiam coibit cum Clero in benedictione fontis. Diaconus et Subdiaconus, reverentia facta ad Episcopum, recedent ad abacum, ubi dimittent planetam plicatam et manipulum.

44. Redibunt ad Episcopum ambo Ministri antedicti, eique iterata reverentia, consistent a lateribus eius. Diaconus tollet ei annulum et, adiuvante Subdiacono, exuet ipsi pla-

netam, chirothecas, dalmaticam ac tunicellam; induet ei pluviale et reponet mitram atque annulum. Tum Diaconus et Subdiaconus salutabunt Episcopum et redibunt ad abacum, ibique resument planetam plicatam sine manipulo.

45. Quo tempore a Ministris exuetur Episcopus, clericus unus accipiet Cereum ardentem eumque sustinens utraque manu deferet ad ingressum presbyterii; item clericus alter accipiet Crucem processionalem et coeuntes cum ipso Acolythi ambo cum candelabris ardentibus, procedent ad ingressum presbyterii. In promptu etiam stabunt cantores superpellicio induti, qui secum ferent librum seu libros cum tractu *Sicut cervus* etc. quem cantabunt quando procedetur ad fontem. Paramenta autem, quae dimittet Episcopus, ponentur a clericis super Altare.

46. Ministri, resumpta planeta plicata, revenient ante Episcopum, salutabunt ipsum et consistent Diaconus a dextris, Subdiaconus a sinistris eius.

47. Ad baptisterium autem procedetur ordine sequenti. Clericus deferens Cereum ante Crucem; clericus cum Cruce processionali medius inter Acolythos, gestantes candelabra ardentia; cantores, qui cantabunt tractum *Sicut cervus* etc. Bini deinde omnes de Clero, ac si distincti erunt in coetus, ut Canonicorum, Beneficiariorum seu Mansionariorum et numerus eorum esset dispar, incedent terni ultimo loco; Episcopus et a dextris eius Diaconus, a sinistris Subdiaconus, qui sustentabunt eius fimbrias pluvialis; clericus a mitra et alter qui deferet Missale in usum Episcopi, familiares nobiles Episcopi, si aderunt; ibunt ultimo loco Praelati, qui si Capitulo erunt addicti, incedent cum Canonicis.

48. Quando Crux cum Acolythis et clerico deferente Cereum pervenerit prope fontem, se ita disponent, ut Crux stet in conspectu Episcopi. Clerus locum sumet apud scamna praeparata, vel disponetur iuxta capacitatem loci, notando quod digniores Cleri sint propiores Episcopo. Extra ingressum baptisterii subsistet Episcopus, medius inter Diaconum et Subdiaconum; clericus, sustinens Missale, veniet ante Episcopum, cui Diaconus indicabit quid legere, quid cantare debeat.

49. Diaconus exuet mitram Episcopo, qui iunctis manibus ac tono feriali cantabit orationem *Oremus. Concede, quaesumus, omnipotens Deus* etc.

50. Post haec Episcopus ingredietur in baptisterium et benedicet fontem quo ordine descriptum est capitulo praecedenti num. 82.

51. Dum fons benedicetur, Sacrista cum clericis inservientibus Sacrario, tollet de Altari maiore tapetum violaceum, quo cooperti fuerint gradus, et stragulum scamni Ministrorum; ponet super Altare paramenta episcopalia rubri coloris, quae cooperiet velo violaceo; removebit legile, adhibitum ad cantandas prophetias; collocabit faldistorium Episcopi ante gradus Altaris cum pulvino ad genuflectendum et seorsim praeparabit scabellum cum Missali, in usum cantorum ad Litanias cantandas (a).

52 In reditu Cleri ad Altare post fontis benedictionem, clericus deferens Cereum, ubi venerit in presbyterium, reportabit illum in Sacrarium vel extinguet et reponet ipsum prope abacum, quo loco praeparatus fuerat: Acolythi reponent candelabra ardentia super abacum et clericus gestans Crucem processionalem, collocabit illam seorsim vel in sua basi. Ceteri de Clero recedent ad locum quisque suum. Episcopus subsistet ante faldistorium; Ministri comitati Episcopum ad faldistorium ipsum, recedent ad abacum, in quo deponent planetas plicatas, redibunt ad Episcopum eique exuent pluviale. Presbyter assistens se recipiet apud abacum ibique manebit genibus flexis pro Litaniis.

53. Si ecclesia destituta erit fonte baptismali, quum post prophetias cantari immediate debeant Litaniae, observabitur methodus sequens. Tolletur de medio choro, seu presbyterio legile, quod fuerit adhibitum in prophetiis, et substituetur scabellum cum Missali pro cantoribus Litaniarium. In promptu habebitur pulvinar, utendum ab Episcopo in prostratione et unus vel duo clerici gerent curam deferendi faldistorium ante Altare, quando assurget Episcopus. Cantata ab Episcopo oratione post sextam prophetiam, ipse sedebit faldistorio et Diaconus reponet ei mitram.

54. Presbyter assistens, Diaconus et Subdiaconus saluta-

(a) Vide adnotationem subiectam num. 92. cap. XXVII. lib. II.

bunt Episcopum et recedent ad abacum. Presbyter assistens, dimittet pluviale et remanebit apud abacum, Diaconus et Subdiaconus dimittent planetas plicatas cum manipulo et revertentur ad Episcopum , quem salutabunt, ut supra.

55. Diaconus tollet mitram Episcopo et adiuvante Subdiacono, exuet ei planetam tantum ; deinde Subdiaconus extrahet ex eius brachio manipulum et Diaconus reponet ei mitram. Episcopus, innuente Caeremoniario, assurget de faldistorio medius inter Ministros et reverentia facta ad Chorum, procedet ante Altare. Clericus unus advertet ut ponat pulvinar in faldistorio ante Altare.

56. Ante Altare Episcopus geniculabit et procumbet super faldistorium ; Ministri geniculabunt a lateribus eius ; Clerus in choro genuflectet , suo quisque loco.

57. Cantores duo genuflexi in medio choro cantabunt Litanias ritu duplici, scilicet respondebitur a Choro versiculus idem, qui cantatus fuerit a cantoribus. Ad versiculum *Omnes Sancti et Sanctae Dei* etc. consurgent Ministri, recedent in Sacrarium, dimittent paramenta violacea et induent paramenta rubri coloris ac revertentur ad Altare, advertentes ut adsint ibi dum cantabitur ℣. *Peccatores*.

58. Cantores Litaniarum advertent, ut protrahant aut brevient notas seu cantum in versiculis Litaniarum earumdem, secundum actiones, quae erunt peragendae.

59. Ad praedictum ℣. *Omnes Sancti* etc. distribuentur clericis paramenta rubri coloris utenda ab Episcopo et aderunt clerici alii recepturi paramenta coloris violacei eaque relaturi in Sacrarium.

60. Ad ℣. *Peccatores* assurget Episcopus et a clericis amovebitur faldistorium et pulvinar: faldistorium autem reponetur loco solito in latere Epistolae, tolletur ab eo vestis violacea et relinquetur altera rubri coloris. A Sacrista et clericis inservientibus removebitur ex Altari pallium violaceum, quod referetur iu Sacrarium et restabit pallium rubri coloris. Ab Acolythis accendentur cerei in Altari et in abaco quoque, si tamen peracta non fuerit benedictio fontis. Tolletur etiam omne tegumentum et stragulum, etiam serica coloris violacei tum de Altari, tum etiam de abaco et choro.

61. Ut assurrexerit Episcopus, tolletur ei annulus a Presbytero assistente, qui recedet apud abacum et induet pluviale rubri coloris. Diaconus, adiuvante Subdiacono, exuet Episcopum paramentis violaceis, quae tradentur clericis et ab ipsis referentur in Sacrarium; dein induet eum paramentis rubri coloris, videlicet stola, tunicella, dalmatica, chirothecis et planeta, postremo mitram pretiosam eius capiti imponet.

62. Diaconus cum Subdiacono, parato Episcopo, accedent ad abacum, imponetur manipulus eorum brachio sinistro et revertentur ad Episcopum et consistent Diaconus a sinistris Episcopi, Subdiaconus a sinistris Diaconi. Caeremoniarius alter, aut clericus quispiam afferet etiam Evangeliarium cum manipulo Episcopi, consistens prope sinistram Subdiaconi.

63. Presbyter assistens, quando Ministri accedent ad abacum assumpturi manipulum, veniet ad Altare, annulum inseret digito Episcopi cum osculis et consistet a dextris eius.

64. Reversis ad Altare, ut supra, Diacono et Subdiacono, et completo a cantoribus Litaniarum cantu, statim ac inceperit cantorum chorus cantare *Kyrie eleison* tono feriali, Episcopus appropinquabit gradibus Altaris, nudabitur mitra a Diacono et inchoabit Missam ritibus descriptis capit. III. libri huius.

65. Cantores sine organorum sono prosequentur cantare *Kyrie* tono feriali usque ad intonationem hymni *Gloria in excelsis.*

66. Clerico alicui curae erit removere de medio choro scabellum cum Missali adhibitum a cantoribus iis duobus, qui cantaverint Litanias.

67. Postquam Episcopus thurificaverit Altare et thurificatus ipsemet fuerit, veniet ad faldistorium ibique dimissa mitra et conversus ad Altare recitabit *Kyrie eleison* sine introitu. Post haec intonabit *Gloria in excelsis,* ad cuius intonationem sonabitur organis, campanulis ecclesiae et campanis omnibus sacrae turris in laetitiae argumentum.

68. Evangelium cantabitur ritu consueto, sed Acolythi assistent iunctis manibus, sine candelabris, quae relinquentur super abaco ardentia.

69. In reliqua Missa nulla est variatio; quare peragetur ritu descripto in citato capitulo.

APPENDIX

CAPUT I.

DE EPISCOPO SUFFRAGANEO

1. Quibusdam in Ecclesiis esse solet Episcopus qui suffraganeus dicitur, sive ut melius dicam, dari solet Episcopo ordinario alter Episcopus coadiutor ad conferendam sacram Confirmationem, sacros ordines et ad persolvendas eas functiones, quibus requiritur dignitas episcopalis. Quare episcopus suffraganeus nulla gaudet iurisdictione super dioecesim et auctoritas eius dependet ab auctoritate Ordinarii, quem penes est augere aut imminuere facultates, quas ei largiri censebit.

2. Multarum decisionum S. Rituum Congregationis vestigia sequentes, innuemus quidquid potest ad Episcopum suffraganeum spectare.

3. De habitu Episcopi suffraganei superius locuti sumus cap. I. libri huius.

4. Gaudet praecedentia super Dignitates et Canonicos in quavis functione aut circumstantia.

5. Quando celebrat functiones loco Episcopi ordinarii, Canonici tenentur assistere ei: se parabunt Canonici tantum, numero a rubricis praescripto, ita ut in Missis pontificalibus non utatur Diaconis assistentibus, sed solum Diacono, Subdiacono et Presbytero assistente.

6. Non licet ei sedere throno, sed quando celebrabit Pontificalia, sedebit faldistorio collocato in latere Epistolae ante gradus anteriores Altaris.

7. Non apponetur septimum candelabrum in Altari.

8. Si cappa erit indutus, non associabitur a Clero, sed Canonici duo excipient ipsum in limine ecclesiae, quorum unus

praesentabit ei aspersorium, quo se tantum signabit, neque asperget adstantes.

9. Induetur sacris vestibus ad faldistorium prope Altare, si utetur cappa: sin indutus erit mantelleto, assumet vestes sacras in Sacrario.

10. Assistens in primo stallo chori Missae solemni aut Vesperis, absente Ordinario, incensabitur triplici ductu.

11. In adoratione ad Altare SS. Sacramenti, non apponetur stratum cum pulvinis, sed pulvini duo tantum ex panno viridis seu violacei coloris in genuflexorio nudo, videlicet unus ad brachia, alter ad genua.

12. Quando utetur cappa, non debet ipsam explicare, neque alicui dare syrmam sustentandam, quam involutam ipsemet sustinebit subter brachium sinistrum.

13. Assentiente Ordinario, poterit uti mozzeta supra mantelletum.

14. Quando celebrat pontificaliter, non potest frui honorificentiis, quae spectant ad Episcopum ordinarium tantummodo.

15. Non licet ei fungi officio Presbyteri assistentis in Pontificalibus proprii Episcopi, nec Metropolitani neque Primatis, quamquam insigniti essent dignitate Cardinalitia.

16. Hae sunt regulae observandae ab Episcopo suffraganeo sive auxiliari, iuxta decisiones S. Rituum Congregationis, ut superius innuimus.

CAPUT II.

DE EPISCOPO ADMINISTRATORE

1. Solet quandoque a Summo Pontifice committi administratio alicuius dioecesis aut Episcopo viciniori aut alteri Episcopo dedita opera misso, qui non est Episcopus proprius dioecesis, cuius ei committitur administratio. Quocirca in functionibus sacris Episcopus administrator se geret quo modo decrevit S. Rituum Congregatio secundum leges canonicas, nempe quum is

non sit Episcopus ordinarius, minime spectant ad eum honores et praeminentiae quae propriae sunt et exclusivae Episcopi ordinarii.

2. Hinc non potest gaudere usu throni episcopalis, quaecumque sit functio quam celebret.

3. In Missis et Vesperis pontificalibus sedebit faldistorio in latere Epistolae ante gradus Altaris.

4. In assistentia, quam praestabit Missis solemnibus, sedebit in primo chori stallo, neque ullo utetur Canonico assistente, neque Canonici efficient circulum ante eum; non benedicet incensum, Ministros etc. non leget Epistolam, non Evangelium etc. neque afferetur ei osculandus textus Evangelii a Subdiacono, postquam illud a Diacono cantatum fuerit.

5. Non poterit concedere Indulgentiam consuetam quadraginta dierum sine speciali S. Sedis permissu.

6. Non utetur baculo pastorali, nisi in functionibus illis, in quibus licet illo uti etiam Episcopis extraneis.

7. In Missis pontificalibus non apponetur septimum candelabrum in Altari.

8. Quando celebrabit Missas pontificales, non induentur a Canonicis sacra paramenta, exceptis tribus consuetis Ministris, qui sunt Presbyter assistens, Diaconus et Subdiaconus.

9. Non est celebrandum anniversarium electionis neque consecrationis eius.

10. Non est nominandus in Canone, non in Praeconio paschali neque in orationibus.

11. Cappam induere poterit sive in episcopio sive in ingressu ecclesiae: diebus autem statutis ad functiones solemnes exsequendas convenit, ut Canonici omnes comitentur eum ab episcopio ad ecclesiam, si in episcopio deget, vel a porta tantum ecclesiae.

12 Hae sunt regulae ordinariae servandae ab Episcopo administratore, dummodo non sint ei concessa a S. Sede alia privilegia ampliora, iuxta circumstantias et loca, idque innotescet ex respectivo Diplomate seu Brevi Apostolico.

CAPUT III.

DE PONTIFICALIBUS
QUAE A PRAELATIS INFERIORIBUS EXERCENTUR

1. Nomine Praelatorum inferiorum designantur Abbates tum saeculares tum etiam regulares, qui dependent a Sede Apostolica vel ab Episcopo ordinario, quique exercent iurisdictionem spiritualem super Abbatiam suam.

2. In Caeremoniali Episcoporum nullum fit verbum de Pontificalibus exsequendis a Praelatis inferioribus, qui ideo sic vocantur, quia carent charactere episcopali.

3. Sa. me. Alexander VII, generali decreto a S. Rituum Congregatione edito die 27 Septembris an. 1659. ab ipso approbato et sancito, constituit ritum observandum. Itaque auctoritatem sequentes decreti illius, brevissimam tradémus instructionem ad huiusmodi Pontificalia persolvenda, quae paucis exceptis, non multum differunt a ritu praescripto in Pontificalibus, quae ab Episcopo celebrantur.

4. A Praelatis inferioribus celebrari poterit Pontificale ternis tantum singulorum annorum diebus, qui tamen dies oportet ut sint festa praeceptiva, vel ut hoc requirat solemnitas festi, ex. gr. festum peculiare Patroni loci, Fundatoris Ordinis monastici, Tituli aut Dedicationis ecclesiae. Vetatur eis usus Pontificalium in officiis et Missis pro defunctis, quamvis celebrentur solemniter, et diebus etiam festis praeceptivis, quando scilicet praesens esset cadaver.

5. In quo Altari celebrabunt, nullo modo apponetur septimum candelabrum cum cereo.

6. Paramenta induent apud Altare, non in Secretario, neque processionem exsequentur post cantum Tertiae.

7. Non licet eis habere thronum stabilem in ecclesia sua, et ponetur tantum quando occurrunt Pontificalia: thronus autem constabit ex duobus gradibus ligneis et super ipsos collocabitur cathedra, quae simul cum postergali eiusdem throni ornabitur lodicibus ex serico simplici coloris respondentis officio

sine ullo ornatu aureo: poterit throno superponi baldachinum ornatum eiusdem generis panno sericeo, modo supra Altare adsit baldachinum pretiosiori ornamento. Aderunt tria scabella lignea nuda pro Diaconis assistentibus et Presbytero assistente.

8. Nulla statuetur mensa, sive abacus maior, pluribus ornatus vasis argenteis aut aureis, sed abacus minoris formae, qui satis sit continendis rebus ad Missam necessariis, videlicet candelabra duo cum cereis pro Acolythis; calix cum purificatorio, patena, hostia, palla et bursa intra corporale; Missale, Epistolarium et Evangeliarium cum manipulo Celebrantis; manipuli Ministrorum; canon; scotula; gremiale aequale paramentis; ampullae vini et aquae; campanula; thuribulum cum navicula; velum humerale pro Subdiacono; caligae et sandalia cum velis ad ea deferenda; intorticia ad elevationem adhibenda; urceus cum pelvi et mantile in lance. Vasa autem sacra erunt argentea, non auro obducta.

9. Prope abacum aderit baculus pastoralis, cuius in summitate sub curva parte appensum erit velum sericeum albi coloris.

10. Super Altari praeparabuntur paramenta, quibus induetur Abbas, videlicet planeta, chirothecae, dalmatica, tunicella, pluviale, stola, Crux pectoralis, cingulum, alba, amictus et superpelliceum, quae contegentur velo concolore paramentis eisdem, et in latere Evangelii mitra auriphrygiata cum vimpa seu velo utendo a cappellano ipsius.

11. Notandum, quod eis non permittitur usus rocheti, nisi adnexum erit habitui regulari; non possunt adhibere mitram pretiosam, sine declarato Sedis Apostolicae privilegio; quod sandalia et caligae esse debent ex serico simplici sine opere phrygio; itemque chirothecae sint simplices neque acu pictae; quod Crux pectoralis esse debet pariter simplex sine ullo gemmarum ornamento: chordula autem, cui appensa est Crux, erit alia ab illa, qua utuntur Episcopi, ideoque erit nigri coloris, auro intermixto; annulus erit aureus cum unica gemma tantum, sine ullo alio ornamento.

12. In presbyterio statuentur scamna duo minora sine suppedali et postergali, convestita panno viridi, quibus sedebunt

sex Canonici, aut sex Monachi, sacris paramentis induti, nempe duo induti pluviali, duo planeta, duo dalmatica, quas vestes assument supra rochetum, si eius usu gaudebunt, vel supra superpelliceum et amictum.

13. Clerus in stallis chori non poterit induere paramenta sacra, ideoque ponentur duo supradicta scamna minora, amovenda statim ac absolutum erit Pontificale.

14. Prope latus Epistolae ponetur scamnum cum postergali sine suppedali, convestitum stragulo, pro Diacono et Subdiacono.

15. In Sacrario praeparabuntur, praeter supra enumerata paramenta, alia paramenta pro Assistentibus et Ministris, videlicet pluviale cum amictu Presbyteri assistentis, dalmaticae duae totidemque amictus Diaconorum assistentium, dalmatica cum stola Diaconi, tunicella Subdiaconi, cingula, albae et amictus duo pro eisdem, praeter numerum superpelliciorum, qui satis sit clericis inservientibus.

16. Huiusmodi sunt dispositiones sumendae pro Missa solemni. Quod spectat ad Vesperas solemnes, exclusis rebus omnibus, quae opus sunt ad Missam, praeparabuntur super Altari paramenta tantum necessaria, videlicet pluviale cum stola, Crux pectoralis, cingulum, alba, amictus, superpelliceum et mitra auriphrygiata. Prope Altare baculus pastoralis et super abaco candelabra cum cereis pro Acolythis, liber choralis cum scotula, thuribulum cum navicula et in Sacrario eadem paramenta, exceptis illis, quae pro Diacono et Subdiacono praescribuntur.

17. Functio Vesperarum tractabitur ordine sequenti.

18. Clerus congregabitur in chorum et unusquisque de Clero paratus illum occupabit locum, qui ei conveniet, nempe tres Assistentes apud thronum, ceteri sex Canonici sive Monachi apud scabella in presbyterio, clerici apud abacum.

19. Abbas non associabitur a Clero, ut associatur Episcopus, sed quando Clerus venerit in chorum, egredietur de Sacrario indutus cappa, si huius usu gaudebit, secus indutus habitu monastico abbatiali, comitatus a Caeremoniario et a duobus ex Monachis suis, vel Canonicis senioribus.

Ad fores Sacrarii non asperget adstantes, sed accepta aqua benedicta per contactum ex aspersorio, se signo Crucis dextra signabit.

20. Non benedicet manu adstantes, licet super ipsos plena iurisdictione gaudeat.

21. Quum pervenerit ad Altare, brevi tempore orabit super pulvinum positum in medio gradus infimi; post orationem assurget, reverebitur Crucem et gratias aget seu salutabit ambos Canonicos sive Monachos, a quibus comitatus fuerit.

22. Canonici, sive Monachi recedent ad stallum suum in chorum, Abbas autem ascendet in thronum et sedebit.

23. Distribuentur paramenta clericis, qui ea deferent ad thronum et tradentes ipsa, reverentiam simplicem ad Abbatem conficient.

24. Abbas dimittet cappam vel mozzetam et a Diaconis assistentibus induetur superpelliceo (nisi gaudebit usu rocheti), amictu, alba, cingulo, Cruce pectorali, stola et pluviali. Mitra autem cooperietur a Diacono primo.

25. Quod ad ritum Vesperarum, observabitur quod praescriptum fuit in Vesperis pontificalibus Episcopi ordinarii in propria Cathedrali, excepto quod Abbas non benedicet Clerum procedens ad Altare in *Magnificat* et revertens ad thronum post Altaris thurificationem; nec benedicet Presbyterum assistentem, postquam ab ipso incensatus fuerit; neque clerici facient ei genuflexionem, sed reverentiam.

26. Antiphonae praecinentur a Subdiacono vel ab alio, de more ecclesiae. Si eas praeintonabit Subdiaconus, non induet paramenta ad hoc officium, sed exsequetur ipsum eodem habitu, quo in choro.

27. Thurificatio Cleri a Subdiacono vel ab alio peragetur; thurificabit Presbyterum assistentem, Diaconos assistentes, sex Canonicos sive Monachos paratos in Presbyterio, tum Clerum in choro.

28. Ad Missam solemnem, praeter ea quae innuimus, observanda sunt quae sequuntur.

29. Accessus Cleri et Abbatis ad Altare fiet ut in Vesperis. Diaconus et Subdiaconus procedent ad Altare cum ce-

teris Assistentibus paratis et locum sument apud scamnum prope latus Epistolae.

30 Abbas, conscenso throno, post brevem pausam assurget et intonabit Horam tertiam. Sedebit principio cantus psalmi primi et recitabit psalmos ceterasque preces ad praeparationem.

31. Subdiaconus, comitantibus clericis quatuor, afferet caligas et sandalia ad thronum, quae imponentur Abbati a cubiculario vel a converso suo.

32. Quando lavabit manus, non consurget nec geniculabit Clerus, ut fit Episcopo, idque ut in ista sic in ceteris lotionibus. Clerici aut conversi duo ministrabunt ei aquam et mantilia.

33. Ministri induent Abbatem vestibus sacris. Subdiaconus cantabit Capitulum Tertiae. Abbas cantabit orationem, cui assistent Acolythi cum candelabris.

34. Dein Ministri redibunt ad thronum, induturi Abbatem reliquis paramentis ad Missam.

35. Priusquam veniant ad Altare, non imponetur nec benedicetur incensum in thuribulo.

36. Non fiet praegustatio hostiae nec vini a Sacrista.

37. Diaconus in thurificatione, postquam thurificaverit Abbatem, incensabit Presbyterum assistentem, Diaconos assistentes, Canonicos sive Monachos paratos, deinde Chorum, postremo Subdiaconum et restituto thuribulo, incensabitur a thuriferario.

38. Indulgentiam non concedetur ab Abbate, nec publicabitur, nisi ex speciali indulto S. Sedis.

39. In reditu ad Sacrarium post Missam, servabitur ordo statutus in accessu.

40. Denique, sequentes superius citatum decretum Pontificium, adiicimus, quod Abbates non possunt uti privilegio Pontificalium extra tres tantum assignatos dies et in ecclesiis subiectis iurisdictioni, quamvis assentiente Episcopo ordinario.

41. Quod in processionibus celebrandis extra limites ecclesiarum suarum non possunt uti mitra et baculo, nec iubere ante se praeferri praedicta insignia.

42. Quod privilegium Pontificalium utendum est Abbatibus perpetuis et qui acceperint benedictionem abbatialem.

43. Quod in celebrandis Missis et in aliis officiis divinis non possunt induere sacras vestes ex Altari, exceptis tribus diebus statutis pro Pontificalibus.

44. Quod trina benedictio non potest ab eis impertiri nisi tribus praedictis diebus in fine Vesperarum solemnium, Matutini solemnis et Missae solemnis.

45. Quod in via neque in ecclesia ipsa, quamvis induti vestibus sacris, non possunt benedicere subditos, licet plenarie subiectos ipsorum iurisdictioni.

46. Quod in ordinationibus Clericorum seu Monachorum sibi subiectorum, in vestitionibus aut professionibus Monialium dependentium etiam totaliter ab ipsis, non possunt uti Pontificalibus.

47. Idem usus vetatur eis in ecclesiis et sacellis publicis privatisque eorum iurisdictioni subiectis, exceptis tribus superius notatis diebus.

48. Possunt benedicere supellectilem sacram in usum tantum ecclesiarum et coenobiorum suorum.

49. Non possunt exercere pontificalia et benedictiones adnexas, ex. gr. collationem ordinum minorum, consecrationem sacrorum vasorum, campanarum etc. in aliis ecclesiis et in usum alterius dioecesis, licet id ab eis deprecaretur Episcopus ordinarius.

50. Non possunt benedicere sacros concionatores invitatos pro suis ecclesiis et subditis suis, sed eos debent remittere ad Episcopum, ad quem spectat privative ius istud.

51. Postremo in Missis privatis nulla utentur distinctione, ideoque vestes sacras induent in Sacrario, non adhibebunt Crucem pectoralem, uno utentur ministro, non tamen urceo et pelvi in lotione manuum, non donabunt trinam benedictionem; super Altari autem duo tantum ardebunt cerei.

Referimus textum Decreti generalis editi ab Alexandro VII. sa. me. cui adiicimus Decretum alterum, quod respicit Abbates Congregationis Cassinensis, relate ad usum Pontificalium.

DECRETUM

Circa usum Pontificalium Praelatis Episcopo inferioribus concessorum a S. Rituum Congregatione habita coram SS. Domino Nostro Alexandro PP. VII. emanatum die 27 Septembris anni 1659.

S. R. C. tollendis et eliminandis circa Ecclesiasticos ritus, qui irrepserunt, abusibus sedulo intenta, post Episcoporum Caeremoniale evulgatum (quo quidquid ad ipsos in sacris caeremoniis pertinet abunde praescripsit), idem quoad inferiores Praelatos, qui Pontificalium usu fruuntur, praestandum curare necessarium existimavit, ut excessus aboleantur, uniformisque inducatur sacrorum Ritus in omnibus, et praesertim tempore, quo privilegia ipsi perperam interpretantes obtendentesque parum obsequi student decretis pluries ab eadem S. R. C. hac in remet evulgatis, aut ipsa ignorare praetexunt. Quamobrem omnia simul ut uno conspiciantur obtutu cogere, perque capita dirigere constituit, quo facilius observentur.

1. Super Altari, in quo Sacrum erunt facturi, septimum nequaquam apponent candelabrum.

2. Cathedram, seu Sedem fixam et permanentem in eorum ecclesiis ne detineant, sed tribus ipsis diebus, quibus ex antiquis decretis tantummodo pontificalia celebrare est ipsis permissum, mobili sede seu cathedra utantur, quam nihilominus simplici sericeo panno coloris festivitati congruentis obducere poterunt, non auro contexto, aut phrygio, aut basylico opere exornato.

3. Baldachinum adhibere supra sedem poterunt, non pretiosum, aut aureum, sed simplex, et eo, quod Altari superimponitur materia et opere inferius; ad ipsam autem per duos tantum gradus in Presbyterii superficie stratos ascendatur.

4. Non abacum alium, praeter parvam mensam et in cornu Epistolae parare faciant, in qua duo candelabra cum candelis, necnon mitra, calix, missale, thuribulum, navicula et reliqua ad celebrationem necessaria collocentur, prope vero mensam eamdem parieti haerens baculus pastoralis aptetur.

5. Dies vero, in quibus solemniter ipsis operari conceditur, sint de praecepto festivi, vel alii, in quibus ipsis pontificaliter celebrare festivitatis ratio exigat, nempe Patroni loci, Fundatoris Ordinis, Tituli et Dedicationis Ecclesiae. Abstineant autem ab huiusmodi Pontificalium usu in Officiis et Missis defunctorum quocumque die etiam festivo et de praecepto.

6. Ad Ecclesiam accedentes licet pontificaliter Divina peracturi, iisdemque absolutis ab Altari recessuri, a suis Canonicis, vel Monachis (ut mos est Episcoporum) ne associari se sinant.

7. Praeter duos Sacrificii ministros, Diaconum nempe Evangelii et Subdiaconum Epistolae, duo alii tantum Diaconi cum dalmaticis et unicus Presbyter cum pluviali his assistant. Duo insuper Cappellani qui de mitra et baculo ac totidem Acolythi pro candelabris inserviant. Praeterea sex alii Canonici, vel Monachi, duo scilicet pluvialibus, duo planetis, totidemque tunicellis induti Divinis huiusmodi interesse valeant, qui tamen non in sedibus seu stallis choralibus, sed in scamnis absque postergalibus panno viridi laneo coopertis situ congruo accomodatis, moxque illico removendis consideant.

8. Mitram pretiosam, nisi illis expresse a S. Sede indultam, non adhibeant. Sub mitra pileolum nigri tantum coloris. induant. Baculum pastoralem albo velo appenso deferant, ab iisque et aliis Pontificalibus, etiam de Ordinariorum licentia extra Ecclesias sibi subiectas prorsus abstineant, et neque in processionibus, quae ab eorum ecclesiis per vias extra ambitum, vel parochiam ducuntur, insigniis praedictis utantur, vel penes se perferri faciant.

9. Regulares rocchettum non deferant, nisi ex tali Ordine fuerint, cui indumentum huiusmodi competat.

10. Invitati ad ecclesiam exemptam, nec in illa Pontificalibus uti valeant, nec ii qui non fuerint Abbates perpetui,

vel benedicti in propriis Ecclesiis uti possint privilegio perpetuis Abbatibus, vel alias benedictis indulto.

11. Sacras vestes ex Altari non sumant, nisi pontificaliter Divinis vacaturi.

12. Indulgentias impertiri, vel publicare non audeant absque expresso S. Sedis indulto.

13. Pontificales benedictiones cum trina Crucis productione in Missis tantum pontificalibus, necnon vesperis et matutinis pontificaliter itidem celebratis licere sibi tantum meminerint. Privatim vero populis quamvis pleno iure subiectis, nisi expresse ipsis permissum fuerit, etiam pontificalibus induti per Ecclesiam incedentes benedicere non praesumant.

14. Praesente Episcopo, sine speciali Sedis Apostolicae permissu etiam pontificaliter celebrantes a benedictionibus cessent.

15. Si Episcopus aderit, ipsius sedes in cornu Evangelii uno solum gradu eminentior Abbatiali est erigenda, haecque altero gradu humilior, ut dictum est, in cornu Epistolae collocetur. A latere Episcopi Canonici Cathedralis, prope Abbatem Canonici vel Monachi monasterii abbatialis ecclesiae considеant. Confessionem cum Celebrante Episcopus faciat, isque thus thuribulo imponat, Evangeliorum textum osculetur, et populo solemniter (quamvis Abbas ipse pontificaliter celebret) benedicat. Episcopus propterea trino ductu, et immediate Canonici Cathedralis duplici, moxque Abbas (nisi celebret) pariter duplici, ac subinde Canonici vel Monachi abbatialis ecclesiae unico tantum ductu thurificentur.

16. Abstineant tamen Episcopi, ubi consuetudo contraria non viget, a frequenti huiusmodi accessu ad ecclesias exemptas in similibus actibus, ut liberius Abbates valeant suis uti privilegiis.

17. In Ordinationibus Canonicorum, Clericorum, Monachorum, necnon in vestitionibus Monialium et emissione professionis earumdem etiam pleno iure sibi subiectarum, in benedictione sacrae supellectilis, ceterisque actibus (Missarum, Vesperarum, Matutinarum solemniis ter tantum in anno, ut praefatur, exceptis) neque in ecclesiis, oratoriis, aliisque locis tam publicis, quam privatis quantumvis exemptis, eisdemque

Abbatibus pleno iure subiectis, mitram, baculum et quaevis alia pontificalia insignia nisi de expressa Sedis Apostolicae concessione adhibeant.

18. Ecclesiasticam suppellectilem pro servitio dumtaxat suarum ecclesiarum, vel monasteriorum benedicant.

19. Reliqua pontificalia extra loca ipsis Abbatibus subiecta, vel pro servitio alienae ecclesiae, aut in subditos pariter alienos etiam de licentia Ordinariorum exercere non valeant, puta campanarum benedictionem, calicum et similium, in quibus sacra adhibetur unctio, nec non Minorum Ordinum collationes.

20. Concionatoribus, qui eorum subditis verbum Dei praedicandi onus acceperint, benedictionem elargiri non praesumant, sed Episcopis, quibus ius huiusmodi privative competit, omnino dimittant.

21. In Missis privatis quoad indumenta, caeremonias, ministros, Altaris ornatum et benedictionis largitionem a simplici Sacerdote non discrepent, ac proinde sacras vestes induant in sacristia, neque utantur Cruce pectorali, unico sint contenti ministro, aquam cum pelvi et urceolo argenteis sibi ministrari non sinant, duasque tantum candelas super Altari adhibeant.

His autem SSm̃o relatis, et in C. S. R. ordinaria habita coram Sanctitate Sua per Em̃um et Rm̃um D. Card. Brancaccium accurate perlectis, mature discussis, Sanctitas Sua ea approbavit, et pro omnimoda eorumdem observatione typis mandavit imprimi, ad valvas affigi et publicari, ut elapso termino sex mensium a die publicationis eorumdem, omnes et singulos usu pontificalium gaudentes tum saeculares, tum regulares, quantumvis exemptos et speciali expressione indigentes afficiant et arctent, ac si omnibus et singulis eadem adhibita, vel personaliter praesentata, intimata, seu notificata fuissent, indulsitque praeterea locorum Ordinariis, ut auctoritate Sedis Apostolicae possint, imo debeant praefatos etiam per censuras compellere.

Cumque nonnulli ex praedictis Abbatibus et Praelatis proprium habere possint territorium, iuraque episcopalia, nullisque subdantur Episcopis, qui eos coercere, si excesserint,

valeant, eo casu a Sedis Apostolicae Nuntiis, si aderunt, sin minus ab Archiepiscopis, in quorum provinciis, vel ab Episcopis Romano etiam Pontifici subiectis intra vel prope quorum dioecesuum limites eorum ecclesiae vel monasteria sita fuerint, tamquam a S. Sede delegatis ad huiusmodi decretorum observationem praedicti omnino cogantur. Die 27 Septembris 1659.

Congregationis Cassinensium

Procurator generalis Congregationis Cassinensium SSmo humiliter supplicavit, dignaretur praecipere C. S. R., ut quae Abbatibus Cassinensibus particulari Sedis Apostolicae indulto ex vetitis, et praeter expressa in decreto novissime super usu pontificalium edito adhibere liceat, praevia discussione declararetur. SSmus autem Oratoris preces ad eamdem Congregationem transmisit, rescripsitque per Emum D. Card. Franciottum notulam dubiorum supplici libello subnexam in ipsa Congregatione referri, quae

Ad § 4. decreti, quo prohibetur usus praeterquam unius abaci, asserentibus Monachis hactenus ab immemorabili tempore eorum Abbates adhibere consuevisse secundum abacum ad pelvim et urceolos exponendos, censuit *servandum esse decretum.*

Ad § 5. quo tribus tantum diebus de praecepto etc. pontificalis celebratio permittitur exponentibus Monachis taxativam huiusmodi non extendi ad usum pontificalium sine baldachino, ac praeterea ex indulto Alexandri II. sibi competere pontificalium usum, tum in exequiis nobilium virorum, S. C. censuit *huiusmodi privilegium tantummodo suffragari monasterio Cavensi, nec ad alia monasteria extendi.*

Ad § 6. quo in accessu Abbatis Divina peracturi, et recessu eiusdem post Divina absoluta, prohibetur associatio more Episcoporum affirmantibus Monachis se ab immemorabili tempore simili associatione usos esse, atque indecorum videri ut Abbas pontificaliter peracturus Divina solus ecclesiam petat;

S. C. censuit *annuendum esse petitis, modo non extra, sed intra septa monasterii sese ad ecclesiam conferat.*

Ad § 7. quo taxatur numerus Ministrorum, exponentibus Monachis Abbates indigere ministris ad librum et candelam, ad intorticia elevationis, et ad candelabra Evangelii, ad mitram et baculum. S. C. censuit *indulgendos fore alios quatuor ministros cotta indutos, praeter expressos in decreto.*

Ad § 8. quo usus mitrae pretiosae et baculi sine velo appenso vetitus est, asserentibus Monachis mitram pretiosam ipsis de iure competere, velum quoque nunquam eis consuevisse baculo appensum adhibere, nec esse de ritibus Romanae Ecclesiae, sed Ambrosianae tantum. S. C. censuit *quoad mitram servandam esse dispositionem cap.* ut Apostolicae de privileg. in 6, *quoad baculum vero servandum esse decretum.*

Ad § 10. quo prohibetur usus pontificalium in aliena ecclesia, licet exempta, quamvis Abbas ad ipsam fuerit invitatus, exponentibus Monachis eos inibi pontificalibus insigniis hactenus usos esse, idque a iure ipsis permissum praesumere. S. C. censuit *servandum esse decretum.*

Ad § 11. quo sacras vestes ex Altari sumere Abbates privatim celebraturi prohibentur, asserentibus Monachis se hactenus tali privilegio gavisos esse. S. C. censuit *servandum esse decretum.*

Ad § 13. quo disponitur, ne Abbates extra pontificalia pontificali more, ac trina Crucis productione, necnon privatim occurrenti populo, tum pontificaliter induti etiam per ecclesiam incedentes benedicant, asserentibus Monachis Abbates in Missis privatis hactenus episcopali more benedixisse, et pontificalibus praesertim indutos per ecclesiam transeuntes occurrenti populo benedictionem elargiri consuevisse. S. C. censuit *servandum esse decretum.*

Ad § 14. quo in praesentia Episcopi Abbatibus denegatur facultas benedicendi solemniter etiam in pontificalibus, asserentibus Monachis ex privilegio ipsis, etiam praesente Episcopo, benedictiones huiusmodi competere. S. C. censuit *servandum esse decretum.*

Ad § 15. quo traditur ordo inferioribus Praelatis Divina

pontificaliter peragendi, praesente Episcopo loci Ordinario, exponentibus Monachis Episcopo vetitum reperiri ingressum in eorum ecclesias ipsis invitis. S. C. censuit *servandum esse decretum.*

Ad § 17. quo usus mitrae et reliquorum insignium pontificalium praeterquam tribus anni diebus abrogatus est, suggerentibus Monachis indecorum videri, ut in Ordinibus conferendis, in consecrationibus et in receptionibus et professione Monachorum et Monialium Abbates mitram non adhibeant. S. C. censuit *indulgendum fore ut ea tantum utantur in actis Ordinationum et benedictionum cum sacro Oleo.*

Ad § 19. quo vetita est Abbatibus benedictio sacrae suppellectilis pro usu alienarum ecclesiarum, asserentibus Monachis, pro aliena ecclesia ex Apostolico indulto eis licitum esse ecclesiasticam suppellectilem benedicere. S. C. mandavit *exhiberi indultum authenticum ex Archivio Apostolico desumptum, et interim abstineri.*

Ad § 21. quo in Missis privatis prohibentur Abbatibus quivis ritus et praerogativae ad Episcopos privative spectantes, exponentibus Monachis, Abbates Cassinenses hactenus in Missis privatis adhibuisse quatuor candelas, ministros ad lotionem manuum, ac duos assistentes cum cotta etc. S. C. censuit *servandum esse decretum.*

Praesentisque declarationis decretum typis imprimi posse concessit. Die 12 Iunii 1660.

Praedictis autem SSm̃o relatis, Sanctitas Sua ea approbavit, et decretum editum die 27 Septembris 1659 omnino exequi et servari mandavit. Verum quoad §§. 5. 6. 7. 8. et 17. ad limites tantum praesentis declarationis et non alias; salva quavis contraria verbaliter tamen expressa dispositione privilegiorum particularibus Monasteriis Congregationis Cassinensium concessorum. Die 20 Iulii 1660.

CAPUT IV.

DE PROTONOTARIIS APOSTOLICIS AD INSTAR DEQUE ALIIS COLLEGIIS PRAELATITIIS QUAE FRUUNTUR PRIVILEGIIS EISDEM AC PROTONOTARII

Sixtus V. sa. me. in sua Constitutione *Laudabilis*, edita die 5 Februarii 1586 concessit Protonotariis Apostolicis usum ornamentorum pontificalium in Missis solemnibus extra urbem. « Et qui ex eis in presbyteratus ordine constituti fuerint, in » Missis solemnibus mitra et quibusvis aliis pontificalibus in» signibus, etiam in cathedralibus ecclesiis, de illorum tamen » Praesulum, si praesentes sint, si vero absentes, absque illorum » consensu, etiam illis irrequisitis, extra dictam Curiam uti. »

Multae plus minusve favorabiles circa horum privilegiorum interpretationem inter aliquot eruditos Scriptores ortae sunt opiniones. Ex opinionum autem discrepantia factum est, ut etiam inter Episcopos et Protonotarios orirentur quaestiones. Ad huiusmodi quaestionibus modum imponendum et ad statuendam regulam invariabilem in posterum, Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX. specialem nominavit Congregationem, cui facultatem concessit decernendi de dubiis propositis et exhibendi normam generalem, observandam a Protonotariis in celebratione Missarum solemnium. Itaque in Constitutione *Apostolicae Sedis officium* etc. die 29 Augusti 1872 sancivit et adprobavit regulam illam, ex qua sumimus ea, quae ad nostri operis finem possunt conferre.

Sequuntur nonnulla Constitutionis praedictae decreta.

1. Liceat illis (Protonotariis Apostolicis *ad instar participantium*) habitu praelatitio uti, nimirum veste talari caudata, fascia et palliolo, seu mantelletto violacei coloris, cum collari et caligis item violaceis, ac bireto, quod tamen nigri coloris omnino esse debet.

2. Hunc habitum praelatitium cum roccheto subtus palliolum adhibere poterunt in publicis supplicationibus, aliisque sacris functionibus; in reliquis vero rocchetum dimittant; simulque sciant nunquam sibi licere, praeterquam in celebratione Missae pontificalis, Crucem pectoralem et annulum deferre.

3. Habitu praelatitio induti, quoscumque Clericos, Presbyteros, Canonicos singillatim sumptos, nec non Praelatos Ordinum regularium, quibus pontificalium privilegium non competat, praecedunt: minime vero Vicarios generales, vel capitulares, Canonicos collegialiter unitos et Abbates.

4. Si in habitu praelatitio sacris functionibus assistant, non genuflectant, sed caput Cruci inclinent, ut fieri solet a Canonicis ecclesiarum cathedralium, duplici ductu thurificentur, et considеant iuxta ordinem supra indicatum.

5. Si forte Canonicatu aut Dignitate in aliqua ecclesia potiantur, habitum ibi gestent sui Ordinis proprium, non praelatitium: excepta tantum veste talari, quae violacea esse poterit, eoque consideant et incedant loco, qui ipsis ratione beneficii competit. Quod si habitu praelatitio uti nihilominus velint, sedem occupent ipsis superius assignatam et pro ea vice distributiones quotidianas amittant, quae Sodalibus accrescant.

6. Meminerint tamen Protonotarii Apostolici *ad instar participantium*, minime obstantibus privilegiis superius recensitis, ipsos a locorum Ordinariis eorumque iurisdictione minime esse exemptos, sed iisdem Ordinariis iuxta communis iuris regulas, omnino subiectos, nec proinde sine expresso illorum assensu, nunquam posse pontificalia exercere.

7. Impetrata autem Ordinarii venia, qui eam tribuere poterit quoties et pro quibus solemnitatibus voluerit, et si Missa solemnis celebranda sit in ecclesia exempta, obtento insuper assensu Praelati, cui haec ipsa ecclesia subest, non idcirco memorati Protonotarii fas sibi esse putent solemne Sacrum iisdem ritibus et pompa peragere, qui episcopali tantum dignitati conveniunt. Plura siquidem sunt, quae illis omnimode, prout sequitur, interdicuntur.

8. Itaque ad ecclesiam ubi rem divinam sint solemniter celebraturi, privatim accedant. Non cappam magnam, nec pi-

leum pontificale audeant assumere, ne unum quidem Presbyterum, vel Clericum superpelliceo indutum sibi comitem adsciscant, non in templi vestibulo ab ecclesiae clero associari se sinant; non denique populum aqua lustrali ibidem aspergere, nec ipsi intra ecclesiam benedicere manu praesumant.

9. Item abstineant ab usu septimi candelabri super Altari, sacras vestes non ex eo, sed in Sacrario assumant et deponant, non in faldistorio, eove minus in throno sedeant, sed una cum Ministris in scamno cooperto tapeto vel panno coloris officio diei respondentis, non baculo pastorali, non Canone, non palmatoria, non Presbytero assistente utantur; manus nonnisi post offertorium ad Altare lavent. Denique non dicant *Pax vobis* loco *Dominus vobiscum* dum populum salutant, nec in fine Missae trinam benedictionem impertiantur.

10. Quoad ornamenta pontificalia, hisce tantum uti poterunt, scilicet caligis et sandaliis sericis, nec auro, nec argento ornatis, sericis item chirothecis sine opere phrygio aureo vel argenteo, dalmatica, tunicella, annulo cum unica gemma, Cruce pectorali sine ullis gemmis cum chordula serica violacei coloris, mitra simplici ex tela alba cum sericis laciniis rubri coloris, ac pileolo nigri coloris, attamen nonnisi sub mitra adhibendo.

11. Haec vero ipsa pontificalia ornamenta assumere nequibunt in Missis pro defunctis, in processionibus et in quibuscumque aliis functionibus ecclesiasticis, nisi forte Missam solemnem immediate praecedant, vel subsequantur, at semper depositis in eiusmodi functionibus a Missa distinctis, chirothecis cum dalmatica et tunicella.

12. In Missis privatis quoad indumenta, caeremonias, ministros, Altaris ornatum, cereorum lucentium numerum, a simplici Sacerdote non differant, adeoque nullum prorsus ex ornamentis pontificalibus pro Missa solemni tantum sibi indultis adhibeant, atque ab omnibus et singulis ritibus in ipsa Missa solemni sibi vetitis penitus abstineant.

13. Verum cum Protonotarii *ad instar participantium* nequeant in Urbe ob Summi Pontificis praesentiam pontificalia exercere, hinc illis Romae permittitur ut iuxta vigentem ibi usum possint in Missis privatis, dummodo habitu praelatitio sint induti,

sese ad Missam praeparare, eaque absoluta gratiarum actiones persolvere coram Altari in parvo genuflexorio sine strato cum duobus pulvinaribus tantum, altero sub genibus, altero sub brachiis; sacras vestes ex eodem Altari sumere, palmatoria uti, ac Presbyterum superpellicio indutum adhibere, qui Missalis folia evolvat: salvis tamen quoad Patriarchales Basilicas peculiaribus statutis et consuetudinibus ibidem laudabiliter observatis, et cauto semper ut abstinere omnino debeant ab annulo et Cruce pectorali, ab usu pileoli, a salutatione populi per verba *Pax vobis*, a trina benedictione in fine Missae et ab aliis quibuscumque ritibus et caeremoniis, nonnisi S. R. E. Cardinalium et Episcoporum propriis.

14. Recensita hactenus privilegia illa sunt, quibus dumtaxat Protonotarii *ad instar* ab Apostolica Sede donantur. Verum non aliter illa exercere licebit iis, qui huiusmodi honorem rite fuerint consecuti, nisi antea Apostolicas literas, vel legitimum diploma suae nominationis in officio Secretarii Collegii Protonotariorum participantium exhibuerint, cuius erit in codicem referre nomen, cognomen, aetatem, patriam et qualitates novi Protonotarii *ad instar*, nec non diem expeditionis praedictarum litterarum Apostolicarum, seu diplomatis; nisi insuper coram Decano Protonotariorum participantium vel per se, si Romae versentur, vel per legitimum Procuratorem, si alibi commorentur, Fidei professionem et fidelitatis iuramentum praestiterint, et nisi denique de sua legitima nominatione, nec non de Fidei professione et fidelitatis iuramento a se ut supra praestitis authenticum documentum nomine totius Collegii Protonotariorum participantium ab huius Decano et Secretario subscribendum et Collegii ipsius sigillo muniendum, Ordinario praesentaverint, una cum notula typis impressa honorum, privilegiorum et praerogativarum Protonotariatui *ad instar* inhaerentium ad formam praesentis Decreti, iisdem prorsus quibus supra subscriptionibus et sigillo munita.

15. Qui secus facere aliisve, praeter memorata, privilegiis et iuribus uti praesumpserint, si ab Ordinario semel et bis admoniti non paruerint, eo ipso Protonotariatus honore privatos se sciant.

16. Quae supra de usu pontificalium et de modo Missam privatam celebrandi quoad Protonotarios *ad instar participantium* decreta sunt, a ceteris etiam Romanae Curiae Praelatis, quibus ex Constitutionibus aliisque specialibus Indultis Apostolicis privilegium pontificalium competat, erunt adamussim servanda. Si qui vero Praelati et Praelatorum Collegia amplioribus hac in re praerogativis se aucta fuisse arbitrentur, sua iura in S. Rituum Congregationem deducant, ut quod e canonicarum sanctionum praescripto visum fuerit, opportune decernatur.

17. Quum autem intra privilegia, quibus a Romanis Pontificibus nonnulla Cathedralium aliarumve insignium Ecclesiarum extra Urbem Capitula decorata fuerunt, illud quoque fuerit identidem concessum, ut praedictarum Ecclesiarum Canonici titulo gaudeant Protonotariorum *ad instar participantium;* attente perpendant istiusmodi Capitula ex nudo hoc titulo singulis Canonicis Pontificia benignitate tributo, minime deduci posse privilegia quoque ipsis indulta fuisse eorumdem Protonotariorum propria, sed iuxta regulam a Sacra Rituum Congregatione in generali Decreto diei 27 Aprilis 1818 traditam, et a sa. me. Pio VII. Idibus Decembris eiusdem anni in Constitutione *Cum innumeri* confirmatam, meminerint: « Leges et con» ditiones in Apostolicis indultis praefinitas, accurate diligen» terque servandas, neque ulli fas esse concessionis limites pro » suo arbitrio praetergredi, vel in Romana Curia id genus in» signia deferre, vel sibi singulatim et extra Collegii functiones » attributa existimare, quae corpori tantummodo sunt collata. »

18. Ceterum praedicta Congregatio particularis hoc Decreto nihil detractum voluit de iuribus, privilegiis et exemptionibus Collegio Protonotariorum participantium iuxta Constitutiones Apostolicas, ac praesertim iuxta literas in forma Brevis *Quamvis peculiares facultates* die 9 Februarii 1853, quoquo modo spectantibus.

Hactenus superius nominata Constitutio.

Quod spectat ad Praelatos domesticos, qui nulli ex Collegiis praelatitiis addicti sunt, permittitur tantum usus habitus praelatitii. Si uti praeoptant rocheto, obtinere ad hoc debent permissum Sedis Apostolicae specialem. In celebratione Mis-

sarum tum solemnium, tum etiam privatarum et in alia quacumque functione, distingui a simplicibus Presbyteris nequaquam debent.

CAPUT V.

DE CETERIS SUMMI PONTIFICIS FAMILIARIBUS ECCLESIASTICIS

1. Praeter superius nominatos Praesules, sunt inter ecclesiasticos Summi Pontificis familiares intimi, qui plures in classes distribuuntur; sunt enim Cubicularii secreti supranumerarii, Cubicularii honorarii, Cappellani secreti supranumerarii et honorarii. Illorum complures degent habitualiter extra Urbem et aliquem servant ex praedictis titulis honorificis. Innuemus ea, quae ipsis competunt.

2. Habitus omnibus idem, neque ulla fit distinctio ab una ad alteram classem. Hiemis tempore utuntur habitu violaceo ex panno, idest veste talari absque syrma, cum ocellis, orbiculis, paramanibus et fimbriis sive orae textibus ex serico violaceo. Cinguntur fascia sericea coloris violacei, quinque sexve digitos lata, quae descendit super latus sinistrum duplum ferme palmum, et cuius in extremitate pendent flocculi duo ex serico violaceo. Supra vestem talarem induunt pallium (vulgo *mantellone*) longum aeque ac vestis talaris, pallium autem ex panno confectum, ornatur reflexibus internis et fimbriis sericis coloris violacei.

3. Aestivis autem mensibus, eodem vestiario utuntur, sed adhibent pannum sericeum violaceum cum ocellis et orbiculis pariter sericeis.

4. Habitum istum, qui vocari potest habitus formalis, induere possunt in functionibus sacris et in aliis actibus solemnibus.

5. Si placeret eis intervenire in chorum alicuius ecclesiae, licebit ipsis accedere, sed sedebunt ultimo loco post Canonicos; super eos enim nequeunt gaudere praecedentia.

6. Si quis ex dictis ecclesiasticis addictus esset alicui Capitulo, non licebit ei praetendere praecedentiam ullam propter titulum honorificum supradictum, sed eo debebit sedere loco, qui spectat ad ipsum ratione possessionis et praecedentiae ex respectivis constitutionibus ei debitae. Licebit tantum induere vestem violaceam cum fascia, supra quam assumet habitum choralem sive rochetum sive superpelliceum, cappam, almutiam, mozzetam vel aliud quodcumque insigne Capitulo concessum. Id autem intelligi volumus eo tantum casu, quo Capitulo eidem non sit concessum aliud vestis talaris genus, quo sit constitutus habitus in choro utendus.

7. Cappa, seu crocea lanea rubri coloris cum caputio ex pellibus armellini in hieme, et serico rubro aestivo tempore, adhibetur Romae tantum in functionibus, quae a Summo Pontifice celebrantur.

8. Caligis violaceis uti eis non licet (earum enim usus a Clemente XIV. concessus iis tantum fuit, qui Summo Pontifici peregre proficiscenti, vel rusticanti inserviunt), neque flocculo seu chordula violacea sive rubri coloris galero circumdata; vetatur eis usus scotulae, canonis et cuiuscumque alius honorificentiae ac distinctionis; in Missis tum privatis tum solemnibus discerni a Presbyteris simplicibus non debent.

CAPUT VI.

DE PROTONOTARIIS TITULARIBUS

1. Praeter Protonotarios Apostolicos, altera est classis Protonotariorum, qui appellantur titulares sive honorarii, quorum praerogativae quum possint relationem habere cum functionibus sacris, opportunum censemus brevem de ipsis afferre notitiam, extractam ex Constitutione Pii VII. sa. me. cuius initium *Cum innumeri*, die 13 Decembris an. 1818.

2. Protonotarii honorarii extra Urbem et quando in eo-

rum mansionibus loco non adsit Summus Pontifex, gaudent privilegio utendi habitu praelatitio, nempe veste talari et mantelleto nigri coloris.

3. In processionibus aliisque ecclesiasticis functionibus utentur subter mantelletum rocheto, quod statim ac functio peracta erit, dimittent.

4. Si forte plures simul convenirent Protonotarii honorarii, nunquam Collegium aut corpus component.

5. Vetatur eis usus collaris violacei, caligarum similis coloris, flocculi similis aut rosacei galero adhaerentis, qui poterit esse nigri coloris tantum, quemadmodum niger erit galerus cum flocculis similiter nigri coloris in stemmate gentilitio.

6. Si qua Dignitate aut Canonicatu fruuntur in aliqua Cathedrali vel Collegiata, debent in chorum intervenire induti habitu canonicali et sedere eo loco, qui decet eos ratione beneficii: quod si placeret eis in choro uti habitu praelatitio, nequeunt percipere distributiones relativas, quae inter beneficiarios ceteros praesentes dividentur.

7. Quando induent habitum praelatitium, gaudebunt praeminentia super clericos superque Praelatos simplices et super singulos etiam Canonicos, non vero super Capitulum.

8. Praecedentia non gaudebunt super Nuntios Apostolicos nec super Praelatos Curiae Romanae, quamvis nullum habeant insigne dignitatis suae, vel praerogativam, modo cognoscantur, neque super Vicarios generales aut capitulares, nec super Abbates.

9. In celebratione Missae distingui a simplicibus Presbyteris non debent, ideoque sacra paramenta induent in Sacrario, uno tantum utentur ministro, per se ipsi deferent calicem, quem pariter cooperient ac detegent ipsimet, itemque folia Missalis evolvent; scotulam, canonem, annulum, pileolum non adhibebunt.

10. Quando assistent Missae solemni, non geniculabunt, sed inclinabunt caput, ut mos est Canonicis Cathedralium; incensabuntur duplici ductu; sedebunt quo loco ipsis attribuitur a Caeremoniali Episcoporum.

11. Omittimus referre cetera privilegia, quia nullam ha-

bent rem cum huius operis fine, quae qui cuperet discere, conferre poterit superius nominatam Pii VII. Constitutionem, quae inserta est collectioni authenticae S. Rituum Congregationis decretorum vol. VI. pag. 61. num. 4395.

12. Notandum postremo, quod Protonotariis honorariis nequaquam licet suis uti privilegiis, nisi effecerint, ut Breve seu Diploma electionis suae referatur in acta Secretariae Collegii Protonotariorum apostolicorum, quod recognosci debet ab Ordinario loci, ante quem, vel ante aliam etiam personam in dignitate ecclesiastica constitutam, emittere professionem Fidei et iuramentum fidelitatis erga Summum Pontificem et Romanam Ecclesiam debent.

CAPUT VII.

DE CANONICIS, QUI USU MITRAE GAUDENT

1. Capitulorum quorumdam Canonici fruuntur privilegio aliquorum insignium pontificalium, quae ad maiorem ipsorum decorem ab Apostolica Sede conceduntur.

2. Ad tollendas et praeoccupandas abusiones, quae oriri possent ex huius privilegii interpretatione, S. Rituum Congregatio generale decretum emanavit die 27 Augusti an. 1822, quod confirmatum fuit a Summo Pontifice Pio VII. edita Constitutione, cuius initium *Decet Romanos Pontifices*, die 4 Iulii an. 1823.

3. Brevissima documenta, quae hac super re tradentur, excerpta sunt ex supradicta Constitutione.

4. Itaque in ipsa Constitutione statuitur, quod celebratio divinorum officiorum cum ritu pontificali spectat iure exclusivo ad solos Episcopos, quod Praelati Episcopo inferiores, illa utuntur ex privilegio et cum restrictionibus multis, quibusdam tantummodo diebus, nec possunt alioquin uti, quamvis Episcopus facultatem ipsis expressam fecerit, in ecclesiis quae non sunt eis subiectae. Quare Dignitates, Canonici, Rectores

Ecclesiarum, quamvis insignium et privilegiatarum, non possunt functiones sacras celebrare ritu praescripto pro Episcopis et Praelatis inferioribus, neque ullum induere ex ornamentis pontificalibus sine expresso Sedis Apostolicae indulto.

5. Quodvis privilegium, quod ad maiorem quarumdam Ecclesiarum insignium a S. Sede conceditur Dignitatibus, Canonicis, Rectoribus et quibuscumque aliis, interpretandum est *strictissime de iure*, siquidem laesivum est Dignitati Episcopali. Quapropter nihil aliud intelligendum est concessum, nisi quod expressum est specialiter, neque ab uno sive indulto sive privilegio dari potest illatio ad id, quod specialiter et singulariter expressum non fuit.

6. Praeterea non omnia omnibus convenire possunt insignia pontificalia; siquidem ea, quibus utitur Celebrans, decere sane non possunt Ministros et Assistentes.

7. Quare nomine generico ornamentorum pontificalium, Capitulis insignioribus concessorum, intelligi debent caligae et sandalia cum chirothecis non auro neque argento aliove ornamento distincta, sed ex serico simplici; tunicella, dalmatica, Crux pectoralis sine ullo gemmarum ornatu, annulus cum una tantum gemma et mitra ex tela albi coloris linea cum lacinia sericea rubri coloris in extremitatibus vittarum. Quibus insignibus uti poterit tantummodo Dignitas, Canonicus, Rector, qui celebrabit solemniter, nisi ex privilegio aliquod ex ornamentis praedictis sit exclusum.

8. Ministri Missae solemnis, quamvis sint ex numero Dignitatum et Canonicorum, uti non possunt mitra neque alio ex supradictis ornamentis; immo, si gaudebunt etiam privilegio scotulae, debebunt omnino illius usu abstinere in cantu Epistolae et Evangelii.

9. Quod vero spectat ad dies, quibus possunt uti insignibus ex privilegio concessis, restringitur tantum ad illos, in quibus celebrant loco Episcopi absentis, aut impediti, vel defuncti, et in quibus Episcopus assistere Missae solemni solet, pluviali et mitra indutus. Ceteris diebus, quamvis solemnibus, celebrabunt sine ullo ex supradictis indumentis et ritu pro Presbyteris constituto.

10. Non licebit eis celebrare cum insignibus pontificalibus in ecclesiis quae sunt in civitate et dioecesi, nisi in solemnitatibus maioribus, quibus intersit Capitulum, et nisi adsit assensus Episcopi.

11. Eisdem insignibus non poterunt uti in Missis solemnibus pro defunctis, etiamsi Missae solemni assisteret Episcopus pluviali et mitra paratus.

12. Si quis Canonicorum aut Dignitatum deputabitur ab Episcopo ad solemniter induendum alicui monacandae habitum monasticum, vel ad excipiendam ab ipsa professionem solemnem, non poterit adhibere supra nominata insignia sine permissu Episcopi. Hoc casu utetur illis tantum, quae opus sunt ad functionem peragendam.

13. Celebrans indutus ornamentis supradictis sedebit non faldistorio, sed scamno consueto, medius inter Diaconum et Subdiaconum: scamnum cooperietur stragulo laneo vel sericeo, coloris respondentis paramentis.

14. In Missa sive solemni, sive privata, non licebit vestes sacras assumere ex Altari, sed in Sacrario, non utetur Canone nec scotula, nullum adhibebit Presbyterum assistentem, populum salutabit non adhibens ℣. *Pax vobis* sed alterum ℣. *Dominus vobiscum;* non poterit benedictionem trinam impertiri in exitu Missae, neque cum SS. Sacramento; atque ut omnia brevi perstringamus, interdicitur eis rerum omnium illarum usus, quae de iure spectant ad Episcopos et ex privilegio ad Praelatos inferiores, celebrantes pontificalia diebus praescriptis.

15. Dignitatibus, Canonicis et Rectoribus supradictis licet uti mitra quando assistunt Episcopo celebranti solemniter: item uti illa possunt quando collegiatim induunt habitus sacros, nempe sive pluviale sive planetam sive dalmaticam in processionibus Christi Corporis, Candelarum, Palmarum, et in candelarum ac palmarum benedictione, quamvis functiones istae celebrentur a Dignitate aut Canonico loco Episcopi absentis, impediti aut defuncti.

16. Quando Assistentes in throno aut Ministri in Altari ministrabunt Episcopo, debebunt nudato capite stare.

17. Celebrans, dum Episcopus sacros habitus assumet, vel ascendet in thronum, stabit capite nudato.

18. Non permittitur usus pulvini sub genua Canonico celebranti, praesertim si aderit Episcopus.

19. Clericus, cum velo sericeo ex collo pendente ad mitram sustinendam, permittitur tantum Celebranti in Missa solemni, aut gestanti in processionem SS. Sacramentum.

20. Canonici, Dignitates, Rectores in processionibus SS. Sacramenti, si vestes sacras induent, gestabunt mitram manibus, nec poterunt eadem operire caput in conspectu SS. Sacramenti; quae maxima esset indecentia et inobservantia erga Sacramentum ipsum.

21. Denique ea omnia quae in privilegio non notantur, existimanda sunt tamquam vetita.

22. In Missis privatis ab nullo alio Presbytero distinguentur, ideoque vestes sacras induent in Sacrario, non utentur Cruce pectorali nec annulo, uno tantum assistentur a ministro, non iubebunt sibi ministrari aquam manibus cum urceo et pelvi, ac super Altari duo tantum lumina ardebunt.

23. Eorum cadaver non exponetur nec sepelietur cum mitra.

24. In funeribus, sive super cadaver sive recurrente anniversario, mitra super tumulum non imponetur.

25. Insignibus seu stemmati familiari non apponetur mitra, nisi explicite fuerit a Sede Apostolica concessum.

26. Huiusmodi sunt dispositiones desumptae ad literam ex supradicta Constitutione pontificia circa privilegia Capitulorum aliorumque ecclesiasticorum, quibus concessus est pontificalium usus. Constitutio, de qua supra, inserta extat in Collectione authentica decretorum S. Rituum Congregationis vol. VII. pag. 123. num. 4443.

CAPUT VIII.

DE CANONICIS

1. Non est nobis animus praesenti capitulo tractatum exarare de Canonicis (quo super argumento plures scripserunt auctores), sed quasdam tantum tradere monitiones de eo quod respicit eorum in sacris functionibus officium.

2. Quod ad servitium chori et Altaris, suas unumquodque Capitulum constitutiones habet et consuetudines, quae observandae sunt a singulis individuis, quorum erit obligatio eas observare; ac si in illis forte quid reperiretur, quod iuri communi obstaret aut videretur aperte abusivum, Episcopi erit officium afferre remedium.

3. Quod autem spectat ad servitium ab ipsis praestandum Episcopo (intelligi volumus de Capitulo Ecclesiae cathedralis) quaedam innuemus desumpta ex Caeremoniali Episcoporum et ex plurimis decisionibus a S. Rituum Congregatione in hanc rem emanatis.

4. Itaque in functionibus pontificalibus, in quibus officiat Episcopus (sive cantet Missam, sive Missae assistat) et in aliis etiam solemnibus officiis, Canonici tenentur associare ipsum ex aedibus eius et eximentur tantummodo si residentia Episcopi distet ab ecclesia passus ducentos, quo casu tenentur associare eum ab ostio ecclesiae.

5. Assistere debent Episcopo in throno quando sedebit indutus cappa aut paramentis sacris. Tres autem Canonici ad assistentiam praedictam requiruntur, videlicet Presbyter assistens et bini Canonici assistentes. Officium Presbyteri assistentis fungi debet prima Dignitas aut qui primus est in Capitulo, si nulla adesset Dignitas. Officium autem Diaconorum assistentium incumbit duobus Canonicis senioribus ex ordine Diaconorum, si praebendae fuerint distinctae, vel duobus Canonicis senioribus sive aliis iuxta constitutiones et consuetudines cuiusque ecclesiae. Si in Parasceve Episcopus celebrabit fun-

ctionem, officium Presbyteri assistentis spectat ad Dignitatem secundam, ut praescribitur a Caeremoniali lib. II. cap. XXV. utque monuimus cap. XVII. libri VI. Assistentes antedicti sedere debent scabello nudo, ut respectivis capitulis tradidimus, quaecumque demum sit functio, quae celebretur.

6. Quando Episcopus pontificabit Missam, ministerium Altaris, seu officium Diaconi et Subdiaconi spectat ad Canonicos seniores in supradictis ordinibus, vel ad alios iuxta respectivos ecclesiarum usus.

7. Tenentur etiam Canonici assistere Episcopo in functionibus pontificalibus, quas exercebit extra Cathedralem, sed intra moenia, et in Collegiatis etiam, si Canonici Cathedralis huiusmodi privilegio potiuntur.

8. Item tenentur assistere Episcopo in sacra ordinatione.

9. In Missis pontificalibus aliisque functionibus superius notatis, debent omnes induere vestes sacras, iuxta ordinem suum, et abusio est in istis functionibus eos assumere cappam.

10. Si in Oleorum Sacrorum et S. Chrismatis consecratione deesset numerus statutus Sacerdotum, Diaconorum et Subdiaconorum, eorum defectum supplebunt Canonici.

11. In celebratione autem Missae distingui non debent a ceteris Presbyteris.

12. In Sacramentorum administratione dimittere habitum choralem debent et induere superpelliceum atque stolam, quemadmodum praescribit Rituale Romanum.

13. Vetantur induere habitum choralem extra ecclesiam et functiones capitulares. Si exercebunt ministerium praedicationis, licebit eis uti habitu chorali in illa tantum ecclesia, cui sunt addicti.

14. Non licet arbitratu suo variare insignia choralia, vel iis ullum signum notamve adiicere sine Sedis Apostolicae indulto.

15. Quae heic retulimus, respective facere possunt Canonicis etiam Collegiatarum.

CAPUT IX.

DE VICARIO GENERALI

1. S. Rituum Congregatio multas emanavit de Vicario generali, de Vicario apostolico, de Vicario capitulari deque Vicariis foraneis decisiones, quarum vestigia sequentes, relativa ad haec officia trademus documenta.

2. Ordinarius Vicarii generalis habitus est vestis talaris nigra cum pallio simili. Non gaudet usu caligarum violacearum, non flocculi in pileo aliarumve distinctionum, quae sunt Praelatorum.

3. In Congregationibus capitularibus et in choro praecedentia gaudet super Dignitates et Canonicos omnes.

4. Primus ei debetur locus in choro, vel locus in choro distinctus, a sedilibus canonicalibus separatus, iuxta consuetudinem cuiusque ecclesiae.

5. Quando Canonici et Dignitates induunt vestes sacras, Vicarius generalis nec potest nec debet induere paramenta, siquidem is non est de Capitulo. Hoc igitur casu abstinebit a choro ac si velit in choro adesse, ultimum locum inter Canonicos occupabit, modo non sit ei locus distinctus, ut supra.

6. Functiones quae sunt Episcopi, si hic esset impeditus, celebrandae sunt a Dignitatibus et a Canonicis, nunquam a Vicario generali.

7. Primum obtinet locum super eum qui laicalem auctoritatem repraesentat.

8. Thurificationem et Pacem accipere debet ab eo qui dat illam Dignitatibus et Canonicis: utramque autem accipiet ante Dignitates et Canonicos, nisi fuerint parati: sin parati essent, accipiet post illos. Si Episcopus assistet Missae solemni, accipiet thurificationem et Pacem post Episcopum eiusque assistentes. Thurificationem duplici ductu accipiet, quamvis non adesset Episcopus.

9. In quibus processionibus Canonici sacra paramenta in-

duunt, non licet Vicario generali incedere ultimo loco inter Dignitates et Canonicos.

10. Associatio totius aut partis Cleri ad ipsum non spectat, nec porrigendum ei aspersorium est in limine ecclesiae.

11. Usus scotulae aliarumque distinctionum, quae decent Episcopum, non permittitur ei, neque quum cantat Missam, licet adhibere Presbyterum assistentem indutum pluviali.

12. In celebratione Missae distingui non debet a quovis alio Presbytero tum in numero candelarum, tum in ministro, nec paramenta assumere ad Altare.

13. Loco, quem occupat in choro, nec stratum neque pulvini sunt apponendi.

14. Occupare sedem Episcopi tam in functionibus, quam in auscultandis concionibus sacris et concionatori benedictionem impertiri nequaquam ei licet.

15. Si Canonicus erit et frui velit distributionibus, nulla gaudet praecedentia super ceteros; sedere debebit quo loco ei competit, induere habitum choralem eaque omnia exsequi, quae ad ipsum, utpote Canonicum, pertinebunt.

CAPUT X.

DE VICARIO APOSTOLICO

1. Vicarius apostolicus praerogativis, distinctionibus et privilegiis gaudet eisdem, quibus Vicarius generalis, quaeque superius adnotavimus. Quapropter ad eum minime spectat associatio Cleri, nec aspergere aqua benedicta adstantes; non est ei offerendus Evangelii textus, ut ipsum osculetur, neque praesumere potest alia, quae solum Episcopum decent. Appellatur *Apostolicus*, quia non ab Episcopo aut a Capitulo, sed a Summo Pontifice ad hoc officium nominatur.

CAPUT XI.

DE VICARIO CAPITULARI

1. Vicarius capitularis eligitur a Capitulo Cathedralis in obitu Episcopi, ut suscipiat administrationem dioecesis et redditunm, iuxta praescriptiones canonicas.

2. Habitus Vicarii capitularis idem ac Vicarii generalis est, videlicet vestis talaris nigra cum pallio simili, et vetatur usus caligarum violacearum, flocculi in pileo, annuli aliarumque distinctionum, quae propriae Praelatorum sunt.

3. Celebrare non potest functiones quae sunt Episcopi, cui succedit prima Dignitas ex iure.

4. Vicario generali non est praestanda obedientia, qui actus debetur Episcopo exclusive.

5. Locus eius in functionibus et in choro est post Dignitatem primam Capituli, ideoque in processionibus incedet a sinistris primae Dignitatis. Quare non licet ei sedere in sede Episcopi tam in officiis, quam in concionibus sacris, nec potest a Clero exigere illos obsequii actus, qui sunt Episcopi solius.

6. In literis patentibus, quas emittet ad expedienda negotia dioecesis, debebit apponere sigillum Capituli Cathedralis.

7. In celebratione Missae distingui a quovis alio Presbytero non debet.

8. Si fuerit Canonicus ac velit frui distributionibus, induet habitus chorales et sedebit quo loco conveniet ei ratione Canonicatus.

9. Tempore officii sui non tenetur applicare Missam pro populo in diebus festis.

10. Transacto ultimae visitationis anno, potest Vicarius capitularis visitare dioecesim, et in hanc rem observabitur methodus sequens, sancita a S. Rituum Congregatione die 16 Septembris an. 1843 et a Summo Pontifice confirmata die 8 Novembris eiusdem anni.

11. Vicarius capitularis indutus veste talari et pallio ac-

cedet ad Cathedralem et intra ostium ecclesiae excipietur a Capitulo universo.

12. Intra ecclesiam ubi venerit, dimittet pallium, induet superpelliceum, sumet manu biretum et per contactum recipiet aquam benedictam, quam porriget ei dignior Capituli.

13. Hinc, praeeunte Cruce, Clerus procedet ad Altare SS. Sacramenti, incedente Vicario ultimo loco inter duos seniores Canonicos aut Dignitates Capituli. Cum his geniculabit in genuflexorio praeparato, in quo positi erunt pulvini ad genua, ibique orabit.

14. Deinde Clerus dirigetur ad Altare maius et locum quisque suum in choro occupabit.

15. Vicarius genuflectet in medio gradus infimi Altaris et brevi tempore orabit.

16. Tum assurget et sessum veniet ad sedem cameralem in suppedaneo praeparatam a latere Epistolae et caput operiet bireto. Clerus etiam in choro considebit.

17. Vicarius sermonem analogum ad adstantes habebit, vel si vigeret usus, iubebit a Cancellario legi edictum S. Visitationis.

18. Completo sermone aut lectione, ut supra, sibi exuet biretum, descendet de Altari et assistentibus duobus Presbyteris superpellicio indutis, stans in latere Epistolae supra superpelliceum induet stolam cum pluviali nigro et recitabit preces *si iniquitates*, ut in Pontificali.

19. Peraget deinde reliquas functiones, ordine in eodem Pontificali notato.

CAPUT XII.

DE VICARIIS FORANEIS

1. Vicarius foraneus ratione officii sui, nulla gaudet praecedentia in choro et in sacris functionibus super Presbyteros anteriores in ordinatione, licet ei faveant Constitutiones synodales.

2. In Congregationibus Cleri primum obtinet locum super alios, ut delegatus ab Episcopo.

3. Si sit Canonicus, sedere debet quo loco ei competit ratione antiquitatis suae; non debetur ei thurificatio nec donatio Pacis ante alios, nec triplex ductus in thurificatione; non potest exigere, ut a se petatur permissus exeundi ex choro, quum id spectet ad chori Praefectum. Exercere functiones, quae pertinent ad digniores, et in choro genuflexorium distinctum adhibere nequaquam ipsi licet.

CONCLUSIO

Quod polliciti usque a praefatione sumus, rituum caeremoniarumque sacrarum, quae speciali illustratione visae nobis sunt egere, ut rite ac regulariter peragantur, tractatum praxim docentem, Deo suffragante, hoc postremo volumine exegimus. Ad functiones actionesque illas, quae suapte natura obviae ac simplices nullam requirunt explanationem, documenta addere supervacaneum esse duximus. Nihil, ut alia omittamus, de poenitentiae Sacramento, nihil etiam de extrema unctione disseruimus, quandoquidem in Rituali Romano de Sacramentorum istorum administratione satis perspicuae instructiones exhibentur. Pari ratione ritum in ceteris benedictionibus Rituali praedicto insertis, supersedimus describere, siquidem, iuxta illius rubricas, debet Sacerdos superpelliceum stolamque congruentem induere atque uti aqua benedicta. Idipsum quod ad alias benedictiones, Pontificali Romano adiunctas, fecimus; quas si obiturus sit Episcopus, induet stolam supra rochetum.

Quosdam insuper ritus, utpote antiquatos, omisimus; ex. gr. expulsionem publicorum poenitentium eorumque reconciliationem; itemque benedictionem Abbatissarum, sacrarum virginum velationem, coronationem Regis et Reginae, quia si qua forte

in civitate peraguntur (quod tamen accidit perraro) tam multis ac talibus rerum adiunctis potest non in substantia sed in accessionibus ritus praescriptus variari, ut inutiles essent instructiones, quas tradidissemus.

Erat nobis in animo ad calcem praesentis voluminis adiicere indicem verborum non ita frequenter in Missali et in Breviario usitatorum, notata eorum quantitate, sicuti plurium Episcoporum hortatu factum est a P. Bartholomaeo Gavanto, clarissimo viro, in opere, cui titulus *Thesaurus Sacr. Rituum*. Nonnihil nos ab hoc suscipiendo labore deterruit diuturnitas operis et angustiae temporis subsecivi, quae quidem moram haud brevem finali huiusce, cuiuscumque sit pretii, manualis publicationi attulissent. Perpendimus etiam, quod huic rei consultum est ab *Ecclesia docente*, quae in librorum liturgicorum editione praecepit, ut dictiones trisyllabae ac quadrisyllabae distinguantur accentibus tum propter prosodiam tum etiam propter pausam plus minusve brevem in chorali psalmorum recitatione interponendam. Quam quidem ad rem non possumus, quin excitemus Superiorum ecclesiasticorum vigilantiam, ne ullam sinant fieri novitatem in quorumdam verborum pronunciatione, usu communi iam sancita, quod gravi esset admirationi fidelibus, quemadmodum accidit non multo abhinc tempore in cuiusdam ecclesiae choro, ubi die festo S. Luciae in antiphonarum intonatione auditum est huius Sanctae nomen ab aliis producta, ab aliis correpta secunda syllaba, proferri. Auctoritatem referimus P. Ferdinandi Tetamo S. I. scriptoris magni nominis inter liturgicos, eaque hoc nostrum laborem absolvimus.

» NOMEN *Lucía* PENULTIMA SYLLABA LONGA, SEU ACUTA:
» *Lucía* (ETSI EA BREVIS SIT) PRONUNCIARI CONSUEVISSE A LA-
» TINIS IN ORATIONE SOLUTA, QUEMADMODUM A GRAECIS, TE-
» STATUR EMMANUEL ALVAREZ INSTIT. LING. LAT. LIB. 3. CAP. 15.
» PRAEC. 3. IN APP. N. 2. QUOD ET FIERI CONSUEVIT IN PLU-
» RIBUS ALIIS NOMINIBUS SEU VOCIBUS PUTA IN *Mathia*, *An-*
» *drea*, *Anania*, *Maria* ETC. QUAE LICET BREVEM HABEANT
» APUD LATINOS PENULTIMAM SYLLABAM, NIHILOMINUS EA NOMINA
» ACUTA PENULTIMA MULTI VIRI DOCTI, MORE GRAECORUM, IN SO-

» LUTA ORATIONE PRONUNTIANT, TESTE EODEM EMMANUELE *loco*
» *cit.* ET ITA EXPEDIT A CLERICIS PRONUNCIARI IN POPULI CON-
» VENTU, APUD QUEM USUS EST EADEM PRONUNCIANDI PENULTIMA
» LONGA. PROFECTO EX EODEM LAUDATO AUCTORE: SI QUA ERIT
» VEL IN HEBRAEIS VOCIBUS, VEL IN GRAECIS, CUIUS VERUS AC-
» CENTUS, PROPTER INSOLENTIAM, VULGI AURES GRAVITER OFFEN-
» DAT; IN EIUSDEM VULGI CONVENTU SATIUS VIDETUR (ID, QUOD
» FECISSE SE CICERO DICIT IN ORATORE) SCIENTIAM SIBI RESERVA-
» RE, USUM POPULO CONCEDERE ».

FINIS

INDEX

LIBRI VIII.

APPENDIX

ERRATA	CORRIGE
Pag. 3 l. 12. praeparabitur faldistorium	praeparabitur in latere Epistolae faldistorium
» 9 l. 10. induit vestes sacras	non induit vestes sacras
» 13 l. 4. Subymni	Sub hymni
» 21 l. 14. praescripta	praescripta num. 28. cap. huius.
» 46 l. 5. num. 37.	num. 27.
» 56 l. 15. num. 31.	num. 21.
» 139 l. 34. comlpeto	completo
» 160 l. 26. Indulgentiam	Indulgentia
» 176 l. 1. mansionibus loco	mansionis loco

INDEX GENERALIS

RERUM ET VERBORUM

QUAE IN TOTO OPERE CONTINENTUR

ALPHABETICO ORDINE DIGESTUS

NUMERIS MAIORIBUS LIBER, MINORIBUS PAGINA

LITTERA N NOTA DESIGNATUR.

A

ab extraneo Episcopo celebratis, quaenam parantur extra portam ecclesiae, 250. Quaenam in Baptisterio, *ibid.* Quaenam ad altare SS. Sacramenti et ad altaria minora, 251. Quaenam ad altare maius, in Presbyterio et in abacis, 252. Quaenam in Sacrario, 254. In functione quid praestandum, 255. Extrahitur ignis de silice extra portam ecclesiae, *ibid.* Celebrans ignem et grana thuris benedicit, 256. Ad fores Sacrarii datur crotalo signum Canonicis associandi Episcopum. 257. Clericus defert vasculum cum aspersorio ad portam ecclesiae; si in vasis lapideis mos sit asservandi aquam benedictam, *ibid.* Quo ordine Celebrans cum Ministris ad altare maius procedat, *ibid.* Quid agendum quum illuc ventum erit, *ibid.* Quid praestabit Episcopus ecclesiam ingressus, 258. Quid Celebrans, *ibid.* Quo ordine Ministri ad Sacrarium et ad portam principalem procedunt, 259. Quibus paramentis induendus Celebrans, 262. Cantores Prophetiarum induere debent superpelliceum, ideoque si Beneficiarii seu Mansionarii sint, insignia choralia dimittunt, 263 N. Primae quatuor Prophetiae seu Lectiones cantandae sunt a Clericis, alterae quatuor a Beneficiariis, ultimae quatuor a Canonicis, 264. Quid praestabit Cantor quum incipit et quum desinit Prophetiam cantare, *ibid. et seq.* *Oremus* cantandum quum in medio ante altare aderit Cantor de throno revertens, 265. In quarta, octava et undecima Prophetia etiam Tractus legitur, 266. Quo ordine Processio ad Baptisterium dirigenda, 267. Quid agendum quum illuc pervenerit, 268. In benedictione fontis Presbytero assistenti locus non est, 269. Quo ordine fit aspersio aquae benedictae, *ibid.* Quid agendum quum Processio ad altare maius pervenerit, 270. Litaniae quomodo cantandae, 272. Quibus paramentis tum Episcopus tum Celebrans induendi, *ibid.* Quaenam in Sacro litando observanda, 273. *Kyrie* quomodo cantatur, *ibid.* Quomodo Canonici circulum efficiunt, *ibid.* Ad intonationem *Gloria in excelsis* imagines deteguntur, et campanis sonatur, *ibid.* Ad cantum Evangelii non deferuntur ab Acolythis candelabra, 274. Offertorium caret versiculo legendo a Celebrante et ab Episcopo, *ibid.* Non recitatur *Agnus Dei*, nec pax donatur, *ibid.* Episcopus benedictionem impertitur, et Indulgentia publicatur, 276. Episcopus, adorato SS. Sacramento, a

C

cramenti accedant, 451. In eorum ab ecclesia discessu organis et campanis sonatur, *ibid.* — Quaenam pro secunda sessione dispositiones, 452. Missa solemnis conciliaris ab Episcopo cantanda, *ibid.* Recitatio Officii anticipanda, et Missa conventualis primo mane cantanda, *ibid.* Quid si concilium intra Octavam Pentecostes celebraretur, *ibid.* Quaenam pro secunda sessione paranda, *ibid.* In functione quid praestandum, 453. Episcopi Suffraganei rocheto et mozzeta induti in Metropolitani aedes conveniunt, *ibid.* Campanula Sacrarii datur Canonicis signum associandi Metropolitanum, *ibid.* Quid in eius ad ecclesiam accessu observandum, *ibid.* Quo ordine thurificatio in Missa tractanda, 454. Quaenam methodus observanda quoad pacem donandam, *ibid.* Populo de ecclesia dimisso, oratio ad Patres ab uno ex Episcopis Suffraganeis habetur, 459. Quid si Metropolitanus omittendum sermonem censeret, 460. Professio fidei quomodo emittenda, *ibid.* Sessio quomodo claudenda, 463. — Pro secundae sessionis post Vesperas continuatione quaenam paranda, 464. In functione quid praestandum, 465. Secretarius indicat diem, quo solemne funus pro cunctis comprovincialibus Episcopis celebrabitur, 468. Benedictio solemnis a Metropolitano donatur, sed non publicatur Indulgentia, 469. — Quaenam in solemnibus exequiis pro cunctis Episcopis defunctis comprovincialibus paranda, 471. Funebris in illis oratio habetur, *ibid.* Solemnis absolutio a Metropolitano peragitur, *ibid.* Quid in Missa observandum, *ibid.* Si Metropolitanus fuerit cardinalitia dignitate insignitus, utitur habitu et cappa coloris violacei, 479. — In sessione tertia quid peragendum, 472. — Pro continuatione sessionis ultimae post Vesperas ad Concilium dimittendum quaenam paranda, *ibid.* In functione quid praestandum, 473. Ecclesia aperta relinquitur, *ibid.* Sermo gratulatorius de Concilio absoluto ab uno ex Episcopis suffraganeis habetur, 474. Quo ordine Processio disponenda, 475. Quid in reditu observandum, 476. Acclamationes cantantur, *ibid.* Benedictione solemni a Metropolitano donata, Presbyter assistens Indulgentiam pubblicat, 477. Metropolitanus et Episcopi a quibus in reditu associandi, *ibid.* — Quaenam in Concilio provinciali

dum, 312. Aspersiones quomodo faciendae, 314. Quo ordine procedendum ad locum, in quo pridie vespere sacrae Reliquiae sunt expositae, 316. Quid ibi agendum, *ibid.* Quo ordine dirigitur processio ad altare consecrandum, *ibid.* Quid tunc agendum, 317. Quomodo unctiones faciendae, 321. Quomodo Olea sacra supra mensam effundenda, 323. Quomodo quinque grana incensi in medio mensae ab Episcopo disponenda, 324. Altare quomodo exornandum, 327. Quando Episcopus benedictionem donat, 328. Quaenam formula Indulgentiae, *ibid.* — Si plura altaria stabilia sint consecranda, quaenam paranda, 328. Quaenam pro repositione Reliquiarum pridie vespere peragenda, 329. Quaenam pro consecratione, *ibid.* Quaenam ad altare SS. Sacramenti, 331. Quaenam in Sacrario. *ibid.* Functio consecrationis quomodo celebranda, 332. Quinam Ministrorum habitus, *ibid.* Quibus paramentis Episcopus induendus, 333. Quid in Litaniis advertendum, 334. Aspersio aquae quomodo facienda, 336. Quomodo singula altaria aspergenda, 337. Quo ordine procedendum Sacellum, ubi expositae sunt sacrae Reliquiae, 338. Quid tunc agendum, *ibid.* Quo ordine Processio disponenda, 339. Quid agendum quum ad medium ecclesiae vel in Presbyterium pervenerit, *ibid.* Quomodo altarium unctiones perficiendae, 341. Quomodo altaria incensanda, 342. Quomodo super altaria Olea sacra effundenda, 346. Quo ordine quinque grana incensi disponenda, 348. Altaria quomodo ornanda, 351. Quid quoad Missam advertendum, 352. — Si consecrandum sit altare, cuius sepulcrum Reliquiarum est in medio summitatis stipitis, quaenam paranda in repositione sacrarum Reliquiarum vespere praecedenti, 353. Quaenam in consecratione, 354. Expositio Reliquiarum pridie vespere quomodo peragenda, *ibid.* In functione consecrationis quid observandum, 355. Quomodo procedendum ad sacras Reliquias transferendas, *ibid.* Quid tunc agendum, *ibid.* Quo ordine progreditur Processio ad altare consecrandum, 356. Quid tunc agendum, *ibid.* — Si altare portatile sit consecrandum, quaenam paranda, 362. In quo illud ab altari stabili differt, 360. Ex quanam materia esse debet, *ibid.* Quaenam eius forma, *ibid.* Proponuntur quatuor modi construendi huiusmodi altaria, 361 N. Num omnes probandi, *ibid.* In consecratione al-

D

E

I

L

M

N

O

ORGANUM. Quando organa sonanda, I, 131. Ut organorum sonus abrumpatur, quonam signo utendum, II, 58 N. Organi abusus in Missis de requie eradicandus, V, 269 N. In Dominicis Septuagesimae, Sexagesimae et Quinquagesimae pulsanda ad Missam et ad Officium, II, 141; VI, 17. Organa silent a Missa Feriae V in Coena Domini usque ad Missam Sabbati Sancti, II, 185; VI, 72.

OSCULUM. In osculo Pacis dando quinam ordo tenendus, I, 5, 73. Qui rem aliquam Sacerdoti ministrat, prius rem, deinde manum Celebrantis osculatur; qui vero ab eo recipit, primum manum, postea rem, 4. Quando tamen osculationes istae omittantur, *ibid.*

P

PALLA. Interdicitur palla contecta charta crassa, vulgo *cartone*, et panno serico phrygiato ornata in parte superiore, VI, 525 N.

PALLIUM. Pro S. Pallii traditione electo Archiepiscopo quaenam paranda, VII, 153. In functione quid praestandum, 155. Quid in accessu ad ecclesiam, *ibid.* Quid si Commissarius Missam celebrabit, *ibid.* Quid si ab eo Missa non celebratur, 156. Quibus paramentis Electus induendus, *ibid.* Quibus Commissarius, 157. Quomodo Pallium imponendum, 158. Archiepiscopus, Pallio recepto, solemnem populo benedictionem impertitur, *ibid.* At benedictio omittitur, si Pallii impositio fieret extra provinciam Archiepiscopi, *ibid.* Quid observandum si Commissarius fuerit Cardinalis, aut si Commissarius Praelatus sit, Archiepiscopus autem Cardinalis, 159.

PALMARUM DOMINICA. Quaenam in Dominica Palmarum praeparanda, II, 159; III, 16. Quid in functione peragendum, II, 161; III, 17. Palmarum distributio quo ordine facienda, II, 166; III, 20. Quid si populo in alio sacello palmae distribuantur, II, 167. Quo ordine Processio instruenda, 169 *et* III, 22. Quid in Processionis reditu observandum, II, 170. Quid in Missae celebratione, 171. Tres Passionis cantores quinam esse debent, II, 272. Quaenam paramenta induunt, *ibid.* Abusiva esset

mentis nigri coloris, neque Episcopi manum osculantur priusquam Passionis cantum incipiant, 132. Sacer Orator invitandus, si concio de Passione Redemptoris habeatur, 133. Dum ultima Passionis pars cantatur, nec liber adoletur, nec Episcopus illum osculatur, 134. Item, Evangelio cantato, textum non osculatur, *ibid.* Quid aget Concionator ante Episcopum deductus, *ibid. Ave Maria* non recitabit, 135. Post concionem Indulgentiae formulam legit, *ibid.* Quid si concio non habeatur, *ibid.* Quomodo Crucem detegit Episcopus, 137. Quomodo adorat, 138. Post Episcopum quo ordine ad adorandam Crucem procedendum, *ibid.* Ad actionis prolixitatem vitandam quinam in adoratione poterit ordo servari, 139. Ad hoc sex Clerici eligendi, *ibid.* Presbyter assistens, Diaconus et Subdiaconus ad adorationem non accedant, nisi quum discesserit Episcopus ad altare rediturus, *ibid.* Episcopus legit Improperia, 140. Quinam pro illorum divisione ordo servandus, III, 40. Crucis adorationis tempore quaenam advertenda, VI, 140. Expleta Crucis adoratione, quid agendum, 141. Processio ad Sacellum SS. Sacramenti quo ordine instruenda, 142. Quum illuc pervenerit, quomodo Clerus disponendus, 143. Quomodo Processio per ecclesiam ordinanda, 144. Quid agendum quum ad Presbyterium pervenerit, 145. Absoluta functione, discedit Episcopus eodem ordine quo venit, 152. Si fuerit Archiepiscopus, Crux archiepiscopalis eum antecedit, *ibid.* — Quid si Episcopus assistentiam praestet functionibus Feriae VI in Parasceve ab Episcopo extraneo peragendis, *ibid.* Vid. *Assistentia.* — Si functio haec ab Episcopo extra Dioecesim degente celebretur, quaenam paranda, VIII, 104. Functio quomodo peragenda, 106. Quinam Ministrorum habitus, *ibid.* Sandalia et chirothecae ab Episcopo hac die non adhibentur, *ibid.* Item reverentia aut salutatio ad Chorum omittitur, *ibid.* Quibus paramentis Episcopus induendus, 107. Quibus Passionis cantores, 109. Ipsi manum Episcopi hodie non osculantur, 110. Quomodo Crucem detegit Episcopus, 112. Quomodo adorat, 113. Quid si vigeat usus oblationes ad Crucem offerendae, *ibid.* Quo ordine ad Crucem adorandam procedendum, 114. Quo ordine dirigitur Processio ad Sacellum, in quo aderit expositum SS. Sacramentum, 116. Quid tunc agendum, *ibid.* Quo

Q

R

sessionis primae continuatione quaenam paranda, 404. In functione quid praestandum, *ibid.* Datur Canonicis Cathedralis signum campanula Sacrarii Episcopum associandi, 405. Sub Episcopi in Ecclesiam ingressum organis et campanis sonatur, *ibid.* Quid ab Episcopo agendum, *ibid.* Quibus paramentis induendus, 406. Dimisso populo, Secretarius legit decreta sibi ab Episcopo tradita, 407. Quomodo triplex caput orationis mentalis a Canonico cantandum, *ibid.* Episcopus, solemni donata benedictione, a Canonicis Cathedralis associatus ad residentiam suam revertitur, 408. Post benedictionem non promulgantur Indulgentiae, *ibid.* Nisi sessio horis pomeridianis continuetur, oratio mentalis et benedictio solemnis matutino tempore sub sessionis finem locum habent, *ibid.* — Pro sessione secunda quaenam paranda, *ibid.* Functio quomodo peragenda, *ibid.* Missa solemnis a quo cantanda, 409. Cantato per Diaconum *Ite Missa est*, Episcopus benedictionem non donat, *ibid.* Quomodo ad locum consessus procedendum, 410. Dimisso populo, eadem peraguntur quae in prima sessione, 413. Quid si sessio post Vesperas continuabitur vel ipso mane absolvetur, *ibid.* — Quid peculiare in sessione tertia observandum, *ibid.* Apertis ecclesiae ianuis, Hymnus *Te Deum* intonatur, atque organis et campanis Cathedralis sonatur, 414. Acclamationes fieri soleat in Synodo tantum prima, quae ab Episcopo convocatur, *ibid.* N. Peracto acclamationum cantu, Secretarius decretum de Synodi dimissione publicat, 415. Episcopus solemnem benedictionem impertitur, *ibid.* Presbyter assistens Indulgentias publicat, *ibid.* Episcopus ab universo Clero comitatus ad residentiam suam sese recipit, *ibid.*

SYRMA. Praesulum insigne, I, 7 N.

T

TENEBRARUM MATUTINUM. Matutinum Tenebrarum festivo campanarum sono feria quinta hebdomadae maioris annuntiandum, II, 177, VI, 57. Qua hora cantandum, *ibid.* Quaenam praeparanda, *ibid. et* VI, 56. In functione quid praestandum, II, 178; VI, 57. In Psalmorum fine omittitur *Gloria Patri*, II, 179; VI, 59. Contra in ultimo aut penultimo verbo fit quae-

U

V

*

VENIA SUPERIORUM

ROMANA

DUBII

Quum hodiernus Apostolicarum Caeremoniarum Praefectus in suo opere, cui titulus *Manuale Sacrarum Caeremoniarum lib. II. cap. XIV.* §. *7. pag. 32.* variis opinionibus sepositis, proposuerit imaginem Divini Infantis Natalitio tempore super Altari expositam triplici ductu thurificandam esse, quumque a nonnullis huiusmodi ritus errore redarguatur, ad tollendas praesertim varietates, quae sine aliqua fidelium admiratione continuari nequeunt, hanc Sacram Congregationem adivit humiliter postulans ut velit praefinire quid sit in casu agendum. Quapropter dubium proposuit: « *An sacra Imago Divini Infantis Natalitio tempore principe loco super Altari exposita sit post Crucem thurificanda triplici ductu, eodem prorsus modo, quo incensatur Crux cum imagine Crucifixi?* »

Eadem Sacra Congregatio, audita relatione ab infrascripto Secretario facta, nec non voto R. D. Laurentii Salvati Sanctae Fidei Promotoris Coadiutoris, re mature accurateque perpensa, rescribendum censuit *Affirmative*. Atque ita rescripsit et ubique locorum servari mandavit. Die 15 Februarii 1873.

C. Episcopus Ostien. et Veliternen. CARD. PATRIZI S. R. C. PRAEF.

L ✠ S D. BARTOLINI S. R. C. SECRETARIUS

NONNULLA S. RITUUM CONGREGATIONIS DECRETA, QUAE RESPICIUNT EPISCOPOS EXTRA DIOECESIM DEGENTES.

I. Episcopus in aliena Ecclesia non potest sibi pulvinar et pannum coloris violacei sternere et extra suam dioecesim non competit illi deosculatio Evangelii. 13 Oct. 1618. *in Iadren.*

II. An liceat Episcopum ordinarium loci extra Cathedralem Episcopo extero cui pontificalia demandat, cathedram sub baldachino indulgere? Resp. Minime licere, sed eo casu Episcopum exterum iuxta Caeremonialis dispositionem faldistorio uti debere. 29 Ian. 1656 *in Ianuen.*

III. Cum in Ecclesia Caesaraugustana ob Archiepiscopi senectutem saepe nonnulli suae provinciae Episcopi suffraganei et saepius Episcopus Vicensis suus coadjutor Missas solemnes et alias functiones pontificales celebrare et exercere consueverint, a S. Rit. C. quaesitum fuit: an saltem Episcopis suffraganeis celebrantibus duae ultimae eiusdem ecclesiae Dignitates, et dicto Episcopo Vicensi celebranti duo ultimi iuniores Canonici, praeter Diaconum et Subdiaconum assistere debeant? Resp. Assistentiam duarum Dignitatum vel Canonicorum tantummodo Episcopo loci Ordinario et nulli alteri convenire, et ideo dictos Episcopos suffraganeos et Episcopum Vicensem coadiutorem in dicta ecclesia Caesaraugustana solemniter celebrantes, contentos esse debere ministris solitis Diacono et Subdiacono, ac uno Cappellano cum pluviali, qui eis assistat ad librum. Die 19 Maii 1606 *in Caesaraugustana.*

IV. S. Rit. Cong. declaravit non teneri Dignitates et Canonicos obviam ire Episcopo suffraganeo ad Ecclesiam ven-

turo usque ad eius cubiculum, sicut tenentur obviam ire proprio Archiepiscopo, sed satis esse si aliqui Canonici ei obviam procedant usque ad portam ecclesiae, et dignior ei aspersorium porrigat (ut seipsum tantum aspergat) eumque usque ad Altare vel locum ad celebrandum, seu alias functiones exercendum destinatum associent:

Item declaravit dictum Suffraganeum solemniter celebrantem non debere sedere in sede Archiepiscopali, sed in faldistorio in cornu Epistolae locando, nec uti debere baculo pastorali, nisi quando tenuerit Ordinationes, vel alias functiones fecerit, in quibus iuxta regulas libri pontificalis eo uti debet, et necesse est; nec habere assistentiam duorum Canonicorum praeter Diaconum et Subdiaconum, qui erunt cantaturi in Missa Evangelium et Epistolam, sicut haberet proprius Archiepiscopus, si solemniter celebraret, sed satis esse si praeter Diaconum et Subdiaconum ei unus ex Dignitatibus, vel Canonicis assistat ad librum pluviali paratus.

Similiter, celebrante Episcopo suffraganeo, non teneri omnes Dignitates et Canonicos sacra paramenta accipere, sicut tenentur celebrante proprio Episcopo, sed praeter ministros supradictos alios omnes assistere debere in habitu ordinario canonicali. Et pariter celebrante Episcopo suffraganeo super altare non esse ponendum septimum candelabrum, sicut ponitur celebrante proprio Episcopo.

In reliquis functionibus, quas exercet Episcopus suffraganeus, vel alius Episcopus delegatus a proprio Archiepiscopo, velut in ordinationibus Clericorum, in consecrationibus Altarium, et Ecclesiarum seu Coemeteriorum, et in similibus, Dignitates et Canonicos teneri assistere Episcopo suffraganeo in habitu canonicali, quando legitime non erunt impediti; et ex eis sacra sumere debere paramenta tot Dignitates et Canonicos, quot necessarii erunt iuxta rubricas Pontificalis et formam actus, quam dictus Episcopus suffraganeus exercet. Die I. Sept. 1607. in *Bracharen.*

V. An Episcopus Civitatis Ducalis modernus administrator Ecclesiae Sarsinaten. in functionibus pontificalibus gaudeat omnibus illis praeeminentiis et praerogativis, quibus fruuntur et gaudent omnes alii Episcopi in propriis dioecesibus in casu etc. Resp. Negative.

An dictus Episcopus administrator dum cantat Missas et Vesperas in pontificalibus possit sedere super cathedra episcopali elevata quatuor gradibus, parata cum baldachino et postergali et uti baculo pastorali, vel sedere debeat super faldistorio prope altare sine ipso baculo? Resp. negative ad 1. partem affirmative ad 2.

An concedere possit indulgentiam quadraginta dierum sine speciali facultate Apostolica? Resp. Negative.

An dum assistit Missae solemni ab alio cantatae debeant Canonici facere circulos ad *Kyrie, Gloria in excelsis, Credo*, *Sanctus* et *Agnus Dei*, tuncque ubinam debeat sedere? Resp. Negative et sedeat in primo stallo chori.

An fieri debeat anniversarium suae consecrationis cum Missa cantata per Capitulum et Clerum, eiusque nomen debeat in Canone memorari per Sacerdotes celebrantes? Resp. Negative.

An cum Administrator Missam cantat in pontificalibus debeat poni super altare septimum candelabrum cum candela accensa? Resp. Negative.

An dum idem cantat Missam in pontificalibus debeant omnes Canonici sacris paramentis indui, vel tres tantum fungentes officiis Diaconi, Subdiaconi et Presbyteri assistentis? Resp. Negative quoad 1. affirmative quoad 2.

An dum vadit ad Cathedralem debeat sumere cappam magnam in aedibus superioribus Episcopatus, vel in ingressu ecclesiae, aut presbyterii? Resp. Arbitrio administratoris in casu etc.

An Canonici eum accessurum ad cathedralem debeant omnes excipere in dictis aedibus, vel soli tres aut quatuor

ad portam ecclesiae? Resp. Decere in casu de quo agitur ut omnes accedant.

An diebus festis fieri debeant publicae orationes pro novi Episcopi electione ad formam Concilii Tridentini, Caeremonialis Episcoporum? Resp. Affirmative. die 22 Aug. 1722. in *Sarsinaten.*

VI. Quum sacerdos Hieronymus Gavi Praepositus in Cathedrali Liburnensi ecclesia, modo ad dignitatem episcopalem assumptus ac renunciatus Episcopus Milten. in partibus administrationem obtineat dioecesis Liburnensis S. Rit. C. sententiam super sequentibus dubiis requisivit.

An epistolam pastoralem sive latino, sive vulgari sermone conceptam commisso sibi in administratione gregi dirigere possit? Negative.

An uti possit mozzeta vel potius supra rochetum mantelletum tantum gestare debeat? Resp. Negative ad 1. partem, affirmative ad 2.

An in pontificalibus uti unice debeat faldistorio? Resp. Affirmative.

An dum choro assistit uti Praepositus prima Capituli Dignitas, retinere debeat primum stallum? Resp. Affirmative.

An in processionibus ut suae praebendae competentes fructus percipiat, necesse sit ut cum suo Capitulo incedat omnino occupans digniorem locum? Resp. Affirmative.

An in iisdem processionibus possit interdum incedere post sacerdotem deferentem SS. Eucharistiae Sacramentum, quin tamen de propriae praebendae fructus participet? Resp. Affirmative.

An unquam Missae solemni assistere possit pluviali vel cappa indutus, absque tamen circulo Canonicorum, vel potius requiratur ut cum mantelleto assistat ad lucrandos suae praebendae fructus? Item an in pontificalibus celebrans possit habere Diaconos assistentes? Resp. Quoad 1. partem negative, quoad 2. affirmative, quoad 3. negative.

An Episcopo administratori liceat perficere benedictiones candelarum, cinerum, palmarum ac fontis baptismalis in sabbato sancto, quin Missam deinde celebret? Resp. Negative, nam id unice competit Episcopis ordinariis, et cum orator prebendam retineat, necesse est ut praxi communi se conformet, nimirum ut enunciatae benedictiones perficiantur a Celebrante.

An usum habeat galeri cum chordulis et floccis viridis coloris, ac huiusmodi colore ornari equi currus? Resp. Negative ad 1. partem, et quoad 2. recurrat ad S. C. Caeremonialis.

An caudatarii opera uti possit saltem dum sacris functionibus peragendis solutam habere debet longiorem talaris vestis fimbriam? Resp. Affirmative in casu. Die 23 Sept. 1848 in *Liburnen.*

VII. Rm̃us Praesul Franciscus Maria Zoppi, qui SSm̃o annuente Episcopatum Massensem dimisit, in eo est ut potiatur Canonicatu superioris ordinis in Metropolitana Mediolanensi, et ne in novo hoc munere aliquid detrahat episcopali dignitati, ac novitatis notam devitet, S. R. C. sequentia dubia pro opportuna dilucidatione proposuit, nimirum:

1. Quaenam sedes, vulgo *stallo*, sibi competat in choro, in quocumque Capituli congressu, et quando sibi cum eodem Capitulo publice procedendum est?

2. Quemnam habitum gerere in choro, quemnam in publicis supplicationibus aliisque sacris functionibus, quemnam extra chorum cum privatam personam agit?

3. An teneatur in sua hebdomada Missam et Vesperas canere, seu celebrare, aliaque singulariter peragere, ad quae tenentur Canonici eiusdem Ordinis in sua quisque hebdomada?

4. Et quatenus teneatur, an sandaliis, dalmaticis, mitra, baculo pastorali, Cruce et similibus Episcopo competentibus uti debeat?

5. Quatenus vero non teneatur, vel sibi liceat a praefatis hebdomadarii officiis se abstinere, an distributiones amittat quamvis choro cum ceteris Canonicis interfuerit?

6. An debeat Archiepiscopo sollemnia agenti assistere, ministrare, aliaque praestare, quae ceteri eiusdem ordinis Canonici eidem praestant?

7. Quum autem Orator minime ignoret a ceteris eiusdem ordinis Canonicis aegre ferri Episcopum e gremio eiusdem Capituli vestes et caligas coloris violacei et quiquid aliud Episcopalem dignitatem referat in choro eorumque congressu gestare, et quomodocumque se ab ipsis distinguere, ac proinde non multis abhinc annis duos eiusdem Capituli Canonicos a Summo Pontifice Episcopos *in partibus* renuntiatos, locum quem antea in choro habebant et in quovis Capituli congressu retinere, et Missas et Vesperas aliasque functiones in sua hebdomada, nulla adhibita indumentorum aliave distinctione ceu reliquos Canonicos hebdomadarios celebrare consuevisse, seque dumtaxat a supplicationibus publicis episcopalis honoris ergo abstinuisse, distributiones tamen omittendo non aliter ac si culpabiliter minime interfuissent, obsequentissime postulat, an teneatur, vel saltem sibi liceat huic consuetudini se conformare in omnibus, aut quanam in parte?

Et S. eadem Congregatio rescribendum censuit.

Ad 1. et 2. ratione episcopatus posse et debere uti habitu ordinario, quo utuntur Episcopi in Romana Curia, idest rocheto supra subtanam et mantelleto coloris violacei, et debere praecedere omnibus aliis Canonicis, et sedere in primo stallo supra omnes, ut in Compostellana diei 15 Iulii 1617.

Ad 3. in Missis de turno abstineat, et subroget alium ut in Asculana diei 10 Aprilis 1728. In solemnioribus cum indumentis pontificalibus, sed de licentia Episcopi.

Ad 4. iam provisum.

Ad 5. quoad primam partem iam provisum. Negative quoad secundam.

Ad 6. tenetur sedere in choro cum pluviali.

Ad 7. negative in omnibus.

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. *In Mediolanen.* 16 Martii 1833.